



00066639

DANIELIS GEORGII MORHOFII

POLYHISTOR,

LITERARIUS,
PHILOSOPHICUS

ET

PRACTICUS

491

CUM ACCESSIONIBUS VIRORUM CLARISSIMORUM
IOANNIS FRICKII ET IOHANNIS MOLLERI,
FLENSBURGENSIS.

EDITIO QUARTA.

CUI

PRÆFATIONEM, NOTITIAMQUE
DIARIORVM LITTERARIORVM EUROPE

PRÆMISIT

IO. ALBERTUS FABRICIUS,

SS. THEOL. D. ET PROF. IN GYMNASIO HAMBURGENSE,

NUNC AUCTAM ET AD ANNUM MDCCXLVI
CONTINUATAM.

CUM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSARÆ MAIESTATIS.

LUBECÆ,

SUMTIBUS PETRI BOECKMANNI

MDCCXLVII.



00066639



BENEVOLO LECTORI

S. P.



U hunc tibi sifterem Polyhistora, Benevole Lector, expugnarunt amici: extorsit illum ipsa necessitas potius, quam ipse meo consilio publicæ luci destinavi. Duodeviginti anni sunt, ex quo privatis scholis Notitiam Scriptorum, optimorum juvenum rogatu, proposui. Quem laborem, aliis urgentibus, post aliquot annos resumpsi, ita tamen, ut alia ratione commutarem & pertexerem. Non credidi quidem fore, ut illa, quæ mihi subita & fortuita oratione è memoria exciderant (optime enim id norunt, qui mihi tum auditores adfuerunt) ad quemquam extra discipulorum subsellia emanarent. Verum contra voluntatem meam & præter opinionem accidit, ut, quæ ego ad privatos paucorum juvenum usus institueram, non in hac solum Academia, sed & alibi descripta per multorum manus ita impolita & inculta vagarentur: neque desissent, qui publicos de editione tergiversanti typos minarentur. Quod cum intelligerem, metueremque, ne vel mutilum mancumque opus, erroribus & glossis peregrinæ manus præterea scædum, in lucem meis ingratiis protruderetur, vel in aliena incude à novo quodam fabro refingeretur; eo adductus sum, ut laborem, qui propemodum infinitus est, & nova ab annis incrementa capit, per partes recensens, prælo subjicerem. Quod ut eo feliciter procederet, effecit Vir mihi amicissimus, D. **ACHILLES DANIEL LEOPOLDI**, Jctus apud Lubecenses nobilissimus, cujus hortatu consilioque potissimum impulsus est, qui suis sumptibus librum in lucem edidit. Non ignotum mihi est, quan-
tæ

D^o S^{ph} Nicolæ de Azara

PREFATIO MORHOFIANA

tæ molis opus humeris meis incumbat. Oceanum enim ingressus sum, in quo portum invenire difficile est, naufragii periculum à syrtibus & scopulis imminet. Quis enim in tanta multitudine rerum & librorum omnia exhauriret? Quis non alicubi impingeret? Quis sal-
vum ab invidia caput retraheret, ac malignitatis dentes in liberiorè censura evitaret? Præterea ut palato & gustu differunt convivæ; ita
judiciis dissident Lectores, neque omnium idem de rebus sensus est, hoc præsertim tempore, quo plures sunt librorum iudices, quam
lectores, & è lectoribus in liectores, ubique virgas & secures expe-
dituros, multi degenerant. Deterrere etiam ab instituto posset, qui
nunc in simili argumento vastum molitur opus, Bailletus, quæ
multa eorum, quæ jam pridem in privatis lectionibus adduxeram,
occupasse non diffiteor: à me tamen hic suo loco notanda, ne quis
à me scrinia ejus compilata suspicetur. Verum cum mei non esset
res arbitrii, neque ab opere incepto manum retrahere mihi amplius
esset integrum: telam hanc, quam semel orsus fueram, pertexui;
ita tamen, ut novum plane & multis modis auctius opus prodiret.
Quod etsi multo elaboratius enucleatiusque dari poterat: neque enim,
quam debebam poteramque, aliis sæpe rebus distentus, impendi
curam: erunt tamen in illis, utut subito calore effusis, non pau-
ca, quæ juvare juventutis studia possunt, in quibus si non accu-
ratissimi iudicis, saltem boni iudicis munere defungar. Scripta sunt
hæc plane eo, quo JOACHIMUS FORTIUS libros scribi volebat,
modo. Quæ hic chartis illevis, vix interdum relecta, tabellario de-
portanda dedi; exscripsit illa, ut a calamo venerant, Typographus.
His sæpe Academica & domestica negotia, curæ familiares ex obitu ca-
rissimæ Uxoris, valetudo non semper commoda, moras injecerunt; ut
jam præcipitati, jam interrupti labores rigidiori examini & ulteriori
limæ locum non reliquerint. Quo factum etiam, ut non pauca vel
à describentis manu, vel mea etiam festinatione *σφάλματα*, for-
tasse etiam *ἀμορτήματα μνημονικά*, quibusdam in locis irrepperint:
quæ nunc, extremam manum poscentibus nundinis, non sollicite
adeo a me consignari potuerunt. Totum Opus à me in tres Tomos
tribuetur, quorum primus Polyhistoris *Literarii*, secundus *Philo-
sophici*, tertius *Practici* titulo appellabitur. Nunc prima pars tomi
primi, atque adeo duo libri, Bibliothecarius & Methodicus in lucem
prodeunt, quos ceteri suo ordine & tempore sequentur; & qui-
dem in Polyhistore Literario liber Grammaticus, Criticus, Oratori-
us & Poeticus, in ceteris tomis reliquæ Philosophiæ partes. Scri-
bendi, ut jam dixi, rationem secutus sum non anxiam & scrupu-
losum.


iosam, iudicio ad quælibet verba suspenso, sed sua quadam libertate vagam, nec certis vinculis adstrictam. Sunt, qui etiam in rebus, quæ ornari negant, doceri contentæ, singula verba periodosque ad amissim vocant, numerosa omnia & exarsciata volunt, nullam, quæ Romanam civitatem non sapiat, vocem admittunt; nihil alieni Scriptoris verbis, sed suis exprimunt: ut ita libellum, tanquam omnibus numeris absolutam Pasicompsen, lectoribus suis fiant, & velut in scenam aut orchestram producant. Has Ego formas earumque spectatores non sperno, quin potius laudo, iisque asurgo: est tamen, ubi vel incomptæ Veneres & passio capillo horridulæ ipsa se negligentia commendant. Est, ubi præ fucata Phryne aliqua decoro vultu decolor.

Sabina qualis, aut perusta solibus

Pernicis uxor Appuli

non displicuerit. Malim & ego in didactico argumento sermonem pulvere, sed erudito oblitum, quam cetussa & pigmentis incrustatum. Qui majorem hic à me ornatum desideraverit, horrea me hic struere meminerit; in quibus nemo marmoreas varioque opere elaboratas columnas, nemo peristylia & porticus, nemo parietes aulæis superbos, sed pro congerendis frugibus apta spatia requirat. Excursus interdum tentavi, nec a scopo alienos, neque viris doctis, ut puto, ingratos. Loca Scriptorum sæpe integra adduxi, non ut chartas implerem; sed iis subvenirem, qui libris destituuntur, & pleniorum ex ipsorum Scriptorum verbis sensum excuterent lectores: observavi, cum mea hæc relegendi, nonnulla, quæ fugerem ipse vel carmen, vel orationem, scripturus. Nunc in his subitis commentationibus æstus meditantis & scribentis, addo & properantis, sæpe abripuit verbis minus, quam rebus intentum. Adeo in omnibus oculatum esse non licet; neque, ut essem, multum laboravi. Vel ipsa libri inscriptio *Manutii* censuram non effugerit, qui auctoris vocem pro scriptore usurpatam non probat. *Dubitanter* quoque ea de re censet diligentissimus castigatæ latinitatis vindex *Cellarius*, qui non nisi testis significationem admittit. Sed dubitare nos vetat *Livii* locus l. 2. c. 8. qui ita habet: *Apud quosdam veteres Auctores non invenio Lucretium Consulem*: ubi nullo alio, quam Scriptoris sensu, vox illa accipi potest. *Hugō Grotius* (at quantus Vir!) cum carmen scriberet, omnium poetarum, genium præclarus imitator exprimebat; cum historiam conderet, cum *Tacito* in arenam descendisse visus est. Idem tamen in Philosophorum & Scriptorum scholis omnia miscuit, nec sordidis verbis minusque Latinis, sed usu scholastico receptis ab-

stinuit, ut planius loqueretur. Porro & cum historia Scripturum res ipsas junxi, quarum cognitionem præ ceteris juventuti utilem credidi. Nam cum multa in his essent, quæ ad integrorum librorum & dissertationum argumenta designaveram; & vitæ summa brevis spes inchoare longas vetaret, rectius me facturum existimavi, si in compendium hæc contraherem, quæ profutura juventuti arbitrareor, quam si incertæ elaborationis spe & me ipsum & alios fallerem, aut aliis illa, ut fieri solet, in prædam cederent. Ubi de exercitationibus ago, copiosior in exemplis fui, quoniam è re juventutis, cui omnis mea opera dicata est, fore credidi, si illa paulo plenius proponerem. Qua in re à peritis & æquis æstimatoribus veniam me facile impetraturum confido. In ceteris, si quæ forte sint, quæ meam fugerint diligentiam, aut in quibus, ut homines sumus, & in re tam varia facillimum est, lapsus fuero, eos mihi iudices relinquo, quos ipsi eadem in trutinâ positi non recusent. Mihi in omni hac commentatione prorâ puppisque fuit juventutis Academicæ commodum, in quo mihi, hac in palæstra, constituto, ad vigilandum semper duxi. Quod si & alii hanc industriam meam non adsperserint fuerint, & ad se quoque ejus fructus redundaturos existimaverint, tanquam *emulationem* arripiam, totumque in lucro deputabo. Unum est, de quo monitos eos velim, qui aliorum damnis suas edificare fortunas consueverunt, ne Bibliopola, viro optimo, honestum, quod ex impensis in hunc librum factis sperat, lucrum, nova impressione per malam fraudem intervertant. Præterquam enim, quod à flagitio non absit, falcem in messem alienam mittere, amplissime cum facti, si ausus fuerit, poenitebit, cum jam id agat, ut S. Cæs. Maj. Privilegio adversus hominum illorum se injurias muniat, damnumque avertat. Vale, benevole Lector, conatibus nostris fave, & si Deus vitam valetudinemque largitus, ceteras etiam partes suo tempore expecta.





DANIEL GEORG MORHOF.
1731. C. Fritsch. Sculp. Hamburgi.

A D
LECTOREM
NOVÆ HVIVS EDITIONIS
POLYHISTORIS MORHOFIANI,
PRÆFATIO
IO. ALBERTI FABRICII.

Multum semper debere me professus sum, ac profiteor libenter duumviris eruditis Germanis nostris CASPARI BARTHIO, & DANIELI GEORGIO MORHOFIO, quorum lucubrationes evolvere me memini adolescentem magno cum fructu. Cum A. 1685. Lyceum frequentarem Quecunibergense, moderator illius dexterrimus Samuel Schmidius in Museo suo, Barthii forte Adversaria inspicienda mihi dabat, quæ deinde petenti mihi cum utenda ad tempus concessisset, miratus ego in iisdem vehementer varium illum & late patentem ambitum eruditionis, illa memoriæ omnis amœna latifundia, illos recessus sacræ & externæ antiquitatis, illum orbem scientiarum, illam scriptorum Græcorum Latinorumque veterum & mediæ ævi multitudinem, principesque ingeniorum recentis memoriæ, eruditosque omnium nationum, qui in illo opere passim laudantur, innumerabiles. Ab isthoc tempore, fateor, perfuso mihi rerum pulcherrimarum, licet vix emittis ac per transfennam prospectarum voluptate ac desiderio, alte in animo meo hæsit propositum, omnibus hoc precibus a DEO exposcere, ac quantum possem dare operam, ut in virtutis instrumentum ac vitæ, etiam mihi daretur occasio propius illa lustrandi ac cognoscendi, comparandique mihi linguarum inprimis & Logices bene sanæ, deinde Antiquitatis & rerum omni memoria gestarum, tum disciplinarum utilium non poenitentiam scientiam, & scriptorum notitiam, cujus in tanto illorum numero, diversoque genere ac pretio majorem etiam amœnitate utilitatem esse facile conjiciebam.

Reverso deinde mihi in patriam meam Lipsiam, atque sub egregiis Doctoribus, Alberto, Carpzovio, Irtigio, &, qui solus adhuc in vivis superat, atque ut diu, precor, vivat lætus ac sospes, Joanne Schmidio, studia non ignaviter prosequenti, pulchræ recordor novum & ingens mihi additum calcar, in lucem edito primum A. 1687. a laudato MORHOFIO Volumine primo hujus ipsius Operis, quod tertius prælis jam recusum Tibi, Lector Optime, offertur, & quod titulum a Solino mutuatus Auctor, potiore jure quam suum ille Polyhistorum inscripsit. Neque vero tantum hoc lecto sensu admoveri mihi acriores stimulos industriæ, ut cœpta in via tanto alacrius pergerem, sed etiam multum adjuvari eam & ad fortius eundem sustineri me optimis consiliis: cui accedebat, quod mirifice oblectaret

P R A E F A T I O

animum meum in illa eruditionis copia acutum & dives scribentis ingenium, stylique nativa quædam sine affectatione pulchritudo: maxime autem rationibus meis conduceret iudicii vis acris cum pari æquitate, quæ utraque in Morhofio singularia fuisse omnes confitentur.

Post illud tempus cum reliquas Operis partes simili elaboratas industria a limato ejusdem stylo eruditi expectarent, ecce tristis affertur nuncius, auctorem rebus humanis valedixisse A. 1691. 3 Kal. Aug. Hunc nuncium tunc mihi acerbissimum accidisse probe commemini, qui anno superiore recens beatum virum Kiloniæ salutaveram, & perquam humaniter ab eo fueram exceptus. Itaque desiderium tanti Doctoris, quod solum relictum mihi erat; levabam lectione ejus ingenii monumentorum, gaudebamque, in lucem proferri partem Polyhistoris alteram, postumam licet, magis tamen quam quæ postea sunt insecutæ, ultimam scriptoris manum præ se ferentem, in qua de excerptis adornandis, Oratoriis præsertim ac Poëticis, egregia consilia pulcherrimis & copiosis exemplis illustrata exhibentur: quo in ipso oportune excerptendi studio Morhofium diligentiorum fuisse, quam sunt innumeri alii etiam minime otiosi ac negligentes, illud ipsum Volumen certissime demonstrat, quanquam ipse de se pag. 5. ego certe, inquit, excerptis componendis non multum opera me impendisse fateor, etsi aliorum diligentiam laudo, mea ne in his negligentia succensco, magno tamen in lucro reputaturus, si aliorum mihi opera uti concessum fuerit. Nunc ego memoria promiconda contentus scribo multa, qua fallat quidem nonnunquam, & res suas repetenti raro respondeat, plerumque tamen, cum argumenti decessu sollicitat, ultro offerat, & quasi ex capsula depromat.

In Voluminibus cæteris post septem libros Polyhistoris litterarii, eorumque ultimum Poëticum, qua ipsa facultate plurimum Morhofius pollebat, unde Poëta Gallo celeberrimo Ægidio Menagio* audit *Princeps Poëtarum Germaniæ*: proposuerat sibi deinceps Historiam litterariam in Polyhistoris Philosophico, Theologico, Juridico ac Medico illustrandam nova & nemini ante eum tentata ratione, perpulchra autem atque utilissima, eratque hoc cum plausu omnium & lectorum fructu executurus, si vitæ summa brevis promissa implere longa atque egregia permisisset. Cum autem propter intercedens fatum non licuerit auctori iis, quibus parabat & quibus bene valebat opibus totum opus adornare, atque instruere, ultimamque industriam & limam addere, certe tamen lectori æquo & erudito facile se probabit etiam in affecto opere artificis iudicium & doctrina, atque in physico præsertim libro curiosa & locuples industria accedente etiam laudata opera clarissimorum Virorum JOANNIS MOLLERI, τὸ μανασπίτῃ, atque Theologi Ulmiensis eruditissimi JOANNIS FRICKII, qui in recensendo atque locupletando postumo hocce Morhofii monumento diligentiam suam collocarunt.

Ante Morhofium quadruplex via ac methodus historiam litterariam sive universam sive partes ejus tradendi atque paulo uberius explicandi in mentem eruditissimis venerat, una, quam Chronologicam dixeris, Lexica altera, sive alphabetica, scriptoribus recensitis per litterarum ordinem: tertia realis sive classica, per

* T. 2. anti Baillet p. 71. *le premier Poëte d'Allemagne.*

F A B R I C I A N A

per rerum genera & classes eosdem enumerat: & quarta denique Geographica per linguas diversas ac nationes. Primus Morhofius quintam Criticam viam ingressus per rerum capita ac disciplinarum classes digestos scriptores examini subicere atque ita in universalem eorum notitiam studiosos introducere instituit.

Temporum ordine servato primus historiam litterariam condere ausus est *Petrus Lambecius*, tunc adhuc noster, qui excitatus laudabili *Joannis Jacobi Frisii* Tigurini instituto Bibliothecæ Chronologicæ classicorum auctorum, libelli paucis constantis foliis editique Tiguri 1599. 4. animum appulit ad omnem rem litterariam historiamque linguarum, scientiarum & scriptorum diligentiore studio & uberiore apparatu persequendam, & a stirpe ac primis originibus per omnium sæculorum decursus deducendam in sua usque tempora. Sed simile, quo *B. Morhofius* noster usus est, Lambecium etiam mansisse fatum constat, longe enim & is absuit ab opere suo toto elaborato in lucem emittendo, quanquam non tantum animo illud conceperat, sed & lineas ejusdem integri manu sollerti duxerat. Itaque A. 1659. Hamburgi in patria hac sua, ubi Professoris Historiarum partibus in Gymnasio tunc fungebatur, suo sumtu publicavit Prodromum, quem appellat, *Historiæ litterariæ*, in quo liber primus in Moysis temporibus desinens, & libri secundi capita quatuor primora, quæ *Cadmi Milesii* ætatem non excedunt, sola integra & elaborata exhibentur. Cæterorum vero capitum duorum & triginta nihil traditur præter brevem sciagraphiam sive delineationem memorationemque præcipuarum personarum ac rerum, de quibus ad medium usque a nato unico Servatore nostro sæculum decimum septimum in singulis erat tractaturus. Hunc prodromum, cum in tabernis librariis jamdiu desideraretur, atque ipsæ etiam illæ primæ lineæ specimini elaborato operis subjunctæ minime viderentur contemnendæ esse, recudendum dedi Hamb. 1710. fol. adjunctis Lambecii ejusdem itinere litterario Cellensi, & Alexandri Ficheti S. I. Morhofio etiam ex merito laudati arcana studiorum methodo, ideaque locorum communium: nec non *Wilhelmi Langii* Catalogo librorum Mstorum Bibliothecæ Florentinæ Medicæ, quem ineditum e *Marquardi Gudii* thesauro librario nactus fueram. Telam autem adeo late patentem & à Lambecio erudite cœptam atque institutam qui idoneis subsidiis instructus deinde deduceret, historiamque litterariam ita Chronologico ordine ad nostra usque tempora universam exsequeretur, repertus hæcenus est nemo.

Alphabeticò ordine tanquam facili, & ad digerendum requirendumque pariter aptissimo uti cœpit, qui post *Johannem Trithemium* videtur primus omnium recentiore memoria ad historiam litterariam ornandam signum sustulisse, καλὴν ἐπος ille *Conradus Gesnerus*, Tigurinus, edita Bibliotheca Universali, sive Catalogo scriptorum locupletissimo in tribus linguis Latina, Græca & Hebraica, existentium & deperditorum, veterum & recentiorum, doctorum & indoctorum, publicatorum & in Bibliothecis latentium, Tiguri 1545. fol. una cum inscuta appendice sive supplemento A. 1535. fol. Neque Catalogi tantum vice desungitur,

P R A E F A T I O

aut nudis titulis librorum absolvitur præclarum hoc opus: sed multa passim de aucto-
 ribus, de scriptis, de scriptorum ingenio & stylo in eodem oportune notantur,
 quæ ab epitomatoribus præterita sunt; unde quantopere compendia studiorum fe-
 ctari malint plerique, vel hoc uno exemplo insigni perspicue patet, quod ne semel
 quidem Bibliothecam Gesneri recudi ab eo tempore, aut pari industria ulterius
 produci, contigerit, cum avide direpti sint ejus breviores continuatoresque suc-
 cinctiores, *Conradus Lycosthenes* A. 1551. *Rob. Constantius* A. 1555. *Jofias Simlorus* A.
 1574. *Jo. Jac. Frisius* A. 1583. & *Antonius Verdierius* A. 1585. in lucem editus. Sed
 rei litterariæ haud dubie magis interfuisset, non modo Gesnerianum laborem inte-
 grum magis tritum emendatumque eruditorum studio, sed & simili vel majori etiam
 diligentia suppletum subinde ac continuatum fuisse, ut ita plenior ad nos & accu-
 rator scriptorum notitia paulatim devenisset, quæ nunc ante Diariorum præcipue
 eruditorum usum ante hos sexaginta annos feliciter coeptum frequentari adeo man-
 ca est in plerisque & hians, ut nisi in celebrioribus scriptoribus atque omnium commu-
 ni prædicatis stylo ac voce, pleraque passim etiam doctos ac diligentes fugiant. *Jo. Ja-
 cobi Frisii* epitomen adhibuit, eique observationes suas in auctarii vicem addidit
Alphonsus Ciacconius Hispanus in sua Bibliotheca, quam circa A. 1590. coepit ad-
 ornare, cujusque partem primam, quæ sola superest, & non procedit ultra quintam
 alphabeti litteram, desinitque in Epimenide, nuper demum post centum quadra-
 ginta annos in lucem protulit vir doctissimus *Franciscus Dionysius Camufatus*, Paris.
 1729. fol. Pro Gesnerianæ Bibliothecæ supplemento haberi etiam debet *Johannis
 Hallervordi* Bibliotheca curiosa, Regiomonte A. 1676. 4. edita minimeque contem-
 nenda: pro epitome simul atque auctario, multorum promerita laudem & præco-
 nium Bibliotheca *Georgii Matthia Kenigii*, typis excusa Altdorffii, ubi bonas lite-
 ras Koenigius docebat, A. 1678. fol. Horum omnium longe vicerat industriam
Christophorus Hendreichius, si pandecta ejus *Brandenburgica* integræ in manus hominum
 venissent, e quibus solæ litteræ primorès A & B viderunt lucem Bèrolini A. 1699.
 & non parvum majori folii magnitudine volumen implent. Breviarium autem Ges-
 nerii idemque supplementum copiosissimum, omnibus, quæ hætenus prodire,
 longe præferendum haud dubie haberi debet *compendiosum Lexicon eruditorum* Ger-
 manice digestum auspiciis illustris viri *Joannis Burchardi Menckenii*, cujus jam duæ
 exstant editiones, & modo tertiis curis locupletiolem & accuratiolem adornandam
 parari intelligo ab eruditis Lipsiensibus. Sed & alia bina opera similia expectare
 jubemur ex Italia atque nostra Germania. Nam in Italia inusitatæ vir diligentiae
Alphonsus Lafor a Varea, sive qui sub illo anagrammate delitescit *Raphaël Savonarola*
 in Orbe terrarum universo scriptorum calamis delineato, quod opus ordine litte-
 rarum digestum Patavii A. 1713. fol. in lucem edidit, p. 358. atque alibi promissit
Orbem litterarum univèrsam similiter ordine descriptum Alphabetico. E Germanis
 vero nostris *Joannes Philippus Wernerus* Northeimensis, Scholæ Ofterodanæ ad Ser-
 cyniam Rector fidem fecit se prælo paratum habere *Pandocheion clarorum litterarum vir-
 rum*, sive *Onomatologum*, eruditos omnis ævi, gentis, status, ordinis, sexus: co-
 rumque vitas, fata, singularia, elogia, censuras ordine litterarum complectentem,

F A B R I C I A N A.

2 Volum. fol. Neminem etiam fugit, in Lexicis quæ vocant historicis universalibus, quæ certatim ab aliquod annis conduntur linguis Gallica, Germanica, Anglica, Belgica, Italica, rationem quoque haberi eruditorum, sed eorum fere tantum, quos fama super cæteros extulit, vel qui scribenti præ reliquis visi sunt memorabiles, cæteris innumerabilibus prætervectis & omissis.

Aliud præterea beneficium studiosis historiæ litterariæ quod imputet Gesnerus habet, item enim est qui non Alphabeticam modo, sed etiam classicam sive realem Bibliothecam instruxit primus, atque locuplete apparatu divitem, digestamque commodo ordine exhibuit sub titulo Pandectarum sive Partitionum universalium, Tiguri 1548. fol. Quo in opere omnium qui in priorè Bibliothecæ Volumine nominantur scriptorum, & plurimorum insuper aliorum lucubrationes per certas disciplinarum & materiarum classes enumerantur, non titulis modo librorum memoratis, sed capitum etiam inscriptionibus & particularibus plurimorum argumentis. Opus totum libris XXI. divisum est, quorum 1. refert scriptores de Grammatica & philologia digestos sub titulis uno & viginti. 2. Scriptores de Dialectica. 3. de Rhetorica & de Poëtica. 4. de Arithmetica. 5. de Geometria, Opticis & Catoptricis. 6. de Musica. 7. de Astronomia. 8. de Astrologia, 9. de Divinatione cum licita, tum illicita & Magia. 10. de Geographia. 11. de Historiis. 12. de diversis artibus illiteratis. 13. de Naturali Philosophia & Theologia Gentilium. 14. de Prima Philosophia seu Metaphysica. 15. de Morali Philosophia. 16. de Philosophia Oeconomica. 17. de re Politica, id est Civili & Militari. 18. de Jure Civili & Pontificio, & 19. de Theologia Christiana, librum enim vigesimum qui rei medicæ destinatus erat, licet materiam satis copiosam congestam sibi esse testatus edere Gesnerus distulit, neque quicquam illius ab eo tempore, quod sciam, vulgavit, præter enumerationem virorum illustrium qui rem chirurgicam vel artis usu excoluere, in sylloge scriptorum de Chirurgia Tiguri 1555 fol. p. 393-408. Prævit igitur hac quoque in parte Gesnerus omnibus, qui ex illo tempore Bibliothecas reales Theologicas vel Juridicas aut Medicas vel etiam Philosophicas componere instituerunt, atque in via illa utilissima historiæ litterariæ illustrandæ facem primus prætulit, totam amplitudinem, ambitumque universum illius methodi nemine uno post Gesnerum auso persequi atque illustrare, præter meritissimum eo ipso nomine de litteris *Martinum Lipenium*, dignumque, cujus Bibliothecæ accurato virorum doctorum studio recenseantur, emendatæque suppleantur diligenter in communes eruditorum usus ac continuentur.

Methodum quartam tradendæ sive illuminandæ rei litterariæ, quam dixi Geographicam, video jam olim in mentem venisse Herennio Philoni, Byblio Grammatico, qui Trajani ætate floruit, & cujus libros triginta *περὶ πόλεων καὶ ἑσ ἐνάση ἀνδρῶν ἐνδόξων ἡγεμενῶν, de civitatibus & quos singula claros viros protulerint*, Suidas memorat. Illud opus, & epitomen ejusdem operis, quod eodem Suida teste, tribus libris composuerat Aelius Serenus, temporum injuria pariter interiisse, non minus mecum dolebunt studiosi, quam velim exstare Geographiam eruditi orbis, idoneo

P R A E F A T I O F A B R I C I A N A .

apparatu dignaque cura adornatam a viro aliquo docto, cum Philippi Labbei etiam libros decem hujus argumenti quos ab Adamo ad A. C. 1501. deducere instituerat, desideremus, & pauca illa, quæ apud Strabonem ac Stephanum Byz. hoc de genere & in *Henrici Schereri S. I. Atlante A. 1710. 4.* edito tanguntur. Ipsa etiam B. D. *Joannis Andreae Quenstedii* tunc admodum Juvenis lucubratio de Patriis illustrium Virorum, vulgata A. 1654. & A. 1691. recusa sitim accendant magis, quam restinguant. Per partes autem multi in hac perfertim methodo ornanda defudarunt, & singularum nationum, linguarum, regionum, civitatum viros doctos celebrandos sibi sumere, ut vel Italicorum exemplo in conspectu thesauri litterarii Italiae nuper demonstravi: nec dubium, quæri hoc etiam in genere locus concedendus singularis B. Morhofio nostro fuisset, si quod parabat opus *de meritis Germanorum in litteras*, datum ei fuisset ante obitum absolvere & ad umbilicum perducere, qui de sua Antiquitatum etiam rerumque Germanicarum peritia singulari documentum non inficiandum dedit posteris in libro vernaculo postumo * de lingua ac poësi Germanorum. Universum autem istud argumentum de testata Germanorum in omne litterarum genus industria, & de disciplinis quibuscumque, per popularem nostrorum ingenia insigniter illustratis amplificatisque ornandum præ cæteris sibi sumit, & ornavit egregie commentariis pluribus, Germanico idiomate vulgatis, vir celeberrimus *Jacobus Fridericus Reimmannus*, Superintendens hodie Hildesienfis, ejus jampridem exstat ac multorum manibus teritur, quod ante aliquot annos vulgavit opus, cui titulus: ** *Specimen Isagoges in Historiam litterariam univèrsæ, ac speciatim Germanorum.*

Quam igitur a laudato Morhofio quintam methodum tradendæ litterariæ notitiæ præ cæteris quatuor delectam dixi Criticam, hæc ornata ab eò primo omnium per omnes eunte rerum classes ac disciplinarum præsentibus comprehensam Voluminibus vides, cum primum prodiret, exceptam merito eruditorum plausu, eandem Bibliopola, vir honestissimus, distractis duarum priorum exemplis, tertia hac editione iterum jam offerre studiosis hominibus instituit, cui præfationis hederam a me flagitanti, probe gnarus, quam nulla opus esset viro tam exquisiti saporis & tam probato, nihil aliud, quod darem, potui a me impetrare, quam supplementum hoc quaecumque argumenti, quod tribus tantum verbis Morhofius attingit, hoc est elenchum brevem diariorum litterariorum, à laudati viri obitu maxime per Europam frequentatorum, quem benevolo, quæso, animo accipe, Lector humane, & Vale. Scripsi Hamburgi, Anno 1731.

— BRE —

* Unterricht von der deutschen Sprache und Poësie, deren Ursprung Fortgang und Lehrgänge. Lübeck 1700. 8.

** Versuch einer Einleitung in die Historiam litterariam so wohl insgesam, als auch die Historiam litterariam der Deutschen insonderheit. Halle 1708. 89. 8.

BREVIS
NOTITIA ALPHABETICA
EPHEMERIDUM LITERARIARUM,

• ET ALIORVM QVORVNDAM SCRIPTORVM EIVSMODI
• DIVRNORVM, HEBDOMADARIORVM, MENSTRVORVM,
ANNIVERSARIORVMQVE,

AVCTA ET AD ANNUM MDCCXLVII CONTINVATA

A
IO. IOACHIMO SCHWABIO.

*Asterisco * additamenta notantur.*

Notiz von dem neuesten Zustande der Gelehrsamkeit, Götting. 1737, 8. usque ad ann. 1744.
II Volumina.

Academia Naturæ Curiosorum, cujus eruditæ Medicorum quorundam Germanorum Societatis initia ad A. 1652. referre licet, *Miscellanea sive Ephemeridum* Medico-Physicarum decades annorum tres. Francof. 1670. seq. in 4. & primorum annorum editio secunda novis exornata figuris æneis ibid, 1684. 4. & ab A. 1701. ad 1722. decem Centuriæ observationum Augustæ Vindelicor. 1722. 4. quæ postea inscriptione *Actorum Physico-Medicorum* ab anno 1727 in præfens usque tempus continuatæ sunt. Vide & infra, *Beughem*, & *Historia literaria Medica*.

Histoire de l'*Academie Royale des sciences* (établie à Paris A. 1666.) depuis son renouvellement (A. 1699.) avec les Memoires de Mathematique & Physique, tirez des Registres de cette Academie. A. 1699. seq. Paris in 4. & Amst. in 12. LXXV jam de illa exstant volumina juxta editionem Amstelodamensem. In *Johannis Baptistæ du Hamel* historia Regiæ scientiarum Academiæ, quæ post Parisiensem editionem Lipsiæ 1700. 4. prodiit, observationes & acta exstant ab A. 1666. ad 1696. Sed in altera deinde editione Parisiensi A. 1701. accesserunt Acta ad annum usque 1700. *Fontenellius* autem præter Historiam scriptam Gallice etiam elogia Academicorum vulgavit recusa Hagæ Comitum 1731. 12. duobus Voluminibus.

Histoire de l'*Academie Royale des Inscriptions & belles lettres*, depuis son établissement (A. 1663.) avec les Memoires de litterature, tirez des registres de cette Academie depuis son renouvellement (A. 1701.) Paris 1718. 1730. 1735. 1740. 1744. 4. & Amst. 1719. 1731. 1736. 1741. 1745. 12. pluribus Voluminibus, utpote sex historiarum & viginti memoriarum, quæ in A. 1737 desinunt. Ad hæc accedunt Tomi duo elogiorum. Ab utraque harum Academia-rum Regiarum diversa est celeberrima & ipsa atque ætate etiam superior, ad decus linguæ Gallicæ proferendum, suadente Richelio Cardinale, condita a Rege. Ludovico XIII. A. 1635. *Academia Gallicana*,* cujus historiam ab primis initiis usque ad A. 1652. descripsit

Pau.

l'Academie Françoise.

N O T I T I A

Paulus Pelissonius, & novissime ad Annum 1706. continuatam dedit *Josephus Olivetus*. Paris. & Amst. 1730. 12.

Commentarii *Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae*, Tomus I. ad A. 1726. Petropoli, typis Academiae 1728. 4. Tomus II. ibid. 1729. 4. Tom. III. ad an. 1728 ib. 1732. Tom. IV. ad an. 1729, ib. 1735. Tom. V. ad ann. 1730 & 1731 ib. 1737. Tom. VI. ad an. 1732 & 1737. ib. 1739. Tom. VII ad ann. 1734 & 35. ibid. 1740. Tom. VIII ad an. 1736. ibid. 1741. Tom. IX. ad an. 1737. ibid. 1744.

Fama Academica, vide *Fama*.

Academische Nebenstunden, oder eillicher guten Freunde Anmerkungen von besondern zur Gelehrtheit dienenden Materien. Jen. 1717. 1720. 8. Sechs Theile.

Bibliotheca Academica. Vide *Bibliotheca*.

Acerra Biblica A. 1705. 8. Centuriae XI.

Acerra Philologica, oder gründliche Nachrichten aus der Philologie, Römischen und Griechischen Antiquitäten. Halæ Sax. 1715. 8. duobus Voluminibus. Sectiones XII.

* *Allerneueste Acerra Philologica*, oder historische Discurse, Leipz. 1732. 8. I Stück.

* *Acta Academica*, præsentem Academicarum, societatum litterarum, gymnasiorum & scholarum statum illustrantia, Lipsiæ 1733-1737. 4. Quinque voluminibus.

Acta Borussiae Ecclesiastica, civilia, litteraria: oder sorgfältige Sammlung allerhand zur Geschichte des Landes Preussen gehöriger Nachrichten, Urkunden und Documenten. Königsberg und Leipzig 1730. 8. III voluminibus. Auctor est M. *Michael Lilienthal*.

Acta Ecclesiastica, im Predigt-Amte vorkommende Fälle. Leipz. 1729. 8.

* *Acta Historico-Ecclesiastica*, oder gesammelte Nachrichten von den neuesten Kirchengeschichten, nebst nöthigen Beylagen und kurzen theologischen Bedenken. Weimar 1734. 8. Sub auspiciis *Jo. Christophori Coleri* incoepa adhuc dirigente ejus successore *Wilh. Ernesto Bartholomæi* continuantur. Prodierunt jam an. 1747 de illis LXII partes, & II Partes Beiträge zu den Actis Historico ecclesiasticis.

Acta Eruditorum, auspiciis *Ottopis Menckeni* τῷ μοναχῷ Lipsiæ cœpta colligi publicarique ab A. 1682. & post illum (A. 1707. 20. Jan.) rebus humanis ereptum continuata curante filio celeberrimo *Jo. Burchardo Menckenio*. Post ejus autem obitum pari cura laborum hunc in se suscepit filius *Frid. Otto Menckenius*, & in præsens usque tempus eximium hoc diarium continuavit. Quum anno 1731 decem lustra absoluisent hæc acta, nova in publicum prodire cœperunt ab anno 1732. Præter singula singulis vulgata annis volumina exstant Supplementorum volumina decem, & volumina quatuor Indicum. Supplementorum vero ad nova acta sex tomos evolvere jam licuit. Primum Annum 1682. vidi Gallice editum, Hagæ 1685. 12. hoc titulo: *Ouvrages des Savans, publiez à Leipzig*.

Deutsche Acta Eruditorum, ab A. 1712. Lipsiæ in 8. usque ad an. 1746 continuata. Pars ultima fuit ducentesima & quadagesima, quæ XX voluminibus complecti possunt.

Fränkische Acta Erudita & curiosa, die Geschichte der Gelehrten in Franken. Nürnberg ab A. 1726. usque ad 1732. XXIV Partes. 8.

* *Acta Jure Consultorum*, oder neueste Nachrichten von gelehrten Juristen Leben und Schriften und andere nützliche Beiträge zur heutigen Rechtsgelehrsamkeit. Wittenberg 1734. 8.

* *Nova Acta Jure Consultorum*, oder gründliche Auszüge und unpartheyische Urtheile über die neuesten juristischen Bücher und Disputationes. Wittenb. 1738. 8. Acta

EPHEMERIDVM.

Acta Lipsiensium Academica, oder Leipziger Univerſität Geſchichte. A. 1723. 1724. 8. Partes XVI.

Deutſche *Acta literaria*, oder Geſchichte der Gelehrten, Lipſiæ 1715. 1716. 8. Pars quinta & ultima inſcribitur: *Acta litteraria antiqua*, oder Geſchichte der Gelehrten, worinnen der Zuſtand der alten litteratur einzig und allein enthalten.

Acta litteraria ex MSſis eruta a V. C. Burchardo Gottlieb Struvio, & per fasciculos edita, tomis duobus. Jen. 1703-1720. 8.

Acta literaria Sueciæ, per trimestria cura Rev. Erici Benzelij hodie Episcopi Gothoburgensis, aliorumque Virorum doctorum, Upsalienſibus typis vulgata ab A. 1720. ad 1724. 4. cœpta etiam recudi typis Roſtochiensibus.

Acta literaria Academiae Witebergensis A. 1720. 1722. ad 1725. 8.

Acta Medicorum Berolinensium ab A. 1717. 8. Decades III.

Acta Medica Hafniensia ab A. 1671. ad 1679. Hafniæ, 4. quinque Voluminibus.

Acta novæ Academicæ Philoxoticorum Naturæ & Artis, a Martio Anno 1686. ad Februarium Anno 1687. Brixia 1687. 8. Hoc diarium quod ad calcem cujusque mensis notitiam librorum in Italia recens excusorum subjunctam habet, mors auctoris præcipui *Francisci Læne* experimentis Physicis ac Mathematicis celebratissimi abruptit.

Acta Philosophorum, auctore V. C. Christoph. Augusto Heumanno. Halæ Sax. 1715 - 1726. 8. partes XVIII. Germanice.

Acta Scholastica, worinnen nebst einem gründlichen Auszuge der auserlesnen Programmata der gegenwärtige Zuſtand der berühmtesten Schulen und der dahingehörigen Gelehrsamkeit entdecket wird. Eſſen. 1741. Auctore M. Jo. Gottl. Biedermanno adhuc continuantur.

Acta Semieruditorum, kurzer Auszug 10. zwey Fortſetzungen 1709. 8.

Acta Semi-eruditorum, Nachricht und Urtheile, 1718. 8. Zwey Theile.

* Der Deutſche Aſop beſtehend in dreyhundert vier und zwanzig lehrreichen Fabeln, welche in gebundner Schreibart entworfen und als moraliſche Wochenblätter ſtückweis ausgeleſert worden. Königsb. 1742. 8.

Neubeſtellter Agent, 3 Functionen, jede 12. depeches. A. 1704-1707. 3 Volum. in 8. Eſt continuatio Diarii historico-litterarii Epistolarum more digesti, quod inſcribitur: *Aufgefange- ne Briefe* ab A. 1699. ad 1703. 3. Volum. in 8. Drey Ravagen 12 Paquete. Agentis continuatio licem vidit hoc titulo: *Der allzeit fertige Secretarius* oder *Briefsteller* IV Volum. in 8. ab A. 1710. ad 1721. Expeditiones XLVIII.

Theophili Alethæi gründliche Erläuterung der dunkeln Schrift-Orter altes und neuen Testaments: nebst einem Bericht von den besten Auslegern der heiligen Schrift. Ab A. 1714. ad 1731. Lipſiæ 8. der vier und ſiebenzigſte Verſuch.

Almanach Bibliographique. Paris 1709. 12.

Altes und Neues aus dem Schatz theologischer Wiſſenſchaften. Witteb. 1701. 8. & deinde continuatum sub titulo *Unſchuldiger Nachrichten von Alten und Neuen*, XVIII Volumina & ab A. 1720. in præſens usque tempus: *Fortgeſetzte Sammlung von Alten und Neuen*. cui appendicis loco ab anno 1735 acceſſerunt *Frühauſgeleſene Früchte*. Addendi etiam Indices ad ſingula decennia, & Venerandi D. Val. Ernesti Læſcheri *Annales Theologici* ab A. 1701 ad 1710. & ab A. 1711. ad 1720. & ab A. 1721. ad 1730.

N O T I T I A

- Altes und Neues von Sachsen und angränzenden Ländern. Dresden 1727. 8. erstes Stück.
- Altes und neues aus der gelehrten Welt. Zürich 1717. 1718. 1719. 8. XII. Theile.
- Allerhand altes und neues vor die Liebhaber einer gelehrten Converſation. Hamburg 1729. 4. erstes und anderes Stück.
- * *L'Amigu* à Leipſick. 1738. 8. Dissertationes in modum Spectatoris inchoatæ, mox verò intermiſſæ.
- Theophili Amelii* ſive *Petri Zornii*, Hamburgensis, in Gymnaſio Carolino Sedinenſi deinde Eloquentiæ & Græcæ Linguae Profeſſoris Regii, Erörterung der ſchwerſten Schriſtſtellen Neues Teſtaments. Hamburg 1711. 1712. 8. Vier und zwanzig Monath. Ejuſdem Erörterung der dunkelſten und ſchwerſten Schriſtſtellen im alten Teſtament. Francof. 1728. 8. 2. Volum.
- * *Amenitates* hiſtoricæ eccleſiaſticæ & litterariæ Francof. ab An. 1737 Auctore *Jo. Georg. Schelhornio*.
- Amenitates litterariæ*, quibus varæ obſervationes, ſcripta item anecdotæ & rariora opuscula exhibentur. Francof. ab A. 1725. ad 1731. 8. Volumina XIV. auctore *V. C. Jo. Georgio Schelhornio*.
- Amenitates Juris Canonici*, per duo ſemestria Jen. 1674. ſeq. 4. D. *Jo. Stranchio* auctore.
- Amenitates Patriſtica*, Michaëlis Chriſtophili erſte Sammlung 1718. 8.
- * *Nouveaux Amusemens* du Coeur & de l'Éſprit: à Paris, 1739. 12. XIV Parties. His continuatum eſt diarium: *Bibliothèque de Campagne*.
- * *Amusemens* de la Campagne, de la Cour, & de la Ville. Amſt. 1738 - 1740. 12. XII Volumina.
- * *Nouveaux Amusemens* de la Campagne ou recreations hiſtoriques avec quelques Anecdotes ſecrettes & galantes, ib. 1743, VII Volum. 12.
- D. Matthia Zimmermanni*, Superintendentis Miſnenſis, *Analecta Miſcella menſtrua*, per menſes XII. Miſenæ 1684. 4.
- Analecta Societatis Charitatis*, ex omni meliori litterarum genere. Lipſ. 1725. 4. & pars ſeconda 1730. 4.
- Analecta Hiſtorico-litterario-curioſa*, oder vermiſchte und geſammlete Anmerkungen. Erfurt 1720. 1721. 8.
- Analecta Haſſiaca*, zur Heſſiſchen Hiſtoria, Jurisprudenz und Litteratur gehörige Urkunden, Abhandlungen und Nachrichten, von *Jo. Philip Kuchenbecker*, Marburg 1730. 8. Novem collectiones vidi uſque ad an. 1737.
- Auserleſene Anmerkungen über allerhand wichtige Materien und Schriſten. Halle 1704-1708. 8. fünf Theile.
- * Erlangiſche gelehrte Anmerkungen und Nachrichten. Erl. 1747. 8.
- * Nützliche Anmerkungen über allerhand Materien aus der Theologie, Kirchen- und gelehrten Hiſtorie, wie auch aus der Critik und Litteratur, Weimar. 1734, 8. A. *Jo. Chriſtophoro Colero* incoepa adhuc dirigente *V. S. R. Bartholomæi* ejus ſucceſſore continuantur. Parses IV edidit *Colerus*, *Bartholomæus* vero jam an. 1747 XXIII partes evolvere dedit.
- * Wittenbergiſche Anmerkungen über theologiſche, philoſophiſche, hiſtoriſche, philologiſche und critiſche Materien, Wittenb. 1738. 8.

E P H E M E R I D V M:

- Zufällige Anmerkungen von allerhand zum Schul-Wesen und Grundlegung der Gelehrtheit gehörigen Sachen. Berlin 1717. 8. sechs Stück.
- Theologische Annalen.* Vide supra, *Altes und Neues*.
- Annales litterarios Borussia-Brandenburgicos*, Typographia Reufneriana. excudendos vidi promitti Regiomonte a Calendis Julii A. 1721. ipsos needum vidi.
- Annales Academiae Juliae* ex editis & MSS. monumentis, per semestria ab A. 1722. Helmstadii, 8.
- * *Annales litterarii Mecklenburgenses*, oder *Jahresregister von den Geschäften der Gelehrten in Mecklenburg*, Rost. 1722 und 1723. 8. 2 Vorstellungen. Auctores erant. *Ern. Jo. Frid. Manzel & Phil. Frid. Hane.*
- Anonymiana* in auserlesenen Anmerkungen etc. erster Versuch 1720. 8.
- * *Braunschweigische Anzeigen*, Braunschw. 1745, 4. in praesens tempus continuantur.
- * *Hallsche wöchentliche Anzeigen*, Halle 1730, 4 adhuc vigent.
- * *Leipziger wöchentliche Anzeigen*, Leipz. 1741. 4. Dissertationes morales, novis relationibus committatae, mox vero interruptae.
- The British Apollo* containing two thousand answers to curious questions. Lond. 1708. 1709. 1710. fol. & tertia editione 1726.
- Apparatus ad historiam Scientiarum & artium*, Hamb. 1703. 8. auctore *Johanne Groningio*, Wismariensi.
- Apparatus litterarius*, singularia, nova, anecdota, rariora depromens, studio *Societatis Colligentium*. Witeberg. 1717. 1718. 8. Collectio 1 & 2. Specimina XIX.
- * *Nützliche und auserlesene Arbeiten der Gelehrten im Reiche Nürnberg*. 1733. 8. In locum der 8 antischen Actorum eruditorum & curiosorum successit.
- * *Genealogischer Archivarius* Leipz. 1732. 8. usque ad ann. 1739. L. partes.
- * *Neueröffnetes Kriegs- und Friedens-Archiv*, Görlitz 1744. 8. in praesens vsque tempus auctore *Jo. Gottfr. Haymann*. a Vol. IV vero a *Jo. Henr. Spindler* continuatum. V Volumina iam exstant quorum primum inscribitur *der aufmerksame Freymäurer*.
- * *Durchsichtiges Archiv*, Leipz. 1691. 1694. 8. IV Tomi.
- Neueröffnete Assemblée curieuseur und gelehrter Nouvellisten, Journalisten und Statisten in Europa* 1717. 8. Sechs Conferences.
- The Athenian Gazette*, or *casuistical Mercury*. Lond. 1691. 1692. fol.
- The Athenian Oracle*. Lond. 1704. 8. tribus Voluminibus addendum supplementum quaestionum responsonumque editum itidem Anglice. Lond. 1710. 8. Quarta editio 1728. 8.
- Athenian Sport*, or two thousand paradoxes merrily argued to amuse and divert the age. Lond. 1707. 8.
- The history of the Athenian Society*. Lond. fol.
- Aufgefangene Briefe. Vide supra, *Agent*.
- Aufrichtige Nachrichten wider die Unschuldige Nachrichten*. Halz Sax. ab A. 1701. ad 1710. & partes decem auctore *D. Joh. himo Langio*, Theologo Hallensi.
- * *Der Aufseher oder Vormund*, Leipzig 1745. 8. Est celeberrimus ille *Guardian* anglicus a *Gottschedia* translatus, duobus voluminibus constans.
- L'Avocat pour & contre, suite de l'Epilogeur & de Demosthene moderne* Amsterd. 1747. 8. III Vol. vide sis le *Magazin*.

N O T I T I A

Auserlesene Anmerkungen. Vide Anmerkungen.

Ausführlicher Bericht. Vide Bericht.

* **Christian-Erlanger Auszug der neuesten Weltgeschichte,** Erlang. 1741. 8. Norimbergæ adhuc continuantur auctore *Græffio*.

* **Gründliche Auszüge aus den neuesten theologisch, philosophisch und philologischen Disputationibus,** Lipsiæ 1733. in præsens tempus usque Autore, *M. Abrahamo Kriegelio*.

* **Gründliche Auszüge aus den neuesten juristischen, medicinischen, historischen, physcallyschen und mathematischen Disputationen,** Leipz. 1736, 4. Ab anno 1737. vera juridicis atque historicis dissertationibus solum dedicabatur, novo de medicis, physicis &c. prodeunte diario.

* **Gründliche Auszüge aus medicinischen physcallyschen und mathematischen Disputationen,** Leipz. 1737. 4.

Monatlicher Auszug aus allerhand neu herausgegebenen nützlichen und artigen Büchern. Hannover, 1700. 1701. 1702. 8. auctore Jo. Georgio Eccardo.

Hamburgische Auszüge aus neuen Büchern und Nachrichten von allerhand zur Gelahrtheit gehörigen Sachen. Hamburg 1728. seq. 8. XVII. Theile, Auctore Jo. Georgio Hamanno.

Le Babillard, vide infra, the tatler.

La Bagatelle, ou discours ironiques, où l'on prête des sophismes ingénieux au vice & à l'extravagance, pour en faire mieux sentir le ridicule, Amst. 1718. 1719. 8. Auctor est *Justus Van Effen*.

Ausführlicher Bericht von allerhand neuen Büchern und andern Dingen, so zur heutigen Historia der Gelehrsamkeit gehörig. Francof. & Lipsiæ 1708. 8. Zwölf Stücke nebst einem Anhang.

* **Belustigungen des Verstandes und Wises,** Leipz. 1741-1745. 8. VIII Tomi colligente *Jo. Joachimo Schwabio*.

* **Neue Belustigungen des Gemüthes,** Hamburg 1745. 8. Unicum tantum volumen sex partibus constans auctore *Naumanno* quodam.

* **Bemühungen zur Beförderung der Critik und des guten Geschmacks,** Halle 1743. 8. In præsens usque tempus auctoribus *M. Jo. Andrea Cramero, & Christlob Mylio*, XVI. partes.

* **Die mühsame Bemerkerin derer menschlichen Handlungen,** Danz. 1736-1737, 4. Dissertationes morales & satiricæ XX.

Cornelii a Beughem, Embricenis Bibliographiæ eruditorum Critico-curiosæ conspectus quinque, Amst. 1689. 1694. 1699. 1701. 1710. 12. editi, continent indices scriptorum in Diariis celebrioribus eruditis recensitorum usque ad A. 1700. Ejusdem *Gallia erudita* A. 1683. 12. vulgata indicem in Ephemerides eruditorum Parisienses: Et *Syllabus recens exploratorum* in re Medica, Physica & Chymica, Amst. 1696. 12. indicem in *Miscellanea Naturæ Curiosorum Germaniæ, Galliæ, Daniæ & Belgii* usque ad A. 1696.

* **Der Bewunderer; in drey und sunfzig Blättern abgehandelt,** Hamb. 1742. 4. Auctore, *B. J. Zinkio*.

* **Beiträge zur critischen Historie der deutschen Sprache Poesie und Veredelsamkeit** herausgegeben von einigen Mitglidern der deutschen Gesellschaft in Leipzig, & a vigesima prima parte von einigen Liebhabern der deutschen Litteratur, Leipzig 1732. Usque ad Ann. 1744. 8. EXXIIII partes. XXXII, quæ sub auspiciis *Jo. Christoph. Gottschedii* collectæ VIII. voluminibus complectuntur.

* Ober

EPHEMERIDVM.

- * **Oberlausitzischer Beytrag zur Gelahrtheit und deren Historie, Görlitz 1738. 4. Per IV. annos continuatum. IV. Volumina.**
- * **Neue Beyträge zum Vergnügen des Verstandes und Wises, Brem. 1744. 8. Lipsiæ colliguntur a Car. Christiano Gaertnero adhuc continuata Parte II. Tomi IV.**
- * **Hamburgische Berichte von neuen gelehrten Sachen, aus einem täglichen beglaubten Briefwechsel mit in- und auswärtigen Gelehrten zur Beförderung der Wissenschaften, mit unparteyischer Feder ertheilet, Hamb. 1732. 8. in præsens usque tempus, auctore Jo. Petro Koblio, qui hoc diario Novellas istas niedersächsische Nachrichten und Zeitungen continuavit.**
- * **Hamburgische Beyträge zur Ausnahme der gelehrten Historie und der Wissenschaften, Hamb. 1740. 8. Auctores erant M. A. Wodarch & Mat. Andr. Alardus, Candidati Theol. adjuvante Jo. Paulo Finkio Cand. Jur. sed ultra triennium laborem non continuarunt.**
- * **Nöthige Beyträge zu den wöchentlich in Leipzig herauskommenden neuen Zeitungen von gelehrten Sachen, Leipz. 1734. 1743. VIII. Bände, a variis auctoribus, Frid. Wilhelmo Stubnero, Georg Friedr. Richter, Wolfg. Balth. Adolph de Steinwehr & Georg. Frid. Baermanno.**
- * **Bibliandri Harmonia, oder richtige Uebereinstimmung Biblischer Sprüche und Dertter 1708. 1709. 1710. 8. Drey Centurien. Vide supra Acerra, Alchous, Amelius.**
- * **Synopsis Biblica, sive Ephemerides litterariæ Latinæ auctore Paulo Manzani, Provinciali tertii Ordinis S. Francisci. Parmæ 1692. 4. sed in herba statim suppressæ. Vide Basnagii Bellovallii historiam Operum eruditõrum Gallice editam mense Novembri A. 1692. p. 124.**
- * **Abgesonderte Bibliothec. Hatz Sax. 1718. 1719. 8. XIII. Stück.**
- * **Bibliotheca Academica, in qua Disputationes, Orationes & Programmata A. 1718. vel primum edita vel recusa referuntur. Magdeb. 1719. 4.**
- * **Bibliotheca, sive acta & scripta magica, d. i. gründliche Nachrichten und Urtheile von solchen Büchern und Handlungen, welche die Macht des Teufels in leiblichen Dingen betreffen, 1738. 8. Auctor est D. Eberh. Dav. Hauber.**
- * **Bibliothèque ancienne & moderne ab A. 1714. ad A. 1727. Volumina XXVIII. Amst. & Hagæ 12. auctore V. C. Johanne Clerico. Vide infra, Bibl. choisie, & Universelle. Cœpit etiam verti Anglice, the ancient and modern library.**
- * **Bibliothèque Angloise Amst. 1717. seq. 12. auctore Michæle de la Roche & a tomo sexto A. 1719. usque ad decimum quintum A. 1727. Armando de la Chapelle.**
- * **Bibliotheca antiqua, a Januariõ A. 1705. ad Martiũ A. 1705. ad Martiũ A. 1707. Jenæ in 4. auctore D. Burchardo Gottbelf, Struvio. Vide & infra, Thesaurus.**
- * **Bibliothèque Belgique a Julio 1731.**
- * **Berlinische Bibliothek, worinnen von neuen herausgekommenen Schriften und andern zur Gelahrtheit gehörigen Sachen kurze Aufsätze und Nachrichten mitgetheilet werden, Berlin 1747. 8.**
- * **Bibliothèque Britannique, où Histoire des ouvrages des Savans de la Grande Bretagne, à la Haye 1733. 8. Adhuc continuatur.**
- * **Ausselesene Theologische Bibliothec, Lipsiæ ab A. 1724. 8. quod eximium Diarium usque ad an. 1736. continuatum a Rev. Viro Jo. Christophoro Colero Pastore aulico Serenissimi Principis Vinariensis, morte ejus finem vidit. Partes exstant LXXXIV, Tomi VII. quibus accessit:**

BIBLIOTHECA

- accessit: Nöthiges Supplement zu der auserlesenen theologischen Bibliothek, Leipz. 1730. 1734. Partes XVI.
- * *Dänische Bibliothek, oder Sammlung von alten und neuen gelehrten Sachen aus Dänemark*, Copenh. 1737. 8. Octo de illa vidimus anno 1746. partes, editore *Olaa Henrico Mollero*, Prof.
- * *Bibliothèque de Campagne, ou Amusemens de l'Esprit & du Cœur*, Haye 1739. 12. XII. Voluminibus.
- * *Bibliothèque choisie & amusante*, Amst. 1746. 12. Tomi II. ad nos allati.
- Bibliothèque choisie de Mr. Jean le Clerc*. Amstelod. ad A. 1703. ad 1713. 12. Volumina XXVII.
- Bibliothèque choisie de Mr. Colomes*. à la Rochelle 1682. 8. & ex auctiore edit. Amstel. 1700. quam recudi curavi inter *Pauli Colomesii* Opera, Hamb. 1709. 4.
- Nouvelle Bibliothèque choisie* Amst. 1714. 12. duobus Volum. Auctor *Richard Simon*, sicut etiam quatuor voluminum *Bibl. Critica* Gallica lingua editæ A. 1708. & Epistolarum selectarum Gallice vulgarum Amst. 1730. 12. quatuor Volum.
- * *Bibliothèque critique, ou Memoires pour servir à l'histoire littéraire ancienne & moderne par une Societé des Gens de lettre*. à Berlin 1745. 12. mense Octobr. Inceptum.
- Curieuse Bibliothec*, vide infra, *Monatliche Unterredungen*.
- Bibliothèque curieuse & instructive de divers ouvrages anciens & modernes de littérature & des arts, ouverte pour les personnes qui aiment les lettres*, à Trevoix 1704. 1705. 2. Volum. 12.
- Bibliotheca curiosa*, Lond. 1710. 4. Vide sis *Diarium, Memoirs of literature* T. I. pag. 60.
- Bibliothèque Française*, Amst. ab A. 1723. 8. adhuc continuatur.
- * *Bibliothèque Germanique* ou histoire littéraire de l'Allemagne, de la Suisse & des pays du Nord. Amst. ab A. 1720. Usque ad ann. 1741. Tomi L, quorum continuatio inscribatur *Journal littéraire d'Allemagne* sed duobus Tomis absolutam sequebatur anno 1746. *Nouvelle Bibliothèque Germanique* autoribus, *J. H. Sam. Formey & Pérard*.
- * *Göttingische Bibliothek*, darinnen der gegenwärtige Zustand der Gelehrtheit in und außerhalb Deutschland prüfend vorgestellt wird, Götting. 1746. 8.
- * *Hamburgische vermischte Bibliothek*, Hamb. 1743. 8. Editore *J. Petro Kobljo*.
- Hamburgische Bibliotheca Historica*, Volumina sive scriptorum Historicorum centuriæ recentis decem, auctore *B. Johanne Hübnere*, Lipsiæ ab A. 1715. ad 1729. in 12. & 4. Germanice.
- * *Helvetische Bibliothek*, bestehend in historischen, politischen und critischen Beiträgen zu den Geschichten des Schweizerlandes. Zürich 1736. 8.
- * *Bibliotheca homiletico realis* miscellanea eademque pastoralis, Merseb. 1747. 8. XV. partes quæ adhuc continuantur.
- Bibliothèque Italique*, a Januario A. 1728. A. 1733. perlata ad nos tom. XVIII. Genevæ in 8.
- Bibliotheca Juris publici*, Jo. Jacobo Mosero auctore. Stutgard. 1729. 1730. Germanice.
- * *Öffentlichke Bibliothek*, d. i. kurzes Verzeichniß, zulängliche Beschreibung und beschiedene Beurtheilung der vornehmsten Bücher, welche in *M. Michael Lichtenhals* sy. ol. schen Büchervorrath befindlich sind, Königsb. 1739. 1740. 8. X. Partes sub specialiori titulo *Öffentlichke Bibliothek* complexæ, quas lectum est volumen illud seu

E P H E M E R I D V M.

- * *Theologische Bibliothek*, d. i. richtiges Verzeichniß zc. Königsberg 1740. 8. X. partes, ad quas tertium accessit volumeni seu
- * *Sortirgesezte theologische Bibliothek* zc. Königsb. 1742-1744. X. partes.
- Bibliotheca litteraria* auctore V. C. *Josepho Wasse*, Lond. 1722. 4. Vide *Bibl. Angloise T.* X, p. 501.
- * *Bibliotheca Lubecensis* ab A. 1725. ad ann. 1731. Partes XII. seu Volumina tria, Lübeck in 8. auctoribus, *Jo. Henr. a Seelen*, *Henr. Scharbau*, & *Sam. Gerb. a Mellen*.
Neu eröffnete *Moralische Bibliothec*, Lips. 1715. 8. IX. Stück.
- * *Der gesammelten Moralisten Bibliothek*, Görlitz 1737. 8. In præsens usque tempus XVIII. Partes
- * *Musikalische Bibliothek*, Leipzig. 1738. autore M. *Laurent. Mizlero*, III. Tomi.
- Bibliotheca novorum librorum*, ab April. A. 1697. ad Decembrem A. 1699. auctoribus *Ludolfo Kustero* & *Henrico Sike*, Amstelod. 8. tribus Voluminibus.
- Bibliothèque des livres nouveaux*, a mense Julio A. 1726. à Nancy, & se vend à Amsterdam.
- * *Nouvelle Bibliothèque*, ou Histoire littéraire des principaux Ecrits, qui se publient. à la Haye 12. ab Octobri an. 1738. singulis mensibus prodibat, a Januario vero anni 1743. per trimestria cœpit edi. Non vero plus quam XIX. Tomos evoluerè datum fuit.
- Bibliotheca novissima* observationum & recensionum Sectiones XI. Halæ Sax. 1718-1721. 4.
- Neue Bibliothec*, oder *Nachricht und Urtheile von neuen Büchern und allerhand zur Gelehrsamkeit dienenden Sachen*, hundert Stück. Halle 1709-1721. 8. decem Voluminibus. *Seht Nachlesen der Neuen Bibliothec*, ibid. 1717. 8.
- Bibliotheca Philologico-Historico-Theologica Bremensis* ab A. 1718. ad 1727. Bremæ, 8. Classes five Volumina octo, in singulis classibus fasciculi sex. Institutum suscepèrunt *Theodorus Haseus* & *Frid. Ad. Lampe*, quod tamen post Lampii ad Ultraiecinos abitum a Tomo V. Haseus solus continuavit. Vide & infra, *Museum*.
- Bibliothecam Photii* velut ephemeridum litterariorum specimen antiquissimum laudant Viri docti, & sane notitiam ac censuram scriptorum trecentorum ferè continet, licet neè compositum sit Diarii nomine, sed in gratiam fratris sui Tarasii elaboratum a Photio nondum Patriarcha, cum legationem obiret in Assyriam, ut notavi Tom. IX. *Biblioth. Græcæ* p. 374. seqq.
- * *Pöslaische Bibliothek*, welche von Büchern und andern zur pöblischen und preußischen Historie dienenden ausführliche Nachricht giebt, Danz. 1718. 8. X. Partes auctore D. *Gottfried Lengnich*.
- Bibliothèque raisonnée des ouvrages des Savans de l'Europe*, a Julio A. 1728. ad annum 1745 vidi volumina XXXIII. Amstelod. 8. adhuc viget.
- Schwedische Bibliothec*, Holmiæ 1728. 4. atque inde Hamburgi, auctore præclaro Viro, *Christiano Nettelblat*.
- * *Neue theologische Bibliothek*, M. *Friedrich Wilhelm Kræfts*, darinnen von den neuesten theologischen Büchern und Schriften Nachricht gegeben wird, Leipzig. 1746. 8. Continuatur adhuc & pars VIII. jam cum eruditis communicata est.
- * *Bermischte Bibliothec*, Halle 1718. 1719. 8. non vidi ultra partem XXI.

N O T I T I A

- * *Bibliotheca uniuersalis*, idem cum Thesuro Bibliothecali, quem uide. *Bibliothequaire moderne* à Leipf. 1741. 8. Labor *Mauuillonii* in ipfo instituto finitus, nec ultra VI. aut VII. plagulas in publicum emisit.
- Bibliothèque uniuerselle*, Amftelod. ab Anno 1686. usque ad extremum Anni 1693. Amftelodami tomis XXV. 12. & ex fecunda editione 1688 - 1701. Auctores *Johannes Clericus*, & qui partem tomi XX. *Joannes Cornandus de la Crose*, & qui tomos quinque ultimos composuit, *Jacobus Bernhardus*. Etiam Anglice uerti cœpit, *the uniuersal historical Bibliothecque*.
- Der unpartheifische Bibliothecarius, welcher die Urtheile der Gelehrten von Gelehrten entdecket*, Lipf. 1713. 8. XII. Theile, einen Band.
- Jo. Cinelli *Bibliotheca volante*, scanzie siue plutei XVIII. additis per Sancassenum pluteo XIX. & XX. de quo opere non repetam hoc loco, quæ dixi in conspectu Thesauri Italiae p. 203. seq. recensum est Venetiis 1734 - 1746. 4. III. Voluminibus.
- * *Der Biedermann*, Leipz. 1729. 4. Inceptum hoc diarium morale atque satiricum d. 1. Maii 1727. & C. dissertationibus continuatum ad IV. April. 1729. auctore *Jo. Christoph. Gottschedio*.
- Boeksaal van Europe*, a Julio A. 1692. usque ad Junium A. 1700. per *Petrum Raoum*. Atque inde *Wilhelmo Sewel* auctore ad Junium Anni 1702. & sub titulo *tweemandelike uittreksels* ad Octobrem Anni 1708. 8. Vide sis etiam *maëndelike, & Republik de Geleerde*.
- Bocksaal der Geleerde Werelt* a Januario A. 1706. ad Aprilem Anni 1708. per *J. van Gavern* & per *Wilhelmo Sewel* sub eodem titulo A. 1705. Amst. apud Franciscum Halmæ & *Bocksaal* a Julio Anni 1715.
- * *Die Braut*, Dresd. 1740. 4. Dissertationes morales & satiricæ.
- * *Der Brachmann*, im Jahr 1740. herausgegeben. Zürich 8. Dissertationes morales & satiricæ LIII. sub auspiciis *Jo. Geo. Almanni*.
- * *Gemeinnützige Briefe*, Götting. 1739. 8. Decem conscripsit auctor *Frider. Christoph Neubur*.
- * *Philosophische Briefe von Metaphilo*, Halle 1741 - 1744. 4. XXIX. epistolas exaravit *Alexander Gottlieb Baumgarten*, Pr. Ph. Francof.
- Umständliche Bücher-Historia*, Lipf. 1715. 8. auctore V. C. *Jo. Gottlieb Krause*. Non uidi partes plures, quam duas.
- * *Juristischer Büchersaal*, Leipz. 1737. 8. Auctore *Gottlob Aug. Feuchen*, XVI. Partes, 1739.
- Neuer Büchersaal der Gelehrten Welt*, LX. Desnung, ab A. 1710. ad 1717. Lipfæ in 8. Continuatio Diarii, ausführlicher Bericht, de quo supra.
- * *Neuer Büchersaal der schönen Wissenschaften und freyen Künste*, Leipz. 1745. 8. De IV. jam volumine IV. exstant partes, auctore *Jo. Christophoro Gottschedio*.
- * *Philosophischer Büchersaal*, worinnen so wohl von alten, als neuen dahingehöriegen Büchern eine gründliche Nachricht ertheilet wird, Leipz. 1741 - 1744. 8. Unum Volumen VIII. constans partibus, auctore *M. Jo. Georg. Hagero*.
- * *Der Bürger*, Götting. 1732 und 33. 4. Dissertationes morales & satiricæ. XLI. auctore *Frider. Christoph. Neubur*.

Summarische Nachrichten von Büchern, in D. Christiani Thomasi Bibliothecae. Hal. 1715. 1716. 8. XXIV. Monathe, 2 Volum.

Curieuses Bücher-Cabinet, oder Nachricht von Historischen, Staats und galanten Sachen. LXII. Th. oder Eing. Cöln 1711-1722. 8. A parte XXIV inscribitur: curieuses Bücher- und Staats-Cabinet.

Curieuses Cabinet ausländischer und anderer Merkwürdigkeiten, von *Antonio Paulini*. Francof. 1717. 1718. 8. Sechs Theile oder Eingänge.

* **E**röffnetes Cabinet großer Herren, Leipzig 1733-1735. 8. XXV. Partes.

* **N**eueröffnetes Cabinet großer Herren, oder gegenwärtige Staats- Hof- Kriegs- und Com- mercien-Verfassung aller europäischen Reiche und Staten in der Welt. Leipz. 1740. 8.

* **D**er unparteyische Cabinets-Courier, welcher auf seinen Reisen durch verschiedene Länder curieusem Leuten erzählt, was sich in gegenwärtiger Zeit zuträgt. Regensburg. 1735.

Clef du Cabinet de Princes, vide infra Clef.

Gehelimes Cabinet von Staats- und Liebes- Intriquen, Glück und Unglücks-Fällen vornehmer Minister, erste Deffnung 1713. 8.

Historisches Staats- und Helden-Cabinet. Halle 1718. 8. auctore *Jo. Jacobo Schmauso*.

Kabinet der natuurlyke historien, wetenschappen, konsten en handwerken. Januar & Febr. A. 1719. Amst. 8. auctore *M. V. Ranouw*, M. D.

Curieuses Caffée-Haus zu Venedig, bestehend in drey Wasser-Debauchen, 1698. 8.

Curieuse Geschichts-Calender. Ad exemplum *Vincentii Cornelli* Cosmographi Veneti, qui vitam resque gestas Regis magnæ Britannix gloriosissimi *Wilhelmi tertii*, ordine annorum dierumque digesserat, quod scriptum ex Italico versum Anglice atque inde Germanice A.

1696. Lips. 8. hoc titulo lucem vidit, quam plura inde similia componi, edique contigit

& calendariorum historicorum nomine proscribi, de rebus Leopoldi magni Imperatoris,

Regum Gallix ex domo Burbonica, Regnorum Bohemix, Hispanix, Polonix & Lithua-

nix, Hungarix & Principatus Transylvanix, Russici Imperii, Electorum Moguntino-

rum, Coloniensium ac Trevirensium, Bavarix & Saxonix, Brandenburgicorumque ac Pa-

latinorum, Principum Saxonorum stirpis Ernestinx, Brunsvicensium, & Luneburgen-

sium & speciatim stirpis Gvelfherbytanæ, nec non de rebus Silexiæ, Moravix ac Lusatix,

Landgraviorumque Hassix, fœderatarum item provinciarum Belgii; Reip. Venetæ &

Helveticæ: Sed & Prophetarum res a Mose ad Johannem Baptistam, CHRISTI Apo-

stolorumque & Evangelistarum simili methodo descriptæ prodire: Pontificum Romatio-

rum item, & speciatim Innocentii XI, præterea Joannis Hussi motuumque Hussiticorum

& Joannis Ziskæ: tum B. Lutheri nostri & Superintendentum Dresdensium Lipsiensiumque.

* **C**atalogus librorum cum annotationibus, Lipsiæ 1736. ex Bibliopolio Frisii germanice edi-

coeptus continuatusque per quinque annos. 8.

Catalogi librorum in nundinis Francofurtensibus excudi coepti sunt ab A. 1554. quod institu-

tum utile *Georgium Willerum* bibliopolam Augustanum habet autorem, ut notavit Auber-

tus Miræus de scriptoribus seculi XVI. cap. CXXVII. Illud dein imitati sunt atque

plurimum hodie imitantur Lipsienses. *Georgii Draudii* Bibliotheca classica, quæ Catalo-

gis Francofurtensibus plurimum debet, eodem quoque notata inde est vitio laborare, quod

interdum librorum titulos promissorum quidem sed nunquam editorum & exstantium

nusquam, inter vulgatos & exstantes commemorat.

NOTITIA

- A Catalogue of books* printed in England since the dreadful fire of London in 1666. Lond. 1696. fol. the fourth edition.
- The Monthly Catalogue* Lond. 1715. fol. similes Catalogi deinde mensuris intervallis continuati, atque hodie adhuc continuantur. Londini in 4. Vide et infra, *Monthly*.
- Catalogus Disputationum Universalis*, &c.
- Censura temporum*, the good or ill tendencies of books, sermons, pamphlets &c. impartially consider'd in a dialogue between Eubulus and Sophronius. Volum. 3. Lond. 1708. 1709. 1710. 4. Vidi tertium usque ad p. 96.
- Cent questions & réponses* sur différents sujets, pour le mois de Janvier 1704. par Mr. l'Abbé Bordenon. Paris 12. *Memoires de Trevoux* 1705. Mars p. 223. edit. Amst.
- Der auf Ordre und Kosten seines Kayfers reisende Chineser*, Leipz. 1721 = 1732. C. Partes IV. voluminibus comprehensae autore Dav. Fafsmanno.
- * *Der vernünftige Christ*. Hamb. 1738. 8. Dissertationes theologicæ atque morales hebdomadatim editæ, quarum duplex eodem nomine exstat opus.
- Clef du Cabinet des Princes* a Julio A. 1704. 8. Hoc Diarium avide lectum, ita ut ad 40000. exempla distracta memorentur in *Historia Critica Reip. litterariæ Massoniæ* T. 12. p. 428. auctorem habet *Carolum Jordanum*. Excusum est magnam partem *Luxemburgii*, & ab A. 1717. Parisiis sub titulo *svite de la Clef*, ou *Journal Historique sur les matieres du tems*, contenant aussi quelques nouvelles de litterature & autres remarques curieuses. Supplementi Volumina duo, quibus priora retro tempora ad pacem usque Rylwicensem auctor persequitur, prodierunt A. 1713.
- Collectio Opusculorum* historiam Marchicam illustrantium, Berlin. 1727. 8. Germanice, 1. 2. 3. 4. St.
- Collectio* librorum rariorum nova, qui vel integri inseruntur, vel accurate recensentur. Halæ 1709. 8. fasciculi quinque.
- Nova Collectio* variorum scriptorum tam editorum quam ineditorum, rariorum etiam & recens elaboratorum, quæ omnia integra dantur. Halæ 1716. 1717. 8. fasciculi duo.
- Societas litterata Colligentium* Historico-Theologicæ, proposita à D. Eberhardo Haubero & M. J. Antonio Strubbergio 1730. 8. Vide & supra, *Apparatus*.
- * *Commercium litterarium ad rei medicæ et scientiæ naturalis incrementa institutum*. Norimbergæ ad an. 1731. hebdomadatim in 4. vulgatum continuatumque per III annos.
- * *Commercium litterarium astronomicum*. Norimbergæ 1734. 4. A Michaele Adelburnero Math. Cult. institutum fuit.
- * *Common sense, or the Englishman's Journal*. London 1737. Dissertationes morales et politicæ in præsens usque tempus continuatæ.
- Compleat library*, or news for the ingenious. by R. W. M. A. Lond. 1692. 1693. 1694. in 4.
- Compleat history of Europe* A. 1701. 1702. vide Diarium Londinense, history of the works of the learned A. 1703. p. 244.
- Ad congressus Societatis *Conantium* Hanoveræ 1699. seq. & Helmstadii 1711. seq. celebratæ invitationes 1721. 4.
- Conferences du Jean Baptista Denys*. Paris 1672. - 1674. 4. & Amst. 12. Veluti supplementum exhibent Ephemeridum litterariarum Parisiensium per illos tres annos.
- Bertraute Conferenz derer Einwohner im Reiche der Todten über ihre im Reiche der Lebendigen gehabte Fata und Zufälle*. VI. Zusammenkünfte. 1723. 4.

EPHEMERIDVM.

* *Correspondance des Savans, ou nouvelles litteraires des diverses Parties de l'Europe* à Cologne 1743. 8.

Iustige und denkwürdige Correspondente, 1698. 8. erste, andere und dritte Staffetta.

The Craftsman, being a Critique on the times. Lond. 1727. 8. * *Denuo* An. 1731. VII. voluminibus in 12. hac inscriptione editus: *The Craftsman, containing all the Paper published under that Name from the first Beginning of them to the Conclusion of Mr. Oldcastle's Remarks.* In praesens usque tempus continuatur. Partes quasdam gallice versas vidi, Amst. 1737. 8.

Thome Crenii animadversiones Philologicae & Historicae, Amst. 1695-1713. 8. partes XIX. Ejusdem X. fasciculi opusculorum ad Historiam & Philologiam sacram spectantium. Roterd. 1691-1699. 8. & fascies V. Lugd. Bat. 1697. seq. Thesaurus librorum Philologicorum & Historicorum 1700. 8. duobus Volum. Museum 1699. 8. duobus Vol. Analecta 1699. 8. Dissertationum Philolicarum Syntagmata duo, Roterd. 1699. sq. 8. Consilia & methodi de studiis instituendis. Roterd. 1692. 1696. 1699. 4. tribus voluminibus.

Le Courier galant.

Critique desintereffée des Journaux litteraires & des ouvrages des Savans. Hagæ Com. A. 1730. & 1731. 8. tria Volumina.

Critique du Siecle, ou lettres sur divers-sujets par l'auteur des lettres Juives, à la Haye. 1744. 8. II. Volumina. Coeperunt quoque Berolini germanice verti et anno 1745. hebdomadatim prodierunt XIII priores litterae hac inscriptione: *Beurtheilung der Menschen dieser Zeit oder Briefe über verschiedene Sachen.* 8.

Critisirender Jurist.

Curious library for the ingenious. Lond 1690. 4.

Curieuses Bücher-Cabinet vide *Cabinet &c.*

Remarquable Curiosa jehziger Zeit aus Osten, Westen, Süden, Norden. ab A. 1715. XXIV. Lieferung.

Deliciarum nomine plura subinde volumina edita sub *Misandri* nomine Germanice sunt a B. Jo. Sapruele Adami, Dresdensi, Pastore Pretschendorfsensi, qui A. 1713. diem obiit. *Deliciae Biblicae* in loca Vet. & Novi Test. Dresd. 1690. seq. 8. Volumina XXVI. *Catechetica.* 1704. 8. *Dictorum* Dresd. 1713. 8. VI. Volum. *Epistolica* Hamb. 1711. 8. IV. Volum. *Evangelica* Lips. 8. Volum. XIV. cum Indice, & emblematicis in Evangelia Deliciis; & *Deliciis Deliciarum & florilegio Evangelico-Anglicano: Historica* Dresd. 1702. 8. *Passionales* 1707-1708. 8. V. Volum. *Pænitentiales* 1722. 8. *Sabbatica.* Lips. 1716. 8.

Deliciae Græco-Homileticae 1710. 8.

Deliciae Hebræo-Homileticae 1705. 8. XII. Ausfertigungen.

* *Deliciae homileticae*, das sind die merkwürdigsten Passagen aus dem, was berühmte Kirchenlehrer unserer Zeiten bisher so wohl öffentlich geprediget, als auch daheim meditiret haben. Eisenach 1743. 8. IX. Partes prodierunt iam anno 1747.

Deliciae Juridicae 1702. seq. 8. duo Volumina.

Deliciae Medicae 1704. 8.

• *Deliciarum manipulus* 1. & 2. das ist, annehmliche und rare Discourse von mancherley nützlichen und curiösen Dingen 1703.

NÖTITIA

- * *Der Demokrit*, Leipzig, 1746. 4. Dissertationes morales & satyricæ.
- * *Demosthene moderne, suite de l'Epilogeur*, à Amst. 1746. 8. II. Volumina, ad XXX pagella.
Vide sis le *Magazin*.
- * *Destinata litteraria & fragmenta Lulatica*, das ist, Unternehmungen der Gelehrten und gesammlete alte, auch neue zur Niederlausitzischen Historie und Gelehrsamkeit gehörige Stücke. Lübben 1738. 8.
- * *Der alte Deutsche*, Hamb. 1730. 8. Dissertationes morales & satyricæ LII, auctore Jo. Georgio Hamanno.
- * *Der gute Deutsche*, 1724. 4.
- * *Der reisende Deutsche*, welcher Länder und Städte, Seen und Flüsse beschreibet, auch die alten und neuesten Statsbegebenheiten bekannt machet, nicht weniger solche durch allerhand nöthige, politische und genealogische, besonders aber geographische Anmerkungen erläutert. Halle 1744. 1746. III. Tom.
- * *Der deutsche Diogenes*. Danzig 1736. 4. Dissertationes morales & satyricæ LII, poetice prolatae.
- Diarium Europaum Historico-litterarium*, trimestre primum. Paris 1709. 8. auctor Jacobus Hommey, Augustinianus.
- Diarium Europaum de rebus ab A. 1657. ad. 1681. gestis Francof. tomis XLV. in 4. Germanice.*
- Discourse curieuseur Sachsen, Hermetisch-Philosoph-Physicalisch- und Medicinischer Wissenschaften.* Januar. Febr. Martius & Aprilis A. 1708. 8.
- * *Discurse der neuen Gesellschaft in Bern*, 1721. 8.
- * *Discurse der Maler*, vide *Maler*.
- * *Das gelehrte und galante Dresden*
- Dubia vexata Historia Ecclesiastica Novi Test. Germanice erster Versuch.* Jitau 1717. 8. atque continuato deinde labore usque ad A. 1720. dubia primorum quatuor sæculorum examinata, Auctore M. Christiano Gottlob. Pitschmanno.
- Durchlauchtiges Archiv.* 4. Theile. Frankf. 1691. 1694. 8.
- Der meditarende und inventieuse Eclecticus.* Jen. 1714. 8. 5. Theile.
- Einleitung zur heutigen Historie, aus den täglich einlaufenden Zeitungen*, Leipzig. 1707. 1710. 8. XXX. Stück.
- * *Der Einsiedler.* Rönisch. 1740. 8. Dissertationes morales & satyricæ CIV. II Tomi.
- Juristische historische Electa*, Jen. 1726. 8. auctore Jo. Joachimo Müllero.
- Electa Jurispublici, oder Staats-Affairen von Europa ab A. 1709. ad 1724. 8. editore Cassandro Thucelio, sive qui sub illo latebat nomine, Christiano Leonbarado Leucht, & ab A. 1712. ad 1717. laudato Jo. Joachimo Müllero, Archivario Vinariensi. Volumina XX. quibus accessit tomus supplementorum A. 1726.*
- * *Electa iuris theoretico-practica*, bestehend in einer Sammlung unterschiedener Anmerkungen über besondere Fragen und Casus. Leipzig. 1730. 8.
- The Englishman, being the sequel of the Guardian.* Lond. 1714. & 15. Tomi II. 12. Auctor Richard Steele.
- *Entzücken Morforii in die Welt gethane Reisen*, 1705. 8. XII. Proben.

EPHEMERIDUM.

- Ephemerides Eruditorum Parisenses*, e Gallico versa a Friderico Nitschio. Lips. 1671. 8. Anni 1665. 1666. 1667. 1668. De Gallicis infra, *Journal des Savans*.
- Ephemerides litterariae Hamburgenses* 1686. 4.
- * *Ephemerides Savantes*, à Hambourg 1686. 4. Ambæ statim in herba suppressæ.
- Ephemerides Naturæ Curiosorum*, supra *Academia*.
- Ephemeridi del Mondo Novellistico*, infra *fasti eruditi*.
- Ephemerides SS. Patrum* loca vindicantes & illustrantes à Januario ad Majum, Flensburgi 1708. 4. auctore D. Christiano Gottlieb Kochio, Præposito Apenradensi.
- * *L'Epilogeur*, vide *le Magazin*.
- * *Der freymüthige Erdbürger im Jahr 1746*. wöchentlich herausgegeben. 4.
- * *Ergödhungen der vernünftigen Seele*, aus der Sittenlehre und der Gelehrsamkeit überhaupt. Leipz. 1745. 8. In lucem iam de IV Volum. IV emisit part. auctor, Jo. Henr. Gottlob Justi.
- Deutliche Erläuterungen in der heiligen Schrift* ab A. 1713. 8. XIX. Vorstellungen. Auctore D. Jo. Wilhelmo Zieroldo.
- * *Erläuterungen der neuesten Weltgeschichte* aus den vorhergehenden und älteren Zeiten, Hamb. 1741. 8.
- * *Ermunterungen zum Vergnügen des Gemüths*, Hamb. 1747. 8. IV iam Partes.
- L'Espion dans les Cours des Princes Chrétiens*, ou memoires d'un Envoyé secret de la Porte dans les Cours de l'Europe. à Cologne 1696-1699. 12. Sex Volumina. Præter Gallicas repetitas editiones recusum hoc opus etiam est anglice Londini, et germanice Francofurti 1733. Novissime autem VII. volumine addito Hagæ Comitum 1742. 12.
- Essais de littérature*, pour la connoissance des livres, ab mense Julio A. 1702. ad extremum Junii A. 1703. Paris. & Hagæ Comitum in 12. Observationibus *Pelbestræ* siue Abbatis *Fayditi*, respondit auctor *Morlierius* Doctor Sorbonicus. Vide *Memorias Trevoltinas* anni 1704. mense Julio edit. Amst. p. 28. & A. 1705. mense Februario. *Petri Balii* animadversiones quædam exstant in ejus *Opusculis* junctim nuper editis in fol. T. IV. p. 171. sqq.
- Essais hebdomadaires* sur plusieurs sujets importants par Mr. Dupuy ci-devant Secrétaire au traité de Paix de Ryswick. Paris 1730. 12.
- * *Etwas geistlicher Gaben zum gemeinen Nutzen*, das ist, Auszüge aus theils gedruckten, theils in ihren Papieren liegenden Predigten, Abdankungen, Hochzeit- und andern Reden, Langensalza 1740. 8.
- * *Etwas von gelehrten Rostockischen Sachen* vor gute Freunde Rost. 1736. 8. ad annum 1743. usque VIII Volumina, post ea paululum mutata inscriptione: *Weitere Nachrichten von gelehrten rostockischen Sachen* in præsens tempus a D. Manzelio et D. Jo. Christiano Burgmanno continuata.
- * *The new Evening-Post*. Lond. 1739.
- The evening entertainment*. Lond. 1727.
- Europe Savante*, Volum. XII. ab Januario A. 1718. ad extremum A. 1720. Hagæ Comitum, 8.
- Europäische Staats = Canzley*. Vide infra, *Staats*.
- Europäische Geschichte = Erzählung* ab A. 1655. ad 1660. Francof. 8. duobus Vol. Martino Mayero auctore.
- Europäischer Niemand*, A. 1717. 8.

NOTITIA

- The Examiner.* Lond. 1711. 1712. 8. & Belgice Amst. 1721. 8.
- Exercitationes subsecivæ.* Francofurti ad Viadrum ab A. 1718. 8. Tomos III. vili; vari argumenti.
- Fama Academica*, intimans Disputationes in Academiis Germanicis ac quibus exteris habitis. Lipsiæ 1707-1709. 4. XIV. sectiones sive Tubæ.
- Europäische Fama* von gegenwärtigem Zustande der vornehmsten Höfe. Lipsiæ ab A. 1701. 8. in præsens usque tempus, mutata tamen post partem CCCLX. paululum inscriptione die neue Europäische Fama, de qua iam partes CXLII exstant. Index-icorum singulis præmissarum exstat in parte CXCII.
- * *Die geistliche Fama*, mittheilend einige neue Nachrichten von göttlichen Erweckungen, Wegen, Führungen und Gerichten 1730. 8. 8.
- Gelehrte Fama* von gegenwärtigem Zustande der gelehrten Welt, und sonderlich der deutschen Universitäten entdeckt, ab A. 1711. ad 1718. Leipzig in 8. LXVI. Theile.
- Fama Hermetica.* A. 1714. 8. Januarius & Februarius.
- Lustige Fama* der nährischen Welt. Hamburg 1718. 4.
- Deconomische Fama* von allerhand zu den öconomischen, Politcey und Commercial-Wissenschaften gehörigen Büchern, Projecten, Bedencken &c. Francoff. 1729. 8. bis 1733. das neunte Stück.
- Reichs-Fama*, Francoff. 1727-1734. XV. Theile. Auctore Jo. Jacobo Mosero.
- Schwedische Fama*, vom Zustande Caroli des XIIten, Königs in Schweden, ab A. 1711. 8. XXVI. Stück.
- Venedische Türkische Fama* A. 1713. 8. Erste, andere, dritte Communication &c.
- Fasti eruditi*, Parmæ A. 1706. auctore Josepho Garuffi, Ariminense.
- Fasti eruditi della Biblioteca volante*, colle Effemeridi del Mondo Novellistico. Foro Livii A. 1710. auctore Joanne Peregrino Dandi. Vide Acta Eruditor. A. 1710. pag. 178. Memoirs of literature T. i. p. 60.
- Fasti Universitatis Altdorfinae* ab A. 1717. seqq. in 8.
- * *Die Elifäischen Felder* 4. Theile oder Gespräche 1740. 4.
- The Freeholder*, ou l'Anglois jaloux de sa liberté, essais politiques. Ex Anglico Lond. 1716. 8. Gallice Amst. 1727. 12.
- * *The Free-Thinker* or Essays on Ignorance, Superstition, Bigotry, Enthusiasm, Craft &c. Intermix'd with several Pieces of Wit and Humour design'd to restore the deluded Part of Mankind to the Use of Reason and Common-Sense. Lond. 1718. Dissertationes CLIX. quas postea tribus voluminibus in 8. complexas sæpius recuderunt. *Ambrosius Philips* eas edidit, *Boulero*, *Richardo Westio*, *Gilb. Burneto*, *Henr. Stephens* et aliis adiuvantibus. Incoeptæ sunt Berolini 1754. in germanicam transferri linguam emittique per plagulas in publicum; abrumpebatur vero labor non multum progressus.
- * *Der Fremde*, Copenh. 1745. 8. Dissertationes morales & satiricæ, auctore *Job. Elia Schlegelio*
- * *Der Freydenker*, Göttingen 1736. 4. Dissertationes morales atque satiricæ, in herba suppressæ. Ultra VIII enim non processerunt autore famoso illo D. *Jo. Ern. Philippi*.
- * *Der Freydenker*, Danj. 1741. & 42. 4. Per duos annos hebdomadatim editæ dissertationes morales et satiricæ, auctore *Waesbergo*.
- * *Der Freygeist*. 1745. med. 8. Dissertationes morales & satiricæ LIII, auctore *Christobio Mylio*.

EPHEMERIDVM.

- * Der Freymäurer im Jahre 1738. Leipz. 8. Dissertationes morales atque satyricæ LII, quarum autorem ferunt Jo. Joachimum Schwabium.
- * Frühaufgelesene Früchte der theologischen Sammlung von Alten und Neuen, worinnen nur die neuesten Bücher, Kirchenbegebenheiten u. s. f. vorkommen. Leipz. 1735. 8. Appendicis loco ad diarium fortgesetzte Sammlung der alten und neuen theologischen Sachen adiicitur.
- * Der aufmerksame Freymäurer in und um Deutschland, so wohl im Felde, als am Hofe. Görlitz 1743. 8. VIII partes, quarum continuationem sub inscriptione Neueröffnetes Kriegs- und Friedenscabinet edidit auctor Jo. Gottfr. Haymann.
- La Galleria di Minerva*, Venet. ab A. 1696. ad 1713. fol. tomis septem. Vide, si placet, quæ dixi in *conspectu thesauri Italiae* p. 6. seq.
- Gazetta* five diurni commentarii rerum, quæ toto Orbe geruntur, Venetiis jam sæculo decimo sexto consueti publicari, & Parisiis ab A. 1631. inde apud alias Europæ nationes quoque. Vide eundem conspectum, statim in limine. Atque apud Sinenses quoque frequentari illum morem notatur in tomo XVIII. sylloges, lettres edificantes des Missions p. 434. sq. *Theophrasti Renaudoti* recueil de Gazettes nouvelles & relations depuis A. 1631. 4.
- Gazette des Savans* ou dépeches du Parnasse. Genev. 1694. auctore *Vincenzio Minutoli*. Nouvelles de la Rep. des lettres A. 1701. T. 2. p. 162. 168.
- la Gazette des Savans* ab 1. Mart. 1729. ad 1. Mart. 1730. Antwerp. & inde Hagæ, 8. XXV. Num. *Gazettes raisonnées*. Lettres de Mr. Bayle p. 194.
- Freye Gedanken zur Verbesserung der menschlichen Gesellschaft*, Erf. 1747. 8.
- Freymüthige jedoch vernünftige und Gesezmäßige Gedanken über allerhand Bücher und Fragen*. Leipz. 1688. & 1689. 8. auctore *D. Christiano Thomaso*.
- Freymüthige Gedanken*, Leipz. 1790. 8. Jo. *Jacobo Ryffelio* auctore.
- Aufrichtige und unpartheyische Gedanken über die Journale, Extracte und Monath-Schriften*. Leipz. 1714-1717. 8. XXIV Stück. auctore *D. Christiano Godfrido Hofmanno*.
- * *Gedanken der unsichtbaren Gesellschaft*, Halle 1741. 8. Dissertationes morales atque satiricæ.
- * *Moralische Gedanken der Stillen im Lande*, erste Sammlung von 50. Stücken. Nürnberg. 1743. 4. VIII. Proben, usque ad annum 1740. quo hunc laborem sub titulo paululum mutato continuarunt societatis membra.
- * *Geheime Briefe, über notable Sachen*. Drey Theile oder Cabinette, jedes in XII. Posten, ab A. 1701. ad 1704. Lipsiæ, 8.
- Gelehrte Fama*, vide supra, *Fama*.
- Gelehrte Welt, oder ohnpartheyische Conferenzen von Ariste*. Francof. & Lipsi. 1700. 8. 1. und 2. Conference.
- Gelehrte Zeitungen*. vide *Zeitungen*.
- Il Genio de' letterati*, in Forli. 1705. seq. in 4. Auctor *Joseph Garuffi*, Ariminensis.
- * *Der prüfenden Gesellschaft zu Halle, welche allerhand wichtige, in alle Theile der Gelehrsamkeit einlaufende Materien zu erörtern sich angelegen seyn läßt, Proben*. Halle 1738. 8. VIII. Proben, usque ad annum 1740. quo hunc laborem sub titulo paululum mutato continuarunt societatis membra.
- * *Der prüfenden Gesellschaft zu Halle fortgesetzte, zur Gelehrsamkeit gehörige Bemühungen*, Halle 1741. 8. XII. Stücke.
- * *Gespräche im Reiche der Kranken*. Vier Entrevues, Frankff. 1740. 4.

NOTITIA

Gespräche im Reiche der Weltweisen, Halle 1721. 4. VIII. Theile im Reiche der Lebendigen.
Vide infra, Unterredungen.

Gespräche im Reiche der Todten 1718 - 1740. 4. XVI. Volumina. Ex hisce dialogis ingeniosis lectisque avide, nonnullos Gallice vertit Valentinus Jungermann ediditque sub titulo: *entretiens des ombres aux champs Elisées*. Amst. 1722. 8. Auctor fuit *David Fasymann*.

Drey Gespräche im Vorhofe des Reichs der Todten, 4. A. 1725. 1728.

Scherz- und ernsthafte Gespräche im Reiche der Liebe. Zwey Entrevües, Francof. 1723. 4.
Giornale de' letterati in Roma apud Nicolaum Angelum Tinassum ab A. 1668. ad extremum Anni 1681. 4. Ab hoc diario a pag. 45. Anni 1675. diversum est quod itidem Romæ sed nomen auctoris *Francisci Nazari* præferens prodiit A. 1675. 1676. 1677. 1678. 4. a *spese di Benedetto Carrara, al Pie dimarmo*.

il Giornale Veneto de' letterati a d. 15. Febr. A. 1671. ad 10. Dec. 1680. Venet. in 4.

Giornale de' letterati in Parma ab A. 1686. ad extremum Anni 1690. Parmæ in 4.

Giornale de' letterati in Ferrara A. 1688. 1689. 4.

Giornale de' letterati in Modena. A. 1692. 1693. 1696. 1697. 4.

il gran Giornale in Forli. A. 1701. 1702. 1703. 1704. fol. Rebus litterariis etiam aliz civiles ac bellicæ subiiciuntur sub titulo: *Giornale de' Novellisti*.

* *Giornale de' letterati d' Italia*, Venetiis ab A. 1700. ad 1740. Volumina XLV. in 12.

Supplementi al giornale de' letterati d' Italia Venet. 1723. seq. 12. III. Volum.

Giornale de' Giornali, Venet. 4.

il gran Giornale di Europa Venet. 1725. 4. De singulis hisce Itatorum Diariis dicere memini in Conspectu thesauri Italiæ, quem Lector, ubi visum fuerit, consulat.

The Guardian, Lond. 1713. dissertationes seu satiræ CLXXV, quæ Ann. 1714. 12. duobus Voluminibus comprehensæ sapius recusæ sunt: & ex Anglieo Gallice sub titulo: *le Mentor moderne*, dissertationes sive satiræ CXLVI, quæ in Germanicam linguam sub titulo: *Der getreue Hofmeister, sorgfältige Vormund und neue Mentor* a *Lud. Ernesto a Faramund* A. 1725. translata.

Gundlingiana davim allershand zur Jurisprudenz, Philosophie, Historie, Critic, Literatur und übrige Gelehrsamkeit gehörige Sachen abgehandelt werden. ab A. 1716. ad 1729. partes XLIV. Halæ Sax. in 8. Et post nobilissimum Auctorem D. Nic. Hieron. Gundlingium A. 1729. 9. Dec. defunctum, *Gundlingiana materia continuata*, ibid. 1731. 8. Erstes, anderes und drittes Stück.

Hamburgische Bibliotheca Historica, supra *Bibliotheca*.

Journal de Hamburg. vide *Ephemerides & Journal*.

Freywilliges Heyopfer von allershand in die Theologie laufenden Materien. Berolin. ab A. 1715. 8 XLVIII. Beyträge, seu V. Volumina. Editor erat *Io. Gust. Reinbeck*.

* Heßisches Heyopfer, Gießen 1734. 8. a *Jo. Jac. Rambachio* incoeptum cura Ern. Frider. Neubaueri continuatur. XL partes extabant an. 1747.

Merkwürdige Himmelsbegebenheiten. Nürnberg. 1738. 4. Astronomicæ sunt observationes a *Michaële Adelburnero* D. editæ.

Historie der Gelehrsamkeit unserer Zeiten. Lips. 1721 - 1725. 8. XII. Stück. Auctor V. C. *Io. Christ. Clodius*, Professor quondam linguarum Orientalium in Academia Lipsiensi.

EPHEMERIDVM.

- Kurze Historie der vormahligen und gegenwärtigen Gelahrtheit der Hessen von unpartheyischer Feder entworfen. ab A. 1726. per trimestria, in 8.
- Historia der Theologischen Gelehrsamkeit. A. 1721. 1722. Tubingen, 8.
- Historische Remarques der neuesten Sachen in Europa, ab A. 1699. bis zu Ende 1706. Hamb. in 4. Auctor Petrus Ambrosius Lehmannus, Regis Polon. & Electoris Saxoniz a Secretis Legationum, qui diem obiit Hamburgi, mense Octobri A. 1729.
- Historische Relationes semestrales, Germanice editæ ab A. 1590. in 4. & per centum fere annos continuatæ. Vide Christianum Gryphium de scriptoribus sæculi XVII. p. 19.
- Historie des heutigen Seculi, erste, andere, und dritte Periodus. 1716. 8. vide Gedanken von Journalen T. 2. p. 726.
- Historische, Politische und Philosophische Kriegs- und Friedens-Gespräche in den Elßfaischen Feldern, monatlich abgehandelt. A. 1683.
- Historia der Weisheit und Thorheit, zusammen getragen von Christ. Thomasio, ICto. Halle 1693. 8. drey Theile.
- Histeria Sapientiz & stultitia, collecta a Christiano Thomasio. ibid. 1693. 8. tomis tres a prioribus tribus diversis.
- Historia Academiæ Paris. vide supra, Academia.
- Historia litteraria Medica, sive recensio librorum, qui a membris Societatis Naturæ curiosorum editi sunt. Giesæ 1685. 4. & cum continuatione, ad calcem introductionis ad Philosophiam recentem Naturalem, 1709. 4. auctore D. Mich. Bernhardo Valentini.
- Histoire litteraire de l'Europe, contenant l'extrait des meilleurs livres, un Catalogue choisi des ouvrages nouveaux, les nouvelles les plus interessantes de la Rep. des lettres, & les pieces fugitives les plus curieuses, à la Haye, in 8. à Januario Anni 1725. ad Decembrem A. 1727. VI. Volum.
- Histoire des ouvrages des Savans, a mense Septembri Anni 1687. ad extremum Anni 1709. (nisi quod A. 1707. nunquam prodiit) auctore Basnagio Bellovallio. Roterodam. 12. XXIV. Volumina.
- Histoire Critique de la Rep. des lettres tant ancienne que moderne, ab Anno 1712. ad 1718. tomi XV. Amstelodam. 12. Auctor Philippus Masson.
- Histoire du temps, a xv. Maj. A. 1689. ad 2. Jul. 1690. Amst. in 12. traduite de l'Anglois.
- Histoire abrégée de l'Europe, a Julio A. 1686. ad Decembrem A. 1688. auctore Claudio Jordano.
- The History of the works of the learned. à Januario A. 1699. ad Martium A. 1712. Londini 4. XIII. Voluminibus. Inchoatum A. 1737. aut potius continuatio diarii The literary Magazine hoc nomine est insignita, quæ in hunc diem nec cessat.
- * Die durchlauchtigen Höfe in Europa, nach ihrer gegenwärtigen Beschaffenheit und Verfassung entworfen. Leipzig 1735. 8. 9. Theile.
- Jahr-Register von Medicinischen Observationen A. 1680. auctore Stephano Blancardo, & e Belgico Latine, Collectanea Medico-Physica, Tobia Peucero interprete. Vide Christianum Junckerum de Ephemeridibus eruditorum p. 64.
- Register Zustand Europæ, 1. quartal. A. 1715. 8.

NOTITIA

- Journal des Savans.* Parisiis ist. 4. & Amst. in 12. ab A. 1656. in præsentem usque annum 1747. continuatur. Præcipuum hoc diarium eruditi Orbis coepit etiam *Latine* verti, ut supra dixi, *Ephemerides* referens, & *Anglice*, & *Italice*: sed non longius processerunt illarum interpretationes.
- Nouveau Journal des Savans*, dressé à Rotterdam. A. 1694. 8. auctore *Stephano Chauvin*.
- Nouveau Journal des Savans* dressé à Berlin, eodem Chauvino, & aliis viris doctis auctoribus. Berolini 1696. 1697. 1698. 8. tribus Volum.
- Journal d'Amsterdam* sur toute sorte de sujets. Janvier A. 1693. & Fevrier 1694. 8. auctore *Gabriele Dartzis*.
- Journal de Hambourg*, a mense Septembri A. 1694. ad 1696. 27. April. Hamburgi in 8. eodem *Gabriele d'Arts* auctore. Vide *Bælii Epistolæ* p. 444. editionis primæ.
- Journal universel.* Amst. 1687. 12.
- Journal historique, politique, critique & galant.* 1719. 8.
- Journal littéraire* à Julio & Augusto Anni 1713. usque ad Annum 1732. Hagæ Comitum in 8. Tomi XX. cujus in locum successit:
- * *Journal historique* de la republique des lettres, a Julio & Augusto anni 1732. Lugduni editum, de quo tamen tres tantum Tomos vidi, quum antecessens alio auctore, IV adhuc Tomis fuerit auctum.
 - * *Journal littéraire* d'Allemagne, de Suisse & du Nord. à la Haye, 1741. 8. Hæc inscriptio-
ne continuabatur II Tomis *Bibliothèque germanique*, quam vero postea novo titulo, *Nouvelle Bibliothèque germanique* continuarunt *Formey & Perard*, ab anno 1746.
- Journal littéraire*, à Solevre (Paris 1705. 12.) Continuation des *Essais de littérature*, de quo scripto supra. *Mémoires de Trevoux* 1705. p. 2278. seq.
- Journal des nouveautés du chant*, de Mr. *Bassilly*, Paris 1678.
- Journal d'antiquité*, diarium à Felibienio promissum, lucem non vidit, sicut nec alterum cujus p. 69. meminit *Junckerus*, *Journal de Copenhaguen*: nec *Journal de l'Académie à Dublin*, de quo *Bælius* in *Novellis Reip. litterariæ* 1686. p. 708.
- Journal des Conversations* par Mr. *René Bary*. Paris 1675. 4.
- Journaux de Médecine*, envoyez à M. l'Abbé de Roque. Paris 1682. seq. 12. & Latine per *Theophilum Bonetum*, infra, *Zodiacus Gallicus*.
- * *Obererzgebürgisches Journal*, oder Sammlung von allerhand in hiesige Naturwissenschaft überhaupt, als auch andere Scientien, in die Mechanik ic. einschlagende merkwürdige Abhandlungen. 1747. 8. II. Theile auctore *D. Jo. Christiano Themel*.
- Journal of the Philosophical Society of Oxford.* Vide *Junckerum* A. 1684 p. 63.
- * *Der Jüngling*, eine Wochenschrift, Leipzig 1747. 8.
 - * *Journal universel, ou mémoires pour servir à l'Histoire civile, politique, ecclesiastique & littéraire.* Haye 1745. 12. A Januario huius anni in præsens usque tempus.
- Delicia Juridica*, supra, *Delicia*.
- Der raisonnierende Jurist*, 1714. 8. drey Stück.
- Nachricht von einigen auserlesenen, größtentheils raren, alten und neuen Juristischen Büchern.*
Erste Lieferung, Jen, 1725. 8.

EPHMERIDVM.

- Der curieuse Jurist, welcher seine Gedanken aus den geist- und weltlichen Rechten eröffnet.
Frankfurt 1747. 8. drey Communicationen.
Kabinet, supra Cabinet.
- Kort begryp &c. infra Monatliche Unterredungen.
 - * Schlesische Kriegs-Gama. Franckfurt am Mayn und Leipz. 1740. 8.
 - * Der Rundschaffer, Braunsch. 1744. 4. Dissertationes morales & satiricæ.
 - * *Lettres Cabalistiques ou Correspondance philosophique historique & critique entre deux Cabalistes, divers Esprits elementaires & le Seigneur Astaroth* par l'Auteur des lettres Juives, à la Haye 1741. 8. VI. Volumina.
 - * *Lettres Chinoises entre un Chinois Voyageur à Paris & ses Correspondans en divers endroits* Haye 1739. V. Volumina. Auctor est Marchio d' Argens.
 - * *Lettres Juives ou Correspondance philosophique, historique & critique, entre un Juif voyageur à Paris & ses Correspondans en divers Endroits.* à Amsterd. 1736. 8. Epistolæ CLXXX. sex Tomi, auctore Jo. Bapt. de Boyer, Marchione d' Argens, Nova editio de 1741. aucta est XX. epistolis.
- Lettres sur les matieres du temps*, ab A. 1688. 12.
Lettres historiques, ab A. 1692. in præsens usque tempus. 12.
Lettres serieuses & badines sur les ouvrages des Savans & sur d' autres matieres. Hagæ ab A. 1729. usque ad an. 1740. XII. Volumina in 8.
- * Der Liebhaber der schönen Wissenschaften, Jena 1747. 8.
 - * Der vernünftige Liebhaber in gebundener und ungebundener Schreibart abgefasst, Hamb. 1743. und 1744. 8. Dissertationes morales & satiricæ LXIII, editore B. J. Zinkio.
- Library*. Vide *Compleat, & young Students*.
- * *The britsch Librarian*, exhibiting a compendious review or abstract of our most scarce, useful and valuable Books in all Sciences. Lond. 1737. 8. A Januario.
 - * Der deutsche Locomann. Halle 1738. und 1739. 4. Fabulæ & dissertationes in illas morales atque satiricæ XXXIX, quas ænigmata vocavit autor.
 - * *Lipsia litterata*, vel relationes dissertationum in Academia Lipsiensi evulgatarum. Lipf. 1726.
- Maandliike uyttrekfels*, of boekzaal der geleerden Werrelt van July 1715. 8.
Maandliikse berigten a Julio 1721. ad Decembr. 1728. 8.
- * *The Gentlemans Magazine*, London 1731. 8.
 - * *Hamburgisches Magazin*, oder gesammelte Schriften zum Unterrichte und Vergnügen aus der Naturforschung und den angenehmen Wissenschaften überhaupt. Hamb. 1747. 8. Dux iam prodierunt partes.
 - * *The literary Magazine* or select British Librarian, London 1735. & 1736. 8. quo anno titulum huius diarii mutarunt illudque inscripserunt: *History of the Works of the Learned*, quod adhuc viget.
 - * *Die Discourse der Mahler*, Zürich 1721. usque ad an. 1723. 8. Quatuor tomis comprehendebantur dissertationes XCIV. Revisæ atque auctæ vero An. 1746. duobus voluminibus prodire centum & quinque nova hac inscriptione: *Der Mahler der Sitten*. Præcipui auctores fuerunt Jo. Jac. Bodmer & Jo. Jac. Breitinger.

NOTITIA

* *Le Magazin des événemens de tous genres passés, présens & futurs, historiques, politiques & galans.* Amsterd. 1741. 8. IV. Tomi Anno 1742. autem mense Decembr. nomen mutavit & titulo *l'Épilogueur* continuabatur usque ad 7. Jun. anni 1745. XIII. Volumina. Illud sequebatur *le Demosthène moderne* 1746, cuius in locum successit, *L'Avocat pour & contre* 1747.

* *Die Matrone, Hamb.* 1728. - 1730. 8. Per tres annos continuatæ dissertationes morales & satiricæ, auctore *Ja. Georg. Hamann.*

Annales litterarii Mecklenburgenses, oder Jahr-Register von denen Geschäften der Gelehrten in Mecklenburg, auf das Jahr Christi 1721. und 1722. erste und andere Fürstellung, Rostock, 8. sammt einer Vorrede von dem Zustande des heutigen Journalisirens.

* *Medical Essays and Observations.* Edinburg. 1732. 4. IV. Tomi, quos in linguam quoque gallicam versos vidi.

Memoires de l'Académie Royale &c. supra Académie.

Memoires pour l'Histoire des Sciences & des beaux Arts par l'ordre du Duc de Maine, à Trevoux 12. a Januario Anni 1701. in præsens usque tempus hæ memoriz continuantur auctoribus Jesuitis Parisiensibus. Primores ex illis anni quatuor, additis quibusdam & insertis novis capitibus recusi sunt *Amstelodami* in 8. tomis novem, quorum ultimus promittit Memorias illas continuatas usque ad finem Junii A. 1705. Sed Trevoltinæ editionis ne quidem ad Junium. Anni 1704. integrum refert *Amstelodamensis* editio. Desinit enim in articulo XCI. Junii A. 1704. p. 1007.

Memoires Historiques & Critiques Amst. 1722. 8. Menses XII.

Memoires de littérature. Tome premier, 1. & 2. partie. à la Haye 1715. 8. par *Mr. le Sallengre.*

Memoires littéraires, Tome premier, 1. & 2. partie. S. D. L. R. G. (*Mr. Thémisseul*) Tome second par *Mr. de Sallengre.* à la Haye 1716. 1717. 8.

Continuation des Memoires de littérature & d' Histoire de Mr. de Sallengre. à Paris (par *Mr. Desmolets,* de l'Oratoire) Tomi primi pars prima A. 1726. 12. vidi ad Tomum nonum usque, sed audio plures sive exstare sive exspectari.

Memoirs for the curious Lond. 1701. vide *Novellas Reip. lit. A.* 1701. p. 695.

Memoirs for the ingenious, containing several curious observations in Philosophy, Mathematick, Physick, History, Philology and other arts and sciences, in *Miscellaneous letters* by *J. de la Crose.* E. A. P. Lond. 1693. 4.

* *Memoires secrets de la republique des lettres ou le Theatre de la verité* par l'Auteur des lettres Juives. à Amsterd. 1737. 12. Sedecim epistolis conscriptæ sunt hæ memoriz usque ad An. 1743. a *Jo. Baptista de Boyer Marchione d'Argens.*

Memoirs for the curious, containing an abstract of the most valuable things that have been published both at home and abroad in relation to arts and sciences, with the lives of the most eminent men deceased, Lond. 1707. 1708. 4. by several hands.

Memoirs of literature, containing a Weekly account of the state of learning, both at home and abroad. Volum. I. A. 1710. 1711. Lond. in fol. Volum. 2. & 3. Lond. 1712. 1713. in 4. & Volumen 4. desinens in Septembri A. 1714. ibid. in 4. auctore præclaro Viro *Michaële de la Roche,* cui priores etiam quinque tomos debemus *Diarii,* cui titulus: *Bibliothèque*

EPHEMERITVM.

* *theque Angloise*, de quo supra. Hæ memoriæ auctore ipso curante A. 1722. recusa sunt octo Voluminibus in 8.

Memoires litteraires de la grande Bretagne, par Michel de la Roche ab A. 1720. ad 1724. 12. Tomi XVI.

Memoirs of literature, containing an account of many valuable books, lettres and dissertations upon several subjects by Mich. de la Roche. Lond. 1722. 1723. 1724. in 8. octo Volum.

New memoirs of literature, A. 1725. 1726. 1727. Lond. in 8. sex Voluminibus; eodem laudato Mich. de la Roche auctore.

Weekly memorials for the ingenious, or an account of books lately set forth in several languages, with other accounts relating to arts and sciences. Lond. 1682. 4.

Memoria universales litterariae, breviarum instar omnium diariorum litterariorum A. 1699. publicanda Parisiis, sed statim in partu suppressa. *Hist. des ouvrages des Savans*. A. 1699. p. 264.

Memoria Victorii Siroi recondita, infra *Mercurius*.

* *Der Menschenfreund von Ostern 1737. bis Ostern 1739.* Hamb. 4. Dissertationes morales & criticae CIV, auctore *Jacobo Frider. Lamprecht*.

Ignatii Menzsfacs neuer Monatschreiber. ab Augusto ad Decembrem, A. 1689. 8.

Menses reservati in Erklärung Biblischer Sprüche. A. 1706. 7. XII. offerten.

Menses Pietistici & anti-Pietistici. infra *Pietistici*.

Mercurius Gallo-Belgicus, variis auctoribus ab A. 1555. continuatum est ad Annum usque 1632. tomis XVIII. in 8.

* *Merkmale der Tugend und Laster*. Zelle 1740. 8. Dissertationes morales et satiricae LII.

* *Merkwürdigkeiten der königlichen Bibliothek zu Dresden ausführlich beschrieben, und mit Anmerkungen erläutert*. Dresd. 1744, u. f. 4. III Volumina, Auctore D. *Jo. Christiano Goetzio*.

* *Ergebürgische Merkwürdigkeiten, nebst Nachrichten von denen herauskommenden neuen Schriften*. Freyberg. 1747. 8.

Victorii Siroi, qui A. 1685. die VI. Octobris obiit, *Memorie recondite* dall' A. 1601. fino al A. 1640. octo Volum. in 4. Ejusdem *Mercurius Historicus, il Mercurio, ovvero historia de' correnti tempi*, tomi XV. in 4. variis excusi in locis (Genevæ, Casalii, Parisiis, Florentiæ) tomus ultimus definit in rebus Anni 1655.

Mercurie savant, Janvier & Fevrier Amst. 1684. 12. Hoc specimen nescio cujus auctoris, Petro Balio anam dedit, componendarum Novellarum Reip. litterariz, de quibus infra.

Mercurie Galant Parisiis ab A. 1677. 12. in præsens usque tempus continuatur. Nomen autem mutavit & inscribitur hodie *Mercurie François*.

Mercurie Historique & Politique, à Parme 1686.

Mercurie Historique & Politique, Hagæ Comitum in 12. a Novembri A. 1687. in præsens tempus usque singulis prodit mensibus.

The Musæ Mercury. Lond. 1707. 4.

Curieuse und Gemüths-ergösender Mercurius von Philotechno. 1717. 1.

Athenian Mercury, lettres de Mr. Bayle p. 371. Vide supra, *Atbanian*.

Lacedæmonian Mercury. *Hist. Critique de la Rep. des lettres* T. 7. p. 279.

NOTITIA

- * *Mercurie Suisse*, ou Recueil de Nouvelles historiques, litteraires & curieuses, à Neuchâtel, 1733. 8. in præsens usque tempus
- Mercurius Latino-Poëticus G. Huberi, Hafniæ 1671.
- Mercurius rhythmo-Danicus mensruus Andreæ Bordingii, 1073. 4
- Mercurius Danicus mensruus Danielis Pauli. Hafniæ 1675.
- Mercurius Polonicus*. Monatliche Unterredungen, 1689. p. 374.
- Zeitvertreibende Mercurius. Erfurt 1715. 8. erste und andre Eröffnung.
- * *Scolærendæ Mercurius*. Holmiæ 1730. Dissertationes morales, quarum tres Tomos vidi.
- * *Minerva*, Götting. 1741. 8. L. Stück. Auctor est *Frid. Christoph Neubur*.
- le Misanthrope* A. 1711. seq. & ex secunda auctiore editione, Hagæ 1726. 12. Satiræ LXXXVII, & iter Svecicum Epistolis XIV. auctore *Justo Van Effen*.
- Miscellanea Academia Naturæ Curiosorum*. Vide *Academia*.
- Miscellanea Berolinensia* ad incrementum Scientiarum ex scriptis *Societatis Regiæ* Scientiarum exhibitis edita. Volumen *Primum* Berolini A. 1710. 4. *secundum*, sive Continuatio prima A. 1722. & *tertium*, sive Continuatio secunda, A. 1727. 4. & *quartum* A. 1734, & *quintum* Halæ 1737. & *sextum* Berolini 1741 & *septimum*, ib. 1747.
- * *Miscellanea Duisburgensia* ad incrementum rei litterariæ omnis præcipue vero eruditionis theologicæ. Amstelod. 1732. 8. Volumina II. Auctore *Daniele Gerdæ*, T. D. et Pr.
- * *Miscellanea Groningana* in *Miscellaneorum Duisburgensium* continuationem publicata, Duisburg. 1736. 8. In præsens vsque tempus, V iam voluminibus in lucem emissis.
- Miscellanea Lipsiensia* ad incrementum rei litterariæ edita cum præfatione D. Joh. Francisci Buddei, editore M. Carolo Friderico Pezoldo. Lipsiæ in 8. ab A. 1716. ad 1723. duodecim Voluminibus.
- * *Miscellanea Lipsiensia* nova ad incrementum scientiarum ab his, qui sunt in colligendis eruditorum novis actis occupati per partes publicata. Lipsiæ. 1742. 8. In præsens vsque tempus vigent editore *Frid. Ottone Menkenio*. V. Voluminibus jam editis.
- Miscellaneous lettres* published weekly, giving an account of the works of the learned, both at home and abroad. ab Octobri A. 1694. Lond. in 4. Non vidi ultra mensem Martium Anni 1696.
- The London Miscellany*, being a collection of scarce and valvabe pieces. Lond. 1730.
- Miscellaneous observations* upon authors, ancient and modern. Lond. 1730. Partes priores Germanice versas vidi, quæ in latinam quoque linguam translatae Amstelodami 1732. in 8. prodierunt & usque ad an. 1740. continuatae X. Volumina.
- * *Miscellanea di varie operette* historiche e letterarie, Venezia 1740-1744. 12. VIII. Tomi.
- Miscellanea curiosa*, being a collection of some of the principal phænomena in Nature, accounted for by the greatest Philosophers, of this age, together with several discourses read before the *Royal Society*, for the advancement of Physical and Mathematical knowledge. Lond. 1705. sq. in 8. tria Volumina & tertia editio 1727. 8.
- Miscellanea litteraria Silesiaca*, Christiani Rungii specimina IV. Olinæ & Uratislaviæ 1712. seq.
- * *Miscellanea observationum* ad rem litterariam spectantium, Amstelod. 1732.
- * *Miscellanea Phisico-Medico-Mathematica*, Erfurti, 1730. 4.

EPHEMERIDVM.

- Miscellanea Tigurina*, edita, inedita, vetera, nova, historica &c. A. 1722. 8. erste, andere, dritte &c. Ausgaben. Auctor Jo. Jacobus Uricus.
- * *Le sage Moissonneur*. Utrecht 12. A. Januario anni 1741. usque ad Decembr. anni 1742.
- *Monatliche Unterredungen* Francof. A. 1663. 12. A. Januario ad Junium auctor; *Johannes Rist*, ceterorum sex *Erasmus Francisci*.
- Monatliche Unterredungen einiger guten Freunde von allerhand Büchern und andern annehmlichen Geschichten*. Lipsiæ a Januario Anni 1689. ad Decembrem anni 1698. 8. auctor vir celebris *Wilhelmus Ernestus Tentzelius*, qui deinde Diarium simile litterarium, sed non more dialogorum compositum edidit ibid. A. 1704. 1705. 1706. 8. sub titulo: *curieuse Bibliothec*, oder Fortsetzung der monatlichen Unterredungen. Tertii repositorii ultimus pluteus est nonus. Des dritten repositorii neuntes Fach. Primum annum dialogorum vidi etiam Belgicè editum *Simone de Vries* interprete. *Kort begryp en't voornaemste margh van allerley onlanghs wytgekoomene boecken*. Utrecht 1703. 8.
- Monatlicher Auszug*. vide *Auszug*.
- Monatliche Erzählungen von allerhand künstlichen und natürlichen Curiositäten*. a mente Majo A. 1689. 8. Auctor G. W. M. D. L.
- Monatliche Extracte derer bis anhero eingetausenen Europäischen und auswärtigen relationen nebst nöthigen Anmerkungen*, A. 1715. 8.
- Französischen Helicons Monats- Früchte*. A. 1696. 8. Auctore *Talandro*, sive *Augusto Bosio*.
- Monatlicher annehmlicher Materien erstes Präsent, von den Juden und deren Ordnungen*. A. 1715. 8.
- Monatliche Nachrichten von gelehrten Leuten und Schriften, besonders zu Jena 1726*. 8. Quatuor annos seu Tomos vidi.
- Monatliche Gespräche zu Garus in der Schweiz*. A. 1714. Auctor Jo. Henricus Tschudi.
- Monatlicher Staats-Spiegel*, Augspurg 8. ab A. 1698. ad 1709.
- Monatliche Relationes von Staats- Krieger- und Friedens-Sachen*. Hamb. 1684.
- Monatliche Muspielende lust-Fragen zu gelehrter und sonderbarer Ergözung*. Januar. & Februar. Jen. 1692. 8. Auctor Jo. Michael Schwimmerus.
- Monatliche jedoch unmaßgebliche Gedanken*. Jen. 1691. 8.
- The monthly Miscellany, or Temple of Muses*, by Mentor. Lond. 1730.
- The monthly Chronicle for the year 1728. 1729. 1730. 1731*. Lond. in 4.
- The monthly Catalogue of boocks*, printed in England. supra, *Catalogue*.
- The monthly Remembrancer*. Lond. 1730.
- Monumenta varia inedita* variisque linguis conscripta per trimestria duodecim, edente B. Jo. Friderico Fellerò, Secretario Vinariensi, qui rebus humanis valedixit A. 1726. 15. Febr. Trimestre primum vidit lucem Jenæ 1714. duodecimum 1718. 4.
- Neß Moralisten-Bibliothec*. supra *Bibliothec*.
- * *Historische Mühselustigungen*. Nürnberg 1729. 4. XVIII Tomos iam complet auctore Jo. David Koehlero.
- * *Der critische Musicus*, Hamburg 1737 - 1740. 8. Dissertationes continet LXXVIII, quae singulae

NOTITIA

- singulae editae tribus complectebantur tomis, postea vero reuisae multaque auctae. A. 1745 in 8 forma majori Lipsiae in uno volumine prodire. Auctor est *Joh. Adolph Scheibe*.
- * *Museum Helveticum*, ad iuandas litteras in publicos usus apertum, Tiguri 1747. Particulae IV.
- Museum Historico-Philologico-Theologicum*. Breae 1728 - 1731. II Volumina. Est hoc Museum continuatio Bibliothecae Bremensis, de qua supra in *Bibl. Diligentibus Theod. Hasio* & D. *Nic. Nonnennio*.
- The Musae Mercury*, supra, Mercury.
- * *Die vor sich und ihre Kinder sorgfältigen Mütter*, Hirschberg 1733. 8. Dissertationes morales & criticae.
- Nachlese der neuen Bibliothec zu Halle*. 1717. 8. Zehn Stück.
- * *Freywillige Nachlese bey den bisherigen gelehrten und erbaulichen Monathschriften*, Görlitz 1735. 8. Partes XIII. quae anno 1740. generaliori titulo: *Des Grafen von Zinzendorf und Pottendorf der Böhmischen und Mährischen Brüder hochwürdigem Bischofs, kleine Schriften, gesammelt in verschiedenen Nachlesen* &c. nebst einigen andern erbaulichen Blättern, in unum volumen sunt redactae.
- Unschuldige Nachrichten*, supra, *Altes und Neues*.
- Nachricht von einigen auserlesenen, größtentheils raren, alten und neuen Juristischen Büchern*, Jena 1725. 8. erste Lieferung.
- Summarische Nachricht*, supra *Bibliothec D. Christiani Thomasi*.
- Niedersächsische Nachrichten von gelehrten und neuen Sachen*, Hamburg 1731. 8. Auctore J. Petro Kohl, P. P.
- * *Kurze Nachrichten von Gesellschaften, und gemeinschaftlich ausgefertigten Schriften der Gelehrten*. Leipzig 1740. 1743. 8. 6. Stück. Auctore *Chr. Haymanno*.
- * *Neue Jenaische Nachrichten von gelehrten Schriften, Büchern, Künsten, Wissenschaften, Disputationen* &c. Jena 1740. 8. Idem cum novis Jenensium litterariis est diarium, latine germaniceque conscriptum.
- * *Allerneueste Nachrichten von juristischen Büchern*, Jena 1739. 8. Autore *Gottlob Aug. Jenichen*, I. V. D. adhuc continuantur XLIII parte iam edita.
- * *Der deutschen Gesellschaft in Leipzig, Nachrichten und Anmerkungen, welche die Sprache, Beredsamkeit und Dichtkunst der Deutschen betreffen*, Leipzig, 1739 - 1745. IV. Stücke.
- * *Vollständige Nachrichten von dem ordentlichen Inhalte der kleinen akademischen Schriften, welche vornehmlich in die Gottesgelahrtheit, Weltweisheit und schönen Wissenschaften einschlagen*, Leipzig, 1746. 8. adhuc vigent.
- * *Genealogische historische Nachrichten von den allerneuesten Begebenheiten, welche sich an den Europäischen Höfen zutragen*, Leipzig, 1739. 8. in praesens usque tempus, prolata iam parte CIII.
- * *Zuverlässige Nachrichten von dem gegenwärtigen Zustande, Veränderung und Wachstume der Wissenschaften*, Leipzig 1740. 8. In locum Actorum Eruditorum germanicorum successerunt & duce V. S. R. *Christ. Gottlieb Joachero* T. D. adhuc vigent.
- * *Nachrichten von den neuesten theologischen Büchern und Schriften*, Jena 1742. 8. Auctore *M. Fridr. Wilh. Kraftio* ad an. 1746. continuatae partes XL. quarum in locum inchoa-

EPHEMERIDUM.

- vit die neue theologische Bibliothek, licet prius diarium ab alio auctore continuetur parte XLVIII iam prolata.
- Gesammlete Nachrichten und Documente den gegenwärtigen Zustand des Herzogthums Schlesien, Königreichs Böhmen und Herzogthums Oesterreich betreffend, Görl. 1746. 8. V Tomi, quos sub generaliore titulo: Gesammletes Kriegs- und Friedens-Archiv, comprehendit auctor Jo. Gottfr. Haymann.
- Pommerische Nachrichten von gelehrten Sachen, Greifswald 8. Ab an. 1743. in praesens usque tempus continuantur a M. Jo. Carolo Dahnert.
- Weitere Nachrichten von gelehrten rostockischen Sachen vide Etwas ic.
- Nützliche Nachrichten von den Bemühungen der Gelehrten und andern Begebenheiten in Leipzig. 8. ab anno 1739 in praesens usque tempus quotannis eduntur a M. Abrahamo Kriegelio.
- Kurze Nachricht von den Büchern und deren Urhebern in der Stollischen Bibliothek 4. Teena ab an. 1733. usque ad mortem auctoris XVIII Partes.
- Freymüthige Nachrichten von denen Büchern und andern zur Gelahrtheit gehörigen Sachen, Zürich 4. ab anno 1744. in praesens usque tempus. Maxima pars earum, ne dicam omnes, ex aliis relationibus eruditorum publicis corrala est.
- Kurzgefaßte historische Nachrichten zum Behuf der neuern europäischen Begebenheiten, Regensburg. 4. in praesens usque tempus cum Nachtrag zu den wöchentlichen kurzgefaßten historischen Nachrichten.
- Natur und Medicin, Kunst- und literatur-Geschichte, Breslau. in 4. ab A. 1717. continuatum opus utile usque ad annum 1729, quo auctor clariss. D. Joannes Kanoldus diem obiit 15. Nov. Ab eo tempore continuandum illud in se suscepit D. Buchnerus, Medicus Erfurt.
- Der fromme Naturkündiger in Versen verfaßt, Danz. 1740. 4.
- Göttingische Nebenstunden, Göttingen 1737. 8.
- Helmstädtische Nebenstunden, Helmst. 1735. 8.
- Uffenheimische Nebenstunden, Uffenh. 1741 = 1747. IX. Stück, auctore Jac. Fridr. Georgi.
- Neue Bibliothec, Neuer Bücher-Saal, supra Bibliothec. Bücher-Saal.
- Neuer Schauplatz der gelehrten Welt, oder Auszüge von allerhand neuen, und zur Gelehrsamkeit gehörigen Schriften, Lips. 1713. 1714. 8. Sieben Stück.
- Neueröffnetes Museum, oder allerhand dienliche Anmerkungen, nebst unpassionirter Reflexion über Programmata berühmter Rectorum. Lips. 1714. 1717. 8. tria Volumina.
- Neuer Unterredungen erster, anderer, dritter Monath; von P. S. Q. 1702. 8. zu Lützen. (Halæ Sax. auctore Nic. Hieron. Gundlingio.)
- Neuer Vorrath allerhand auserlesener Bücher und anderer Sachen, so zur Kirchen- und Literatur-Historia gehörig. Francof. & Lips. 1710. 1726. 8. Zwey Theile.
- Neueste von historischen und politischen Sachen, mit hierzu dienlichen Remarquen, ab Anno 1711. 8.
- Neueröffneter *Assemblée* der curiösen und gelehrten Nouvellisten, ab A. 1717. 8. erste und andere Conference.
- Neueröffnete Welt, und Staats-Spiegel, infra Staats.
- Neuaufgestandene Fama aus Ungarn und der Türken, A. 1717. 8. Sechs Missiven.
- Gelehrte Neue Zeitungen, infra Zeitungen.

NOTITIA

- * Gelehrte Neuigkeiten Schlesiens zum Vergnügen allerhand Liebhaber gesammelt, Schweid-
 nitß 1734. 8.
 Gelehrte, aus allen Nachrichten gezogene Neuigkeiten, womit allerhand nützliche und curio-
 se, zur Theologie, Jurisprudenz und Politic, zur Philosophie, Philologie, Historie der Ge-
 lehrtheit ꝛc. gehörige Sachen, aus bisher noch ungedruckten Urkunden communiciret werden,
 Nürnberg. 1737. 8.
- New Memoirs of literature, supra Memoirs.*
Newes from the Dead, or the monthly packet of true intelligence from the other world.
 Lond. 1715.
- Niedersächsische Nachrichten, supra, Nachrichten.
 Niedersächsische Neue Nachrichten, infra, Zeitungen.
- * Notizie letterarie Oltramontane per uso de letterati d' Italia, Rom. 1743. 4.
- Novellæ relationes Lipsienses A. 1709 - 1712. 4. ad Colonienfium exemplum a *Conrado Pe-
 tro Meistero*, & post hujus fata a *Joanne Christiano Leonhardi*.
- Novellen aus der gelehrten und curiösen Welt, darinnen die Quintessenz mannigfaltiger Ge-
 lehrsamkeit ꝛc. Francof. und Gotha ab A. 1692. ad 1697. 8. auctore *Godfrido Zennero*,
 Altenburgensi.
- Nova litteraria maris Baltici & Septentrionis*, Lubecæ a Januario Anni 1698. ad Julium A.
 1708. 4.
- Nova litteraria circuli Franconici*, oder Fränkische Gelehrten-Historie. Nürnberg 1725. 8.
- Nova litteraria Germania*, publicata Hamburgi a Januario Anni 1703. ad Decembrem
 An. 1709. 4.
- Nova Giessensia*, sive Observationes extemporaneæ de rebus ad eruditionem pertinentibus, in
 illustri Ludoviciana factæ & collectæ a mense Septembri A. 1729. cura *Jac. Friderici Mül-
 leri*, Log. ac Metaphysicæ Professoris.
- Nova litteraria Helveticæ*, collecta a Jo. Jacobo Scheuchzero ab A. 1701. Tiguri 8. conti-
 nuata annis etiam infecutis. Non vidi tamen post Annum 1714.
- * *Nova Ienensium litteraria*, sive relationes publicæ de præsentis Academix Salanzæ statu
 ejusque flore & labore. Jenæ 1740. 8. eadem sunt cum neue Jenaische Nachrichten, latine
 & germanice scripta.
- Nova litteraria Lipsiensis*, A. 1719. & 1720. 4.
- Nova litteraria*, quæ Latine solebant subjungi novellis relationibus de rebus eruditis, itidem
 ab A. 1715. vulgari Lipsiæ solitis, VI Tomi, de quibus infra, Zeitungen.
- Nova litteraria Westphalia*, Tomus I. & II. Tremonix 1718. seq. 8. Auctor *Reinhardus
 Henricus Rollius*, ex Pro-Rectore Tremoniensis Archi-Gymnasii, Professor Giessensis.
- * *Nouveau recueil de pieces fugitives d' histoire, de literature &c. par Mr. l' Abbé Archimbaud.*
 Paris 1717. 12. quatuor Volum.
- Nouvelles decouvertes de l' Antiquité.* Commentarios hoc titulo menstruis intervallis in lu-
 cem dare voluit vir doctus *Jacobus Sponius* A. 1690. sed consilium illud in herba suppressam.
- Nouvelles decouvertes sur toutes les parties de la Medecine.* Paris 1679. 1680. 1681. 12. in-
 fra, Zodiacus.

E P H E M E R I D V M .

- Nouvelles de la Rep. des lettres* Amstelod. 12. a mense Martio Anni 1684. ad Februarium Anni 1687. auctore *Petro Bælio*: & a Martio Anni 1687, ad Aprilem Anni 1689: tum a Januario Anni 1699. ad Decembrem Anni 1710. nec non A. 1716. & 1717. *Jacobo Bernharde* auctore, qui fati concessit A. 1718. 27. April. sicut Bælius A. 1706. 28. Dec. *Novellæ Bælianæ* etiam recusæ exstant tomo primo opusculorum ejus miscellaneorum (*oeuvres diverses*) junctim nuper editorum tribus in fol. Voluminibus.
- Nouvelles solides & choisies*. Vide Bælii Epistolas Gallice editas p. 194. editionis primæ.
- Nouvelles littéraires*, ab A. 1715. 8. Tomus undecimus, quem vidi, definit in A. 1720.
- le Nouvelliste sans fard, ou le Gazetteur sans privilege*. Trajecti 1724.
- le Nouvelliste du Parnasse*. Paris 1731. 12.
- Nye tidender om lærde og curieuse sager*. Nova literaria & curiosa, Danice edita hebdomadatim ab A. 1724. in 8. in quibus etiam notitia genealogica familiarum illustrium Danicarum.
- * *L' Observateur, ouvrage polygraphique*, à Amsterd. 1736.
- * *L' Observateur Hollandois, ou Memoires universels pour servir à l'histoire*, à Berlin. 1744. & 45.
- Observationes selectæ ad rem litterariam spectantes, variis auctoribus*. Halæ Sax. ab A. 1700. ad 1707. 8. decem tomis & uno tomo supplementorum. Auctores plerosque singularum, schedialimate singulari detectos exhibet Caspar Henricus Starckius. Rostoch. 1716. 8. De simili sylloge *Observationum Hallensium Germanica*, supra *Anmerkungen*.
- Observationum selectarum* Tomus I. Halæ 1707. 8. auctore D. Nic. Hieron. Gundlingio, cui placuit deinde sub Otiorum Gundlingianorum titulis similes observationes publicare, de quibus suo loco.
- Observationes miscellaneæ*, infra *Bermischte Gedanken*.
- * *Miscellaneæ Observations criticæ novæ*, Amstelod. 1740. 8. collectore *Jac. Phil. d'Orville*.
- Observationes Biblicæ oder Anmerkungen über einige Derter Heiliger Schrift, Monatlich herausgegeben*, Halle 1695. 12. auctore *B. Augusto Hermanno Franckio*, Theologo Hallensi: deinde cum ejus apologiis aliisque opusculis recusæ in 8.
- Observationes sacræ ad loca S. Scripturæ*. Lips. 1716. seq. 8. partes 1. 2. 3. 4. *Georgio Lud. Oedero* auctore.
- Observationes selectæ ad Theologiam & Hist. Ecclesiasticam spectantes*, Witeb. 1706. 4. fasciculi 1. 2. 3. auctore *Jo. Casparo Loefchero*.
- * *Observations sur les Ecrits modernes* à Paris 1735 - 1742. 12. XXV. Volumina auctoribus *des Fontaines & Granet*.
- Jo. FridERICI CHRISTII Noctes Academicæ, Observationibus ad rem litterariam miscellis & conjecturis expositæ*. Halæ Magdeb. 1728. 8. Specimina tria.
- Observationes anti-Pietisticæ*, infra *Pietist.*
- Observationes Chymico-Physico-Medicæ curiosæ*, singulis mensibus continuandæ a Julio Anni 1697. Halæ Sax. auctore D. *Georgio Ernesto Stahljo*.
- Der lustige Observateur, welcher die im Schwange gehenden Laster und Thorheiten der Menschen durchstrieget*. 1724. 4. Zwen Stück.
- * *Observazioni letterarie, che possono servir di continuazione al giornale de' Letterati d'Italia* Verona 1737. 8. VI. Volumina auctore, V. C. *Maffeo*.

NOTITIA

Occasional paper. Lond. 1697. 1698. 4. number 1-10.

Occasional writer. A. 1727.

Offenbare Fehler der heutigen Welt, die auf Universitäten, Gymnasien, Schulen, in allen Ständen anzutreffen. Erstes Stück.

P Oracle consulté par les Puissances de la terre. A. 1688.

D. Nicolai Hieronymi Gundlingii *Osia*, erste, andere und dritte Auflage. Halæ Sax. 1706. 1707. 8.

Ouvrages des Savans, supra *Acta Eruditorum & Histoire.*

* *Parerga* sive accessiones ad omnis generis eruditionum. Gotting. 1736. 8.

Frühling, Sommer, Herbst- und Winter-*Parnass*, oder Abhandlung allezeit von XL galant gelehrten Curiositäten, meist nach jetziger Zeit neuesten Begebenheiten, per singula trimestria Annorum 1692. 1693. 1694. 1695. 1696. 1697. Francof. & Lips. 8. auctore Godfrido Zennero, Altenburgensi.

Parrhasiana, ou pensees diverses sur des matieres de Critique, d'histoire, de morale & de politique par *Theodore Parrhasie*. Amst. 1699. 1701. 8. duobus Volum. Sub Parrhasio illo constat latere virum clariss. *Joannem Clericum.*

Theodori Alethini Parrhasiana, oder freymüthige Gedanken von theologischen Büchern und Materien. Francof. 1722. 8.

Pasquini Staats-Phantasiën. 1697. 8. drey Erscheinungen.

Pasquini geheime Brief-Tasche zwischen ihm und einigen Thieren gewechselter Schreiben vom Zustande der Welt. A. 1708. 1709. 1710. 8. drey Eröffnungen.

Pasquini und *Marforii* Gespräche über die Polnischen Affairen 1707. 8. Fünf Zusammenkünfte, fliegender Passagier. 1699. 8. XII. promenaden.

Der Patriot vom Jahre 1724. 1725. 1726. Dissertationes morales & satiricæ CLVI. Hamburgi in 4. & ex nitidiorè accuratiorè editione 1728. forma majori 8. tribus Voluminibus. sæpius postea recufis & novissime 1747. Pars harum dissertationum etiam in Gallicam aliasque linguas translata, & totum opus in Belgicam. Multæ in earum imitationem prodire pagellæ, e. g. Der aufrichtige Patriot 1725. 4. 2 Theile. Aut VII sic dicti Discursus. Der Frankfurter Patriot. 1724. 4. Der leipziger Patriot. 1724. 4. Der Wetterauische Patriot. 1726. & alii.

The British Patriot. Lond. 1731.

Der Musicalische Patriot. Hamburg 1728. 4. auctore *Iohanne Mathesonio.*

Deutscher Pavillon der Musen. Lips. 1725. 8. VIII. Sammlungen.

* *Le Perroquet*, ou *Melange de diverses pieces interessantes pour l'esprit & pour le coeur* à Francfort sur le Meyn, 1742. 8. Volumina duo.

* Der Dresdnische Philosoph. Dresd. 1737. 8.

* *Philantrophe*, ouvrage periodique dans le gout du *Spectateur Anglois.* Haye 1739. 2 Volumina. Maxima pars ex anglicis diariis *the Common sense & the Universal Spectator* translata.

Philosophical transactions, sive observationes Societatis Regiæ Londinensis, de rebus Physicis maxime & Mathematicis, ab Anno 1665. in præsens usque tempus continuatæ. Volumina XLIII in 4. Hiatus ab Augusto Anni 1720. ad Ianuarium A. 1721. Latina primorum Numerorum versio auctore *Johanne Scerpino* meliorque *Henrici Oldenburgeri*,

con.

EPHEMERIDUM.

- continuari deinde desit. Epitome autem Anglice edita a *Joanne Lowthorpio*, desinit in anno 1700. & altera *Benjamini Motte*, in Anno 1720. prior ternis, altera binis Voluminibus in 4. quibus alii plura addiderunt. Vidit etiam lucem Italice: *Saggi delle Transazioni Filosofiche della Societa Regia*. 1729. Vide etiam supra, *Miscellanea curiosa*.
- Les piéces fugitives anciennes & modernes*. Memoir. de Trevoux A. 1705. T. 2. pag. 1818.
- Nouveau recueil de piéces fugitives d'histoire de littérature &c.* par Mr. l'Abbé *Chancéy & Archimbaud*. Paris 1717. 12. IV. Volum.
- Frid. Christiani Bücheri Dietistishe Monathe*. Witeb. 1704. 1705. 1706. 8.
- * *Pierides sive Latium litteratum continens selectum elaborationum a membris Societatis Latinæ exhibitarum, ad omnigenam eruditionem facientium*. Halæ 1736. 8.
- Bedenken über die Gesellschaft der Verschwiegenen*. Januar. 1690. 12.
- Observationes antipietisticae*. Gryphiswald. 1709. 4. manipuli V, auctore B. D. *Jo. Friderico Mayo*.
- * *Der Pilgrim*. Königsb. 1742. & 1743. 8. Dissertationes morales & satiricæ CIV.
- * *Der Pilgrim, im Jahr 1743. wöchentlich herausgegeben*. Liegnis. 1743. 8. Prorsus ab antecedente differt, licet quoque CIV dissertationibus moralibus atque satiricis constet.
- *The Plain-Dealer: being select Essays on several curious subjects, relating to Friendship, Love and Gallantry, Marriage, Morality, Mercantile Affairs, Painting, History Poetry, and other Branches of polite Litterature*. Lond. 1724. Dissertationes CXVII duobus voluminibus in forma 8 majori collectæ, auctore *Wilhelmo Bondio*.
- Poetische Fama von allen wichtigen Begebenheiten in der ganzen Welt* 1724. 4. drey Theile.
- Poetische Zeitungen über die in den wöchentlichen Gazetten enthaltene Merkwürdigkeiten*. A. 1725. 8. XLII. Stück.
- The political state of Great Britain, with the most material occurrences in Europe*. Lond. 1714.
- Politischer, oder Monatlicher Anrichter Neoferi Raymundi aus Novellanden*. A. 1683. 8. a Januario ad Augustum.
- In *Portugallia* metropoli *Ulyssipone*, *Academia Regia Historiarum* condita 6. Id. Decembr. A. 1720. cujus Acta ab A. 1721. edita singulis annis, Voluminibus singulis Lusitanice in fol. *Collegam dos documetos*. & *Historia Academiæ* A. 1727. 4.
- * *Le Pour et Contre; ouvrage periodique d'un gout nouveau*. Dans lequel on s'explique librement sur tout ce, qui peut interesser la curiosité du Public en matiere des sciences, d'arts, de Livres, d'auteurs &c. sans prendre aucun parti & sans offenser personne, à Paris. 1733. 12. Hebdomadatim editum. XIX Volumina. Hagæ repetitum est an. 1733-1739. X Voluminibus.
- The Post-Angel*.
- The Post-boy robb'd of his mail, in 500 letters to persons of several qualities and conditions*. Lond. 1682. 8. duobus Volum.
- The Post-man robb'd of his mail, or the packed broken open*. Lond. 1719. 8.
- Mr. Georg Conrad Pregitzers*, Diaconi Tubingensis, *Merkwürdigkeiten vom Jahr 1718. 1719. 1720. 1721*. Tubingen in 8.
- The present state of the Rep. of letters* a Januario 1728. usque ad annum 1734. singulis mensibus continuatum Londini in 8.

NOTITIA

The present state of Europe, or the historical and political monthly Mercury, giving an account of all the publik and private occurrences, Civil, Ecclesiastical and Military, that are most considerable in every Court, with political reflections. Lond. 4.

* *Das gelehrte Preußen, aus neuen und alten gedruckten und ungedruckten, großen und kleinen Schriften, wie auch der gelehrten Männer, welche in Preußen geboren, oder daselbst gelebt, oder von preussischen Sachen geschrieben, Namen und Leben, wöchentlich vorgestellt.* Thorn 1723. 8. *Scriptum hoc hebdomadarium finito Tomo I menstruum factum cum Tomo V in trimestre mutatum est anno 1725. sed non ultra IV trimestria processit* Autor fuit *Georg Petr. Schulz D. & Pr. Thorni.*

* *Erläutertes Preußen, oder auserlesene Anmerkungen über verschiedene zur preussischen Kirchen, Civil und gelehrten Historie gehörige besondere Dinge.* Königsb. 1723-1727. 8. XLVII. Partes IV Voluminibus comprehensae, auctore *M. Michaele Lilienthal.*

Projet pour donner au public en feuilles ou en petits livres par semaine, par quinzaine ou par mois, un recueil des affiches de Paris, des Provinces & des pais étrangers, extra du 85. article des projets litteraires de Monsieur du Gono. *Memoires de Trevoux A. 1715. Decembre p. 2379.*

Frühling, Sommer, Herbst und Winter. Quartal. A. 1703. 8. Auctore *Talandro sive Augusto Bose.*

la Quintessence. Genus quoddam relationum novellarum satiricarum foliis patentibus hebdomadatim vulgatarum in Belgio.

Quintessentz aus der Gelehrten Welt. Supra, Novellen.

* *Der Rabbiner Dresd.* 1742. 8. *Dissertationes ex antiquitatibus & scriptis Judaicis ad illustrandam et confirmandam religionem christianam, auctore Christiano Schoettgenio.*

* *Raccolta degli opuscoli scientifici e filologici.* Venezia. 1730. 12. ad nostra tempora continuatur, curante *P. Calogiera* edito iam volumine XXXII, 1746.

* *Des unparteyischen Raisonneurs Sentiments.* Leipz. 1732. 8.

Verzeichniß einiger rarer Bücher. Franckf. und Leipzig 1723. 8. Erstes, anderes und drittes Stück.

* *Das critische Nebenmesser Halberst.* 1736. 8. Auctore *Georg Venzky.*

Reconsommum, Actorum eruditorum, aliorumque memorabilium in alma Rostochiensis Academia, *Collectio I.* Rostoch. 1725. 8.

* *Recherches nouvelles & curieuses d' Histoire & de litterature.* à Geneve, 1731. 8. Sex constat partibus duobus voluminibus comprehensis.

* *Der Deutsche Rechtsgelehrte, Görlitz* 1731. 4.

Recueil von zallerhand collectaneis und Historien, auch moral, curieux-critic- und lustigen satyrischen Einfällen. XXVI. Hundert, nebst einem Anhang von XIV. Hundert. Verona 1719-1724. 8.

Nouveau recueil de pieces fugitives, supra, pieces.

EPHEMERIDV

- * *Reflexions sur les ouvrages de littérature: à Paris 1738 + 1740. 12. XII Tomos de illis vidit, vnumquemque ex XV plagulis constantem.*
- Reflexions historiques politiques & Critiques sur le journal, intitulé la Clef du Cabinet des Princes.*
- Relationes Historica per Semestria edi Latine coeptæ A. 1684. Francofurti, auctore B. J. Burchardo Majo.*
- Relationes Historica, Germanice vulgatæ, supra, Historica.*
- * *Relationes litterariae Hamburgenses, 4. ab anno 1747 inceptæ.*
- Novella relationes, supra, Novella.*
- Zufällige Relationen von alten und neuen Geschichten, Urkunden, Büchern, Münzen. Ulm 1717. 8.*
- Wöchentliche Relationes von Schwäbischen gelehrten Neuigkeiten. Tubing. 1721. 8.*
- Relationes von Gelehrten Neuigkeiten. Tubing. 1730. seq. in 8.*
- Relationes Reip. litterariae sive apparatus ad historiam scientiarum & artium. Tomus I. Hamb. 1702. 8. Auctor Johannes Græningius Wisnariensis, cujus etiam exstant tomus duo Musci sacro-politici. Wisnariæ 1723. 8.*
- Historische Remarques, supra, Historische.*
- Remarquable curiosa jesiger Zeit aus Osten, Westen, Süden und Norden A. 1711. 1712. 8. Zwölf Lieferungen.*
- Remarquable curieuse Briefe, oder deutliche Beschreibung alter und neuer merkwürdigen Begebenheiten. Lips. 1710-1728. 8.*
- Republik der Gelehrten a Julio A. 1710. in præsens usque tempus, Amstelod. Belgice in 8. Jo. Ruytero primum, Med. & Philosophiæ D. & Theologiæ Candidato, deinde aliis auctoribus, supra, Boeksaal.*
- * *Deutsche Republik der Gelehrten, worinnen die Grandes reipublicæ litterariæ, besonders aber die zum europäischen Iure publico & gentium gehörigen Collectiones Historicorum Actorum publicorum, diplomatum umständlich recensiret und unpartheyisch beurtheilet werden. Nürnberg. 1737. 8.*
- II. Römisch-Catholische Discourse und Gespräche von Evangelisch-Lutherischen Jubel-Jahr. Lips. 1718. 1719. 8. auctore D. Valentino Ernesto Lœschero.*
- raggi delle Transazioni Filosofiche supra, Philosophica Transact.*
- raggi di naturali esperienze, fatte nel Accademia del Cimento. Firenze 1667. fol.*
- Samenspraken over uytgekipte boeken. Amst. 1724. 8.*
- * *Sammlung merkwürdiger Medaillen, in welcher wöchentlich ein curioses Gepräge, meistens von modernen Medaillen ausgesucht und in Kupfer vorgestellt wird. Nürnberg a. 1737. in præsens usque tempus auctore I. H. Lochnoro.*
- Büdingische Sammlung einiger in die Kirchenhistorie einschlagender sonderlich neuerer Schriften. Leipz. 1742. 8. in præsens vsque tempus.*
- * *Sammlung auserlesener Uebersetzungen aus den Alten und aus den Englischen und Französischen*

NOTITIA

fischen der berühmtesten Neuern nebst eigenen Abhandlungen der Uebersetzer, wöchentlich herausgegeben. Hamb. 1739. 4. XXXVIII. Num.

- * Der Sammler. Götting. 1736. 8. Dissertationes morales & satiricæ XLVIII. auctore *Frieder. Christoph. Neubur.*
 - * Sammlung philosophischer Abhandlungen und Sendschreiben, Berl. 1743. 8.
 - * Sammlung einiger Staatschriften, welche nach Ableben Kaisers Carls VI zum Vorschein gekommen, und die gegenwärtigen wichtigen Staatsangelegenheiten betreffen. Frankf. 1741. 8. 3 Bände.
 - * Sammlung verschiedener Briefe, Gedanken, Uebersetzungen, auch anderer kleinen Schriften und Urtheile von neuen Büchern. Bücheb. 1743. 8. VI Stück.
 - * Sammlung kritischer, poetischer und anderer geistvollen Schriften zur Verbesserung des Urtheils u. des Wises in den Werken der Wohlredendheit und der Poesie. Zürich 1741-44. 8. XII partes, autoribus *Jo. Jac. Bodmoro, & Jo. Jac. Breitingero.*
 - * Sammlung auserlesener Materien zum Bau des Reichs Gottes. Leipz. 1731. 8. Auctor erat *M. Traugott Immanuel Jerichovius* & extant VI Volumina seu partes XLVIII, quibus ab anno 1737. adiunctæ Partes XVI seu Volumina II supplementorum.
 - * Leipziger Sammlungen von allerhand zum Land- und Stadt-wirthschaftlichen Policity- Finanz- und Kammerwesen dienlichen Nachrichten. Leipz. 1743, 8. in præsens usque tempus & prodierunt 1747 jam XIII partes.
 - * Nützliche Sammlung zum nähern Verstande des Neuen in der politischen und gelehrten Welt. Königsb. 1735. 8.
 - * Klosterbergische Sammlung nützliche Materien zur Erbauung im wahren Christenthume. Magdeb. 1745. 8. Prodiit jam anno 1747. pars VII.
 - * Sammlung curieuseur Nachrichten und Reflexionen über die neuesten Staats und Weltbegebenheiten. Nürnberg. 1745.
 - * Neue Sammlung von Staatschriften zur Erläuterung der neuesten Welt- und deutschen Reichsgeschichte nach Absterben Kaiser Carls des VII. Frankfurt. 1744. 8. XXX. Stück.
 - * Verbesserte Sammlung auserlesener Materien zum Bau des Reichs Gottes. Leipz. 1737. 8. in præsens usque tempus. *Laboris Jerichoviani continuatio est.*
 - * Sammlung einiger Schriften zum Zeitvertreibe des Geschmacks. Leipz. 1747. 8. IV Stück.
 - * Historische Sammlung von Staatschriften zur Erläuterung der neuesten Welt- und deutschen Reichsgeschichte unter Kaiser Carl VII Frankfurt 1747. 8. IV Bände.
- Sammlung von Natur, Medicin, Kunst- und Literatur-Geschichte. supra, Natur.
- * *Satura* dissertationum, orationum, epistoliarum, & observationum theologico-historico-philologicarum, Tiguri, 1740. 8. IV tantum vidi partes 1743.
 - * Medicorum Silesiacorum *Satyræ*, quæ varias observationes, casus, experimenta, tentamina ex omni Medicinæ ambitu petita exhibent. Vratislav. 1736. 8.
- Saxo Europæo curiosus. Lips. 1684. Januarius & Februarius.

EPHEMERIDUM.

- Neuer Schatz der Gelehrten Welt. *supra*, Neuer.
- Schediasmata Observationum* libris sex digesta & per mensium dierumque in quolibet mense numerum edita ab Henrico Stephano A. 1578. 1589. in tomo quinto Lampadis Artium Gruterianæ recusa.
- * Neueröffneter Schauplatz der Welt, allwo Personen aus allerley Völkern, Standes und Geschlechts erscheinen, und sich über Staats- Hof- Kriegs und andere Begebenheiten entreutren. Berl. 1743. 4. Autor est *David Fasfmann*.
- Schiffbeckische Staats, gelehrte und ordinaire Zeitungen, in 4. Nunc der Hamb. Correspondent-Schlüssel zur heutigen Historie. 1713. seq. XVIII Eröffnungen.
- * Schrifften zum Vergnügen des Geistes. Hamb. 1746. 8. Prima iam parte desit.
- * Der Schußgeist, ein moralisches und satirisches Wochenblatt. Hamb. 1746. 8. LII Dissertationes auctore *Io. Andr. Cramero*. M.
- Jzt. lebendes Schweden N. 1715. sq. XVII ouverturen.
- Schwedische Bibliothec. *supra*, Bibliothec.
- Der Schweigenden Societät Görlichische remarquen. Halle 1726. 8.
- Der mit Staats, Friedens, Krieges, Hof, Literatur und Religions, wie auch privat affair- ren beschäftigte *Secretarius*. ab A. 1710. 8. *supra*, *Agent*.
- * *Selecta juris publici novissima*, worinnen dasjenige, was an großer Herren Höfen ingleichen bey allgemeinen Reichs- und Kreis- Versammlungen, auch sonst anmerkens- würdiges in Staats- und Reichsangelegenheiten, ic. vorgefallen ist, ausführlich abgehandelt und mit Anmerkungen erläutert wird. Frankf. 1740. 8.
- * *Selecta medicina Francofurtensia*, anatomen, inprimis practicam, chirurgiam, materiam medicam, ipsamque vniversam medicinam &c. illustrantia. Frft. ad Viadr. 1737. 8. in præfens usque tempus Tomi IV.
- * *Singularia historico-litteraria Lusatica* oder historische und gelehrte, auch andere Merkwürdigkeiten der beyden Marggrafsümer Ober und Nieder- lausitz. Wudis 1740. 8. XXIV Partes.
- Leipziger *Socrates*, 1724. sq. 4. XLV Stück.
- * *Dresdner Socrates* 1725. & 1726. 4. Dissertationes morales XXXII, quae revisæ et emendatæ atque auctæ in 8. Lipsiæ 1732. hac inscriptione iterum prodire. Der deutsche *Socrates*, d. i. aufrichtige Anzeige verschiedener nicht so wohl unbekannter, als vielmehr in Abfall gerathener Hauptwahrheiten.
- The Spectator*. Lond. 1712. 1713. Dissertationes Morales & Satiricæ DLV. Anglice septem Voluminibus 12. quibus octavum atque nonum accessit. Omnes hæc dissertationes etiam Germanice versæ exstant, annis 1739 & sequentibus Lipsiæ in 8. novem Voluminibus typis expressæ, & major pars Gallice Amst. 1714-1716. 12. sex Voluminibus, hoc titulo: *le Spectateur, ou le Socrate moderne, où l'on voit un portrait naïf des mœurs de ce Siecle*.

NOTITIA

- * *The universal Spectator*, London. 1740. Germanice versæ exstant partes priores primum sub titulo: *Der allgemeine Zuschauer*, Zelle, 1742. 4. editæ, deinde recusæ mutata hæc inscriptione: *Sammlung moralischer und satirischer Schriften*, Zelle 1745. 8. III Partes.
- Der Spectateur*, oder Betrachtung über die verderbten Sitten der heutigen Welt. Francof. 1722-1725. 8. Drey Theile. Ex lingua Gallica translatus.
- * *Der Dänische Spectator*, ex lingua Danica in germanicam translatus prodit Hamburgi 1745 *le Spectateur François* de Mr. Carlet de Marivaux. Paris 1723. II Volumina.
- Nouveau Spectateur François*. à la Haye, 1725. 12. tribus Vol. Autore *Justo van Effen*.
- Spectateur inconnu*.
- Spectateur Suisse*. A. 1726.
- * *La Spectatrice*. Dissertationes morales & satiricæ XV hebdomatiæ vulgatæ Parisiis & postea in unum volumen in 12, 1731 collectæ.
- * *Auserlesene neueste Staats-Acta von Teutschland*. Berl. 1736. 8. Idem cum diario die Reichs-Sama, institutum, cujus continuationem *Moserus* in hoc diario suscepisse videtur.
- Europäische Staats-Canzley* durch Antonium Fabrum. Francof. in 8. ab A. 1697. ad 1747 8. XCI. Theile.
- * *Der mit historischen politischen und andern importanten Sachen beschäftigte Staatsmann*. Leipzig. 1731. 8.
- Monatlicher Staats-Spiegel*. Augspurg ab A. 1698. ad 1709. 8. & deinde sub titulo: *Welt- und Staats-Spiegel* ab A. 1710. ad 1716. über hundert Theile.
- * *Europäischer Staats-Secretarius*, welcher die neuesten Begebenheiten unpartheyisch erzählet, und vernünftig beurtheilet. Leipz. 1734. 8. In præsens usque tempus continuatur; partes jam CXXV numeravi anno 1747.
- * *Neueste Staatshistorie*, welche die heutigen Begebenheiten der Welt in sich fasset. Leipzig 1746. 8. XII Stücke.
- * *Neues Europäisches Staats und Friedens-Archiv*, welches alle den gegenwärtigen Krieg betreffende Vorschläge in sich hält. Frankf. 1747. 8. V Stück.
- Staats-Theatrum*, infra, *Theatrum*.
- Historischer und Politischer Staats-Mercurius* ab Anno 1702. ad 1705. 4.
- Historisch-Politische Staats-Assembleen* der Curieusen Eva. XVIII assembleen. 1726
- Entdecktes Staats-Cabinet* ab A. 1714. Ien 1717. 8. VIII Eröffnungen auctore B. Jo. Joachimo Mullero, Archivario Vinariensi.
- Curieuses Bücher und Staats-Cabinet*.
- Historisches Staats- und Helben-Cabinet*. supra, *Cabinet*.
- Europäisches Staats-Archiv*. Francof. 1706. 8.
- * *Staats-Relation* der neuesten europäischen Nachrichten und Begebenheiten, nobst einem Anhange von herausgekommenen neuen Büchern. Regensp. 1746. 4.

EPHEMERIDUM.

The present state of Europe. Supra, present.

* *The present State of the Republick of Letters.* London. Usque ad annum 1734. singulis mensibus continuatum vidi hoc diarium ab anno 1728.

Staats Gazettier. 1715. 8. Zwey depêchen.

Staaten von Europäischen Königreichen und Republicken, Halle ab A. 1702. ad 1708. in 8. XL Stück. *Staaten ausser Europa* XV Stück. De utrisque consulenda B. Jo. Hubneri Bibliotheca Historica Centur 2. capite 100. p. 335. seq.

* *Die Stillen im Lande.* Vide *Moralische Gedanken.*

* *Die vergnügten Stunden.* leipz, 1745. 8. VI Partes.

Sylloge variorum Opusculorum, Halæ Syevor. 1727. seq. in 8. sex fasciculi, auctore V. C. Frid. Jacobo Beyschlagio.

* *Symbolæ litterariæ, ad incrementum scientiarum omne genus a variis amicis collatæ.* Bremæ, 1743. 8. Editore *Conrado Ikenio,* S. T. D. usque in præsentem annum 1747. prodierunt Tomi III.

The tatler, ab A. 1709. ad 1711. by Isaac Bickerstaf, Esquire. *Dissertationes Morales & Satiricæ* CCLXXI. recusæ Anglice Londini 1713. 12. quatuor Voluminibus, quæ Gallice etiam cœpere promi sub titulo: *le Babillard, ou le Nouvelliste Philosophe.* Amst. 1724. 12.

A tatler revived, by Isaac Bickerstaf, Esquire. Lond. 1727.

* *Die Zellschen vernünftigen Tadler, oder moralische und satirische Abhandlungen berer in dem gemeinem Leben vorkommenden Begebenheiten, wöchentlich ans Licht gestellt.* Zelle 1742. 8. *Dissertationes* LVII *morales & satyricæ.*

* *Die vernünftigen Tadlerinnen.* *Dissertationes morales et satiricæ* CIV primum Halæ, deinde Lipsiæ 1725 & 1726. in 8. & ex nitidiorè accuratiorè editione Hamburgi 1738. duobus voluminibus editæ. Auctor fuit *Jo. Christoph Gottschedius.*

* *Die vernünftigen Tadler und Tadlerinnen.* Eisenach 1745. 8. Per annum hebdomadatim editæ *dissertationes morales & satiricæ.*

* *Tempe Helvetica, dissertationes atque observationes theologicas, philologicas, criticas, historicas exhibens.* Tigur. 1735. 8. Editore *Jo. Georg Altmanno,* VI Tomi.

Thaler collection, B. Petri Ambrosii Lehmanni. VI scatollen. Hamburg 1710. 4.

Neueröffnetes Staats, Kriegs, Friedens, und Natur-Theatrum. Erfurt 1726. 4. Zwey Unterredungen.

Neueröffnetes Welt- und Staats-Theatrum, ibid. 1727. 8. Zwölf Eröffnungen.

Neueröffnetes Europäisches Staats-Theatrum. Regensburg 1729. 8.

Theatri Europæi, XVII hæcenus lucem viderunt volumina, quorum primum inde, ubi *Archontologia Cosmica* Jo. Lud. Gothofredi desinit, incipiens.

NOTITIA

Volum	I.	ab	A.	1618,	ad	1628.
	II.	—		1628.	—	1632.
	III.	—		1633.	—	1638.
	IV.	—		1639.	—	1642.
	V.	—		1643.	—	1647.
	VI.	—		1647.	—	1650.
	VII.	—		1651.	—	1657.
	VIII.	—		1657.	—	1660.
	IX.	—		1660.	—	1665.
	X.	—		1665.	—	1671.
	XI.	—		1672.	—	1679.
	XII.	—		1679.	—	1686.
	XIII.	—		1687.	—	1690.
	XIV.	—		1691.	—	1695.
	XV.	—		1696.	—	1700.
	XVI.	—		1701.	—	1704.
	XVII.	—		1704.	—	1706.

Hungarisch und Venetianisches Krieger-Theatrum ab A. 1716. ad 1719. Lipsiæ in 4. mit der Nachlese. XX Vorstellungen. Omittobens theatra ejusmodi complura per vices temporis edita, qualia sunt: Spanisch, Itallänisch Krieger-Theatrum A. 1718. 4. Russisch, Türkisch, und Persischen Krieger-Theatrum 1724. 8.

Theosophical Transactions, by the *Philadelphian Society*. Lond. 1697. 4. non vidi ultra numerum quintum.

* *Theologia pastoralis practica*, oder Sammlung nutzbarer Anweisungen zur gesegneten Führung des evangelischen Lehramts. Magdeburg. 1737. 8. Usque ad ann. 1746. L partes dirigente Jo. Ad. Steinmetz, Abbate Bergensi. Continuatio hujus diarii inscribitur: Nützliche Beyträge zur Theologia pastoralis practica. Magdeb. 1747. 8.

Thesaurus varia eruditionis ex scriptoribus potissimum Sæculi XVI, & XVII. collectus. Jen. 1710. 4. Hic titulus præfixus Bibliothecæ Antiquæ C. V. Burchardi Gotthelf Struvii, de qua supra suo loco.

* *Thesaurus Bibliothecalis, sive Notitia librorum veterum rariorumque omnis generis*. Norimberg. 1737. 4. In præsens vsque tempus.

* *Die redenden Thiere über menschliche Fehler*. Nürnberg. 1747. 28 Gespräche.

Transactioes Philosophicae, supra. *Philosophical Transactions*.

Usefull transactions in Philosophy and other sorts of learning, a Januario ad Septembrem: A. 1709, Lond. in 8.

Trimestria monumentorum, supra; *Monumentorum*.

Twee maandlicke uyttreckfels, supra *Boecksaal*,

EPHEMERIDVM.

* Die vor sich und ihre Söhne sorgfältigen Väter, Hirschberg 1735. 8. Dissertationes morales & criticae, auctore Casparo Gottlieb Lindnero. M. D.

Bergnügung mißiger Stunden 1726. 8. non vidi ultra partem XX. Auctor vir præclarus Theodorus Crusius.

Observationes Miscellanæ oder vermischte Gedanken über allerhand theologische, politische, historische u. Materien A. 1713 - 1717. Lipsiæ in 8. XXXVI. Theile. 3. Volum. auctore Rev. Jo. Christiano Köchio.

Vermischte Bibliothec, supra, Bibliothec.

* Vermischte, die Württembergische Staats-Rechte, auch Civil-Kirchen-gelehrte und natürliche Historie betreffende Observationes, Diplomata, und andere Pieces. Stuttgart 1724. 4. Auctor erat Jo. Jacob Moserus. Quia vero ejus itineribus-mox interrumpabatur labor, denique aggressus est eum anno 1729, nouo diario Erläutertes Württemberg in 8. de quo partes II vidi.

Vernünftige Urtheile von gelehrten Leuten, und auch von alten und neuen Büchern. 1710. 8. VI Stück. Adolpho Clarundo, sive Io. Christophoro Ridigero auctore.

Versuch einer gründlichen Erläuterung der merkwürdigsten Begebenheiten in der Natur. Halle 1723. 8. vier Stücke. Auctor Lud. Philippus Thummigius dignus celebris Philosophi. Christiani Wolfii discipulus, cujus & ipsius merentur memorari, allerhand nützliche Versuche, Halle 1721, 1722, 1723. 8. drey Theile. Et hora subsequiva Marburgenses, trimesstri intervallo editæ A. 1729, 1730. 8.

* Versuche in der deutschen Rede-Dicht- und Sprachkunst, zur Aufnahme derselbigen gemacht und herausgegeben von einigen Mitgliedern der vertrauten Rednergesellschaft in Thüringen. Weimar 1738. 8. Duæ tantum prædierunt partes.

* Critische Versuche, zur Aufnahme der deutschen Sprache durch einige Mitglieder der deutschen Gesellschaft in Greifswalde. Greifsw. 1741. 8. Ad hoc tempus continuantur, & earum quas vidi, pars XIV ultima fuit.

* Neue Versuche nützlicher Sammlungen zur Natur- und Kunstgeschichte, sonderlich von Obersachsen, Schneeberg 1747. 8. II Stück.

* Versuche in den Werken des guten Geschmacks, Erlang. 1746. 8. VI Stück.

Vertraute Unterredungen der heiligen Ate-Väter über die Kirchen-Geschichte neuen Testaments, Berlin 1727, 1728. 4. drey Stück.

Umständliche Bücher-Historie, von Jo. Gottl. Krausen. 1. und 2. Theil. Lipsi. 1715. 1716. 8.

Unpartheyische Urtheile von Juridisch- und Historischen Büchern, Franckf. und Leipzig 1722. seq. 8. XII Stück. Auctore viro clariss. Jo. Jacobo Mosero. Idem auctor Bibliothecæ Juris publici, de qua supra, Bibl.

Unpartheyische Nachrichten von denen in der Christlichen, besonders in der Evangelisch-Lutherischen Kirche obschwebenden Streitigkeiten, und denen desfalls herausgegebenen Schriften, im Lande der Redlichen 1730. 8. erstes Stück.

NOTITIA

Unpartheyischer *Bibliothecarius*, supra *Bibliothecarius*.

Unschuldige Nachrichten, supra *Altes und Neues*.

Monathliche Unterredungen, supra *Monathliche*.

Unterredungen im Reiche der Lebendigen auf Erden zwischen berühmten Theologis, Francof. 1720. 1721. 4.

Unterredungen im Reiche der Todten, supra *Gespräche*.

* *Biblishe* Untersuchungsschriften, Halberst. 1737. 4. Autore *Georg. Venzky*.

* *Philosophische* Untersuchungen und Nachrichten von einigen Liebhabern der Wahrheit, Leipz. 1744. 8. In præsens usque tempus continuatur, auctoribus M. Jo. *Andrea Cramero*, & *Christlob. Myko*.

Vorhof der ganzen *Jurisprudenz*, Braunschweig 1726-1728. 8. XIII Theile.

* *Neuer Vorrath* allerhand auserlesener Bücher. Kofstock 1710. 2. Stücke.

Von dem Ursprung und Eigenschaften der *Vorurtheile*, erste und andere Eröffnung. Leipz. 1718. 8.

* *Freye-Urtheile* und Nachrichten zum Aufnehmen der *Wissenschaften* und der *Historie* überhaupt, Hamb. ab an. 1744. in præsens usque tempus, 8.

* *Unschuldige Wahrheiten*, gesprächsweise abgehandelt zwischen *Doxophilo* und *Philaletho*, worinnen von allerhand theils verfallenen, theils gegenwärtig unterdruckten, theils noch unbekanntten Wahrheiten, nach Anleitung der *Bibel* auf eine freymüthige und aufrichtige Art geredet wird. 1735-1738. 8. XIV Unterredungen. Autor est famosus Jo. *Christian Edelmann*.

Weekly memorials for the ingenious, Lond. 1683. 4.

Welt- und Staats-Spiegel, supra *Staats-Spiegel*.

* *Der Weltbürger*. Berl. 1741. 4. *Dissertationes morales & satiricæ* per duos annos a *Jacobo Frider. Lamprecht* continuatz.

Welt-Urtheile von *Staats*, *Krieges* und *Gelehrten* Sachen. Lips. ab A. 1706-1711. 8. XX penfeen.

* *Der geduldige Weltweise* bey dem Anblicke isiger Zeiten, wie er durch monatliche Sammlungen lächerlicher Begebenheiten, jedesmal bey dem Zuspruch seines Freundes eine gewisse Gattung der Thorheit lebhaft vorstellet und auf eine moralische doch lustige Art beurtheilet. Leipz. 1740. 8. *Dissertationes* LXXII.

* *Das merkwürdige Wien*, oder monatliche Unterredung über verschiedene daselbst befindliche *Merkwürdigkeiten* der *Natur* und *Kunst*. Wien. 1727. 4. Autores dicuntur Jo. *Carl Neuen* & *Michael Gottlieb Hansch*.

* *Greifswaldisches Wochenblatt* von allerhand gelehrten und nützlichen Sachen. *Greifswalde*. 1743. 4. LII Blätter. Auctor fuit *Jac. Henr. Balubasar* T. D. et P.

Wöchent.

EPHEMERIDVM.

Wöchentliche Nachricht von Gelehrten Sachen. Arnstadt 1719. 8.

The Works of the learner, or an Historical account and impartial judgment of books newly printed both foreign and domestick to be published monthly by J. la Crose, a late Author of the Universal Bibliothecque. Lond. 1691. 4. non vidi ultra Februarium. A. 1692.

* Württembergische Nebenstunden, oder allerhand nützliche Nachrichten und Anmerkungen. Suttgart 1718. 8. Vier Theile.

* Erhäutertes Württemberg. vide supra Vermischte.

* The occasional Writer. London. 1738.

The young-students library, containing extracts and abridgements of the most valuable books printed in England, and in the foreign Journals from the year 1665 to this time, to which is added a new essay upon all sorts of learning, wherein the use of the Sciences is distinctly treated on by *the Athenian Society*; also a large alphabetical table comprehending the contents of all the *Athenian Mercuries* and *Supplements* &c. A. 1691. Lond. 1692. fol.

* Preussische Zehenden allerhand geistlicher Gaben von mancherley in die Gottesgefahrheit Kirchen- und Gelehrten-Geschichte laufenden Materien, zum Dienst des Heiligthums und Verpflegung der Kinder Ievi, wohlmeinend mitgetheilet. Königsberg 1740. 8. III Volumina five XXX partes, editore M. Michaele Lilienthal.

Wöchentliche Post-Zeitungen von gelehrten Neuigkeiten, Lips. 1715. 4.

Neue Zeitungen von gelehrten Sachen, Lipsiæ in 8. a Januariis Anni 1715. in præsens usque tempus continuantur non minore fructu legentium, quam voluptate, additis etiam *Novis litterariis* Latine scriptis, VI Tom. supra *Nova litteraria*.

* Altonaische gelehrte Zeitungen, 8. Ab anno 1745.

* Bayreuthische gelehrte Zeitungen.

* Franckfurtische gelehrte Zeitungen, 4. Ab anno 1736.

* Göttingische gelehrte Zeitungen, 8. Ab anno 1738.

Gelehrte Zeitungen, Francofurti, ex Gallicis, de quibus supra, *Novelles litteraires*.

Neue Zeitungen aus der gelehrten Welt zur Beleuchtung der Historie der Gelehrsamkeit gesammelt von Bibliophilo, Zürich 1725. 8.

Zeitungs-Extract, Lipsiæ in 4 ab A. 1703.

Zeitungs-Extract mit Anmerkungen, Coburg 1715. 8.

Zeitungs-Schlüssel, Braunschweig 1725. 4. XXI. Deffnung.

Der geprüfte Zeitungs-Geist, erste Probe, Straßburg 1717. 4.

Echaulcher Zeitvertreib Gott ergebener Seelen im wahren Christenthum 1714. 8. bey Gelegenheiten.

* Der Zeitvertreiber, Leipzig 1745. 8. Dissertationes morales ac satiricæ LII.

* Der

NOTITIA EPHEMERIDUM.

- * Der Zerstreuer, Götting. 1737. 8. Dissertationes morales: & satiricæ XL.
- D. Jo. Wilhelmi Zierolds deutliche Erklärungen der heiligen Schrift aus der Emphasi über Macht der Grundsprache, Lips. 1713-1718. 8. XXIV. Vorstellungen.
- Zodiacus Medico-Gallicus, sive sylloge Miscellaneorum Medico-Physicorum Gallicorum recens in re Medica exploratorum, quæ Gallice singulis mensibus prodierunt Parisiis A. 1679. 1680. 1681. in 12. sub titulo: *Nouvelles decouvertes sur toutes les parties de la Medecine*, auctore Nicolao de Blegny & Latine Theophilo Boneto interprete, Genev. 1680. seq. 4.
- Zufällige Anmerkungen.
- Zufällige Relationen, supra Anmerkungen, Relationen.
- * Der Zuschauer, vide sis. The Spectator.
- * Die Zuschauerin, erstes Buch, eine moralische Monatschrift aus dem Englischen übersetzt, Hannover 1747. 8.
- * Die deutsche Zuschauerin, eine Fortsetzung des Hannoverischen Wochenblatts, ib. 8.
- * Allerneuester Zustand von Europa, Leipzig 1734 - 1735. XXX partes seu III Volumina.
- * Der Zweifler, Berlin 1745. 8. Dissertationes morales.

FINIS.





D. G. MORHOFI
POLYHISTORIS
TOMVS I.
SIVE
POLYHISTOR LITERARIVS.
LIB. I.
BIBLIOTHECARIVS.

CAP. I.
DE POLYMATHIA.

- §. 1. *Praefatio adhortatoria ad polymathiam.* 2. *Homini animus πολυμαθείας capax.*
3. *Artium liberalium omnium inter se cognatio.* 4. *Stoici mechanicas etiam eo referebant.* 5. *Hippias omnes artes callebat,* 6. *ut & J. C. Bottifanga.* 7. *Thevenotius Pandectas mechanicarum artium meditatus.* 8. *Artes liberales omnes perdiscenda.*
9. *Universalis ad illas εὐφροία datur,* 10. *quæ adversus Bonneau & Huartum assertitur eorumque objectionibus respondetur.* 11. *Una disciplina, cui præ ceteris immoremur, seligenda est.* 12. *Intelligentia omnes disciplinas peragrare, non autem opere ipso exercere permittit humane mentis angustia.* 13. *Mediocria ingenia πολυμαθείας studio sæpe abutuntur.* 14. *Πολυμαθείς αὐλοδιδάκτοι.* 15. 16. *Αὐλοδιδάκτοι plerumque novatores,* 14. *in opinionibus pervicaces,* 16. *amenitates in disciplinis i. e. id potius, quod delebat, quam quod prodest, querunt.* 17. *Πολυμαθείς iniquis calumniis impetiti.* 18. *Wouwerii Hamburgensis laus, genus,* 19. *vindicatio a plagii crimine.* 20. *Budæi pro πολυμαθεία & philologia studium.* 21. *Cresfolii insana in Melanchthonem calumnia refellitur.* 22. *Scriptores τῆς ἐγκυκλοπαιδείας.* 23. *Πόνοσοφοὶ Academici mustici an πολυμαθείς,* 24. *Horum perniciosissimus furor publice merito coercendus.*

Tomus I.

A

Cum



1. in divinam & humanam sapientiam omnem veterum monumen-
tis traditam ac ad posteros propagatam habeamus, quorum
præceptis ac doctrina intellectus noster imbutus rerum aliquarum
notitiam ac prudentiæ sibi vim acquirit: in id incumbere
omnibus est, ut natales ejus investigent altius: primos illi-
tores magistrosque, suis quosque ætatibus, sua docendi ratio
distinctos exquirant; in bibliothecis latitantes in lucem
eruant: similia quædam vel ad eorum ingenium, vel nova etiam a
se excogitata scribant; & aliquem scientiarum complexum aut
2. POLYMATHIAM animo comprehendant. * Neque enim ita in arctum com-
pingendus est animus noster, ut intra unam aliquam artem subsistat. Qui enim il-
lud faciunt, iniqui profecto judices, non perspiciunt, quantum natura humani in-
genii valeat: quæ ita agilis est & velox, ut ne possit quidem aliquid agere tantum
unum, si Fabium audimus. Non audiendi sunt homines imperiti, qui humano in-
genio majorem, vel inutilem, & rebus gerendis adversam πολυμάθειαν criminantur.
3. * Est scilicet quædam scientiarum cognatio & conciliatio, unde & ἐγκυκλοπαιδείαν
vocant Græci, ut in una perfectus dici nequeat, qui ceteras non attigerit. Sellulari-
arum, vilium & sordidarum artium alia ratio est, quibus nulla inter se est conjunctio;
ex quarum ingenio liberales illæ censendæ non sunt. Fabrilia qui tractat, impune
ignorare futuriam potest: at in liberalibus illis conspirant omnes, manusque jun-
gunt. In Architecto suo quid requirat Vitruvius, novimus. Nulla pene discipli-
na est, quam ille non attingi velit. In Oratoribus & Poëtis, perfectis scilicet, ea
omnia, quæ in Architecto suo Vitruvius, requirunt earum disciplinarum Magistri.
4. * Et has quidem scientias artesque omnes ita congerendas in Philosophum suum ju-
dicarunt Stoici, ut nec mechanicarum artium rudem esse voluerint, & indignum eo
crediderint, si aliorum ministeriis ad vitæ civilis necessitates uteretur. Ut enim ille
5. & dives, & Rex, & nobilis; ita & furor, & faber, & pistor sibi erat. * Cujus ele-
gans & festivum ab Apulejo in HIPPIA producitur exemplum, qui præter exi-
miam artium omnium ingenuarum cognitionem omnium opificiorum erat callentis-
simus. Nam quæ secum habebat, omnia sua manu confecerat, & vestes, & calceos,
6. & anulum, & signaculum in gemma fabricatum. * Simile, imo majus, in JULIO
CAESARE BOTTIFANGA exemplum proposuit Erythræus Pinacoth. II. n. 17., qui
præter singularem in omnibus artibus liberalibus peritiam femoralia, thoraces, sibi
ipse formabat suebatque; omni instrumento Musico non canebar solum egregie, sed
& illa melius, quam quis alius artifex conficiebat; penicillo pictores; acu pingendo
Arachnen ipsam provocabat, ut mulierculis, quæ artem illam profitebantur, pu-
dorem incuteret. Hos suo abundare sensu haud ægre patimur, facile virum sapien-
tem excusaturi, si in opere fabricando corpus non fatiget, qui ingenio tamen opera-
tionum illarum rationes exploratas habere potest.
7. * Sunt enim & Mechanicæ artes
quasi quædam naturalis scientiæ & disciplinarum Mathematicarum propagines, quæ
ornari, augeri earum beneficio possunt, omnesque ab hominibus sapientissimis in-
ventæ. Quarum accuratior historia & notitia Philosopho non est indigna, magnis

& præclaris contemplationibus occasionem datura. Neque defuere, qui huic quoque fundum sibi excolendum fumerent. Vir illustris & Itinerariis scriptis celeberrimus inter Gallos THEVENOTIVS vastum aliquod *de opificiis omnibus* Opus, velut quasdam Naturæ artis pandectas, moliebatur. Sed fata his laboribus intercesserunt.

veniamus ad disciplinas elegantiores: ad quas junctim excolendas natura duce in-
 tur, ut extremo viris pudori sit in una aliqua confenescere. Autor non ignobilis
 FORTIUS RINGELBERGIUS in *Encyclopaedia* sua illos in una tantum arte excellere
 velle judicat, quibus major corporis, quam animi cura. *Nulla, inquit, femina tam sunt a Mus-
 sis aliena, quæ non unam discere queant: imo picas id efficere posse intra annos viginti, quos hæc homi-
 num monstra uni impendunt studio, arbitror.* Verissime sane ille: nam revocat ab iis studiis
 corporis cura, quæstus & parandarum opum studium: cui qui sunt immersi, ad hunc
 omnia scopum dirigunt, & illos in se igniculos extinguunt. Quam cum doctissimus vi-
 ræ Pinellianæ Scriptor *Gualdus* causam adducit, qua tam multi a solidis verisque studiis
 avocentur, Vincentium illum Pinellum suum, at quem virum! immensis in cælum ex-
 tollit laudibus, qui spreta omni illa nundinatione & inanibus titulis, iis se dederit totum
 studiis, unde immortalis illum gloria consecuta est. Illud scilicet est, quod Lactantius
 lib. 1. de falsa religione cap. 1. notat: *Magnò & excellenti ingenio viri cum se doctrina penitus
 dedissent, quicquid laborum poterat impendi, contemptis omnibus & publicis & privatis actionibus,
 ad inquirenda veritatis studium contulerunt: existimantes, multo esse præclariorum divinarum hu-
 manarumque rerum investigare ac scire rationem, quam opibus aut honoribus cumulandis inherere.*

Non dubium est, mediocribus etiam ingeniis hic licere esse felicibus; multorum
 etiam conatus in ipsa herba supprimi, vel paupertate vel invidia: sunt vero non rari, qui
 inter omnia illa obstacula lacertos, tamen erigunt, suo quodam genio incitati, suis abrepti
 alis. Inest scilicet illis *ὄρεσις πρὸς πάντα μαθήματα*, qualis ingenio magno convenit, &
 quale nobis Plato lib. III. de republica describit. Est animorum nostrorum, si ita loqui li-
 ceat, ὕψος, quo illi vel per naturam vel assuefactionem apti sunt multa simul complecti,
 abstrahere a singularibus, seque ab illo humili statu in sublimem perducere. Itaque
 se exerit in illo, quod *ἀεχχιτεκτονικόν* appellare possumus, aut ex Stoicorum disciplina τὸ
ἡγεμονικόν, regio quasi spiritu, & fulminis instar omnia penetrans, & sua quadam luce
 omnia perlustrans. *Itam ad universalia propensionem Græcus Topicorum Inter-
 pres, qui Alexander Aphrodisiensis vulgo habetur, in lib. 8. vocat *ἐνφυσίαν ὄλωσ*. Opti-
 me quidem, sed male illud: quod postponat propensionem ad certam disciplinam.
 Qua in re tamen *ὁμόψυχον* sibi *Huartum* habet, qui in *Scrutinio* illo suo ingeniorum,
 unum hominem ad unam disciplinam habere propensionem naturalem existimat:
 cum tamen & ratio ipsa totque exempla præclarissimorum virorum ostendant, posse
 dari tales, qui ad omnes artes ex æquo excolendas pari fuerint ingenio. Quod enim
Franciscus Bonnæus in *Tractatu de Ratione discendi* causam hujus sententiæ illam dederit:
 quasi scilicet in iis, qui sint *ὄλωσ ἐνφυσίαι* deficiat τὸ *κρητικόν*, quod tamen plane
 necessarium, ne in varios errores labantur: id falsum esse demonstrari facile potest.
 Qui enim distinctas rerum ideas animo tenent; modo sibi subordinatas, nec confu-
 sas; illis non imminui, sed augeri τὸ *κρητικόν*, necesse est, quod ex conciliatione
 omnium partium resultat. Major enim profecto *ἀνεπιστίας* metus est ab illis, qui

circa *δρισμένον μάθημα* versantur: qui plerumque ex illius indole, cum ceterarum rudēs sint, omnia alia metiantur: ut ille apud Ciceronem Musicus, qui animæ naturam demonstraturus, Harmoniam esse dicebat, extra artis suæ limites non abiturus. Quod de Origine ille exemplum ad sententiam suam stabiliendam proponit, nihil quidem probat: cum ingenii illius e Platonismo pullulantes errores imputari τῇ φύσει nequeant. Magnum profecto discrimen est, vel Aristotele autore i. Met. extr. inter παιδείων, quæ est *περὶ πᾶν*, & inter eam, quæ καὶ ἐπιστήμη, quæ neuriquam confundenda est. Fit plerumque, ut ad dijudicanda multa aptos nos esse credamus, si in uno forte vel altero ingenium & industriam exercuerimus: vel si ad multa *πεφυκότες* aptique simus, singula nos bene tractare posse existimemus. Sed in earum rerum contemplatione ingenii indoles semper inspicienda est: quæ ubi se firmaverit, ita in illis versabitur, ut a ratione & iudicio, quod ex ipsa rerum penetratione resultat, non facile discedat.

11 Neque tamen id volo, ut qui omni incubuit disciplinarum generi, in illis omnibus simul habitet: nam & tempore & negotiis, aliisque impedimentis excludimur, ut fieri a nobis non possit. Quare occupabimus quidem totum hunc fundum animo, affectu, impetu: sed convenientissimam ejus partem quasi limitibus quibusdam circumscribemus, quam excolamus, & in qua industriam nostram exerceamus. Nam si Plutarchum *περὶ παιδῶν ἀγωγῆς* audimus, *περιπλεῦσαι μὲν πολλὰς πόλεις καλὸν, ἐνοικήσαι δὲ τῇ κραιτίστῃ χερσίμον*. Pulchrum quidem est circa multas urbes navigare, utile autem præstantissimam inhabitare. Cui geminum est, quod habetur apud Nicolaum Damascenum in *Excerptis Peirescianis pag. 416.*, & apud Suidam in voce *Νικόλαος Δαμασκηνός*: *Disciplinarum orbem similem, ille ait, esse peregrinationi. Nam quemadmodum iis, qui longam peregrinationem susceperunt, usu venit, ut in quibusdam diversoriis prandendi causa commorentur, in aliis pernoctent, & in nonnullis quidem locis plusculos dies consistant, alia vero ubi tantum ac prætergredientes adspectant, tandem autem reversi in suis penatibus degant: ita etiam eos, qui literis operam navant, in quibusdam brevius, in aliis immorari diutius oportere, & has quidem integras perdiscere, illas vero duntaxat delibare, tandem ad unam, tanquam ad patriam ac lares, reversos considerare.*

12 Vidimus magnos Viros, qui magnos ex una scientia fructus referre potuissent, dum omnes sectantur, ne unam quidem ita affecutos, ut insignem sibi ex illa gloriam reportarint. Ut prudentius omnino faciant, qui singulis exploratis & depromtis e communi pharetra telis, ad unum aliquem scopum contendant. Excludit ipsa scientiarum vastitas hospites suos: qui nusquam habitabunt, nusquam domi erunt, si ubique habitare volent, aut levi tantum percursatione plurima attingent. Cum enim duobus illis omnes contineantur disciplinæ, *exercitio & intelligentia*; hæc quidem communi-cari cum aliis potest; sed illud, cum in opere ipso versetur, totum sibi hominem vindicabit. Intelligentia peragrare omnes disciplinas ingeniosi homines possunt: sed operari æqua ratione in omnibus, mentis humanæ angustia non permittit: cum vel excellentissima ingenia nunquam ita plures complexa sint scientias, ut non in aliquibus defecerint: quod M. Varronis, J. Cæsaris, Plinii, Origenis, Clementis Alexandrini, Hieronymi, Augustini, Pici Mirandulæ, Matthæi Aquavivii, Scaligeri, Fracastorii,

storii, J. Baptistæ Mantuani exemplis in doctissima de Encyclopædia Oratore Tarquinius Gallucius probavit. Et hæc quidem omnia veriora erunt, si quis certo fine studia sua circumscribat, ut vitæ necessitatibus consulat: illis enim ex utilitate definienda sunt omnia. Quod si cui beator vivendi fors contigit, ut ad illa respicere non debeat, & illa ingenii efficacia sit ac ἐνεργεια, ut multitudine rerum se non obtundat, nihil prohibet in omnes partes versare illam animi vim liberosque spiritus.

Mediocribus ingeniis, neque ad tam magna natis, autor potius essem, ut se cum habitent, neque ea sequantur, quæ adsequi per imbecillitatem suam nequeunt. Meminerint illa, infeliciter cum Gigantibus contendere Pygmæos. Illis enim affectata πολυμαθεία plerumque in inanem & stultam cedere loquacitatem solet. De illis verum est illud Benedicli Menzini Florentini, Viri doctissimi, in libello de literatorum hominum invidia c. 6. Ego, inquit ille, si de recentioribus, usque, qui altero ab hoc seculo scriptores floruerunt, sententiam feram, adfirmare ausim, illos pauciora, sed melius; hos vero plura, sed deterius nosse. Et vero sic se habere etiam comperi, cum congerrones novi scribunt tantum farragines, quas varie literatura nomine cohonestare didicerunt. Scribunt, imo potius exscribunt, & Phorcidum is oculus est, quem mutuo accipiunt, atque omnes clarissima aciei esse credunt, quos unius tantum luminis usus aquis viribus & dispersito adjuvat beneficio. Quo pertinet Rolandi Maresii, Clarissimi Viri, in Epist. 46. lib. 1. & nona lib. 2. querela, ubi multa de πολυμαθείας illo abusu stolidaque ostentatione disseruntur. Cujus doctæ frugis plenæ sunt Epistolæ, & de omni re literaria utilissima quæque tradunt.

Accedit, quod qui πολυμαθείας studio primum se dederunt, si cerebrosiore paululum sunt & opiniosi, non facile ad aliorum se consilia in discendis artibus accommodant, sed sibi plerumque semitam sapiunt. Accidit enim illis, quod plantis sponte provenientibus, quæ in sylvestrem naturam abeunt, cum nulla cultura coercentur. Quo fit, ut dum aliorum contemnunt judicia ἀνοδοδιδασκῶν, e pervicacia erroribus patrocinium querant. Negare equidem nolim, fuisse felicissimi adeo ingenii nonnullos, ut sine duce viam ad summum eruditionis fastigium ingressi sint, quemadmodum Citharædus ille Homericus *Odyss.* 22. v. 347. qui de se:

Αυτοδιδασκῶς δ' εἰμι: θεὸς δὲ μοι ἐν φρεσὶν ἄμωσ
Παντοίας ἐπέφραεν.

*Ipse autem a me sum doctus. Deus enim in mentibus cantilenas
Omnigenas iniecit.*

Nam & Heraclitus Ephesius, narrante Plutarcho, philosophiam omnem, inter veteres, nullo doctore percepit; idemque de Manlio Equite Plinius, de ipso Augustinus gloriatur. E recentioribus Cujacio in Jurisprudencia, Budæo in humanioribus literis, Mureto in arte Oratoria, at quibus viris! summam sine Præceptoris opera perfectionem obtigisse, referente in dissertatione de studio literali Gabriele Naudæo, miraculo propius est. De se ipso narrat Jovianus Pontanus, magnus & Poëta & Philosophus, quod

quod versus facere, cœli cursum metiri, destitutus præceptoribus didicerit, testante Paganino Gaudentio in suo *Inst. Acad. Tit. de Promptitudine Professoria*. Guilielmum quoque Postellum in linguarum pene omnium cognitione, Petrum Ramum in Philosophiæ studiis, sine Magistri adjumento rem omnem confecisse accepimus. Quorum tamen & sua quadam intemperie acti fuerunt. Tanaquil Faber *part. i. Epist. 49.* in Græcis se *αυτοδιδάκτορας* esse, & ex eo curtam sibi esse Hellenismi suppellectilem queritur.

15. Hærare tamen plerumque illis *αυτοδιδάκτορας* solet, in philosophicis præcipue, inanis persuasio: dum veterum dogmata non satis assecuti *κωϊκας δόξας*, pro Junone nubem, amplectuntur. * Solet & illud his plerumque obesse studiis, quod solidas integrasque disciplinas haurire molestum sibi ducentes *εὐ πολυμαθείας*, amœnitates illarum, quod ligurientium est, quærere tantum consueverunt; de quo jam suo tempore Plinius. Ab illo enim amœnitates studiorum vocantur, quæ ornant potius illa & comunt, quam quæ ad naturam constitutionemque eorum pertinent. In quibus qui hærent, illud potius, quod delectat, quam quod prodest, in disciplinis respiciunt, quæ tamen conjungenda esse ipsa ratio dicitur.

17. Ponamus ergo, reprehendendos esse, qui suo quodam genio ducti hæc *πολυμαθείας* studia infeliciter tractant: non committendum tamen est, ut impune conviciis suis grassentur homines barbari, inertes, ac factum inanemque doctrinæ speciem pro vera solidaque sapientia ostentantes, in divina pulcherrimaque studia eorumque cultores. Hi cum bonæ menti optimisque literis bellum indixerint, suæ ruditatis consciï, non æquis oculis adspiciunt, quos variarum rerum cognitione interiore locupletatos esse vident. Quare & ipsum *πολυμαθείας* nomen ipsis pro convicio est, pro Grammaticis raptantibus consummatissimæ eruditionis Viros. Quod non facerent, si, qui sub amplissimis istis titulis latitant rerum thesauri, cognitum haberent.

18. Impugnabatur his calumniis illustri maxime ingenii JOHANNES WOUWERIUS, qui elegantissimo *de Polymathia* libro & suam famam ultus est, ejusque studii dignitatem asseruit: de quo duo monenda nobis sunt, in quibus erratum a Viris doctis est. Primum est, quod duo confundantur ejus nominis, Antwerpianus & Hamburgensis Polymathia Autor. (a) Andreas Schottus hunc Belgam facit in *notis ad proverbialia Græca* p. 63., sed falso. Lipsius in Epistola 8. Kal. Novembr. 1599. ad Antwerpianum illum scripta, utrumque probe distinguit: *Janus Wouwerius*, inquit, *cognominis tuus, si non gentilis, quam bona tecum fœderatio! Optimum par, nec vel Dii dederint magis ex usu aut voto. Modestiam & probitatem in eo adolescente semper amavi, & ut vidi primum (Hamburgi id fuit, ante annos novem) una laudatum illam indolem ivi. Vivat, crescat, & lampada a nobis, in hoc cursu jam sessis, accipiat: me libenter & judicio tradente.* Fuit vero noster ille Hamburgi natus, Patre Nicolao, ob persecutiones in Religione e Belgio profugo, Antwerpiani illius, ut recte putat, Lipsius, gentilis, illu-

(a) De necessaria duorum Wouweriorum Cognominum, Hamburgensis scil. & Antwerpensis, non a Schotto solum, sed aliis etiam pluribus, confusorum, Distinctione fufius disserui in *Homonymosopia*, Sect. II., c. 7., §. 142. p. 733. 734. 735. 736. 979.

illudri Baronum stirpe oriundus. Antwerpianus vero ille est, apud quem Lipsius Bibliothecam & scripta sua testamento, usque dum adolesceret heres, deponi iussit, teste Auberto Miræo in Elogio Lipsii. * Alterum, quod monendum duxi, est, de 19
 pignori suspicione, qua per summam injuriam & invidiam oneratus vir optimus a
 Mauffaco, Germanus a Gallo, est: qui &, cum ejusdem argumenti librum editurus
 esset, Casaubono omnem hunc laborem subreptum ait: quem tamen ipse Casaubo-
 nus, non dissimulaturus hanc sibi factam injuriam, ab isto crimine liberat. Testi-
 monia illa innocentiae ejus legas apud Cl. Thomasiū licet in praefatione repetitae
 Editionis. Ex invidia profectum hoc Mauffaci judicium Martinus Schockius *Con-*
futatione Fab. Hamel. p. 2. c. 4. existimat. Ex ipso autem Wouwerio multa cepisse,
 suppresso ejus nomine, Vossium, etiam Schockius loco laudato, & Joannes Jonsius
lib. 1. de script. Hist. Phil. 19. p. 49. testatur.

Multa hic a nobis de vastitate πολυμαθείας dici poterant, verum cum illud toto 20
 libro a Wouwerio actum sit, illuc Lectorem remittimus. Legi & super hoc argu-
 mento potest, imo debet, GUILIELMUS BUDÆUS, Vir illustris, Consiliarius regi-
 us, & libellorum supplicum Magister, in libris de *Philologia*, quos Henrico Aure-
 liensi & Carolo Angolismensi, Regis filiis, inscribit: ubi de studii hujus amplitudine
 & dignitate multa agit, & instituto quasi cum Rege colloquio illum hortatur, ut stu-
 dia haec, Regno suo splendorem conciliatura, ornanda suscipiat, viros illa profiten-
 tes praemiis afficiat, magistratum, honores ac sacerdotia illis tribuat. Non destituit fa-
 cundum ac illustrem Patronum, ipsumque libellorum supplicum Magistrum, Philo-
 logiae causam agentem opratus successus. Apud nullam enim nationem honoratio-
 re loco illi fuere, quae exempla hodieque perdurant. Excitata hinc optima fuere
 semper ingenia, quorum tam uberem messem nulla gens alia dedit.

Agit hanc inter ceteros πολυμαθείας causam LUDOVICUS CRESOLIUS Je- 21
 suita, Vir aliquin doctissimus, in *Gratiarum actione* pro Collegio Societatis Jesu in-
 staurato, quae Vacationibus autumnalibus subnectitur; sed ita agit, ut insanam in
 Melanchthonem, ut πολυμαθείας hostem, calumniam spargat (b). Qua nihil insul-
 sius ac impudencius fingi potest, cum nemo inter eruditos sit, qui Melanchthonem
 Germaniae Praeceptorem & verum πολυμαθείας parentem ignorare possit. Vocat
 pag. 46. duos mustea factionis antesignanos, & veluti par gladiatorum Carolo stadium & Melanch-
 thonem, qui primum spargere in circulis atque in caetu adolescentum ceperint, doctrinam co-
 gnitionem plus obesse, quam commodi afferre ad religionem tuendam. Ex his, ait porro, ut ex-
 emplum potentius foret ad persuadendum, quam Oratio, de repente, tanquam Circeo poculo ebibito,
 alterum factum esse cololum, alterum pistorem, ut ejusdem esse farinae cognoscere-
 rentur. Manifesta haec hominis phrenesis est de Melanchthone, qui in luce Germaniae, in florentissima
 Academia, cum magna nominis sui fama & gloria vivebat, tam horribilia & risu di-
 gna

(b) Calumniam hanc in famam Melanchthonis injuriam, ante Ludov. Cresollium a Laurentio etiam
 Surio, Nicol. Serario, Casp. Ulenbergio, Florim. Ramundo, aliisque scriptoribus Pontificiis, spar-
 sam, solide & ex professo confutavit, totiusque simul figmenti originem solenter detexit Jac. Tho-
 masius in Programmate peculiari, Lipsiae A. 1678. evulgato, & A. 1693. in *Dissertationum Aca-*
emicarum Syntagmate, Halae Saxoniae recuso.

gna mendacia spargentis. Quid Melanchthoni cum Caroloftadio, qui nunquam in partes ejus concessit? Quis Melanchthonem unquam pistorem somniavit, nisi Creyfollius cum hac sua calumnia in pistrinum relegandus? Id vero summe stultum est, quod subjungit: magnam hinc in plerisque Academiis solitudinem consecutam, & scholas pene omnes textu aranearum oppletas & vacuas siluisse, cum illo tempore per Melanchthonis doctrinam vere florere scholæ Germaniæ cæperint.

22 Huc aliqui etiam τῆς ἐγκυκλοπαιδείας Scriptores referrent. Nam cum illi complexum scientiarum uno libro proponant, πολυμαθείαν vel solo illo titulo sibi vindicare posse videbuntur. Magna illorum librorum seges est; ab Autoribus profecta, quibus, qua principia, qua ordinem, quot capita, tot sensus sunt. De his in *Polyhistorie Philosophico* agetur pluribus. Sed & illi in vasto, quod moluntur, regno nimis arcte habitant, a vera πολυμαθείας gloria omnino arcendi. Quemadmodum enim eorum, qui maria & terras spatiosis itineribus pervagati sunt, longe major est peritia, quam eorum, qui in chartis delineatas conspexerunt: ita, qui vere πολυμαθείς, iis, qui non nisi ex illis scriptorculis sapiunt, minime sunt comparandi.

23 Multo minus nomen hoc merentur, qui in Academiis, pessimo more, invento ad quaestum & decipiendam juventutem titulo, πανσοφίαν profitentur. Πάνσοφοι illi sunt, aliosque πανσοφίαν docere volunt, qui per tres quatuorve disciplinas (nam mathematicæ scientiæ, Eloquentia, Poësis, Historia, rerum naturalium accuratior notitia in hunc censum non referuntur) volatica aliqua percursatione stolidos tirones circumducunt: qui se totum sapientiæ Oceanum his doctoribus exhaustisse opinantur. * Publica coerceri lege hominum ille furor deberet; quibus magistris spatentissima ad ignorantiam via sternitur; omnis solida doctrina evertitur; in cathedras, in forum, cruda studia propelluntur; pro Philosophis jejuni & strigosi terminorum Nomenclatores; pro Mercuriis stipites & trunci ubique in sæculi nostri infamiam triumphant.

C A P. II.

DE HISTORIA LITERARIA.

§. 1. Historia literariæ latior, quam Polymathie, vastitas. 2. Consilia Bostii. 3. Baconis Verulamii de illa instituenda. 4. Christophori Mylæi universitatis rerum historia nimis generalis & confusa. 5. Petrus Lambecius Historia literariæ Prodromum scripsit. 6. Promittit Syntagma universæ Historiæ literariæ. 7. Ordo in librorum catalogis a Naudæo observatus. 8. Typus Syntagmatis Lambeciani, tam Philosophici, quam Historici, recensetur. 9. Ex Historia literariâ status literarum perdisci potest. 10. Secula barbara. 11. Philosophi in illis acuti recentioribus facem præferunt. 12. Rogerus Baco. 13. Richardus Suisset. 14. Scalligeri de hoc testimonium. 15. πάλιγγυεστικὴ literarum. 16. Magnatum studium & liberalitas artes & literatos excitat. 17. Quorum incuria hominumque prava indole res literaria pene concidit. 18. Dogmatum vices & periodi ex Historia literaria notanda. 19. Cartesii philosophia a præcis Philosophis hausta. 20. Parallelistini

lijni scientiarum e serie temporum instituendi. 21. Idem artium, ut hominum, est
 brtus & occasus. 22. Arcana & inventa veterum cum recentioribus conferenda.
 23. Alexandri Tassoni liber diversarum cogitationum. 24. Bibliotheca omnium ar-
 tium sunt quasi promiconda. 25. Multa inventa nova etiam antiquis cognita fue-
 re. 26. Magni Pegelii inventa. 27. quadam horum cum hodiernis conferun-
 tur. 28. Historia literaria eruditorum studiis commendatur. 29. neque enim
 ab ingenio quovis tractari potest.

Vastum Polymathiae nomen est, ac longe lateque extenditur, suis tamen spa-
 tiis limitibusque definitum: Latius vero patet HISTORIA LITERA-
 RIA, quae non ipsam tantum Polymathiam, sed & singularum scientiarum
 primos natales ac progressus ad nostra usque tempora complectitur. Ne-
 mo est, qui Oceanum hunc transmiserit; non pauci, qui littus legerunt. Histo-
 riam Philosophicam e veteribus & recentioribus per partes aggressi sunt multi;
 sed omnem a natalibus suis Historiam literariam nemo. * Queritur de tam infi- 2
 gni defectu Cl. BOSTIUS *Introduct. in Notitiam Rerump. c. 30. §. 92. Rei literariae, quae
 magnam partem a religione pendet, historia iusta adhuc desideratur. Facturusque opera pre-
 tium esset, qui in unum volumen colligeret, quae studia in quibus locis maxime floreat, quique
 viri doctrina & scriptis illustres singulas provincias hoc seculo exornarint, atque etiamnum ex-
 ornent: tum quibus praecipue locis literarum studia eorumque cultores singulari adfectu fo-
 veantur, & magnis impensis sustententur.* Non contemnenda sunt Historiae literariae il-
 la argumenta, in quorum enarratione exerceri nostram industriam cupit. Sed ar-
 ctiora illa paululum sunt, & ad pauca capita reducta, in quibus jam tum operam
 posuere laudabilem nonnulli, neque multum tamen Historia locupletata est.

Majus animo opus conceperat maximi vir ingenii, BACO VERULAMIUS, 3
 qui inter consilia de ampliandis scientiarum terminis, hujus quoque operis ideam
 proposuit, *lib. 2. de Augm. Sc. cap. 4.* Absque hac Historiam mundi statuae Polyphe-
 mi eruto oculo non abssimilem facit, cum ea pars imaginis desit, quae ingenium &
 indolem personae maxime referat. Hujus vero Historiae argumenta sunt 1. Scien-
 tiarum antiquitates ad mundi aetates & regiones collatae. 2. Migrationes per di-
 versas orbis partes. 3. Declinationes. 4. Jacturae. 5. Restaurationes. 6. Occasio-
 nes inventionis singularum disciplinarum. 7. Methodi, quibus tractatae. 8. Ex-
 erciti rationes. 9. Sectae celebres. 10. Controversiae circa illas earumque ortus
 & occasus. 11. Laudes, convitia, quibus exceptae. 12. Autores praecipui. 13. Li-
 bri praestantiores. 14. Academiae, Societates, Collegia, Scholae, successiones, or-
 dines. Addit illis porro 15. aliqua de populorum ac regionum indole ad artes
 apta vel inepta. 16. De temporum varia fortuna artibus propitia vel adversa.
 17. De Religionum mixtura. 18. De Legum vel favore vel malitia. 19. De viro-
 rum illustrium patrocinio, qui vel opibus vel consiliis artes juvarunt. Singulorum
 illorum, & si quae alia his addi possunt, meram puramque historiam suis tempori-
 bus accurate connexam desiderat. Haec illa palæstra est, in qua vel Hercules inve-
 niet, quod agat. Sed facilius est, primas istius operis lineas ducere, quam ipsum

perficere. Quod ubi quis aggressus fuerit, tot illum obstacula circumvenient, ut exitum vix inventurus sit; ut uti adjumento esse possint, quæ per partes aliqui sibi tractanda proposuerunt: quorum labores non tamen vilipendendi erant a Bacono, ac fortassis tum non editi omnes fuerunt, quos tempora posteriora in lucem protulerunt.

Non facile dixerim, an hæc animo agitaverit olim consilia CHRISTOPHORUS MYLÆUS, cujus extant *quinque libri de scribenda universitatis rerum historia* (c) In præfatione istius operis multa magnifica tibi promitti videas, & quædam his, quæ diximus, affinia. Sed longissime ab illo abest instituto; nam nihil aliud, quam Encyclopædiam continuo orationis, elegantis tamen & concinnæ, filo deductam velut in compendio proponit: nec tamen omnem illam, nec methodo illa ordinatam, quæ capi a quoquam possit. In quinque libros illam dispescit historiam, quorum 1. de Natura. 2. de Prudentia. 3. de Principatu. 4. de Sapientia. 5. de Literatura agit: Sub quibus quasi summis capitibus omnium scientiarum & artium comprehendit argumenta. Non placet ista methodus, quam ex suo Autor ingenio confinxit, ut quæ nimis generalis ac confusa, & velut per lancem saturam omnia congerit, melius per series ac ordines regularum ac principiorum deducenda.

Tentavi & nostra ætate circa Historiam literariam aliqua PETRUS LAMBECEIUS, (d) cujus in lucem quoque prodiit hoc titulo liber, Hamburgi editus: *Prodromus Historiæ literariæ, qua continetur partim quidem generalis narratio, origo, incrementa, mutationes, interitus & instaurationes omnium linguarum, scientiarum, Facultatum & artium liberalium, secundum Chronologicam successionem seculorum omnis ævi; partim autem specialis recensio virorum & faminarum illustrium.* Sed primordia istius operis procul dubio utilissimi tantum jacta sunt, quibus si opus plenum & perfectum superstruxisset, bene de re literaria mereri potuisset: quanquam tamen neque ad omnia Verulamii placita respexerit, aut illo ordine methodoque tractaturus fuisset. * Promissi tamen sui memor, sub finem lib. V. Commentariorum de Bibliotheca Vindobonensi, denuo sperare nos jubet Syntagma universæ Historiæ literariæ, divisum in 40. secula ante Christum, & in 17. secula post Christum natam: quod XXIV. Commentariorum de Biblioth. Vindobon. libris loco indicis Chronologici universalis subjungendum, ac simul Prodromum antea editum innumeris locis augendum. Sed fata huic labori intercesserunt. Quanquam ea fuit librorum, quos promittebat, moles, ut spes illi inchoare longas non licuerit. Optime vero ab illo institutum hoc fuit, quod Syntagma illud magni operis de Bibliotheca Vindobonensi complementum voluerit: dimidium enim istius operis pene confecit, qui Bibliothecam justo suo ordine concinnatam; eamque non modicam, sed fere universalem habet;

(c) Christoph. Mylæi Libri V. prodire Basileæ A. 1551. in fol. & denuo sub Titulo *Hermes Academiæ*, curante Joh. Georgio Müllero, Noribergensi, J. U. D. & Consiliario Saxo-Coburgico, Jenæ 1624. in 8vo.

(d) Pet. Lambecii *Prodromus Historiæ Literariæ* Hamburg. A. 1659. in fol. est excusus.

haberi; qualis ista Vindobonensis, quæ locupletissima est, & ab Autore librorum deficientium titulis aucta.

Vel ex solo illo ordine, quem in libris collocandis observare jubet GABRIEL NAUDEUS in libro de instruenda Bibliotheca Gallice scripto, historia aliqua educi potest. Notari autem ista vult, ut 1. libri Facultatum & artium ponantur. 2. Veteres & novi Autores in lingua, qua scripsere, & hinc versiones omnes. 3. Qui partes scientiarum tractant. 4. Commentatores. 5. Scriptores particularium rerum. 6. Qui adversus scientias scripserunt, ut Sextus Empiricus e veteribus, & Agrippa inter recentiores. 7. Novatores in artibus. 8. Primi certarum rerum Scriptores. 9. Scriptores rerum variarum. 10. Præcipui Hæretici. 11. Collectores specialium voluminum & Autorum. 12. Celeberrimorum virorum laciniæ & fragmenta. 13. Locorum communium Scriptores, Lexicographi &c. 14. Scriptores, qui ex communi seculi genio scripsere. 15. Etiam minima, & quæ parvis aliis aestimantur. Ad has Classes redacti Autores notiones aliquas animo suggere possunt, ad quas idea alicujus historiae concipi possit.

Sed perfectior illa longeque ordinatio est series, quam in *Philosophica Bibliotheca* 8 concinnanda sibi præfixit LAMBECIUS; cujus ille typum operi secuturo præmisit. Quem ut hic proponam, quoniam in paucorum manibus liber est, non est forte ab instituto nostro alienum. Primo enarrantur Philosophorum antiquissimorum Barbaricorum, Zoroastris, Hermetis &c. opuscula quædam & fragmenta supposititia, cum veterum & recentiorum translationibus & Commentariis. 2. Philosophorum antiquissimorum Græcorum, Jonicorum & Italicorum, qui ante Platonem & Aristotelem floruerunt, & imprimis Pythagoræ ac Pythagoræorum opuscula & fragmenta, cum veterum & recentiorum translationibus & Commentariis. 3. Philosophia Academica, Opera Platonis, editiones & translationes variae, Interpretes, Commentatores, Græci, Latini, aliarumque linguarum, antiqui & novi. 4. Philosophia Peripatetica, Aristotelis operum editiones, translationes, Interpretes, Commentatores Græci, Latini, aliarumque linguarum, antiqui & novi. 5. Philosophia Stoica, Stoicorum Græcorum & Latinorum opera, cum variorum veterum & recentiorum translationibus & Commentariis. 6. Philosophia Pyrrhonia sive Sceptica, variis operum Sexti Empirici editionibus & eo pertinentibus variorum Autorum Commentariis comprehensa atque illustrata. 7. Philosophia Epicurea, variis veterum & recentiorum Autorum commentariis atque expositionibus illustrata. 8. Philosophiæ Eclecticæ sive Miscellanæ varii Autores Græci & Latini. 9. Historia Philosophica, sive de origine, incremento & divisione Philosophiæ, ejusque multiplici ratione & usu apud diversos populos, ut de Vitis, Scriptis, Inventionibus & Sectis veterum & recentiorum Philosophorum, varii variorum Autorum tractatus, partim generales, partim speciales. 10. Institutiones & Syntagmata generalia Philosophiæ universæ, item Regulæ & Axiomata, nec non de studio Philosophico recte instituendo consilia varia & novæ methodi. 11. Lexica Philosophica variique verborum & rerum ad Philosophiam pertinentium indices, definitiones & expositiones ordine Alphabetico. 12. Philosophiæ Theoreticæ universalis varia

variorum Autorum Syntagmata, Enchiridia, Analyfes & ejus generis alia. 13. Logica Institutiones generales, aliique variorum Autorum ad Logicam pertinentes Tractatus speciales. 14. Physicæ institutiones generales, & tractatus speciales secundum differentiam materiæ & linguarum in varias minores classes distributi. 15. Metaphysicæ Institutiones generales, & tractatus speciales. 16. Philosophiæ Practicæ universalis variorum Autorum Syntagmata, Enchiridia, Analyfes &c. 17. Ethicæ, Politicæ, Oeconomicæ institutiones generales, & tractatus speciales secundum differentiam materiæ & linguarum in minores classes distributi. 18. De re militari Græci & Latini Auctores cum variorum translationibus, Commentariis & notis: recentiorum item Latinorum, Itolorum, Hispanorum, Gallorum, Germanorum &c. Syntagmata universalia, tractatus speciales, ut de jure belli, de regimine & disciplina militari, de militia pedestri, equestri, navali, ordinationibus castrorum & acierum, de obsidionibus, oppugnationibus, defensionibus urbium, Architectura militari, Pyrotechnica. 19. De re athletica antiqua & nova tractatus generales, & speciales, Torneamentis, Monomachiis &c. 20. De arte equitandi & cura equorum variarum linguarum tractatus. 21. De venatione Auctores Græci, Latini, secundum diversa venationum genera in varias classes distributi. 22. De saltatione, ludo latruncolorum, alea, variisque aliis ludis, varii variarum linguarum tractatus. Sequuntur 23. Mathematici antiqui Græci, Arabes, Latini, secundum Alphabeti ordinem & librorum formam, editionum ætatem cum Commentariis & translationibus, varia item opuscula illorum collectitiis Systematibus edita. 24. Historia Mathematica, de ortu & progressu disciplinarum Mathematicarum, de Vitis, Inventionibus, Sectis veterum & recentiorum Mathematicorum, tractatus tam generales quam speciales. 25. Lexica, Isagogæ, Synopses, Syntagmata Matheseos generalia, axiomata, studii Mathematici instituendi consilia, novæ inventiones, methodi, instrumenta. 26. Mathesis specialis, secundum varia Mathematicarum scientiarum genera speciesque in varias classes minores divisâ & subdivisâ, quæ illic ordine enarrata brevitate causa hic omittimus. Hi ad Philosophiam omnes pertinent tituli. Sequuntur jam, qui ad *historiam* referuntur, magna industria notati. Recensentur 1. Auctores de Historiæ origine, incremento, utilitate, dignitate & divisione: de veterum & recentiorum apud varios populos Historicorum illustrium Vitis & Scriptis: de studio Historico secundum tempora, materiam & Auctores ordinando: de arte Historica consilia, regulæ & methodi. 2. Historia Geographica, comprehendens Geographos antiquos, Græcos, Latinos, ordine Chronologico secundum librorum formam & editionum ætatem dispositos. 3. Recentiores Cosmographiæ Historicæ universales, secundum linguas distinctæ. 4. Recentiorum Geographiæ Historicæ Universalis, Atlantes, Theatra, Specula, aliæque magna Syntagmata & eorum Epitomæ & minores Isagogæ. 5. Hydrographia Historica de orbe maritimo, insulis, re navali. 6. Singularum Orbis partium majorum generales descriptiones cum subjunctis Chorographiis & Topographiis. 7. De arte peregrinandi varii tractatus. 8. Varia Hodæporica sive Itineraria tam sparsim quam junctim publico & privato nomine edita. 9. Historia temporum, sive Chronologia, comprehens

dens Chronologos antiquos Græcos, Latinos recentiores, secundum ordinem temporum, formam librorum & editionum ætatem dispositos, universales & particulares. 10. Autores de mensura temporum, ratione anni apud varios populos, Cælendaria, Ephemerides Historiæ. 11. Historia Generationum, sive Genealogia universalis, particularis. 12. De notis gentilitiis naturalibus & insignibus varii auctores. 13. Variorum tractatus de iis, qui per mendacium & fraudes in alienas familias se inseruerunt. Sequitur jam 13. Historia rerum gestarum, sive Historia proprie dicta, & quidem universalis tam respectu loci, quam respectu temporis, tum universalis respectu loci, sed particularis respectu temporis. Quo pertinent relationes historiæ certi alicujus temporis miscellaneæ. 14. Historiæ sacræ Test. Vet. & antiquitatum Judaicarum Autores, Græci, Latini, antiqui, recentiores, ordine Chronologico positi, cum Commentariis eorum & translationibus. 15. Historiæ Ecclesiasticæ Novi Test. Autores, antiqui Græci, Latini, cum Commentariis &c. 16. Historiæ Ecclesiasticæ universalis & Annalium Ecclesiasticorum Autores diversarum linguarum & religionum. 17. De vita Christi tractatus Historici universales & particulares, ut sunt dissertationes de Genealogia ipsius, tempore nativitatis, Historia Passionis, Crucis, de linteis sepulchralibus &c. 18. Tractatus de Antichristo. 19. Historiæ Marianæ generales & speciales Scriptores. 20. Martyrologia, Syntagmata antiqua Græca de Vitis Sanctorum secundum ordinem Mensium & usum Ecclesiæ Orientalis. 21. Martyrologia & Cælendaria Sanctorum antiqua Latina, secundum menses & usum Ecclesiæ Occidentalis, cum Commentariis, & translationibus. Accedunt varii Tractatus de Martyrio in genere, de Martyrum cruciati- bus. 22. Vitæ Sanctorum Miscellaneæ ab antiquis Autoribus Græcis & Latinis scriptæ & collectitiis quibusdam schematibus junctim editæ. 23. Vitæ Sanctorum miscellaneæ & singulares a Græcis & Latinis scriptæ cum Commentariis & translationibus. 24. Autorum recentiorum Syntagmata de Vitis Sanctorum, secundum menses, & Vitæ singulares ab iis scriptæ. 25. Exempla Historiæ Sacræ & Ecclesiæ miscellanea antiquorum & recentiorum. 26. Autores antiqui & recentiores de Vitis Pontificum Romanorum. 27. Variorum tractatus speciales, de electione, auctoritate Pontificis, donationibus Pontificibus factis, de Joanna Papissa, variisque ad Historiam Pontificiam pertinentibus. 28. Historia Cardinalium varique tractatus de eorum origine, electione, ordine, officiis, auctoritate, potestate, privilegiis. 29. Conciliorum omnium generalium & provincialium Græcorum & Latinorum acta & monumenta antiqua, a recentioribus Collectoribus junctim edita cum Commentariis, notis & translationibus. 30. Conciliorum quorundam generalium & provincialium Græcorum & Latinorum acta & monumenta separatim & singulatim edita, cum Commentariis & translationibus ordine Chronologico disposita. 31. Conciliorum omnium generalium & provincialium Isagogæ & Synopses. 32. Tractatus speciales, de origine, auctoritate Conciliorum, aliæque varia ad Historiam Conciliorum pertinentia opuscula. 33. Historia Antiquitatum Liturgicarum Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis. 34. Historia Miscellanea variarum ceremoniarum, rituum, aliarumque Antiquitatum & observationum Ecclesiasticarum, se-

cundum differentiam materiarum in varias minores classes distributa. 35. Historia Monastica generalis, de vitæ monasticæ origine, incrementis, divisione, regulis, & propagatione usque ad nostram ætatem. 36. Historia Monastica specialis, sive diversorum ordinum Monasticorum Historiæ ac Regulæ singulares ordine Chronologico dispositæ. 37. Historia variorum Jordinum equestrium generalis & specialis ordine Chronologico. 38. Historia Hæresium generalis & specialis ordine Chronologico, Vitæ Hæresiarcharum &c. 39. Autores de Scriptorum Ecclesiasticorum vitis, successionibus & scriptis generales junctim, speciales separatim editi. 40. Dissertationes de Expurgatione & Prohibitione librorum, Indices expurgatorii speciales.

Atque hic τύπος est, ad quem Philosophicam suam & Historicam Bibliothecam dispositurus erat Lambecius, in quo tamen aliqua, si ordinem & argumenta spectes, vel mutari, vel augeri possunt, præsertim in Historia Civili & Ecclesiastica; Facultatum enim Bibliotheca alibi proponitur, ac puto, ubi in rem ipsam venisset, multa ipsi nova δευτέραι Θεογνίδες suggestissent. * In hunc tamen campum immiffis quasi per σύνοψιν & velut in tabula patet Historiæ literariæ summa delineatio: nam & ὅλη, quæ poruit, integra congeritur, nec illa tamen indigesta, sed suis locis sedibusque distincta, unde per prudentiam aliquam ἀρχιτεκτονικὴν pulcherrimum illud, quod volebat Verulamius, frui ædificium possit. Ex ipsa illa congestione & repræsentatione simultanea nascitur illud περιστατικὸν & πραγματικὸν, ex quo judicandi illa vis se exerit. Quæ si in perpetuum continuumque Historiæ corpus compingerentur, maximi in societatem civilem & rem literariam fructus inde redundarent. Non alia ipse Verulamius subsidia præscripsit: nam materiam & copiam Historiæ ejus non tantum ab Historicis & Criticis petere, verum etiam per singulas annorum centurias, aut etiam minora intervalla, libros præcipuos in consilium adhibere jubet, ut ex eorum non perlectione (id enim infinitum foret) sed degustatione & observatione argumenti, styli, methodi, genius illius temporis literarius veluti incantatione quadam a mortuis evocetur. Hujus instituti usus multo maximus foret. Verulamius illud intendit, ut virorum doctorum augeatur in doctrinæ usû & administratione solertia, rerumque intellectualium non minus, quam civilium motus & perturbationes, vitiaque & virtutes notari possint, & regimen inde optimum educi, quemadmodum ex Historiæ Civilis vel Ecclesiasticæ diligenti inspectione prudentia illa vel civilis vel sacra parari possit.

10 Tam vero longe lateque se ejus prudentiæ utilitas diffundit, ut nulla tam sit exigua disciplina, cui illa non faces præferat: ne quid dicam de ipso intellectu, qui in contemplatione τῆ ὅλης magis perficitur. Videmus hic quasi ante oculos positam illam per secula studiorum successionem. * Nam, ut de temporibus post Christum natum dicam tantum, regnavit in Philosophorum scholis Plato, ejusque Philosophia cum Christiana Religione commista, vel errores vel singulares quosdam sensus dogmatibus Theologicis invexit; Patres plerique huic scholæ addicti, duravitque ille rei literariæ & ecclesiasticæ status, usque dum Alexander Aphrodisiensis doctri-

doctrinam Peripateticam resuscitavit, quæ per sex integra secula stetit, varie tamen ab Interpretibus interpolata, ut sibi ipsi esset dissimillima, variis etiam casibus ac libris agitata, de quo Launojus videri potest in libro de *varia Aristotelis fortuna*. Trahit ex ejus etiam affinitate labem aliquam Theologia, quæ Scholasticorum commentationibus in aliam plane formam speciemque mutata erat. Audiuntur passim virorum doctissimorum de his corruptelis querelæ, de quibus legi possunt Erasmus passim, Ludovicus Vives in aureis de causis corruptarum disciplinarum libris: cujus viri diligentia ad Historiam literariam recentioris temporis conferre non pauca possit. Adeo ad Græcas literas & Aristotelis Philosophiam tum nauseabant omnes, ut, teste Alexandro Nekan, libro de *naturis rerum*, Aristotelis libros a nemine, quam ab Antichristo legendos & intelligendos crederent. Joann. Sarisber. lib. 1. Metalogic. cap. 2. ita de his temporibus: *Sufficiebat ad victoriam verbosus clamor, & qui undecunque aliquid inferebant, ad propositi perveniebant metam: Poëta & Historiographi habebantur infames, & si quis incumbere laboribus antiquorum, notabatur, & non modo a fello Arcadie tardior, sed obtusior plumbo omnibus erat invisus.*

Latitabant tamen non nunquam in Scriptoribus illis, horridi ceteroquin & inficeti styli, velut in sterquilinio quodam pretiosi uniones, quibus illi, qui e recentioribus magno supercilio multoque orationis furo rerum argumenta incrustant, sua illa commenta ornare didicerunt. Multi delicatuli nimis & fastidiosi, cum suo ingenio tantum nituntur, ex se ut araneæ pariunt, cum longe solidiora invenire in veterum illorum Commentariis possint. In notionum illa contemplatione, in morali sapientia, quam præclara, ex altis eruta recessibus, traduntur! Ipsa Mathematica studia & naturalia, quæ sollicitè adeo nunc a nationalibus istis conceptibus purgantur, per illa ipsa principia eo usque profligarunt, ut majora naturæ arcana horum ministerio fuerint eruta, quam nunc, cum omnes particularum particulas lynceis oculis intuemur, & naturam ipsam ad vivum refecare nos credimus. * Cujus vel unicus testis, instar multorum, erit ROGERUS BACO, vir subtilissimo ingenio divinam humanamque sapientiam complexus; ne quid de aliis dicam, magnis itidem & celebratissimis istorum temporum nominibus. Gabriel Naudæus in sua illa doctissima de *instruenda Bibliotheca* dissertatione de nauseabundis istis nostrorum temporum ingenii c. 4. p. 84. conqueritur, quæ fontes illos relinquunt & rivulos recentiorum sectantur: *Sequimur, inquit ille, & laudamus Collegium Conimbricense, & Suarezium, & negligimus opera Alberti Magni, Niphi, Egidii, Saxonis, Pomponatii, Achillini, Durandi, Zimara, Buccaferræ & multorum aliorum, unde omnes illi grandes & decumani, quos volumus & versamus libri avrotodæci sunt transcripti. Æstimamus nostri seculi Medicos, Amatium, Cappivaccium, Montanum, & pudori nobis ducimus, s. Hugoni Senensi, Gordono & c. locum in Bibliotheca concedamus, & Avicennistis, qui rudi lingua seculi vitio scripsere, sed fundum tamen Medicina, judicæ Cardano, penetrarunt. Nostri recentiores, cum non satis virium, ingenii, constantiaque habeant in iis imitandis, solent non nunquam illorum rationibus, sed a hujus seculi habitum reformatis, sic incrustare, in verborum tamen plerumque pompa & superficie lingue hærentes, decerpunt flores & summa cacumina captant. Miratur ille, adeoque indigne fert, non celari tantum & compilari, sed plane igno-*

ignorari tum locupletissimis Bibliothecis, tum viris doctis, ista nomina, quorum tamen eandem, quæ Manuscriptorum solet, rationem haberi ob raritatem & utilitatem æquum esset.

- 13 Unius ille RICHARDI (quem alii Johannem, ipse in Additionibus ad Hist. Lud. XI. Rogerium vocat) SUISET (quod ex Anglic. *Swinshead*, os porci corruptum) cui cognomen Calculatoris datum erat, mentionem facit: cuius Opera celeberrimis etiam Bibliothecis sunt ignota. In cælum prope extollunt illum hominem laudibus tum Cardanus, tum Scaliger. * Et hic quidem Exercitat. 324.
- 14 *Virum vocat, qui modum ingenii humani exceßerit, & Exercitat. 340. tam acute scripsisse judicat, ut a paucis plene ac pro meritis intelligatur. Tam docte, inquit, sibi ille visus est, ut cum senex legeret, quæ juvenis in literas retulisset, ubertim fleuisse dicatur, sive, quod equidem puto, quia quasi recenter frueretur veteri diligentia, sive, quod paulo iniquius alii sunt interpretati, quia quæ olim scripsisset in etate florenti, in effata minus assequi possit intelligendo. Dignus profecto, quem neque senem senium faceret, neque natura lex vita privaret, nisi meliorem vitam apparasset. Hæc licentius scribo, quia viro illo maximo multa debeo: plura debiturus, si per ingenii mei imbecillitatem licuisset. Non enim leviter in ejus campo nos exercuimus. Nos de illo in Polyhistore Philosophico pluribus agemus.* Tam invidendo elogio, & a tantò quidem viro profecto, quis non impetu aliquo raptus omnes Bibliothecarum angulos perreptaret, omnes forulos excuteret, ut thesaurum sibi illum erueret, tot viris doctissimis ignoratum & invisum? Sed ea est vel animi foecordia, vel novitatis prurigo, ut nullam eorum curam habeamus.*
- 15 Cum floreret jam passim per Academias illa philosophandi ratio, & ad illius sensum tam Theologia quam Medicina temperaretur, reducta in lucem Jurisprudentum veterum fragmenta, eorumque doctores novam tam Theologiæ, quam Philosophiæ faciem circumposuerunt: ex illo enim tempore eorum studium & dignitas quam non statim conciderit, paulatim tamen sequentibus temporibus evilesceere cæpit. Accidit tamen postea, ut partim Jurisprudentiæ beneficio, Legibus Romanis Antiquitatum simul & Historiæ Romanæ, cumque illis aliqua veteris elegantiae cura reduceretur; partim occasione litium, quæ Theologiæ, tum publice receptæ, movebantur, & Biblia sacra legerentur, & Hebrææ ac Græcæ linguæ studia excitarentur, Patres e claustris Monachorum, ubi velut in sepulchris hæctenus delituerant, in musea doctorum velut in vitam & lucem revocarentur.
- 16 Accessit magnum novæ huic literariæ periodo monumentum, restaurata in Occidente e Græcorum exulum, capta Constantinopoli, reliquiis Græcarum rerum notitia. Scholæ tum publicæ illa in lingua habebantur. Verbebantur in latinam Historici, Patres Latini, MS. codices e Bibliothecis promebantur, inusitata Mediceæ familiæ liberalitate, cui primos illa *παλιγγενεσία* literaria spiritus debet; cui accedebat Alphonfus, Rex Neapolitanus, Matthias Corvinus, Rex Hungariæ, Ludovicus XI. Rex Galliæ, de cuius in literis promovendis studio legi Gabrielis Naudæi Additio ad Historiam Ludovici XI. potest; obstetricias adhibebat manus quod labores doctorum, Bibliopolarum

polarum *Φιλαρηνισίων* provocabat divinum Typographiæ inventum. Hinc quasi genio quodam impellente intra paucos annos e veterno excitata sunt doctorum ingenia: Philosophia partim ex ipsis Aristotelis limpidis fontibus restaurata; partim nova a Novatoribus super Empedoclis, Epicuri, Philolai, Pythagoræ, Democriti principiis exstructa: Jurisprudencia veteri splendori, per viros, antiquis illis Papi- nianis, Modestinis comparandos, asserta; Philologia omnis Hebræa, Græca, Lati- tina superstitione & ad invidiam reliquarum disciplinarum exulta; omnis denique divinarum humanarumque rerum sapientia sibi ipsi restituta. Quo beneficio uti- lam diu frui nobis contingat!

Sed magnatum partim imperitia, socordia & amentia; partim hominum prava 17 indole, non nisi quæstum respicientium, culpa factum est; ut de veteri illa, vera- que & solida doctrinæ gloria excidant Academiæ & Scholæ, dum illa veteris do- ctrinæ sensum subrepat oblivio; & ipsa tandem barbaries cum corruptissimis simul moribus & flagitiosa profanorum hominum sapientia reducit. Quo de argu- mento Bæcleri elegans dissertatiuncula de satis literariis nostri temporis legi pote- rit; & passim aliorum querelæ habentur. Dependet plerumque a magnatibus omnis literarum fortuna: quod Plutarchus Oratione posteriore de fortuna & vir- tute Alexandri eleganter Alexandri M. exemplo expressit: *Existimo, inquit ille, eos, qui tum fuerunt artifices, non tam etate Alexandri, quam propter Alexandrum extitisse. Ut enim frugum copiam bona temperies ac tenuitas aeris gignit; ita artium & bonorum ingenio- rum incrementa benignitas, honor, & humanitas Regis efficit; & contra Principum invidia, sordes, aut studium contendendi ista omnia extinguit & perdit.* Quos non Augusti ætas viros doctos peperit? Quos non M. Antonini Philosophi exemplo sapientia pro- gressus fecit? nam Herodiano teste, *magnum sapientum virorum proventum atas illa ex- tulit.* Notat & Gabriel Naudæus in Addit. ad Hist. Lud. XI. p. 76. sub Caroli Magni, Ludovici XI. & Francisci I. auspiciis, plus, quam integris olim seculis, pro- fecisse literas. Ubi vero vel bello vel ignavia se mancipant Principes, tota concidit res literaria, nullum doctis pretium statuitur, optima ingeniorum monumenta pessum vult. Qua de re vide elegantem in Principes invektivam, Trochaico Car- mine scriptam a J. Grutero, quod ille occasione Commentarii Hofmanniani in Ga- lenum facerat. Reperitur inter Epistolas Richterianas p. 534. * Quam gratum hoc animo accidat, illas rei literariæ periodos, nexum, momenta, mutationes nosse, facile omnes intelligunt. Sed & alius Historiæ illius fructus est longe uberrimus; ut non facile specie novitatis nos fallant, quæ vel in sacris, vel in quibuscunque doctrinis, oriantur sententiarum divortia, quæve a novis Doctoribus scholæ insti- tuuntur. Redeunt omnia humana in orbem, & cum negotiis civilibus ingenii commenta reviviscunt. Annon hoc seculo omnes veterum vel errores, vel bona etiam dogmata, novis Autoribus incrustata vidimus? Qualia nemo miratur, aut in iis pando ore hiat & stupet, qui ex Historia sectarum successiones & doctrinam ha- beret cognitam. Plerique omnes ita animati sunt, ut cum uni se addixere Magistro, nulla aliorum dogmata attingant, & ne illa quidem Magistri sui recte perqui- rant. Quotus est ex Peripatericorum tribu, qui habitantem in Græcia Magistrum quærat?

quærat? Vel ex Interpretum ore pendent plerique, vel ex Doctoris jejuni misera & compendiaria informatione hujus Philosophiæ campum metiuntur: de Platone
 19 aliisque Aristotelis antecessoribus, & securi & incuriosi. * Cartesium, qui novum Philosophiæ Systema hoc seculo coagmentavit, quam multi doctorum venerantur? & fontem tamen ignorant, unde Philosophia illa profluxerit. Illi vero, qui Historiam philosophicam, veterumque Philosophorum dogmata degustavit, facillimum erit omnium Cartesianorum principiorum vestigia in priscis illis Philosophis ostendere. Nimirum de Philosophis illis heri ac nudius tertius naris idem, quod olim in proverbio de Oratoribus Atheniensibus dicere possis: ἔφιν ἀν μὴ φάσγη ἔφιν, μὴ γέ γήσεται δράκων. Serpens, nisi devoret serpentem, nunquam erit draco. Nisi habeant, quos sequantur, quos, ubi maxime dissimulant, quasi devorent, & in siccum sanguinemque vertant, nunquam fiunt dracones, vel magna nomina & novarum sectarum fabri.

20 Multa præterea quasi ex abdito subministrat veterum recentiorumque temporum parallelismus scientiarum arcana, quorum vix summa rudisque notitia ac ἀνίσθησις illos pervenit: quæ si exculpi e latebris tota nequeunt, vel sola suspicio ne industriam Philosophi juvant, & in memoriæ larario reposita, δευτέρας postertatis Φροντίδας feliciori successu excitabunt. Demonstravit elegantissima de Arcanis scientiarum dissertatio *Erasmus Bartholinus*, quanta sollicitudine scientiarum sacra texerint, qui ex iis gloriam quaesiverunt populi, & quam illa eviluerint propagata: enarrat rerum deperditarum jacturam integro libro *Pancirollus*; quorum omnium memoriam nobis Historia conservat, ut residuas e tristi naufragio tabulas quas tamen collegisse non jucundum tantum, sed & utilissimum est.

21 Patet ex Historia literaria, eundem esse artium, qui hominum, qui Imperiorum est, genium: ortum illis, adolescentiam esse, & denique occasum. Nascuntur artes interdum subito, subito extinguuntur. Elegantissime hunc doctrinarum orbem depinxit Vellejus: *Aliis emulatio ingenia, & nunc invidia, nunc admiratio, incitationem ascendit, naturaque, quod summi studio petitum est, ascendit in summum, difficilisque in perfecti mora est, naturaliterque quod procedere non potest, recedit. Et ut primo ad consequendum quo priores ducimus, accendimur, ita, ubi præteriri aut aquari eos posse desperavimus, studium cum spe senescit, & quod assequi non potest, sequi desinit, & velut occupatam relinquens materiam querit novam: præteritoque eo, in quo eminere non possumus, aliquid in eo nitamur conquirimus, sequiturque ut frequens ac mobilis transitus maximum perfecti operis impedimentum sit.*

22 De his omnibus singulatim agere nimis hic prolixum foret. * Multa dici notarique possent, si recentiora cum veteribus illis in theatrum & in contentionem deducamus. In historia literaria velut in speculo utriusque temporis faciem ante oculos positam videre possumus. Observabimus, in quibus antiqui superent novorum temporum ingenia, in quibus illi ab his superentur. Sua est singulis ætatibus ingeniorum sætura, sunt artium temporarii proventus, quarum messes Historia velut in horreo quodam congerit, ne spicilegium quidem illarum rerum
 23 omiffura. * Qui ὡς ἐν κεφαλαίῳ illa cognoscere desiderat, adeat ALEXANDRI

TASSONI librum decimum, Voluminis istius, quod Italica lingua sub titulo *Penseri diversi* s. diversarum cogitationum scriptum est: ubi ille omnia disciplinarum genera pervagando, illarum antiqua novaque ostendit incrementa. * Eorum au- 24
tem omnium vel nulla superesset vel exigua cognitio, si libros & Bibliothecas tot thesaurorum promicondas non excusserimus. Non potuisset Plinius tam divitem nobis rerum naturalium penum relinquere, nisi in subsidium Bibliothecas Romanas adhibuisset. Non ipse Aristoteles tam diversa, in omni studiorum, in omni philosophia genere, nobis reliquisset, nisi a veteribus Bibliothecis adjutus, quem primum e Græcis Bibliothecam instituisse & collegisse volunt. Cui inter tot thesauros versanti, ingenio illo & judicio propemodum divino, facile erat, ditare postera secula.

Multum scilicet conducit vel sola veterum arcanorum nomenclatura: quæ cum animo nostro objicitur, statim ad idearum talium contemplationes disponit, ut vel eadem vel alia ad eorum ἀναλογίαν velut ex semine quodam producat. * Equidem 25
existimo, multa illarum novitarum, in quibus secula nostra triumphant, jam tum antiquitus cognita fuisse, iterumque deperdita. Infinita enim sunt, quæ ex rerum mutuis applicationibus vel per ingenium, vel per casum produci possunt. Sæpe unius seculi, imo unius anni, diversis & gentibus & hominibus eadem in mentem venire possunt artificia, quæ celata primum, vel ad alios devolvuntur possessores, vel ex ingeniorum simili quasi concentu & tacita conspiratione formantur. * Vi- 26
vebat, seculo hoc ineunte MAGNUS PEGELIUS, Rostochiensis primum, hinc Helmstadiensis Academiae Professor, cujus variorum experimentorum syllabus singulari libro prodiit hoc titulo: *Thesaurus rerum selectarum, magnarum, dignarum, utilium, suavium, pro generis humani salute oblatas*. Multa illic Autor notat ab se excogitata in omni studiorum genere, Mechanicis, Mathematicis, Naturalibus, arcana, quorum aliqua annis insequentibus magno cum apparatu & pompa in lucem edita vidimus, & in quibus hodie inveniendis laborat multorum industria. Non facile tamen dixerim, quomodo factum sit, ut a Pegelio ipso nil eorum artificiorum in effectum deductum fuerit, vel tam exigua ac pene nulla ejus apud alios mentio fiat. Fortassis & ipsi, quæ omnibus rerum novarum inventoribus, invidia & incredulitas obtulit.

Varia illic occurrunt memorabilia. Cum p. m. proponitur ratio Chirurgica 27
insignis & rara homini communicans externa, quæ ipsi bona & interna multa quæ noxia avertens: cui non Chirurgiæ alicujus infusoriæ suspicio oriatur? Pagina 123. de navigii aërei fabrica agit: de illo *Franciscus Lana* in Prodromo *all' argente maestra* operose egit, & ante illum quoque *Petrus Mormius* in Arcanis collegii Rosiani detectis p. 14. & 15. quædam proposuit. Pagina 125. de machina aliqua memorat, quam tempore quocumque quis seu fortior, seu debilior agitare possit: simile quid in Actis Anglicis & Gallicis deprehendimus. Ibidem de ratione, qua ex vase uno liquores quoscumque diversi effundantur, habetur; ita ut quis inde vinum, nunc rubrum, nunc candidum, nunc aquam, nunc aliud atque aliud liquoris, quodcumque velit, genus, imo, calidos & ferventes, si velit, liquores depromat. Cui vero non idem hoc artificium

videbitur? quò aliquis ore evomere varii generis liquores potest, quod a circumforaneis quibusdam, ante annos non ita multos, cum maxima omnium admiratione factum fuit. Quæ pag. 126. proponuntur artificia Archimedæa, quibus liquorum bonitas vel pravitas exploretur, illa nostra ætate spectata fuere, & a Kircherò in *Mundo Subterraneo* exhibentur. Navigium submaritimum, de quo pag. 127. agit, & cujus usum prolixè recenset, novum post illa tempora vel autorem vel propagatorem in Belgio invenit. Quomodo ex fundo maris & naves & res aliæ graves educi possint, de quo ille pag. 137. nostro quòque tempore singularibus machinis tentatum fuit. Instrumentum quoque Pantographicum, de quo ille pag. 163. postea Scheinero Mathematico singulari libro delineatum. Pauca illa sunt, quæ e numero illo excerpti: cetera pleraque inter nostræ ætatis inventa nunc comparent, quibus recensendis nunc superfedebimus. Et fortassis ante Pegelium jam tum alii fuere, qui de iisdem vel similibus cogitarunt.

- 28 Hos ac multo plures usus præstare poterit Historia literaria, ad quam diligentius excolendam merito eruditorum studia conspirare debebant. Multa illo in genere JOH. GERH. VOSSIUS præstitit, ac plura præstare potuisset, si, quæ affecta habuit, absolvere potuisset. Nostro tempore vel Conringio vel Bæclero labor ille demandari potuisset. Conringius certe jam tum insignem ejus partem in *Antiquitatibus Academicis* absolvit. Versatur & in nonnullorum manibus ejusdem liber *ἀνέκδοτος de Scriptoribus*; quam tamen extemporalem ego operam crediderim. Bæclerus non attingit hoc doctrinæ genus, nisi quod exiguus ejus liber in commodum tironum de Scriptoribus prodit, qui præter Nomenclaturam Autorum & editionum nihil habet. * Ceteri, qui ad hoc argumentum accesserunt, non ista *ἐμπειρία* literaria instructi, plane inepte in hoc negotio versantur, & paupertinam eruditionem ostentant. Quid enim efficiant, qui *aliena negotia curant, excussi propriis*? Suscipi illa res debet ab ingenio non jejuno & imperito, sed operi huic soli intento, sed cujus magna sit judicandi solertia, quodque e *τύπω* illo *περισωτικῶ* indagare rerum occultarum nexum possit.

CAP. III.

DE RE BIBLIOTHECARIA.

Et quidem I. de Causis erigendarum Bibliothecarum.

- §. I. *Bibliotheca ἐμψυχος & mortua.* 2. *Bibliotheca nomen πολύσημον.* 3. *Bibliotheca publica, privata.* 4. *Ha cum delectu & sine dispendio rei familiaris instituenda.* 5. *Aldi Manutii & Joannis Cordesii studium Bibliothecarium.* 6. 7. *Pinelli de studio nummario judicium.* 8. *Bibliotheca Principum.* 9. *Ludovici Jacobi de Bibliothecis Parisiis gloriatio.* 10. *Bibliothecarum institutio maxime ad curam Principum & Magistratum spectat.* 11. *Prima Bibliothecæ erigende occasio & causa ab ACTORUM PUBLICORUM CUSTODIA.* 12. *Exemplo Ægyptiorum, Phœnicum, Sinensum, probatum.* 13. *Archiva olim dicebantur Athenæica vel Athenica.* 14. *Athenæum celebre Romæ auditorium.* 15. *MSti Codices, qui ad statum*

tum Reipublica pertinent, plurimi in Bibliotheca Vaticana, 16. Augusta, 17. Mazarihana, 18. Putæana, 19. Pinelliana. 20. Secunda causa STUDIORUM AMOR. 21. Principes Bibliothecarii. 22. Ducis Brunsvicensis Augusti laus. 23. Privatorum Βιβλιομακίνας non omnino reprehendenda. 24. Librorum usu multari pena maxima. 25. Tertia causa UTILITAS PUBLICA. 26. Bibliotheca ad usum publicum pateant. 27. Viri docti magno e MStorum præcipue lectione fructus capiunt. 28. Id exemplo Sirmondi & Salmasii ostenditur. 29. 30. Bibliotheca optima magnum ad eruditionem parandam est præsidium. 31. Principum vanitas in congerendis Bibliothecis etiam literatis prodest.

Qui Historiæ literariæ penetralia perreptavit, vere quod de Longino olim dicebatur Βιβλιοθήκη ἔμψυχος dici potest: quem nemo sibi titulum acquirit, nisi e mortuis Bibliothecis se ipsum Bibliothecam vivam fecerit. Utriusque Bibliothecæ quidam nexus est. Bibliotheca ἔμψυχος dici non potest, nisi qui mortuas probe excusserit. Bibliotheca vero mortua erit, cujus rectioni non præficiatur Βιβλιοθήκη aliqua ἔμψυχος. Elegans ille lusus est Leonis de S. Joanne, qui scripsit Ideam Bibliothecæ viventis & mortuæ ad Henricum Memmium, cujus libri vel titulo tam præclaram Memmii Bibliothecam, quam ipsum laudabat, teste Ludovico Jacob. *Tr. de Biblioth. p. 544.*

Ut ad BIBLIOTHECARIAM rem tandem accedamus, sciendum est, 2 Bibliothecæ nomen esse πολύσημον, nam vel numerum librorum significat, vel ipsum illum locum, in quo libri ponuntur, qui & Apotheca JCrts dicitur *l. 12. §. 33. ff. de instructo vel instrumento legato.* Solent & tituli librorum, uno aliquo libro congesti, Bibliothecæ nomine saluari, quales Catalogi sunt, vel libri multarum rerum copia instructi, ut Diodori & Apollodori Bibliotheca; vel multi Auctores in unum aliquod systema collecti, ut Bibliotheca Patrum. Huc referri debet, quod a Monachis, aliisque ævi infimi Scriptoribus Bibliothecæ nomine Verus & Novum Testamentum vocetur. Ita Durandus lib. 6. Rational. c. 1. n. 27. *Bibliotheca a Græco nomen accepit, & est nomen equivocum, scil. locus, in quo libri reponuntur, & volumen ex omnibus libris V. & N. Testamenti ab Hieronymo compositum.* Vid. du Fresne in Glossario, hac voce. Ridicula erat Calvisii Sabini e servis Bibliotheca, de quo Seneca *Epist. 27.*

• Sed illa ad rem adeo non pertinent. Veniamus ad Bibliothecas ipsas, quales 3 vel privatæ sunt, vel publicæ. * Illæ, quanquam in molem tantam non excrecant, 4 ut publicæ: sunt tamen etiam inter privatos viri illustres & opulenti, qui in libris omnis generis coemendis nullis parcunt sumptibus. Quorum Βιβλιομακίνας reprehendit Seneca *Ep. 2. & 45. & de Tranquill. animi c. 9.*, ridet Lucianus in libello *πρὸς ἀπαιδέντων καὶ πολλὰ βιβλία ὀνέμενον*, & Auson. *epigr. 43.* Sunt ita animati nonnulli. ut

*magno de flumine malint,
Quam de fonticulo tantundem sumere.*

cum vastioris Bibliothecæ minor interdum usus sit, quam ejus, quæ selectis paucioribus libris constat. Quo de argumento legatur elegans Rolandi Marésii nona libri primi epistola. Ita ille eo in loco: *Ad doctrinam quidem comparandam quin lectione opus sit, nemini dubium est: sed & attentata meditatio & accurata natura & rerum, quæ ob oculos versantur, quotidianorumque eventuum consideratio non minoris sorte est utilitatis: modo prima disciplinarum elementa hauseris, & optimos scriptores saltem degustaris: qua in re tamen multum peccari video: non satis enim apud nos meditamus, quod nihilominus facile & ubicivis exercere licet: sed omne nostrum studium in libris legendis impendimus, memoriamque varia rerum suppellectile ornamus, judicii nulla fere cura: & solum, quod quis dixerit retinemus, non, quare dixerit, judicamus.* Coëmendi sunt a privatis libri, non quibus opus habent, sed potius necessarij. Pretiosi illi, magna Volumina, ad ornatum interdum Bibliothecarum potius spectantia, ad Bibliothecas publicas referendi: minutiores vero libri, rariores, singularis argumenti, qui se oculis emptorum facile subducunt, præ ceteris comparandi. * Ultra privati sane sortem ALDI MANTUANI junioris Bibliotheca æstimanda est, qui octoginta millia librorum Pisanae Academicæ legasse memoratur Francisko Schotto in *Itinerario Italico lib. 2. c. 10.* Sed ille rem familiarem omnem in Bibliothecam imprudenter consumpsit. Refert enim in Pinacotheca sua Janus Nicius Erythræus, adeo modicis Aldum illum fuisse facultatibus, ut illi necessum fuerit aliquot centum aureorum ad transferendam familiam scenori sumere; quo ex ære alieno vix unquam liberari potuit. * JOANNI CORDESIO, Ecclesiæ Lemovicensis Canonico, magna quoque in cumulandis libris fuit cupiditas, quam tamen ita temperavit, ut in statu Ecclesiastico vivens, plus tamen non impenderet, quam accepti rationes paterentur. Genium tamen suum defraudavit sæpe, ne hac voluptate excideret. Legi de eo Gabriëlis Naudæi elogium debet, quod Bibliothecæ ejus, Parisiis editæ, præmisit. * PINELLUS quoque, ut Gualdus in ejus Vita testatur, non ferebat privatorum in coacervandis nummis, gemmis, naturæ rarioribus, insaniam, opes suas, in fortunarum suarum detrimentum, exhaurientium. * Principi & nobilibus, vel centum librorum Bibliothecam sufficere posse, ad omnes artes & scientias, quantum satis est, addiscendas, ostendit MATTHÆUS VAYERUS in *Epistola singulari Scholæ suæ Principum*, Gallica lingua scriptæ, subjuncta, in qua de titulis rerum & legendi ratione prolixè differt. * In sola Gallia, imo in Parisina urbe sola, plus Bibliothecarum privatarum esse, quam in Germania aliisque regnis, LUDOVICUS JACOBUS dicere non veretur in tractatu suo *de Bibliothecis*, quem tamen paulo jactantius hic loqui crediderim; nam numerus illarum minor est ceterarum illarum numero, quas indiligenter tamen & segniter congeffit, rudis enim illarum nomenclatura est; & aliorum fide transumpta, cum in Gallicis Bibliothecis ornandis magno cum apparatu elogiorum & verborum, testis præterea oculatus, versetur. Sed condonandum hoc affectui in Patriam est. Multi in Gallia inter privatos sunt regis pene opibus, quibus facile est thesauros illos librariorum colligere. * Sola pertinet hæc ad generosos & beatos gloria: inter quos cum familiam ducant Principes & Magistratus, illis cura hæc incumbit rei prospicere publicæ. Etenim si armamentaria extruimus,

mus. quibus belli tempore se defendant adversus injuriam cives; si penus & promptuarina instruimus, ut vitæ necessitatibus subveniatur; quidni & Bibliotheca colligamus, quibus animos pascamus, & ad sapientiam excolamus: quemadmodum armis ad fortitudinem corpus & nervos firmamus. Ejus instituti ac corporis causæ cum & multæ sint & gravissimæ, eas hic quasi per σύνεψιν discutiamus.

Ac prima quidem & antiquissima librorum colligendorum occasio fuit ab ACTORUM REIPUBLICÆ COLLECTIONE ac CONSERVATIONE, quæ certo quodam in loco custodiri debebant. Etenim cum publice interesset, conservari rerum gestarum memoriam, primum quidem negligentius in gente adhuc rudi, majori deinde cura in illam incubuerunt. Nam sculpturis, picturis, saxorum inscriptionibus, antiquissima illa & primæva maximeque naturali communicandi res suas via, omnia, vel denique rudibus quibusdam elogiis & hymnis ad posteros transmiserunt. Quod de Germanis nostris testatur Tacitus, quorum carminum inquisitionem diligentissimam promiserat in Germaniæ Antiquitatibus Aventinus, ut ex syllabo argumentorum Operis prodromo patet. Sed nihil pene & valde exigua eorum vestigia in Annalibus Bojaricisprehendas, quibus uberiora sperare nos vetat Cisnerus eorum editor. * Apud Ægyptios Sacerdotibus hoc negotium dabatur, ut referrent omnia in literas. Apud Chaldæos itidem hoc fiebat, imo apud ipsos Hebræos, de quo videatur Josephus libro contra Apionem, & Mascardus dell arte historica trattato 1. cap. 1. & 2. Unica certe illa apud Chinesium populum & prima cura fuit: nam referente Martino lib. 1. *Fuit & est etiamnum genti huic usitatum, ut doctissimis aliquot Imperatoris defuncti res gestæ conscribenda a successore mandentur: quod munus apud ipsam, cum primis est honorificum, & a summis quibusque viris expetitur.* Hinc Historia Sinica ita sibi semper similis continuatur, ut, quanquam ab alio sit atque alio succedentibus annis adaucta, unius tamen auctoris esse opus videatur. Prima & antiquissima historia stylo ferreo foliis incisa: postea vero chartis inscripta vel impressa typis. Lieupangus Imperator cum Ingum vicisset, referente eodem Martino lib. 7. *Siachous vir consultissimus, spretis divitiis omnibus, que in manu ejus erant, museum summi magistratus ingressus, inde tabulas imperii geographicas & libros, in quibus particulatim omnia provinciarum peculiaria & munitiora loca, reditus & hominum numerus accuratissime representabantur, secum abstulit atque servavit.* Ex his deinde Lieupangum omnem imperii statum adeo scienter edocuit, ut omnes, & præcipue Lieupangus admiraretur, unde tanta rerum ei notitia: quem proin Imperator honoribus ac divitiis auxit amplioribus, quam si civitatis unius gazam omnem solus acquisivisset, ditior e libris unius, quam milites omnes a prædiis. Vel ex hoc illustri videmus exemplo, his præcipue scriptis, quæ ad Rempublicam pertinent, primum fuisse instructas Bibliothecas, quæ Archivorum nomine postea dictæ fuerunt, cum separarentur publica illa ab aliis rebus. * Chartarium sequioribus temporibus dictum est, ubi servabantur Epistolæ. Olim Athenica, vel, ut Salmasio emendatori placet, Athenica dicebantur, in quibus reponerentur literaria monumenta, ut Epistolæ & Orationes Ducum Imperatorumque,

que, Ephemeriſdes Principum & Senatus conſulta de Principibus facta, & alia ejuſ generis, ut docet nos Salmaſius in notis ad illa Trebellii Polliionis in triginta Tyrannis, vita Regiliani, ubi de Epistoſa quadam Claudii loquitur, *quam ego, inquit, repertam in Archivis inferendam putavi, fuit enim publica.* Atque ita emendatum ab ineptis librariis erat, cum MSti Codices pro *Archivis* habeant *Athenicis*, nam Athenica in Archiva mutasse videntur, inquit Salmaſius, quibus Archiva notiora, quam Athenica; quam istius seculi vocem genuinam esse ille iudicat. * Athenæum alias Romæ fuit celebre auditorium, in quo Oratores, Rhetores, Poëtæ publice recitent, ubi videntur illa acta fuisse recondita. Unde vel Athenæis, vel Athenaicis, id est, armariis istius Athenæi, vel Athenicis legendum; quod ultimum ut genuinum probat Salmaſius. Mihi equidem non displicet Athenaicis: cum hoc nomine apud Græcos multa dicantur; quæ ad Athenas pertinent, ut festa Ἀθηναικά, quibus poculum circumferebatur, quod *παραθηναικόν* dicebatur. Ita & Ulpia Bibliotheca libros habebat, quibus Aureliani Imperatoris quotidiana erant perſcripta, teste Vopisco in ejus Imperatoris vita. Hoc consilio olim Aristotelem Bibliothecam instituisse Conringius de Bibliothec. Auguſt. probat p. 84. & de Apellicone Teio Peripatetico ex Athenæo lib. 5: cap. 14. patet, omne illum ex civitatibus, si

15 quid esset antiquum vel reconditum, corrasisse. * Eadem & Bibliothecæ Vaticanæ fuisse initia ex Onuphrii Panvini libello, quem de Bibliotheca Vaticana scripsit, discimus; Hilarius Papa primus, quod legerim, Bibliothecas duas Romæ juxta fontem Lateran. ædificavit, in quibus Ecclesiæ Romanæ scripta & Epistolæ decretales Romanorum Pontificum, Conciliorum actiones, hæreticorum palinodias & hærefes, sanctorumque Patrum libros publico usui Christianorum conservaret: cum eo tempore libri, ob paucitatem & librariorum raritatem, difficulter admo-

16 dum invenirentur. * In Bibliotheca Augusta 200. MSti Codices de *arcanis negotiis Germaniæ & aliorum regnorum*, teste Conringio, asservantur. Ad hunc finem respexisse cum illo Chinenſium imperatorum Consiliario Siachoo viros quoque illustres Reipublicæ gubernandæ admotos, e Bibliothecarum Scriptoribus discimus.

17 * Magnum earum rerum thesaurum in incomparabili illa Mazariniana fuisse notius

18 est, quam ut hic commemorari a nobis debeat. * Incredibile est, quot quantaque rerum Gallicarum arcana congeſſerit Petrus Puteanus, Regis Christianissimi Consiliarius, de quibus volupe est legere in vitæ ejus descriptione Nicolaum Rigaltium. Vide illum p. 50. 51. Habuit Memorialium septingenta & sexaginta quinque Volumina Puteanus, sua pleraque manu scripta. Titulos aliquot illorum recenset a pag. 64. ad p. 71. Rigaltius, qui Catalogo hæc verba subjungit: *Indicavi titulos tantum & lemmata. Qui volumina conspexerit, mirabitur talia tanta scripsisse hominem*

19 *tot amicis quotidie vacantem, & valetudinarium.* * Quam diligens eorum asservator fuerit Vincentius Pinellus, in vita ejus Gualdus refert: nam quicquid arcanorum, relationum ad statum Venetum pertinentium corradere potuit, congeſſit, ac per vastos libros digeſſit. Quod cum sciret Senatus Venerus, cum post mortem ejus libri Neapolin transportandi essent, manum MStis illis injecit, ac in Bibliothecæ

thecæ publicæ peculiari conclavi reposita cum hac inscriptione: *Decreta hac imperio Senatus e Bibliotheca Pinelliana.* Sua enim interesse existimabant, ne illa status arca in peregrinas manus venirent. Fuere autem CCC. Commentarii. Facit & Ludovicus Jacobus, Tr. de Biblioth. pag. 498., mentionem Jacobi Amelotii, qui magnam vim tractatum Politicorum & Memoriarum MStarum ad statum Regni Gallici pertinentium congefferit. Hanc ob causam credo & Bibliothecæ cura iis, quibus Historiæ vel scribendæ vel legendæ munus dabatur, data est, ut de Academicis quibusdam observat Hotting. in *Biblioth. quadripartit. cap. 1. n. 1.*

Post causam, quæ ex necessitate videtur nata, ad Bibliothecas erigendas incitarunt ipse STUDIORUM mentisque excolendæ AMOR, & φιλοβιβλία, qualis in Regibus nonnullis deprædicari satis nequit. * Inprimis vero Ptolomæorum familiae proprium id studium fuit, & aliis quoque Imperatoribus, Regibus, Principibus nostri seculi, quorum hic magnum dare catalogum poteramus. * Vel unius AUGUSTI, gloriose memoriæ, Brunsvicensium Ducis, singularis ac incredibilis ille ardor deprædicari satis nequit, qui dignissimum virtutis præconem nactus, τὸν πένυ Conringium in Epistola de Bibliotheca Augusta ad Illustrissimum Boineburgium scripta, qua ille, nec sine ratione, supra omnes Regum Principumque similes imperus hos labores extollit. Septem enim illic argumenta recenset, quæ admiranda vocat, unde Bibliothecæ illius dignitas & Auctoris simul æstimari debeat. Vere ille Bibliotheca mortuæ suæ ἐμψυχος, imo ipsa ejus anima; verusque, quod in magna laude ponendum est, Bibliothecarius. Ipse, quod mireris, tot librorum indices, spissa volumina, ut eo cognitiore haberet omnia, sua manu scripsit; ipse pulcherrima ferie disposuit, quæ vel privati hominis fatigare patientiam possint. Continuos ejus pro Bibliotheca augenda labores, vigiles per omnia terrarum oculos, studia indefessa summis elata laudibus vide: neque enim illa nobis recoquenda. * Ignosci privatis debet, si hæc discendi cupiditate abrepti cum rei suæ familiaris jactura hic insaniant. * Etenim si unquam, hoc cum ratione infans est: qua multos ita abductos vidimus, ut vel genium fraudarent, quo animam his deliciis pascerent: Aliqui vel vitam sibi acerbam existimarunt, si libris sibi cendum foret, ut igne & aqua sibi interdici tolerabilius habuerint, quam librorum facere jacturam. Quod pænæ genus non ignoravit Tiberius, qui referente Suetonio, in *Tib. cap. 61.* quibusdam, custodiæ traditis, non modo sermonis & colloquii usum, verum etiam studendi sustulit potestatem. Alphonfus Rex, teste Sylvio in *libro de dict. Alphonsi*, sola lectione recreatus e morbo convaluit. Corrafius, JCtus magni nominis, in *Epist. quæst. c. 18.* omne vitæ solamen, vivendi desiderium sibi ablatum dicit, qui libros veteres sibi amicos adimeret. Eleganter & plane supra illius, quo scribebat, seculi genium, Lucas de Penna in Rubr. C. de navi-
Liber est lumen cordis, speculum corporis, virtutum magister, vitiorum depulsor, coronæ prudentum, diadema sapientium, gloria honorum, decus eruditorum, comes itineris, domesticus amicus, collocutor & congerro tacentis, collega & consiliarius præsentis, vas plenum sapientiæ, myrothecium eloquentiæ, hortus plenus fructibus, pratum floribus distinctum,

principium intelligentiæ, memoriæ penis, mors oblivioni; vita recordationis; vocatus properat; jussus festinat, semper præsto est, nunquam non morigerus; rogatus confestim respondet; sincerus consultor, non assentatur, non loquitur ad gratiam, nemini parcens, quia neminem timet; nihil mentitur, quia nihil poscit: te nunquam fastidit, etiamsi tu illum fastidio habeas: arcana revelat, obscura illustrat, ambigua certiorat, perplexa resolvit, contra adversam fortunam defensor, secundæ moderator, opes adauget, jacturam propulsat; puteus inexhaustus, thesaurus immensus, ararium inconsumptibile, paradysus, unde ejici non potest, nisi cum volueris: amœnitas frugifera, qua frui possis, quamdiu velis; doctor gratuitus, faciens te guarum, si reperit ignarum. Ceterum elogiorum illorum magnam silvam vide in Richardi Bury Philobiblio cap. 1. & 2.

- 25 Præter hæc UTILITAS quoque PUBLICA est, quæ librorum collectionem suadet. Quemadmodum enim proventus & agrorum fructus congerere solemus; ita ingeniorum veluti messes in his custodire horreis debemus. Qui sunt tam stolidi populi, ut patriæ suæ fruges reditusque perire finant, & ingeniorum
- 26 opes rescindant, unde maxima genti gloria, civibus commoda? * At amplas aliqui possident Bibliothecas, publicæ quoque institutæ sunt, sed non in aliorum usum. Nimirum quasi scænæ tot libri inserviunt, oculos tantum moraturi, non animos saturaturi. Cui bono thesaurus absconditus? Ergo in tinearum & blattarum gratiam tot opes impenduntur, tot libri colliguntur. Galli in eò liberales, apud quos vel privatæ Bibliothecæ ad publicos usus conceduntur. Bodleiana Oxoniensis singulis diebus patet. Quæ tamen secretiores sunt, commendatione Patronorum expugnari possunt. * Manuscriptorum non adeo facile copia dari solet. Est ubi invidia illam negat; est ubi furti merus peregrinos arcet. Nullos ea in re præter Anglos difficiliore se sensit queritur in præfatione ad Polybium Gronovius. Solet vero usus tam Manuscriptorum, quam impressorum, certis quibusdam legibus concedi, quæ Bibliothecis singulis singulares esse solent; quarum aliquæ a nonnullis notatæ sunt. Utilitatem hanc commendatum iverunt viri doctissimi. Extat Anton. Sanderi dissertatio parænetica pro instituenda Bibliotheca publica Gandaveni ad Magistratum & proceres ejusdem urbis, ubi argumentis omnibus rem agit. Quibus cautelis legibusque usus Bibliothecæ sit circumscribendus, docuit Naudæus in libro sæpius laudato, de Bibliotheca instruenda cap. 9. Fructus vero
- 28 hinc redundare uberrimi ad viros doctos possunt. * Non potuisset tam variam vastam Opera scribere Sirmondus, nisi Peravianam Bibliothecam ad manus habuisset, & rarissimos, qui in ea servantur, MStos codices excutere potuisset, teste
- 29 Ludovico Jacobi, Tr. de Biblioth. p. 552. * Quantum Salmasio profuerit Bibliotheca Heidelbergensis, legas in vita Salmasiana, Epistolis ejus præfixa; Hæc enim prima tam vastæ eruditionis jecit fundamenta. Operæ pretium est verba Autoris ipsius in medium proferre: *Salmasius admissus in interiorem Jani Gruteri amicitiam, & liberrimus ei ad locupletissimam Bibliothecam patuit aditus. In eam itaque se condidit, & evolvendos partim, partim conferendos cum editis, aut si editi non essent, & majoris momenti viderentur, ad transferendos Græcos Latinosque codices MStos se accin-*

accinxit: Atque ea quidem pertinacia, ut non diem tantum, sed & noctem, huic curæ impenderet, & ex tribus unam semper insomnem duceret. Toto mane fere una semper cum Grutero operam hanc navabat: a meridie per aliquot horas ambulationibus se invicem atque eruditis sermonibus recreabant, ne quod otium sine negotio abire sibi Claudius noster permitteret. Tum iterum Salmasius ad pensum suum, Gruterus domum reverti solitus. Quia etiam id juris in Bibliothecam jam acquisiverat Heros noster, ut in Museis quoque, quos vellet codices, secum perlegendos aut describendos adduceret; ita factum paucissimis mensibus, ut eruditionem acquireret plane incredibilem, & fama nominis ejus non Germaniam tantum universam, sed & Belgium nostrum & Gallias pervagaretur, & pro Grutero jam Salmasius undique de dubiis ac conclamatis apud omnis generis autores locis consuleretur. Ille vero, jam tum eruditionis variae admodum & diffusa copiis instructus, nunquam non plenissime eis satisfecit, & supra expectationem quoque lautissimis doctrinae & polymathiae suae epulis satiavit. Superfuit tum in ipsius Museo, tum apud amicos maximorum virorum literæ, quibus super variis admodum & difficillimis locis in Stephani dictionario, Floro, Callimacho, Theocrito, Athenæo, Hesychio, aliisque gravissimis Autoribus, sententiam rogatur. * Vel unico hoc exemplo luce meridiana clarius patet, nullum esse ad meliorem eruditionem parandam præsidium, quam optatam Bibliothecam.

Ille quanquam semper respici usus deber, sæpe tamen potius in pompam & ad magnificentiam ostendendam instituuntur Bibliothecæ. Domitianus ipse, hostis alias bonarum mentium & virorum sapientum, Bibliothecas tamen incendio absumptas impensissime reparari curavit, exemplaribus undique petitis, missisque Alexandriam, qui describerent emendarentque. Eadem causa Cleopatram ad reparandam Bibliothecam Alexandrinam impulit. Sed ignoscendum huic morbo est, per quem aliorum saluti prospicitur. Longe enim honestius, si inserviendum est magnaribus, in Bibliothecarum instructionibus, quam in magnificis substructionibus, spectaculis, epulis, & innumeris aliis perdendarum opum instrumentis, insanire. Quicquid hic impenditur, in reipublicæ bonum cedit, cum cetera, vel perituræ voluptati, vel inutili vanitati, cum civium detrimento impendi soleant.

C A P. IV.

DE MEDIIS ERIGENDARUM BIBLIOTHECARUM, DEQUE EARUM ORNATU.

- §. 1. *Integra Bibliotheca primum pro fundamento amplioris Bibl. cœmenda.* 2. *Tabernæ visitandæ.* 3. *Familiaritates cum Bibliothecarum possessoribus eorumque heredibus contrahendæ.* 4. *Catalogi excutiendi, & vitarum scriptores, unde Operum ineditorum notitia habetur.* 5. *Pinelli mira sagacitas.* 6. *Emissarii alendi.* 7. *Officine opticum, chartis & membranis utentium, perlustrandæ.* 8. 9. *Indices Librorum publici, Francofurtenses & alii, perquirendi.* 10. *Autoritas publi-*

publicorum munerum libris parandis subsidio est. 11. Exemplum Richarde de Bury. 12. Amicitia virorum doctorum augentur Bibliothecæ. 13. Ornatu Bibliothecæ detrahendum in Bibliothecæ augmentum. 14. Bibliothecæ & legatis ditantur. 15. Oxoniensis Bibliothecæ legatis magnificentissimis crevit. 16. Theatrum Scheldonianum. 17. Fuggeri in Heidelbergensem liberalitas. 18. Veneta Cardinalis Bessarionis legato insigniter locupletata. 19. Luctuosi & inhonesti Bibliothecæ augendi modi, per spolia bellica, 20. exemplo Vaticanæ, quæ Heidelbergensis, 21. Vindobonensis, quæ Budensis jactura creverunt, 22. per furta, exemplo Didaci Mendoza Venetam compilantis. 23. De facto illo disquiritur. 24. Furta Bibliothecaria nonnullorum in usum publicum. 25. Typographiæ beneficio Bibliothecæ nostri temporis longe auctiores redditæ sunt. 26. Ornatu Bibliothecarum. 27. Imagines & statua in illis. 28. Optimus a charta & typis ornatus. 29. Charta & typorum ornatu Germania a Belgio & Italia superatur. 30. Nimius librorum nitor non arguit librorum beluones. 31. Librorum nitor in Bibliothecis publicis non negligendus.

1. **V**idimus de causis, ob quas Bibliothecæ institui solent: dispiciamus jam de MODIS, quibus ad earum exstructionem perveniri soleat. Comparantur Bibliothecæ per emptionem, cum vel integræ emuntur, vel singulares libri. Præstat vero integras, ut fundamentum, subternere nostræ, quam sparsos hinc illinc libros colligere. His initiis Illustrissimæ Bibliothecæ ad eam magnitudinem excreverunt. Ita Franciscus de Joyeuse ex tribus aliis, inter quas Pitheæna, suam collegit & confecit, teste Ludovico Jacobi p. 524. Idem de Biblioth. Augusta testatur Conringius. E Simeonis Bosii Bibliotheca suam instauravit Cordeus.
2. * Ut vero cum lucro & commodo nostro coëmantur libri, variæ artes observari debent: nam vel vilissimæ tabernæ visitandæ interdum sunt; e quibus ipse sæpe,
3. quæ non credideram, extraxi: * Familiaritas contrahenda cum heredibus hominum doctorum, præcipue indoctis: a quibus vel libri manuscripti, vel ab ipsis
4. scripti, sed propter singulares causas suppressi, sæpe comparari possunt. * Tales libri multi notati sunt in vitis virorum illustrium, qui latitant passim apud heredes, sed in lucem raro protrahuntur, ac sæpe in rapaces aliorum manus incidunt. Ubi jam Nobilium Exercitationum Libri I. C. Scaligeri, quos Robertus Constantinus editurus erat, teste Michaële Neandro in præfatione luculenta, Græcæ Linguæ erotematibus præmissa, pag. 222? Ubi sunt libri Familiarium exercitationum, quos integros dare se posse testatur Mauffacus in præfatione Commentariorum Scaligerianorum, in Historiam animalium Aristotelis ab se editorum? Ubi Opus ejus in Officia Ciceronis, quod editurum se illic promisit? Ubi sunt Originum libri CXX, quos ipse Scaliger ob molem edi posse desperavit? & plura alia, quæ illic a Mauffaco recensentur. PINELLUS mire in libris illis conquirendis sagax
5. fuit; de quo in vita ejus Gualdus p. 47. hæc habet: * Ut Bibliothecam suam, quam in oculis ferebat, quotidie locupletaret, hanc sibi inter alias rationem proposuerat, ut a literatorum, qui diem nuper obiissent, heredibus librorum indices compararet; e quibus omnia ea per-
- disce.

disceret, quæ sibi in Bibliothecam essent transferenda: quod tamen raro admodum accidit, cum haud æque dominis ac ipsi nota essent, quæ in cuiusque Bibliotheca latitabant. In his vero perquirendis quam fuerit accuratus, declaratum volumus unico hoc exemplo. Vir Clarissimus Venetus vita functus est. Libros aliquot magni nominis MStos ille diu in deliciis habuerat, quos Pinellus divenditos redemit, & cum ejusdem Bibliothecæ reliquias bibliopola nescio quis, schedas videlicet, atque alia hujus generis cœmisset in gratiam falsamentariorum, re comperta illico hic noster nobiles illustrium virorum epistolas perire non est passus. * Emissarios ille habebat, quorum industria ex Orca faucibus sæpe sæpius eripuit insignium virorum literales labores. * Cribrorum, Cymbalorum & Cithararum artifices, quod non modicam vim membranarum in artificium suum absumerent, singulis saltem mensibus a suis conveniri volebat, & id optimo ut plurimum eventu. Novi Viros doctos, qui magnam MStorum Codicum suppellectilem eodem artificio congesserunt, exiguis nummis; qui si a peritis æstimandi, magno pretio venirent. Notum enim est, quanta MStorum Codicum sit æstimatio, de quorum caritate legi Gabr. Naudæus addit. ad Historiam Ludov. XI. p. 86. & seqq. potest. Ita Sirmondus pro 50. Imperialibus magnam copiam MStorum a bibliopogo redemit, ut videre est apud Ludovicum Jacobum Tr. de Biblioth. p. 525.

Notitia esto præcipuorum per totam Europam librorum, aut hominum, qui nostri causâ omnia Bibliopolia & Typographeia perreptent; qua sagacitate nemo eundem Pinellum superavit, de quo hæc in vita ejus Gualdus: *Instruxerat ille præclaram hanc discendi cupiditatem, ope multorum, qui eadem voluptate afficerentur. Hos non in Italia Europæque urbibus modo, sed & in oppidis vicisque selegerat, quorum industria continenter uteretur, ad quos Epistolas schedulasque oportune missitaret: catalogi omnium nationum, omnium Bibliopolarum, evolvendi & inquirendi. De la Croix du Maine a prima juventutē vastissimos catalogos, ut librorum notitiam haberet, congestit, ut testatur ipse in præfatione Bibliothecæ suæ Gallicæ, & Ludovicus Jacobi pag. 673. & 674. Ita de Pinello Gualdus: *Nundinarum Francofurtensium Venetorumque Bibliopolarum librariorum, quotquot erant, indices sedulo perlustrabat, & ab amicis, qua Italici, qua Transalpinis omnia diligenter in Bibliotheca ornamentum percunctabatur. Si quid Romæ, Florentiæ, Parisiis, Antverpiæ, Augustæ Vindelicorum, Venetiis & alibi Pinelliana Bibliotheca dignum prædiceret, non deerant, qui vix dum edita volumina & quaterniones aliquando e prælo recentes Pinello missitarent.**

Non parum etiam juvare solet illum librorum cumulandorum arduum, si significemus aliis nostra Bibliothecæ erigendæ consilia, præsertim, si in autoritate aliqua constituti ob munus publicum, vel officiis ac humanitate nostra multos nobis devinxerimus. * Talibus sæpe ultro offeruntur aut donantur, quæ aliis magno labore pretioque constant, quod exemplo RICHARDI DE BURY probat Naudæus. * Is cum fuerit Cancellarius & Thesaurarius Angliæ, brevi temporis spatio rarissimos sibi libros collegit. Ita ipse Richardus in Philobiblio, quod appendicis loco Epistolis Philologicis Goldasti additum est, cap. 8. *Succedentibus prosperis Regiæ Majestatis consecuti*

notitiam, & in ipsius acceptati familiam, facultatem suscepimus amplio- rem ubilibet visitandi pro lubitu & venandi quasi saltus quosdam luculentissimos, tum privatos, tum communes, tum regularium, tum secularium librorum. Præstabatur nobis aditus facilis, Regalis favoris intuitu, ad librorum latebras libere perscrutandas; amoris quippe nostri fana volatilis jam ubique percreebuit, tantumque librorum & maxime veterum ferebatur cupiditate languescere, posse vero quemlibet per quaternos facilius, quam per pecuniam, adipisci favorem. Quam ob rem supra dicti principis autoritate suffulti possimus & obesse & prodesse, proficere & officare; vehementer tam majoribus quam pusillis affluerunt loco eneavorum & munerum locoque donorum & joculium canulenti quaterni, ac decrepiti codices nostris tam aspectibus, quam affectibus pretiosi, tunc nobilissimorum monasteriorum aperiebantur armaria, referabantur scrinia & cistula solvebantur. Operæ pretium est legere, quæ illic plura habentur rei literariæ stragemata, non nitido quidem stylo, sed erudite tamen scripta. * Quo spectat conversatio quotidiana cum diversarum artium professoribus, quos beneficio sibi devinxerat; Tales, inquit, in nostro tirocinio commilitones elegimus: tales in thalamo collaterales habuimus; tales in itinere comites, tales in hospitio commensales: & tales penitus in omni fortuna sodales. Pinelli quoque Bibliotheca vehementer augebatur libris, quos mittebant ei, quibuscum amicitia illi intercedebat; Vidimus, inquit Gualdus, doctorum hominum plerosque, egregios dico & nominis magni, ad suam dignitatem pertinere arbitratos Musæum Pinelli exornari commentario quoquam e suis. * Facilius quoque ementur libri, si detrahatur sumptibus necessariis, qui ad ornatum librorum spectant, & si libri rariores, quales pretio immani solent vendi, non statim coemantur, sed occasione commodiori referventur; ea quoque, quæ minus utilia sunt relinquuntur, quod pulchre monet Naudæus pag. 112. 113.

14 Ut non sine onere ad Bibliothecas pervenimus per emptionem, ita gratius & lucrosius est per legata & donationes bibliothecas obtinere; quomodo multæ publicæ
15 creverunt. * Bibliotheca Oxoniensis pene tota ex legatis & donationibus amplissimis congesta est, certatim liberalitatem suam testantibus viris totius Angliæ nobilissimis, quorum memoria hoc beneficio immortalis. Consignata illa sunt omnia ab ANTONIO WOOD in *Historia & antiquitatibus Oxoniensibus*, ubi de Collegiis omnibus eorumque Bibliothecis agit, præcipue lib. 2. p. 48. & seqq. Varia illic Bibliothecæ Humphredianæ fata recenset, quæ partim compilationibus doctorum, partim occasione motuum in Religione, tota extirpata est, ut reliquæ ejus vel in foro publico combustæ, vel bibliopegis, chirothecariis, factoribus ad usus fordidos divenderentur. Cui tandem successit THOMÆ BODLÆI, Armigeri, splendidissima liberalitate Bibliotheca, quæ ab ipso nomen hodieque obtinet, maximis alio-
16 rum accessionibus locuplerata. * Fidem vero omnem superat inusitata Archi-Episcopi Cantuariensis, GILBERTI SCHELDONI, magnificentia, qui sumptu plane regio Theatro novo, quod ab ejus nomine *Scheldonianum* dicitur, Academiam hanc
17 ornavit, cujus memorabilem Historiam ibidem lib. 2. p. 25. proponit. * Bibliothecæ Heidelbergensis pretium ab ULRICI FUGGERI liberalitate crevit: quæ cum primum ab Ottone Henrico Electore dedicata fuerit, aucta est egregie sub
Fride-

(Friderico quarto hujus viri accessionibus, ut facile libris manuscriptis, Hebraicis, Græcis, Latinis, & quidem potissima sui parte authenticis, omnem provocaret Europam, teste Jano Grutero (is enim sub nomine Gualteri latitat) Chronici Chronicorum Politici lib. 2. ubi Academias recenset pag. 1257. Idem lib. 2. Chronici Ecclesiastici pag. 1316. *Ulricus Fuggerus, Raimundi filius, literarum literatorumque admirator unicus; qui Palatinatui præter insignem Bibliothecam, mille aliquot voluminibus MStis Græcis, Latinis, Hebraicis spectatissimam, quindecim aureorum Rhenensium legavit millia, instruendis quinque studiosis.* Processit hujus viri insignis liberalitas ex inexhausto illo summi arcani physici fundo, cujus possessorem monumenta quædam ab illo scripta restantur. * Veneta Bibliotheca legato Cardinalis Bessarionis anno 1468. insigniter locupletata est accessionibus Francisci Petrarchæ & Hieron. Alexandri, Ludov. Jacob. p. 133.

Atque hi omnes parandorum librorum modi legitimi: luctuosi sunt aut inhonesti, cum e manibus hostium, vel spoliis, aut furtis illi comparantur, e quibus non pauca Bibliothecæ creverunt. * Ipsa Vaticana Heidelbergensis Bibliothecæ integræ, ut fama est, direptione aucta est. Quamquam aliqui, qui in notitiam secretiorum Bibliothecariorum penetrarunt, negant ejus quicquam ad Bibliothecam publicam pervenisse, sed per Cardinalium privatas Bibliothecas fuisse divisam; ac ostendi quidem capsas clausas, in quibus libri reconditi dicuntur, eas tamen esse vacuas. * Non vacat recensere Bibliothecas, quæ bello interierunt, vel ad alios Dominos pervenerunt: sola illa Matthiæ Hunniadis incomparabilis Bibliotheca, incomparabili universæ Europæ damno, partim a Turcis distracta, partim ad Cæsarem Vindobonensem & Augustam Guelferbytanam translata luctuosissimum ejus exemplum præbet: nisi forte damnum hoc solantur Budæ nuper recuperatæ literaria spolia, (e) de quibus publicis relationibus nunciatum fuit. Vix tamen persuadere mihi possum, veterem illic Bibliothecam residuam; cum de ejus jactura Brassicani Epistola Salviano, ab ipso edito, præfixa abunde testetur. Magna exquisitissimæ Bibliothecæ Pinellianæ pars in piratarum Turcicorum manus incidit, qui cum prædæ opulentioris spe frustratos se viderent, omnes libros mari submerferunt.

Ut Bibliothecæ integræ in spolia cedunt, ita per furta insidiæ MStis codicibus strui solent, qui vel plane subducuntur, vel mutilantur etiam a viris doctis. Quare præ

(e) De Spoliis Literariis Budensibus consuli meretur Julii Pfugii, Equ. Saxonici, Epistola ad Virum Ludov. Seckendorffum, præter fata Bibliotheca Budensis, Librorum quoque, in ultima Urbis expugnatione reperorum, Catalogum, exhibens. Cujus, in Catalogis Nundinalibus promissa, cum mentionem b. l., nec non Cap. VII. §. 20. ac Cap. XVII. §. 34. a Morhofio factam esse Autor observasset, incentivis istis Viri Summi animatus, Jenæ illam in 8vo, eodem, quo Polybistor Morhofianus lucem videre cepit, Anno 1688, edidit. Refert autem ille, Jacobum etiam Tollium, Professorem Academiæ Duisburgensis inelytum, de eadem Bibliotheca, ejusque Reliquiis, scripturam aliquod juris facere voluisse publici.

præ ceteris a rapacibus unguibus secretius custodiri solent, nec facile ad eos admitti, nisi quorum explorata fides est. Onerat hoc crimine Didacum Mendozam, Caroli V. apud Venetos Oratorem, Schockius in *oratione quarta de libris & Bibliothecis*, cujus illic ingeniosum furtum recenset: *Ut ornare posset Bibliothecam, quam animo moliebatur, legatos a Bessarione Thesuros expilavit, & quidem tam subtiliter, ut jurare aysim, nunquam furem aliquem doctius furtum perpetrasse. Ad suos jam redierat gratus hospes, antequam aut persentisceret Respublica, aut quis ex Bibliothecæ procuratoribus. Nam armaria, ex quibus MStos & membranaceos codices abstulerat, aliis vulgaribus & ejusdem prope molis libris replevit, ne ante deprehenderetur furtum, quam speciosa ejus ejurandi foret ratio.*

- 23 * Hæc ille, nescio cujus autoris fide; tradit: quæ tamen apud alios legere me non memini. Nescio, an & in nomine erratum sit (*f*): nam Didacum ille vocat, quem alii Jacobum Hurradum de Mendoza, qui in Bessarionis illis MStis, Venetæ Reipublicæ donatis, describendis operam sumtusque impendit, teste Claudio Clemente in *Historia Bibliothecæ Scorialensis*; cujus hæc verba: *Græcis Exemplaribus partim conquirendis in media Græcia, partim e Bessarionis Cardinalis Nicæni Bibliotheca describendis, operam sumtusque impendit. Navem præterea Græcis calamo exaratis libris onustam a Turcarum Imperatore obtinuit: moriens legavit Regi suam Bibliothecam, refertam plurimis & vetustis illis codicibus Græcis, Latinis, Arabicis, tam impressis, quam Manuscriptis.* Franciscus tamen Schottus part. 2. *Itinerarii Ital.* cap. 10., Didacum Hurradum Mendozam vocat, Cæsaris olim apud Venetos Legatum, qui nave quadam libris
- 24 MStis plena Bibliothecam Scorialensem auxit. * Minus reprehendendi tamen videntur, qui publico bono interdum compilarunt Bibliothecas ab invidis celatas & ad usum denegatas. Fecit hoc Matthias Flacius Illyricus, qui, teste Melchioro Adami in ejus vita, dissimulata persona & habitu in Germania Monasteriorum Bibliothecas perlustravit: quos commodè potuit, historicos clam abstulit, atque isto adminiculo librum, qui Catalogus testium veritatis inscribitur, confecit.

- 25 Hactenus de modis, quibus congeri Bibliothecæ possunt, qui nunc hoc seculo feliciores sunt & faciliores, quam olim fuerunt. Magnis enim impensis pauca volumina describebantur: at nunc Typographiæ beneficio vasta volumina, & numero longe majore, modicis etiam sumtibus, comparari possunt, si cum antiquis illis comparentur. Nam quanquam librorum in veteribus Bibliothecis ad aliquot centum millia excreseat numerus; sciendum tamen est, eorum molem cum nostris minime esse comparandam, quod & in *Epistola de Bibliotheca Augusta* docuit *Comringius*.

- 26 Ut DE ORNATU aliqua dicamus; quandoquidem & illa ad rem Bibliothecariam pertinent; notandum est, nimium vel loci, ubi conduntur libri, vel ipsorum librorum.

(*f*) Scrupulus de Mendoza prænomine, ab Autore motus, neminem turbabit, qui cogitaverit nomen Jacobi Latinum, & Didaci Hispanicum, unum idemque esse, uti recte jam a Celeb. Tenzelio in *Dialogis Menstruis Germanicis*, *M. Jom. A. 1689. p. 15. 16. ad h. l.* est monitum.

librorum ornatum esse supervacuum; vel quod inutiles impensæ sint, melius in ipsos libros impendendæ, vel quod speciosior ille librorum habitus non sit ad durationem & perennitatem institutus. Quod ad locum illum attinet, ubi conduntur libri, de ejus cultura & ornatu apud veteres multa Lipsius & Conringius in laudata sæpius Epistola pag. 141. & sequentibus. * Optimus ille imaginum ornatu- 27
 ris fuit: solebant enim virorum doctorum effigies vel sculpræ, vel gypsaræ, vel pictæ in parietibus repræsentari, ut corporum simulacra in statuis & picturis, quemadmodum animorum imagines in libris; oculis observarentur: Quod vel Marci Varronis vel Asinii Pollionis inventum merito laudat Plinius l. 35. c. 2. Videri quoque ad hanc rem Edmundus Figrelus, de statuis in Bibliothecis positis, potest cap. 24. libri de statuis. Inest vel imagini & umbræ aliqua ingenii superstitis lux, quæ excitare spectantium oculos & animos possit: quos sumprus aliqua ex parte levant, qui hodie integra volumina talium imaginum æri incisarum in lucem dederunt. Qui vero aliis picturis ad rem literariam non pertinentibus ornatus impensas augent, inepti sunt; quod in Bibliotheca Vaticana factum videmus, in cujus picturis enarrandis & describendis Angelus Roccha & Mutius Panfa inanem operam posuere. Qui ornatissimæ externo illo cultu Bibliothecæ ideam descriptam volet, legat luculentam illam Bibliothecæ *μυσειεῖον*, omni apparatu instructæ, expressionem apud Cræfollium *Vacat. autum. libr. 1. cap. 6.*, ubi inter alia de lucernis Bibliothecariis agit. De librorum ornatu apud veteres legendus est Hermannus Hugo in libro de prima scribendi origine, & Bartholinus libro de legendis libris disertat. 4. * Apud nos eorum elegantia vel a typo & chartis est, vel ab externo 28
 ornatu. Ac verum quidem est, amplitudinem chartarum & elegantiam ryporum multum facere ad commendationem libri, quod Erasmus quoque notavit Chrystomi edens *Opera* l. 28. Epist. 4. *Non parum conciliant gratiæ, & lectorem alioqui fastidiosum ceu lenocinio quodam invitant. Externa sunt ista, fateor; sed ea tum demum fatebor pro nihilo ducenda, si sordida vestis, illota facies, impexus capillus, nihil obscurant bonæ formæ gratiam, sique nihil eam commendant cultus & honesta mundities.*

In his Germania olim nostra curiosissima, quæ cum typos primâ invenisset, 29
 eos dedit quam ornatissimos; cum hodie multis in locis adeo sordida excudat volumina, ut, si ad chartam spectes, sterquilinio videantur effossa; si typos, non impressa, sed atro colore oblita credas. Dedit Italia, Belgium, & nunc Gallia, venustos admodum & concinne formatos libros, quorum etiam exterior species legentis oculos oblectat. * Alioqui librorum nitor nimius possessori pudorem excusse- 30
 rit. Recte enim Erasmus lib. 31. ep. 29. *Non hi mihi libros amare videntur, qui eos intactos ac scriniis abditos servant, sed qui nocturna juxta ac diurna contrestatione sordidant, corrugant, conterunt, qui margines passim notulis, hisque vgris, oblinunt.* * In Bibliothecis 31
 tamen publicis nitide ac a sordibus immunes servandi sunt, non tamen ita ornandi, ut videantur quasi in scenam & theatrum producti, nec ad usum quotidianum comparati. Optimus rei literariæ consultor Rol. Maresius lib. 1. ep. 34. vehementer nimium istum cultum improbat. *Non valde, inquit, afficiunt me ornamenta, nec mæ-*

gnopere curo, ut volumina pellibus pretiosissimis & nitidissimis etiam magna ex parte unicoloribus vestiantur, aliisque rebus exornentur, quæ cornuum, umbilicorum & bullarum vice sint, quæ antiquitas usurpavit; quod equidem non culpo in opulentis & principibus viris, qui ad pompam & ostentationem omnia fere agunt. Inter Bibliothecas ornatas refert Ludovic. Jacobi Bibliothecam Domini de Longueil pag. 529. item Domini de Urfe pag. 671.

C A P. V.

DE ORDINE BIBLIOTHECARUM,
DEQUE EARUM EVERSIONIBUS.

- §. 1. Nulla sine ordine Bibliotheca est, aut esse debet. 2. Croix de la Maine ordo improbat, ut confusus & inconcinnus. 3. Mabuni inepta Bibliotheca distinctio. 4. 5. 6. Hottingeri, Frisii, Pinelli methodus. 7. Naudæi ordo in Bibliotheca Cordesiana laudatur. 8. Bæcleri Bibliotheca Politica. 9. Fogelii ordo in Bibliotheca Physica. 10. Bibliotheca Augusta a bono Catalogorum ordine laudatur. 11. Bibliotheca Thuane insignis distributio. 12. Systema Bibliothecæ Collegii Parisiensis Soc. Jesu laudatur. 13. Dn. Bailleti industriâ singularis in Bibliotheca Lamoniâ ceteris præfertur. 14. Angelici Aprosii Bibliotheca. 15. 16. Spizelii & Reiseri designatio Bibliothecæ universalis. 17. Idea Petri Blanchot. 18. Bibliotheca Principum & pauperum universalis. 19. Eversio Bibliothecarum a furore militari. 20. 21. Exempla Bibliothecæ Fuldensis, Chinenfis. 22. A barbarie & ruditate hominum. 23. A superstitione. 24. Hinc Peruvianorum Hieroglyphica monumenta combusta. 25. Aliquid ex iis de Origine Americanorum conjectura. 26. Exempla plurimum Bibliothecarum per superstitionem & motus in Religione exstirparum. 27. Magna vis Poëtarum Lyricorum a Græcis Monachis Christianis combusta. 28. Bibliotheca incendio fortuito sublata. 29. Michaël Neander de Bibliothecis deperditis. 30. Ferretius amplum de iis librorum promittit. 31. Julius Pflug librum de fatis Bibliothecarum molitur. 32. Meursii Bibliotheca Græca & Attica.

Non juvat Thesaurus temere congestus. Nam quid habet pulchri constructus acervus? Non prodest libros cumulare, si illis idonee uti non possumus. Plus e cumeris modicis multi, quam e granariis alii, depromant. Rudis indigestaque moles corporum nec ad ornatum, nec ad usum est. Quo mihi cæmenta, tigni & lapides, si ex iis non struatur ædificium? Quorsum in incondita hominum turba, nisi in ordines suos divisa ad aciem recte instruat? Series librorum ut scrupulosa nimis esse non debet, & in portiunculas exiguas divisa: sic enim memoriam non juvat, sed dissipat, cui unice tamen inservire **ORDO** debet; ita nec rudis & ad quamcunque designationem institui debet. Rei, ut naturæ ipsius, communem ordinem sequamur oportet. * Laboriosum nihilque profuturum opus est,

est, cum CROIX DE LA MAINE in Bibliotheca sua ideam rerum secutus pluteos velut Locos quosdam communes, sed male ordinaros, disponit, sub quibus velut sub suis titulis libri de materia ista scribentes comparent. Hujus ille consilii sui luculentam descriptionem Regi Christianissimo obtulit epistola singulari, qua hortatur, ut Bibliothecam publicam ad eum modum instruat, quod exemplum privatorum Bibliothecæ sequerentur. Hanc ille ut Bibliothecam universalem venditat, unde uno obtutu solaque inspectione comprehendi possint omnia, singulaque rerum scriptarum argumenta velut in sedibus suis habitent, & tanquam ex fodinis aurum, erui possint. Sed vehementer ille fallitur. Nam quod ille pluteorum titulos confinxit, suo quodam ordine digessit, non ad constitutionem artium & scientiarum instituto, quod memoriam gravat potius, quam juvat. Deinde speciales illi tituli vel angusti nimis sunt, vel nimis ampli, sub quibus librorum inæqualis esset & plane deformis distributio. Quam enim indecorum esset, majores minoribus libris interspersos, ut greges compelli solent, simul conjungi. Si vel solas septem classes summas, sub quibus speciales tituli ponuntur, inspicias, inepta omnia statim deprehendes. Primus ordo est de rebus sacris & ad illas pertinentibus. Secundus est de Artibus & scientiis. Tertius de descriptione Universi tam generali, quam particulari. Quartus de rebus, quæ pertinent ad genus humanum. Quintus de viris, qui bellica virtute inclaruerunt. Sextus de operibus divinis. Septimus de diversis memoriis. Quo ordine nil ineptius dari potest. Omnes artes & scientiæ in unam Classem compinguntur, & quæ ad artes pertinent, argumenta temerario & inadæquato ordine ponuntur. Alibi ampla & universalia in arctum compinguntur, alibi particularia per minores titulos & exiguos quasi lancinantur. Fuere & alii, qui suo quodam peculiari sensu libros distinxere. * *Johannes* quidam *Mabunus*, cujus mentionem facit *Naudæus*, in tres classes Bibliothecam divisit, ex verbis illis *Davidicis*: *Disciplinam, bonitatem & scientiam docere*, quorum illa *Moralia*, ista *Theoretica*, hæc *Ascetica* proponeret. * *Distinguebat & Hottingerus* aliquid quando Bibliothecam in *ὀνοματολογικὴν* Linguarum, & *πραγματικὴν* rerum, & sub duabus illis classibus comprehendebat omnia. * Est & *Jacobi Frisii* methodus aliquid qua, qui ad ordinem Alphabeticum revocat Autores, sed tamen illos ratione artium & scientiarum divisos, quem recenset *Hottingerus* in Bibliotheca quadripartita *part. 1. c. 5.* * Eadem ratio a *Pinello* in Bibliotheca sua ordinanda servata fuit, 6 quam *Gualdus* in vita *ejus* *p. 27.* prolixè descripsit. Subnectit & suam peculiarem *Hottingerus*, illis ceteris quidem longe accuratiorem, sed ad minuta & specialissima se ultra, quam par est, diffundentem, qualis in ordine librorum concinnando & operosus nimis est, & labores inquirentis auget. Facilius enim est in paucis patentioribus viis aliquid investigare, quam in multis diverticulis. * *Mea* quidem sententia ordo in libris collocandis observari debet, sed non nimis anxius, & secundum feriem facultatum & artium, partesque majores illarum utcunque institutus, ita tamen, ut ratio etiam habeatur magnitudinis librorum. Cujus ordinis typum sane optimum & accommodatissimum dedit *NAUDÆUS* in *conclinatione Bibliotheca Cordesiana*. Excipiunt

piunt ergo iusto se ordine 1. Biblici Scriptores Orthodoxi, Heterodoxi, primum in folio, deinde in quarto, hinc in octavo. 2. Theologi Scholaſtici, Heterodoxi, itidem ſecundum magnitudinem librorum diviſi, ut & in ſequentibus claſſibus omnibus. 3. Bibliothecarii Scriptores. 4. Chronologi. 5. Geographi. 6. Scriptores Hiſtoriae Eccleſiaſticae. 7. Hiſtoriae generalis. 8. Hiſtoriae Graecae, Barbarae & Orientalis. 9. Hiſtoriae Romanae. 10. Hiſtoriae Italicae. 11. Francicae, 12. Belgicae. 13. Germanicae. 14. Anglicae. 15. Hiſpanicae. 16. Africanae. 17. Americanae. 18. Virorum illuſtrium vitae. 19. Rei militaris Scriptores. 20. Juris Civilis Scriptores. 21. Concilia, Juris Canonici & Politiae Eccleſiaſticae Scriptores. 22. Philoſophi, Mathematici & Medici. 23. Politici. 24. Literatores, Oratores & Poetae. Ex Bibliothecae conditione ita ille diſtinxit librorum titulos, qui ſubdiviſiones aliquas pati poſſent, ſi vaſtior ipſa Bibliotheca eſſet. Quoniam Hiſtoricorum in illa copia fuit, ideo accuratior quoque earum diſtributio. Confer cum his ejusdem Naudaei Traſtat. de inſtruenda Bibliotheca, cap. 7. pag. 132. Si Philoſophici & Facultatum libri plures ſunt, in illis ordo ille obſervari poſſeſt, ut Generales ſemper praecedant particularibus, ſecundum ipſum doctrinae ordinem. Sed nollem tamen ex iſta miſtura deformem librorum ratione magnitudinis poſitum. * BOECLERUS *Inſt. Polit. lib. 7. cap. 4.* ordinem Bibliothecae Politicae inſtituendae exhibet, ad cujus imitationem inſtitui in aliis ſcientiis Bibliotheca poſſunt. * Cl. FOGELIUS parvam quidem, ſed ſelectiſſimam rerum naturalium Bibliothecam, a Sereniſſimo Duce Hannoverano poſt mortem ejus comparatam, ſecundum materiaram ordinem, non habita magnitudinis ratione, ſollicite ordinaverat; (g) Quam ob cauſam Catalogus ille commendari poſſeſt. Sed melius tamen eſt, ſi ordinem, quem ratione formae habent, libri ſervent, ratione materiae utrunque habita. Nam catalogus Bibliothecae realis ſeorſim conficiendus omnia facile compenſabit, quae ſunt errata. Quem ſi accuratum habeamus, non refert, quo ordine poſiti ſint libri, modo ita ſecundum pluteos diſtincti, ut inveniri facile poſſint. * Vehementer laudat Auguſtam Bibliothecam ob ordinem, non tam ex certo quodam poſitu, ſed beneficio Catalogi alicujus realis, ab ipſo Sereniſſimo Principe confecti. * Elegans illa Bibliothecae Thuanae diſtributio eſt a Clariff. Viris, Petro & Jacobo Puteanis, ordine Alphabetico primum inſtituta, tum ſecundum ſcientias & artes ab Iſmaele Bullialdo digeſta, & Pariſiis Anno 1679. a Joſepho Queſnel, Bibliothecario, edita, quae exemplum abſoluti dare indicis poſſit: nam accuratiſſima ſerie in qualibet parte libri diſpoſiti ſunt, ita ut in Theologis, Hiſtoricis & Patribus praecipue & magnitudinis & ſeculorum, nationum quoque, habeatur ratio; quanquam & in ceteris idem, quoad fieri poſſeſt, ordo obſervatur. 12 * Mihi quidem ob eam cauſam accuratior videretur, quam eſt illud Bibliothecae Collegii Pariſienſis Societat. Jeſu Systema, Pariſiis, anno 1678., in quarto editum. Et ſi enim

(g) Eundem cum Mart. Fogelio materiaram ſive argumentorum ordinem, magnitudinis librorum incurioſum, in Bibliotheca Caſarea Vindobonenſi diſponenda, ſeſutus eſſe fertur Pet. Lambecius. Verum a ſucceſſore ipſius, Dan. Neſſelio, is eſt immutatus.

fi enim illud pluribus titulis specialibus copiosius sit, tamen series illa Bibliothecæ Thuanae multo mihi ordinatior visa est. * Superare tamen omnes industria DN. 13
 • BAILLETI, Bibliothecarii Bibliothecæ Lamonianæ, videtur, qui iudiciis de Auto-
 • ribus, anno 1685. Paris. editis, Epistolam de Indice hujus Bibliothecæ priore a se
 • confecto subjunxit, qua universam ordinis sui rationem luculente exponit: Pri-
 • mum ordine alphabetico omnes libros digessit, non omissis etiam illis, qui in va-
 • rioribus voluminibus aliis commisti continentur. Deinde in titulis ordinem
 Chronologicum & Geographicum observavit: Titulorum materias uberores ca-
 pitibus, capita paragraphis, paragraphos numeris, numeros articulis, & hos sectio-
 nibus distinxit. In Titulis Regionum primo locorum Chorographiam ac Topo-
 graphiam, deinde Religionem ac mores, tum Ecclesiasticam Historiam, postea He-
 terodoxiæ historiam observavit. Sequuntur rerum secularium in Republica ge-
 starum, Negotiorum civilium, Statutorum Scriptores, Historia literaria, ac deni-
 que Miscellanea. Accuratorem in Gallicis Scriptoribus ordinem secutus est, de
 quo illic plura una cum aliis quibusdam monitis legi possunt. Jam alterum Indi-
 cem realem meditatatur, quem quam accuratissimum procul dubio daturus Autor
 est. * Quomodo Bibliothecam suam ANGELICUS APROSIUS, Augustinianus, 14
 instituerit, non liquet: nam nihil ejus, quod sciam, editum est. Magnifica ejus &
 plane invidenda elogia adferuntur a Gregorio Leti Italia regnante *part. 4. lib. 3. p. 377.*
 ubi plura ejus scripta memorabilis sane argumenti, mihi nunquam visa, e Soprano
 de Scriptoribus Liguriæ recensentur. Scioppius illum librorum helluonem vocat
 in *sine animadvertionis* in Vossium de Vitiis Latini sermonis. Producit idem Leti
 ex Abbate Libanoro p. 379. locum, quo tomus secundus Bibliothecæ Aprosiæ
 citatur, quo multi continentur ab Hieron. Savanorola MSti libri; quam ob causam
 aliasque supprimi illi libri hæcenus videntur. * Designarat & SPIZELIUS Biblio- 15
 thecam quandam universalem, de cujus ordine illè in præfatione libri, cui titulus:
Bibliothecarum illustrium arcana relecta. Addidit quoque hujus Bibliothecæ universa-
 lis specimen. Sed solum ille Alphabeticum ordinem in Autoribus recensendis se-
 cutus est; qui quidem non improbandus, sed non ad usum universalem satis in-
 structus est, quod præcipue requiri solet, & in quo ab aliis laboratum est: neque
 adeo desperatus ille, ut Spizelio quidem visum est, labor est, ubi jam ab aliis hujus
 Operis fundamenta jacta sunt. * ANTONIUS quoque REISERUS *Historiam lite-* 16
rariam & librariam, sed patriam, meditatus est, (b) cui indicem MStorum Bibliothe-
 cæ Augustanæ præmisit. Sed de designatione hujus Operis nihil quicquam edi-
 dit, & nunc una cum Autore spes illa exspiravit. * Edidit & PEFERUS BLAN- 17
 CHOT Parisiis Anno 1631. *Ideam Bibliotheca universalis* tribus foliis ad mapparum.

E 3

geo-

- (b) Ant. Reiserus non meditatus est Historiam Literariam & Librariam Universalem, sed Civitatis tan-
 • tum patriæ Augustanæ, sicut ab ipso Morhofio infra, Cap. VII. §. 26. recte traditur. Specimen
 • illius est Catalogus Librorum, a Civibus Augustanis, sive e Bibliotheca Augustana, Typisve Au-
 • gustanis, editorum, quem *Indici MStorum Bibliothecæ Augustanæ*, Augustæ A. 1675. in 4to edi-
 • to, Appendicis instar subjunxit.

geographicarum magnitudinem, quam hactenus videre non contigit. De Ludovici Jacobi Bibliotheca Universali infra dicetur.

18 Qui Bibliothecam universalem in compendium trahere velint, duobus tribusque libris ex aliquorum consilio illam absolverent. *Matthæus Vayerus*, ut cap. præced. 3. §. 8. diximus, centum librorum Bibliothecam Principi commendavit. At *Agrippa* non nisi duos commendat. Ita enim ille lib. 3, Epist. 32. *Duos tibi præcipue legendos dabo, unum Latinum Plinium, alterum Græcum Plutarchum. Hi duo (crede mihi) præ ceteris sufficiunt ad reddendum hominem in omni scientiarum genere utraque lingua doctissimum.* *Guido Patinus*, vir lepidissimus simul & doctissimus, duos adjungit: ita enim in *Epistolarum, Gallica lingua scriptarum, sexta; l' Histoire de Pline est un des plus beaux livres du monde: c'est pourquoy il a esté nommé la Bibliothèque des pauvres. Si l'on met Aristote avec luy, c'est une Bibliothèque presque complete. Si l'on ajoute Plutarque & Senèque, toute la famille des bons livres y sera, pere & mere, aine & cadet.*

19 CAUSÆ EVERTENTES Bibliothecas vel ex hominum malitia, vel ex simplicitate & barbarie, vel ex superstitione, vel ex casibus fortuitis proveniunt. Non facile credat aliquis, adeo malitiosos esse nonnullos, ut in Bibliothecas grassari velint. Quod fieri tamen sæpe vidimus vel ab hostium barbarie, vel militum inconsulto furore. Quot non ex antiquis Bibliothecis profanorum manibus direptæ perierunt? Quæ non in ipsa Germania nostra passim librorum strages? * Non alio fato *Fuldensis* monasterii amplissima veterumque librorum ad miraculum plenissima, ac rotius Europæ celeberrima, ut *Melchior Adamus* illam in *Vita Francisci Modii* describit, periit. * Fuit inter *Chinenses* tam flagitiosæ ambitionis Tyrannus *Xius*, qui ut sibi uni & soli laudem quæreret, omnes libros Sinicos exuri jussit, ut priorum Imperatorum omnium extinguerentur memoriae. Hujus tamen infamis facti aliam causam prætexuit, quam scite expressit *Oratione Lisias*, Minister ejus primarius, ut videre est apud *Martinum Martini* lib. 6. pag. 239. ubi historiam omnem recenset, & artificium, quo aliqui vetustissimorum librorum fuere servati. Anus enim quædam libros divisis paginis ad domus parietes agglutinavit, unde postea, velut *Hippolyti* membra, lacinia illæ in libros collectæ, atque ita fatali flammæ ereptæ. Vidimus, & apud Romanos in libros optimos ita sævitum fuisse. Hoc scilicet *Aristoteles*, cum de optima politia disputat, ait proprium esse Principum, qui animi sui libidine potentia abutuntur sua: μήτε σχολὰς, μήτε ἄλλας συλλόγους ἐπιτρέπειν γινεσθαι σχολαϊκὰς, neque scholas, neque conventus aliquos scholasticos fieri concedere. * Sæpe & barbaries & ruditas hominum everrit Bibliothecas. Quando enim gentes, nullis literis & artibus assuetæ, in libros incidunt, vel spernunt, vel ut inutilem sarcinam abjiciunt; quod sæpe factum historiae testantur. * Ex illa ruditate, si pietatis colore tincta sit, superstizio oritur, quæ libris ob malarum artium aut corruptelæ metu internecioni fuit. * Ea *Peruvianorum* vetustissima monumenta literis Hieroglyphicis scripta, cum occuparent terras illas *Hispani*, quod *Monachi* imperiti pro characte-

racteribus Magicis haberent, perdidit, teste *Ynca Garcillasso della Vega*, qui Yncarum historiam, ipse ex Regia familia oriundus, scripsit. Vehementer ille horum monumentorum jacturam deplorat, unde omnis gentis hujus origo peti potuisset. * Ego in illam sum opinionem adductus, ut ex Hieroglyphicorum usu de origine 25
 totius Americanæ gentis judicari posse existimem. Peruvianorum in America Australi, Mexicanorum in Septentrionali, potentissima gens est. Utraque Hieroglyphicis literis usa est. Illa ab Ægyptiis vicinioribus, olim forte in has terras delatis, illas habuit, quod cultus solis utrique genti communis similiter confirmare viderur. Hæc vicinos Chineses & Japonenses habet, qui & ipsi hodieque Hieroglyphicis literis utuntur. Ut ergo ex his orbis nostri partibus totus ille novus orbis propagatus videatur. Accedit optimus politici regiminis utrobique status, qualis a cultioribus gentibus derivatus videtur, quodque illæ ipsæ Americanæ gentes externam originem antiqua traditione profiteantur. Quæ barbaræ & sylvestres illic nationes supersunt, incertis ab illis sedibus jam olim divagatas credibile est. Sed nos alieno loco allatam conjecturam ulterius expendendam seponimus. Eam ob superstitionis causam libri Græci Latinique sermonis per omnem Africam superstitioni alicujus Caliphæ jussu aboliti, narrante Joanne Leone lib. 1. Histor. Africanæ. * Quot non Religionis dissidia Bibliothecas & libros pessum dedere! 26
 Rem enim DEO gratam facere se putarunt, qui hæreticorum instrumenta, libros extirparent. Selectissima Bibliotheca Londinensis Carmelitarum, meris MStis constans, a Reformatorum tumultu periit, referente Pitæo. Idem zelus optimam Franciscanorum Bibliothecam in Anglia, & in illa incomparabiles Rogeri Baconis libros abolevit, teste Antonio Wood in Historia & Antiquitatibus Oxoniensis-Academiæ. In Gallia periit per Reformatos Bibliotheca Abbatiae de S. Dionysio, ut refert Autor antiquitatum Parisiensium, anno 1640. editarum. Rami Bibliotheca in tumultu illo Lanienæ Parisiensis misere dissipata, de qua extat querela Nancelii. In Ducatu Burgundico celebris Bibliotheca Ordinis Cluniacensis, MStis libris plenissima, per Calvinianos periit, teste Lündorpio in Continuatione Historiæ Sleidani: item Petri Montauræi Bibliotheca præcipue Mathematicis Græcis, majorem partem manuscriptis, & ipsius Montauræi studio emendatis, de qua Thuan. ad ann. 1572. * Superstitio nobis invidit pulcherrimos illos Lyricos Græcos, quorum sin- 27
 gulare fatum notavit Paulus Colomesius in *Cumeliis suis literariis, cap. 15.* ex Petro Alcyonio. Is enim in libro de Exilio, quem majori ex parte transcriptum ferunt (quod obiter indicat) e M. Tullii libris de Gloria: *Audiebam puer* (ita loquitur apud Alcyonium Joannes Medices, postea Leo X.) *ex Demetrio Chalcondyla, Græcarum rerum peritissimo, Sacerdotes Græcos tanta floruisse autoritate apud Cæsares Byzantinos, ut integra illorum in gratiam, complura de veteribus Græcis Poëmata combusserint, imprimisque ea, ubi amores, turpes lusus & nequitiæ amantium continebantur, atque ita Menandri, Diphili, Apollodori; Philemonis Alexis fabellas, & Sapphus, Erynnæ, Anacreontis, Mimnerm, Bionis, Alemanis, Alcæi carmina interciderunt: tum pro his substituta nostri Nazianzeni Poëmata, quæ etsi excitant animos nostrorum hominum ad flagrantiorum Religionis cultum, non tamen verborum Atticorum proprietatem & Græca lingua ele-*
 gan-

gantiam edacent. Turpiter quidem Sacerdotes isti in veteres Græcos malevoli fuerunt, sed integritatis, probitatis & Religionis maximum dederunt testimonium. Hæc ex illo adducere
 28 prolixius visum est, cum de causa jacturæ illius non constet omnibus. * Quæ non hominum culpa, casibus sæpe fortuitis, incendiis, aquis, pessum ivere Bibliothecæ? quarum Catalogum necere possemus, si juvet infandos renovare dolores. Recentia sunt & novissima exempla Bibliothecarum insignium, quæ incendio Lothdinenſi perierunt, Bibliothecæ Scorialensis, in qua MStorum copia maxima, privatarum etiam, ut Cl. Thomæ Bartholini, qui jacturam ejus singulari libello de incendio Bibliothecæ suæ deploravit, damnaque tam sua, quam publica illic detexit; & novissime Hevelii, cujus tot lucubrationes & machinæ cum incomparabili rei mathematicæ damno perierunt. Recenset & Ludovicus Jacobi in libro suo de Bibliothecis, p. 606. 629. 630. 631. 664. aliquas, quæ incendio absumptæ: ne quid nunc de vereri illa Alexandrina, de Constantinopolitana, aliisque dicam, quarum in
 29 omne ævum jactura deploranda est. * Si quem juvat etiam amissorum thesaurorum infelix memoria, legat Michaëlem Neandrum, in doctissima illa Præfatione, Grammaticæ Græcæ Erotematibus præmissa, ubi inter multa alia ad rem literariam spectantia agit de Bibliothecis deperditis & noviter instructis. * Solari etiam desiderium nostrum utcumque poterit, si in lucem aliquando prodibit JOANNIS BAPTISTÆ FERRETI, qui Musam lapidariam antiquorum publicavit, *Bibliothecarum deperditarum Opus*, quod molitur, ut ex præfat. ad Lectorem in Musam lapidariam discimus. Proponit illic, ut promittit, non Bibliothecas tantum, sed & perditæ Opera tam Græcorum, quam Latinorum, in quo numerus ad centum milia ascendit. * Fortassis etiam JULIUS PELUG, quem de *fatis Bibliothecarum* librum moliri Catalogus Francofurtensis de anno 87. memorat, aliqua hujus argumenti proponet. * Meursius jam olim *Bibliothecam Græcam*, aliâque *Atticam* scripserat, (i) ut ille in lectionibus Theophrasteis cap. 1. & lib. de fortuna Atheniens. cap. 3. & 8., & præfatione Græciæ ludibundæ testatur; quibus Græcorum & Atheniensium scripta etiam deperdita recensuit, quæ nunquam in lucem edita Opuscula memini, neque eorum in Bibliotheca Belgica meminit Valerius Andreae. De Bibliothecis deperditis videri etiam Spizelius potest in dissertat. præliminari Arcan. Biblioth. §. 12.

CAP. VI.

DE BIBLIOTHECARIIS ET NOTITIA
BIBLIOTHECARIA PARANDA.

§. 1. *Bibliothecariorum olim amplissimum munus.* 2. *Sacerdotes apud Hebræos.* 3. *Demetrius Phalereus, Alexandrinæ Bibliothecæ præfectus.* 4. *Ejus successores.* 5. *Bibliothecariorum*

(i) De Joh. Meursii, Senioris, *Bibliothecis, Græca & Attica*, utraque *divenditæ*, plura suggeret *Homonymoscopia nostra*, Sect. IV. c. 3. §. 6. p. 909. 910.

bliothecarii apud Romanos. 6. Bibliothecarii apud Francos. 7. 8. 9. Cancellarii, Notarii, Secretarii, Chartophylaces. 10. Magistri Bibliothecarum & Bibliothecarii differunt in Gallia. 11. Cimeliothecae, Gazophylacia mummorum addi Bibliothecis solent, quae hodie Musca vocantur. 12. Notitia Bibliothecaria quomodo paranda. 13. Notatur Verdierus, qui studium Bibliothecarium improbat. 14. Autores de Bibliothecis. 15. Libri & monumenta antediluviana. 16. Columnae Sethi. 17. Liber Enochi. 18. Postelli de eo magnificum iudicium. 19. De ipso omnia incerta. 20. Liber in Peirescii Bibliotheca hoc titulo non est Enochi, sed alterius autoris. 21. Ludolphi de eo iudicium. 22. Boulduci temeraria asserta. 23. Libri antiquiores postdiluviani. 24. Pentateuchus, an & libri ante illum. 25. Benjaminis Tudelesensis de Bibliotheca primi & secundi templi traditio. 26. Bibliotheca Abyssina X. mille librorum fabulosa. 27. Salomonis libri absconditi. 28. LXX. de Cabala commentarii Esdrae. 29. Bibliotheca Rabbinica. 30. Aegyptiorum magnifica Bibliotheca & structura. 31. Chaldeorum antiquissima monumenta. 32. De Pseudo Berosi antiquitatibus disquiritur. 33. Annus Viterbiensis, defensus a Thoma Mazza & Fr. Macedo. 34. Bibliotheca Persarum aliarumque gentium. 35. Excerpta Bibliothecaria quibusvis literatis suadentur. 36. Excerpta Bibliothecarum quomodo instituenda. 37. Collectanea de Iudiciis Autorum. 38. Laus Hieronymi Welschii. 39. Ejus libri, ad rem Bibliothecariam pertinentes.

Subnectemus aliqua de BIBLIOTHECARIIS, qui Bibliothecae vel curam habent, vel illi opera sua inserviunt: quorum amplissima olim dignitas fuit. Destinabantur enim huic muneri rerum omnium interiore scientia praediti, qui & judicare bonos libros, & ex istis thesauris, velut e quibusdam horreis, in publica commoda multa depromere poterant, & sui etiam ingenii locupletare divitias, reipublicae feliciter impendendas. * Apud Hebraeos Sacerdotibus librorum sacrorum cura commissa fuit. Erant in Synagogis ὑπὴρταί, qui librum legis custodiebant, & ex eo praeegebant; quod in Ecclesia Christiana faciebant ἀναγνώσαι, qui erant e Diaconorum ordine, de quibus Grotius ad Lucam cap. 4. vers. 20. * Praefuit Alexandrinae Philadelphi Bibliothecae Demetrius Phalereus, Vir doctissimus, Philosophus, Orator praestantissimus, Theophrasti etiam discipulus, (k) cujus hodie aureus extat περί ἐρμηνείας liber, qui cum male haberetur in patria: summa apud Athenienses florenti gratia, ut CCCLX. statuae virtutis & meritorum ergo positae ipsi fuerint, fortuna ita mutata fuit, ut in Aegyptum exulandum illi fuerit: ubi amicis Regis Ptolomaei adscriptus Bibliothecae curam gessit, & omni rerum copia abundavit. Huic incomparabili Bibliothecae ut vivus quidem praefuit, ita plures tamen admissi ex omnibus

(k) An Demetrius Phalereus Bibliothecae Alexandrinae praefuerit, verusque Libri περί ἐρμηνείας sit Auctor, adhuc sub iudice lis est. Negant utrumque Philologi inter modernos plurimi atque ἐξοχώτατοι, quorum Indicem, & Argumenta haud contemnenda, Homonymoscopia nostra, Sect. II. c. 3. §. 22. & 23. p. 297-303. exhibet.

bus terris viri docti, qui illic communi victu alebantur. Præfuerunt huic muneri olim in *Ægypto* Sacerdotes. * Insecuti postea Demetrium in isto munere viri doctissimi, e quibus fuit Zenodorus Ephesius, cujus mentio fit apud Aufon. *carm. 13. de Professoribus Burdigalensibus & præfat. in ludum 7. Sapientum.* Callimachus Cyrenæus, Poëta inter Græcos nobilis, cujus præclarum Opus de origine & migrationibus populorum, conditoribus & legibus urbium intercidit, quique libros pene infinitos scripserat. Quemadmodum scilicet inter pecunias & thesauros versanti facile ex ipsa administratione congeruntur nummi; ita inter libros ætatem consumenti viro docto libros scribere non difficile est, cum tot ante oculos positæ segetes ad messes & spicilegia invitare videantur. Hic a Jonsio *de script. Hist. Phil lib. 1. c. 18.*, ubi seriem præfectorum Bibliothecæ Alexandrinæ recenset, omissus est. Statim enim ille Zenodoro Eratosthenem subjicit. Etiam ille Cyrenæus fuit, Callimachi discipulus, a varia doctrina *πένταθλος* dictus, & Philologi sibi nomen vindicavit, teste Særonio *de illustribus Grammaticis cap. 10.* Præfuit & huic Bibliothecæ Apollonius Rhodius, vir ob Argonauticum carmen celeberrimus.

5 Fuere apud Romanos, etiam antequam Bibliothecæ struerentur, quidam actuum publicorum & legum custodes: asservabantur in æde Cereris plebiscita ab Ædilibus plebis, a Quæstoribus urbanis postea in arario reposita. Librorum, tabularum censura committebatur Ædilibus Curulibus, Triumviris executio in libros damnatos data, Censoribus quoque arbitrium in libros erat. Duumviri a Tarquinio creati libros Sibyllinos sustodiebant. Mutata Republica M. Varroni a J. Cæsare Bibliothecarum colligendarum negotium datum est, & Pompejus Macer ad ordinandas designatus. C. Julius Hyginus, ob antiquitatis notitiam Polyhistor vocatus, ab Augusto Bibliothecæ Palatinæ præfectus. Videmus ergo jam ab omni ævo doctissimis, & qui erant *ὑπεύροχοι ἄλλων*, Bibliothecas, ingeniorum, animorum & sapientiæ thesauros, fuisse commissas. * Apud Reges Franciæ dignitas illa non exigua erat, quam sub Carolo M. obtinuit Gernandus. In Synodo Ticinensi Anno 876. subscribit Hilduinus, Abbas S. Dionysii & Bibliothecarius Caroli Calvi. Fuit & Ebo, Archiepiscopus Remensis, Bibliothecarius, ut patet ex Caroli C. Epistola ad Nicolaum PP. ubi ait, illum a parente, Ludovico Pio, adhuc Aquitanico rege, fuisse constitutum.

7 Qui in Ecclesia Romana Bibliothecæ præerat, teste Onuphrio Panvinio tractatu de Bibliotheca Vaticana, *Cancellarius* vocabatur; cujus ille munus describit: Bibliothecam & omnia ejus volumina accuratissime custodire; Bullas sive diplomata, vel Epistolas decretales Pontificum, scribere, & si opus erat, dictare; Acta Conciliorum & Synodalia exscribere & conservare; tandemque apud Romanam Pontificem omnia præstare, quæ sedis Apostolicæ Cancellarii nostro tempore faciunt. Erat vero olim Cancellariorum non ista dignitas, quæ postea fuit; de cujus nominis prima origine, variaque acceptione, dignitatis incremento, legendi omnino sunt Casaubonus in Flavii Vopisci Carinum loco illo: *Præfectum urbi unum ex Cancellariis suis fecit, quo sædus nec cogitari potuit aliquid, nec dici;* Et Salmasius, qui luculentius omnia excussit,

excussit, & in nonnullis a Casaubono dissentit. Comparari possunt, qui honestiore eorum loco erant, cum scribis nostratibus, aut qui a secretis sunt. * Tum vero, cum Bibliothecæ præerant, *Archivariis* nostratibus similes erant: nam curæ actorum publicorum Bibliothecæ cura accessit, cum illa ab uno commode ordinari potuerit. Adeatur Onuphrius Panvinius ipso illo sæpius citato loco, ubi ait: *Conueniens visum fuit, ut is potissimum esset Papæ amanuensis, scilicet scribarum Princeps, vel a secretis, qui etiam Pontificiam Bibliothecariam, quæ tunc erat, velut Cancellaria quadam, sive, ut nunc loquimur, secretaria, tractaret: nostris vero temporibus hæc munia sunt diuisa.* Idem Panvinius libro de Rebus Lateranensibus Vice-Cancellarium Ecclesiæ Romanæ ejusdem semper fuisse Bibliothecarium, & postremum, qui sanctus est utroque officio sub Bonifacio VIII, Benedicto II. & Clemente V, fuisse Papinianum, Episcopum Parmensem. Nam *Notarii & Secretarii* olim illi fuerunt cum Episcopis pari dignitate, de quibus Leonardus Aretinus Epist. lib. 5. pag. 225. ubi Secretarios honore & dignitate excellentiores Advocatis esse contendit. Post hunc ait nullum Vice-Cancellarium præfuisse Ecclesiæ Lateranensi, sed Romana curia trans Alpes in Gallias a Clemente traducta, novaque Bibliotheca Pontificia Avenione constituta, Vice-Cancellarii munus a Bibliothecario distinctum fuisse. Demum Sixtum IV. nova in Vaticano Bibliotheca constructa, officium Bibliothecarii a Sacrifæ munere, cui adjunctum fuerat, distinxisse.

Fuere & sui Ecclesiis Cathedralibus Bibliothecarii, qui libros Ecclesiasticos custodiebant, & literas & diplomata Episcoporum describebant. Extat *Valentiniani, Valentis & Gratiani AAA. constitutio lib. 14. tit. 9. Cod. Theod. de studiis liberalibus Urbis & Romane & Constantinopolitane*, quæ Bibliothecæ cura idoneis hominibus de Clero committitur. Sed fuit chartarum & publicarum literarum cura & olim & postea distincta. Qui Romæ fuerint Actorum publicorum custodes, notum est. Legendus est Bonifacius de Archivis c. 8. * Vocabantur in Ecclesia orientali *Chartophylaces*, qui & Bibliothecæ simul & Archivis præerant, de quibus legi possunt, quæ Carolus de Fresne in Glossario suo congeffit.

Apud Gallos distinguebantur nomina illorum, qui Bibliothecæ præerant; sunt enim in Regia Bibliotheca *Maîtres de la librairie*, & Magistri Bibliothecæ, viri, in illustri dignitate constituti, & Bibliothecarii minores, de quibus Ludovicus Jacobi, *Tr. de Biblioth.*, cap. 83. videri potest. Magistri Bibliothecæ fuerunt Guilielmus Budæus, qui præterea libellorum supplicum Magister fuit, Petrus Castellanus, Petrus Montaurus, Jacobus Amiotus, Thuani, pater & filius, Hieron. Bignonius, celeberrima nomina. Apud antiquos etiam servis hæc cura demandata fuit, de qua illis Pignorius in libro *de Servis p. 108. sqq.* pluribus egit. De Bibliothecarii officio multa Hottingerus in Bibliothecario quadripartito.

* Solet quoque Bibliothecariæ curæ addi nummorum, marmorum vetustiorum & rariorum naturæ collectio, ut omnia illa, quæ ad ingenii culturam pertinent, uno loco congerantur. Quicquid enim vel rerum natura sinu suo recondit, quicquid

temporum & seculorum characterem exhibet, ut marmora & nummi, illud cum scientiarum arcanis, quæ libris continentur, recte coniungitur. De nummis, cimeliis, naturæ arcanis, catalogi non pauci extant. Qui naturæ rariora collégerunt, sub nomine *Museorum* illa publicarunt, quorum enarrationem universalem instituire voluit *Croix de la Main*, teste Ludovico Jacobi, Tr. de Biblioth. p. 674. quæ, ut puto, una cum ejus Bibliotheca universali, quam moliebarur, periit. Extant integri de naturæ rarioribus libri Calceolarii, Septalii, Aldrovandi, de quibus in physicis plura. Multa talia musea notavit Ludovicus Jacobi in Tractatu de Bibliothecis, & in Itinerario suo Monconifius. Est & Italus aliquis, qui Museorum & Cimeliothecarum integram historiam promisit. Sed de his suo loco.

- 12 Procedimus ad Bibliothecas ipsas, quas accuratius nosse Bibliothecarius, id est literatus ac Polyhistor, debet. Cum enim omnis doctrina vel per mortuos, vel per vivos magistros, propagetur, vivi facile intereant, mortui immortales sint, nec nisi per ipsos vivos magistros habeamus, necessaria illarum cognitio est Polyhistori. *Tenenda* ergo est omnis *Historia Bibliothecaria*, quæ his præcipue absolvitur capitibus: (1) Cognitione Bibliothecarum prisca novique temporis, quæ olim extiterunt, hodieque supersunt, publicarum, privatarum. (2) Autorum, qui libros recensent,
- 13 collectione & collatione diligenti: * Et quidem quod ad primum attinet, præmonendum est, insanire illos, qui rei Bibliothecariæ studium vituperant & dissuadent, e quibus *Claudium Verdierum* nomine, Antonii filium, hominem propemodum insanum, qui in recensione Autorum, audaci, ridicula & stulta (nam in omnibus, etiam epigramis, quærit, quæ notare possit) p. 168. misera plane, & jejuna declamatione, omnem curam Bibliothecariam, ut rem inutilem, stolidis ac ineptis rationibus damnat. Non est operæ-premium nugis illis immorari: sunt enim non fani hominis verba, sed furentis *μεμεθυσμένοι ῥήματα*. Extremum dementiæ argumentum est, omnia quæ exquisitoris judicii viri aut invenerunt aut approbarunt, improbare. Ex hoc libro, ut ex ungue Leo, æstimari voluit, æstimanda ex unguiculis felis literaria.
- 14 Sed mittamus hominem, & quod res est, agamus. * *De Bibliothecis* antiqui novique temporis in universum aliqui *scripsere*, sed ita scripsere, ut multa aliis post se commemoranda relinquerent. Sumit sibi argumentum hoc tractandum Ludovicus Jacobi, Carmelita, cujus jam sæpius mentionem fecimus. Post illum Lomeierus, Galleus, de quibus singulis peculiari capite judicium nostrum exponemus. Proposuerat quoque idem sibi argumentum Josephus Maria Suaresius, Vir doctissimus, cujus illa *τῶν βιβλιοθηκῶν* notitia historica extat, referente Ludovico Jacobi, Tr. de Biblioth. c. 87. p. 613. cum quo ille communicaturum se promiserat, quæ in Opere illo affecta habebat. Verum negotiorum mole oppressus non potuit extremam huic labori manum admovere, neque quicquam earum chartarum ad Ludovicum Jacobi pervenit.
- 15 Qui ab ovo Bibliothecarum historiam ordiuntur, cum ipsis mundi natalibus, cumque ipso Adamo natam librorum scribendorum originem ajunt. Cersum est jam

jam ante diluuium fuisse aliquam rationem conservandæ rerum memoriae. Nolo hic adducere, quæ de Adamicis literis ac monumentis nobis narrant Rabbinii. * Columnas a Serho fuisse positas ajunt, quibus artium principia fuerint exsculpta, quarum alteram suo tempore in Syria superstitem fuisse, Josephus autor est, *lib. 1. Antiq. Judaic. c. 4.* Quod enim ab Adamo ipso duas tabulas confectas quidam existimant, quibus scripsit initia creationis, lapsum hominum & promissionem divinam, arque has tabulas existiment, tanquam templum, fuisse, certi loci signum, in quem solitus esset convocare suam Ecclesiam, & ubi sacrificia facta sint, & recitata doctrina, illa, cum nullo autore certo dicantur, merito inter conjecturas refert Cl. Bœclerus Exercitat. in Joseph. Antiq. Judaic. ubi de Inventoribus primis artium, quorum apud Josephum mentio fit, disquiritur. Jam ante diluuium in republicas coaluerunt hominum societates: nam agnoverunt antediluviana imperia Chaldaei verustissimi, & recensentur eorum nomina a Beroso & Apollodoro, quod fragmentum Eusebio inseruit Scaliger. Sunt & Ægyptiorum & Arabum Monarchæ ante-diluviani, de quibus vide Rupert. Obs. in Besold. Synops. c. 2. p. 16. & Marsham. in Can. Chronologici *περὸ κατασκευῆ*. Ac distinguitur totum illud tempus *εἰς χρόνον ἀβασίλευτον καὶ εἰς χρόνον βασιλείων*, tempus sc. illud, quo nulli erant Reges, cum inter familias adhuc subsisteret imperium, & illud, quo regnatum fuit. Non ergo verosimile est, per tantum temporis spatium, torque annorum decursum, sine memoriis rerum actarum fuisse homines. Fuisse libros vel ex Juda, Enochii librum citame, discimus. Ideoque & libri in unum collecti fuere.

Quod ENOCHI librum attinet, varia sunt incertaque omnia, quæ de eo memorant: nam quæ hodie supersunt fragmenta, nemo facile genuina credit, de quibus legi possunt, quæ habentur apud Bangium in *Cælo Orientis Exercit. 1. Cun. lib. 3. de Republ. Hebr. c. 1.* Drusium in *Henocho*. Dorscheum in *dissertatione de Prophetia Enochii*. Hackspan. *Disp. de Demonum Angelorumque nominibus*. Maderum *de scriptis & Bibliothecis Antediluvian.* Schotanum in *Bibliotheca Hist. Sacra de prim. mund. atat. p. 83. & seqq.* Heideggerum in *Historia Patriarcharum Exerc. 10.* ubi *ῥοδέα* fragmenti, quod Scaliger ad Eusebium produxit, undecim argumentis ostenditur. Memorantur autem libri ab Enocho scripti diversorum argumentorum. Est *Propheticus*, est & *Physicus*, quem apud Æthiopes in Regno Reginae Sabæ extare Abyssina lingua, testatur Genebrardus *Chronol. p. 14.* * Guilielmus Postellus, in libro *de Originibus, seu de varia & potissimum Orbi Latino incognita aut inconsiderata historia, in quo totius se Orientis mysteria proditurum minatur*, super Noachi & Henochii libris, sed ipsi non inspectis, ex interpret. Sacerdotis Æthiopsis, novas & inauditas sententias undat. * Non desunt, qui mirabilem in illo ingenii vim per omnia diffusam agnoscant; nam Florimundus Remondus *lib. 2. de Origine hæresum c. 15.* virum maximum omnium vocat, quos seculum nostrum produxit; multa quoque in ejus laudes adducit Joann. Steph. Menochius in libro, *Italica lingua scripto, cui titulus Trattamenti eruditi part. 3. c. 91.* * Refert & in Peirescii, magni illius librorum venatoris, *Vira Gassendus: Illi ab Ægidio Lochieasi e Capuccinorum familia ex Ægypto*

- pto redeunte narratum fuisse de *Mazapha Einoch*, seu Prophetia Enoch, idiomate Æthiopico scripta, declarante ea, quæ ad finem usque sæculi eventura sicut, in Bibliotheca quadam Orientis latitante. Ideoque Peirescium accensum ejus parandi studio, ut nullis parcens sumtibus ipsum sui faceret juris. Ejusdem libri exemplum
- 21 forte fuisse quis credat, quo usus est, sed alio interpretante, Postellus. * Quamquam Ludolphus, Vir celeberrimus, in *Historia sua Æthiopica*, lib. 3. c. 5., omnem illius libri fidem funditus evertit. Namque e Bibliotheca Cardinalis Mazarini, in quam ille e Peiresciana Bibliotheca translatus, ejus libri exordium, medium & finem per amicum exscribi curavit, quæ nihil de Enocho, neque prædictionibus futurorum, sed quendam Abba-Bahaila-Michaëlem autorem habuerunt, de mysteriis cæli & terræ, & de SS. Trinitate, differentem. Georgium Habessinum, cujus fidem in relationibus suis secutus est Ludolphus, Precationem Magicam vocasse ait, ac plane negasse in Æthiopia receptam; *Tanta vecordia*, inquit Ludolphus, *scriptus est, ut sacratissima Virgini Mariæ Orationes ad filium suum Θεοῦ πατρὸς affingantur monstrificis nominibus plena, quibus plus quam divine virtutes adscribuntur: quare a Judæis confectum existimat.* Vellem tamen, quicumque demum sit, a viro clarissimo in lucem protractum, ad quem forte respexerunt, qui physicum ab Enocho librum scriptum crediderunt: Physicum enim de mysteriis cæli & terræ argumentum videtur.
- 22 * Mireris sane qua fronte, qua fide Boulducus Capuccinus, lib. 1. de *statu Ecclesie ante-Mosaica* c. 14. pronunciare auit: *Noa scripta Enoch diligenter conservabat, ac illa reposuit in arca diluvii non minore sollicitudine, quam Patris Adami & quorundam aliorum ossa, ut qui ejus, quem Deus rapuerat, ossa, que servarentur, habere non possit, scripta tanquam sacratissimum pignus ac depositum sibi & posteritati custodiret, quorum lectione, vel solo intuitu, ad tanti auctoris merita divina jugiter conspectui presentanda moveretur, quibus juste irati Numinis in mortales misericordiam facilius impetraret.*
- 23 Sed relinquamus sua cuique commenta. * Post diluvium Pentateucho nihil antiquius esse plerorumque est sententia, quamquam de *Abrahami* quodam libro, qui *Liber Creationis* inscribatur, & fundamenta Cabalæ obscure doceat, Judæi multa tradunt. Unde de Abrahami in Ægypto & India Scholis, ex quibus *Bramines* quasi *Abramines* dicti, multa Postellus, qui, nescio qua fide, cap. 15. lib. cit. pronunciat: *Apud Indos latent infiniti historiarum & librorum antediluvianorum thesauri, quos nos expectare una cum Enochianis opus est, antequam claritatem absolutam rerum Mosaicarum cernamus.* Et tamen in titulo libri origines suas se ex libris Noachi & Henochi eruisse vendirat,
- 24 quæ ἀντιφθιτικὸς ἀντικείμενα esse nemo non videt. * In *Pentateucho* libri allegantur nonnulli illo, ut videtur, antiquiores, ut liber bellorum Domini Num. 2. v. 14. Liber pacti Exod. 24. v. 7. de quibus variæ adferuntur sententiæ, quas recenset Lomeierus, c. 2. Quod in sceleratæ calumniæ occasionem trahit infamis Atheismi propugnator, Spinosa, in *Tractu Theologico-Politico* cap. 8. ubi pluribus argumentis contendit, Pentateuchum non esse a Moyse scriptum, sed ab alio Autore, qui laudat illic libros bellorum Domini & librum pacti, a Moyse conscriptos, quibus

quibus responderunt veritatis divinæ hyperaspistæ. Videmus in sacri Codicis libris multos alios passim laudari, quorum memoria nunc plane ac ipsis Judæis perijt, de quibus Lomeierus cap. 3. Neander Præfat. Erot. Græc. linguæ. * Me- 25
minit & Benjamin Tudelensis in *Itinerario suo* Bibliothecæ librorum primi & secundi templi, quam extare in ripa Euphratis apud sepulchrum Ezechielis Prophætæ ait. Fabulosum hunc Autorem omnes habent. Sed tamen Petrus della Valle in *Itinerario suo* hujus sepulchri meminit, quod adire, nescio quibus obstaculis impeditus, neglexit; licet de Bibliotheca nihil. * Magnifica multa de numerosissima X. 26
millium librorum Bibliotheca, apud Æthiopiæ Imperatorem, nonnullis narrantur. Sed Ludolphus in *Historia sua Æthiopica*, lib. 4. c. 1. suaviter ea somnia ridet, qui familiari cum Gregorii Abyssini conversatione omnia ejus regni arcana perscrutatus est; paucissimos illic libros nominat, e quibus 1. Gloria Regum, in quo Historiæ Reginae Sabæ aliæque plures leguntur. 2. Chronicon. 3. Liber Philosophiæ, cujus aliquod in Æthiopia pretium est. 4. Scala vocabularium. Nulla vero ex illis mysteria speranda Ludolphus, ex insigni hominum in philosophia ac medicina ruditate, probat, cujus aliquot ille documenta adducit. Non equidem negaverim, omnia ignota pro magnificis sæpe haberi, & a multis mysteria fingi, ut mirabilia dixisse videantur: sed tamen & multa in abscondito etiam ultra hominum suspiciones latere, cerrum est. * De Salomonis libris alicubi eos extare fama est. Suidas in 27
Ezechia illum librum *ἱερῶν πάντων πύξιδος* scripsisse perhibet. Joannes Picus, Comes Mirandulanus, testatur, scriptum esse a Salomone librum, cui titulus *Sapientia* sit, non qui nunc in manibus sit, Philonis Opus, sed alterum Hierosolymitana sacratiore lingua compositum, in quo ipse Salomon, naturæ rerum interpres, omnem se illiusmodi disciplinam fateatur de Mosaicæ legis penetralibus accepisse. Salomonis *Herbarium* Arabica lingua in paucissimorum quorundam manibus esse, nonnulli volunt, unde magna in arte medica miracula patraverint. * Quanto non 28
desiderio multi in libros illos LXX. *Esdra de Cabalisticis secretis* feruntur? quos alicubi tamen extare, credibile est. Multa sunt in his scriptis Judaicis mysteria rerum naturalium ac secretioris Metaphysicæ recondita, quæ imperitis hominibus, ut nugatoria, videntur. * De Rabbinicis scriptis legendus est Buxtorffius, Plantavicius, 29
Hottingerus, & qui nondum omnibus innotuit, Julius Bartoloccius, Abbas Congregat. S. Bernard. Ord. Cisterc. Romæ in Monasterio S. Prudentianæ, qui edidit *Bibliothecam Rabbinicam*, Opus trium voluminum, in quo maximam partem, MStæ Bibliothecæ Vaticanæ Hebraica cum Catalogo editorum librorum recenset, & multa de ætate Autorum, genere scribendi & materia annotat.

Apud *Ægyptios*, quorum antiquitates non cum Græcis tantum, sed & cum Hebræis 30
ipsis, ultra quam per religionem permitti poterat, contendit Marshamus in doctissimo Canone suo Chronologico, jam tum ab omni ævo Bibliothecas fuisse, non temerè aliquis negaverit. Præterquam enim, quod Josephi testimonio maximam semper curam Actorum publicorum habuerint, quibus cura librorum semper conjuncta fuit, illud non obscuro argumento est, quod Græcorum Philosophi, qui præ reliquis sapue-

sapuerunt, ex Ægypto, a Sacerdotibus, rei literariæ ac librorum perpetuis custodibus, arcaniores hauserunt scientias. Videndus de Ægyptiis Bibliothecis & re literaria est Diodorus Siculus *lib. 1.* ubi de Osmandyæ Bibliotheca & magnifica operum structura, quæ non immerito Kircherum in *Turri Babel. lib. 2. Sect. 3. c. 3.* in admirationem rapit: *Hæc ego opera*, inquit ille, *si paulo penitius considero, ausim sancte affirmare, hosce summi ingenii homines, uti nihil eos humanarum scientiarum latuit, ita earum ope humanis quoque operibus majora præstitisse, cum vel in una fabrica efformanda omnes artes & scientias Physicam & Mathematicam conspirasse videam. Quis hodie simile quid attentare audeat, nisi totius nature consultus, nisi totius Arithmetica, Geometria, Optica, Astronomia, Mechanice, Statica, ceterarumque artium doctrinis eruditus!* Quod si ergo tanta artis perfectio in illis operibus fuit; quos non in tam splendido domicilio sapientiæ thesauros latuisse credibile est? Opera enim de magistris & doctrina, quæ libris illis continebantur, restabantur.

- 31 Apud *Chaldaeos* quoque, rerum omnium curiosissimos homines, magnam rei literariæ & librariæ, ac antiquissimorum monumentorum curam fuisse, certius est, quam ut a quoquam negari possit. Quæ ex illis fragmenta habemus, ceterorum
- 32 historicorum tempora longe antecedunt. * *BEROSUS*, Sacerdos Chaldaeus, (cujus filiam Sibyllam, quæ postea Cumas venit, Justinus Martyr in Parænes. ad Græcos pag. 34. lit. E. facit; quo tamen insigni Anachronismo Montacutius in *Analect. Ecclesiast. exercit. 4.* illum liberat, ab Glossatore inepto illa verba interjecta judicans) paulo ante principatum Alexandri Magni *libros III. rerum Chaldaico-Assyriacarum* scripsit, quem antiqui Autores passim laudant. Josephus in Antiquitatibus Judaicis passim ejus meminit: cui pares sunt Manetho & Metasthenes, vel potius Megasthenes, Ægyptiacarum, Persicarum, aliarumque rerum scriptores, quorum omnium fragmenta diligenter collegit Scaliger in Opere sub Chronologico.
- 33 * Qui libri cum ab omnibus desiderarentur: *L. JOH. ANNIUS VITERBIENSIS*, Ordinis prædicatorum, Anno 1427. natus, Vir linguæ Latinæ, Græcæ, Chaldaicæ, Arabicæ eruditus, & antiquitatis studiosissimus, quibus elogiis Neander in Italia sua eum effert, Berosi quinque libros cum aliis quibusdam in lucem produxit, commentariisque illustravit. Sed jam dudum ab eruditis adversus hunc Annum, ut veteratorem & falsarium, conclamatum est, & illa producantur argumenta, quæ elidi nulla ratione possunt, de quibus legendus Tilemanus in *Disc. Philolog. de Historicorum delectu p. 76.* & Vossius de *Historicis Græcis lib. 1. cap. 22.* Non desunt tamen, qui modestius de hoc scripto ejusque autore censendum esse existimant, & aliquid tamen in illo veri sibi deprehendere videntur. (1) In quibus

(1) De Beroso Annii notari etiam meretur judicium Thomæ Reinssii, Medici & Polyhistoris *νεγρινωτότε*, in Epistola, ad Jos. Clauderum A. 1646. exarata, quam ejusdem Epistolis, ad se scriptis, Joh. Vorstius præfixit, p. 1. 2. 3. obvium. Statuit is, non omnia, quæ in Berose licet Annius eum interpolaverit, hinc inde leguntur, esse conficta, sed quamplurima consensire cum profunda antiquitate: Berosum verum & genuinum cum Anniano pariter incedere, & ab eo esse segregandum: latere in isto sterquilinio pretiosas gemmas, quæ alibi

quibus David Chytræus *lib. de lect. Hist. Munsterus lib. 5. Cosmograph. cap. 8.* qui temerarium quendam genuinis & veris Berosi laboribus aliquid lolii immiscuisse iudicat, Annium verò a falsi suspicione excusat. Dionysii quoque Gothofredi, in *præfat. Historiæ. antiquor. Rom.* benignior de illis Annii Berosianis sententia est. Quæ etsi nonnullis contemnenda videntur, ac desperatissima Annii causâ plerisque habetur, acerrima tamen inter eruditos viros ante aliquot annos super hoc argumento excitata contentio est. Nam ex ossibus Annii ultor surrexit, ex eodem scilicet ordine *Thomas Mazza*, qui Apologiam pro illo scripsit, quem tamen & alius Anonymus Nobilis, alio libro, sed hæcenus inedito, refutavit, ut ex *Gregor. Leti Italia regnant. part. 4. lib. 3. pag. 329.* constat. Quod *Mazzæ* scriptum, quanquam summò studio quæsitum, videre nondum mihi contigit: neque magnopere æstimandum videtur, nisi me *Macedi*, incomparabilis omni doctrinarum genere, maximoque iudicio præditi Viri, de quo alibi dicturus sum, autoritas moveret. Ille enim adversus Nobilis Anonymi Invektivam singulari scripto *Thomam Mazzam* strenue defendit, non alia, quam veritatis causâ inductus, ut ex præfatione illa *Macedi*, quam *Gregor. Leti* eo in loco apposuit, patet. *Suscepi*, inquit, *defensionem tum studio tuendi Patris Inquisitoris, Mazzae, innocentiam, tum veritatem, quæ mihi semper cordi est, vindicandi.* De ipso vero opere *Mazzæ* ita iudicat: *Difficile aggressus est opus, quod Apologiam scripsit pro Annio Viterbiensi, sui ordinis fratre, magni nominis viro, ut ejus fidem, a plerisque Autoribus in dubium vocatam, assereret, & ab objectis calumniis vindicaret.* In quo certe mirum est, quantum studii & operæ posuerit, quam se ingeniosum & eruditum ostendat, ut prope miraculo legentibus videatur, potuisse in re tam spinosa floride, tam obscura nitide, tam sterili facunde, tam jejuna erudite se gerere: Quod ego opus cum legissem, magnopere sum admiratus. Eodem in loco hæc habet: *Legeram antea hunc Apologeticum, vernacula lingua scriptum, qui mihi vehementer placuerat, tum propter novitatem operis, tum propter styli granditatem, tum propter dictionis elegantiam, tum præcipue propter copiam eruditionis, eumque iudicavi omnibus numeris absolutum.* De Nobili vero illo Anonymo ait, *illum sæpe a scopo & veritate aberrare, & multa carpere & sugillare, quæ vera tamen essent, nec nulla possent ratione impugnari.* Vix credi potest, quanto exarserim illa legendi scripta deliderio, rei novitate motus; neque hæcenus tamen voti mei compos factus sum. Multa certe magnifica de illo Viro nos sperare jubet *Macedus*, quem ingens præterea opus de *Historia veterum Gothorum* moliri, ait, sic ab illo explicandam, ut non mediocrem ab illius calamo splendorem acceptura sit.

Redimus ad Bibliothecas nostras: & quidem apud *Persas* Bibliotheca *Sufiana* 34 magni nominis fuit, de qua legatur *Diodor. Sic. lib. 2. cap. 32.* De recentiore illa apud *Persas* *Cosrois* Regis legendus est *Schickardus in Tarich. pag. 146.* De ceterarum gentium,

alibi frustra quæramus; invenurum autem eas esse, qui iudicio valet, & omne genus Antiquitatum est emensus. Addit tandem se in Beroso Anniano veneranda Antiquitatis vestigia, & genuini Berosi Fragmenta, deprehendere, quibus sua Annus, vel alius ante hunc addiderit & insperserit.

gentium, Afrorum, Chinenſum, Græcorum, Romanorum, antiquis ac deperditis, ac de recentioribus Bibliothecis, integris libris egerunt Autores ſupra memorati, etſi magna nobis ſpicilegia, pene dixerim meſſes, reliquerint. Quoniam vero de Bibliothecis ſingulatim agere non eſt noſtri inſtituti, ideoque illa prætermittimus.

35 * Id vero, antequam hoc de re Bibliothecaria argumentum dimittamus, monemus, de notitia Bibliothecaria, ſingularibus excerptis Bibliothecariis paranda, omnibus, non Bibliothecariis tantum, ſed quibusvis literatis, laborandum eſſe. Latius eorum parer utilitas, quam excerptorum ſpecialium, quæ ſub illis continentur; eorumque defectum facile ſarcire poſſunt.

36. EXCERPTA IN RE BIBLIOTHECARIA vel uno volumine, vel diverſis, inſtitui poſſunt. HOTTINGERUS in Bibliothecario, *part. 1. cap. 7.*, quatuor indices pro Bibliothecis fieri jubet. 1. Chronologicum, quo Autores ſecundum ſeriem ſeculorum diſtinguuntur. 2. Logicum, qui ſecundum materiarum, ſibi ſubordinatarum, nexum diſponendus. 3. Theologicum (nam ad Theologiam ille primario reſpicit), qui nominibus ſuis omnes Theologos cujuſcunque Religionis exhibeat. 4. Grammaticum ſ. Alphabeticum, quem duplicem iterum eſſe voluit, realem & perſonalem, & illum quidem latiore vel ſtrictiore, latiore pro integris tractatibus, ſtrictiore pro tractatuum partibus. In perſonali non nomina ſimpliciter, ſed & vitam, perſonam, actiones &c. ſtrictim deſcribi vult. His indicibus adjungit ulterius Topographicum, qui ſecundum orbis partes Autores diſponit, & Syncriticum, ſive Comparativum Autorum, editionum. Sed quantus ille labor futurus, quam etiam in multis non neceſſarius! Mihi quidem indices Hottingeriani non inutiles pro Bibliothecario, & qui commentationes Bibliothecarias parat, videntur, ſed pro viro, qui alia habet agenda, nimis operoſi. Quanquam enim Chronologicus index ſit utiliſſimus, cumque ordinem præ ceteris amplexus ſit Voſſius in libris ſuis, Topographicus etiam non exigui uſus ſit, quo labore aliqua ex parte nos Quenſtedius levavit; exiſtimo tamen, cum propter res ipſas omnia diſcantur, conſultius fore, ſi indices reales habeamus, non anxie ſecundum rerum ſeriem, ſed alphabetico ordine diſpoſitas, in quibus titulis ſubjiciamus ſuos Autores, connotatis ſemper variis editionibus, patria, tempore, ceterisque ſciru neceſſariis, ubi ſe ultro ingerunt. Ac poterunt memoriæ etiam gratia ſine magna difficultate Autores claſſici & hiſtorici ſeorſim locari notarique in iis variæ editiones, ne ſemper in vaſto quaerere acervo illos neceſſum ſit. Hinc Criticos potius, quam Syncriticos Indices ſuper Autores parari velim, quibus colligantur judicia de Autoribus, quæ vel in lectione apud Autores occurrunt, vel quæ inter colloquia cum viris doctis ipſi notamus. Non credat facile aliquis, quantam utilitatem res illa habitura ſit.

37 * Eorum exemplum nobis præbent judicia de Autoribus, ab Anonymo, quem tamen ſupra nominavimus, in Gallia inſtituta. Nunc quoque talia Matthiæ Zimmermanni ſub prælo de Autoribus judicia eſſe narratur, quæ nondum vidi. Rudimentum talium excerptorum præbet Magirus in Eponymologio Critico; qui nunc

auctior

auctior prodit liber. Ex conversatione notata judicia Excerpta Scaligeriana & Thuanæa continent.

Omnium ut puto industriam facile superare in hoc genere potuisset Vir nunquam satis laudandus, GEORGIUS HIERONYMUS WELSCHIUS; Augustanus Medicus, verum Germaniæ nostræ decus, si præclara ista Opera sua in lucem edere potuisset. Mihi certe ingenium hujus Viri admirabile semper visum est. Quas enim ille non disciplinas, linguas, etiam Orientales, conatibus pene Herculeis exhaustit? Quod in illo iudicium? quam sanum & elegans? quantus humanioris literaturæ apparatus? Ego certe quoties tristes illas e naufragio tabulas, affectorum Operum Indicem, perspicio, toties sane hanc eruditi orbis jacturam deploro, & nunc publice omnes, qui hujus Viri supellectilem literariam possident, obtestor, ne quicquam illarum chartarum perire sinant; typographos vero, ut tineis & blattis, quicquid earum superest, eripiant, neque publico bono invideant. * Nabit ille affectum Opus, ut Schrockius in vita ejus testatur, *Notitiam Autorum Panglotam*, quo in singulis linguarum generibus veteres & probatos Autores, in ceteris meliores, non tantum nominare, sed & præstantiores editiones indicare, & de scriptis ipsis iudicia ferre voluit: cujus facti initium ipsi Gerh. Joh. Vossius suggesserat, qui tale quid olim ceperat, amicisque & auditoribus distribuerat; a quibus ipse acceptum plurimum deinde auxilium, Græcis nempe & Latinis Orientales quoque addendo. Idem *Historiam Literariam Turcarum* ex MSto Constantinopolitano exhibiturus erat. Idem *Lipsi Bibliothecam, Naudæi Bibliographiam Politicam, Dissertationem de studio liberali, Lindani de scriptis Medicis notis auctiores, Bibliothecam Medici eruditi, Historiam Medicorum Orientalium & Ideam Chronologiæ Medicorum* edere voluit. Sed illorum omnium spes cum ipso exspiravit.

C A P. VII.

D E M A N U S C R I P T I S.

- §. I. MStorum Codicum pretium. 2. Usus eorum, qui jam typis vulgati sunt, eximius. 3. Exemplo Codicis Rigaltiani Fabularum Phædri ostenditur. 4. Codicum antiquitas ex characteribus deprehenditur. 5. Quod nondum præceptis comprehensum. 6. Robertelli, Scioppij, Welschii Ars critica. 7. Henr. Stephani de Criticis. 8. Causaubonus de Criticis librum affectum habuit. 9. Salmasti epistola de notis antiquitatis in MStis Codicibus integra adducitur. 10. Græci Codices antiqui, quemadmodum & Latini, sine ullo vocum interstitio scripti, sine ullo accentu. 11. Solo versu, sive periodo finiebatur oratio. 12. Aristophanes primus distinctiones & accentus invenit. 13. Quos postea Grammatici antiquioribus Codicibus addiderunt. 14. Diphtongus Æ una litera notis recentiorum MStorum. 15. Erasmi in Manuscriptis indagandis singularis industria. 16. Leonardus Aretini de Quintiliani MSto exultatio. 17. Monachi MStorum custodes. 18. MSta in lucem protrahenda. 19. Possesini, 20. Labbei, 21. Spitzee.

22. Ludovici Jacobi, 23. Caponi, 24. Welschii ea in re conatus laudantur.
 25. Senatus Augustani singulare studium in oblatione MStorum ad editionem.
 26. Ant. Reiseri Index MStorum Biblioth. Aug. 27. Hulder. Fuggeri Liberalitas.
 28. Petr. Lambecii cura in MStis Bibliotheca Vindobonensis. 29. Julius Pflug
 de Bibl. Budensf. librum promisit. 30. Thomafinus, Angelicus Aprosius, Ludov.
 Jacobus laudantur. 31. Cl. Felleri utilissima opera in MStis Academia Lipsien-
 sis. 32. Multa in illa notabilia. 33. MSta Orientalia. 34. Laur. Pignori
 παρὰ τῆς ἐπιτομῆς ad libros MStos edendos. 35. Autores veteres, manu illustri
 Criticorum notati, MStis accensentur. 36. Nicolai Heinsii & Gæsi Bibliotheca
 a copia illorum laudantur. 37. Libri, e MStis primum in lucem editi, MSto-
 rum fidem habent. 38. Libri virorum doctorum inediti ac affecti ad MStos
 quoque referendi. 39. Varia illorum fortuna. 40. Quomodo indagandi. 41. Ex-
 empla ineditorum librorum. 42. Etiam imperfecti eruditorum libri in lucem pro-
 trabendi. 43. Martini Fogelii scripta inedita recensentur. 44. Andreae Bosii
 opera affecta. 45. Epistole virorum doctorum MStæ inter κειμήλια Bibliothecæ
 carum. 46. Hottingeri, Marquardi Gudii, Bibliotheca Noribergensis in iis coar-
 cervandis industria. 47. Reinesiana Epistole MStæ in Bibliotheca Bosiana.
 48. MSta politici argumenti colligenda in Bibliothecis. 49. Bibliotheca Augusta
 & Maximiliani zum Jungen ab eorum copia laudatur. 50. MStorum copia
 in Bibliothecis publicis præprimis colligenda. 51. MSta antiquissima, ut ut ali-
 qua parte vitiosa, pretium non amittunt. 52. Iis tanquam oraculis utimur in
 emendandis autoribus & mutilationibus Patrum detegendis. 53. Manuscripto-
 rum nunquam editorum raritas rem sepe inestimabilem facit. 54. MStorum
 librorum catalogi an celandi, nec in publicum proferendi? 55. MStis locuple-
 tes sunt Bibliotheca publica, Vaticana, 56. Vindobonensis, 57. Hispanica,
 58. Anglica, 59. de quibus Christ. Arnoldi testimonium producit, 60. Gal-
 lica Bibliotheca non regie tantum, sed & private. 61. Thuana, 62. Ita-
 lica, 63. Augustana, Leidensis, Norimbergensis, Gottorpensis, 64. cujus aliqua
 recensentur, 65. privatarum Bibliothecarum manuscripta. 66. Livæ Holste-
 ni MSta, ad Philosophiam Pythagoricam & Platoniam pertinentia, enarrantur.
 67. Illustris Viri, MARQUARDI GVDII, laus, ejus insignis MStorum Bi-
 bliotheca, & opera cœvêδοτα.

1 **I**n Bibliothecis principem merito locum obtinent MSti CODICES, quorum
 2 singularis haberi cura debet. * Postquam enim per typos vulgari cœperunt
 veterum Scriptorum libri, illi quidem, qui vulgati sunt, Typographiæ benefi-
 cio, pretio suo aliquatenus imminuti sunt: olim enim multo ære comparabantur
 veteres illi libri, Monachorum manu descripti, quibus non exiguum inde lucrum ac-
 crevit; de quo videri Naud. *Add. ad Hist. Lud. XI. p. 87.* potest. Sed suo tamen etiamnum
 pretio censentur, qui sunt antiquiores, ad quos velut ad oracula confugiunt, qui emenda-
 tiones locorum in Autoribus quærunt. Non enim elevandus etiam illorum MStorum
 usus est, ut Conringio in *Epist. de Bibl. Aug. pag. 108.* visum. Semper enim in vetu-
 stis

istis codicibus aliquid a Criticis sagacioribus observari potest, quod illis, qui primum ex iis libros typis promulgarunt, in mentem non venit, ut editione Fabularum Phædri mihi constat. * Cum enim Rigaltius ex vetusto codice MSto has Fabulas ediderat, innumera tamen in illis menda relicta sunt, quæ ex illo ipso codice, qui in manus Marquardi Gudii incidit, mirabili solertia Vir summus restituit, modo exorari possit, ut limatissimas illas notas suas in publicam proferre lucem velit. (m) Scilicet ut ingenio alii aliis feliciores sunt, ita & in σοχασμῶ Critico alii aliis oculatiores, qui in apicem illo ductu & flexu aliqua velut divina virgula deprehendunt, in quo frustra alii sudarent.

Neque enim leve aliquid & exiguum quis existimet, cum e veteri codice MSt. emendatur Auctor. Plures sunt in illa re nodi, quam quis forte crediderit. MStorum codicum fides ex antiquitate, antiquitas ex ipsa ejus facie, characterum ductu, flexu, magnitudine, positu, colligenda est; ne quid de mutatione, transpositione, omissione, interpositione literarum, abbreviatione verborum &c. dicam. Nam ut ipse linguæ gliscunt, singulisque pene seculis aliquid in illis mutatur; ita nec ipsa scribendi ratio sibi constat. Hoc e Germanica, Gallica, Italica lingua patet. (n) Quanta hic in verbis, phrasi, accentu, dictione, scriptura, diversitas successu seculorum fuit! Stulti plane sunt & pueriliter judicant, qui ceterarum linguarum non eadem fuisse fara existimant. * Subsistit illa res hactenus in sola ἐμπειρία, neque ad artis regulas vocata; * nam paucula illa, quæ ROBERTELLVS & SCIOPPIVS de arte critica scripsere, tumultuaria sunt, & hujus rei fundum omnem non emeruntur. De characteris illis temporum in codicibus deprehendendis non satis accuratæ præceptiones habentur; cum certum tamen sit, ita de illarum ætate judicia institui posse, ut ex quibusdam signis de hominum & brutorum ætate judicare possumus. Qui a Monachis & Græculis fugitivis ab excidio Constantinopolitano lucelli gratia descripti, illam fidem non merentur, quam antiqui. Plura nos fortassis docuisset omnium literarum Vir, HIERONYMVS WELSCHIVS, si edidisset *Artem suam Criticam*, Scioppiana, ut titulus habet, brevior, auctior & accuratior, quæ per omne Scriptorum genus & linguas omnes se diffundat, & *Honores Calligraphie*, sive commentariolum de varietate chartarum, scripturarum & typorum, in quo multa rario- ra & vulgo incognita recensere & revelare voluit. * Scripserat & HENRIGVS

G 3

STEPHA-

(m) Viri illustris, Marqu. Gudii, in Phædrum Notæ, sive Commentaria Posthuma, in Editione Mythographi hujus novissima, Variorum Notis aucta, quam Pet. Burinannus Amstelodami, A. 1698. in suo evulgavit, prodierunt.

(n) Quam inter Desiderata Literaria hic retulit Morhofius, de Scripturæ in Codicibus Seculorum diversorum MStis diversitate doctrinam, magna ex parte, quod Linguam imprimis Latinam attinet, satis accurate est persecutus, & Tabulis LX, varia Scripturarum Veterum Specimina, æri inculpta, exhibentibus, illustravit Joh. Mabillonius, Theologus Ord. Benedictini Gallus πολυμαθέστατος, in *Libris VI. de Re Diplomatica*, Lutetia A. 1681. in fol. editis.

8 STEPHANI quædam de Criticis, in quibus tamen frustra illa, quæ ad artem ipsam spectant, quæsi veris; * nisi fortassis hoc suppleturus fuisset CAS AUBONUS, qui Epistola XXI. ad Bongarsium hæc scribit: *Nos de Criticis veteribus ea parata habemus, ex antiquis Hebraeis, Græcis & Latinis, quæ non promittit in suo de Criticis libello Stephanus. Sed illa lucem non viderunt, cum, aliis negotiis occupatum in Epist. 266. ad Elmenhorstium, se de poliendo Commentario, quem de Critica scripserat, ne cogitare quidem posse, fateatur.*

9 Sæpius ego miratus sum, adeo neminem ex omni Criticorum familia operi huic manus admovisse. * Extat de hoc argumento SALMASII epistola ad Sarravianum, inter Sarravianas illas Arausioni An. 1654 editas, p. 235. quæ aliquid plenius meliusque tradere videtur, quanquam ab illo, aliis negotiis occupato, scripta est. Rogarat illum Sarravius, ut notas antiquitatis Codicum MStorum aliquas sibi
10 panderet. * *Videò, scribit ad illum, antiquissimos Codices Manuscriptos Latinos & Græcos, ita exaratos esse, ut nullo interstitio voces distinguantur, sed uno literarum ductu invicem cohereant. Et hæc est summa vetustatis nota. Velim autem scire, quo ævo distingui ceptum sit, quod antea confuse habebatur. Hoc enim κερτήριον mirum in modum conduceret judicanda ætati Manuscriptorum. Si quid juvare potes Tu, qui plures istiusmodi libros versavisti, quam mortalium quispiam, fer opem & insigni beneficio literas affeceris. Ergo rescribit illi Salmasius, testis omni exceptione major, εἰς μέγιστον. Nam qui ejus elevare fidem hac in re velit, hunc ego insanire dixerim. Regnabat in his studiis Salmasius, ac præcipuas eruditi orbis Bibliothecas perreptaverat, libros manuscriptos descripserat, ex iis excerpterat, ut quasi viva MStorum Bibliotheca videri posset. Quam epistolam, cum in paucorum manibus sint Sarravianæ, hic integram subjungere volui, cum magnam rei criticæ facem accendat: *Quod petis de distinctione librorum veterum, vellem tempore opportuniore eam mihi quætionem proponere instituisse. Si otio quippe majori abundarem, neque angustiis spatiis excluderem, plenius hac de re possem tibi satisfacere. Nunc quæ in mentem venient, huic chartæ absque ulla meditatione illinam. Quod ad Græca exemplaria attinet, de quibus primum hic agendum est, ante Aristophanem, qui primus περσωδίων excogitavit & accentus invenit, nulla fuit literarum distinctio, neque subdistinctio. * Uno ac perpetuo ductu sine ullo interstitio voces omnes exarari solebant & sententiæ etiam continuari: nisi quod, ubi perfecta fuerat, non in eadem linea alteram auspicabantur: sed principium alterius lineæ, sive versus inchoabant. Inde nata distinctio per versus, qui majores aut minores erant, prout sententiæ pluribus aut paucioribus verbis absoluebatur. Interdum quippe duas, interdum tres aut plures lineas singuli versus occupabant. Græci σιχῆς appellant. Opera autem ipsa numerabantur per versus; quorum summa in fine libri subducta notabatur. Inde ποδύσιχον ἑξήλιον de grandi volumine dicebant. Diu duravit hæc ratio. In veteri codice Epistolarum Pauli, qui penes Puteanos est, ad finem totius scripturæ sacre librorum σιχομετρίων notatam invenit. Quæstiones Tusculanas in antiquissimo exemplari B. R. ita, per versus distinctas reperis.*
12 * *At in eodem versu quomodo περίοδοι & κῶλα distinguerentur, Aristophanes invenit, & notas ad hæc intervalla signanda commentus est. Tres fuere: τελευτα σιγμα, ὑποσιγμα**

Ἔ μέση. Primam proprie vocarunt **DISTINCTIIONEM** Latini, secundam **SUBDISTINCTIIONEM**, tertiam **MEDIANAM**. Τελεία σιγμαὶ punctum erat, quod collocabatur in capite vel apice ultimi elementi, in quo periodus desinebat. Ὑποσιγμαὶ in ima litera parte ponebatur, ἢ μέση σιγμαὶ ad mediam partem. Totidem igitur fuere puncta; sed pro situ aliter atque aliter valentia. Puncta igitur nostra sigma Maria & virgule, & duo puncta veteribus prorsus ignorata fuere. Punctis singulis tota distinctio & subdistinctio librorum constabat, tam apud Latinos, quam apud Græcos. Nam illi ab istis sumserunt. Τελεία σιγμαὶ, id est, punctum, in apice litera collocatum, absoluebat sententiam, ἐπαερίζει αὐτὴ τὴν διάνοισιν; & respondet plane nostro puncto. Reliquæ due subdistinctiones punctis etiam singulis notabantur, uno ad literam mediam ultimæ dictionis, altero ad imam partem locato. Hæ ostendebant, non integratam esse sententiam, sed adhuc manere suspensam, cum aliqua tamen differentia τῆς μέσης σιγμαὶς & ὑποσιγμαὶς, quam etiam alicubi, ὑποτελείων σιγμαὶν vocatam ostendit. De μέση tradunt Technologi Græci, ἐκ ἀπαερίζειν τὴν διάνοισιν, ἀλλ' ἀνοσπένειν ἐν καιρῷ τὸ πνεῦμα. De ὑποσιγμαὶ, sive subdistinctione notant, ἐκ ἀπαερίζειν eam τὴν διάνοισιν, sed ostendere τῶ μέλλοντος εἰρηδοῦ αἰφίνοι ἡρεμον τῶ πνεύματος ὡς ὄζυ τὸ λοιπὸν ὅπερ τῶ λόγῳ τηροῖν. In veteri inscriptione Smyræorum Arundelliani marmoris sine ulla distinctioe & subdistinctioe, una ac perpetua serie dictiones omnes inter se coherent: quod & in aliis antiquis Græcis inscriptionibus passim invenire est, quæ & sine accentibus scribuntur. Et certum est, ad hunc plane modum etiam libros ipsos scribi solitos, idque diu observatum post repertos accentus & distinctiones. Ab antiquariis secundum antiquas rationes scribebantur, nempe sine accentu ullo & sine ulla distinctioe. * Postea 13 Grammatici, qui eos emendabant & conferebant cum antiquioribus & emendatioribus codicibus, non solum, si quid erat titubatum a librariis, corrigebant, sed etiam accentus apponebant, & distinctiones. Vidi libros vetustissimos, in quibus apparebat plane, scripturam esse ab antiquiore manu, quam accentus. Nec secus fuit apud Latinos; quod colligere possumus ex vita Valerii Probi Grammatici apud Suetonium, qui de eo ita scribit: Multaque exemplaria contracta emendare ac distinguere & adnotare curavit, huic foli nec alii præterea Grammatices parti deditus: Ubi vides eos Grammaticos, qui libros autorum emendabant, etiam distinguere eosdem solitos, id est, distinctiones apponere. Quod Græci dicunt Critici σιζοῦ. Græcis Criticis hunc eundem fuisse morem possem probare Epigrammatè Græco, quod nunc non occurrit, nec etiam querendo est. Duplex, ut in pauca rem contraham, distinguendi ratio fuit, qua voces singule invicem separabantur, & qua periodi & cola. Antiquissima exemplaria neutram habent, neque apud Græcos, neque apud Latinos. Tales hodie paucissimi reperuntur. Nam plurimi, qui uncialibus & capitalibus literis scripti sunt, voces invicem habent distinctas. Quosdam tamen vidi, qui nullam ferme vocum distinctionem ostendebant. Et, nisi fallor, talis est MScript. Livius Puteanorum. At in illis, qui rotundiore & minatiore charactere exarati reperuntur, fere semper dictiones omnes distinctæ inter se apparent: sententiæ vero absolutæ solis punctis, hoc est τελείως σιγμαὶς, raræ in iis occurrunt subdistinctiones, quas tamen adhibere antiquitus solitos, & C.

& Ciceronis quidem ævo, patet ex Asconii Pediani in Verrinas notis. Orientales, ut Hebraei, Syri & Arabes, voces distinguere soliti sunt, quia literas habent vocum finales, aliaque forma, quam quibus principia & prima notata sunt. Adde nonnulla quibus dignosci possunt antiquitas exemplarium manu exaratorum. * Si quibus in libris MSS. diphthongus reperiatur *Æ* duabus litteris, non in unam conditis, sed separatis, expressa ad hunc modum *AE*, aut *æ*, scias codices illos & vetustos esse imprimis & fideli manu confectos. Si littera efficta occurrat, aut per unam literam ex duabus constatam, aut per unicum *E*, cui nota supposita sit, hoc modo *ē*. qui primo modo scripti sunt, paulo majorem vetustatem redolent: qui secundo, ad infimum seculum relegari debent. Littere capitales non semper indicium habent majoris vetustatis. Nam & minores characteres & vere Romani, rotundiore forma expressi, saepe summam præ se ferunt *δεχαιότερα*. Sunt & littere, quae convocantur *LONGOBARDICÆ*, quarum usus fuit circa Justiniani ævum, quibus libros olim vidi descriptos, eosque emendatissimos.

Hæc ego plenius hic adducere volui, cum ad MStorum antiquitatem deprehendendam facerent. * Fuit vero illa singularis MStorum indagandorum cura, tempore *παλιγγενεσίας* literariæ, ut nanciscerentur codices emendatissimos, e quibus Typographiæ beneficio in lucem ederent. ERASMUS in his omnem lapidem movit, qui in vetustis libris producendis, nec sumptui pepercit, nec studio. Quare ad Collegium Canonicorum Metensium, qui instructissimam omnium generis Manuscriptis Bibliothecam habuerunt, lib. 10. Epistola 4. scribit: Quoniam ex evangelica lege jubemur suum quisque talentum sic in usum publicum conferre, ut usuram approbet, qui sortem credidit, ego studium meum ad hoc appuli, ut vetustissimos autores aut in lucem eruam, & a blattis tineisque vindicem, aut depravatos emendem. Etenim ut gravis est jactura nobis, interire, quod tantis vigiliis summi viri prodiderunt: ita non exstare videtur, quod extat sic mendis undique conspurcatum, ut nec legi possit, nec intelligi. Nec dubito, quin Vestra quoque Pietas publica saveat utilitati, nihilque minus probeat, quam canem illam præsepi incubantem, de quo est in Græcorum proverbii, præsertim cum ita liceat, illam utilitatem aliis communem facere, ut nobis nihil deteratur. * Extat & LEONARDI ARETINI ad Poggium epistola, qua illum invitavit ad libros MStos indagandos. Hic cum Quintilianum illi integrum promississet, exclamat: O lucrum ingens! insperatum gaudium! Ego Te, Marce Fabi, totum integrum quando aspiciam! & quantus Tu mihi tunc eris! quem ego, quamvis lacerum crudeliter ora, manusque ambas populataque tempora, raptis auribus & truncas inhoneſto vulnere nares, tamen in deliciis habebam. Oro Te, Poggi, fac me quam cito hujus desiderii compotem, ut si quid humanitus impendat, hunc prius viderim, quam e vita discedam. Quintilianus Rhetoricæ pater & oratoricæ magister ejusmodi est, cum Tu illum, diuturno ac ferreo barbarorum carcere liberatum, huc miseris, omnes Hætruriæ populi gratulatum concurrere debeant. Hos ille triumphos agit in unius Quintilianii MSto codice, atque iste temporum illorum ardor fuit, ut per omnes Bibliothecarum recessus antiqui isti

17 Autores conquirerentur, etsi non sine magna difficultate & molestiis. * Nam, qui eos

eos custodiebant, Monachi, ut thesauros, sibi servabant, quod non parum lucri ex eorum descriptione haberent; ut variis artibus ad extrahendos e claustris suis captivos opus fuerit. Videatur de his copiose Lomeierus *Tr. de Bibliothecis cap. 9. sect. 2.* ubi multa de libris antiquis, quomodo illi virorum doctorum industria in lucem protracti fuerint. Exstant etiam de difficultate Typographorum graves virorum doctorum querelæ. Videatur Petri Victorii ad Camerarium ea de re epistola, quæ prima est libri primi Epistolarum, ad Germanos scriptarum. Non est tamen, quod succenseamus Monachis, quorum beneficio servati fuerunt Codices. Et si enim illi barbari, & quibusdam ob male tractatos codices & morositatem vapulent, tamen vel ideo ignoscendum illis est, quod absque eorum supersticiosa custodia tot antiqui Auctores pessum ivissent.

Utinam ad communem utilitatem conspirarent, qui MSta possident, vel Principes & Respublicæ, vel privati, & vel notitiam eorum publico bono non invident. Multæ latitant ignoratæ sæpe ipsis possessoribus opes, quarum obtinendarum nulla spes superest. Qui in Bibliothecis publicis habentur codices, illi a quibusdam singularibus libris notati sunt. * Laudabilem ea in re operam posuit *Possevinus*, qui Catalogos MStorum Græcorum & Latinorum, ad res sacras pertinentium, Apparatu sacro subjecit: utinam & ceterorum titulos consignasset. * *Labbeus* simili ratione Novam Bibliothecam MStorum librorum, sive specimen antiquarum lectionum Latinarum & Græcarum Parisiis A. 1653. edidit, qua Theologi non solum, sed & aliarum disciplinarum Scriptores inediti continentur. Sed ille Bibliothecam Regiam ceterasque Gallicas præcipue in hunc usum adhibuit. * *Manuscriptorum* historiam, quatenus illa ex Catalogis patet, *Theophilus Spizelius* in dissertatione præliminari, quam præmisit sacris Bibliothecarum illustrium arcanis relictis, libro Aug. Vindelic. An. 1668. edito, diligenter persequitur. Hic ostendit, quomodo ex omnibus Catalogis cognitissimæ Manuscripta Theologica, passim in Bibliothecis Europæ latitantia, congerenda, ejusque specimen aliquod affert. Similem laborem in ceteris scientiis & Facultatibus promittit. Sed nec omnes Catalogos ad manum habuit, nec Bibliothecas vidit, quod necessarium est illi, qui tale Opus molitur. * *Ludovicus* quoque *Jacobus*, multos in Collegiis & Cœnobiis restare MStos Codices, testatur, qui omnes perlustrandi essent, & in hunc censum referendi. * *Johannes Baptista Caponus*, referente Gregorio Leti, notitiam MStorum Medicorum totius Orbis, in quocunque idiomate, promittit. * Susceperat & *Hieronymus Welschius*, teste *Schræckio*, hunc de Manuscriptis Medicis ex Catalogis Bibliothecarum editis & ineditis laborem; cui ille quidem manum admovit, sed & hunc facta intercepte.

Laudandus inprimis *Senatus Augustanus*, qui Bibliothecæ suæ celebratissimæ Catalogum non edi tantum aliquoties curavit; sed & MStos Codices, præcipue Theologicos, accurate notari iussit, hac ratione addita, ut Codices in ea contentos, vel cum viris doctis interpretandos, vel diligentibus Typographis conferendos (modo de iis factis relictis suo tempore restituendis caveant) ad augenda rei literariæ commoda

- communicaret. Edidit & eundem postea Catalogum auctiorem *David Hofschelius* jussu *Marci Velferi*, Reip. Augustanæ Duumviri, qui hanc ob causam ejus curari editionem voluit, ut tam, quæ in Bibliotheca hac *κειμήλια*, qui notæ probæ Actores, servarentur, constaret, quam quicumque Codex in rei literariæ commodum petenti *εἰς χρῆσιν* daretur, aliique *βιβλιοτάφοι* ad idem bene de literis merendi studium incitarentur, ad cujus confirmationem hæc caractere majusculo verba præfixa. *Quisquis Republica literaria favet, sive Lector, sive Typographe, horum omnium Codicum sive interpretandi, sive conferendi, sive edendi, ita tibi futura est copia, si de iis incolumibus restituendis caveris.* * Edidit postea & *Antonius Reischer* hujus Bibliothecæ Catalogum MStorum uberiorem, nam præter Theologicos etiam aliarum scientiarum MStos Codices adjecit, ad exemplum & imitationem Bibliothecæ Manuscriptorum Labbeanæ; quem postea indicem sequeretur *Historia Literaria & Libraria Augustana*. Sed & illa jam spes periiit. * Neque insigni sua laude privandus *Uldar Fuggerus* est, qui *Henric. Stephani* annuo stipendio aluit, ut libros Græcos ederet.
- 28 In Bibliothecæ Vindobonensis MStis recensendis sollicitissimus quoque fuit *Petrus Lambecius*, qui in Commentariis suis, præcipue l. 3. & 4. accuratam eorum enarrationem ubique immiscet, sed abruptum hunc laborem utilissimum fato Augustoris, dolendum sane est. * Bibliothecæ Budensis MSta, quæ nupera expugnatione barbarorum unguibus erepta, indicem nuper in *Francofurtenſi Catalogo Julii Pflug* promissit. * Italicarum Bibliothecarum thesauros MStos prodidere, *Thomas Angelicus Aprosus de Vintimiglia* in Bibliotheca sua, quæ tamen nondum edita est, tum & alii Vitarum & Elogiorum Scriptores. De ceteris Europæ Bibliothecis, quæ MStis abundant, legendus est *Ludovicus Jacobus, Lomeierus* & alii. * Edidit superiore anno celeberrimæ *Academix Lipsienſis* Catalogum Codicum MStorum *Cl Fellerus*, optime hac opera de Academia non solum, sed & orbe literato meritis qui in præfatione Catalogi singularia quædam & notabilia summam exponit
- 32 * Reperiuntur illic libri partim plane incogniti, partim perquam rari, Patres & Historici Græci. Habetur in illis *Theophili Monachi* liber *de arte colorandi ac coquendi vitra*, quem intercidiſſe plane nonnulli existimant, merito conferendus cum illis, qui hodie de eodem argumento scripti sunt. Latitant in illis plurimi veterum Germanorum libri Rhythmici, non immerito eodem, si non majori, a nobis pretio habendi, quo haberi solent aliarum gentium venerandæ antiquitatis rudera.
- 33 Nam & hic Dii habitant, & in antiquo illo habitu ingenium reconditur. * Orientalium librorum gazas, quarum aliquam partem tum Bibliothecæ *Leidenſis* Catalogus, tum *Christianus Ravius* in spolio Orientis exhibet, elevare videtur *Comnigenius* in doctissima illa ad *Boineburgum* de *Bibl. Augusta* Epistola p. iii. & sequentibus, quem tamen hic sua sententia non audiendum existimem. . . Necessitatem MStorum Orientalium in Theologia ostendit *Hottingerus* *Biblioth. quadr. p. 96.* in quibus magnam habuisse notitiam *Burdelotium Ludovicus Jacobus, Tr. de Biblioth. pag. 502.* testa-

restatur, quosque magno numero in sua Bibliotheca Peirescius habuit, & plures etiam inter barbarorum manus tenentur thesauri, quam nos credimus.

Hic ego hanc omnibus Bibliothecarum possessoribus mentem optem, quam ³⁴ habuit Laurentius Pignorius, Vir ingenio & scriptis illustris, qui ut ipse in Bibliotheca sua multos habuit MSros Codices, quos recenset Thomasinus, Episcopus Aemoniensis, in dissertatione de vita, Bibliotheca & Museo Laur. Pignorii, ita omnibus illos obtulit, si quis vellet proferre in publicum: ita enim in Symbolarum Epistolicarum lib. i. Epist. 33. ad Johannem Thuilium scribit: *Non omnino inseite hirundines olim cygnos arguebant, propterea quod canendi artem nollent in publicum proferre, sed pratis solum, suavinibus & Zephyro canerent. Occultae Musica, vetus est dictum, nullum esse alicubi commodum, cujus ego precepti memor, si quid in arculis meis pluteisve latet, id omne consilium est transcribere publico bono, ut docti homines, quos editionis fortuna destituit, volitent aliquando per ora virtum, & postuma hac fama persruantur merito jure. Utinam vero, quod ego tenuitati mea impero, id exequantur alii copiosi & locupletes, qui Bibliothecas (nisi Bibliotaphia malimus appellare) refertissimas habent ineditis bonorum autorum sctibus, eo consilio, ut in compedibus habeant immortalia monumenta ingeniorum, donec illa ignis fortuitus redigat in favillas, vel vis major hostilitatis alio avertat.* Hisce nos precamur bonam mentem.

MSis accenseri possunt *veterum Autorum libri editi, manu virorum doctorum ac* ³⁵ *Criticorum illustrium notati.* Cum enim ideo in pretio sint MSi Codices, quod illorum beneficio, loca corrupta emendari possint, merito aestimari debent illi libri, in quibus jam-tum illae emendationes a viris doctis sunt institutae: ac si verum fateri velimus, plus saepe in illis utilitatis est, cum labore illo taedio in inquirendi & conferendi sublevemur, ac praeterea judicium Critici accedat, qui suae censurae rem jam fecerit, quod potissimum est. Si enim vel Scaliger vel Salmasius fuerit, non sunt a tali manu ineptiae expectandae. Ac fuere in Belgio hoc consilio usi, ut sibi compararent Autores, manu Scaligeri notatos, e quibus adeo profecere, ut magnam sibi e scriptis Criticis famam, alieno tamen ingenio fulti, acquisiverint: quorum ego nomina intacta relinquo. Merito ergo talibus libris idem, quod MSis ipsis pretium statuitur, ac vidimus, plerumque illustrium Criticorum Bibliothecas eam ob causam, majore, quam sperari poterat, lucro venditas. * Magnus talium libro- ³⁶ rum numerus in exquisitissima illa Nicolai Heinsii Bibliotheca fuit, cujus Catalogus vel ideo aestimari viris doctis debet, quanquam & aliis optimis Scriptoribus affluat. Sunt & in Catalogo Bibliothecae Goësianae, nuperrime venditae, ejusdem generis libri non pauci.

Tertium a veris illis Manuscriptis Codicibus locum occupant illi libri, qui pri- ³⁷ *mo e MSis emendatis antiquioribus, a peritissimis Typographis, curantibus viris doctis, sunt editi,* qui magnam proinde fidem in variis lectionibus decidendis, & emendationibus corruptorum locorum habent. In his numerantur Autores, qui Romae ab Aldo Pio Manutio, Florentiae a Juniis, in Galliis a Stephanis, quorum vitae & res a Theodoro Jansenio ab Almeloveen descriptae, a Sebastiano Gryphio, cui Scaliger libros

de Causis Latinæ linguæ dedicavit, in Germania a Frobenio, Oporino, Commelino &c. in lucem dati sunt. Nam celebrium Typographorum eadem esse notitia debet, quæ virorum doctorum. Diligentissimus in horum Typographorum notitiâ delineanda fuit Bailletus in *Judiciis doctorum part. 1. tom. 2. ubi multa de illis occurrunt, non adeo vulgo cognita.*

- 38 Solent & a *viris doctis scribi libri*, quibus illi per totum vitæ suæ spatium insudarunt, *qui cum Editores nascisci non potuerunt, sæpè aliis fetus suos relinquunt*; qui suam alieno fundo famam inædificant, modo non cum muribus & blattis illis certandum, aut ad salamentarios & myropolas relegentur. MStæ recentiora vocari possunt. * Dici non potest, quanta bonis literis calamitas ex eo nascatur, ac sunt profecto infelices vocandi illi viri docti, qui non sibi serunt, sed aliis, ac nullos e suis laboribus fructus capiunt. Eorum aliqui jam absoluti sunt, aliqui imperfecti. Hi plerumque vel aliis in prædam cedunt, vel ut inutiles chartæ abiciuntur. Illi nonnunquam hac fortuna fruuntur, ut Bibliorhæcis opulentiorum recepti, quasi in tumulo recondantur, aut altero demum sæculo in lucem mittantur. Qui jam antea famam scriptis editis occuparunt, in postumis quoque illam retinent, ut aliquando Typographum ad editionem provocent, si in peritos heredes inciderint. Quamquam & quæ præsidio fama est, interdum impedimento est: allicit enim prædones & plagiariorum, vel saltem cupiditatem insani possessoris auget, ut suum sibi thesaurum sanctius servet. Habent & illi in MStis locum, & a rei Bibliothecariæ peritis magno conquiri studio debent. * Ac publice sane interesset, si ipse Magistratus τῶν ἀνευδῶρων curam in viris doctis susciperet, ut orbæ proliis: ira non interciderent & ab oblivione vindicarentur præstantissimarum rerum thesauri, & plagarii ab illis arcerentur. Legi de illis Virarum & Elogiorum Scriptores debent, qui plerumque cum editis inedita quoque notare solent. Excerptenda illa sunt & seorsim noranda: fieri enim interdum potest, ut in heredes eorum primos, secundos, tertios, vel casu aliquo, vel diligenti inquisitione incidamus, unde acquirere nobis illa possimus. * Integram deperditorum librorum historiam promissit Ferretus, ut supra a nobis dictum est; sed vereor, ne & ipsa olim inter deperditos libros recenseatur. Vide, quæ de postumis libris habet Bailletus in libro *de Judic. doctor. tom. 1. part. 2. cap. 9. p. 390. & sqq.* Bibliothecam pene integram sola Welschii scripta inedita & affecta conficerent. Libri Scioppiani ἀνευδῶροι multi, atque inter illos ejus *Theaurus, sive absolutissimi de lingua Latina Commentarii*, apud Joh. Michaëlem Pieruccium, Professore Patavinum, latitant; neque hunc in diem lucem, cum indignatione eruditorum, vident; de quibus legendus est Gregor. Leti *Ital. regnante part. 3. pag. 325.* Magna hujus libri expectatio apud literatos est, & qui viderunt, ita commendant, ut in illo genere nil simile a quoquam scriptum illis esse videatur. Apud Carolum Dati, teste Boccone in suis Observationibus naturalibus, latitat MICHAELIS MERCATI *Theatrum Metallicum*. Hoc ille velut thesaurum aliquem custodit, & orbi literato invideri Bocco indignatur. * Qui imperfecti sunt libri, neque extremam limam senserunt, & vel ruditer tantum designati,

signati, cum orbe tamen eruditō communicandi essent, etiam contra Autorum morientium vota, qui sibi ipsis interdum iniquiores sunt, quam alii iudices. Apellis Tabulæ etiam imperfectæ in pretio fuere: ita virorum ingeniosorum Opera imperfecta suis autoribus dedecori non sunt. Ac sint in illis nævi, facile hos excusat non adhibita Operi *ἀνεπίστα*, tegunt illa & quodammodo pulchriora faciunt Opera perfectiora. Videmus enim ac observamus in illis tacitos mentis humanæ in iudicando progressus. Ego cum voluptate sæpe legere soleo maximorum Virorum, Hugonis Grotii & Danielis Heinsii puerilia carmina, quæ initio hujus seculi edita, postea Operibus ipsis non sunt infera. Quæ etsi a virilibus illis multum discrepant, delectat tamen florum illa luxuriæ, quos tam præclari fructus postea secuti sunt.

Magnum hic texere Catalogum possem *librorum ineditorum, vel imperfectorum*, quorum memoria lectoribus ingrata non esset: sed paucos tantum producam e vasto illo numero. * Decefferat Hamburgi MARTINUS FOGELIUS, 43 Gymnasii ibidem Professor, Vir doctissimus mihi que amicus, qui multa in lucem edere meditabatur, quorum jam ipse spem fecerat, sed nunc illa cum ipso tenebris demersa jacent, quorum tamen titulos saltem in lucem nunc protraham, si ipsos libros non licet. Notabo vero, ut ipse, cum viveret, ad me misit. In PHYSICIS erant: *Historia Naturalis selecta & hætenus præterita, cujus 1. pars agit de Similaribus. 2. de Plantis. 3. de Animalibus: Didactica Physica; cujus pars est præcipua de Experientia Physica: Historia Physicorum: Attributa corporum naturalium.* In MEDICINA: *Nososcopica Observationes: de Simpliciorum operationibus, cujus ἀνεπίστα est, commentarius editioni paratus de Turcarum Nepenthe: Dieteticæ Observationes: Therapeutica Observationes: Didactica Medicinæ, cujus pars præcipua jam effecta est, de Experientia Medica: Historia Medicorum præterita.* In GEOGRAPHICIS: *Historia Geographorum, cujus pars 1. fere absoluta est, de Geographiis totalibus, qui totum fere orbem terrarum descripsere. Hujus etiam pars est Historia Mapparum: Iter per Germaniam, Italiam, Galliam, Hispaniam & Belgium: Castigationes in Atlantes; item in Philippi Cluveri Compendium Geographicum: Item Compendium Geographicum, situ omnium locorum distincto auctum: Historia Geographica selecta: Didactica Geographicæ.* In LOGICIS: *Præstantia Logica Hamburgensis supra ceteras hætenus editas, aliquot demonstrationum Euclideanarum exemplis ostensa: eadem præstantia aliis argumentis asserta: Logica Observationes.* In DIDACTICIS: *Didactica: Didactica Didactica: Historia Didactica & Logica præterita: Lexicon Philosophicum generale, editioni paratum.* In HISTORICIS, præter jam dictas: *Historia Philosophica, cujus pars est, Historia Lyncea, a nemine hætenus edita, quæ duobus constat voluminibus: Primum continet Historiam generalem, secundum historiam cujuslibet Lyncei. Hanc ipse vidi, jam editioni destinatam, Opus elegans & curiosum: Historia Mathematicorum præterita: Historia Heurætica: Historia Philologorum: Opificiorum variorum Historia.* In GRAMMATICIS: *De Lingua Fimica Observationes, ad Magnum Ducem Etruria pridem transmissa: De Germanorum litera & Germanica Lingua Etymoscopia: Ger-*

manica Linguae Orthographia: Latinae Linguae Observationes: Definitiones Grammaticae: Etymoscopia Philosophica, qua ostenditur cognatio totius fere telluris Linguarum: Linguarum varietates.

Hac de Fogelio sperari poterant, in singulare historiae literariae commodum, quorum nunc an spes ulla ad editionem superfit, vix dixerim. Sunt in illis eleganter excogitata & laboriose collecta, pleraque jam ad praelum parata.

44 * Multa quoque celeberrimus JOH. ANDREAS BOSIUS sibi edenda proposuit, quae nunc cum ipso intercidere: eorum Catalogus ab amico ad me missus, e quo cum publicatum illum non meminerim, excerpam aliqua, lectoris notitia non indigna. (o) In his primum locum obtinent: *Emendationes & notae in Josephum, quae, ut puto, cum editione Josephi Anglica conjungentur.* Porro sunt: *Theauri Politici continuatio: Varia scripta, ad historiam hujus & superioris seculi pertinentia: Georgii Syncelli & Theophrasti Chronographica cum continuatione Genesii hactenus inedita, Graece & Latine cum notis Jac. Goar & J. Andr. Bosii: Nicephori Chronographia Graec. & Lat. e MSstis Codicibus aucta & correctae, notisque illustrata: Nova editio Politicorum Aristotelis cum prolegomenis de comparanda prudentia civili: Vigerii libellus de Idiotismis Graecae dictionis cum praefatione Bosii: Liber de natura & varietate historiae, seu Introductionis in historiam universalem liber primus: Introductio in Chronologiam Historicam: Introductio in Geographiam Historicam: Accedit specimen Geographiae Historicae, continens descriptionem ditionum historicam in Hispania & Italia, ita adornatum, ut supplementi loco esse possit ad Geographiam Clivero-Bunonianam: Dissertatio de Historia Ecclesiastica studio, nostro praesertim tempore diligentius colendo, cum scholiis: Dissertationes de prima librorum scribendique origine: de variis partitionibus temporis universi; de Rep. Theocratica; de Origine Imperiorum: de incrementis & decrementis imperiorum: de dignoscenda Republica: de Scriptoribus historiae universalis: de Historia pragmatica: de variis divisionibus librorum Biblicorum: de inventione crucis Dominica: de vita, gestis & scriptis Moysis: de Numismatibus Hebraeorum cum brevi explicatione: de Numismatibus familiarum Romanarum: de Tetracty Pythagorica: de Numismatibus Othonis aureis, argenteis, aeneis. Accedit liber Chifletii de Othonibus aeneis: de Pontificatu maximo Imperatorum Romanorum: Introductio in historiam rei nummariae veteris: Adolphi Oeconis Numismata cum novis additamentis: Dissertationes in Agricola Taciti: in ejusdem principatum Galbae: Varia observata in Scriptoribus Ecclesiasticis, Graecis & Latinis: Ratio tractandi Historicis ad usum prudentiae & eloquentiae civilis: Anonymi Chronicon, primum e MSstis Codicibus edendum: Scholia Graeca in Sophoclem adhuc inedita: Marci Pauli Veneti Itinerarium, ab edito plurimum discrepans, cum notis Bosii: Petri Helii Vocabularium, carmine conscriptum notisque illustratum: Orationes & Sermones Academici: Taciti, Senecae, Plinii nova editio cum notis variorum. An ex iis quicquam in lucem proditum sit, incertum,*

(o) Bosiana pleraque, b. l. recensita, vix affecta fuere, nedum perfecta, uti Successor ipsius atque haeres, Casp. Sagittarius, amicos edocuit. Vid. Tenzelii *Dialogos Menstruos Germanicos*, M. Jan. A. 1689. p. 31.

tum, nisi forte Academiae Jenensis Theologus & Polyhistor celebratissimus, Sagittarius, obstetricias iis manus aliquando admoverit.

His virorum doctorum Scriptis ineditis accenseri etiam possunt EPISTOLAE 45
 quae sollicite custodiendae sunt. Continentur enim in illis plerumque ar-
 caniora quaedam rei literariae, quae frustra alibi quaeras. Quoniam enim commer-
 cia ista libere exercentur, judicia in illis saepe ingenua de rebus eruditorum scri-
 buntur: praecipue si non in eum finem scriptae sint, ut typis promulgentur. * In 46
 Bibliotheca Norimbergensi multas virorum illustrium MStas Epistolas asservari,
 autor est Saubertus Orat. 2. de Biblioth. Nor. *Non desunt, inquit, epistolae MStae viro-
 rum longe lateque celebrium, Principum, Comitum, Baronum, Pircameri, Baumgartneri, Lu-
 theri, Philippi maximo numero, Spalatini, Camerarii, Scheurlii, Hectoris, Pomeri, Hornburgii,
 Casp. Nuzelii, Ulrici Hutteni, Georgii Pesleri, Pauli Eberi, Viti Theodori, Johannis Matthe-
 si totis fascibus, Cratonis, Lazari Spengleri, Andr. Osiandri, Bezae, Rudolphi Gualteri, P. Me-
 lissi, Joh. Sturmii, Flacii Illyrici, Strigelii, Frischlini, Fr. Raphaelis, Carlstadii, Joh. Agricola,
 Islebensis, Thomae Muntzeri, Samuelis Huberi & plurium.* Hottingerus Epistolarum, a
 Theologis sub tempora reformationis scriptarum, ingens volumen habuit, ut ipse
 in Bibliothecario suo memorat, quod ille inter maximos thesauros suos literarios
 numeravit. Vidi ipse apud Virum illustrem, Marquardum Gudium, spissum talium
 literarum a viris doctissimis, & quidem eorum manu scriptarum, volumen, inter
 pretiosa supellectilis literariae, quam habet amplissimam, cimelia referendum. Sunt
 in illis Lutheri, Melancthonis, Erasmi, si recte memini, 50. Casauboni, Sarravii,
 Wouwerii, Manutii &c. epistolae omnes ineditae. Hujus Manutii una in illis est
 prolixa, ipsius manu scripta, quam Reginam epistolarum Manutianarum vocabat,
 quae in editis non habetur. * Epistolarum ineditarum Reinesianarum multos quo- 47
 que fasciculos in Bibliotheca sua servavit Bosius (p); habuit eas, quas ad Bernh.
 Bertramum, Cancellarium in Aula Altenburg. Theologos Jenenses scripserat:
 Epistolas Reinesii & Majoris, Vorstii, Medicorum Germanorum, Hofmanni, Sen-
 nerti, Maebii, Volcameri, Schneideri, Schenckii, Volckii, Horstii, tum aliorum
 Professorum, Birnstilii, Snellii, Laescheri, Frischmuthi, Henr. Gebhardi, Graevii,
 Bosii, Thomasi, Strauchii, Conringii, Slevogtii, tum aliorum virorum doctorum,
 Langermanni, Gueinzii, Weitzii, Parei aliorumque mutuas: in quibus multa esse,
 quibus res ornari literaria possit, dubium nullum est, & ex editis augurari possu-
 mus. Sed vix erit, ut in publica aliquando luce illas videamus.

Quemadmodum haec in eruditorum usum Epistolae colligi debent: ita Scripta 48
 politica, quae ad statum Reip. pertinent, merito ad usum publicum servanda, suumque
 sibi in Bibliothecis, praecipue publicis, locum vindicant. * Magnopere commen- 49
 dat eorum accuratam custodiam Conringius in Epistola de Bibliotheca Augusta pag.
 14. ac eo nomine Guelferbytanam praedicat, quod in ea magnus illorum de statu
 Germa-

(p) Epistolae Joh. Andr. Bosii & Thomae Reinesii mutuae, curante Joh. Andr. Schmidio, Theologo
 Helmstädiensi, Jenae A. 1700. in 12mo prodierunt.

Germanico MStorum numerus seruetur. Excell. Dn. Rachelius *cap. extremo Introduct. ad jus publicum Germanicum*, de eadem Bibliotheca testatur, tantam in illa rerum Germanicarum omnis generis copiam exhiberi, quantam vix ullum Germaniæ totius Archivum. Præsertim postquam MSti Codices Joh. Schwartzkopffii, Cancellarii, ejus partem constituerunt. Eodem in loco mentionem facit Bibliothecæ Maximiliani *zum Jungen*, Patricii quondam & Viri Consularis Francofurti ad Mœnum, in qua CXVI. volumina rerum Germanicarum collecta fuerint: quo thesauro præcipue motum Cardinalem Mazarinum existimat, ut sedecim mille florenos pro illa obtulerit, neque tamen pro illo pretio eam impetrare potuerit. De eorum scriptorum copia in Bibliotheca Puteani & Pinelli jam supra diximus.

- 50 Enumeravimus hætenus scripta illa, quæ MStis veris accenseri solent, quorum utilitas quibusdam major esse videtur, quam ipsorum Manuscriptorum. Conringius certe, ut jam supra diximus, non vult inter perfectissimæ Bibliothecæ notas haberi, si numero Manuscriptorum vincat. Neque negari sane potest, ex cujusque scopo & fine spectandam Bibliothecam. Privatus sibi pro suo genio & indole eam format. Publica ad usum communem institui debet. Etsi vero & editi libri optimi hic abesse non debent, tamen & facilior eorum copia, quam MStorum est: & vero in eo maxime Bibliothecas publicas prospicere privatorum indigentia æquum est, ut subministrent illa, quæ ipsi aliunde non facile deproment. In his ergo rarioribus principem locum sibi vendicant Manuscripta, quæ, quo antiquiora, eo sunt meliora, sive jam tum typis illa vulgata sint; sive hætenus *dividenda*, quæ majoris pretii sunt. Sed tamen nec illorum nullus usus est, ut jam supra exemplo declaravimus. * Etsi enim Conringius cum Toletio Fulvium Ursinum ridet, immane pretium MSto antiquissimo Terentii, sed tamen alicubi vitiose scripto, statuentem, de quo locum e Jan. Nic. Erythraeo producit: non tamen adeo absurde hac in re sensit Ursinus. Quanquam enim accuratius nunc in nonnulla Terentii loca inquisitum sit, aliorum Codicum collatione; tamen, si antiquitas sua Codici constat, plura e tali codice, tum, quæ ad intellectum Autoris, tum, quæ ad scripturam pertinent, disci possunt, quæ in aliorum Codicum lectione magnam nobis lucem accendent. * Multum enim in se reconditi habet ille antiquitatis genius, atque ubi minime credis, ex ipsis suis tenebris lucem aliquam spargit. Quod si levior ille quibusdam usus videatur in Autorum emendatione; longe tamen major ille est, qui e MStis Patrum libris, ut jam impressis, in Ecclesias & Academias profanant. Nemini ignotum est, quorundam fraudibus id agi, ut ea in Patribus loca, quæ minus favere receptæ apud suos sententiæ videntur, aut mutilentur aut corrumpantur: quo casu magnum in MStis Codicibus præsidium qui non agnoscit, is profecto stupidus atque amens est. Jamdudum ostensum a Theologis celeberrimis & Philologis est, multa talia passim in Patribus inveniri. Extat & singularis *de Latrociniis in Scriptores Publicos, præcipue Patres*, L. Casp. Læscheri dissertatio, quæ exempla ejus rei proferuntur: sed longe dari uberiora poterant. Si mutilationes illæ non sint, vel Typorum sphalmata, quæ reperitis editionibus crescunt, medicam a MStis man-

num requirunt. Commendat hunc usum quoque Reiserus in præfatione Indicis MStorum Bibl. Augustanæ. * Manuscriptorum nunquam editorum usus ex utilitate argumenti dependet, & ipsa raritas rem sæpe inæstimabilem faciet. Qui Livii & Taciti libros omnes, Plinii libros de bellis Germanicis, ac similes Autores possideret, de pretiosissimo illo thesauro sibi merito gratulari posset. Latitare adhuc in aliquo orbis angulo, non est forte incredibile, præsertim cum mirabilia MStorum sæpe esse fata soleant, ut de ipso Livii codice aliisque in dissertatione nostra de Patavinitate Liviana notavimus.

Jam supra monui, excutiendas esse omnes Bibliothecas, publicas, privatas; ut MStorum notitiam, quoad ejus fieri potest, uberrimam habeamus: quanquam hic obstinatum Bibliothecarum silentium esse solet. Solent illa *κειμήλια* nonnullis ita recondi, ut vix inspectioni locus relinquatur: neque patientur, ut quis de illis catalogus in lucem edatur, cujus quidem taciturnitatis causas non omnino nullas habent. Solent enim thesauri incogniti ab ipsa obscuritate aliquod securitati suæ præsidium perere. Qui in omnium oculis versantur, facile prædones belli tempore alliciunt, ut tristitia ejus rei exempla supersunt in Germania, ubi vel fama & suspicio cum periculo conjuncta fuit. Sed tamen cui bono thesaurus absconditus? In usum tamen hominum illi libri congesti sunt, & ut eorum notitiam nobis conquiramus, cum Bibliothecariis familiaritas contrahenda, ut ad secretiores Bibliothecæ recessus nos admittant, quo artificio Salmalius in Bibliotheca Heidelbergensi usus est, cui plurimam in Criticis cognitionem debet.

Instructissima, sine dubio, omnis generis Manuscriptis. Bibliotheca Vaticana est, præsertim postquam Heidelbergensis Bibliothecæ spolia acceperunt. (Si ulla unquam acceperunt; sunt enim, qui de eo dubitant: neque ipse etiam Joseph. Scaliger magnifice adeo de illa sentit.) Aprosius Vaticanæ Bibliothecæ & Barbarinæ MSta consignavit, teste Gregor. Leti Ital. regn. part. 4. p. 399. * Huic Vindobonensis subjungitur, præsertim postquam Budensis Bibliothecæ reliquiæ in illam collatae. Vixisset Lambecius, illius Bibliothecæ MSta in publicam lucem protulisset. * In Hispanicis Bibliothecis multa supersunt MSta; sed, ut Dracones, opibus suis incubant, neque tamen iis uti vel possunt, vel volunt. Incendio Bibliothecæ Scorialensis plurima, ut puto, perierunt. * De Angliæ Bibliothecis Georg. Richterus in Epistola ad Arnoldum scribit: *Novi & expertus sum ipse, quales & quantos viros in re literaria, quales Bibliothecas, qualia Manuscripta natio ista habeat.* * Christophorus vero Arnoldi ita ad Richterum (in Epistolis Richterianis p. 485.) scribit: *In Academia Cantabrigiæ, Abri Whelocus, Arab. atque Anglo-Saxon. lingue Professor & Bibliothecarius publicus, codices Manuscriptos, cum primis Græcos, perlubenter mihi impertit, ex eadem Bibliotheca publica aliquot Episcoporum Bibliothecis mirifice aucta. Hujus commendatione gratiam adeptus sum inspiciendi illustres in domo Petri, Collegio Regina, & Collegio Joannitico, Bibliothecas, thesauris, Manuscriptorum refertissimas. Obstupui in Johamnitica, cum mihi magnam sacrorum librorum Græco-Barbarorum copiam ostenderent, a benefactore*

factore quodam Anonymo, suasionem Richardi Sybhes, S. Theol. Professoris, & huius Col-
 legii quondam Socii Senioris, A. D. 1628. dono-oblatorum. Hic etiam libros Chineses vi-
 dere licet, imaginibus historicisque lineamentis pulchre distinctos; item Maimonidis So-
 phone Tōrah Voll. quatuor Venetiis in charta cœrulea impressis, ubi plurimas inspexi
 60 quorundam nefaria recutitorum manu leviter deletas. In Bibliotheca publica ipsius Acada-
 miae Lexicon est Syro-Arabicum Manuscriptum Bar Bahlul. Omnia hoc in opere Syriaco
 characterē descripta sunt: nisi quod minoribus Arabica, majoribus vero Syriaca.
 Celebris ille apud Anglos Philologus sacer, Bedwellus, eadem Bibliotheca Lexici Arabici
 volumina septem, conscripta manu sua, una cum Typographia Arabica, legavit. In
 61 Oxoniensi Bibliotheca multa haberi Manuscripta Jamelii Catalogus testatur. * Gal-
 licæ Bibliotheca, Regiæ, privatæ, Manuscriptis variis plenissimæ, de quibus Lu-
 dovicus Jacobi legi potest. * Bibliotheca Thuanæ MStos Codices antiquiores, re-
 centiores, quorum non exiguus numerus est, qui vel cum publicis nonnullis Biblio-
 62 thecis certet, Josephus de Quesnel ab impressis separatos edidit. * Italicarum, pu-
 blicarum, privatarum Bibliothecarum Manuscripta Tomasinus, pauca tamen e vasto
 numero, in publicum protraxit; qui tamen indices, ut novi, multum illis profue-
 re, qui in Italia Manuscriptos Codices indagarunt, ac feliciter isto indicio e priva-
 tis Bibliothecis sibi compararunt. Jacob. Gaddius in libro suo de Scriptoribus
 passim citat Manuscripta critica & poëtica, quæ in Italicis Bibliothecis habentur.
 63 Vide & Gregor. Leti Ital. regnante part. 3. l. 4 p. 346. p. 383. * De Augustanæ Biblio-
 thecæ Manuscriptis supra vidimus. Norimbergensem Bibliothecam Joannes Saubertus
 ob Manuscripta, quæ recenset, laudat, & cum ipsis Italicis contendit, peculiaribus
 de illa scriptis orationibus. Leidensis Bibliotheca Manuscripta etiam Catalogo il-
 lius Bibliothecæ notata sunt. Sunt & in Gottorpiensi nostra Libri MSti, præcipue
 Orientales & Arabici, quibus se adjutos tum Cl. Salmasius, tum Bochartus profi-
 rentur. Eorum mentionem, ut puto, etiam Huetius facit in lepidissimo illo car-
 64 mine, quo iter Suevicum describit. * Sunt præterea in illis, quantum nunc re-
 cede mihi meæ suggerunt: Plinii Historia Naturalis, quo usus Salmasius: Corpus Juris
 Civilis: Hippocratis Opera Græce. Vegetius de re militari. Martianus Capella. Virgilii &
 Ovidii Aliqua. Papinius Statius. Lucanus de Bello Civili. Ciceronis Rhetorica nonnulla.
 Salustius. Ἡρόνος ἐπιτομὴ τῶν γεωμετρικῶν. Heronis Geodæsia. Theocriti Idyl-
 lia. Cyrilli Lexicon Græcum. Macrobius in Somnium Scipionis. Boetius de Consolatione.
 Historia sacra Persarum, Persice & Latine. Libanii Characteres. Michaelis Glycæ Annales.
 Sidonii Apollinæris Epistole. Fragmenta veterum Mathematicorum, Græce. Persii Satyræ.
 Heliodori Larissæi Optica. Xenocrates de Piscibus. Vita Hesiodi, Theocriti & Oppiani,
 Græce. Leonii Basilii Νουμάρια, Græce. Pselli Expositio in Zoroastri. Oracula: Eiusdem
 expositio Dogmatum Chaldaicorum. Demetrii Phalerei Apophthegmata. Glycæ Orationes,
 Græce. Gemistus de dignitatibus & officiis regis tempore Romanorum. Cassiodori tripartita
 Historia Ecclesiastica. Papie Glossarium. Homiliæ diversorum, quas iussu Caroli M. col-
 legit Alcuinus. Senecæ Epistole. Demetrii Dialogus. Warnfridi Historia Langobardorum.
 Cypriani Epistole. Constantini Manassis Chronicon. Leonis Papæ Epistole. Fulgentii My-
 thologia.

thologia. Alexii vita, Græce. Methodius de Mundi excidio. Chimica multa & Chronica, ad res Germanicas, Historica, ad res Holsaticas pertinentia.

Privatarum quoque Bibliothecarum magna est MSris æstimatio. ISAACI VOS-
 SII, quam ipse Hagæ-Comitis vidi ac perlustravi, Bibliotheca laudari ob multos
 Codices antiquissimos meretur. *LUCÆ HOLSTENII Bibliotheca multa habuit
 Græca, præcipue in Philosophiâ Pythagorica & Platonica, quorum pleraque in
 hunc diem sunt cõvendora. (q) Eorum Indicem, quem ab amico habeo, hic subjun-
 gam. Damascii, Philosophi Platonici, περὶ ἀρχῶν, sive de principiis questionum & solutio-
 num, magnum & præclarum Opus, fol. Græce: Hermii Philosophi in Phæd. Platonis Scho-
 liorum libri 3. Græce, fol. Eadem Hermie commentaria, Latine, Marsilio Ficino interprete,
 hæcenus non edita, fol. Olympiodori Philosophi commentaria in Phæd. Platonis, qui est de
 immortalitate animæ, Græce fol. Platonis Compendium sive selecta, Græce fol. Procli lib. 6.
 de Theologia Platonis, Græce fol. Eiusdem Procli στοιχείωσις Θεολογική, sive Elementorum
 Platonica Theologiae liber, CCXI. propositiones continens, Græce fol. Eadem Procli Elemen-
 tatio Theologica, Latine, ex veteri versione Fr. Guilielmi de Morbeka, Archiepiscopi Corinthii,
 cum ejusdem Demonstrationibus, fol. Nicolai, Episcopi Methonensis, animadversiones in ea-
 dem Procli elementa Theologica, ne quis eorum probabilitate ad Arianismum seducatur, fol.
 Procli Lycii Philosophi libri 3. singulares, sive μετὰ τὸν I. de decem dubitationibus circa
 providentiam. II. de Providentia & fato, & eo, quod in nobis, ad Theodorum Mecha-
 nicum. III. de malorum subsistentiâ, Latine, interprete Guilielmo de Morbeka Archiep.
 Corinth. fol. Procli Commentarius in Alcibiadem priorem Platonis, Græce, & in eodem vo-
 lumine Olympiodori Philosophi in Alcibiadem Platonis Scholia, Græce, fol. Joann. Baptista
 Camotii in Platonis Alcibiadem Majorem Covm. libb. III., Latine, fol. Procli Commenta-
 riorum in Parmenidem Platonis Libri VII. Græce, fol. Procli in Cratylum Platonis Scholia
 selecta, Græce, 4to. Procli Dissertationes aliquot in Remp. Platonis, hæcenus non edita,
 Græce fol. Procli vita, Autore Marino, integra, Græce, 8vo. Syrianus Platonicus in Me-
 taphysica Aristotelis, cujus objectionibus contra Platonem & Pythagoram respondet: Græce,
 fol. Herenni Philosophi Metaphysica, quod est elegans Theologiæ Platonicae compendium,
 Græce, 4to. Joannis Grammatici Philoponi commentarius in Nicomachi Arithmeticam,
 Græce, fol. Jamblichi Chalcedensis de vita & doctrina Pythagoræ libri IV., quorum duos
 tantum priores infelicissime edidit Arcerius: Græce, fol. Jamblichi de Mystica Egyptiorum
 Theologia liber, quæ est responsio ad Mammonis, sive Porphyrii eadem de re epistolam, Græce, fol.
 Claudii Ptolomei liber περὶ ἀστρῶν καὶ ἡγεμονίας, sive de principe animi parte, qua verum
 falsumque dijudicamus. Albini Philosophi Introductio ad libros Platonis. Incerti Autoris
 Herippus, sive de Astrologia libri II. Græce, & liber dictus Græcis Ichuolates, Græce, fol.

(q) Multi ex Codicibus istis Lucæ Holsteinii MSris, b. l. enumeratis, in Bibliotheca jam Civitatis
 Hamburgensis, cui Professor moribundus eos legavit, Publica asservantur.

Porphyrii Philosophi & Pappi Alexandrini Commentaria in Harmonica Claudii Ptolomaei, Graece, fol. Sphaerici aliquot auctores veteres, Graece, scilicet Autolycus de Sphaera, quae movetur, item de ortu & occasu. Theodosius Tripolita de Habitationibus: item de diebus & noctibus, & Euclidis Phenomena, Graece, fol. Heronis Geometriae Introductio ad Geometriam, Graece, fol. cum Anatolii, Damiani & aliorum opusculis, ad Mathematicam pertinentibus, Graece, fol. Manethonis Aegyptii Apotelesmatica libris VI. carmine Graeco, cum Introductione Maximi, 4to. Chalcidii expositio in Timeum Platonis, exemplaria duo perantiqua, 4to. Aegidii Cardinalis Viterbiensis, commentaria in primum librum sententiarum ad mentem Platonis, quibus universa Theologia Platonica luculenter exponitur, Latine, fol. Lexicon vetus Theologicum & Philosophicum, Graece, fol. Serapion Thmuisensis, Titus Bostrensis & Photius P. C. P. nus contra Manichaeos, Graece, fol. Joannis Philadelphiensis Lydi de Mensibus liber, a Photio P. C. P. no, ut videtur, in compendium contractus. S. Methodii Patarensis Episcopi & Martyris Symposium X. Virginum, sive de Virginitate, liber. Vita S. Syncretica, auctore, ut creditur, S. Athanasio, Graece, 4to. Oppiani de Aucupio libri III. Eutemii Sophistae ephraisi in profram orationem transformati, Graece, fol. Simplicii Philosophi Commentarius in Epicteti Enchiridion, Graece, 4to. Eragrii Monachi diversa opuscula ascetica, Graece, fol. Fl. Arriani Nicomediensis Taëtica, sive de acie militari recte instituenda liber, in quo accurate de veterum Romanorum exercitiis equestribus agitur: & ejusdem Arriani expeditio Pontica contra Alanos describitur, Graece, fol. Julii Africani Gestorum liber VII. qui est de re militari, Graece, fol. Asclepiodori Philosophi τῆχνη τωντιμων, sive, de acie arte instruenda liber, Graece, fol. Incerti auctoris de toleranda propulsandaque obsidione liber: item exempla de ordinibus militaribus, Graece, fol. Mauritii, sive Urbicii, de re militari libri XII. ex-accurata IV. Codicum antiquorum collatione, Graece, fol. Incerti Auctoris de re militari liber, & alius de orationibus militaribus, Graece, fol. Polyani Strategematum libri, Graece, fol. Phelegontis Tral-liani, ut videtur, libellus de mulieribus, bellica laude illustribus Graeco, 4to. Theodori Mitrochitae συμμικτων, sive Miscellaneorum capita CXX. u. voll. Graece, 4to. Dionysii Periegesis cum paraphrasi incerti Auctoris, Graece, 4to. Eustathii commentarius in Dionysium, Graece, 4to. Joannis Tzetzae Ante-Homerica, Homerica, & Post-Homerica, carmine Graeco, cum ejusdem Tzetzae scholiis, Graece, 4to. Orphei Hymni & Argonautica, Graece, 4to. Michael Psellus de generatione animae in Platonis Timeo, Graece, 4to. Ejusdem Pselli libellus de Daemonibus & generibus incantationum liber, Graece, 8to. Origenis Philosophumena, sive de variis veterum Philosophorum sectis & opinionibus liber, Graece, 4to. Moschionis Hypothecae, sive monita sententiosa, 4to. Phitarchi collectio proverbiorum, quibus Alexandrini utuntur, Graece, 4to. Philostorgii Historiae Ecclesiasticae compendium, transcriptum ex regia Scorialensi Bibliotheca, Graece, 4to. Joannis Diaconi Pediasimi declaratio aliquot difficultum locorum Comediae, Graece, 8to. & Latine 4to. Zenonis ac reliquorum Stoicorum Philosophiae moralis compendium, Graece, 4to. Didymus Alexandrinus & Alexander Licopolita contra Manichaeos, Graece, 4to.

67 Prodeat nunc ultimo, sed principe profecto loco nominanda munus & Excellentissimi Viri, MARQUARDI GUDII, Reg. Maj. Dan. Consiliarii Status,

Status, celebratissima Bibliotheca; quam si privatarum omnium ego Reginam dixerem, nihil ultra veritatem aut jactantius loqui videbor. Tanta est in illa Manuscriptorum Codicum & antiquissimorum & rarissimorum copia, is selectus, ut vel cum Regiis contendere Bibliothecis possit. Sunt in illa libri Græci, Latini, nusquam in luce visi, toto orbe literato, præcipue in Italia, summo studio conquistis, quos vel non extare amplius multi, aut jamdudum periisse crediderunt. Hos emaculatos in lucem edere non annorum aliquot, sed seculi labor esset. Cum hoc primum mihi ingredi sacrarium daretur, in Latium & Athenas veteres reductus & in ista rerum varietate totus mihi stupere videbar. Verum cum viderem, quam ipsa illa copia votis eruditorum, & labori etiam Herculeo obsistat, nullos ex ubertate ista fructus ad orbem literatum perventuros indolui, præsertim cum illustris ejus Bibliothecæ possessor negotiis civilibus oppressus vacare eruditis curis non posset. Mihi tamen loco non alieno tantæ rei commemoratio minime prætermittenda videbatur; tum quoniam publice interest, non ignorari has Holsatiæ nostræ opes; tum ut venerationem, qua singulare hoc seculi nostri decus prosequor, publice testarer, simulque illum obtestarer, ne, quæ habet in vetustis autoribus admirabili plane *εὐστοχία* observata, ne poemata, quæ cum antiquis de palma contendant, ne incomparabile illud Inscriptionum Opus, tot annos illi perpolitum, luci publicæ, posteritati, suæque amplius invidere gloriæ velit.

C A P. VIII.

DE LIBRIS DAMNATIS.

- §. 1. Libri prohibiti majus desiderium excitant.
2. Athei.
3. Liber de tribus impostoribus.
4. Quis ejus autor, disquiritur.
5. Claudius Berigardus ex illo quedam excerpere videtur.
6. Notatur Cardanus, qui ex illo libro, aut simili, quedam in suos usus transtulit.
7. Bodini Dialogus de abditis rerum sublimium arcanis.
8. Ejus Historia prolixius proponitur.
9. Diecmanni super eo argumento Dissertatio laudatur.
10. Collegium quorundam, Venetiis super religionis negotio institutum.
11. Postellum nec Atheum, nec Deistam fuisse, adversus Rainaudum & alios probatur.
12. Heterodoxus ille tamen in multis fuit.
13. Galeni *αθεορίας* a Casaubono vindicatur.
14. Familiaris multis Atheismi calumnia.
15. Benedicti Spinozæ pessima pro Atheismo stabilendo scripta.
16. Complura minuta Atheorum scripta recensentur.
17. Vaninus.
18. Pomponatius.
19. Ochimus.
20. Campanelle Atheismus triumphatus.
21. Porcius: Antonius Roccus.
22. Jordanus Brunus.
23. Judicium de autore libri, qui historiam populorum Severambes scripsit.
24. Libri Magici.
25. Multi falso crediti.
26. Hereticorum libri.
27. Indices expurgatorii.
28. Libri obscæni.
29. Satyra Sotadica Aloysiæ Sygæ adscripta;
30. ejus nomen, ut & Meursii mentitum.
31. Aloysia Sygæa magnum femina pudicæ & eruditæ exemplum.
32. Castratores librorum veterum notantur.
33. Satyrici scriptores.
34. Regibus ipsis metuendi.
35. Jf. Casauboni Corona Regia.

1 **Q**uemadmodum in officinis ea, quæ rariora & pretiosiora sunt, seponere solemus, ne vel furaci manu rapiantur aut contaminentur: ita venena quoque suo loco custodiri solent, ne illa, cum incautius tractantur, nocere possint. Similiter in re literaria libri MSti, ut cimelia, asservantur, LIBRI DAMNATI peculiari censura notantur, neque omnium oculis manibusque exponuntur: quanquam fieri sæpe solet, ut, qui arctius custodiuntur libri, cupiditatem & desideria curiosorum provocent, qui majore attentione & cura malos tum libros legunt, cum obvii & a viris doctis refutati vilescerent. Nunc vero cum illi anxia diligentia in secreto tenentur, desperatæ causæ suspicio quibusdam pravis ingeniis suboriri solet.

2 Inter damnatos primo loco numerantur *Scriptores Athæ*, qui doctrinam de
3 Deo, de Christo, de immortalitate animæ extirpatum eunt. * Princeps in his liber ille famosus est *de tribus Impostoribus*. Illum Grotius nunquam scriptum esse existimat, quod ego nunc suo loco relinquo. Novi ego viros, quorum fides minime suspecta est, qui se vidisse testantur. Dicitur & in Germanicam linguam conversus, impressusque in folio latitare apud scelestos Atheismi propugnatores. * Auctor Religionis Medici *Bernardinum Ochinum* Auctorem libri hujus habet, de cujus vita & moribus legatur *Antonius Maria Gratianus*, in *vita Cardinalis Commendoni*, lib. 2. cap. 9. *Thomas Campanella*, referente *Ernstio*, *Muretum* ejus Auctorem habuit; *Mersennus* Comm. in *Genesin*, *Petrum Aretinum*. Videantur *Vinc. Placcii annotata*
4 *in Job. Rhodii Auctores supposititios n. 50*. * Hunc librum legisse, & ex eo quædam excerptasse videtur *Claudius Berigardus* in *Circ. Pisani*, part. 3. *Circ. 3. p. 230*. ubi de calumniis in *Mosen* agit, ad quas ita respondet: *Tot viri sancti & Christus ipse, Mosen secuti, satis eum vindicant ab hac calumnia, quicquid effutiat contra liber impius de tribus impostoribus, omnia refundens in demonem potentiorum, cujus ope Magi alii aliis videntur præstantiores: quo etiam refertur illud fæctum a Boccatio de tribus annulis*. Fuere & *Augustini* tempore, qui circumferrent librum de Christi magia, de quibus *Augustinus*, *de consensu Evang. cap. 8*. Utinam ejus farinae libri extarent, & legi ab omnibus possent! Certe sum, ex ipsis tela, quibus eorum calumnia juguletur, nos deprompturos.

6 Argumento certe hoc non exiguo est, extitisse similes olim libros, sive *Aretinus* sive *Ochinus* illorum Auctor sit, cum *Cardanus* in lib. 11. de *Subtilitate* recitet quædam variarum sectarum pro se pugnantium argumenta, quæ ex his lacunis hausta videntur. Introducebat in illo loco *Pagani*, *Judæi*, *Mahumetani* & *Christiani* argumenta, atque ita proponit singula, ut *Christianismi* partes seignius agantur. * *Plane* illa ratione *JOH. BODINUS* postea librum scripsit *de sublimibus & admirandis rerum arcanis*, ubi perpetuo inter sectas & religiones dialogo instituto eadem argumenta atque eandem cramben recoxisse viderur; quod indicio est, utrumque eisdem fontibus sua depromis-
7 se. *Mersennus* certe *Commentario* in *Genesin* *Cardanum*, ut *Atheum*, reprehendit, monetque in verustis editionibus librorum de *Subtilitate*, eo in loco multa haberi, quæ postea sint in sequentibus editionibus vel omissa, vel immutata. Atque ita se rem habere e *Scaligeri* *Exercitationibus* proba-
ri pot-

ri potest, qui *Exercitatione 258.* pereuntem Cardanum fecutus, hæc ejus ulcera tangit, non sine mordaci, ut debebat, *ἐπιγλοετ.* Arguunt præterea illa verba, quæ formulam transitionis constituunt in veteri editione: *Igitur his arbitria victoriae reli-
tis &c.* quasi dubitaret Cardanus, cui parti victoria assignanda sit: pro quibus verbis in posteriori editione legitur: *Sed hæc parum Philosophos attinent, pro quibus institutus est sermo:* quæ & ipsa aliquid profani sensus habere videntur. Sed omnia illa arguunt, discrepare vetera exemplaria a recentioribus.

Ut ad Bodini librum revertar, ille in ipsa olim Gallia rarus, nunc tamen etiam 8 in Germania in quorundam Bibliothecis latitat. Levis ejus libri hætenus fuit notitia & subobscura. In Grotii & Sarravii epistolis passim ejus mentio fit. Illius extat de eo judicium in *epistola ad Gallos 146. & in altera 170.* Hic omnem lapidem movit, ut, sollicitante Isaaco Vossio, pro Regina Christina exemplar aliquod obtineret. Legi loca illa in Epistolis ejus possunt, p. 322. 325. 326. 335. 350. * Nunc vero plenior ejus libri notitiam orbi erudito suppeditavit Vir reverenda dignitate & varia eruditione conspicuus, JOHANNES DIECMANNUS, per Ducatus Bremensem & Verdensensem Superintendens Generalis, qui in hac Kitonienfi Academia elegans hoc & eruditum disputationis suæ inauguralis argumentum extare voluit: *de Naturalismo cum aliorum, tum maxime Job. Bodini, ex opere ejus MSto & usque adhuc cævendæ de abditis rerum sublimium arcanis.* Ille hanc *ἑτροχίαν* habuit, ut, quod alii tot laboribus & sumptibus quæsiverunt, illi ultro in manus incideret. Nam duplex horum Dialogorum exemplar obtigit; quorum alterum eas antiquitatis notas habuit, ut ex primis Bodiniani operis apographis esse, nullus ipse ambigat, olim ex Bibliotheca Guilielmi Laud, Archiepiscopi Cantuariensis, magno ære redemptum; alterum vero recentius ante XX., cum hæc scriberet, annos e codice Patini festinanti manu descriptum: quod tamen non raro lacunis Anglici Codicis supplendis, & emaculandis librarii vitiiis, utiliter adhiberi potuit. Liber autem ita inscribitur: *Colloquium Heptaplomeres de abditis rerum sublimium arcanis.* *Ἑπταπλομερές* inscriptum est, non, quod in septem libros distributus esset, ut Sarravius existimavit; sed, quod septem viros, Paulum Coronæum, Frid. Podamicum, Hier. Senamum, Diegum Toralbam, Ant. Curtium, Salomon. Barcaffiam, & Octav. Fagnolam, operis inter se partitis, perpetuo confabulantes introduceret. Primo Pontificiorum, secundo Lutheranorum, tertio omnium sectarum, quarto Naturalistarum, quinto Calvinianorum, sexto Judæorum, extremo denique Muhammedanorum causam tutandam commisit: qui omnes ita de fidei controversiis *σζητήσων*, ut Christiani, sive Pontificii, sive Lutherani, sive Calviniani, succumbant semper; reliqui vero, in primis Judæi & Naturalistæ triumphant. Hæc ex ipsa illa Dissertatione adducere volui, cum accuratior ejus dari notitia nequeat.

Memorable & hoc est, quod ipse notavit ex scheda quadam manuscripta, quæ 10 Guidonem Patinum ex Gabr. Naudæo audivisse commemorabat, fuisse Veneriis quatuor homines, qui singulis hebdomadis instituendarum super variis religionibus dissertationum Philosophicarum causa hic convenerint; in iis Coronæum Rothomagensem, &

- & Guilielmum Postellum Notarii vices sustinentem, cujus chartæ postea ad manus
 11 Bodini pervenerint, & huic scripto conficiendo fuerint adhibitæ. * De Postello
 Henr. Stephani narrat in Introductione tractatus *de conformitate miraculorum anti-*
quorum & novorum c. 14. p. 100. illum publice dixisse, quod, qui bonæ religionis spe-
 ciem efformare velit, eam ex tribus istis, Christiana, Judaica & Turcica, conflare
 debeat. Henr. Ernestius, *Observat. variar. lib. 2. c. 36.*, Postellum a quibusdam libri de
 tribus Impostoribus autorem haberi, ait. Sed summa ipsi hac imputatione injuria
 infertur: ego enim hunc inter Atheos vël Deistas referre nolim, quod & Theo-
 philus Rainaudus facit, qui Deistarum parentem vocat, qui Deum unum admittere
 contenti cetera Christiana mysteria pro fabulis haberent. Nam omnia alia testa-
 tur liber ejus de *Nativitate Mediatoris ultima*, quem inter anonymos relatam miror
 apud Vinc. Placcium, cum ejus nomen in fronte libelli exstet. Hunc qui legerit,
 12 se deprehendet. * Multa alioquin habet, quæ cum receptis in Ecclesia sententiis
 pugnant, errores quoque multos in religione: paradoxæ in illo multæ sunt do-
 ctrinæ, quarum intuitu potius ad Hæreticos & Enthusiastas, quam ad Atheos re-
 ferendus videbatur. Quod de formanda religione ex Christianismo, Turcismo &
 Judaismo dixit, forte eo pertinet, quod multa Christianorum monumentorum
λεψανά in ipso Alcorano, aliisque, qui apud Orientales & Judæos extant, libris
 deprehenderet. In Judæorum quoque verustioribus libris, quos supposititios ali-
 qui existimant, multa ille mysteria venatur, non ad infringendam, sed potius stabi-
 liendam Religionem Christianam. Ille, quem *de Etruria Originibus* scripsit, liber
 integra capita pro veritate Religionis Christianæ inserta habet; ut mirari satis non
 possim, quid in mentem venerit Rainaudo, qui illum Christianæ religioni adver-
 sum faciat. Sed multa sunt in Rainaudo inepra & falsa de Scriptoribus judicia, de
 quo suo loco. De Postello legi amplius potest Popeliniere in libro Gallico *l'Hi-*
stoire des Histoires libr. 8. p. 443. Ego, etsi in illo aliqua damnanda & heterodoxa,
 aliqua superstitioni propiora, agnoscam; multa tamen acute excogitata, & pro-
 fundam doctrinam spirantia, deprehendo. Facile alioquin est, apud homines im-
 13 peritos & indoctos in Atheismi suspensionem vel ex levissima causa incurrere. * In
 Galeno quoque aliqui *ἀθεότητα* notarunt. Sed de his Casaubonus, *Epist. 258.*, *Gal-*
enum vocari ἀθεον miror, virum tam assiduum in sapientia DEI predicanda. Ego illum eo
 14 *maxime nomine dignum laude & aterna predicatione semper judicavi.* * Nunc sane, quo-
 tidie hanc multis injuri notam videmus ab illis, qui innoxii sententiis, ubi licitum
 esse potest divortium, Atheos statim & Naturalistas crepant: qua calumnia ut
 nulla est atrocior; ita Christianam charitatem in his, qui temere illam admittunt,
 plane extinguit.

- Fuere quidem tales libri inter *τὰ μυστήρια τῆς αἰσελεύσεως & ἀνομιᾶς* publica cen-
 15 sura relati, neque in publicum prodierunt; sed nunc libri æque mali, pene dixerim
 pejores, impune in publica luce comparent, & ab omnibus leguntur. * Quid est Be-
 NEDICTI SPINOSÆ libris pestilentius? & hi tamen ubique triumphant. Annon
 Tracta-

Tractatus ejus *Theologico-Politicus* omnem elevat librorum sacrorum divinam fidem? annon miracula omnia explodit & exhibilat? Ejus *Ethica* illa Atheismi principia tam nude exponit, quanquam subtiliter & argute, ut imbecillos animos facile capere possit: duobus enim fulcris, Religionis & providentiæ divinæ, sublatis, universum cultum divinum evertit. Tollit libertatem agendi, inducta Mathematica aliqua necessitate: qua posita nullam esse, quæ de rebus nostris disponat, providentiam, necesse est, omniaque mutua causalitate, a se invicem dependente agunt. Tollit præterea causam finalem, ut humani ingenii commentum: qua sublata, nihil nobis amplius sperandum merendumve est. Plus ergo in illo nequitiae & insaniae est, quam in ipso illo de tribus Impostoribus libro, qui tamen non omnem divinitatem evertit. In Christum Salvatorem ejusque historiam, etsi timidiuscule, multa tamen effundit, quæ illam labefactent: quæ illi e Judaismo forte adhuc hæserunt, in quo multa ejus generis sunt, ut ex iis libris, quos sub titulo Telorum igneorum Satanæ in lucem edidit Cl. Wagenseilius, apparet. Non defuere tamen, qui hujus hominis insana dogmata retuderint, Henricus Morus, Mansveldus, &, qui cæteris præferendi videntur, Blyenbergius & Pojeretus, eadem, qua ipse triumphos ducere voluit, mathematica methodo usi. Cuperus in arcanis Atheismi relictis paulum languidior est.

Hujus generis plures alii sunt libri, ut: *Ars nihil credendi*, qui adscribitur GOTHOFREDO a VALLE, hujus mentio fit apud Voëtium *Disp. de Atheismo*: & alius, cui titulus, *Cymbalum mundi*, cujus itidem Voëtius mentionem facit, & autorem ejus nominat Bonaventuram de Periers. Henricus Stephani in *Tract. præparatorio ad Apol. Herod. c. 26.* Mersennus *Commentario in Genesin p. 689.* vocat eum de Perez. Qui ipse Mersennus suo illo in *Genesin Commentario* omnia illa, quæ ab Atheis & Naturalistis proponi argumenta solent, summa diligentia, collatis etiam amicorum aliorumque virorum doctorum operis, coacervavit. Pandectas hunc librum multarum rerum curiosissimarum, mathematicarum, naturalium, dixeris. Extat alius liber nefarius, cui titulus: *Cur receptum sit Evangelium*, qui Valeo tribuitur. * VANINI *Dialogi* illud Atheismi virus sub dialogorum forma regunt, in quorum titulo disertis verbis Naturâ Dea & Regina dicitur, quæ in privilegio Regio, quod mirum, repetuntur. *Amphitheatrum* ejus sanum est, ac subtiliter pro animæ immortalitate disputat. In illo, ut hoc obiter memorem, legi, quod sibi violentam mortem ex Marte in octava collocato prædixerit: vivicomburio enim ob Atheismum affectus est. * Præceptorem ille habuit Pomponatium, ejusdem genii hominem, sed acutissimum disputatorem, cujus extat adversus immortalitatem animæ liber, ab Antonio Sirmondo ex ipsis Aristotelis principiis, quibus ille abusus fuerat, refutatus. Liber ejus de *Incantationibus* multa quoque profana continet, ut scripta ejus omnia. * SCHINI *Dialogi* præter Polygamiam, quam propugnant, nihil ex Atheismo trahere videntur. Arianum alii potius, quam Atheum habent. * CAMPANELLA in *Atheismo triumphato* plures nodos texuit, quam solvit. * PORCIUS in libro de *Mente humana*, ANTONIUS ROCCUS libro de *Immortalitate animæ* in eodem Pomponatii ludo instituti. * JORDANUM tamen BRUNUM huic classi non annumerarem; 22
Tomus I. K quan-

quanquam enim pluralitatem terrarum & solium statuit in libro *de innumerabilibus, sive de universo & mundis*, quod aliis quoque factum; manifesta tamen in illo Atheismi vestigia non deprehendo. Is tamen ignis supplicio, teste Sorello, affectus fuit.

23 Pertinere & ad hanc Atheorum & Naturalistarum tribum videretur, quisquis est, Autor libri, qui primum Anglica, hinc Gallica, postremum Belgica lingua prodiit, de populis terræ australis incognitæ, quos *Severambes* nominat. (r) Titulus Belgicus ita habet: *Historie der Severambes, behelzende een Beschryving van het onbekend Zuidland*. Elegantissime confectus est liber, eaque specie ut prima fronte incautis imponat. Ingenium Autori illi fuit, quem *νεγται* quædam *δόξαι* facile produunt. Toto vero hoc libro nihil ille aliud agit, quam ut ostendat, unam esse Religionem, naturæ rerum conformem, quæ Deum supremum, atque ejus quasi vices in orbe hoc inferiori repræsentantem solem, veneretur: quare data occasione adversus Trinitatem & Christianismum disputat. In administratione Reipublicæ Ideam quandam non contemnendam exhibet, qua, sublato pecuniæ usu, unde omnia in Rempublicam vitia, Cives per magnas quasi familias distincti, e publico alantur & vestiantur. Illud vero ingenium hominis in extrema parte prodiit, quod strategemata sacerdotum gentis ejus, quam *Stroukaros* vocat, ad miraculorum, quæ in Pentateucho habentur, formam confinxerit: quo manifeste patet, illum historiæ sacræ illudere. Ceterum ille liber doctus est, magna cura scriptus.

24 Solent & inter damnatos libros MAGICI referri: qui quidem omnino atro carbone notandi sunt, si pactum illud cum Dæmone ac malis angelis profiteantur.

25 * Sed multa hic ab ignorantia peccari certum est. Gravissima sæpè viris optimis injuria illata, quorum scripta hoc crimine in suspensionem venerunt. De Alberto M. Trithemio, & aliis, qui non sunt stultorum hominum clamores! Et hi tamen naturæ secretioribus adminiculis instructi multa vulgo miracula visa perpetrarunt. Vidi & indolui hujus criminis reos peractos viros innocentissimos, qui de pulvere sympathetico aliisque occultioribus naturæ operationibus idealibus, quales infinitæ sunt illis semper pueris nunquam animadvertendæ, quædam liberius scripserunt. Multos ab hoc crimine defendit peculiari libro *Gabriel Naudæus*. Nos de illis suo loco.

26 Damnari quoque sacra censura solent HÆRETICORUM LIBRI, aut
27 quæ in libris heterodoxa & hæretica videntur. * Inprimis hic Romanis addicti sacris operosi sunt: tot enim Indices expurgatorios & librorum prohibitorum Catalogos habent, ut sibi ipsis obstant tricasque nectant; nam & in suos animadvertunt sine causa, si qui forte Pontificiæ potestatis prærogativam, aut ejus infallibilitatem leviter tangant, aut Ecclesiæ Gallicanæ libertatem tueantur, de quo præcipue Bailletus in *Judic. Doctor, tom. 2. part. 1. n. 77.* queritur: Ubi Catalogos illos, qui jam a Concilio, jam a Pontificibus, jam a Rege Hispaniæ aliisque, confecti sunt, ordine recenset. Scilicet, ut partium studia ubique regnant, ira & in his rebus, in quibus

(r) *Historiæ Severambum* Autorem sibi videri Isaacum Vossium, Morhofius amicis sæpè est fassus.

quibus non eadem omnibus mens & sensus est, prout affectu aliquo ducuntur Censores, decretoria aliqua sententia pronunciat. Ipse tamen Baillerus non multum hac sua opera proficere Censores fateretur. E nostris errores & defectus horum Catalogorum nuper singulari libro detexit *Daniel Francus*, quem super hoc argumento legere, operæ pretium erit.

Post illa, quæ adversus fidem sunt, merito censuræ subjiuntur, *quæ contra bonos mores*. In his primo sunt *obscæna*, quæ lædere teneros animos ac veneno inficere possunt: quo nomine omnes illi flagitiosi libri præcipue notantur, qui sacra Aphrodisia impudico calamo depingunt, quales Græcia olim libros magno numero dedit, quorum tamen facilis felixque jactura est. * Inter obscænos nostri temporis familiam ducit *Satyra Sotadica*, ALOYSIÆ SYGÆÆ adscripta. (r) Pessimus & flammis dignus liber, nisi quod elegantia latinæ linguæ sordes suas ornet. * Moneo hic, nequam fuisse hominem, qui *Aloysiæ Sygææ* & *Meursio* illum librum adscripsit: omnia illa conficta esse puto. Liber ille, me iudice, plane novus est, & ab impuro homine scriptus, qui, ut a se amoliretur crimen, feminæ innocentissimæ & castissimæ illud imposuit, & Meursium hominem doctum in criminis societatem perduxit. * Aloysia Sygæa nobilis fuit femina, & illustri ex gente apud Hispanos, cujus cum singulari castitatis laude meminit Nicolaus Antonius in pulcherrimo opere *Bibliothecæ Hispanicæ*: ubi cum omnia diligentissime recenset, ne quidem de hoc scripto memorat, ut certe memorare debuisset, si extitisset tum libellus ille, seu vero seu falso ejus nomine cognitus: famam enim ejus procul dubio vindicasset; & perquiruntur ab ipso MSti libri omnes Autorum Hispanorum magna diligentia. Eruditissima illa fuit, ac amplissimum ejus elogium habet Joannes Vassæus in *Chronico Hispanico cap. 9*, Andreas Resendus in Epistola ad Mariam Principem ita de illa:

*Altera Sygæa est, Virgo admirabilis, unam
Quam natura potens ideo produxit, ut esset
Femina, quæ maribus vitam opprobriare supinam
Posset, & ignavos magno adfecisse rubore.
Nam cum septena vix dum trieteridis annos
Computat, indefessa dies noctesque Latinas
Volvere non cessat chartas, non cessat Acheas,
Mosæque & Solymos rimatur sedula Vates.
Quin per Achamenios scopulos Arabumque salebras
Currit inoffense linguarum quinque perita.*

Joannes Merulus, nobilis Toletanus, vocat seculi sui Minervam. Scripsit *Epistolas Latinas*:
K 2

(r) Autor *Satyræ Sotadicæ*, quæ Aloysiæ Sigææ nomen falso præfert, verus fuit D. Joh. Westrene, Jctus in Batavia Hagienfis, a Chr. Thomasio (in *Cogitationibus circa Libros Recentiores Menstruis*, Germanice A. 1688. editis, p. 586.) literis nominis initialibus subobscure indicatus, a Cl. Tenzelio autem (in *Dial. Menstr. Germ. M. Febr. 1693. p. 166. 169.*) ex Hadr. Beverlandi Schedis, detectus. Conf. *Homonymoscopiam* nostram, Sect. I. c. 2. p. 37.

Latinas: Dialogum de differentia vite rustica & urbana, Poëtica quedam, de quibus nihil editum. Prolixè illa omnia recenset Antonius, sed de infami hoc scripto nec vola nec vestigium apparet. Alfonso Madritensis Archidiaconus de Alcor in Palentina ecclesia, magnæ existimationis fideique scriptor, in Historia Palentinae urbis, summum honorificentissimumque Sygæe elogium scripsit, quod Hispanica lingua producit Antonius: ubi omnes illas linguas peregrinas tam promptè ut Castellanam, tenuisse, easque expeditissime & loqui & scribere potuisse refert. Nupsit illa Alphonso a Cuevas. Immature obiit, hocque illi epitaphium positum: *Loisla Sygæe Fœmine incomparabili, cujus pudicitia cum eruditione linguarum, quæ in ea ad miraculum usquè fuit, ex æquo certabat &c.* Quæ omnia satis arguunt, injuriam magnam optimæ feminae illatam a nebulone illo, qui infame hoc scriptum illi adscribere voluit. Sed nec de Meursio fando auditum est, convertisse illum ex Hispanica lingua tale aliquod scriptum in Latinam. Sed ipsè sermonis textus habitusque totus ostendit, in Latio potius, quam Hispania natum esse hunc fœtum. * Talia ut ipsa honestas proscribere aut flammis addicere jubet; ita non probo morosulos illos censors, qui in Latinae linguæ Autoribus castrandis male seduli sunt, bonosque Autores mutilant, si quæ in illis paulo liberiora aut parum pudica deprehenduntur: quæ in conversatione ipsa evitari non possunt. Arceri ab illorum quidem lectione pueri possunt, sed ubi bonis moribus satis firmati fuerint, parum ab illis periculi est. Homines sumus, atque in humana societate vivimus, ubi talia quotidie occurrunt. Sed scholam istarum nequitiarum, qualis in Satyra Soradica aperitur, nemo bonus feret. Sunt, qui Terentii Comœdias, librum optimum, juventuti e manibus excutiant, & nescio quem, illi Terentium Christianum supponunt: qui cum illo suo consilio explodendi sunt. Satis castus est Terentius, nisi, cum ex ingenio & moribus hominum quædam ipsi dicenda sunt; quos nosse characteres juventuti summe utile est. Ceterum omnium obscenorum librorum hic inire numerum nolumus. Sudet in illo sterquilinio alius Hercules Coprophorus. Forte diligentissimus Priapeorum Commentator Scioppius, si viveret, hic suam Aphrodisia Bibliotheca congerenda industriam exercere posset.

33 Sunt & *Satyrici Scriptores* in bonos mores injurii; quo nomine hic non intelligo, qui innocentes illas in vitia Satyras scribunt, sed qui libellos famosos. Non patitur nostri instituti ratio, ut eorum hic indicem texamus. * Qui se adversus tela & arma munire possunt Principes, a calami insultu sæpe non sunt immunes. Habent certe, quos Reges metuant, cum vivunt, Satyricos; cum satis concesserunt; Historicos. Utrique acerrimi vitiorum observatores sunt: qui velut Censores publici impune in illos sententiam dicunt. Pasquini statua sæpe plus, quam Dodonæa, 35 fudit oracula. Quæ non in potentissimos Reges Satyræ scriptæ sunt! * Non potuit Satyricorum manus effugere Jacobus, Britannia Rex, utur doctissimus & laudatissimus Princeps; cui sub specie Panegyrici Posthumi, a Casaubono scripti, cujus quasi fragmenta inter schedas ejus reperta, per insignem nequitiam, continuo myceterismo horrenda flagitia objiciuntur. Lepide alioquin scriptus liber est; cui titulus:

Casau.

Casauboni Corona Regia i. e. Panegyrici cujusdam vere auctoris, quem Jacobi I. Magnae Britanniae &c. Regi, Fidei defensori, delinearat, Fragmenta ab Euphormione inter schedas τὸ μὲν ἀγρίως inventa, collecta, & in lucem edita: (τ). Refertur in Georgii Richteri vita, Epistolis ejus praefixa pag. 21. e Colloquio cum Erycio Pureano accepisse Richterum, quod Puteanus ejus libelli autor habitus fuerit: cujus vero famam ille enixe declinans velut Apologiae loco scriptum quoddam exhibuerit, cui nomen, Perjurium RUFFI & GIBBOSI, praefatus, quo delatorum suorum virulentiae ac finitritati satis fuisse obviatum existimaverit. Sed nos de Satyris alibi plura.

C A P. IX.

DE PSEUDONYMIS, ANONYMIS, &c.

- §. 1. *Causa librorum suppositorum.* 2. *Libri, antiquis autoribus suppositi.* 3. *Antiquitates Etruscae Prosperi.* 4. *Leonis Allatii refutatio illarum commendatur.* 5. *Ὀμόνομοι Autores multum turbantur.* 6. *Curtius scriptor Pseudonymus ab aliquo habitus.* 7. *Consolatio, Ciceroni a Sigonio supposita.* 8. *Hæreticis id olim familiare.* 9. *Pia fraudes.* 10. *Sibyllini versus.* 11. *Peregrina nomina studio assumpta.* 12. *Pseudonymi libri ridiculi.* 13. *Pedantæ sic Cavalliere.* 14. *Faceta Joh. Donne Epistola producitur,* 15. *cum Catalogo Autorum Ridiculorum.* 16. *Pseudonymi per plagium.* 17. *Plagia, in Roberti Stephani Thesaurum L. Latina commissa.* 18. *Liber de jure Ecclesiastico-Barbosa ab alio scriptus fuit.* 19. *Illius, a falsamentario redempti, historia.* 20. *Villafani Carmina furtiva.* 21. *Lauri Strena e Passeratii poematibus desumpta.* 22. *Minutiora plagia notantur.* 23. *Scaligeri ob eam causam stomachatio.* 24. *Pseudonymi non sunt, qui causas legitimas celandi nominis habent.* 25. *Basilii Valentini Chymici nomen verumne, an fictum sit, disquiritur.* 26. *Nomina adscititia & immutata, si dolus absit, Pseudonymos non faciunt.* 27. *Anonymi libri.* 28. *Eorum indagatio commendatur.* 29. *Versionum magnus usus est.*

Sunt & in re literaria Falsarii, quos nosse e re literaria est, ne illi falsa specie imponant. PSEUDONYMI sunt, qui nomen mentiuntur, sive suos sceleris aliis, vel mortuis, vel vivis supponant; sive, ut lateant, aliud nomen, vel verum, vel fictum, vel suum aliter immutatum, assumant; sive quod per errorem nomina sint turbata; sive quod aliorum nominibus abolitis substituunt, aut alienos sceleris non invitatis Autoribus pro suis venditent. Ac primo quidem multi sunt, qui libros suos aliis supposuerunt, vel ut fidem aliquam scriptis suis conciliarent, vel sententiam suam stabilirent, vel ut vanam gloriam aliquam affectarent, aliosque fallerent. * Multi circumferuntur tales libri suppositivi, qui sub nomine antiquorum

(τ) Satyram contra Jacobum I. Britanniae Regem, Isaaco Casaubonio affictam, recudi Halæ Saxonum A. 1693, in sua *Sapientia & Scultricia Historia*, curavit Christ. Thomafius.

- Historicorum, Philosophorum, Patrum, comparent, quorum aliquem catalogum dedit Rhodius, ac notis suis illustravit Vinc. Placcius. De fragmentis illis Beroffi, Manethonis, aliorumque antiquorum Historicorum, quæ in lucem edidit Annius Viterbiensis, jam supra egimus, ac plura de illis judicia Vinc. Placcius notavit in
- 3 Rhod. Aut. supposit. n. 18. * Antiquitates Etruscæ, quæ Prospero cuidam adscribuntur, & in quas Paganinus Gaudentius observationes scripsit, ab H. Ernstio editas, suspectæ etiam eruditis sunt, de quibus videri potest Vossius de *Historicis*
- 4 *Latinis lib. 1. c. 9.* * Scripsit & Leo Allatius doctissimas ad has Antiquitates annotationes, Paris. 1640. & deinde Romæ iterum excusas: quibus de notis falsitatis in adulterata scriptura etiam generatim agit, estque liber ille utilissimus ad Codicum scripturam vitiatam deprehendendam. Protulit vero Curtius Inghiramus hæc fragmenta e terra effossa primus in lucem, quem hujus suppositi figmenti parentem esse, prolixè Leo Allatius probat. Habemus Aristoreli, Platoni, Hippocrati, Galeno aliisque supposita scripta. Multa etiam Homero supposita; in quibus dignoscendis olim Criticorum versabatur industria: ac fuere, qui ex stylo, pictione, phrasi, certis quibusdam idiotismis, accuratum de autoribus judicium inire poterant, ut vel *νοθείων* vel *γνησιότητων* decretoria sua sententia confirmarent.
- 5 Accedunt nomina multis communia, unde sæpe permutati Scriptorum tituli. (u) Aristoteles fuere plures, quorum vel triginta ac duos numeravit Jonsius. Quam facile est hic in errorem incidere, præsertim si post tot secula demum scripta in lucem protrahuntur, & pluribus ejus nominis quædam supersint monumenta. Sunt in antiqua historia 28. Pythagoræ, 20. Hippocrates, totidemque Socrates, 16. Platonis, 50. Dionysii. Quo fine inter antiquos Demetrius Magnus peculiari Opere *περὶ ὁμωνύμων* de Scriptoribus homonymis agere voluit, quo Opere usum Laërtium putat Jonsius *l. 1. c. 2.* qui plerumque homonymos notare solet. Laudatur & eo nomine Meursius, quod diligenter homonymos recenscat. Magnam quoque occasionem falsi dederunt corrupta nomina, cognomina nominis vice usurpata, quæ deinde novo Scriptori fingendo ansam dederunt: Ellipsis nominativi, sub genitivo latentis, cum subintelligitur non modo filius, sed & pater, mater, uxor, amicus, discipulus, magister: Diversa topica nomina, diversos sæpe Scriptores ex uno facientia: de quibus singulis operosè doctèque egit Joannes Jonsius loco illò, quem modo laudavimus.
- 6 Fuit nonnemo, quod mireris, qui Q. Curtii Rufi historiam Alexandri M. a tot oculatissimis Criticis pro genuina habitam, a nemine unquam in suspicionem vel minimam vocatam, pro supposita, & ante CCC. annos ab ingenioso quodam Italo conficta habuerit. Indicium ejus fecit Guido Patinus *Epist. 27.* cujus ipsa verba, ut Gallica lingua sonant, producami: *Il disoit, que son livre n'etoit qu'un Romain, que le Latin véritablement en etoit beau: mais qu'il y avoit de grandes fautes de Géographie.*

(u) De Scriptoribus Homonymis, illorumque Nomenclatoribus, ac confusione frequenti, hujusque causis & remediis, fuscè, & ex professo, actum nobis est, in *Homonymoscopia Historico-Philologica Critica*, Hamb. A. 1697. in 8vo excusa.

phie. Il y en a une enorme entr' autres, dans le 7 Livre, lors qu'il parle de ces Scythes, qui vinrent prier Alexandre le Grand de ne point passer le Tanais, qui vient de la Moscovie Occidentale, se jeter dans le marais Meotide, separant l'Europe de l'Asie & la Scythie Europeenne de l'Asiatique. Pour prouver cette conjecture, Alexandre le Grand n'ayant pas trouvé son compte après avoir passé cette riviere, revint incontinent in REGIONEM SACARUM, & de là entra dans les Indes, tout cela est tres-éloigné du vray Tanais. Le même Maître nous disoit, que l'Auteur de ce Livre étoit un savant Italien, qui le fit, il y a environ 300. ans. Que nul Ancien n'avoit cité Quinte Curce, & que c'étoit un nom supposé. Qu'il étoit là dedans parlé du fleuve Indus, du Gange, & autres parties des Indes, qui étoient inconnues à ces Anciens, qui ont vécu devant. Ptolomée, qui est le premier & le plus ancien Auteur, qui ait fait mention de la Chine sous le nom de SINE. Juvenal qui vivoit tant soit peu devant a dit: QUID SERES, QUID THRACES AGANT: & Plinè parle de l'Océan Serique, Ces SERES sont les habitans du Cathay, qui est une tres-grande Province de l'Asie dans la Tartarie au dessus de la Chine. An jam ex his argumentis confici παρὰδοξον illud possit, Critici viderint: nos ea de re amplius videbimus, ubi de Autoribus Linguae Latinae agemus. * Fuere, qui ipsi Eloquentiae Parenti suos fetus supposuerunt. Inter eos est Consolatio illa, quae Sigonius autorem habet, censuris eruditorum multum vexata. Multae extant super hoc negotio Epistolae in Roccoboni Historia Gymnasii Patavini. Aliqui Vianello adscribunt. Videantur notae Placcii in Rhodii Autor. supposit. num. 22. Hofman. in Apol. pro Gal. l. 1. c. 16. de Hotomanno JCro, teste Scherbio refert, eum, cum offerretur illi Consolatio illa, lectis pauculis; statim indignabundum his verbis abjecisse: Non est Ciceronis. Adeo statim illis, qui lectioni Autoris adfueri sunt, subolet, quod non genuinum est. Scilicet ut e vestigijs judicare de feris venatores solent: ita vel e paucis versiculis verum Autorem Critici agnoscunt. Certum tamen est, hac voluptate mirifice affici nonnullos, qui sua veteribus supponunt. De hac ipsa Sigonii Consolatione Menzinius libr. de invid. erudit. c. 9. Nec laude caruit, inquit, Sigonius, qui, dum Consolationem exhibet suam, illud affectus est, ut brevi in opusculo, velut faciei lineamentis, Tullianam indolem inesse, facerentur eruditi: quin & magna illum voluptate perfusum credo, qui vivus adhuc plurimos viderit de literis bene meritos, ad illud syntagma defendendum, certamina & contentiones hilarj libentique animo subeuntes. Muretus Jos. Scaligero imposuit Epigrammate, quod ipse scripserat, pro antiquo venditato. (x) Hospitalii quoque Carmina a nonnullis pro antiquis accepta. (y)

In

(x) M. Ant. Mureti Imposituram, qua proprium Epigramma, velut antiquum, sibi obtruserat, Jos. Scaliger Disticho hoc ultus est aculeato, fugam ob Paderastiae crimen e Regno Gallico illi exprobrante:

Qui fumos rigidae vitaverat ante Tolosa,
Muretus, fumos vendidit ille mihi.

(y) Mich. Hospitalii, Cancellarii Gallici, Saryram de Lize Marcus Zucrius Boxhornius, tanquam Poemation Aevi Veteris, in suo Saryricorum Antiquorum Minorum Syntagmate, Lugd. Bat. A. 1633. in 12. excusio, edidit, & Notis illustravit.

8 In sacris & olim hæc fabula acta fuit. Nunquam defuere hæretici, qui, ut fidem erroribus suis facerent, sub antiquorum Patrum nomine sua commenta publicarunt. * Ipsæ quoque piæ fraudes bonorum hominum accesserunt, qui scripta quædam antiquis nominibus incrustarunt, ut simpliciores in suas sententias pertraherent: Qui male profecto de re Christiana meriti bonam causam in suspicionem falsi adduxerunt. Versatur quadantenus in hoc argumento Joannes Dallæus, qui de Pseudepigraphis Apostolicis libros tres conscripsit. * Notum est, quid verbis Sibyllinis factum sit, quibus tam præclara de Christo vaticinia continentur, quæ supposititia viri sagaces habent; etsi non desunt viri docti, qui eorum auctoritatem tuentur, atque Sibyllinis illis de Christo oraculis pene eandem, quam ipsi Sacro Codici, fidem adstruunt. Multus est hoc in argumento Isaacus Vossius, cujus extat præclarus *de Sibyllinis Oraculis liber*.

11 Non desunt, qui data opera libros suos *sub aliorum nomine* exire in vulgus patiantur, ut vel latere possint, si periculosa scriptio sit, vel aliorum judicia securius scrutari possint. De *Traiani Boccalini Relationibus* hoc aliqui affirmant: nam Cardinalem Cajetanum earum Autorem venditant, qui Traiani Boccalini nomine abusus fuerit, ne sibi fraudi esset, quod scriberet; testaturque Laurent. Crass. *Elog. Hom. literat. part. i. pag. 160. ac pag. 162.* librum hunc mortem Boccalino paravisse: nam a quatuor armatis hominibus saccis arena repletis vulneratus est, usque dum animam efflavit. Refert & Erythr. *Pinac. III. p. 131.* J. Franciscum Perandam ejus adiutorem fuisse. Ac facile apparet e commentario Boccalini, in Tacitum Italica lingua scripto, ab ingenio humiliore illum esse profectum. Circumferuntur nunc libri, qui interiora status in Regnis quibusdam & Rebus publicis describunt, a multis in pretio habiti, quibus nomen tantum & fortasse etiam stylum commodavit, qui in titulo libri legitur, Autor; aliis materiam suggerentibus, qui periculoso hoc labore defungi nolunt. Aliqui opulentioribus, qui scripti alicujus fama celebritatem nominis sibi parare gestiunt, ingenii sui fetus non raro vendunt, cujus multa produci possent exempla. Sæpe fictum nomen, vel aliqua ratione immutatam, vendibiliorem & gratiorem librum facit, quam si verum nomen adscriptum esset. Quomodo *Philippi de Terra nigra Loci communes Theologici* omnium plausus abstulerunt, rejecti, cum Melanchthonis sub illo nomen agnosceretur. Odia enim, quibus Autores prosequimur, ipsius libri, utut optimi, pretium immittunt.

12 Non dissimulandum etiam hoc loco est, *fictos tum autores, tum libros* in ignorantiae velamentum ab Aretalogis & Thrasionibus literariis adhiberi. Aliqui, ut docti videantur, inauditos librorum titulos nominumque monstra crepant, temeraria de Autoribus judicia pronunciant, quod viris nobilibus, & qui sui opinionem apud

13 vulgum excitarunt, familiare esse consuevit. * Ineptæ hoc affectationis, quam Galli *pedantismum* vocant, specimen notat Bailletus in *Judic. Doct. tom. i. part. i. c. 14. p. 99.* Lepida ejus verba sunt: *On peut dire, que c'est une PEDANTERIE CAVALLIERE de juger cavallierement des Livres; & de faire le procès à un Auteur dans*

le temps même, qu'on proteste, qu'on n'est pas son juge, & qu'on n'est point connoisseur dans les manières, qu'il a tracées, &c. *Præclare hujus indolis homines exagitavit festi-

14

vissimi ingenii juvenis, *Johannes Donne*, postea Decanus Ecclesiæ Paulinæ Londinensis, qui epistolam Latinam Poëmatibus suis Anglicis inferuit, qua consilium suppeditat aulico indocto, quomodo docti speciè fallere alios possit. Excerpe-
mus ex illa aliqua, quæ valde faceta. *Quia per occupationes aule*, inquit, *vacare literis non licet: (nam post somnum, non nisi post decimam ex more excutiendum, post vestes, dici, loco, affectibus propriis indutas, post faciem, speculo compositam, post epulas lususque, quota pars literis, animoque excolendo relinquitur?) & tamen doctus videri non dedignaris, ut aliquando habeas, quo eleganter & apposite canes Regios, conservos tuos, possis laudare, & quamvis scire, quæ alii sciunt, non poteris, saltem scire valeas, quæ illi nesciunt: hac ex consilio meo via progrediaris: Relictis autoribus, quos vocant Classicos, Academicis & Pedagogis terendis, euitere per omnes, quibus ignorantiam securè fateri poteris, libros, aliis inventu difficiles, exquirere. Nec in colloquiis quid ex autoribus vulgò notis afferas, sed ex istis: ut ita, quæ dicis, aut tua videri possint, si nomina taceas, aut si minus digna sint, & autoritate egeant, novas autores cum reverentia tui audiant illi, qui omnia scire sibi ante visi sunt.* Hunc ergo Catalogum ad usum tuum exaravi, ut his paratis libris, in omni penè scientia, si non magis, saltem aliter doctus, quam ceteri subito prosilias. *Sub-
jungit huic epistolæ Catalogum lepidissimum, unde hæc in gustum dabo: *Nicolai Hill Angli, de sexu & hermaphroditate dignoscenda in atomis: item de eorum anatonia & obstetricatione in partibus humanis: amulus Moisis, ars conservandi vestimenta ultra 40 annos, autore Topolisso: librum Tobie esse canonicum: ubi ex Rabbinis & secretioribus Theologis numerantur pili caudæ ejus canis, ex quorum varia retortione & invicem conjunctione, consciuntur literæ, ex quibus mirifica verba consistunt, autore Francisco Georgio Veneto: Pax in Hierusalem, sive Conciliatio flagrantissimi dissidii inter Rabbi Simeon Kimchi, & Onkelos, utrum caro humana ex carne suilla comesta concreta in resurrectione removebitur, annihilabitur, aut purificabitur, per illuminatissimum Doctorem Reuchlinum: Pythagoras Judeo-Christianus, numerum 99 & 66 verso folio esse eundem, per super-seraphicum Io. Picum: Job. Harringtoni Hercules, sive de modo, quo evacuabatur a facibus Arca Noæ: Subsylvator, in quo illuminatus, sed parum illuminans Hugo Broughon incredibiliter docet, linguam Hebraicam esse de essentia salutis, & sua præcepta de essentia: Manipulus quercuum, sive ars comprehendendi transcendentiæ, autore Raim. Secundo: Bonaventura de particula non, à Decalogo adimenda, & Symbolo Apostolorum adjicienda: De navigabilitate aquarum supercoelestium, & utrum ibi ac apud nos navis in firmamento in judicio sit appulsura, Jo. Dec autore: Edmundi Hobæi Eructationes pomeridianæ, sive de univocis, utpote de prærogativa Regum & Chimæris, morbo Regio, & morbo Gallico: Ars spiritualis inescandi mulieres, sive conciones subcingulares Egertoni: Cæpe advocatorum, sive ars plorandi in judiciis, per Fran. Bacon: De gurgite diametrali à Poto ad Polum, per centrum navigabile sine pixide, per Andr. Thevet. Quis non suaviter in his ingenii festivi commentis rideat? Et certum tamen est, adeo vanos esse nonnullos, ut his larvis indoctos fallere, ac sibi nomen quomodocunque parare gestiant. Solent & librorum Tituli*

15

Satyrici ab otiosis & acutis ingeniis confingi, qui ad hanc falsi speciem quodammodo etiam referendi sunt.

- 16 Pseudonymis annumerandi & illi sunt, qui *aliena sibi per plagium* attribuunt.
 17* Sunt in illis adeo impudentes quidam, ut excusso veri Autoris nomine suum reponant; quod in ROBERTI STEPHANI *Thesauro Latine Linguae* factum, ad quem plagiarii, velut ad cadaver aliquod vultures, convolarunt. Toties hoc Opus sub peregrinis nominibus recusum est. Dolefus subtiliore furto in aliam formam Opus redegit in Commentariis suis Latinae Linguae: quemadmodum & Scapula, Henrici Stephani Thesaurum Graecum in aliam formam redigens, a plagii & doli crimine non potest absolvi, etsi utilem Scholis aliqua ex parte operam praestitit. Sed omnia illa persequi exempla infinitum esset; quorum magnam partem jam tum collegit Thomasius in libro *de plagio literario*, moralitatem quoque ejus ad minutias usque peruestigans.

- Cautiores illi plagiarii sunt, qui posthumis virorum doctorum scriptis insidias fruunt. Saepe enim contingit, ut praematura illorum morte vel non edi, vel non absolvi possint eorum opera: ad quorum pabula fuci alieni qui accedunt, non sibi facta mella depraedantur. Vix credi potest, quam frequens illa fallendi ratio sit. Vidi non ita pridem ipse editum alieno nomine librum, quem vir doctissimus
 18 privatis scholis olim proposuerat. * Pertinet huc, quod de BARBOSA notavit Erythraeus *Pinacoth. II. num. 18.* Scripsit is *de jure Ecclesiastico universo* volumen, quod Opus magno alieno labore partum in se ille transtulit, cujus historia ita habet:
 19 * *Die quodam Barbose famulus salsa quaedam muriatica in prandium coemerat, quae ne manus digitosque inficerent, tetroque odore imbuerent, cetarius chartis quibusdam, ut moris est, amiciebat: quem postea amictum famulus, domum reversus, cum presente Domino ac vidente muriatica illa exuisset, quo in aquam injecta macerarentur, & in terram abjecisset; Dominus, curiosus inspiciendi, quid chartis illis contineretur, eas sustulit ac lustrare oculis coepit; viditque elegantissimi doctissimi que cujusdam operis initium esse; statimque suspicatus est, id quod erat, autore, antequam potuisset illud impressum typis emitte, e vivis crepto, heredes, ignaros, quantum in eo boni esset, tanquam ineptas, nescio quas, chartas & inutiles, cetario vendidisse; & statim magnam in spem venit, autore e medio sublato, si librum illum quoquo modo nactus esset, pro suo edendo, maximam sibi ex eo gloriam posse contingere: ac percontari diligenter e famulo coepit, in quonam macello, & a quo cetario, muriatica illa coemisset; qui aperuit illi omnia, & simul signa & notas ostendit, quibus ad cetarii illius tabernam sine ullo errore perveniret. Abiit ille curriculo, quo mittebatur, librum invenit, cui paucae quaedam chartae fuere detractae; ac vili eum pretio redemit: tum subrogatis iis, quae decrant, ac pluribus etiam aliis adjectis, imprimendum pro suo curavit. Haec, subjungit Erythraeus, ab homine Barbose amicissimo ejusque arcanorum omnium conscio accepimus.*

- 20 Alii ex variis Scriptoribus quaedam furantur, ne statim deprehendi in furto possint, quorum maxima quidem pars est. Non possum, quin inigne hic exemplum afferam,

afferam, Thomasio non notatum, ut multa quidem adjungi possent. Edidit P. STREPHANUS LAMBERTUS VILLAFANUS, Burgundo-Sequanus, e Soc. Jesu, & in Cæsareo Madritensi Collegio Eloquentiæ Professor, *Opera Poëtica*, in quibus pleraque ex aliis optimæ notæ poëtis sunt congesta, sed ita, ut per lacinias, hinc illinc petitas carmina sua quasi confueret. Ex levi eorum inspectione statim apparuit illa fraus. Nam ex Augustini Mascardi, elegantissimi Poëtæ, sylvis, Passeratii poëmatibus, & Emanuelis Thesauri Inscriptionibus pleraque compilata notavi: quod argumento est, etiam cetera, quorum non illa notitia nunc est, furto aliunde subrepta. In epicediis Reg. Isabellæ Borboniæ pleraque excerpta sunt e Mascardi *Sylvarum lib. 3.* de Rebus tristicibus & e Deliciis Poëtarum Gallorum. Epicedia in funere Principis Hispaniæ, Balthasaris Caroli, pleraque, imo omnia, e Mascardo confarcinata. Illud vero Epitaphium elegans, quod in Villafano p. 289. legitur, totidem verbis in Mascardo p. 135. legitur; nisi quod unam vocem mutaverit:

*Vix matutinum surgebat Cæsaris astrum,
Lumine promittens uberiore diem:
Ast immaturam obnubit mors pallida lucem,
Nec sinit e medio vibret ut axe facem.
O lucem sine luce brevem! vix Lucifer ortus
Solem præveniens Hesperus emoritur.*

Quæ p. 286. 287. apud Villafanum leguntur, e Passeratii poëmatibus, quæ in Deliciis Poëtarum Gallorum habentur, *part. 3. p. 156. & p. 171.* aliqua ex parte transcripta. Vafrities hujus hominis ex eo etiam apparet, quod in titulo libri impressionis annum non apposuerit, quem tamen Censores libri produnt. Confuso enim tempore incertum, quis vere plagiarius. Inscriptiones in Principem suum ex Emanuelis Thesauri Inscriptionibus compilavit: * In J. Bapt. Lauri, Viri docti & poëtæ quoque 2 elegantis, quem magni fecit Urbanus VIII: epistolis, *cent. 1. Ep. 75.* legitur totidem verbis Strena illa Passeratii *de Nihilo*, quæ habetur in ejusdem poëmatibus, *part. 3. Delic. Gall. Poët. p. 31.* Quod mirum mihi semper visum est, cum Laurus ipse non contemnendus poëta fuerit, ut patet ex poëmate ejus *de fabricatione calcis* libris tribus scripto, & elogio, quod illi suspendit Erythr. *Pinac. l. n. 141.* Scripsit & Theatri Romani Orchestram de Viris illustribus. * Extant Orationes cujusdam non ignoti 22 Jesuitæ, quæ multam partem ex Italicis Panegyricis Emanuelis Thesauri depromptæ sunt. Dum enim acutum dicendi genus, qui morbus quorundam est, nimis affectat, etiam ne sententiolæ desint, aliunde furatur. Extat cujusdam *de Opinatione* Oratio, quæ præcipua parte e Barlæi Oratione de Ente Rationis descripta est. Bertillii Canuti multæ sunt in Epistolis e Lipsio, in Poëmatibus e Lotichio, lacinia. Novimus & e Vincentii Fabricii Poëmatibus nobili Poëtæ Gallico aliqua acumina sublecta. (z)

L 2

Sed

(z) Autor *Orationis de Opinatione*, qui plagii in Barlæum *h. l.* infimulatur, est Joh. Balth. Schuppius, Theologus Hamburgensis; Poëta autem Gallus, qui, e Vinc. Fabricii Poëmatibus, aliqua sublegisse perhibetur acumina, ipse Æg. Menagius, qui de Furtis Poëtarum voluit scribere.

Sed illa minutiora sunt, quam ut attendi debeant. Et casu interdum tanta eveniunt, quod singulari dissertatione *de furtis Poetarum* ostendere voluit Menagius: Legi etiam potest super hoc argumento Stephani Forcatuli Dialogus festivissimus, cui titulus *Prometheus, sive de raptu animorum*, ubi alienæ inventionis prædones & in-
 23 ptos imitatores reprehendit. * Male tamen habere viros doctos illæ deprædationes solent, si rerum suarum sint tenaciores. J. C. Scaliger, cum a meretricula CCC. nummis emungeretur, eique illos vindicatoro amicus iudex, quem Atticum vocat, indigna sententia illuserat, stomachosiorum & acerbam in eum epistolam scripsit, quæ est inter editas 67, quæ inter alia scriptorum suorum compilationes objicit: *Quare favetis furibus, nisi quia fures? quare impudicis, nisi quia ex impudicis aliquot vestrum nati sunt? Quid vos evexit ad illud tribunal, nisi sororum impudicitia? Quid ad altiora provexit, nisi ea pecunia, quæ usdem artibus comparata erat? Emisit magistratum, vendidistis judicia. Redde mihi Præfationes meas; dicta acuta ex infinitis epistolis &c. & ingratus esto.*

24 Non accenferi sunt Pseudonymis, qui vel fictum, vel imputatum nomen assumunt, si forte sua interesse existiment illud celari, cum a dolo absint. Illud plerumque faciunt, qui arcaniora scribunt, vel in rebus civilibus, vel naturalibus, vel qui novas sententias defendunt, & sibi ipsis diffidunt, judicia hominum doctorum, ut stantes post tabulam Apellis, exploraturi. In Politicis argumentis quotidie videmus larvatos in scenam procedere. In rebus naturalibus, arcanis scilicet, Chemicis præcipue, pleraque ficta habemus nomina, paucis exceptis. Ut enim mysteria illa Harpocratis sigillo recondi volunt, ita eorum Scriptores, qui *ἐν ἀνύμωτοι* omnia pro-
 25 ponunt, ipsi latitare, quam in publicum prodire malunt. * In his BASILIUS VALENTINUS, magnus hujus artis antistes, (ut hoc *ὄνομα ἐν παροῦσα* moneam) quibusdam numeratur. Ego ipse quondam in illa fui sententia, ac confirmat Raschii testimonio Placcius, in *Pseudonymorum Catalogo*, p. 159. qui nec in Catalogo Benedictinorum Provinciali Erfurti, neque in Generali Romæ, nomen hoc invenerit. Raschius aliquem ex familia Johann. Tholdeni, Hessi, sub hoc nomine latitare voluisse existimavit. Sed in aliam nunc sententiam pene impellit Gudenus ipse Erfurdensis, qui in *Histor. Erfurdensi lib. 2. pag. 129.* ita scribit; *Eadem ætate, sc. An. 1417. Basilius Valentinus in Divi Petri monasterio vixit, arte medica & naturali indagacione admirabilis. Adidit quidem Gudenus, ipse ab his sacris alienior; Insuper iis accensetur, quos in augmentum spei nominant aurum consecisse. Sic aliena dementia post secula fallit, ideo minus culpabilis, quod non nisi decipi amantes facultatibus exuat.* Verum ut iis verbis demonstrat, illum rerum, quas proponit Basilius, notitiam non habuisse; ita suffragium tamen idoneum præbet, quendam ejus nominis vixisse in Divi Petri monasterio. Librum tamen illum *de Incrementis & Decrementis metallorum*, qui Basilio Valentino vulgo tribuitur, sub cujusdam *de Solea* nomine apud amicum editum vidi, & quidem in 4to. Suspicionem hoc *de Solea* nomen mihi movit, quoniam de Tholdeno aliorum opinio est, annon forte in illo Johannis Tholdeni nomine lateat. Et sane integrum illud nomen *de Solea* in nomine *Joannes Tholdenus* occultatur: quæ vero superiunt literæ,
 nullum

nullum formare prænomen possunt, atque nunc memoria mihi excidit, quale in libro edito fuerit. Fortassis aliud quoddam assumpsit, eo contentus, quod nomen quodcumque e suo extruxerit.

Multo minus inter Pseudonymos referendi sunt, qui certa quaedam nomina e Col-²⁶ legiis, qualia in Italia, nunc quoque in Germania plura sunt, sortiti. Turbat tamen illa res & nebulas lectoribus offundit, quibus cognomina incognita sunt: multi sunt a membris societatis fructiferæ scripti libri, quorum Autores sub ascitiis illis titulis ignorantur. Cui autem vacat in illos adeo anxie inquirere? Certe illi Collegiorum tituli vehementer displicuerunt Vincentio Pinello, de quo in ejus vita refertur: *Cum Patavii plures clarorum viroorum cætus cogèrentur, quas Academias appellamus, Elevatorum, Occultorum, Æthereorum, nulli unquam nomen dedit, ab ambitione & theatrâli quadam ostentatione procul abhorrens.* Rolandus quoque Marefius, lib. 2. Ep. 43. Collegia ipsa quidem laudat, sed displicent ipsi cognomina plane absurda & ridicula. Apud Græcos tamen cognomina quoque peregrina ab Autoribus usurpata videmus, quæ res historiam literariam intricatiorem reddit. Nostro tempore quoque videmus Germanica, Gallica in Latina & Græca mutata, quod molestum sæpe est, & ipsis Autoribus officit. Multum in Historia Thuana Gallicorum nominum in Latina commutatio turbat. Et in omni Historia illa res tricas & nodos necit.

Præcedimus ad *Anonymos libros*, qui vel autorem certum non habent, vel nul-²⁷ lum profitentur. Copiose hic de causis celandi nominis agit Bailletus in *Judic. Doct. Tom. 1. part. 2. cap. 12.* qui super illo argumento legi potest. * Eorum indicem²⁸ dedit Vincentius Placcius, quem supplementis porro augebit. Deckerus quoque in libello de scriptis adespotis quædam hujus argumenti tangit. Ac vellem sane majore studio in rem illam incumbere eruditi: nam utilissimus profecto labor est; non tam in recentiorum scriptis, quam vetustis. Idem, ut puto, argumentum in Commentario de *Autoribus dubiis* tractavit Vir vastissimi ingenii, Caspar Barthius, quem aliquoties ipse in Adversariis suis citat. Sed nusquam ille post mortem auctoris, etsi jam absolutus, comparuit; quod argumento est, ab improba manu surreptum. De Joh. Gerh. Vossii simili libro deperdito dolet quoque Placcius, libri sui præfatione.

De Autorum versionibus quædam adderem, nisi in veterum Autorum versio-²⁹ nibus recensendis isto labore nos sublevasset Vir πολυμαθέστατος, PETRUS DANIEL HUETIUS, cujus extat *de claris interpretibus ἑλληνικῶν βιβλίων liber*, in quo tamen erga Germanos paululum iniquior visus est. De Gallicis veterum Autorum versionibus legendi sunt Sorellus & Bailletus. Et hic quidem Latinos quoque interpretes, Italos, Hispanos, Germanos recensuit libro *de judic. Doct. Tom. 3. part. 2. tota*, qui potissimâ ex Huetio excerptis. Ceterum & versionum cura eruditis esse debet. Quæ ex Orientalibus, Hebraicis, Arabicis convertuntur, periculis sane earum linguarum requirunt: qui cum rarissimi sint, fit inde, ut non satis sibi constent illæ

versiones. Plerique Orientales literas discunt, non ut linguam vel scribant, vel loquantur; sed ut Grammatici sint. Neque mediocris linguæ cognitio hic facit, sed accuratissima, & ex usu ipsius gentis firmata. Magnum quoque in Codicis sacri interpretatione versiones cujuscunque linguæ usum habent, easque ad exegesi Theologi celeberrimi cum magno suo fructu adhibent. Ex collatione enim illarum sensus sæpe verus elicitur vel firmatur. Earum utilitatem quoque in Historicis, & quidem Taciti interpretatione ostendit Freinshemius in illo suo *specimine Paraphraseos Corneliana*, ubi e Gallicæ, Italicæ, Anglicæ, Germanicæ, Hispanicæ versionis collatione veros Taciti sensus indagavit.

C A P. X.

DE LIBRIS MYSTICIS ET SECRETIS.

- §. 1. Libri mystici quinam sint variaque de iis judicia. 2. Non omnia contemnenda. 3. Ob incredulitatem multa ignorantur. 4. Libri Mystici, Theosophici, Prophetici & Magici. 5. Theurgici Gentilium libri multa secretioris naturæ mysteria continent. 6. Jamblichi de Mysteriis Ægyptiorum libri, 7. ex Hermetis libris congesti. 8. Libri sacri apud Ægyptios custoditi. 9. Zoroastri historia & scripta. 10. Eorum aliqua Picus habuit. 11. Oracula Zoroastri. 12. Berosus Annii à Postello defensus. 13. Indi Bramines. 14. Orpheus & ejus scripta. 15. Etruscorum Razi Hinui antiquissimam sapientiam professi. 16. Tarquitiiani libri. 17. Sibyllina Oracula Roma custodita. 18. Sibyllina scripta à Noachi nuru Postellus deducit. 19. Eorum diversitas. 20. Petito una Sibylla defenditur. 21. Druides. 22. Gentilium sacra fucera paulatim adulterata. 23. Hebræorum Libri Cabalistici. 24. Christianorum mystici libri. 25. Dionysius Areopagita. 26. Theophr. Paracelsi. 27. Jacobi Böhmii Theologica. 28. De his judicia. 29. Prophetici libri in omnibus gentibus. 30. Pignora imperii ominosa. 31. Vasa cuprea Chimensium. 32. Nostradamus Gallorum Propheta & Poëta. 33. Varia de ipso & scriptis ejus narrantur. 34. Speculis quidam usum existimant. 35. Vaticinium de Calvinismo in Gallia extirpando nunc impletum. 36. Multa alia de magnis revolutionibus prædixit.

MYSTICOS & SECRETOS LIBROS dicimus, qui de rebus sublimibus, arcanis, mirabilibus scripti, suos sibi lectores postulant, neque omnibus ad lectionem concedi solent, neque ab omnibus intelligi possunt. Non idem omnibus est horum librorum gustus: *laudantur ab his, culpantur ab illis.* Sunt, qui ista scripta *χρυσὸν χρυσώματα* habent. Sunt, qui inania, superstitiosa *μετέωρα*, & ab otiosis ingeniis, ad fucum simplicioribus faciendum, inventa aspernentur. * Sed media in illis via procedendum est. Ut enim nullus liber tam malus est, in quo non sit aliquid boni; ita & in illis, qui mysteria & arcana se tradere venditant,

ditant, invenies aliquando, quæ vix credideris. * Non negaverim equidem, multa a multis, fingi, esse, qui aliorum credulitati imponant, & ad inanes contemplationes homines; quibus omnia ignota magnifica sunt, abducant. Sed de omnibus eandem pronunciare sententiam nefas esto. Neque ita suspicionibus indulgendum est, ut omnia sine discrimine pro fabulis & mendaciis habeamus. Quin potius crescat cum bona segete infelix lolium & steriles avenæ: veniet, quæ illa judicet, ætas & rerum magister usus. Etiam hic profecto verum est, quod Heraclitus, Plutarcho teste in *Coriolano*, solitus est dicere τῶν θεῶν τὰ πολλὰ δι' ἀπιστίαν μὴ γινώσκονται, *multas divinas & præclaras res ab hominibus ignorari, ob eorum incredulitatem*: ac Plutarchus alibi vocat ἀθέτειον ἀπιστίας, *morbum incredulitatis*. In eundem sensum quoque Theophrastus dixit, *res mundi pulcherrimas ab arrogantia hominum ignorari, dum nihil statuant credere, nisi humana mens rationem illius perceperit*. Quod si Aristotelem i. *Metaphysic.* audimus, ea est humanæ mentis imbecillitas, ut cognoscere nequeat veritatem, eoque pacto καθόλας cernit ignorantiam omnium, nec vidit ἐν μέγῃ suam. In plerisque naturæ rebus plus videmus fidei quam demonstrationi relinqui. Nisi potissima pars cognitionis naturalis ab Historia Naturali nobis esset, a Philosophia parum nosceremus. Et tamen is hominum morbus est, ut res ipsas negare malint, quam suam ignorantiam profiteri. Quoniam vero nec millesimam partem rerum naturalium cognoscimus, ne quid de νοητοῖς dicam, potius credulitate, quam incredulitate hic peccandum existimem, ne falsa falsitatis suspitione pulcherrimarum rerum scientiam amittamus.

Mysticorum librorum tres quasi constituere possumus classes, Theosophicos, Propheticos & Magicos. THEOSOPHICOS nunc eos vocant, qui de rebus divinis abstrusiora quædam docent, quales apud gentiles Theurgici dicebantur, quibus doctrina de Deo, Dæmonibus, Geniis, deque Ceremoniis, quibus illi colendi, tradebatur. Alii Magiam divinam hanc Theurgiam vocant. Hæc Metaphysica fuit. * De Gentilium religione etsi magna volumina conscripta sunt, tamen dicere non vereor, e tam vasto numero paucos esse, qui istius Θεουργίας & Θεολογίας ethnicæ fundum recte penetrarint. Non existimandum est, adeo stolidos & ineptos fuisse sagacissimos populos, ut, quæ vulgo de eorum sacris traduntur, eo sensu accipi velint, quo se nobis exhibent, ii præcipue, qui eorum fingendorum autores fuere. Alii sub hoc ænigmate sensus latent, mysteria scilicet naturæ secretioris, quod, ut suspitione attigerunt multi, ita fuit inter tot interpretes Davos, unus alterque hodie Oedipus, qui aliquid de iis prodiderit: de quibus in sequentibus plura.

Theurgiæ gentilium arcana, non volaticis narrationibus sparsa, sed suis rationibus deducta, apud JAMBlichum in libro *de Mysteriis Ægyptiorum* operose proposita sunt: quo ad Porphyrii quæstiones respondet, quem Thomas Gale Oxonii 1678. cum notis edidit, Nam Ægyptiorum doctrina in his præcipui aliquid habere videtur, unde in Græcos & ab his in Romanos multa derivata, sed multis falsationibus incrustata. * Nil vero in hoc argumento ab ullo gentilium philosophorum huic simile scriptum

scriptum est, quod autor ille se ex Mercurii columnis, quas Pythagoras & Plato in suam philosophiam transfulerint, ex innumeris antiquorum scriptis, & ex certis aliquo libro, in quem veteres totam de rebus divinis scientiam congegesserint, item e Chaldaeorum ac Assyriorum monumentis excerptisse ait: ut proinde quasi compendium Theurgiae gentilis dici possit. Duos vero Mercurios celebrant Aegyptii. Primus, quem illi *Thoth* vocant, ille est, qui columnas reliquit, quas interpretatus est *Mercurius secundus*, quam ille interpretationem multis libris complexus est, ut ipse Jamblichus docet. Notat vero Thomas Gale *ad cap. 1. librorum illum numerum, Mercurio tributorum, ortum ex eo esse, quod omnia sua inventa uni Mercurio ex communi sapientum concluso inscriberent, & in columnis & adytis sacris reponerent: ut Pythagorae omnia sua inventa Pythagorae nomine insigniebant.* Ex iis Mercurii libris unus fuit, qui continebat *τὰ περὶ Θεῶν, καὶ τῆς ὅλης πρᾶξις τῶν ἱερέων*, cujus meminere Diodor. *Sic. lib. 1. c. 16.* Strabo *lib. 15.* Et eandem ob causam credo tot libros Hermetis sive Mercurii nomine circumferri, quod sua scripta sub Mercurii nomine publicare maluerint: quanquam & Christianorum piis fraudibus aliqua, aut certe quaedam in illis laciniae, adscribi posse videntur. Opuscula medica & astrologica Hermetis, in Bibliotheca Vindobonensi exstantia, Lambecius notavit, *lib. 6. Commentarior. part. 2.*, in quibus, *compendium medicinae, de mathematica scientia, influxibus astrorum, de arcanis duodecim signorum Zodiaci, de animalibus volatilibus, quadrupedibus, aquatilibus, gemmis, seu lapidibus pretiosis, characteribus, sive notis ponderum & mensurarum, de Melomantia, sive divinatione ex membris humani corporis: Arithmomantia, sive divinatione ex numeris.* De Hermetis Trismegisti vita & scriptis videri amplius potest Lambecii *prodromus historiae literariae c. 1. §. 6. a pag. 134. usque ad pag. 443.* & Borrichius in *Hermetis sapient. c. 1. 2. & 3.* * Ceterum & integras habebant Bibliothecas sacras Aegyptii, in quibus reposita, quae occultari volebant; cum poena gravi afficerent, qui aliqua ex iis in vulgus efferrent. Calasiris, Sacerdos Aegyptius, apud Heliodorum his verbis testatur: *Me dicente ea, quae sciebam, & quae de hoc flumine (Nilo) sacris libris per scripta, solis antistitibus cognoscere ac legere licet.* Postellus in Alcorano multas veteris Aegyptiorum Theologiae reliquias, ac plura de Christo ipso testimonia, quam in Judaeorum libris, agnoscit. Videri alioquin super multis doctissimus Sapientiae Aegyptiorum vindex, Borrichius, potest.

9 Inter antiquissimos in hoc genere Gentilium Scriptores ZOROASTER recensetur. Ejus historiam ex Albufeda aliisque collegit Edoardus Pocockius, ubi inter alia nominatur ejus liber, quo religionis praecipua Magis tradiderit, ac XII. voluminibus confiterit, quorum singula corium taurinum integrum implerent. Scripsit de *pretiosis lapidibus libros V. de astrorum effectis ex eorum inspectione praedicandis ac judicandis unum; de Agricultura V. Plin. lib. 30. cap. 1.* ait, vicies centena millia versuum a Zoroastre condita, quae indicibus explanavit Hermippus, qui de Deorum sacris, cultu & ritibus egerint, item *περὶ Θύσεων*, quos Suidas ait fuisse quatuor; qui longum ipsius scriptorum enumerat Catalogum. Pythagorae istos praelegisse Zabratum, memorat Porphyrius, qui

qui Zabratius Pythagoram edocuerit, *τινες αὐτῶν ἑλὼν ἀρχαί.* *Horum librorum 11
 aliqui Joannes Picus habuit, qui ipse ita ad Ficinum scribit: *Chaldaici hi libri sunt,
 si libri sunt, non thesauri. Audi inscriptiones. Patris Ezrae, Zoroastri & Melchior, Mago-
 rum oracula. In quibus & illa quoque, quae apud Græcos mendosa & mutila, integra & ab-
 soluta leguntur. Est in illa oracula Chaldaeorum sapientum brevis quidem & salebrosa, sed ple-
 na mysteriis, interpretatio. Est itidem & libellus de dogmatis Chaldaica Theologia, ac in illum
 Persarum, Græcorum, Chaldaeorumque divina & locupletissima enarratio.* Hos Ficinus post
 obitum Pici inter ejus scriptorum reliquias comperit, sed adeo depravate exara-
 ratos, ut vix ab ipso Pico legi possent. *Syrianus Magnus libros X. in Logia sive 12
 Oracula Zoroastri scripsit. Notavit Thomas Gale *ad c. 2. sect. 1.* libri Jamblichiani:
 magnam esse convenientiam inter hæc & ea, quæ tradebant Ægyptiorum sapien-
 res ex libris Mercurialibus; nec non inter ea, quæ fuisse Zabiorum placita & scri-
 pta, prodit Maimonides Doctoris l. 3. ubi hos a Magis propagatos fuisse notat. Le-
 gi de hoc Zoroastre ejusque scriptis amplius potest Otto Heurnius in Barbaricæ
 Philosophiæ antiquitatibus l. 1. *Chaldaico p. 28. & in lib. 2. Indico cap. 1.* Ubi Oracula
 Zoroastri recenset, quæ Ludovicus Tiletanus cum Plethonis Gemisti commenta-
 riis *Parisus*, ac postea Franciscus Patricius auctiora ex Proclo, Hermia, Simplicio,
 Damascio, Synesio, Olympiodoro, Nicephoro, *Anno 1591. Ferraria*, in nova de Uni-
 versis Philosophia edidit, sapientiæ divinæ plenissima. Adeo enim iis, quæ sacris
 literis tradita sunt, consonant, ut Johannes Jessenius a Jessen ab Abrahamo illum
 edoctum existimet; qui quasi compendio quodam hanc Zoroastri Philosophiam
 tradidit libro, quem *Zoroaster* inscribit, Witteb. A. 1593. edito. Videndus de illo
 est Girald. *de Poët. Dial. 2. p. 59.* Ex horum familia procul dubio fuere, qui ad ado-
 randum Christum venere. Verum de Chaldaeorum antiquitatibus exigua nobis
 superest noticia, nisi quis ad Berosiana illa fragmenta confugere velit, quæ plurimi
 supposititia habent, etsi illis sui quoque defensores, ut supra vidimus, & *Postell. libr.
 de Etruria origine*, eadem vera agnoscat; neque ab Annio Viterbiensi demum confi-
 cta; quod in Germania & Gallia extiterint, antequam in manus Annii inciderint:
 qui & apologiam pro illo ad Petrum Franciscum Giambularium, Canonicum D.
 Laurentii, & Academicum Florentinum, auctorem libri de prisca Etruscæ linguæ
 origine, scripsit, quam & Operi subjungit; ubi ex ipsa Armenia allatum hunc li-
 brum, & a Georgio, Apostolicæ professionis homine, Latinum Annio datum fuisse
 ait: quæ velim nobis paulo accuratiora, aliisque documentis firmata dedisset: ha-
 ctentis enim nil illorum innotuit. De Ægyptiorum Theologia, Philosophia, Hie-
 roglyphicis, Otto Heurnius quoque nonnulla eodem libro adduxit.

Indorum, & in his Philosophorum Braminum, quasi Abraminum, ab Abrahamo 13
 oriundorum, ut Postellus judicat, Theologia & Philosophia ab illis Chaldaeorum dog-
 matibus non multum diversa fuit. Sed nulli de iis supersunt libri, nisi exigua Palladii
 relatio, & nos infra de his plura dicemus. *ORPHEUS, Thracius, antiquissimæ 14
 sapientiæ dogmata tradidit, e quo Græci Astrologiam acceperunt, ut testatur Lu-

cianus in *Dialogo de Astrologia*. Illum ajunt primum Deorum initia, universamque Theologiam, reclusisse, nefariorum facinorum expiationes ac plurima in orbem remedia docuisse. Scripsisse dicitur de *elementorum transmutatione, de rerum naturalium amoris efficacia, de Gigantum cum Jove pugna, de raptu & luctu Proserpine, de erroribus Cereris, de laboribus Herculis, de ritibus sacrorum Idæorum & Corybantum, de gemmis, de occultis oraculorum responsis, de Veneris & Minervæ sacrificiis, de Ægyptiorum luctu ob mortem Osiridis, illorumque lustrationibus, de vaticiniis, de auspiciis, de fibrarum situ, de somniorum interpretatione eorumque averruncatione, de expiatione inferorum, de ratione & motu astrorum*; quæ tamen omnia perierunt. Nam, quæ ejus nomine etiam olim circumlata, forte ex reliquiis ejus ab aliis concinnata, unde & Aristoteles non Orphei, sed Orphica scripta vocavit. Qui & Ciceroni liber, Orphei titulo, tribuitur, sine dubio fictus est. Vide de illo, aliisque ejus nominis, plura apud Gyrald. *Dial. 2. de Poëtis Latinis, p. m. 52. & seqq.*

15 Quæ veteris Theologiæ in Europam ac primum in Italiam venerunt, ceteris omnium gentium sacris præferenda essent, si veritate niterentur, quæ Postellus, libro de *Etruria Originibus*, magno apparatu proposuit. Noam enim in Italiam primum venisse, ibique Orbis antediluvianæ sacra, ritus & scientiæ restaurasse, ait. Fuisse autem illi, ut apud omnes populos, popularem institutionem, & inter sapientiæ alumnos secretiorem quandam & ab usu vulgarium remotissimam, a qua vis prædictionum, magiæ & diviniore sapientiæ pendebat. Ab eo, ait, constitutos illos *Razi Himuos* (quod nomen Halicarnasseus conservavit) id est, ut interpretatur, secretorum propagatores, qui sint iidem, qui *Etrusci* seu *Esuri Tusci*, quorum idem officium fuerit, quod Etruriæ sacerdotibus Cicero adscribit. Ii præstant instituendæ juventuti, principum potissimum, ii habebant scientiam secretiorem evocandorum geniorum, alligandorumque prodigiorum & signorum cælestium interpretandorum, quam scientiam nostro desiderari seculo ait. De quibus omnibus multa illic nova, & quæ *παράδοξα* plurimis habebuntur, sed tamen non ineptè deducta, legi
 16 possunt. * Laudantur & ab Ammiano Marcellino *lib. 25. c. 2.* Tarquitiani libri, inque iis titulus *de rebus divinis*. Nam Plinio & Macrobio *in lib. 3. Sat. c. 7.* testibus, TARQUITIUS libros tres de *Etrusca disciplina, & Ostentarium Tuscum* conscripsit: ut
 17 inde appareat, plures ejus generis libros fuisse. * An ex Noachi disciplina Sibyllina illa Romæ custodita carmina fluxerint, non est adeo certum. * Postellus in libro de *Originibus, sive de varia, & potissimum orbi Latino ad hanc diem incognita aut inconsiderata, historia cap. 16.* Sibyllinam doctrinam ortum habuisse credit a femina principe totius orientis, proxima sanguine ipsi Noacho. - Primam ille Sibyllam facit Nimrodi uxorem, dictam *Sabbathen* sive *Sembethen, nulum Noachi, unde totus Oriens accepit sacra, donec sensim sanctitate & enthusiasmis pleræque Græci sermonis peritæ femine eandem tradiderint Græcis, & demum Latinis; ita, ut principio publicati nominis Romæ, id est, sub Regibus, delata sint magna volumina, quæ tantæ fuisse veritatis comperta sunt, ut illis
 18 inconsultis nihil publicæ functionis susciperetur. Earum Sibyllarum complures fuisse omnium*

omnium est sententia, quas ab illa prima institutas fuisse, sed incerta fide, refert Postellus. Certissimum est, inquit ille, fuisse innumeras in universo, sed scripta eo fuere communior. Quis enim non admiretur illas Alirunas Francorum, Gothorum & totius Septentrionis, quæ tanta erant non solum prædicendi, sed evocandi potentia, ut non solum clare de futuris prædicarent, sed spirituales substantias cujuscunque generis ita cogèrent, ut in quacunque forma se representare omnium oculis adigerent. Ejusdem generis fuere vates & sacre virgines ubique gentium, tam in vera religione optime primum ab uxore Noachi & filiabus nurbisque & posteris instituti, ad divine sapientie laudem, quam in iisdem religionibus sensim depravatis & a diabolo corruptis. Verum de numero illarum Sibyllarum nunquam satis inter eruditos convenit, neque de origine quicquam certi est. Quæ enim Postellus hic quasi ex Apollinis tripode pronuntiat, nulla certa fide nituntur. Isaacus Vossius, qui de oraculis Sibyllinis doctissimam commentationem scripsit, nihil de numero & origine certi habet; saltem oracula Sibyllina fuisse, quibus clarissima de Christo vaticinia continentur, probat; quæ a Judæis ex Prophetarum suorum oraculis sub nomine fatidicarum mulierum, quarum apud gentes magna esset autoritas, congesta fuerint. * Ceterum magna illorum Sibyllinarum scriptorum fuit diversitas. Quæ 19 Tarquini regis temporibus in usu apud Romanos fuerunt, absumpta fuisse incendio Capitolino constat; postea ex Erythris & aliis Asiae urbibus (ubi quædam Sibyllina servabantur) illa utcunque congesta, a prioribus tamen diversa. Quæ vero nunc supersunt Sibyllina, ea a Christianis interpolata, dubium nullum est. * In 20 iis tamen tam variis Sibyllinis monumentis, quicquid fluctuent alii, Petrus Petitus peculiari de Sibylla libro, non nisi unam fuisse statuit, a qua omnis illa fama, omnia illa oracula, remotis supposititiis, promanarint; quæ a variis locis, ubi illa vixerit, varium nomen sortita fuerit. * Druidum, qui apud Celtas & Germanos Theologi 21 & Philosophi fuerunt, etiam cum antiquis illis conveniunt dogmata, qui tamen nihil scriptura eorum, quæ docebant, comprehendere voluerunt. Illorum etiam Pythagoras discipulus fuit. * Verum dubium nullum est, illa gentilis Theologiæ 22 initio quidem satis sincera, tractu temporis fuisse variis superstitionibus & damnandis ritibus incrustata. Cum enim Sacerdotes inter se secretiores haberent Magiæ disciplinas, populum falso cultu in diversa actum non cohibuerunt tantum, sed & ultro permiserunt, ne in sacra illa abscondita involarent. Paulatim & ipsi Sacerdotes in deteriora prolapsi, occultas Diabolo insidias struente, a via regia, imò divina, deviarunt. Jamblichianus ille liber, quem supra laudavi, etsi multa habet sublimia, quæque ex sinceris fontibus hausta videntur; tamen quæ de Dæmonum cultu & conciliatione habet, illa ab iis segreganda sunt. Illud vero memorabile est, quod sectione V. cap. 22. unum ait esse perfectissimum cultum, in quo uno omnes simul colamus, essentias & principatus: hunc sero admodum advenire ait, & oppido paucis; ac bene nobiscum agi, si in vitæ casu contingat. Alibi disertis verbis ait, non opus nos habere Geniorum amicitia, si unum illum Deum summum, qui omnibus imperat, amicum habeamus.

Hebræorum Theosophici libri, quos illi CABALE nomine vocarunt, longe plu- 23

rimi fuerunt, quorum Esdras ultra 70. collegit, non nisi sapientibus legendos. Hos Joann. Picus se habuisse ait, unde conclusiones illas Cabalisticas suas excerpit. Nescio, an ex illis libris sit, vel alius quispiam, quo se Postellus usum profiteretur. Ita enim ille libro *de Etruria Origine* p. 82. *Apud Hebræos sic fuit usitatum interpretationis genus, ut altissimis referta mysteriis non nisi ore in aures transfunderentur discipuli, quamdiu res eorum floruerunt; paulo post in unum volumen, quod ad manus nostras pervenit, secreta illa disciplina, quam eo quod recipiatur auditu, & non lectione, Cabalam vocarunt, summum genus sapientie divinae.* Circumfertur & apud Judæos, Abrahami Patriarchæ, cui tribuitur, liber *Sepher jetzira*, id est, *Liber formationis*. Bartoloccius, qui Romæ Bibliothecam magnam Rabbinicam edidit, ex illo ait, quotquot de Cabala scripserunt, tanquam ex turbido fonte bibisse, & hausisse totam illam tam sublimem & reconditam Judæorum Theologiam, quam mysticam vocant, & de qua mira jactitant. Editus est ille cum notis Rittangelii: extant & aliorum in illum Rabbinorum commentarii, ac clavis in illum librum a *Schephtel Horwitz*, Prageni Judæo, edita, sub titulo *Schepha Tal, abundantia Roris*; neque in hunc solum librum, sed in *Torab, Tikkunim & Pardes rimmonim*, qui libri fundamentum universæ Cabalæ continent, Hanov. 1612. Extat & *Maajen hachochma, Fons sapientie*, liber antiquissimus, Amstelod. 4. 1651. editus. Legendi de Cabalisticis Libri III. Reuchlini, & illi omnes, quos aliquot voluminibus in folio J. Pistorius Basileæ 1587. edidit. Conferri quoque Henrici Mori Cabalæ Philosophica potest, cujus examen Sam. Andr. scripsit.

- 24 Christianorum jam a primis temporibus mystici quidam in Theosophia libri
 25 fuerunt. * Principem in his locum sibi vendicant decantata illa DIONYSII AREOPAGITÆ Opera *de Hierarchia Ecclesiastica, de divinis nominibus, de Theologia mystica*, quem S. Pauli discipulum esse volunt, multoque rationum conquistarum apparatu, & genuinum, defendit Petr. Halloix in *vita S. Dionysii, & questionibus de vita & operibus ejus*. Nos illam aliis litem dirimendam relinquimus. Liber vero ille, a quocunque demum scriptus sit, rerum divinarum profundissimis meditationibus plenus est. Fuere omni tempore, qui hujus generis libros scripsere; nullum vero eorum scriptorum feracius est, quam hoc & superius seculum. * Inter illos numerari præ aliis debet Vir summi ingenii & maximorum meritorum, THEOPHRASTUS PARACELSUS, qui & magnam rei Medicæ & Physicæ faciem prætulit. Nam uti plerumque secretioris naturæ & Theologiæ conjunctæ rationes istis scriptoribus fuere; ita data occasione in Theologicas dissertationes dilabitur. Fuere vero post mortem pleraque ejus ab aliis edita, quæ, si ipse vivus edidisset, fortasse alio habitu se exhibissent. Quare nec omnia illa, quæ e schedis ejus publicarunt alii, a morosis Censoribus ad vivum rescanda sunt. Plures etiam ab illo in Theologicis libri sunt posthumi, quam in Medicis & Physicis editi sunt. Nam in Bibliotheca Isaaci Vossii pene in omnes Nov
 27 vi Fæderis libros commentarios prolixos, ab eo scriptos, inveni. * Similis generis
 28 scriptor nostra ætate JACOBUS BÖHMUS fuit, Philosophus Teutonicus dictus. * Mirabile profecto viro huic, utut plebejo, ingenium fuit, & singulari animi impulsu

agitarum. Inepte suspiciosi sunt, qui Pontificii cujusdam technas subfuisse scriptis ejus crediderunt. Ab uno homine & quidem ab ipso profecta omnia, arguunt idem styli tenor, eadem in omnibus rerum conformitas. Si exceperis nonnulla, quæ *μυσικότερα* & intricatiora videntur, in plurimis Pythagoræa dogmata *λείψανον χροσθῆ γένος* spirare videtur. Ejus Psychologiam in linguam Latinam convertit, notisque illustravit Joh. Angelius Werdenhagen, JCrus. Henricus quoque Morus judicium de illo mitius, quam asperiores nonnulli Censores, tulit. Pietatem viri istius nemo hactenus in dubium vocavit. Scripta illa ab homine literarum omnium rudi adornari potuisse, pene prodigio similis res est. (aa)

PROPHETICOS libros dico, qui rerumpubl. mutationes variosque casus prædicunt, quales in præcipuis Rebuspublicis quidam servari solent. Sunt enim homines, qui vel ex artis Astrologicæ arcanis, vel singulari ingenii impulsu, talia prædicere solent. * Custodiuntur quædam imperii pignora, e quibus conjici futura solent. De Urim & Thumim apud Hæbræos e sacris constat. Apud Romanos erant libri Sibyllini, & illi Etrusci aruspices; * apud Chineses vasa cuprea novem, pro numero provinciarum, tremore suo varios Reip. casus significantia, de quibus Martinus Martin. lib. 2. Sin. Historie pag. 50. Cui similia sunt duodecim vasa pro totidem anni mensium numero; quorum unumquodque aliquo pulvere oppletum, ejus indolis, ut sub finem mensis, vasi suo attributi, in ipsa luminarium conjunctione sponte sua in nihilum vanescerent. Ex motu ejus pulveris de futura totius anni tempestate vaticinabantur, de quo Mart. Martin. lib. 1. Sed talia persequi infinitum esset. * In Gallia celebre nomen MICH. NOSTRADAMI est, cujus mirabiles fuere non de Gallia tantum, sed ceterorum quoque regnorum satis prædictiones, quæ sub forma terrastichorum editæ. Scripsit autem illas Anno 1555. Nominat in illis monachum, qui Henricum III. & carnificem, qui Momorancium sub Ludovico XIII. percussurus sit: quæ vix ulla arte divinatrice indagari possunt, & intelligentiæ alicujus afflatum requirere videntur. De incendio Londinensi, de Regis Caroli I. supplicio in illis quoque vaticinatus est. * Multæ fuerunt virorum doctorum super eo disputationes: quidam eum pro impostore, quidam pro mago habuerunt. Aliqui virtutem in illo propheticam deprehendere sibi visi sunt. J. C. Scaliger acerbas quasdam in Hippocrateis suis invectivas in eum scripsit, cum antea ipsi amicus esset: qua de causa incertum: nam prædictionum ejus veritas magnum illi apud Principes nomen acquisivit, quæ tanta esse videtur, ut ne Diabolum quidem ea prædicere potuisse crediderim. Quod si ille e naturalibus signis hæc capere potuisset; quid veret Nostradamum

M 3

mum

(aa) Judicium Morhosi de Jac. Böhmio, ejusque Scriptis, mitius atque honorificum, quod illius Fautores & Assectæ, Frid. Brecklingius (in *Anni-Calovio*), M. Andr. Stübelius (in *Appendice Judicii Vernaculi de Scepticismo Speneriano Aug. Pfeifferi p. 157.*); aliique, certatim Advertariis opposuere, partim impugnat, partim commodius explicare nititur, Erasinus Francisci, in *den gebrochne[n] Spott- und Pastirpfeilen Joh. Matthai* (ed. A. 1692.) p. 427-431.

num ex iisdem scire potuisse? Fuisse enim probum piūque virum, omnes fatentur. De la Croix du Maine in Bibliotheca sua Gallica, Joannem Auratum, Poëtam non vulgarem, ejus prognostica noris illustrasse testatur, eaque fide, quasi ab ipso Nostradamī genio afflatus fuerit. De illo legi potest Petrus Petitus *lib. 3. de Sibyll. cap. 9.* Ubi plura de ejus rebus narrat vulgo parum cognita, omnia tamen excerpta ex Apologia Anonymi, qui Gallica lingua scripsit librum, cui titulus: *Eclaircissement des véritables Quatrains de Maître Nostradamy, Docteur & Professeur en Medecine &c.* Hic §. 6. recenset varia ab illo prædicta, quæ a solo humano arbitrio dependent, & proinde non nisi ad divinam quandam inspirationem referri posse judicat. Multa a Typographis luciperis ipsi supposita fuisse narrat, quæ occasionem calumniæ dederunt, cum destitueret ea eventus. Majores habuit, Astrologiæ & prædictionibus omnes addictos. Astrologia autem dixit se uti tantum pro medio excitandi impetus illos vaticinandi, qui ipsi in Astrologicis speculationibus supervenirent. Scripsit multa alia medica, & in linguam Gallicam multa convertit. Medicinam sine Astrologiæ cognitione parum prodesse judicavit. Infinita de illo narrari, ait Anonymus, quæ cum incerto teste dicantur, ille omiserit. Miram ille historiam narrat, quam a viro nobili, Florinvilla, ejusque conjuge comperit. Cum apud eum esset aliquando Nostradamus, deambulantibus occurrunt duo porcelli, candidus alter, alter niger. Animi gratia interrogat Nostradamum Florinvilla, quid fieret illis; ille statim: nigrō, inquit, vescemur nos: album lupus vorabit. Florinvilla, ut prædictionem eluderet, secreto album porcellum pro cœna curandum mandat. Paret coquus, sed dum præparat cibum, lupæ catulus domesticus, absente coquo, porcellum adrodit. Ideoque coquus nigrum illi succedaneum dat, ac in mensa apponit. Ita eventus prædictionem Nostradamī comprobavit. Autor ille in hoc specimine suo primo de rebus Henrici II. tantum agit. In præfatione ejus hæc præcipue tractat.

1. Quæ vera sint Autoris tetrasticha.
2. Qua de re prædictiones agant.
3. Unde incipiant.
4. Quousque se extendant.
5. De origine eorum, qui irreperierint in hæc tetrasticha, & quomodo corrigendi.
6. Qua ratione clavis & intelligentia tetrastichorum indaganda sit.
7. De ordine, quo processurus sit.

Promisit autem 20. tales libros, qui in hunc usque diem tamen non sunt editi. Quinque secururis voluminibus acturum se de rebus Gallia sub Regibus Henr. II. sequentibus promisit, 8. & 9. de rebus Italiae. 10. De negotiis Imperii & Regum Septentrionalium. 11. De Hispaniæ & Lusitaniæ Regibus. 12. De rebus, ad Oceanū accolis pertinentibus, & de regno Angliæ; de quo multa notabilia prædicit autor. 13. De rebus Orientis, Turcis, Græcis, Persis. 14. De Africa & Æthiopia. 15. De miraculosis Regis Francia progressibus in propaganda per Orientem fide Christiana. 16. De Antichristi machinationibus adversus imperium Christianum Gallorum in Hierosolymis. 17. De iis, quæ post annum 1655. per Europam accident, usque ad destructionem Romæ per decem Reges, Antichristi vasallos. 18. De 7. primis centuriis, cum explicatione reliquorum tetrastichorum, & paraphrasi epistolæ ejus ad Cæsarem filium. 19. De Explicatione centuriæ 8. 9. 10. cum paraphrasi epistolæ ad Henr. II., quæ continent clavem rerum futurarum post nativitatem Regis

Lud.

Lud. XIV. 20. de aliis scriptis prophetis, versibus Sibyllinis, qui tangunt res 14. & 15. libri: tabulis Imperatoris Leonis, prophetiis Merlini & Paracelsi. Possent hi libri quasi Pandectæ quidam rerum futurarum videri, si in lucem ederentur. Sed nec ipsa Nostradami tetraſticha integra habemus. Novissima editio An. 1668. Amstelodami in 12. a Waesbergiis edita. Centuriæ in illis tantum XII. sed non omnes integræ. Multa in scriniis Regiis de iis celari audio. Ex mille vero tetraſtichis & supra, quæ ille reliquit, nullum esse, Anonymus ait, quod non duas aut tres prædictiones veras contineat, rerum in Oriente & Occidente gestarum, per omnia regna omnesque gentes. Allegat Anonymus *Tetraſt. 2. Cent. 13.*, quo agat de magno Opere Philosophorum, prædicatque magnum Theologum, quem vocat *verbum divinum* vertendo Græcam vocem in Latinam, illud perfecturum; cum tamen ipse manus nunquam huic operi admoverit. Sed illa centuria in editione Amstelodamensi non comparet. * Fuit, qui narravit, speculis quibusdam Astrologi- 34 cis Nostradamum ad has prædictiones usum. Nam, qui arcaniora Physica & Astrologica cognita habent, ajunt e metallis, tanquam Planetis terrestribus, eadem configuratione, qua Planetæ in Thematibus Natalitiis ponuntur, sub certis constellationibus specula fieri posse, in quibus futura cernantur. Talia specula non pro hominibus tantum, sed & nationibus, urbibus, seculis, ut illi ajunt, fabricari possunt. Sed de iis in vita ejus nulla vel suspicio apparet. * Id quoque memorabile est, 35 quod hoc in loco minime prætereundum. Adduxit Vir Cl. Borrichius in *Dissert. sua IV. de Politis*, Anno circiter 81. scripta, e Nostradamo duo vaticinia, quorum alterum proximis annis impletum est, *Hodie, inquit, in Narbonensi Gallia & Provincia nil frequentius occentatur auribus, quam Nostradami vaticinia, quæ & cum ad tumulum nominatissimi vatis Sabone adstarem, pleno ore laudavit monstrator sacrificulus. Ego optarim, duo ejus fulmina vana esse; quorum alterum Calvinianis minatur, & hoc est:*

En grande citò, qui n'a pain, qu'a dimy,
Encor un couple saint Barthelemy.

Alterum Septentrioni:

Beaucoup, Beaucoup avant telles menées,
Deux d'orient par la vertu Lunaire,
Jan mil Sept cens, feront grands emmenées
Subjugans presque le coing Aquilonaire.

Quædam hæc videret Borrichius, nulla de Calvinianismi extirpatione suspicio erat. Sed, proximi anni veritatem hujus oraculi abunde confirmarunt. Ac concepta jam ænguina, ut quidam narrarunt, in Calvinianos fuerat sententia, quæ postea ita immutata, ut quavis cæde esset atrocior. Quid de altero futurum sit, Deus novit. Multa ille in epist. ad Henr. II. prædicat, magnasque imperiorum revolutiones usque 36 id septimum millenarium, ubi universalis in Ecclesia & omnibus regnis pax futura sit. Multa de amplificatione Imperii Gallici, ejusque victoriis in Oriente. Habet
his

his similia Postellus in libro de vera configuratione signorum caelestium, ubi ex illis imperium orbis Galliae suae promittit. Multa etiam in Germania talia de futuris prognostica secreto asservantur, de quibus hic non est dicendi locus.

C A P. XI.

DE LIBRIS PHYSICIS SECRETIORIBUS
PRÆCIPUE CHEMICIS.

- §. 1. *Metaphysica veterum.* 2. *De Campanelle Metaphysicis.* 3. *Cusani, Agrippæ, Ficini, Pici.* 4. *Scalichii scripta.* 5. *Libri de Magnetismis, Sympathiis, Antipathiis.* 6. *Liber Kyranidum, Hermeti adscriptus.* 7. *Vera hujus libri inscriptio,* 8. *Et antiquitas.* 9. *Liber mutilatus.* 10. *Democriti χερσόκρυπτα.* 11. *Petri Arlensis de Scudalupis liber ejusque clavis.* 12. *Quaedam ex illo arcana proponuntur.* 13. *Maxveldii Medicina Magnetica.* 14. *Wirdigii Medicina spirituum.* 15. *Paracelsi Manuscripta in Bibliotheca Scorialensi Chemica.* 16. *Chemia scientia.* 17. *Mythologia veterum ad Chemicam artem pertinet.* 18. *Vetusti ejus Autores Græci, valde lacerti et mutili.* 19. *Codex Altenburgensis, a Reinesio emendatus.* 20. *Reinesii de iis judicium.* 21. *Stephanus Alexandrinus.* 22. *Heliodori poema.* 23. *Pappus Alexandrinus.* 24. *Quis Heliodorus?* 25. *Theophrastus, Hierotheus, Archelaus, Pelagius.* 26. *Zosimus.* 27. *Ostans fragmentum.* 28. 29. *De eo disquiritur.* 30. 31. *Democriti liber antiquitatem sapit.* 32. *De Democrito insignis e Cedreno locus.* 33. *Quid sit ἐννοεργεῖα, μωρῶν.* 34. *Democritea, an genuina, an supposititia?* 35. 36. 37. *Epistola, a Synesio scripta, γνῶσιότης defenditur.* 38. *Dubia circa Zosimi scripta, a Reinesio mota.* 39. *Ad ea respondetur.* 40. *Zosimus Christianus ab historiatarum scriptore diversus.* 41. *Dissensus ab ipso Photio et Lambecio.* 42. *Anonymi liber de testimonio pro Christiana religione ex Ethnicis scriptoribus laudatur.* 43. *Zosimus adversus Reinesium defenditur.* 44. *Manuelis memorabile somnium, quod ad artem Chemicam referendum.* 45. *In Zosimi scriptis quedam diversitas.* 46. *Olympiodorus, Commentator Zosimi, ejusque etas.* 47. 48. *Labbei et Lambecii dubia.* 49. *Cleopatra scripta Chimica,* 50. *Et Epistole a Scioppio Priapejis adjuncte.* 51. *Pfellus,* 52. 53. *Pseudonyma et Anonyma scripta recensentur.* 54. *Deo Allatius Corpus Chemicorum edere voluit.* 55. *Querela Borrichii votumque nostrum.* 56. *Chimica scripta plurima ceterorum.* 57. *Aliquod autores recentiores Rabbinici et alii.*

1 **V**enio ad libros, quos MAGICOS appellavi, non eos, qui de Dæmoniis artibus scripti sunt, de quibus alio loco diceretur; sed, qui de Magia naturali, & arduas naturæ operationes tradunt. His quasi viam sternunt Cabalistici autores, de quibus supra egi: nam amice conspirant, mutuasque operas præstant. Meta-
2 **p**hysica illa veterum fuit, quæ hodie tota in terminorum doctrinam abiit. * Hanc tamen ad mentem veterum quodammodo instituere mihi visus est Campanella, qui in
vasto

vasto opere multa de mundis, de seculis, de ordinibus mentalibus, de sigillis & ideis, de vita divinitus comparanda, de actionibus mundorum secundum seriem & collationem illorum, de gradibus potestatum & possibilitium, de amore, sapientia & potestate, omnium rerum affectionibus, de maximo & minimo, de passionibus rerum ratione materiæ & formæ, de mutationibus earum & transformationibus, de propensionibus corporum vel ad Systematis unionem, vel ad certos situs in corpore, (*Robertus Boyleus libro de systematicis corporum affectionibus similia animo concepisse videtur*) de configurationibus rerum & infinitis aliis agit: quæ mihi accuratius consideranti materiam profundissimis speculationibus subministrare apta videntur. Non quidem omnia illa simpliciter probaverim; sed sunt profecto in illis cogitata, quæ certe summam ingenii vim arguunt. Illis jungi potest liber ejus *de sensu rerum*, ubi libro extremo Magiæ fundamenta jacere videtur. * Multi sunt a multis ad hunc scopum 3 libri conscripti. Nicolai Cardinalis de Cusa opera plena sunt reconditorum sensuum. Cornelius Agrippa in libris, *de occulta Philosophia*, ad Trithemium Abbatem scriptis, si quædam superstitiosa absint, multa ad hanc rem subministrat. Marsilii Ficini scripta, ut pene omnium Platoniorum, hæc argumenta tangunt. Joannis & Joannis Francisci Picorum opera tota in abstrusis occupantur. * PAULUS de SCALA 4 five SCALICHIUS, qui e prisca Scaligeræ gentis familia originem suam venditabat, atque Genealogiam Scaligeræ gentis scripsit, (quanquam illi controversia ab adversariis de eo mota est,) hujus generis varia edidit. Olim ille Ferdinando Cæsari a sacrificio Missæ fuit, post in Borussia, professionem Evangelicæ religionis simulans, intimis Principis Alberti consiliis admotus fuit, ubi res novas moliens alios e Principis gratia deturbavit ipse iterum deturbatus: quare ad Pontificiorum partes rediens tandem Gedani mortuus fuit, de quo legi potest Boissardus in *Iconibus virorum illustrium, part. 3. imag. 9.* & Hartknoch. in *Hist. Boruss. part. 2. c. 2.* Edidit ille *Encyclopediam, sive orbem disciplinarum, tam sacrarum, quam profanarum, quem Epistemonia inscripsit, Anno 1559. Basileæ impressum, cum nostrarum ille partium esset; cui adduntur Theses Mysticæ Philosophiæ: Eulogus, seu de anima separata ejusque passione, Conclusiones in omni scientiarum genere 1553. olim Bononiæ, hinc Romæ propositæ, quas 21. annorum juvenis scripserat: revolutionem alphabetariam, sive perfectissimam ad omne genus scientiarum methodum: encomium Scientiarum, & multa alia adversus Romanam Ecclesiam. Sed Anno 1571. in aliud quasi Systema hæc omnia, quibus Ecclesiæ Romanæ se commendavit, compegit. In Epistemone Catholico, ut tum appellavit, omnium scientiarum omnisque Philosophiæ, Orphicæ, Pythagoricæ, Platonicæ &c. brevem descriptionem pollicetur. De mysteriis mysticæ Philosophiæ & variis involucris, ænigmatibus, Hebræorum, Chaldæorum, Ægyptiorum, Persarum, Arabum, Græcorum & Latinorum, de anima separata, de rerum sympathia & antipathia, se acturum promittit. Scripsit & libros septem de rerum causis & successibus, & de secretiore quadam methodo, qua eversiones omnium regnorum universi orbis, & futurorum series erui possint; item Epistolam, qua omnes abditæ artes & scientiæ perstringuntur, & perfectissima ratio prophetandi, & miracula operandi traditur.*

5 In occultis naturæ operibus, quæ in *Magnetismis, Sympathiis, & Antipathiis* consistunt, arcani sunt quorundam libri. Ex antiquioribus est liber ille, Hermeri adscriptus, cujus meminit Barthius *Adversar. l. II. c. 17.* Hunc Gerhardus Medicus, quem Johannes Trithemius Gerardum Fulginatam, Raphaël Volaterranus Gerardum Suclonetam, Gesnerus & Simlerus Gerardum Cremonensem vocat, ante quadringentos propemodum annos e Græco in linguam Latinam convertit, cui titulus: *Liber physicalium virtutum, compassionum & certationum, collectus ex libris duobus, experientia, videlicet Kyranidarum, Kyranii Regis Persarum, & ex libro Harporationis Alexandrini ad propriam filiam.* Addit, pleraque ejus libri, qui Kyranii illius fuerat, esse Hermetis Trismegisti, & Syriacis characteribus sculptum fuisse

6 in columna ferrea. * Græcus libri titulus a Gaulmino *notis ad Theodorum Prodromum, c. 15.* producitur: Βίβλος Κοιζαενος Φυσικῶν συμπαθειῶν καὶ ἀνοπαθειῶν λακίς. 7 σύνταγμα Κοιζαενε βασιλέως Περσῶν. * Liber Latinus MSrus extat in Bibliotheca Paulina Academiæ Lipsiensis, quem, referente Felleri, in præfat. Catalogi MStorum Lipsiensium, illustrissima Dn. Eleonora, Hassiæ Landgravina, Henr. Ellenbergero, Med. D. Anno 1609. dono dederat, quemque Rivinus ab Ellenbergeri filio acceptum Paulinæ intulit, & Lipsiæ An. 1637. excudi fecit. Hanc ego non vidi editionem, sed aliam, quæ Francofurti Anno 1681. in 12. &, ut titulus habet, iterata vicè e membranis Latinis edita est. Nulla illic prioris editionis mentio, quæ vel ignoratur, vel dissimulatur. Quod ad Græcum codicem attinet, forte idem ille est, quem in Vaticana *περὶ Φυσικῶν δυναμειῶν* extare, e Pamelio Barthius ait. In eo tamen & Gerhardus Cremonensis & Barthius ipse falluntur: ille, quod A. C. 1168. Constantinopoli ex Arabica & Persica in linguam Græcam conversam ait: hic, quod a Græculo quodam Monacho compilatore congestam existimat, qui, ut fidem aliquam libro conciliaret, nomina Arabum, Ægyptiorum Persarumque accersiverit, Regemque Kyranum Opusculo autorem dederit.

8 * Verum longe antiquiorem esse librum Græcum, ex eo patet, quod Olympiodorus, scriptor Chymicus, cujus ætatem ultra Constantini M. tempora producit in Vindic. Hermet. Borrichius in commentario suo super Zosimi scripta chymica, Hermetem ἐν τῇ Κυράνιδι εἶδεν, ac Zosimus, ipso Olympiodoro antiquior *l. 9. de Chymia ad Theosebiam*, Hermetem in Physicis, qui idem liber est, alleget. Titulus libri quid sibi velit, non satis vel Græcus, vel Latinus interpret, cepit. Nullus enim vel *Kyranides*, vel *Kyranus* Rex fuit, a quo liber ille scriptus. Verum, quod Reinesius in variis lectionibus suis alicubi satis demonstrat, *Koizænis* vox, quam ex Arabico, vel Persico, retinuit interpret Græcus, nihil aliud significat, quam *collectionem συλλογὴν, σύνταγμα.* Quoniam enim Persæ & Arabes ex sacrum aliorumque Philosophorum magia hæc collegerunt, *Curanon* vocarunt: quemadmodum & Alcoranus, qui recentioribus Græcis *κοιζαένιον* dicitur, nihil aliud significat, quam collectionem præceptionum divinarum. * Vehementer vero dubito, an Latina illa versio integra ex omni parte sit: multa enim in illis vel ommissa, vel mutata suspicor. Nam ut ex Gaulmini notis in Theodorum Prodromum,

eo loco, quem supra nominavi, apparet, hymnus ille, quem singulis herbis sub-
 cit, quisquis est scriptor vel collector, quo illius vires, numinisque, cui sacra est,
 celebrat, hic plane non invenitur. Quod ex veterum illo ritu promanat, quo-
 rum mos fuit in colligendis herbis hymnum in laudem illarum, vel numinis, cui
 sacrae erant, recitare. *Ἐνθεσιῶντες μαϊνόμενοι καὶ ποιανίζοντες* herbas colligebant:
 quod de Druidibus, viscum quercinum colligentibus, etiam memoratur. De illis
 Andreas & Pamphilus, antiquissimi Medici, Gaulmino notante, librum scripserunt.
Ἱεροῦ Θεῶν ἑστάντας Galenus vocat. Gaulminos tales aliquos hymnos se editu-
 rum promisit. Sed neque illi editi, neque hic in libro illo, Hermeti tributo,
 comparent. Multa quoque Barthius loco citato illo contineri narrat, quæ in
 edito non inveni. * Hujus generis quoque illa Democriti *χειρόκμητα*, vel qui- 10
 cunque alius titulus fuit, censenda sunt, de quibus prolixè Salmasius in Solinum
 & Borrichius.

Est inter recentiores PETRI ARLENSIS de SCUDALUPIS Opus de *sympathia se-* 11
ptem metallorum, septem lapidum & septem planetarum, Madriti primum, hinc Romæ
 in folio, sub initium hujus seculi editum: quo singularia continentur secreta, a fi-
 lio per incogitantiam publicata; qui postea exemplaria omnia coëmisse dicitur, ut
 nullum jam amplius compareat. Est quidem in Gallia illud recusum minori for-
 ma, sed totum mutilum, nulliusque pretii. Exiit tamen Parisiis P. Constantii Al-
 bini Villanovensis *Magia Astrologica, sive clavis Sympathia septem Metallorum, septem se-*
lectorum lapidum ad Planetas, pro majore illius elucidatione editum, Anno 1611. in 8. Sed
 sine arca ipsa clavis illa nulli usui est. Qui legerunt, affirmarunt mihi, tot tantaque
 libro illo contineri, ut omni auro sit præstantior. * Inter cetera unum succur- 12
 rit, quod ille in eo legerat, de vitro e cineribus cadaverum strangulatorum certi-
 que mineralis confando, cui lotium ægri immissum affectas corporis partes in ipsa
 urina ostendat. Aliud ex eo libro adduxit Joh. Petr. Faber in suo *Palladio Chymico*
cap. 5. de certo pulvere tormentario. Ejus hæc verba sunt. *Vidi aurum natura ipsa*
incombustibile in pulverem pulvere ipso tormentario seu bellico combustibiliore redactum, spiri-
tu sulphureo combustibili, terra ipsius auri facta, quo nefanda scelera committi possunt, in homi-
num inevitabile malum: terra motus prægrandes effici queunt, quo domus, imo civitas inte-
gra, et si populosa sit, susque deque subverti possint. Arcanum certe pulveris bellici inven-
 ti multo pejus & crudelius, cujus proclamatores in superiorem mundum beatum iri non exi-
 stimo, tanquam inexhausti malorum fontis demonstratores. Unde hic Harpocratis silen-
 tium commendatum habere licet. Et hunc quidem ego pulverem pyrium Sympathe-
 ricum esse existimo, qui in remoto etiam loco positus altero similis generis ac-
 censa simul accendatur. Multa alia sparsim a nonnullis scripta, qualia in *Theatro*
Sympathetico, Norimbergæ edito, comparent, sed nullis certis fundamentis inædi-
 ficata. * Nuper Guilhelmi Maxvelli, Scoti-Scriptoris, in lucem a Clariss. Georg. 13
 Franco edita est *Medicina Magnetica*, cujus pars Theoretica non male de iis rebus
 philosophatur, præcipue vero Aphorismi, libro secundo adjecti, interiorem cogni-
 tionem arguunt. Liber III. Practicus, sine quo ceteri steriles & inanes, nondum
 editus

14 editus est: quem multi anxie efflagitant. * Commendari & in hoc genere Viri Cl. quondam Collegæ mei honoratissimi, Sebastiani Wirdigii *Medicina Spirituum*, potest. Sed de his in *Polybistore Physico* plenius agemus. * Multa, & quidem longe plura, quam edita sunt, a Paracelfo scripta sunt, quæ hinc illinc a curiosioribus asservantur. Meminit in *Exercitationibus suis, nuper editis*, Clariss. Wagenfeilius Manuscripti alicujus Paracelfici, quod illi in Bibliotheca Scorialensi monstravit Bibliothecarius, unde ille arcanum illud Steganographicum, e sanguine humano parandum, descripsit: cujus ope amici, toto orbe se juncti, omnia animi sensa plene planeque invicem communicare possunt. Sed ille liber cum ceteris forte in cineres nupero incendio redactus est.

16 De *Chemia* SCRIPTORIBUS, quandoquidem Chemiæ scientia quasi solum aliquod omnibus occultioribus operationibus naturæ substernit, nunc aliqua adnectenda videbantur: de quibus cum singulari olim dissertatione egerimus, nunc pauca *ὡς ἐν παροῦδα* tangemus. (bb) Sunt, qui totam hanc artem ideo suspectam habent, quod vel nulli sint antiqui Auctores, vel plerique Pseudonymi. Fuit illa jam ab antiquissimo tempore per sapientes, non tam scriptis, quam viva informatione, propagata, & ipsius rei sublimitas facile a nominis sui professione
17 auctores excusat. * Tota illa gentiliū *Mythologia* hunc sibi scopum præfixum habet, quod a Viris doctissimis, Michaële Mejero in Arcanis arcanissimis, Blasio Vigenerio in Commentario in Philostrati tabulas, Joh. Petr. Fabro in Panchimico ostensum est. Commendat Nicolaus Antonius, Autor Bibliothecæ Hispanicæ, eo in genere Johannis Baptistæ Suarez de Salazar Gaditani Mythistoricum Astronomicum, sive de Mythologia terræstri & cælesti librum, quo arcana omnia Physiologiæ mysteria confictis numinum appellationibus olim apud Ethnicos adumbrata revelavit. Sed imperfectum illud Opus relictum est. Nuper vero egregium ejus specimen Jacobus Tollius, elegantis Vir ingenii omniumque literarum, in Fortujis suis Criticis dedit: qui si pleniorẽ illam Mythologiæ explicationem adornaverit, omnes illi concedant necesse est, quo pleniorẽ ad
18 physicam experientiam eruditionem affert. * Falsum est, deesse huic arti antiquos auctores. Nam pro Hermetis aliorumque scriptis ita militavit Borrichius, ut superior ex illa pugna discesserit. Superfunt GRÆCI quidam AUTORES *περὶ χημειοποιίας*, quorum Salmasius aliquoties in suis *in Solinum exercitationibus* mentionem facit, & Casaubonus ad Baron. *Annal. Exc. 1. c. 10.* de quibus aliqua hic notabimus. Extat Codex ille in Bibliotheca Regia, unde sua excerpfit Salmasius. Delrius *tom. 1. discq. Magic. c. 5. p. 1. sect. 1.* in Bibliotheca Fontis belli haberi testatur. Dicitur & Johannes Dee, qui *Monada Hieroglyphicam* scripsit, Democriti Physica habuisse, cum scholiis

(bb) Conferri merentur, quæ Sententiæ Morhofianæ, de Chymia Secretiori sub Fabularum Ethnicarum involucris abscondita, b. l. propositæ opposuit Celeb. Tenzelius, in *Dial. Menstr. Germ. M. Jan. A. 1089, p. 45. 46. 47.*

scholiis Synesii, Pelagii, & Stephani Manuscriptis. Gesnerus in Italia alicubi latere tradit. * Est & Codex Altenburgensis, quem illustriss. Dux Saxoniae, Johannes 19 Wilhelmus b. m. e. Cod. Bibl. Augustanae fecit describi Anno. 1623. quem Thomas Reinesius perlustravit, suaque manu emendavit, mutila in illis notavit, addita de ipsis Autoribus dissertatione; cujus mihi ab amico copia facta est. Idem quoque Autores in Bibliotheca Vindobonensi reperiuntur, quos operose recenset Lambecius, *Comment. de hac Biblioth. lib. 6. part. 2. p. 168. & sqq.* cum quibusdam ex iis excerptis. Dignus ille Criticis, sed tamen argumenti istius non ignaris, profecto labor est, in quo illi ingenii nervos intendant potius, quam in aliis. Tanta rei sublimitas dignitasque est, ut non superficialia opera impendenda sit. Conferendi hic essent omnium Bibliothecarum Codices: nam multa in Autoribus illis per dolum sunt mutilata, vitiose descripta. Desunt in Altenburgensi Codice, quæ de unionibus magnis, e minutis conficiendi, ex Parisiensi citat Salmasius, qui & vitiosissime sæpe scriptus medicam Reinesii manum omnibus in paginis sensit, etsi non cum cura illi perlectus. Ita ipse in præfatiuncula, libro præfixa: *Emendationes, quas hic marginibus illitas vides, e cursoria quidem lectione natae sunt, sed quarum rationes reddere cuivis possum: elucemque etiam reliqua Pseudo-γραφικα, si id nunc agerem; neque enim adeo desperata res esset: quanquam, si conferre liceret codicem alium, multo facilius in via intrita progredi esset. Sunt hic, quæ πινω aliquem antiquitatis redolent; sunt & ineptorum infima Græciæ magistrorum aliqua; sed quæ tamen ab illis, qui se Chymiatros ceu aliis medicis multo præstantiores appellari volunt, & e furnis miracula curationum promittunt, scil. quod e vera arte & solida cognitione ejus non sunt instructi, non debebant ignorari.* * De scriptis istis ita 20 judicat Reinesius, primum per aliquos monachos aliosque eruditos in Alexandria, & hinc in Constantinopoli, in unum quoddam Systema congesta, unde in Italiam & Regiam Bibliothecam eo tempore pervenerint, quo exules Constantinopolitani in Italia recepti: ubi multa alia hætenus ignota de Græcis Autoribus primum innotescere Occidenti cœperunt. Autores ipsi, Reinesio iudice, partim Ethnici, partim Christiani fuerunt, qui Athenis circa annum Christi 400. & deinceps vixerunt Alexandriae, quæ Philosophorum nutritrix præ ipsis Athenis fuit, ut Camerarius in vita Synesii probat. Magno enim studio huic arti sub Imperatore Diocletiano, in Ægypto & Persia, tum Judæi, tum Christiani, tum Ethnici incubuerunt, ut ex Suida notum est. * Stephani Alexandrini, qui univer- 21 salis Philosophus vocatus ac sub Heraclio vixit, cui ipse aliqua inscripsit, primus hic liber est, *περὶ τῆς μεγάλης καὶ ἱερᾶς τέχνης*, Cardan. *l. 17. de var. rer.* in Bibliotheca Diegi Hurtadi de Mendoza, Orat. Cæsarei, extitisse ait. Christianus fuit. Verum esse hujus libri autorem, confirmat Salmasius *in Solin p. 1097.* Scripsit *περίζεις*, quæ hodie Processus vocamus, novem. * Post illum Heliodori nomen legitur, 22 cujus extat Jambus ad Theodosium Imperatorem, quem tamen minime genuinum agnoscit Reinesius. *Sunt, inquit, ineptissimi Græculi, qui inter ducentimum annum vixit, nihilque aliud egit, quam quod Stephani scriptum de eadem arte oratione soluta ligavit.* Heliodorum, Hermiæ filium, Alexandria oriundum, Reinesius Chymicæ artis non ignarum

- facit, qui cum fratre suo, Ammonio Proclo in disciplinam datus est, neque vero alienum existimat, illum Theodosio M. quædam hujus generis inscripsisse, qui & ipse huic arti addictus fuerit, quoniam & Eugenius, qui plurimum gratia apud Imperatorem valuit, qua tamen postea excidit, arti huic operam dedit, sub cuius
- 23 nomine aliqua operatio Chymica in codice illo Altenburgensi f. 190. extat. * Vixit & Pappus Alexandrinus Philosophus & Mathematicus sub hoc Imperatore, Reinesio iudice, cujus operatio Chymica ibidem fol. 189. reperitur, quem tamen alium facit Lambecius, ea ratione motus, quod Pappus Stephanum Alexandrinum allegat,
- 24 qui sub Heraclio vixit. * Carminum vero horum autorem plane non agnoscit Heliodorum Reinesius, quia non illam spirant, sed infimæ ætatis barbariem, ubi versibus, quos politicos vocant, multa talia scribebantur. Hunc quoque Christianum esse apparet, cum alter Ethnicus fuerit. Fuit & illo vetustior Heliodorus Æthiopicorum scriptor Christianus, Emesæ in Phœnicia natus, hujus artis non omnino ignarus, ut ex scripto illo patet, ubi plurima occurrunt, quæ occultos habere sensus videntur, quod abolere etiam cum jactura Episcopatus noluit. Ut fortassis illo nomine abusus fuerit ille, quisquis fuit, Poëtafter. Sed tamen eundem illum Carminum fabrum facit Lambecius: cui calculum adjicere meum ob antea adductas rationes non possum. Refert quidem Lexici Historici Universalis compilator, Hofmannus, e Cedreno, obtulisse Heliodorum Theodosio M. librum de arte auri faciendi; sed frustra locus ille in Cedreno a me hætenus quæsitus. Ac si vel maxime exstaret, de quo dubito, non tantæ fidei Cedrenus est Scriptor, paulum futillior, & longe junior, ut sua autoritate confirmare possit. Fluctuat & in Helio-
- 25 dori ætate definienda & in ipsis illis Autoribus Vossius. * Eiusdem commatis Reinesio habentur illa, quæ sequuntur in Codice Altenburgensi, carmina Theophrasti, Hierothei, Archelai, de divina & sacra arte, omnia ex Stephano transcripta. Dixerit quis, Archelai veteris Philosophi aut Oratoris istius nomine se ornasse, qui *περὶ τῶν Σαυμασίων* scripsit Antigono Hist. Mir. c. 96. & 23. citati; quem ille Ægyptium fuisse & Ptolomæo miraculosam quædam per epigrammata narrasse ait. De Hierotheo in eodem libro alia extat brevis commentatiuncula, characteribus Chymicis scripta, in prosa, quam Lambecius adscribit Hierotheo Monacho, cujus Isagoge quædam in Scalæ Paradisi in Bibl. Vindobonensi extat: nam alterum Hierotheum Philosophum Platonicum, Dionysii Areopagitæ Præceptorem esse, verosimile non fit. Pelagii, cujus ejusdem argumenti schediasma subjicitur, nomen & tempus incertum. Duos ejus nominis reperio. Anastasius Bibliothecarius in *Historia sua Ecclesiastica* circa A. C. 366. quendam Pelagium, Laodiceæ Episcopum Orthodoxum nominat. Cedrenus in *Compendio Historiarum*. p. 34. edit. Paris. in Corp. *Hist. Byzantin.* Pelagium Patricium laudat, quem Zeno interfecit, virum *Σαυμασίων καὶ περὶ ποιήσιν ἐπὶ τῶν ἀξιόλογον*. Nam historiam Augusti Cæsaris versibus scripsit,
- 26 & Homero-centra, atque multa alia. * Interfecit & idem Zeno cum hoc Pelagio Zosimum; ex quo quis conjecerit, eundem esse Chemicum illum Zosimum, cujus opuscula in eodem Codice habentur. Sed Rhetor hic est Gazæus, cum alter ille longe antiquior sit, qui quorundam, Zosimo adscriptorum, opusculorum
- Chemi-

Chemicorum auctor eſt, eſſi non omnium. Quædam enim ex illis Zoſimianis juniorem ætatem loquuntur, ut obſervat Reineſius: Ideoque vel alium eorum cognominem auctorem, vel veteri ſuppoſita eſſe oportet. Sed de Zoſimo illo poſtea plura. Incerta ergo de Pelagio omnia ſunt.

Quod in codice Altenburgenſi habetur, *fragmentum Oſtanis* Philoſophi ad Pe-
taſium de eadem divina arte, ſuppoſititium Lambecio & Reineſio videtur, ſi Oſta-
nem primum Magum, aut Oſtanem ſecundum, eò intelligere velimus. * Tertium 28
ergo quendam nobis Oſtanem fingit Reineſius, cum Oſtanis nomen omnibus Ma-
gis Perſarum commune factum Scaliger fateatur: qui circa A. C. 300. in Ægy-
pto vixerit, alterius etiam Democriti, non Abderitæ iſtius, præceptorem. * Nam 29
Democritum ab Oſtane edoctum, etiam antiqui Scriptores teſtantur. Ad hanc
ſententiam ipſum impellit primum, quod tempore Regis Perſici Saporis, qui A. C.
270. imperavit, in Perſiam iverit Democritus, artis addiſcendæ cauſa, quod ex Sy-
neſio aliſque locis hujus Codicis probare vult; cum tamen illic nullius Regis, ſed
philoſophi Sophar mentio fiat, cujus cum Rege Sapore confundendi cauſam nul-
lam video: deinde quod tamen Græca illa tum Oſtanis, tum Democriti antiquio-
rem indolem, quàm cetera ejus libri, ſpirent, licet ad ætatem Democriti Abderitæ
non aſcendant. Eadem eſt Salmaſii ſententia, qui *comm. in Solin. pag. 162.* ita: *De-
mocritus quamvis ſubdititiuſ ſit, antiquum tamen eſſe oportet; quippe quem citari videam Sy-
neſio, Stephano, ac Zoſimo, ſcriptoribus Chymicis, ac inter principes & veteres artis illius au-
tores laudari.* Hæc, ut verum fatear, pro Democrito & Oſtane vindicando, magis
militare videntur. Nam, ſi ſimili licentia in aliis Autoribus uti velimus, novos
Amphitruones & Soſiaſ in ſcena critica formabimus. * Eſto vero, non eſſe hæc 30
Græca Oſtanis tempore ſcripta, potuerunt illa longo tempore poſt in Græcam
linguam eſſe converſa; ac forte illa ultima verba, unde non ab antiquo Oſtane, ſed
a Chriſtiano aliquo ſcriptum hoc fragmentum conjiciebat Reineſius, quibus *gloria
Deo & Filio & Spiritui Sancto* acclamatur, Chriſtiani cujuſdam manu prioribus pie-
tatis cauſa adjecta. Recte vero Reineſius Scaligerum reprehendit, qui Oſtanem
Democriti Myſtagogum ex eo neget, quod Oſtanem Xerxes in Græciam comi-
tem, (de quo *Plin. lib. 30. c. 1.*) noſcere per ætatem non potuerit, cum ex Herodoto
Lærtius teſteretur, Xerxem in Græciam tranſeuntem cum exercitu apud Democriti
Patrem divertiffe. Ceterum ad Perſas victores illam in Ægypto cuſtoditam Sma-
ragdi tabulam, quæ ignoratam univerſi orbis concordiam deſcripſit, & maximam Ma-
giæ partem abſolvit, tranſiſſe, queritur Gaulminus, præfatione ad Theodorum
Prodrômum: cum Græcorum Medici divam Medicinam plebi proſtituerent, cu-
jus interiora olim Reges & Sacerdotes ſibi vindicabant.

Sequuntur Oſtanis fragmentum in codice illo *Democriti Phÿſica & myſtica* ſeu ar-
cana, Reineſio, ut vidimus, pro ſuppoſititiis habita. Nolo hic poſt Roſcium ſalta-
re: nam, quæ Reineſius hic pro *voſcra* affert argumenta, quæ omnia cum plurimis
aliis a Conringio, in libro de Hermetica medicina, allata ſunt, a doctiſſimo Borrichio
ingenioſiſſimis rationibus in Vindicatione Hermetis eliduntur. In ſcriptorum De-
mocriti

- mocriti titulis colligendis sollicitissimi fuere Borrichius d. l., & in sua *Historia Philosophica* Abr. Gravius *lib. 3. cap. 1.*, qui illic legatur. * Memorabilis præterea ille locus e Cedreni *Comp. Hist. pag. 121. Ed. Paris.* adduci Democrito meretur, qui ex antiquioribus Scriptoribus omnia accepit, si quis forte de Cedreno cavillari velit. Τότε καὶ Δημόκριτος ἐγνωρίζετο Φιλόσοφος, ὃς ἐδίδασκε πρὸ τοῖς ἄλλοις, ὅτι δὲ τὸν Φιλοσοφῆν ἐθέλοντα, πάντων ἀπεχεσθαι κακῶν, σωφροσύνην ἀσκήν, καὶ πάντα ὀρθῶς νοεῖν καὶ πράττειν, καὶ ἔτιως ἔστι τὸ ἐννεαγράμματον μάθῃν. καὶ ἔτιως (Φησὶν) ὄψει τὸν υἱὸν τῆ Θεῆ λόγον, τὸν ἀπαθῆ, παθητὸν νεοφανῆ. Vertit ita Xylander: - *ca etate Democritus innotuit; Philosophus: qui præter alia docuit, cum, qui velit philosophari, debere omnibus abstinere vitiis, temperantia studere, omnia recte agere & facere: ita demum licere cognitione eorum, quæ novem literis notata sunt, potiri. Sic (inquit) videbis filium Dei verbum, omnis perpeffionis expert, quod ipsum denuo perpeffionibus obnoxium apparuit.* Hic verba illa ἔτιως ἔστι τὸ ἐννεαγράμματον μάθῃν, quæ περιφράζει Xylander, aliquid mystici continere videntur, ut postrema illa de filio Dei, denuo perpeffionibus obnoxio, vel a Cedreno, vel aliunde, affuta videntur: quod inter Democriti dogmata fuisse nemo credit, nisi per mirabilem vel
- 33 *προφητείαν*, vel *πρόληψιν*. * Alludit vero nomen illud ἐννεαγράμματον ad illud naturale corpus, quod, quanquam metaphorico sensu, caput *χρυσοποιίας* habetur, versibus Sibyllinis expressum: quorum initum est, *ἐννεαγράμματ' ἔχω, τετρασύνλλα-
τον ἐμὶ. νῦν με. &c.* *Novem literas habeo, quatuor syllabas: intellige me... &c.* Sunt autem sex versus, & habentur *lib. 2. Carm. Sibyll. p. 171. editi Obscopæi*. Aymarus Ranconetus non male exposuit de Arfenico. Norunt enim artis ejus vel tirohes, quam venerabile Arfenici, neque sine causa, apud Chymicos nomen sit, sed suo tamen sensu. De hoc *τετρασύνλλατον ἐννεαγράμματων* egit quoque Olympiodorus, *fol. 167. Cod. Alt.* & Stephanus Philosophus in *πράξει V.*, qui vocat *τῆς σοφωτάτης ἐννοίας τὸ πρόβλημα*, & super hoc ænigmate longam commentationem instituit.
- 34 * Discrepat Græcum exemplar in multis a Latina versione Dominici Pizimentii: multa etiam in Græco trajecta & mutilata. Historiola, quam Democritus ipse de se narrat, quomodo Magistrum suum jam mortuum consuluerit, in Græco Codice non suo, ac valde alieno loco, posita est, ut quasi adfuta videatur. In Latina versione plane omissa est. In lectione verborum Græcorum magna est discrepantia iis in fragmentis, quæ passim adducit Lambecius, ut vel inde pateat, multum hic laboris istis esse relictum, qui hos Autores forte aliquando emendaturi sint: & quid de Latina versione judicandum? quæ in his variationibus lectionum sibi constare non potest. Lambecius in illam inclinare sententiam videtur, ut ea, quæ hic Democrito adscribuntur, ejus esse generis dicere malit, quæ a Diogene Laërtio hic nuncupantur *τὰ ἐκ τῶν Δημοκρίτου διασκευασμένα*, ex Democriti libris com-
- 35 posita. * Non contemnendum tamen & hoc ad *γενσιότητα* probandam argumentum est, quod Zosimo & Synesio aliqua ex his citentur, quem cur Pseudo-Synesium vocet Reinesius, non video: nam Salmasio ille genuinus habetur, cui & testimonium ejus pro antiquitate Democritæi scripti non improbat: ait enim Synesius, Democritum

Democritum in Persiam profectum esse, ut ab Ostane artem edoceret: quæ & apud Eusebium in Chronico leguntur, Scaligero suspecta visa; quasi a Panodoro Monacho aut Syncello conficta. Cum tamen, ut recte respondet Borrichius, etiam Eusebius ea de Democrito legere potuerit, quæ ante illum Seneca, & Zosimus, & Synesius, qui Eusebio non sunt posteriores. * Quæ enim idonea ratio afferri potest, 36 quod hæ præcipue lacinæ de Democrito aliisque Chymicis assutæ sint Chronico Eusebiano, cum tamen Zosimus, quem antiquissimum Scriptorem Chymicorum Conringius habet, & Synesius de illis scribant? qui Synesius etiam Zosimo ipsi ex eo præferendus Borrichio videtur, quod inscripserit Synesius Scholia sua Dioscoro; magno Sacerdoti Serapidos, florente adhuc Serapidos in Ægypto cultu, quod fuit ante Theodosium primum, qui Serapidos fanum evertit.

Sed & ipsis illis Synesii Scholis, frivolis ductus, ut ego existimo, argumentis, 37 litem movit Reinesius. Quidni enim Synesius, quem annos aliquot juniorem facit Episcopus Cyrenæus, autor horum scholiorum sit? Primo enim puerilis ille, quem vocat, error de Ostane Democrito, quique illi præcipuum *νοθείας* argumentum facit, ne error quidem est, neque in dubium vocari debet ob argumenta, tam a Borrichio, quam a me hic adducta. Deinde telum imbelles sine ictu est, cum ita colligit: In toto Opere Synesii, neque in Epistola 57. quæ omnem vitæ historiam, genus, familiam, variosque casus describit, ulla sit mentio vel Dioscori, vel hujus artis: ergo falsum est, ejus scripti auctorem esse Synesium. Quasi vero, qui illa sacra tractant, nomen suum omnes furno redeuntibus lacuque scire gestiant. Videmus in Villanovani scriptis medicis, in Alberti M. operibus, Chymica omnia ab editoribus secludi, quod stultis quibusdam hominibus etiam ad *νοθείαν* horum scriptorum magnum argumentum est, cum tamen nihil certius sit, ab ipsis esse scripta, sed, dum vixerunt, dissimulata. Ita enim plerumque fieri solet, ut viventes auctores illa celent, nec, nisi paucis quibusdam amicis, scribant: quæ post mortem editores, ne scilicet *contagium* aliquot cetera, ab iis scripta, trahant, omittunt, vel etiam ut *μυσικώτερα* seponunt. Non desunt tamen aliqua hujus artis vestigia in Epistolis Synesii, ut in epistola 142. ad Herculeanum, cui quædam propalata Philosophiæ mysteria exprobrat. Extrat & in Gallica- & nuper in Germanica lingua, tractatus, nomen Synesii Abbatis præpositum habens, quique e Cæsarea Bibliotheca editus fuerit. Sed Lambecius nullum alium Abbatem, quam hunc Episcopum, novit, ac præterea ille tractatus plane alius videtur. Epistola vero ad Dioscorum a nonnatum Christiano scripta videtur, quod ex inscriptione colligit Lambecius.

De *Zosimi scriptis Chemicis*, quæ non Salmasius, ac ne ipse quidem Conringius 38 in dubium vocat, Reinesius tamen scrupulos aliquos injecit. Dicit, non omnes illi libros adscribi posse, quia in illis mentio quorundam simplicium fiat, quæ veteribus Græcis ignota, & a Persis & Arabibus demum inventa, ut *Βελιλέν, Ναρρήφ, Θέναικας, Τεδία, Τάλκ, Χάλλι* &c. Unde colligit, demum post Persarum & Arabum tempora, 900. annis circiter a nato Christo, cum Græci artem perditam a Persis & Arabibus reducere in Græciam vellent, hos libros esse scriptos: quod si attendisset

Salmasius, caput illud *περὶ ποιήσεως χαλκῆς ζανθῆς*, quod in Codice Altenburgensi 39 *βαφὴ τῆς Ἰνδικῆς σιδήρεος* inscribitur, Zosimo non adscripsisset. * Verum unde novit Reinesius, illa simplicium nomina Græcis fuisse ignota ante hæc tempora? Metallica illa pleraque nomina sunt, de quibus Græcorum Medici vulgares parum solliciti: Unde novit, a Persis & Arabibus illa esse profecta? In studiis peregrinis peregrinæ etiam voces frequentari solent. Quomodo tempus perditæ & recuperatæ apud Græcos artis definiet? Quomodo caput unum ex toto libro alii auctori adscriberet Salmasius? Nam quod illic allegatur Zosimi nomen, non insolitum in illis libris est, quorum celari auctores solent. Ne quid dicam de glossis marginalibus, quæ in textum ipsum librariorum culpa transire solent. Majoris momenti obiectio illa est, quod capitulo hujus libri, quod *βαφὴ σμαραγδῆς* inscribitur, ac Zosimo Salmasius tribuit, Arabici & Muhammedici Philosophi σοφοὶ Ἰσραηλιτῶν laudentur: unde appareat, non veteris Zosimi, sed junioris alicujus Opus esse: Cum Saraceni primum A. C. 640. Ægyptum subjugarint, ac per Caliphas suos 600. annis sub imperio tenuerint, urbemque opulentam Alcair circa A. C. 970. ædificaverint. Hi Medicinam, Astronomiam, Chymiam, postquam Persicas opes omnes in se derivarunt, multis impensis, magnaque industria excoluerunt: præcipue illi potentissimi Dynastæ, *Almansor, Hæzon, Raschydus, Alaminus, & Almaimon*, ipsi doctissimi, quique doctos viros e Judæis, Christianis, omnibusque gentibus evocarunt, Græcorumque libros præcipuos in Arabicam linguam converti curarunt: ut florent tum in Ægypto omnes doctrinæ, cum crassissima barbaries Græciam, Italiam, Galliam, Germaniam obsideret. Neque tamen tunc perdita apud Græcos Chymica studia, ut forte Reinesius existimat, fuerunt: sed, quod in Germania, Italia, Gallia vidimus, sub ipsa barbarie clanculum illa disseminata. Neque enim ex eo, quod scriptores deficiunt, artis interitus inferri debet, quæ ab antiquissimis temporibus, non scriptis, sed potius per institutionem vivi præceptoris, propagata fuit. Latuerunt illa in monasteriis apud Christianos studia, unde, si qua in publicum prodierunt scripta, ut sane non pauca etiamnum ex iis supersunt, ob barbariem & impolitiam dictionis contempta fuerunt. Verum, ut ad objectionem Reinesianam revertamur, non illa adeo firmo talo stat, quin elidi possit. Illud Ismaëliitarum nomen non tum demum, sed dudum ante illa tempora, usurpatum; nam & Hieronymus in vita Malchi Ismaëliitarum Arabum meminit. Et verò de Arabum veterum peritia in secretis doctrinis res notissima est. Fuisseque apud illos Magorum nomen prius, quam apud Persas auditum, Conringius de *Antiq. Acad. in Suppl. 5.* restatur. Unde verò certissimis documentis ostendet Reinesius, scriptorem hos tantum Ægyptios Sophos, non alios intellexisse? Cum ergo in conjectura tantum vis argumenti subsistat, nil facit ad infringendam hujus scripti *γνησιότητα*. Neque possunt speciales illi Zosimi, qui de variis metallicis agunt, tractatus adeo discerni, ut variis auctoribus assignentur. Ideo enim vel maxime Oecumenici nomen obtinuit, quod ad varios artis hujus recessus se diffuderit: quemadmodum ille titulus primum Hermeti, deinde Johanni Sacerdoti, tum Democrito, & Stephano ab Anonymo, in libro de ratione dealbandi, tribuitur.

Fuit

Fuit ergo horum librorum scriptor Zosimus, ex Reinesii sententia, Co-
 mes & Exadvocatus Fisci, & Historicus, qui Theodosiorum tempore vixit; 40
 ut Borrichius vero opinatur, ætatem Constantini M. longe superat. Reinesii
 vero sententia vel ex eò rejicienda est, quod historiæ scriptor Ethnicus, hic
 vero Christianus sit, quem antea Philosophum Alexandrinum dixerat, quem a
 ceteris ejus nominis distinguere Suidas videtur. Et Pelagius, qui Zosimum
 citat, vocat τὸν ἀρχαῖον Ζώσιμον. Magnam hic disputationi de Christianismo
 Zosimi anam præbet Photius, qui Cod. 98. in recensione Historiæ Zosimi, il-
 lum paganorum religionem secutum ait; & in recensione codicis 170. libro-
 rum sc. 15. quibus proponuntur ab Anonymo testimonia de Christiana reli-
 gione e gentium scriptis, cum Autorem ἀπὸ τῶν χημευτικῶν Ζωσίμου λόγων (e
 frigidis Zosimi libris, vertit Andreas Schottus) multa desumpsisse ait. Hic vero in-
 telliguntur nulli alii Zosimi libri, quam χημευτικοὶ λόγοι, Chymici sermones:
 de quibus Suidas. Male enim vertit illa Schottus, quæ non intellexit, & vi-
 tiosa apud Phorium lectio est. * Ex eo tamen apparet, Zosimum τῶν χημευ- 41
 τικῶν autorem & historiarum pro uno eodemque Photio habitum esse: nisi
 forte & ille in eò erraverit. Lambecius, ut hæc conciliet, ait, Platonicis Phi-
 losophis, χημοποιίας arti deditis, in multis convenisse cum Christianis. Sed
 ista frigida conciliatio dubium omnè non tollit. Ego tamen in illa persevero
 sententia, ut hunc Zosimum Chymicum Alexandrinum a Thebano Panopolita
 distinguendum existimem. * Anonymum vero illum, cujus codicem recensuit 42
 Photius, eo quoque Chymicæ arti addictum fuisse existimaverim, & hujus du-
 ctu præcipue ad illa de Christiana e Gentilibus religione testimonia colligen-
 da impulsus fuisse: quæ Photius, ut hujus rei omnino ignarus, pro fabulis
 & superstitiosis habuit. Nam & hodie sunt, qui τύπον rerum divinarum in
 his naturæ mysteriis quærent. Fuere in his libris, Photio memorante, testi-
 monia locaque integrorum etiam librorum, non modo Græca, verum etiam
 Persica, Thracica, Ægyptia, Babylonica, Chaldaica, quin & Italica, ex iis, qui
 apud singulas harum gentium doctrina clari haberentur. Qui liber, si hodie
 extaret, cum magno rei Christianæ fructu legeretur. * Ille tamen Zosimus, 43
 quicumque tandem fuerit, quod in ipso reprehendit Reinesius, superstitionibus
 Ægyptiacis & Platonicis speculationibus supra modum fuit deditus, & multa
 prophetica in Sacro Codice loca ad miseram hanc artem, ut vocat Reinesius,
 applicuit. Sed illa nunc quidem excutienda non sumam; neque quisvis ido-
 neus, ut opinor, de iis judex erit, quæ superstitiones & fabulæ, quæ vero
 pro mysteriis habenda; cum externa species in his rebus minus exercitatum
 facile fallat; Reinesius tamen miseram artem vocat, quam divinam & sanctam
 omnes, quotquot sunt veri ejus possessores, dicunt: quæque si illa, quæ dicuntur,
 præstiterit, (nam omnium gentium historicam fidem labefactare extremæ impuden-
 tiæ res esset) illo titulo merito appellanda est. Quare non tam superstitionis, quam
 absconditæ pietatis argumentum est eorum, qui arcanis rerum naturalium, quasi typis
 quibus-

quibusdam, rerum divinarum mysteria adumbrari sentiunt: quod multis ad Christianismi sacra amplectenda profuit. Deinde non ignotum est, perpetuum mysticæ Theologiæ cum arcaniori scientia naturali ab ejus doctoribus statui consensum: quod omnia scripta Cabalistica loquuntur: ut Zosimus non adeo eam ob causam reprehendi debeat. * Qua occasione venit in mentem memorabilis illius *somnii Manuclis*, quod lib. 3. *Historia Johanni Cantacuzeni. c. 81.* legitur, ubi per variorum animalium apparitionem & dictorum e Propheta Esaia ad illa applicationem, nihil aliud, quam varia Operis philosophici *Φανόμενα* significantur, quod iis, qui in lectione illorum librorum exercitati sunt, facile judicatu erit. Greferus vero commentator, ut facile credo, obscura sibi hæc esse omnia, neque, quo tendant, perspicere posse, 44 fatetur; * Occurrunt in hoc Zosimo nostrum quædam etiam memorabilia, quæ *ὡς ἐν παρόδῳ* hic etiam monet Reinesius, quod antiqui Prophætæ Chemmis, unde ars ipsa dicta est, mentionem faciat, quod Codicem Ebræum non a multis, sed ab uno interprete in Græcam & vulgarem Ægyptiacam linguam translatum dicat, de quo nihil apud alios dicitur, nisi forte locum e Philonis libro de Vita Moisis huc pertrahas, qui de festo die, a Judæis & Ethnicis in memoriam Versiois Bibliorum Græcæ celebrato, aliqua memorat. Scriptorum ejus tituli plures apud Photium in Cod. 170. & in his ipsis libris citantur. Legi & de Zosimi scriptis Borrichius in libro sæpius laudato potest. In codice hoc Altenburgensi aliter quidam librorum tituli formantur, quam in codice Parisiensi. Et in ipso illo codice aliter illi citantur. Est & inter Zosimi scripta liber *περὶ ὀργάνων καὶ καμίων*, cum iconibus adjectis, quarum aliquas Borrichius exhibuit.

46. In Zosimi scripta *Olympiodorus* commentatus est, cujus liber etiam in codice Altenburgensi habetur; in cujus tamen ætate definienda magna sententiarum varietas est. Salmasius hunc extremis Græciæ temporibus vixisse ait, quem ex eo refellit Reinesius, quia nullam Stephani, scriptoris anno 620. florentis, sed Zosimi & Synesii, qui proxime illum præcesserint, mentionem faciat, more illorum scriptorum, qui in arte sua antecessores semper in ore habent. Reinesius & Lambecius, uti & Conringius, Olympiodorum Thebanum Historicum, & Olympiodorum Philosophum Alexandrinum, pro uno eodemque agnoscunt. Plane in eo demonstrando operosus est Lambecius. Suidas de Olympiodoro Philosopho Alexandrino memorat, ad quem audiendum Proclus Lycus se contulerit. Peripatericus ille fuit, sed tamen & in Platonis libros commentatus est. De Olympiodoro, qui rerum civilium studio se addixit, & libros Historiarum scripsit, Photius Cod. 80. quem Thebanum facit & professione Poëtam, ubi per nomen Poëtæ Reinesius & Lambecius Chymicum intelligunt: illum enim Poëtæ nomen hoc tempore notabat, & *ποιήσεις* dicebantur operationes Chymicæ. Quod tamen, ut incertum argumentum, rejecit Borrichius. Historiam ille suam ab Honorii Rom. Imperat. Consulatu septimo, & Theodosii secundo, ad id tempus, quo Valentinianus Romanus Imperator declaratus (nempe ab A. C. 407. ad A. C. 425.) deduxit. Idem Photius codice 214. de Olympiodoro agit, cui Hierocles librum de Providentiâ & Fato inscripsit. Illic professione Philosophum, philosophiæ non vulgaris amatorem vocat,

vocat, quem veluti Censorem constituerit Hierocles, non civilis sapientiæ omnino rudem, qui legationibus Romanis clarus, ac barbaras gentes Romano imperio adjunxerit; unde maximos sibi magistratus acquisiverit. Quibus postremis verbis Photium ad Historiarum libros Olympiodori, Photio Cod. 80. recensitos, respicere, non absurda conjectura existimat Lambecius; cum & tempora ipsa respondeant, & ipse Olympiodorus illic se legatum ad Hunnos missum scribat. Verum plane alia in sententia est Borrichius, qui Philosophum Alexandrinum Chemicum alium a Thebano illo facit. Illum esse Christianum ait; hunc Ethnicum; nam gentili religioni addictum vocat Photius; sed Chymicum illum Christianum esse; loco ex ejus scriptis adducto, probat Borrichius: quem ante Constantini M. tempora vixisse, non contemnendis suspicionibus ostendit.

Nihil ergo certi definiri potest, quo tempore vixerit Olympiodorus. Certum tamen est, non vixisse extremis Græciæ temporibus, quod volebat Salmafius: post Zosimum tamen, Chymicum scilicet illum. * Nam, quod attinet ad illum locum, quem Philippus Labbeus, notis ad Eclogas Photii de Olympiodoro, quæ Corpori Historiæ Byzantinæ insertæ sunt, e Zosimi historiarum libro 5. profert, quo Zosimus Olympiodori historiam citat, is satis bene expediri potest. Locus ita habet, Leunclavio interprete: *Hinc ad Ravennam (ea metropolis est Flaminie, prisca sane civitas, colonia Thessalorum, Rhene dicta, quod eam aqua ab omni parte circumfluant; non autem propterea, velut Olympiodorus ille Thebanus ait, quod Remus, Romuli frater, hujus urbis conditor fuerit: hoc enim Quadrato relinquere debuerat, qui de hac urbe in historia Imperatoris Marci id commemoravit) ad Ravennam igitur hanc &c.* Non probo Lambecii sententiam, qui non solvit hunc nodum, sed Alexandri gladio secat. Operose enim probare nititur, totam hanc parenthesin scholion esse anonymi cujusdam Grammatici, ideoque delendum. Non opus, me quidem iudice, tanto apparatu erat, & frustra hic in simpulo fluctus movet Lambecius. Quare enim Zosimus Olympiodorum testem vocare non possit, qui eodem tempore vixerit & scripserit? Nam sane Olympiodori librum legere vivus Zosimus potuit, atque ex eo quædam adducere; quod ab aliis sæpe factum vidimus.

Quæ Cleopatrate tribuuntur, ars auri faciendi, ænigmaticis characteribus scripta, & de ponderibus & mensuris excerpta, incertæ fidei visa sunt: cerera libri hujus postremi e Geoponicorum veterum libro descripta: extremum ejus schediasmatis a recentiori aliquo Græculo assutum, ut ostendunt voculæ illæ *μόδις, κέμελος*, quas verus Græcia ignorat. Stephanus tamen Cleopatrate cum Ostone colloquium adducit: quæ per temporum rationem consistere non possunt; nisi forte quemvis alium ejus nominis, quam Ostanem, vel primum, vel secundum, fingamus, aut forte. Ostones secundus arte sua tam longævum se fecerit. Extrat tamen in Regia Bibliotheca Parisiensi liber Comarii Philosophi Sacerdotis, qui docuit Cleopatram divinam artem. De quo nihil omnino dicere possumus, genuinus, an suppositivus liber sit.

* Similis farinæ sunt, quas e Bibliotheca Goldasti in insigne Priapejorum suorum 50

ornamentum, dignissimum sane hac patella operculum, Scioppius producit; Cleopatrae, Antonii, & Q. Sorani Medici epistolae mutuae, quibus de libidine Cleopatrae, eaque per artem medicam frenanda, agitur. Franciscus Philelphus *lib. 6. Epist. ad Philippum Medicum*, easdem subinuere epistolas videtur, cum scribit: *Memini, cum nuper esses Mediolani, vidisse apud te vetustissimum quendam codicem, qui Medicorum plurimum scripta complecteretur, ut Cornelii Celsi, & utriusque Sorani, & Apulei & Democriti, & quarundam, etiam mulierum.* Extat & Heraclii Imperatoris epistola, qua ad Sophoclem, vel Saphoclem Philosophum scribit pro expositione libri inventi ad caput Cleopatrae Reginae in suo sepulchro. Haec enim elegans est Epistolae inscriptio, ab homine barbaro fortassis addita; ac respondet illi Sophocles Sophista, characteres occultae scripturae interpretans de fecunditate paranda; nisi fefellerit Heraclium Chemicos Characteres de rebus vulgaribus exponens; modo vera sint, quae in epistola illa scribuntur. Habet & Morisotus *Cent. i. Epist. 34.* illas epistolas, qui tamen alias hic affert explanationes. Antonii epistolae adeo nihil aetatis illius sapiunt: Commendat tamen Scioppius, neque invidere tam egregium *νεμήλιον* viris doctis voluit, *Fictitiorum licet sint illa, ait, autorum, multum tamen facere ad veterum quorundam loca intelligenda, Petronii, Martialis & aliorum, domi doctus, didici.* Ille scilicet magister didicit, discant jam virtutem ex illo pueri verumque laborem.

- 51 * Extat in codice Altenburgensi amplius *Michaëlis Pselli*, notissimi Philosophi, qui A. C. 1080. vixit, epistola ad Patriarcham Xiphilinum de eodem argumento, quae in Latinam linguam conversa extat. Fuit vir doctissimus Psellus, ejusque multa sunt *ἀνέκδοτα*, notavitque in Bibliothecis passim latrantia Possëvinus. Illum reconditis artibus fuisse deditum, arguit liber ejus de Daemonibus, quem cum commentario doctissimo edidit Gaulminus. * Sunt porro in codice Altenb. Agathodaemonis & Hermetis Trismegisti fragmenta, Philippi ejusdam tinctura aëris Perfici, quem Lambecius existimat Chrysofostomi presbyterum, Moysis Prophetae & Legislatoris Judaeorum scriptum supposititium. Non enim negari potest, imposturas etiam in hoc argumento fuisse, ut autores celebres & antiqui scriptis luci causa praepoherentur: Quod, notante Reinesio, tum frequentarum maxime fuit, cum inter Reges Aegypti, Alexandriae & Pergami, studium & aemulatio conquerendorum librorum maxime ferveret. Cum enim antiquorum scripta praeter aliis expeterentur, eorum nominibus librarii abusi fuerunt, ut eo carius venderent: quod & Galenus sibi vivo accidisse conqueritur.

- 52 *Anonymi* plures sunt tum in codice Altenburgensi, tum Vindobonensi & Parisiensi, ut, de aqua divina dealbationis Anonymi Christiani experimenta Chymica; Anonymi Christiani varia capita Chymica: Anonymi capita duo de aqua divina. Anonymi Christiani Mysteria Chymica: Anonymi veteris arcana duo Chymica: Anonymi varia secreta Chymica: Anonymi Christiani liber Chymicus ad Sergium de aqua divina. Ubi notandum est, nulla scripta magis esse mutilata, quam quae de divina aqua agunt, cum illa inter *μυσμώτατα* hujus artis sit. In Parisiensi codice, quae notavit Labbeus in Nova Bibliotheca MStorum

rum librorum, hæc sunt. In codice Altenburgensi non exstantia sunt: Comarii de Lap. Phil. ad Cleopatram: Orphei fragmenta quædam: Cosmæ Hieromonachi de Chrysopeia: Nicephori Blemmidæ de auro conficiendo: Petri Theodorici de methodo alchymiae: Joannis Archisacerdotis liber; Sopharis in Perside Tractatus; Platonis, Aristotelis, Porphyrii, Claudiani, Sergii libelli. * Eos libros 54 omnes edere in animo habuit Leo Allatius, una cum suis ea de re tractatulis, referente Labbeo, votumque hoc addente: *Utinam tandem aliquando, tam sæpe promissus, tandiu expectatus, nobilissimus tanti viri fetus faventem sentiat alicubi. Lucinam! Lexicon quoque Chymicum codici Altenburgensi additur, sed recentius, ante 270. circiter annos scriptum, in quo multa corrupta & confusa. Sed de his omnibus scriptis ita Labbeus part. 4. MStorum, p. 129. Eorum operum pleraque perierunt, nonnulla adhuc cum blattis tineisque in situ ac pulvere luctantur in veteribus membranis Francicarum Italicarumque Bibliothecarum, quemadmodum de Parisiensibus ipsi nos oculati testes sumus. Hoc est, quod Heraclitus & Theophrastus dixerunt, per ἀπιστίαν, arrogantiam & contemptum multas res præclaras ignorari. * Annon fatius esset, his potius naturæ thesauris operam impendere, quam rebus frivolis? Justa hæc est Borrichii querela: Si mediam partem illius temporis, quod Solino impendit Salmasius, scriptori in pluribus fabuloso, ut quo sine jactura insigni carere res literaria potuit, impendisset restituendis emendandisque Chemicis antiquis Græcis; si Scioppius bonas horas Priapejis corrigendis insumptas; si alii otium, quod in nequitiiis Martialis Petronique expiscandis collocavere, huc vertissent, jam Græca illa Chemicorum dictio venusta & a maculis libera facie orbem eruditorum illustraret. Vellem ego hunc laborem nunc fusciperet ipse πολυμαθέστατος Borrichius, vel, qui nuper præclaro aliquo specimine prælusit, Jacobus Tollius, non varia tantum doctrina, sed & ipsis Chemicæ experimentis spectatus. (cc)*

Longum ac propemodum infinitum esset, si ejus generis Scriptores recentiores hic recenseremus. De multis in dissertatione peculiari egi, quæ super hoc argumento legi potest. Vidi apud amicum ultra 1500. Auctores veteres & recentiores. Extant in Bibliotheca Isaaci Vossii multa ejus argumenti. In Bibliotheca Cæsarea libri Chymici a Lullio scripti ἀνέκδοτοι ultra C. latitant. Rogeri Baconis in Bibliothecis Franciscanis per Angliam multi ἀνέκδοτοι Chymici & mathematici, teste Antonio Wood in Hist. Acad. Oxon. incomparabili naturalis scientiæ damno perierunt. * Rabbiorum antiquorum magnum in his rebus studium fuit, quorum præclara monumenta Illustris Cabalæ denudatæ editor, vi in omni non civili tantum doctrina, quam non in umbra, sed in luce ipsa consiliis & actionibus profiteretur; sed & humaniori & solidissima rerum naturalium scientia subactus & exercitatissimus nuper publicavit. Venit & ad manus meas, Collegæ honoratissimi, I. L. Hannemanni, beneficio, Mezahab Epistola de variis

(cc) Poëtarum Græcorum Chymicorum Editionem, & Ol. Borrichius (narrante Thoma Bartholino in Diff. de Medicis Poëris p. 103.) & Jac. Tollius (testibus Pet. Balii Novellis Reip. Liter. M. Nov. A. 1688. p. 1270.) est molitus, neuter autem, ob fata immatura, in lucem proferræ potuit.

variis auri generibus, ex sensu artis scripta. (ad) Imaginum Hieroglyphicarum, per varia Orbis Europæi monasteria, templa, magna est copia. Et quis hæc omnia aliquot pagellis percenseat? Erit fortassis plenior alibi de his dicendi locus.

C A P. XII.

DE EO,

QVOD IN DISCIPLINIS DIVINUM EST,
EXCURSUS.

- §. 1. Occasio hujus excursus. — 2. In Methodo ipsa discendi aliquid *Ἰείον*. 3. Singularis ars *ὀνομαστέας*, ab Agrippa proposita. 4. Periodi artium & inventorum. 5. *Τὸ Ἰείον* in literis, 6. nominibus. 7. Linguarum concentus. 8. Lingua peregrina hominum, spiritu obsessorum. 9. *Τὸ Ἰείον* oratorium. 10. Singularis impetus. 11. Exemplum Franciscani. 12. Furor Poëtarum. 13. Poëta illiterati & extemporalis memorabilia exempla. 14. Divinum in Musica & Poësi. 15. 16. *Τὸ Ἰείον* in Philosophia, Physicis. 17. Ad res vilissimas cœcutimus. 18. Principium aliquod in natura *ἀγνοῶσον*. 19. *Τὸ Ἰείον* in Numeris. 20. 21. Vaticinatio per numerum Septennarium. 22. *Θείον* in Geometria. 23. Optica. 24. In singulis disciplinis quædam *Ἰορμαστέα*. 25. Dei reservata. 26. Prænotio futurorum. 27. Arcanum Physicum, & cognitio temporum. 28. *Τὸ Ἰείον* in Medicina, Medicis & morbis. 29. *Τὸ Ἰείον* in Moralibus. 30. Virtus Heroica. 31. Impulsus divini. 32. *Τὸ Ἰείον* in Politicis, in Rebus publicis. 33. Fata imperiorum. 34. Principum miracula. 35. Dei directio circa eorum actiones, variosque casus. 36. *Τὸ Ἰείον* Geographicum in detegendis regionibus. 37. *Τὸ Ἰείον* Historie. 38. Providentiæ divinæ speculum.

Cum

(ad) Circa Mezarabi ætatem, nimius Chymia: Amor (uti P. II. *Isagoges ad Histor. Cimbr. c. 5. §. 2. p. 96.* jam est monitum) Morhofio imposuit. — Scriptor enim iste *Epistola de Auro Potabili* *Ψευδάστυμος*, larvam Nominis Proprii Mezarab (& Cognomini suo affinis, & Argumento *Epistolæ*, si Etymon spectes Hebræum, congrui) e Gen. XXXVI. 39. mutuatus, non Rabbicus fuit Antiquus, sed Medicus nostræ ætatis Judæus, Benjamin *Massaphia*, Med. D. & Practicus Hamburgensis, Glückstadensis atque Amstelodamensis, A. 1674. et 69. defunctus. Is *Epistolam* hanc Hebræo-Latinam (qua Veteribus Hebræis, ævique sequioris Rabbinis, Auri Potabilis cognitionem, & Chymia: arcanioris peritiam, e S. Lit. aliisque gentis sue monumentis, afferere conatur), seorsim initio, sub larva ista, deinde autem, vero nomine prænoto, una cum *Sententiis Sacro-Medicis, ex toto V. T. collectis*, Hamburgi A. 1646. in 8vo edidit. Solum Textus ejusdem Latinus, prolixo & verboso Joh. Lud. Hannemannii oneratus Commentario, hujus Ovo, quod vocat, *Hermetico-Paracelsico-Trismegisto, sive Tractatui de Auro*, Francof. A. 1694. in 8vo excusum, est præfixus, adjecta etiam Appendice pro Loco hoc Morhofiano Apolegetica, sed tali, quæ nihil solidi affert, ac proinde, in re præteritam adeo manifesta, responsum laud meretur.

Cum hæc scriberemus de Philosophiæ mysteriis, celebrabamus ejus diei in Ecclesia anniversaria sacra, quo supremus omnis sapientiæ dispensator, optimus maximus artium Magister Spiritus S. ut semper per totum terrarum orbem opes suas disseminavit, ita tunc visibili specie universas in Apostolos effudit. Unde in sacram hanc meditationem abrepti fumus: ut nulla est, quæ non ex hoc fonte inexhausto promanat scientia, ita nullam esse ex toto disciplinarum orbe, quæ non divinum illum characterem circumferat. Quare τὸ θεῖον, quod in disciplinis est, ἀνεύρομεν hoc loco non indignum, hic proponemus. (cc) Nemo paulum sagacior est, cui illud non suboleat; qui non suspitione saltem & conjectura aliqua attingat. Scilicet, ut vulpes in fabulis, scientias tractamus. Illa pulterem, vitro inclusam, cum ligurire non possêt, superficiem tamen lambit. Pellucet illud, quod in scientiis divinum est: sed quoniam in superficie semper hæremus; quoniam inani illo ac vitreo opinionum splendore nos oblectamus, nunquam pectus saturamus, nunquam ad fundum rerum penetrare possumus. Nimis immerfi sumus nobis ipsis & turbæ opinionum variarum. Quod si animum paululum in se revocaremus, Deoque permitteremus, & simplicissimos naturæ intueremur progressus, expeditior esset ad veritatem via, & divinæ menti nostram arctius jungeremur.

In ipso illo τῆς ἐπισήμης τρέπω, in rerum apprehensione, quæ non divina sæpe animadvertimus vestigia! Sunt, qui fulminea ingenii vi omnia percurrunt, quorum animus in specula positus uno quasi intuitu omnia simul comprehendit: quasi non sensuum ministerio, non Syllogismorum apparatu ad intelligendas res indigerent, sed geniorum instar omnia pervaderent quasi & absorberent. Ita quæ tardius assequuntur alii, longisque præceptionibus circumducti, illi quasi volatu uno transmittunt, omniaque præcipere ipsi videntur. Vidimus ad certas disciplinas quosdam quasi divinitus incitatos, ea in his confecisse spatia, ut in prodigium illa res traheretur. Fuere ad varias artes liberales, mechanicas, statuariam, graphicam, poësin, mathesin, chirurgiam, quasi a natura facti: ut nullis usi doctoribus, ipsi alias simplices, plebeji rustici, non raro etiam oculorum ac linguæ usu destituti, ipsos in illis rebus artifices superarent. Quin & vaticinandi quibusdam instinctum adeo efficacem fuisse accepimus, ut mera oracula fundere viderentur: quæ omnia potestatem humana majorem & τὸ θεῖον in ipsa etiam discendi methodo declarant. * Testatur quidem alicubi Cornelius Agrippa: esse artem quandam, sed paucissimis cognitam, ita informandi, exornandi & illustrandi fidem & purum hominis animum, ut ex ignorantie tenebris repente ad sapientiæ & doctrinarum lumen evebatur: e contrario vero aliam facultatem immundos atque incredulos, reconditis quibusdam arcanis, eodem sapientiæ & doctrinarum dono rursus exuendi, & pristina suæ ignorantia restituendi. Quam si ille

(cc) Πραξικρασις hæc de τῷ Θεῷ in Scientiis singulis, Festo Pentecostes A. 1687, Kilicni, peculiari Programmate Academico, publico nomine conscripto, ab Autore est*proposita, & inde, verbis iisdem, huc translata.

- ille alios artem docere potuisset, magnus ille nobis Apollo fuisset. Nos eam re-
ctius ab ipso illo artium omnium Parente Panopho, Sancto Spiritu, qui super
Apostolorum capita se effudit, veri illo Duce *ὠνομαθεὶς & θεοδιδάκτοι*, didicerimus.
- 4 * Cui non deprehenduntur certæ in artibus inventis periodi & revolutiones? No-
stra secula divinum Typographiæ beneficium habuerunt, quod ab omni ævo fatali
quodam sigillo absconditum fuit. Illa pulveris pyrii ars quoque nunc in lucem
prodiit, quasi orbis extremo incendio præluderet.
- 5 Veniamus ad ipsas *artes & scientias*, & quid in illis *θεῶν* videri possit, rimemur.
Confideamus primum in puerorum subfelliis, atque inter ipsos *ἀνομαθεῖς* nos
teneamus, ibique literas syllabasque aucupemur. Magnum in his miraculum est.
Quot habemus artes, disciplinas, volumina, ex paucis his elementis nata omnia vi-
demus. Est præterea philosophia quædam Alphabetaria, quæ non pueros, sed
magnos profecto doctores exerceat. Notas literarum, singulis gentibus familiares,
videamus, scribendi rationem modumque perpendamus; & primas illis animi, in-
dolis, ideas impressas deprehendemus. Ac optandum sane esset, omnium popu-
lorum nobis characteres fuisse servatos: ita vel ex eorum collatione mutua multa
abstrusa investigaremus. Quemadmodum ex punctis, lineis, circulis omnis pro-
ducitur quantitas, atque ipsa corporum habitudo in iis fundatur: ita ex his chara-
cteribus, eorum simplicitate, positu, ductu, animi quædam indoles, e convenientia
quædam quasi migrationes elucent. Prima mentis porta verbum & scriptura est,
qua se in aurium oculorumque sensus ingerit. In ipsis literis divinum quid latere
vel ex eo agnoscimus, quod accessione literæ *He* Abramo divina virtus inspirata
videbatur. * Quanta sunt in nomine Tetragrammato mysteria! quæ integris li-
bris non evolvunt Cabalisticæ. Multa de sacris nominibus Judæi nobis narrant, qui-
bus mirificam illi potentiam tribuunt. Ipse Dei Filius, æternus ille *λόγος*, verbi
nomine vocatur, de quo Reuchlinus mira e Cabalisticis libris nos docet. Quanta
Cabalæ illius literariæ mysteria sint, ii norunt, qui sacris illis sunt initiati: quibus
magna volumina quidam impleverunt. Longa est Jamblichi in libro *de mysteriis
Ægyptiorum, sect. 7. c. 4. & 5.* de divinis nominibus, eorum significationibus, disputa-
tio. Mentionem facit Jacobus Sponius in accuratissimo suo *Itinerario lib. 2. pag. 53.*
cujusdam Ægyptii *Check-Boumi*, qui *de Virtute verbi divini & humani* mirabilem li-
brum scripserit, in quo per varias linearum vocumque figuras, perque literarum
μετάθεσιν multa curiosa deducat. Sunt, qui e nominibus & literarum numeris ita
vaticinantur, ut raro fallant. Notarunt nonnulli infaustorum nominum imposi-
tione fortunam hominum labefactari, eorum immutatione quoque immutari. Qui-
dam e terricis nominibus, quos reos criminis suspicari sunt, tales quæstione in-
stituta deprehenderunt. Ne quid de iis dicamus, qui verbis morbos curant, *Saluta-
tores* dicti. Quæ omnia cum ad superstitionem spectare videantur, procul ab his sa-
cris abesse jubemus. * Mirabilis est ille linguarum diversarum concentus, per quas
sparsa primæ linguæ vestigia, ut *θεῶν* aliquid, non vanâ hariolatione venari possu-
mus. * Vidimus spiritu aliquo agitato ignotas sibi linguas loqui: quod quan-
quam Huartus ad singulare temperamentum; alii ad morbum melancholicum;

Pomponatius, ne quid potentiae ultra naturam debere videatur, more suo, in libro *de Incantat.* ad siderum influxus refert; absurda ramen illa & *παισιδοξία* sunt, cum impurus ille & *κακόζηλος* Spiritus in illis hominibus agat, quod in Apostolis Spiritus Sanctus, qui omnibus linguis *τὰ μεγαλεῖα τῆ Θεῆ* deprædicabant. In illis aliquid *δαίμονιον*, ut in his *θεῖον* fuit.

¶ *Grammaticorum Ludo ad Oratores transeamus.* Quis non in illis aliquid divini agnoscat? Neque enim artem hanc e Sophistarum palæstris natam existimemus. Majus quid in illa elucet, erectum, gloriosum, quod ipso animos expugnet, præclarumque rebus divinis suppeditet instrumentum. Non sunt e Magistris hominibus æstimandæ artes: divinæ illæ sunt, æternæ, atque ex eodem fonte derivatæ, unde olim in Apostolorum animos effundebantur: etsi hæc omnibus numeris absolutæ. Præcepta, quæ a Magistris successu seculorum congesta sunt, veritati & naturæ conformia, hos natales loquuntur. Quare ad divinos usus adhibeamus, quæ divina sunt, & quæ e veritatis quasi utero obstetricias manus admoventes Magistri in lucem protulere. * Verum illud eloquentiæ *ἕψος* in spiritu & impetu est. 10 Agnovit hoc e gentilibus Philosophis Seneca, qui in libro de tranquillitate cap. ult. *Non potest grande aliquid & supra ceteros loqui, nisi mota mens. Cum vulgaria & solita contempsit, instinctuque sacro surrexit excelsior; tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali. Non potest sublime quicquam & in arduo positum contingere, quam diu apud se est. Desciscat oportet a solito, & efferatur, & mordeat frenos, & rectorem rapiat suum, coque ferat, quo per se timuisset ascendere.* Hoc est illud in oratione, quod Aristides vocat *τὸ πῦρ: λόγων εὐτὴ πηγὴ μία, τὸ οἷς ἀληθῶς ἱερὸν καὶ θεῖον πῦρ, τὸ ἐκ Διὸς ἔστιν.* Hippocrates, cui Deus ipse *τὸ θερμόν ἀθανάτων*, illud, quod in homine *ἡγεμονικὸν* est, vocat *τὸ θερμώτατον καὶ ἰσχυρότατον πῦρ.* Cicero sic Latine exprimit: *Nulla me ingenii, sed magna vis animi inflammat, ut me ipse non teneam.* Istud in Joanne *θερμόν*, istud *θεῖον πῦρ* antiqui Theologi observarunt: quibus ille *υἱὸς ἔροντης, ἔροντόφωτος* & *ἔροντόπαις*, ob incomparabilem & sublimem eloquentiam, dictus fuit. Ex hoc impetu visi sunt Oratores, citra ullam meditationem, ad dicendum proflire, in extremis periculis, in Reipublicæ necessitatibus. Vidimus Oratores sacros, divino quasi spiritu ductos, extemporali eloquentia plus præstitisse, quam elaboratis orationibus alios. * Talem nobis Franciscanum illum Erasmus *lib. 14. Epist. 15.* depingit, 11 cujus memorabile exemplum ab omnibus legi meretur. *Rogatus, inquit Erasmus, a me familiariter, quibus modis præpararet animum suum iturus ad concionandum: Respondit, se solitum in manus sumere Paulum; & in ejus lectione tam diu commorari, donec sentiret incallescere pedes. Illic hærebat addens igneas ad Deum preces, donec admoneretur esse tempus incipiendi. Numquam septies concionabatur uno die, nec unquam illi deerat sermonis eruditi copia.* Dignissima lectu est tota hæc de illo viro Epistola, quæ ideam prudentis piæque Theologi in ejus vita depingit. Miraculum aliquod istius temporis dixeris.

¶ *Poetas*, qui non humana, sed Deorum lingua, loqui dixit, aliquid homine majus 12 in illis agnovit: scilicet *τὸ θεῖον*, quod adeo in his studiis dominatur, ut sine *ἐνθουσιασ-*

- εμῶν illa jaceant frigeantque: quare & Vates dicuntur, seque ipsos ἐνθεσιαζομένους profiterentur. Quis non de furore Poëtarum tam apud Poëtas ipsos, quam alios legit? Sed illum divinum nominabat Plato, suntque, qui peculiaribus ea de re libris agunt. Divinus ille maxime furor, cum in hymnos divinos fertur. Plato in Dialogo, qui inscribitur Ἴων five περὶ Ἰλιάδος, Poësin omnem ab inspiratione esse contendit. ὁ θεός, inquit, αὐτός ἐστιν ὁ λέγων, διὰ τέτων δὲ φθέγγεται πρὸς ἡμᾶς. Deus ipse est, qui per illos loquitur, & nos inlclamat. Et ibidem: ἐν τέτω γὰρ δὲ μάλιστα δεκεῖ ὁ θεός ἐνδείξασθαι ἡμῖν, ἵνα μὴ διαζώμεν, ὅτι ἐκ ἀνθρώπων ἐστὶ. In hoc maxime Deus ostendisse videtur, nobis disputandum non esse, quia divina potius, quam humana sint hæc poemata. Hoc, inquit, Deus eo indicare voluit, cum de industria per ineptissimum poëtam pulcherriam cecinit melodiam. Quare non inepte hic Plato annulorum magnetis contactu cohærentium exemplo hunc, a divino spiritu per alios
- 13 poëtas propagatum, afflatum nobis ob oculos posuit. * Memorabile in homine rustico Italo exemplum ætas nostra tulit, qui nullis præceptis imbutus, cum legeret Torquati Tassi carmina, quasi spiritu quodam afflatus elegantissima sine mora fudit carmina, quæ vel ipsos artifices in pudorem conjicerent. Joannes Dominicus Perus ille vocabatur, qui nullis promissis, utut amplissimis, a Principibus permoveri potuit, ut rusticis sordibus relictis in aulas & urbes concederet: beneficiis tamen plurimis affectus a multis fuit. Vivis illum coloribus J. N. Erythraeus describit *Pinacothec. II. n. 27.* Vidit Patavina cathedra ante non multos annos Fr. Macedum, Virum omnibus doctrinis & scientiis consummatum, ex tempore de argumentis propositis Latina recitantem Carmina, eaque elegantissima, atque omni apparatu poëtico instructa: quæ cultissimi alii Poëtae longa meditatione vix extunderent. * Poësi affinis est *Musica*, quæ sonos moderatur, affectus incutit, incussos mulcet, animosque, quo vult, rapit. Est sane in sonis aliquid θεῖον, ut ad illorum contemperationem, mirabilem sane & mysteriis plenam, totius universi mensuram veteres Philosophi inierint: quos ubi numeris suis Poëta scite & recte illigaverit, pene ad Orphica miracula patranda aptum dixeris. De divino illo, quod in Musica est, præclare Jamblich. *Libr. de Mysteriis Ægypt. sect. 3. c. 9.* philosophatur.
- 15 *Philosophia*, quæ in contemplatione rerum consistit, eo ipso nomine divini quid inferre videtur: quid enim est θεωρεῖν, nisi a sensibilibus animum ad τὰ ἀόρατα ad-
- 16 ducere? * Hic principem locum naturalis philosophia tenet; in qua omnia a sublimiore principio arcessenda sunt, quam vulgo fit. Pecora sunt & fungi, qui in naturæ operibus ubique præsentem DEI manum non sentiunt. Stupida est atque iners natura, si ab illo discesserit. Nullo vinculo illa continetur, nisi ille nodos strinxerit. Quod cum agnoscerent gentium Philosophi & Poëtae, qui Jovis omnia plena ajebant; quis credat, nunc reperiri homines, qui rectore destitutam sibi ipsi hanc machinam permittant? Plus est miraculorum in natura, quam vulgo credimus.
- 17 Quo oculos vertimus, quo pedem movemus, in illa incurrimus. * Vel in minimo infecto divinam manum deprehendimus. Omnis illa corporum membrorumque com-

compositio, illa universi omniumque animalium admirabilis fabrica, intelligentiam & mentem operatricem arguit. Providentia ex omnibus elucet. Vel talpam videas: omnia in illa ad suos usus comparata, oculi, aures, ungues, membra omnia. Quod cum perpenderet Cardanus, mire alioquin misereque in illis, *quæ Spiritus sunt*, fluctuans, ac talpa ipsa interdum cæcior, hic tamen vel a talpa oculos visumque recipit, cum in hunc quasi ἐνθεσιασµὸν prorumpit: *Palam est igitur, naturam in cunctis sollicitam mirum in modum fuisse; nec obiter, sed ex sententia, omnia prævidisse, hominesque, quibus hoc beneficium Deus largitus est, ut causam rerum primam inveniant, participes esse illius primæ naturæ: neque alterius esse generis naturam, quæ hæc constituit, ab illorum mente, qui causam eorum, cur ita facta sint, plene assequi potuerunt.* Felices igitur merito vocat Virgilius, qui rerum cognoscere causas potuerunt. Sed quot illorum sunt, qui cognoscunt? In nebulis toti versamur. Cum Athenienses verum Dei cultum ignorarent, τῶ ἀγνώσῳ θεῶ. aram posuere. * Nil temere nos dicemus, si 18 omnia ignorare nos dicamus. Expedire in ipsis principiis nihil possumus, nisi ad ἀγνώστον aliquid & incognitum refugiamus. Rident Lyncei nostri eos, qui ad Qualitates occultas confugiunt. O boni! nescitis, quam vos in ipsis demonstratiunculis vestris nihil sciatis? At vero, dicitis, in ipsis minutiis naturam recognoscimus, in particulas oblongas, ramosas, globosas resolvimus: nihil oculos nostros, perspicillis armatos, effugiet. Sed nihilo tamen sapientiores per vos facti sumus. Quamdiu rerum mystiones ignoramus, nihil omnino scivimus. Propiora illa potius prestantia sunt, quam remotiora. In illis habitat natura, moratur, palpatur: In his dispersa est, & a sensibus recedit. Ita plerumque comparatus est hominum animus: *Transfugit in medio posita & fugientia captat.* Si culta aliqua & elaborata cui offeratur oratio, isque in illa artificium indagaturus sit; quis propius scopum feriret? illene, qui literas & syllabas numeraret; an vero, qui in partes suas, quibus proxime componitur, in enthymemata, in schemata, dissolveret? nulum est in rerum natura φαινόμενον, quod expedire feliciter possumus. Vertamus in omnes partes, secemus in particulas, plus, quam κυμνοπερίσαι, hærebimus semper, & tandem in incognito aliquo nobis subsistendum erit. Quod cum videret Henricus Morus, Philosophus Anglus, principium aliquid Hylarchicum commentus est; alii alia κρησφύγετα quæsierunt. Ac sane θεῶν hic aliquid subest, verum illud ἡγεμονικόν, quod impellit, movet, dirigit, jungit, format corpora: quo igno- rato, omnia nobis ignorari necesse est. Videamus admirabilem illam rerum γένεσιν. Omnia mysteriis plena sunt. Ipsa illa rerum semina divina manu in puncto aliquo & centro obliquata videntur, unde quasi ex nihili utero procedunt corpora. Nam quod in femine ἐνεργητικόν est, non nisi intelligentia comprehenditur: cetera, quæ oculis videmus, manibusque palpamus, parum ad corporis compositionem conferunt. In vegetabilibus, ubi e punctulo frutex germinare incipit, cetera concidunt atque, ut rejectanea, separantur. Quæ in formanda porro corporis machina est naturæ solertia? qui progressus? Quos ubi attendente mente respexerimus, attoniti manus sæpe tollemus, & mirabilem in operibus suis Deum deprædicabi-

mus. Vidit hoc, qui tamen omnia in forquitis posuit, & suis ratiunculis explorare tentavit, cum hos, quasi ἐθυσιασμῶν abreptus, versus funderet;

*Multa tegit sacro involucro natura, nec ullis
Fas est scire quidem mortalibus omnia; multa
Admirare modo, nec non venerare, nec illa
Inquires, quæ sunt arcanis proxima: namque
In manibus quæ sunt, hæc nos vix scire putandum est.
Est procul a nobis adeo presentia veri.*

Nihil nunc de iis dicemus, qui corporum μεταμορφώσεις, qui infinitas propemodum multiplicationes instituunt; quod in metallis a naturæ mystis factum est; nihil de corporum magnetismis & sympatheticis affectionibus, quæ innumeræ in natura sunt, unde omnis illa magia oritur. Sed arcanior illa scientia, in omnibus pene gentibus, a sapientioribus quibusdam custodita est, ne in vulgus efferretur. Huc omnis illa Mythologia, omnia Ægyptiorum Hieroglyphica, tendunt. His enim involucris divini illi thesauri reguntur.

- 19 In *Mathematicis* porro scientiis quid non divini est? Hic numerorum doctrina primum se offert, tota meritis divina vocanda. Quantæ, quam arcanæ numerorum potestates sint, ne in hunc quidem diem satis cognitum est. Quod cum bene nosset Pythagoras, non invenit commodiorem rationem, qua Philosophiæ suæ secreta celaret, & intelligentibus tamen omnia panderet, quam si numeris suis, quos formales recte dixeris, absconderet. Cum enim numeri nominantur, non intelliguntur nisi naturæ occultæ proportionibus, progressibus, operationibus, revolutionibus, a Deo ipso definitæ. Quomodo non difficile admodum est omnia divinæ humanæque sapientiæ mysteria illis adumbrare. Non credat quis temere fieri, sonos septenario, numeros novenario absolvi; atque hinc per easdem ἀνακυκλώσεις in centenariis & millenariis reduci. Illic abstrusarum rerum typi latent, atque iis quasi præfigurantur. In quibus, velut in tenebris, palpitant, qui tamen quasi per nebulas vident, Autores, quorum de numerorum mysteriis integra extant volumina. Ἰσορρέμεια tantum illa sunt, non Φιλοσοφούμενα. Radix & quasi pater omnium numerorum monas est. Prima ex illa surgit dyas, quæ per triada quasi in consonantiam & unitatem reducitur. Hinc illa Τετρακτύς, per quam, ut rem sacram, non sine causa jurabant Pythagoræi. Quinarius iisdem τεροφός, item γόμος dicitur, quod ex binario & ternario, quasi ex femina & mare, conflatus sit. Divinus alius dicitur. Hinc illa πέμπτη φύσις Aristoteli, imo & Platoni & Platonice celebrata.
- 20 Alii πέμπτον σοιχέον, πέμπτον κόσμον, χήμα πέμπτον, ἀριστον σοιχέον appellant. * Septenarium omnium μυσικώτατον esse nemo nescit. * Mirabile est, quod de ejus virtute Fluddius in libro de *Microcosmi historia tr. i. sect. i. lib. i.* consignavit: Ego, inquit, hominem doctissimum novi, qui virtute hujus numeri septenarii, cujusdam quasi oraculi adfidentia, quæstiones dubias atque ancipites resolvere non dubitavit, atque etiam de occultis,
- 22 tam presentibus, quam futuris, quodammodo divinare pollicitus est. * De Geometria idem nobis

nobis dicendum est; nam & numerorum rationes lineæ & corpora sequuntur. Quare & Plato Deo dignum opus habuit, quem ille aiebat perpetuo γεωμετρεῖν. Circuli & trianguli arcana ne nunc quidem omnia exhausta. Quas non cruces mathematicis illa circuli quadratura figit! Et tamen illam rerum hæc universitas quotidie nobis ob oculos ponit. Nimirum ut Deus summus omnium rerum Architectus est, qui numero, pondere & mensura omnia fecit: ita illud ἀρχιτεκτονικόν rebus inferuit, quod iisdem progressibus, eadem motus successione, semper operatur. Hoc perpetuum illud movens, perpetuumque mobile est: in quo inveniendū quam sudant Mathematici! * Optica, quæ radium metitur, in ipsa quidem luce tota occupatur. 23 Sed quamquam illa oculis omnium patet, quamquam ejus beneficio omnia apprehendimus, ejus tamen naturam, nemo tam oculatus est, qui vere indaget. Annon miraculo propius, & propemodum divinum est, per unum punctum omnium rerum ideas cum coloribus ipsis transmitti. Nihil de speculis & telescopiis dicemus, quæ omnia etiam remotissima exhibeant: sunt enim qui dari illa posse existimant: nihil de iis Baptistæ Portæ speculis, quæ recta linea in infinitum urant. * Nam et 24 si impugnant illa multi, rationibus quidem non contemnendis: tamen ut sunt in omnibus propemodum disciplinis quædam θαύματα, quæ non capiunt omnes, neque scire interest; ita & hic fortassis aliqua sibi summus ille Magister reservavit. * Habet Deus quædam, ut ita dicamus, reservata, ad quæ non admittuntur, nisi 25 pauci illi, quos ardens evexit ad æthera virtus. * Sunt in illis præcipua: futurorum 26 prænotio, sive illa a siderum configurationibus, sive aliunde deducatur: * Summi 27 arcani physici cognitio, ac temporum accuratæ rationes, quas ille antiquus dierum ac Pater temporum; arcano consilio, hominibus voluit esse absconditas; etsi sunt nonnunquam, qui ἀπειροκίψου in illa, illo connivente, arcana conati sunt. Versamur in magna illa Dei familia, infantes alii & pueri; alii maturiore in ætate constituti: ubi illis nonnulla scire inutile non solum, sed & periculosum est; hi vero in domestici regiminis societatem nonnunquam admittuntur, ita tamen, ut occultæ rerum dispensationes ad solum Patremfamilias spectent. Ille e singulis scientiis aliquod δαίδαλμα, τέχνημα, magisterium sibi seposuit, quo beat interdum filios, cum cetera illa etiam τοῖς ἕξω concedat.

Qui Medicam artem profitentur, quotidie illud sibi Θεῖον propositum habent. 28 Sive enim corporis structuram oculis rimantur; nihil in illa est, quod non opificis sapientiam loquatur: sive cum morbis illis res est; tot sunt illorum formæ & figuræ, tot in illorum causis recessus, ut sæpe illis in τῷ Θεῷ subsistendum: quod & Hippocrates vidit, & integro libro Hieron. Jordanus exposuit. Testantur hoc prodigiosæ, quas aliqui congesserunt, Historiæ, & super quibus Mericis Casaubonus in libro, Anglica lingua scripto, de credulitate & incredulitate in rebus naturalibus, moralibus & civilibus multa, ipse tamen ἐλγόπιζος, disquirat. Est in ipsis remediis Θεῖον aliquid, quibus, utut efficacissimis, sæpe manum injiciunt fata. Quædam ab imperita & plebeia manu exhibita ultra fidem operantur. Vilia sæpe & contempta gravissimos & lethales morbos averrunt. Est ubi cæli siderumque influxus vires medicamenti auget, suspendit, tollit,

rollit. In medico quoque ipso τὸ θεῖον singularis quædam felicitas adjuncta testatur. Est in mediocriter doctis illa in indagandis morbis remediisque applicandis εὐνοχία, quæ doctissimos interdum destituit. Sunt qui medica vi pollent in morbis per tactum curandis. Quod cum Regibus Galliæ & Angliæ hereditarium creditur munus, fuit tamen in Anglia *Valentinus Greatreak*, qui idem felici successu fecit, ut sunt de ea re multorum fide dignorum hominum perscripta testimonia. Ne quid de viris dicamus, qui precibus a Deo salutem ægrotorum impetrarunt.

- 29 Procedimus ad *Moralem & Civilem* doctrinam: quæ quanquam in negotiis, ab arbitrio hominum pendentibus, consistere videntur, inque eorum principiis nunc adeo fluctuant nonnulli, ut pleraque ἐπιπίπτει illis sint, quæ sancta omnibus esse debebant; sunt tamen in illis æterna, divina, inconcussa, ad quæ hominum actiones ordinandæ sunt, vel si illæ evagantur, in ordinem rediguntur, aut eo diriguntur, potentiore manu, quo divina tendit providentia. Quoniam vero non nisi agendo
- 30 virtutes nobis paramus, in ipsa illa actione τὸ θεῖον se maxime ostendit. * Virtus, quæ Heroica dicitur, divino impulsu excitatur: ac fato sæpe fieri solet, ut ad res magnas gerendas, ad regna firmanda, hostes subigendos, divinitus animentur homines, incredibilia viribusque humanis majora tentantes. * Hinc illæ apud Historicos, cum memorabilia facta describunt, voces: *Deo quodam assidue incitante: quodam quasi instinctu Deorum concitatus fecit: & ἄνευ θεῶν, non sine Deo.* Ipsas in nobis inclinationes, quas sentimus, bono aliquo genio nobis incussas credere possumus: quare nec obniti illis debemus, sed illorum ductum sequi. Eleganter in hanc rem Plutarchus in vita Coriolani: *Homerus in arduis inustatisque rebus, & ad quas impetu quodam animi ac furorẽ quasi divino opus est, Deum proponit: non qui consilium nostrum tollat, sed moveat, neque impetus animo indat, sed visa & imaginationes objiciat, quæ impetuum duces sunt: atque ita sane non involuntariam efficit actionem, sed voluntati initium præbet, eamque spe & confidentia confirmat. Aut enim omnino excludendus est ab omni principio causæ actionum nostrarum Deus: aut quisnam tandem alius sit modus, quo hominum ille actiones adjuvet? non enim corpora nostra effingit, manusque ad id, quod factò opus est, aut pedes applicat: sed eam animi partem, quæ ad agendum est diligendumque nata, principiis quibusdam & visis, cogitationibusque objectis excitat, aut contra avertit & inhibet.* Has in Socrate occultas propensiones, quas ille in rerum agendarum consilium adhibuit, genium illum, de quo multa Plato aliique nobis narrant, fuisse, Cartesius *part. 1. ep. 15.* existimat. Quæ non male dicerentur, nisi ipsa apud Platonem Socratis verba, quibus vocem emisisse Dæmonium significat, aliud restentur. Quod & Strozzius Cigogna, vel potius Thomas Garzonius (is enim verus autor est) in *Magia Theatro part. 1. l. 2. c. 2.* adversus illos affert, qui dæmonium Socratis de mente ejus
- 32 interpretantur. * In Rebuspublicis illæ Politicis celebratæ ἀνακικλώσεις ab uno ad unum redeunt, pulcherrima hujus universi & naturæ imagine: quod in Republ. Romana eleganter demonstravit Machiavellus. Eas mutationum causas rationibus Musicis & Mathematicis Plato *lib. 8. de LL.* deducit. * Quic-

* Quicquid in civilibus negotiis etiam moliantur *δωδεκαμήχανοι*, & versuti homines; intercedit eorum consiliis, ubi minime existimes, Deus, & ad suum arbitrium omnia componit. Non est, quod hic ancilia, ampullas, secures, palladia cœlitus lapsa, vasa Chinenfium ænea Reip. mutationes tinnitu, nullo externo motu incusso, prodentia, in divinitatis probandæ subsidium vocemus. De Geniis tutelaribus, præfagiis, prodigiis, ostentis, non omnia vana sunt Historicorum documenta, quibus divini aliquid subesse res ipsa loquitur. In auspicio Regio quæ non mysteria quæfivit Bœclerus! De annulo ex auro, quod Christo Magi obtulerunt, fabrefacto, qui inter antiqua domus Austriacæ cimelia fuit, Lambecius *Comm. de Bibl. Vindobonensi Tom. 1. part. 1. lib. 1. pag. 25.* prodidit, quod tempore belli insolito fulgore victoriam portendere visus sit: qua de re sententiam cuique liberam esse volumus.

* Miracula Principum, qui desperato corporis vitio laborantes sanitati restituerunt, an vera, an ficta, narrant historici: quibus etsi fraudes nonnunquam immistæ; tamen vel affectata illa a Principibus divina *εὐχέλματα* illius *Θεῖς* opinionem abesse a Republica non debere declarant. Legimus rem Romanam in præcipitio stantem, farorum manu ab interitu sæpe revocatam; quoniam orbis imperium Romæ destitabatur: cui Romulus, vel arcano consilio, vel magica arte, ut quibusdam creditur, prælusit, cum in meditullio urbis fossam, cui mundi nomen, faciendam curaret, inque eam a peregrinis particulam terræ patriæ injiciendam imperaret. * Quoties ab extremo periculo Reges divino quasi monitu revocati! victoriæ tempestarum & procellarum subsidio obtentæ! Genii ipsi in hostes pugnare visi sunt! quibus in rebus qui nullas fato partes tribuit, næ is ad omnes rerum sensus obsurdit, aut omnem bonam mentem ejuravit. Infinita cumulare ex omnium temporum gentiumque annalibus poteramus, si nunc rem illam ageremus. Utinam vir rerum Civilium peritissimus, Bœclerus, qui *Theatrum Fati* scribere voluit, librum illum absolvisset, magnam huic argumento facem accensam videremus. In causis judicandis singularis Principum nonnullorum *εὐσυχία*, quæ vel sapientissimorum Istorum peritiam antevertit, *θεῖον* juridicum nobis ob oculos ponit. Ne quid de divinis in omni gente, etiam barbara, judiciis hic dicamus, quibus explorari rerum, deficientibus testimoniis; vel innocentia, vel culpa consuevit. * In terrarum ac regionum cognitione, quod *θεῖον* geographicum vocabimus, illud deprehendimus: certis temporum periodis, ac fatali quadam lege earum notitiam mortalibus recludi, atque iterum insuperabiles navigantibus obices poni, ut vel improbo labore frustra quærant. Antequam Hispani in Americam Peruvianam venirent, audita e fodinis ad barbaros operarios vox fuit, quæ intactos pro peregrino populo thesauros relinquere iussit. Visæ e loginquo terræ quædam, repellentibus semper ventis, adiri non possunt. Quædam etiam, si fides itinerariis habenda est, detectæ, oculos hominum fugere videntur. * Illius in rebus civilibus *Θεῖς* statua Mercurialis est, & filum quasi Ariadnæum præbet *Historia*. Pulchre S. Augustinus lib. de vera religione cap. 25. *Quoniam divina Providentia non solum singulis hominibus quasi privatim, sed universo generi humano tanquam publice, consulit: quid cum singulis agatur, Deus scit, atque ipsi, cum quibus agitur, sciunt; quid autem agatur in genere humano, per*

Historiam commendari voluit & Prophetiam. Verum, de quo non sine causa Conringius lib. de Civ. prudent. cap. 14. queritur: perquam pauci historici illam diviniorem causam iusta commemoratione prosecqui solent: quidam de industria hoc videntur agere, ut excutiant lectorum animis τὴν Θεῶν curam: quod tamen Machiavellus, minime omnium ceteroquin religiosus, advertere potuerit. * Sed nos tandem manum de hac tabula, ad illum DEI digitum, qui flammeis characteribus sapientiam suam Apostolorum animis inscripsit, intendimus. Inde nos ardentissimis precibus Θεῶν illud, sine quo ἐντελέχεια sua deest scientiis, arcessemus. Sedibus aethereis Spiritus ille venit, qui nos ducet in omnem veritatem & per orbium cœlestium ἐγκυκλοπαιδείων aliquando circumducet. Ille nos Philosophos faciet, sapientiam, quæ hominibus stultitia est, profectos: Mathematicos, qui longitudinem, latitudinem, altitudinem amoris divini metiantur: Politicos, qui πολιτεύματα suum in cœlis quærant: Grammaticos & Oratores, qui aliquando ῥήματα ἀρξήματα intelligant: Poëtas & Musicos, qui τριστάσιον suum cum omnibus beatarum mentium choris insonare nunquam desistant.

C A P. XIII.

DE COLLEGIIS SECRETIS.

- §. 1. Continuatio ad præcedentia. — 2. In gentibus moratioribus collegia occulta fuerunt. 3. Prima in Ægypto talia collegia. 4. Illic literæ Hieroglyphicæ, Fabule. 5. Mensa Isiaca. 6. Orpheus ex Ægypto in Græciam occultiore doctrinam intulit. 7. Lappomum incantationes, an sylvas & feras moveant? 8. Qui de Orphei doctrina egerint? 9. Sacra Eleusinia. 10. Eumolpidarum Collegium. 11. Leges hujus collegii. 12. Samothracum collegium. 13. Collegium Magorum in Persia. 14. Zoroaster. 15. Ejus nomen. 16. Collegium Brachmanum apud Indos. 17. Apollonii Thyanei cum illis conversatio. 18. 19. Honorifica de illo testimonia. 20. Pbotji præcepta de Philostrato judicium. 21. An dolia ventorum & imbrium apud Brachmanes fabulosa sint, neque ulla arte fieri possint. 22. Tempestates per naturalia media an induci possint. 23. Exemplis & rationibus affirmatur. 24. Tempestates superstitiosis artibus discussæ. 25. Translatio corporum an naturali modo possibilis. 26. Mira de fulgidissimo lapide Bononiensi historia. 27. Recentiores de Brachmanibus Scriptores. 28. Collegium Gymnosophistarum, 29. Pythagæorum, 30. Arabum, 31. Maurorum, 32. Collegium Druidum a Meiero male ommissum. 33. Illorum doctrina. 34. Collegium Fraternitatis Rosæ Crucis. 35. Collegii Rosiani historia. 36. Rosii arcana recensentur. 37. Arcana majora. 38. Motus perpetuus rectus. 39. Circularis, igneus, æreus, aqueus, terreus. 40. Ars transmutatoria (1.) citra gradum aureum. 41. (2) Seminaria. 42. (3) Projectiva. 43. Medicina universalis varia. 44. Arcana varia naturalia. 45. Arcana Mathematica. 46. Motus terreus describitur. 47. Machina cœlestis per se mobilis. 48. Arcana circa rem rusticam. 49. Ar-

49. Arca Piscis. 50. Varia mechanica. 51. Occulta collegia natura arcanis indagandis occupata.

Post Bibliothecas & libros de COLLEGIIS & MUSEIS quædam differ-
tabimus. Illa enim Bibliothecis celebrioribus plerumque juncta fuere. Cui
bono horrea & messes sine colonis? Collegia Bibliothecis indigent. Hæ
quoque sine lectoribus inutiles. Fuere in omnibus gentibus moratoribus
publici virorum sapientum conventus, qui in commune de rebus naturalibus, arti-
bus, omnique studiorum genere, conferrent. Ac quoniam in doctrinis quædam
ad popularem usum referenda, quædam etiam secretiora sunt, non omnibus, ob
eorum abusum aliasque rationes, propalanda, ideoque & publica & secreta quædam
Collegia fuere. De his primum dicemus.

Secretior Philosophorum in nationibus plerisque moratoribus suas sibi res habuit, 2
magnaque sollicitudine hinc profanum vulgus arcebat: quare ænigmatibus, fa-
bulis, hieroglyphicis, Deorum nominibus tota involuta est, unde postea idololatria
ad populum derivata, qui rerum sacrarum non intelligens in superficie hærebat.
* MICHAEL MEIERUS, Holsatus, Vir doctissimus, in Tractatu Apologetico pro 3
Fratribus Rosæ Crucis, c. 5. variarum nationum Collegia secreta recenset, inque
his primum locum merito *Ægyptiis* tribuit: hic enim omnium fabularum patria
fuit, quibus Græci *αἰεὶ παιῖδες*, ut pueri nucibus lusitantes, se delectabant; nucleum
vero pauci invenerunt. Major vero hic antiquioribus Collegiis reverentia, ubi
in naturæ secreta magis inquisitum est, quam in recentioribus illis. Quanquam ta-
men & illi de iis rebus solliciti fuerunt. Antiquissima illa fuere, quibus Moises ad
omnem sapientiam imbutus fuit. Celeberrimum & antiquissimum collegium fuit
Thebis, ubi Strabo observat, Sacerdotes plurimum vacasse Astronomiæ & Philoso-
phiæ. Habuit & *Memphis* collegium. Qui in his rei literariæ præerant, vocaban-
tur *ἱερογραμματεῖς*, qui & libros Mercurii interpretabantur, & Hieroglyphicas li-
teras, Cosmographiam, Geographiam, res cælestes. De his Sacerdotibus legen-
dus est Clemens Alexandrinus *Strom. l. 6.* Chæremon apud Porphyri. *l. 4. de absti-*
nentia ait, τὸ μὲν κατ' ἀλήθειαν φιλοσοφῆν ἐν τε προφήταις ἢ καὶ ἱεροσοφίαις καὶ ἱερο-
γραμματεῦσι. * De occultis Ægyptiorum doctrinæ, sub fabulis & hieroglyphicis 4
reconditæ, legendus est libro citato Meierus, & in altero de arcanis arcanissimis.
* Illa *Mense Isaca* symbola aliaque hieroglyphica satis testantur de occultis sensi- 5
bus, essi, qui hætenus immanibus libris indagare voluerunt, operæ pretium non
fecerunt. De Privilegiis Collegii Sacerdotum Diodorus Siculus & ex eo præ-
cipue Otto Heurnius in Chaldaico suo p. 42. & sqq. De variis Ægyptiorum do-
ctrinis earumque perfectione legendus Borrichius in *Vindic. Hermetis*: ubi illa
plena manu seruntur.

Ex Ægypto Orpheus mysteria in Græciam intulit, ut Diodorus Sic. *lib. 4. te-* 6
statur: *Orpheus in Ægyptum profectus multa ibi didicit, ita ut tam initiationibus &*
Theo-

- Theologia, quam Poësi & Melodia esset Græcorum præstantissimus.* Idem lib. 1. refert, quod ex Ægypto asportarit plerosque mysteriorum ritus, & Orgia Bacchi, & Mythologiam de inferis. Et, ut ex ipso Diodoro discimus, initia Osiridis eadem sunt, quæ Bacchi; & Isis simillima sunt istis Cereris, nominibus tantum differentibus.
- 7 * Circa Orphei operationes magicas, quæ de illo circumferuntur, in ferarum & arborum tractu per cantum, mihi incidit, quod apud Balbin. in *Miscellaneous Historicis regni Bohemia* l. 13. c. 12. §. 3. legi, Jacobum Typotium, dum in Finlandia versaretur, comperisse: incantationibus Lapponum feras cicurari, terram & arbuſta moveri, rerum naturam universam percelli. Quæ quidem de Lapponibus in hujus generis historia legere me non memini: etsi non negem, multas esse apud hanc gentem etiam Magiæ Orientalis reliquias.
- 8 * De Orphei antiquissima Philosophia & Theologia Johannes Franciscus Grandis, Vir eruditissimus, integrum tractatum conscripsit, quo accuratissime veterum illam doctrinam complexum se esse dicit: Franciscum Patricium & Augustinum Steuchum primoribus tantum labris degustasse ait, in Præfatione Dissertationum suarum Philologicarum. Sed librum illum non editum fuisse suspicor: Hactenus enim videre non licuit. * Verum & ante Orphei adventum in Græciam fuere coloniae Ægyptiorum in Græcos deductæ. Venit Athenas Erichtheus, Ægyptius, quem regem fecerunt Athenienses ob frugum copiam famis tempore illatam. Atque ab illo *Eleusinia sacra* instituta, in honorem Cereris, ut illa apud Ægyptios in honorem Isis, quæ non differre
- 9 ritibus, ait Diodorus Siculus lib. 1. c. 29. * Nam, referente Pausania in *Aræad.* cum Eumolpus Thrax Eleusiniis auxilia attulit contra Erichtheum, pax tandem inita, ut Eumolpus sacra faceret Cereri & Proserpinæ. Hinc Eumolpidæ postea sacrorum præfides fuere. Sed Androtion Scholiastes in *Sophocl. Oedip.* scripsit. Eumolpum tertium primum mysteria obivisse & fuisse antistitem; cui tamen contrarium tradit Homerus & marmor antiquum a Marshamo in *Can. Chron. Ægypt.* p. 252. & p. 261. productum. Hoc illud EUMOLPIDARUM celeberrimum COLLEGIUM; de cujus Mysteriis Clem. Alexandr. *Ström.* l. 5. Naturæ arcana hic doceri, testatur Seneca, *Nat. question. lib. 7. c. 31.* *Eleusis servat, quod ostendat revisentibus. Rerum natura sacra sua non simul tradit.* & *Epist. 90.* *Hæc ejus initiamenta sunt, per quæ non municipale sacrum, sed ingens omnium Deorum templum, mundus iste, referatur: cujus vera simulacra verasque facies cernendas mentibus protulit.* Nam ad spectacula tam magna hebes visus est. Multa per autores sparsa de hujus Collegii sacris in unum collegit Marshamus, libro laudato, pag. 259. & multis sequentibus. Unde facile apparet intelligentibus, quænam hic naturæ mysteria recondantur. * *Leges hujus collegii* complexus est
- 11 loc. cit. Michael Meierus. 1. Ut singulis annis certo die conventus fieret initiatorum. 2. Ut Eumolpidæ semper ibi sacerdotes haberentur & sacrorum præfides. 3. Ut castissimæ vitæ, vitiis immaculatæ reciperentur in societatem illam, tam feminæ, quam viri. Hinc nec Imperatores postea initiari volentes admissi sunt, si vitiis essent contaminati. 4. Ut perpetuo silentio arcana ibi celebrata involverentur, juramentis præstitis. Hinc nihil in orbe secretius, quam Eleusinia sacra habitum fuit. 5. Ut die conventus sacro quatuor figuræ pro ceremoniis portarentur, nempe;

nempe; Dei creatoris ab Antistite Hierophante; Solis a facifero; Lunæ a ministro ad aram, & Mercurii a præcone sacrorum. Habuit autem Antistes Eumolpida auream clavem, linguæ adaptatam, silentii notam. E quatuor figuris & ex cantilena illa allegorica, de Dracone, Tauri parente, & Tauro, Draconis parente, aliisque, quæ hic prolixè adducit Mejerus, facile de arcanis ipsis institui conjectura intelligentibus potest.

Nominatur inter sacra illa collegia a Meiero quoque SAMOTHRACUM COLLEGIUM, qui Cabirorum Deorum mysteriis celeberrimi fuerunt, de quibus Diodorus Sic. lib. 5. qui ipsum Cadmum Samothraciam appulisse refert, & perceptis mysteriis uxorem duxisse Harmoniam, Jasonis sororem. Initiati ex illis credebantur Deos habere in periculis præsentissimos, & ipsos fieri sanctiores & justiores. Ideo Heroës veteres & Semidei illustrissimi ritibus istis imbuti sunt, Jason, Castor & Pollux, Hercules, Orpheus. Tarquinus, Demarathi Corinthii filius, Samothracius religionibus mystice imbutus est, teste Macrobio Saturnal. l. 3. c. 4. Cabiros, ut Meierus hoc explicat, abstrusum sonat, & *Sathrax* seu *Samothrax* Deum incognitum apud Hebræos. Deorum nomina, quos initiatis nominare nefas erat, hæc fuere. Axioerus, Axioerus, Axiocersa, Axiocersus. Axioerus autem Ceres, Axiocersa Proserpina, Axiocersus Pluto dicebatur; quibus quartus addebatur, Casmilus, qui Mercurius erat: quæ omnia, quomodo ad sacrum opus applicari debeant, ostendit Meierus.

COLLEGIUM MAGORUM in Persia per omnem antiquitatem celebratissimum est. Ab illis Magiæ nomen omnis occulta sapientia adepta est: ad quam cognoscendam Pythagoras, Empedocles, Plato & alii navigarunt; quam reversi, ut Plin. lib. 30. ait, in arcanis habuere. * Ejus autor Zoroaster habetur, de quo jam antea ejusque scriptis aliqua dicta sunt. * De Zoroastri nomine eleganter Menagius in Laërtii proœmium commentatur. Significat Astrorum contemplatorem. *Ester* enim Persis significat astrum; *Schur* Hebræis est contemplari: unde Zoroaster componitur. Illud vero Persarum *Ester* nihil aliud est, quam Germanorum, Belgarum, Anglorum, *Stern*, *Sterr*, *Starr*. Diogenes Laërtius ἀστροδύτης astrorum sacrificium interpretatus est; Bochartus *Geograph. sacr. lib. 4. c. 1.* ingeniosè ἀστροδέατην legendum esse suspicatur. Illa doctrina postea semper apud Persas viguit, potissimumque Assyrios, qui Chaldæi dicuntur, quorum Babylonix per multa secula collegium fuit, cum quibus Apollonius quoque Thyaneus conversatus fuit.

Fuit & apud Indos BRACHMANUM COLLEGIUM toto orbe decantatissimum. De Brachmanibus, vel Braminibus, quos ab Abrahamo deducit Postellus, supra plura diximus. Eos occultæ doctrinæ custodes fuisse, omnia, quæ de illis dicuntur, declarant. In his, quanquam multa fabulosa habentur, non sunt tamen omnia illa mendaciis accensenda. Ita fieri in rebus arcanis solet, ut, quæ ignota sunt, multis additamentis a credulis exaggerentur, a contemptoribus aliis commentis ultra fidem in risum vertantur. In his media via semper tenenda sapientioribus

- est: semper cogitandum, multa esse naturæ arcana, quæ vel sapientissimis incredi-
- 17 bilia videbuntur. * Sola illa *Apollonii Thyanai vita*, quam Philostratus reliquit, multa nobis mirabilia de his Indiæ sapientibus tradidit. Quæ etsi sciam, a Gabriele Naudæo in *Apologia hominum, Magiæ insinulatorum*, pro confictis haberi, neque adeo in omnibus ab illo dissentiam, non satis tamen ab illo probari putaverim, in invidiam Salvatori nostro conflandam hæc excogitata. * Superfunt Parrum ipsorum testimonia, qui honorifice de Apollonio sentiunt; & e simili olim schola venisse primos illos Christi cultores novimus, occulto impulsu motos, & tanti mysterii, si fas ita loqui est, conscios. Quod si aliqui calumniatores his similibusque exemplis abusi fuerunt, ad divinam Christi majestatem imminuendam, id ad illorum potius malitiam, quam ad innocentes referendum est. Mirifice in Apollonii laudes effunditur Flavius Vopiscus in *vita Divi Aureliani cap. 24.* ubi de apparitione Apollonii, Aureliano civitatem Thyanam everfuro facta, narrat: vocat eum celeberrimæ famæ autoritatisque sapientem, veterem philosophum, amicū verum Deorum, subjicitquæ hæc suæ narrationi: *Hæc ego a gravioribus viris comperi, & in Ulpia bibliothecæ libris relegi, & pro majestate Apollonii magis credidi. Quid enim illo viro sanctius, venerabilius, antiquius, diviniusque inter homines fuit? mortuis vitam reddidit: ille multa ultra homines & fecit & dixit: quæ qui velit nosse, Græcos legat libros, qui de ejus vita conscripti sunt. Ipse autem, si vita suppetat, atque ipsius viri favori usquequaque placuerit, breviter saltem tanta viri facta in literas mittam: non, quo illius viri gesta munere mei sermonis indigeant; sed ut ea, quæ miranda sunt, omnium voce prædicentur.* De Alexandro Severo Lampridius memorat, illum in larario privato coluisse sanctiores animas, Christum,
- 19 Abrahamum, Orpheam, Apollonium. * Photius vitam ejus, a Philostrato descriptam, recenset *Cod. 44.* ut & uberius *Cod. 241.* Philostratus ipse moratam ipsi vitam tribuit. Mirificum, ait, fuisse contemptorem divitiarum, ut & suas ipse possessiones germano fratri aliisque sponte concesserit, & a nemine potentiorum pecunias acceperit, quantumvis illi multa merenti obruderent. Negat Philostratus, fuisse præstigiatores, sed per vitæ puritatem & per philosophiam omnia dicit præstitisse.
- 20 * Ridet vero, ut absurda, Photius, quæ de Indis Philosophis narrat Philostratus: dolia apud istos plena imbrum & ventorum, quibus datum sit regionem complere in imbrum penuria, iterumque discussis imbribus siccare, dum alternis aquam ventumque e dolis suppedient. *His similia, ait Photius, dementia plena & alia plurima prodigiose confingit.* * Sed mallet ego in istis suspenderit judicium Photius, cui nulla quidem suspicio occultiorum naturæ operationum fuit. Qui in his nullum gustum habent, facile omnia pro præstigiis & imposturis habent. * Ego quidem temere falsitatis arguere nolim, quæ hic tradit Philostratus. Non est adeo absurdum, dari posse naturas summe humidas, summeque flatulentas, quæ fortassis arte secretiore chemica ita præparari possint, ut fermentum aliquod magnæ massæ elementari præferre queant. Atque hæc aliquo subjecto naturali concludi possunt, aliis quibusdam appositis eliciendæ. Multæ latent in corporibus affectiones mirabiles, quæ non nisi
- 23 per *συνδυάσιν* inde educuntur. * Acus ferrea se ad septentrionem convertit; sed
- tum

Num demum, si magnete illinatur: quod, etsi tritum est, est tamen admirabile, nec
 ullo humano ingenio indagandum. Quas non effervescentias salium & sulphu-
 rum mistiones parant? An non nitri sulphurisque conjunctione excitari imma-
 nes concussiones & plus, quam tempestates possunt? Hæc suo tempore Photius
 non credidisset. Videmus conclusos lacus, mineralibus sine dubio turgidos, si la-
 pide injecto moveantur; fermentatione momentanea in vapores, hos in imbres, ro-
 nitrua, ventos resolvi. Nilo circa solstitium æstivum nubecula tenuis nitrosa ro-
 scida incumbit, ut Chambræus observat, quæ æstuarè totum & per omnes agros
 diffluere facit. De fluvio Bohemiæ Wodolanka observat Balbinus in *Miscellaneis
 Historicis regni Bohemiæ lib. 1. c. 28.* rusticos, quoties sideratio aliqua agris siccitatem
 invexerit, aquam hanc haurire cerratim, ac in fontes & puteos suos, qui exaruis-
 sent, infundere; certamque eo pacto sperare pluviam, nec spe falli. Addit iudicium
 suum. Balbinus: *Possunt obcæcata ariditate fontium vene quodammodo reparari, possunt
 halitus & humida quadam effluvia concitari, possunt aqueo magnetismo nubes attrahi.*
 Quodsi ergo spiritosa quædam talis substantia in natura latitat, ut illa exempla
 innuunt, quid vetat, illam vase per artificium concludere, & fermenti instar
 in aërem immittere? quemadmodum ex tenui nubecula, quæ monti *Tafelberg* di-
 cto in Promontorio bonæ spei imminet, & ob exiguitatem & similitudinem *ocu-
 lus tauri* dici solet, in fermentum & insanas tempestates totius aëris vicinia conjici-
 tur. Narravit mihi amicus, Italum ab Hungaro quodam edoctum procellas, cum
 veller, excitasse. De Empedocle etiam memoratur, illum magia naturali adeo
 polluisse, ut ventos, quoties veller, excitaret salubres, dispelleret pestilentes. Me-
 morabile est, quod de vorticibus illis aëris ex mari provenientiibus memoratur,
 illos cultro in crucem secto diffindi posse, sed additis sacris ex Joannis Evangelio
 verbis, qui abusus tamen insignis est. Testatur hoc Thevenotius in *Itinerarii
 sui parte 2. lib. 4. c. 3.* Stephanus Lusignanus in descriptione Cypri memorat, a
 Famagusta interitum hoc modo quosdam Batavos avertisse. De eo Helmon-
 tius in Tractatu, qui inscribitur *Blas meteorum.* * Henricus Mundt in libro de 24
aëre vitali cap. 13. alia superstitione tempestates compressas narrat. * Porro, quod 25
 in pluribus locis uno tempore visus sit Apollonius; in memoriam mihi revo-
 cant Trithemii Abbatis, magni in arte Chémica mystæ, verba, qui in quodam
 scripto Germanico expresse testatur, beneficio arcani summi Physici, sed in
 celestem plane naturam redacti, fieri illam translationem corporum posse:
 * ubi simul mirabilis istius lapidis, quem ego arte factum & hunc ipsum fuisse 26
 suspicor, historia animo obversatur; Regi Galliæ Henrico II. per ignotum ali-
 quem Barbarum oblatus. Illam quidem narrat Thuanus, in prima illa editione mi-
 nori Parisina *part. 1. lib. 5. pag. 453.* reperitur & in Francofurtensi prima in fol. altera-
 que octavæ formæ *lib. 6. pag. ibi 217. hic. 286.* sed in ceteris editionibus verba illa, ne-
 scio quam ob causam, sublata. Pipinus, ad cujus testimonium provocat Thuanus,
 de eo ita ad Mizaldum scribit: *Nuper ex India Orientali Regi nostro allatum hic
 vidimus lapidem, lumine & fulgore mirabiliter coruscantem; quique totus veluti ar-
 dens & incensus incredibili lucis splendore præfulget micatque.* Is jactis quoquo ver-
 sus

sus radiis ambientem circumquaque aërem luce, nullis oculis fere tolerabili, latissime complet. Est etiam, (quod bene notari velim,) terra impatientissimus, si cooperiri coneris, sua sponte & vi, facto impetu, confestim evolat in sublime. Contineri vero includeve loco nullo angusto nulla potest hominum arte, sed ampla liberaque loca duntaxat amare videtur. Summa in eo paritas, summus nitor: nulla sorde aut labe coinquinatur. Figuræ species nulla ei certa, sed inconstans & momento commutabilis: cumque sit aspectu longe pulcherrimus, contrectari sese tamen non sinit, & si diutius adnitaris, vel obstinatius agas, incommodum affert: sicuti multi suo non levi malo, me presente, sunt experti. Quod si quid fortassis ex eo enixius conando adimitur, aut detrahitur: nam durus admodum non est; sit, dictu mirum, nihilo minor. Hæc Phipinus, quæ miranda sunt; & si rem accuratius pensitare velimus, nulli subjecto in natura rectius, quam summo huic arcano, conveniunt. Dixit Barbarus, ad plurimas res summe esse utilem, quod tamen non, nisi ingenti pretio, manifestare voluit. Inprimis illa evolutio in sublime memorabilis est, & hoc translationis arcanum, si quod in natura est, continere videtur. Quod beneficio sagittæ aureæ Abaridis Pythagoras idem effecerit, in historia vitæ ejus refertur. In perpetuo mobili inveniendo multæ sunt Chymicorum curæ, quo invento non admodum difficilis illa corporum translatio foret, ut Johan. Wilkins in *Magia sua Mathematica* 27-lib. 2. c. 9. quoque colligit. * Sed nos missis illis, quæ suavibus somniis simillima nonnullis videbuntur, ad Brachmanes nostros redimus: quorum antiquitas ut multa fama fuit, ita nostro tempore plane evuluit. Palladii de iis relatio, quam cum Ambrosii & Anonymi cujusdam ex Bibliotheca Regia in lucem edidit Edoardus Bissæus Londin. 1665. nihil adeo memorabile continet, nec Abrahami Rogeri Janua aperta ad Gentilismum occultum, primum Belgica, nunc Germanica lingua, cum notis Christophori Arnoldi, edita: ubi monstris & ineptis fabulis referta omnia, nisi quod interdum veteris Philosophiæ scintillæ perluceant. Veterum Brachamanum doctrinæ, & de quibus illi cum Apollonio colloquia instituerunt, aqua auri, lapis Pantaurea, Gryphi aurum effodientes, Phœnix, & similia alia, satis per se produnt, quid intelligi his velint.

28. COLLEGIUM GYMNOSOPHISTARUM quoque arcanum in Æthiopia fuit, qui ultra Memnonis regionem in eminentiore colle habitabant. Etiam hos adiit Apollonius, cum illis de rerum natura & arcanis disputans, quibus tamen Indos potiores in omni philosophiæ genere habuit. Cetera, quæ forte fuere Collegia, Ægyptiis tamen & Persis vel Chaldæis suam doctrinam debent: ab Ægyptiis enim propagata omnia fuere. * COLLEGIUM PYTHAGOREORUM in magna Græcia, sive Italia ulteriore, fuit, de cujus Philosophia in hunc usque diem non omnia satis explorata. Quantum tamen ex reliquiis ejus constat, collegit Jamblichus in *libro de vita Pythagoræ*, cujus aliquos libros, sed vitiose, edidit Arcerius; plures libri in Bibliotheca Holsteniana restabant, ut supra memoravimus: Omnium, si recte memini, plenam & emendatam editionem, cumque notis, pollicitus est Thomas Gale. Illud Pythagoræ aureum femur, silentium quinquennale, mysteria singularia hic latuisse ostendunt. Verum de
illis

illis plura dicemus in *Polyhistoro Philosophico*, quæ nunc præmittimus. * COLLE- 30
GIA ARABUM, quæ antiquitus fuerint, non satis constat. Illud ex confessione Fra-
trum Rosæ Crucis constat, civitatem apud Arabes *Damear* fuisse, solis sapientibus
habitata; a quibus primus autor Fraternalitatis Rosæ Crucis honorifice acceptus
fuerit. * Ibidem quoque COLLEGII MAURORUM, quod Fessæ est, mentio fit, 31
ubi diligentissima instituat arcanorum naturæ indagatio. Legi de eo potest Jo-
annes Leo Africanus in descriptione Africae: cujus & de scriptoribus Arabicis ma-
nuscriptus liber est, unde aliqua excerptit Hottingerus in Bibliothecar. quadri-
partito.

Quæ modo enumeravimus secretiora collegia, etiam a Michaële Meiero in li- 32
bro supra notato recensentur; miror tamen, ab eo præmissum DRUIDUM COL-
LEGIUM, quod ad Germanos propius pertinet, & ceteros etiam, si Postellum au-
dimus, antiquitate vincit. * Non hic rem omnem proponemus, sed posteriora ad 33
Dissertationem *de Germanorum meritis literariis* referemus. Illud tantum dicturi su-
mus, ejusdem generis fuisse doctrinas, quas docuerunt Druides, & quas veteres Æ-
gyptii, Magi, Chaldæi. Pari certe cum illis ætate sunt, si non majori. Postello
sane iudice *libr. de Etrur. Origine p. 233.* Druidarum doctrina in toto Occidente flo-
ruit, ante ullam inter Babylonios ac Græcos publicam literarum memoriã. Mul-
ta hanc antiquitatem confirmare videntur, de quibus in dicta dissertatione plenius.
Fuere Druides Celtarum, quibus tam Galli, quam Germani continebantur, Philo-
sophi, unde quasi coloniæ etiam in alias gentes missæ. Capita ejus Philosophiæ ea-
dem, quæ veterum collegiorum, fuerunt, Theologia & Philosophia occultior.
Theologia illis consistebat in rerum divinarum contemplatione, & in voluntatis di-
vinæ interpretatione per varia signa, cælestia, aërea. Diodorus Siculus *lib. 5. cap. 31.*
vocat illos *Θεολόγους καὶ τῆς θεῖας φύσεως ἐμπειροῦς*, *Theologos & divina natura conscios.*
Sacer illis cultus purissimus fuit sub dio, nullum illis vel templum, vel idolum, ani-
mæ immortales habebantur: atque ex eorum schola fluxisse viderur, quod de Mar-
comannis ait Appianus in Celtis, habuisse illos spem resurrectionis. Pietatis quo-
que indicium est, summum apud eos pœnæ genus fuisse, sacris interdiceret. Naturæ
secretioris fuit illis cognitio, unde Plinius *Hist. nat. lib. 30. cap. 1.* eos vocat Vates Me-
dicosque. Ammianus Marcellinus *lib. 15.* summa & sublimia naturæ pandere ait:
Mela lib. 3. cap. 1. motuum cæli ac siderum peritos ait. - Aquam statuerunt omnium
rerum principium. Hinc eam sponsæ in nuptiis sponsis tradebant. Aurea ipsis
erant gestamina, collo torques, manibus, & brachiis murenulæ. Viscum e quercu
prognatum summa religione colligebant, non sine sacrificiis & hymnis, qui mos ve-
rustissimus. Ac præterea symbolica illa magni operis philosophici effigies est, cu-
jus illos fuisse conscios, vel ex eo colligas, quod doctrinam suam literis compre-
hendi veruerunt, ne in vulgus efferretur. In omnibus enim Collegiis Harpocratis
sigillo arcana eorum doctrina obsignata fuit. Dogmata eorum e variis Historicis
collegit Otto Heurnius in *Antiquitatibus Philosophiæ Barbaricæ lib. 2. cap. 33.* For-
tassis & Janus Cæcilius Frey in libro, cui titulus *Philosophia Druidum*, qui in 8. Paris. 1646.
prodiit, historiam eorum plenius proposuit, quem tamen videre hæcenus non licuit.

- 34 Fuere non prisca tantum seculis collegia talia occulta; sed & superiori seculo de FRATERNITATE ROSEÆ CRUCIS fama percubuit. Editi sunt de illorum dogmatibus & doctrina Theologica libelli Germanica lingua, qui multum strepitus ubique excitaverunt. Fuere, qui totam rem pro impostura habuere, aliqui scriptis Apologeticis in lucem missis defenderunt. Literæ a multis ad illos scriptæ, publicisque typis impressæ, sub spe arcani alicujus indagandi. In Germania Vir doctissimus Michaël Meierus causam illorum publico scripto egit, cui titulus: *Silentium post clamores, h. e. Tractatus Apologeticus, quo causæ non solum clamorum, seu Revelationum Fraternalitatis Germanicæ de R. C. sed & silentii, seu non redditæ ad singulorum vota responsionis, una cum malevolorum refutatione, traduntur & demonstrantur.* Ubi multa etiam historica de hac societate occurrunt. Scripsit & Robertus Fluddius defensionem hujus societatis, & Johannes Heidon Anglica lingua varios de Fratrum Rosæ crucis doctrina tractatus edidit, inter quos hoc titulo unus est: *Infalibilia axiomata Fratrum Rosæ Crucis, cognoscendi præteritæ, præsentis & futuræ.* Non agitur hoc libro, nisi de mirabili vi & potestate numerorum, quibus evocentur genii, & alia occulta in natura perficiantur. Sed pleraque ex illis sunt e scriptoribus de mysteriis numerorum congesta.
- 35 Anno hujus seculi trigesimo fama quoque COLLEGII cujusdam ROSIANI, per quendam Petrum Mormium divulgata, libello Lugd. Batav. impresso, cui titulus: *Arcana totius nature secretissima, nec hætenus unquam detecta, a Collegio Rosiano in lucem produntur, opera Petri Mormii.* Occasionem hujus libelli & notitiam Collegii hujus in libello ipso tradit Autor: Collegium hoc institutum fuit circa Delphinatus confinia a viro quodam ROSIO, cui se parem ingenio sub sole nec vidisse, nec audivisse, ait Mormius, qui ex Hispania in Galliam rediens, quanquam sacræ Theologiæ Doctor Philosophiæque publicus Professor, nec obscura profapia oriundus, obscuro hujus Collegii rumore incitatus, ad locum illum pertendit, supplexque fenem ROSIUM rogavit, ut se societati suæ adscribere dignaretur. Sed frustra: Collegium enim ejus cum tribus tantum constaret discipulis, viris nobilissimis, noluit quarto arcana sua revelare, eique extero. * Exoravit tandem Mormius, ut, si non ut discipulum, saltem ut famulum se susciperet, quod tandem impetravit, atque illo tempore multa ex eo arcana didicit. Concesserat quoque illi Rosius, ut in utilitatem provinciarum fœderatarum converteret; quare Hagam concessit, ac illustrissimis Ordinibus multa proposuit, a quibus non auditus, pecunia interim deficientem, arcanorum titulo publico hoc libello divulgavit, si quis esset e Magnatibus aut Ordinibus, qui auctori sumptus ad experimenta faciendâ suppeditaret. * Tria sunt arcana majora Rosii, quibus homo nil majus desiderare posset, videlicet *motus perpetuus, ars transmutatoria, medicina universalis.*
- 36 * *Motus perpetuus* aut est rectus, aut circularis, aut compositus ex ambobus. Motum perpetuum rectum, etsi per septuaginta annos illi insudaverit, Rosius non perfecit, forte quod noluerit Deus, judicio Mormii, hominem mortalem in arca, etiam decem hominum millia continente, sine ullo labore ascendere supra corpus lunæ, solem stellasque fixas, ac quatuor plus minus spatium dierum ab oriente ad occasum pervolare, aut utrumque polum mundi permeare, & velocius ave-
- 37 rapi-

Rapidissime volante in contrarios ventos pervehi: quo motu recto homo quatuor
 dierum spatio utrosque permeare polos possit. Nam, cum in illo vacuo nulla detur
 corporis objectio, quæ cursum retardet: tanta talem arcem velocitate ferri posse existi-
 mat, qua flammulas æthereas æstate serena rapi videmus. Hoc suo conatu quan-
 quam excidit Rosius, ut sane ipsa ratio vix admittere videtur; artem tamen ipsam
 celavit, secundum quam procedere debet, qui tali arcæ fabricandæ operam dare vel-
 let; ne fortasse aliquis, ipso ingenio felicior, ea mediante efficeret, quod hætenus
 ipse non potuit, qui omne genus hominum per universum orbem torquere, leges
 juraque immutare aut evertere posset: quale malum quoque a suo invento metuit
 Franciscus Lana in libro Italico, cui titulus: *Prodromo all' arte maestra cap. 6.* quo per
 globos cupreos, aëre evacuato, naviculam velis & remis instructam in altum tolli
 posse existimat, inductus falso quodam de aëris & aquæ analogica gravitate præju-
 dicio; cujus inventi possibilitatem tamen ingeniosissimus Sturmius concedere visus
 est. Motus ex recto & circulari compositus, quò tamen in altitudinem tantum mon-
 tium tolli posset homo, Rosio negatus fuit. * Motum tamen perpetuum circula- 39
 rem quadruplicem Rosius invenit, quæ corpora annexa moveat lateraliter aut cir-
 culariter, non tamen eis tollat gravitatem: ut 1. motum igneum, quo fax accensa, ac
 rotæ imposita, se ipsam, & rotam, & omne impositum, movet. 2. Motum aëreum,
 per molendinum veliferum, quo vel intra domesticos parietes, aër se ipsum exagi-
 tans, etsi clausus, rotas trahat & circumagat, æternò ordine: quo uti possunt, qui ter-
 ras submersas aquis sicari, aut agros fertilitatis gratia aquis rigare, aut frumentum
 molere volent. 3. Motum aqueum, quo aqua ascendens & descendens non solum se-
 ipsam sursum refert, sed & corpora annexa circumducit. 4. Motum terreum, quem
 ceteris excellentior docet Mormius, quo naves in mari grandes & onustæ in con-
 trarios ventos cogi possint, tanta celeritate, ut triremes ventis secundis cursu longe præ-
 vertant, nulla hominis opera, dummodo gubernaculo regantur. Eiusdem quoque
 in curribus super terram usus est. * Secundum arcanum Rosianum est *ars transmu-* 40
tatoria, & quidem I. *citra gradum aureum*, ubi est 1. transmutatio metallorum primi
 gradus, sub quo tria, mercurius, stibium, bismutum; & secundi, sub quo plumbum,
 stannum, ferrum; & tertii, sub quo chalybs, cuprum, argentum: quas artes Rosius
 Mormium non docuit. 2. Mercurium coagulare trium horarum spatio in metallum
 nobilissimum, colore inferius quidem auro, sed accedens ei tamen, pondere æquali,
 ignibus resistens, malleabile atque ductile: ex quo aurum perfectissimum postmodum,
 aquis fortibus mediantibus, Rosius dividit. 3. Stibium in regulum mutare, etiam sine
 sale petrae, ita, ut quadrantis horæ spatio tertia pars reguli ex una libra dividatur. 4. Ex
 ferro chalybem facere; ita, ut per singulas hebdomadas decem mille libræ ferri in
 optimum chalybem convertantur, unius viri opera, qui uno die omnes necessarias ex-
 truit fornaces, trium florenorum expensis, ac pretio quatuor florenorum cum dimi-
 lio mille pondo verit. 5. Ex cupro non exiguam quantitatem optimi argenti sale quo-
 dam examinato producere. * II. *Ars transmutatoria seminaria* est. 1. Seminaria 41
 imperfecti metalli in perfectius, quæ inutilis est, soli serviens curiositati. 2. Seminaria
 perfectioris in imperfectius, tam citra gradum aureum, quam intra, e. g. si semi-

netur aurum, vegetabile factum, seu elevatum arte spagirica, in naturam feminis solaris, convertit terram, seu metallum inferius, terram factum, per decoctionem spagiricam, in quam seminatum est, in suam naturam auream. 3. Seminaria ejusdem in seipsum, ut, cum sol, factus vegetabilis, seminatur in solem, aut imbibitur sole, ut augeatur virtus ejus a decimo gradu fortitudinis feminariæ ad centesimum: ita, ut granum unum, quod prius pollebat potestate tantum in unicum granum terræ, jam polleat, potentius factum, in decem. Ad hanc seminariam tria requirit: terram, semen, vinculum, seu instrumentum, quo terra impinguatur, ut sit pingue pabulum semini feminando, & semen virtutem accipiat vegetandi. De his tribus arcana tenet Rosius. 1. De vinculo & Mercurio, sex hebdomadarum tempore minimis expensis dividit tria elementa: quorum primum aëreum, quo nil dulcius; secundum terreum summe amarum, quo nil amarius; tertium aqueum, quo nil insipidius: ut mirum sit, corpus unum tam discrepantibus componi corporibus, quæ paucis hebdomadibus iterum fiunt unum, dum dicta dulcedo, quæ spiritus est philosophorum, & amaritudo, quæ anima, in corpus insipidum regredientes, ipsum potentius animant, quam antea: ut sicut antea unum erant, jam redeant in unum. Hunc spiritum & animam vocat Mormius rorem Maji, acetum philosophorum, lac virginis, succum lunariæ; his solvi, ait, corpora in suam materiam primam, ut fiant metalla pulvis impalpabilis sine igne flammeo. v. g. dum sol ita solvitur, ut fiat ignibile violentius pulvere sulphureo. 3. De semine hoc arcanum est, quod ex eodem pulvere, conficiatur ipsum. * III. *Transmutatoria projectiva* est plenior & perfectior, cum in momento faciat, quod seminaria temporis successu; differt a seminaria, quod hæc transmutat per modum vegetationis, veluti dum semen frumenti transmutat terram, aquam, aërem in se; projectiva vero transmutat vel per vim medicam, si agatur de perfectiori metallo in imperfectius projiciendo; vel per vim infectivam si contra agatur. Quodsi metallum perfectum projiciatur in imperfectius, sanat illius lepram & morbum, & facit illud perfectius; id est, magis sanum. Facit & aliam Transmutatoriam projectivam, cum unum aliquod projicitur in semetipsum. * Tertium arcanum est *Medicina Universalis*. Cujus tres gradus facit. 1. Eam, quæ universaliter omnes curat morbos, 2. quæ ab omnibus eis tuetur, 3. quæ vitam longam efficit. E singulis tres alie oriuntur. Prima, quæ morbos ex traduce proffigat, secunda, quæ morbo animi: tertia, quæ morbos corporis. Præservans vel perditas vires reparat, vel ab animi & corporis ægritudinibus servat. Prorogans vitam vel producit eam, quæ senectutem præcedit, vel vitam profert in plura secula, vel in æternum: quam ultimam prorsus ignoravit Rosius: in ceteris vero omnibus mire profecit. Adduxi hæc plenius, ac ipsis Autoris verbis; cum non in omnium manibus ille libellus sit, & ut eo rectius de singulis judicium institui possit. Mihi quidem cum præstantioribus ac præcipuis magistris conferenti illa de Transmutatoria arte philosophemata in multis nova & à via alia λεωφόρος ac regia aberrare videntur; qua de re peritiorum esto judicium. Ego tamen, ut rem paucis cognitam, minimè, hoc in loco præmittendam duxi.

Sequun-

Sequuntur jam *arcana minora*, e quibus præcipua his memorabimus. Possunt 44
 Rosiani ex omnibus corporibus lapideis, minerabilibus, vegetabilibus, elicere tria
 elementa, id est, corpora; quorum unum respondet terræ, alterum aquæ, tertium
 aëri: ex illis ternis singulis ulterius alia terna, ut fiant jam novem; & ex illis nove-
 nis singulis alia terna, ut fiant viginti septem: miro ordine, arteque nova, quæ sin-
 gula etiam suis maxime differentibus proprietatibus constant, ut v. g. ex rosâ vi-
 ginti septem corpora distincta separentur, quo evidentissime trinitatem elemento-
 rum probare volunt: elementum enim ignis, quod vocant, nihil differe ajunt ab
 aëreo, quam quod sit species ejus, aër sc. magis excultus: qui nihilominus in ven-
 tre suo tria iterum divisibilia contineat elementa. Solvunt antimonium totum in
 aquam fontanam & clarissimam, quæ leviter vomitum ciet & alvum movet; flores
 ex eo faciunt singulari methodo copiosissimos; amuleta contra pestem & quævis
 contagia, somnum conciliantia. Arcana habent adversus mortem violentam: unum
 defendit ab aquis, quo uti possunt tempore naufragii: a submersione enim custo-
 dit. De tali arcano etiam Pegelius in suo supra citato libro mentionem facit: al-
 terum ab armis securum præstat, lorica scil. singulari modo fabricata, quæ vel
 sclopeti ictum repellit: tertium adversus famem est; si quod superest seminis vel
 leguminis, mature seminetur in terram etiam intra parietes domesticos, cujus vis
 vegetandi in decuplum augeatur, unde tamen pro extrema necessitate præsidium
 sit. Possunt & ligna, pâleas, stramina, ad concoctionem apta reddere, ut pul-
 tes ex iis confectæ sufficienter nutriant. Eodem libro p. 58. agitur quoque de arborum
 foliis, ossibus, lana, cornibus ita parandis, ut eis nutriri quodvis animal queat. Quod
 convenire cum illo Papiniano invento videtur, quo ossa singulari coctione, in clau-
 so instrumento, intra exiguum tempus in gelatinam resolvuntur, de quo singula-
 ris in Anglia liber prodit. In salis communis defectu sâlem, qui continebatur in
 sanguine humano, arte spagirica reparatum in suam pristinam naturam redigunt:
 quod paucissimo labore, commodo autem maximo, effici possit. Oleum talci con-
 ficiunt, quod vehementer commendat Mormius, ut medicinam universalem, tam
 intus, quam extus, ut spatium trium horarum ex libra talci quinque uncias olei eli-
 ciant. Commendat autem Mormius præ talco Veneto, quod vino ardenti non ce-
 dat, illud, quod reperitur in Aquitania.

Pergit Mormius ad *arcana Mathematica*; ubi primo motum perpetuum terreum, 45
 cujus antea mentionem fecerat, describit, quem hic apponam: * Lamina longior 46
 decuplo, quam lata, plumbea, tenuissima, stylo transverso, in formam novaculæ acu-
 tæ, pro axe, transfixa in duarum rotularum circumferentiam, pendula constituitur;
 ut minimo tactu agitari valeat; brachium ejus, tam superius, quam inferius, in
 duas partes æquales notatum, excipiat in medio laminulam tenuem, longam digirum,
 itidem transversam: sic tamen ut dexterum latus laminæ muniatur una, sinistrum al-
 tera. Illis ex opposito in extremis brachiorum similes eodemque ordine affigantur
 alia. Item decuplices quatuor fabricentur arcus; ita, ut arcus simplex alligetur me-
 dio funi alterius; & ipse alter alteri priori; ut ex decem arcibus fiat unicus. Unus-

quisque horum figatur affabre e regione alicujus dictarum laminarum digitalium, hinc fit, ut lamina suspensa agitata semel, infringens in duos eorundem arcuum, supernum & infernum, eadem & majori violentia refringatur in alios arcus oppositos. Quapropter & ab eisdem remissa velocitate eadem redit ad arcus, a quibus discesserat; & ab eis excepta, uti prius, vicissitudine aeterna reciprocatur in exitus & reditus nunquam quieturos. Hinc binas fabricas addit, quarum prima est ballista, quæ non minori virtute projicit globum ferreum, quam tormentum bellicum. Ita autem eam instituit. Fiat magna ballista, more communi, cui loco sagittæ aptetur alia ballista minor, & huic eodem modo alia minor, toties multiplicando ballistas, quoties ejus duplicare vim ejaculatoriam voles. Sic vero instituantur, ut, cum major laxata est, confestim, dum ejaculata minor procurrit, clavo obvio itidem laxetur; & sic de sequentibus; globus vero infideat ultimæ; fit igitur, ut velocitas harum omnium ballistarum, in unum ex multis coiens, 47 in globum unita supra fidem eum deturbet in remota. * Secunda machina planetarum cursus ceterosque mundi effectus imitatur: qualem Drebelius quidem invenit per lampadem ardentem arcæ inclusam, cui infidebat globus. Sed Rosius per funem pendulum repræsentavit omnes cælorum motus, pluvias, tonitrua, ventos, & ipsam cælorum musicam, innumerabiles denique mugitus, sibilos, vagitus, 48 clangores, latratus, nemine tangente aut juvante. * Plura hinc sunt circa rem rusticam, horrentem, campestrem &c. arcana. In singulis sunt alienarum qualitatum insertiones, transformationes. In qualitatis alienæ insertione observavit Rosius, plantas vel ambræ, vel zibetæ, vel cujuscunque rei, odore ita imbui posse, ut tota herba semper illum odorem spiraret, & pro vero mosco &c. in usum venire possit. Cum hæc experiretur, sequentium paradoxorum veritatem probatam invenit, quorum primum: omne vegetans nec ex aqua nec terra, nec aëre sumit sui incrementi materiam, & per consequens, elementa non sunt elementa rerum. Secundum: omnis res, quatenus talis natura, est indivisibilis: ergo, quando res crescit, in se ipsam reperitur, & ejus perire nil aliud est, quam istius repetitionis annihilatio. Tertium: ex nihilo fit aliquid: cum omnia, quæ sunt, ex nihilo fiant. Hoc infertur ex precedentibus. Ad hujus rei confirmationem vidisse se, ait Mormius, semina plantarum projecta in vacuum quoddam, in quo nec aër, nec aqua, nec terra, a quibus augeri potuerint, longe lateque radices circumvolvete, adolescere, frondere, florere & fementurire. Nisi suis oculis vidisset, nunquam talia se credidisse ait. In exemplum adducit J. Bapt. Portam, *Mag. nat. lib. 4. cap. 19.* (quem autorem veridicum se in multis probasse ait), qui docet, farinam triticam portentoso provenitu in infinitum excrefcere, observatis paucis, quæ nullam evidentem crescendi materiam suppeditant. * Proponuntur alia de aggeribus & vallibus dissipandis, de terræ ejaculatione ad fossas implendas, de messibus opimis ex agris exhaustis & sterilibus sine fimo vulgari & alia cultura producendis, de organis aquam sursum levantibus, de singulari quadam machina, quæ *Arca piscis* vocatur, quia sub aquis non secus ac piscis natat, sursum, deorsum, dextrorsum, & prout vult, qui regit eam. Hanc ita describit Mormius: Hæc cursu insequi potest quam-

quamvis navem, etiam secundo vento pulsam; maris abyssos lustrare, indeque corallia, perlas, aurum, naves merfas, quærere & exportare: & pro magnitudine suarum centum & mille viros deportare. Idem Mormius illic ait, se aquis mersum ambulare posse, quocumque placuerit, meta posita, & in charta sub gurgite scribere, quicquid volet, & de fundo extrahere, quod injicitur, & tormentum pulvere nitroso gravidum succendere, & tandem siccum emergere. * Ad ligna dividenda Rosius ferram invenit, quæ minori fastidio & labore plus efficit uno die, quam quælibet alia diebus sex. Ad saxa dividenda machinam invenit, qua quæque saxa sub aquis latitantia, in quæ naves alliduntur, brevissimo tempore dissiliant. Invenit instrumentum, quod camino impositum fumum omnem de loco sursum trahit, & una veru carnibus assandis onustum optime volvit, beneficio ignis, qui a se ipso movetur sursum: item furnum portatilem, qui solâ lampade supposita breviori tempore carnes durissimas percoquit, magno lignorum, laboris & temporis compendio: cujus & usus insignis in destillationibus est. Agit porro de linguis breviori methodo docendis, de quo nos alio loco. Hæc sunt illa collegii Rossiani arcana, in quibus recensendis forte prolixior, quam par erat, fui. Putavi tamen, non ingrata lectoribus fore ob insignem rerum & artium varietatem; quarum vel titulos nosse, Historiæ naturalis cultoribus jucundum non solum, sed & fructuosum est. * Ego vel in hunc diem latitare, per orbem variis in locis talia occulta collegia crediderim, ut olim singulares ordines in arcanorum naturæ memoriam sunt instituti, quorum omnium studium in abditis naturæ causis indagandis versatur, de quibus hoc loco plura non dicemus. Felices animæ, quæ divino beneficio ad hæc arcana admittæ! quod & Seneca agnoscit, qui lib. 6. Nat. quæst. Magni, inquit, animi res fuit, Natura latebras dimovere, & in Deorum secreta descendere. Nos jam ad cetera transimus.

C A P. XIV.

DE ALIIS ERUDITORVM SOCIETATIBVS.

1. Museorum cura ad Principes pertinet.
2. Hebræorum Scholæ.
3. Synagoga.
4. Græcorum Musea.
5. Prytænea.
6. Museum Alexandrinum.
7. Honores eorum, qui Museo Alexandrino recipiebantur.
8. Omnis generis literati in illo.
9. Canonicorum collegia.
10. Universitates.
11. Quare in Academiis exigui sint rerum naturalium progressus.
12. 13. Judicium Verulamii & Tschirnhausii.
14. Academiæ Italica.
15. Quando instituta.
16. Academiæ Humoristarum.
17. Mancini elogium.
18. Lynceorum.
19. Cæsii elogium.
20. Origo hujus Academiæ.
21. Doctrinæ in illa propositæ.
22. Alia Academiæ Romana.
23. Venetæ Academiæ.
24. Venetæ & Vinitiana differt.
25. Incogniti.
26. 27. Plures Academiæ Venetæ & Patavini enarrantur.
28. Academiæ Fursuariorum Florentina.
29. Strozza elogium.
30. Academiæ plures Florentinæ.
31. Academiæ

mia Otiosorum. 32. Mansi elogium. 33. Academia Neapolitana. 34. Plures
 Academiae recensentur. 35. Academia della Lesina. 36. Scriptum della Lesina ridi-
 culum. 37. Inepti Academicorum tituli reprehensi. 38. Earum Academicarum uti-
 litas. 39. Fata. 40. Forma & institutio. 41. Academie Françoise, Parisiis a Ri-
 chelio instituta. 42. Plures Academiae Parisinae recensentur. 43. Fructus pro augen-
 dis scientiis, cur ex illis exiguus? 44. Societas Regia Anglica. 45. Abrahami Cow-
 lei Idea collegii experimentalis. 46. Collegium Psychosopobicum. 47. Hierosopobicum.
 48. Samaritanum. 49. Tschirnhausii pro instituendo Collegio indagandae veritatis
 consilium.

Ubique gentium sua fuere studiis quasi emporia, Musea, Collegia, ubi conve-
 nirent eruditi, deque variis rebus literariis inter se conferrent, unde divina-
 rum humanarumque rerum scientia in populos mitteretur, ac in Reipubli-
 cae utilitatem præclara ingenia educarentur. Fuit illa Principum jam ab
 omni ævo cura, esseque in omne ævum debet, ut artes liberales foveant, earum do-
 ctoribus & cultoribus omni ope consilioque subveniant, cæteris virorum doctorum
 publicos cogant. Hæc sunt vera illa opera πολυχρόνια in longum tempus duratura,
 qualia esse volebat Aristoteles munificentiae opera. Eumenius Rhetor in Pa-
 negyrico recte vocat talia Collegia ac Gymnasia *templa Imperatoriarum Gloriarum*:
 in eo enim vere Deum imitantur Principes, cum bonorum fontes populis suis re-
 cludunt. Ab illis, si ipsi boni, docti, pii, virorum eruditorum amantes sunt, na-
 scitur illa seculorum felicitas, excoluntur artes humano generi utiles: ipsique im-
 mortales erunt, cum instrumenta immortalitatis tuentur. In hunc usque diem frui-
 mur maximorum Heroum, Caroli Magni, Fridericorum, beneficiis; neque ulla un-
 quam ætas illorum memoriam oblitterabit. Durat illa literarum & Collegiorum
 per Italiam, Galliam, Germaniam, restauratoribus gloria, quorum munificentia fru-
 ctus ad omnem posteritatem propagantur. Hi sunt illi portus, in quos se refe-
 runt fluctibus negotiorum agitati, nunquam minus otiosi, quam cum sic otiosi.

2 Antiquissima illa Collegiorum cura est, & cum ipsa humanitate nota. In He-
 braeorum politia a Prophetis *scholæ* sunt divino instinctu constitutæ. Illæ quadraginta
 & octo urbes, domicilio ac usui Levitarum concessæ, Numeror. c. 35. & Jos. c. vi. scho-
 læ fuere populi Israëliti, in quibus juventutem diligenter educatam, ex eo colligi
 potest, quod Nabuchodonosor e captivis filiis Israël deligi jubet pueros, omni
 sapientia eruditos. Erat Hierosolymæ in monte Sion nobilissimum Gymna-
 sium, a primis Regibus magnifice ornatum. Chrysofomus illud vocat διδασκαλείον
 τῆς γῆς, *scholam communem orbis terrarum*, quæ diu floruit, usque dum superstitioni-
 bus gentium ejus gloria contaminaretur. In historia Regum mentio fit scholæ,
 quam aperuit Heli Sacerdos, cujus disciplina primogeniti Deo consecrati erudie-
 bantur. Schola Samuelis Prophetæ in Galgala, Ramatha, Najoth. Schola Heliti
3 formata ab Helia. *Synagogæ apud Judæos, post labefactatam disciplinam Le-
 vitarum institutæ, quibus præerant Pharisei & Scribæ, in varias sectas distincti, in
 quibus

quibus Paulus Apostolus ad pedes Gamalielis profecit. Erant in illis Synagogis quoque Bibliothecæ, ad earum usum paratæ. Videatur Lomeierus, libro de Bibliothecis cap. 3.

In Græcia, ut omnium artium quasi patria erat, ita varia in honorem artium & virorum literatorum Musea instituta. Ipsæ Athenæ apud Athenæum lib. V. cap. 2. τὸ τῆς ἑλλάδος μῦσεϊον, Græciæ Museum dicitur. Fuit & Athenis Μῦσεϊον, teste Pausan. in Att. & Lacon. de quo videatur Meursius Athen. Att. II. 9. Træzene itidem erat Museum, teste Pausania in Corinth. Stagiris, teste Plin. Hist. Nat. l. 16. cap. 32. De Museo Helicone egit Amphion, teste Athenæo lib. XIV. cap. 6. Magno scilicet in honore apud Græcos erant non solum viri docti, sed & bene de Republica meriti. * Hi in Prytanis publico victu alebantur, quod præcipuum quidem Athenis fuit, sed & in ceteris omnibus Græcorum urbibus Prytanea fuerunt. Habebant Tarentini, Corinthii, Rhodii, Milesii, Tenedii, Argivi, Thasii, Eresii, Mitylenæi, Cyziceni, Elei, Naxii, Ephesii, Naucraticæ, sua Prytanea. In his Vesta culta fuit, perpetuique ignes magna religione custoditi, cujus occulta quædam ratio fuit. Sed Athenarum fama fecit, ut ejus urbis prytaneum cetera omnia splendore suo obfuscaret. Vide de his Prytanis Casaub. Animadversion. in Athenæum, lib. 15. cap. 19.

Præ ceteris omnibus toto orbe suo tempore celeberrimum fuit Museum Alexandrinum. Describit illud Strabo lib. 17. Pars Basilicarum sive edificiorum regionum est Museum, quod ambulacrum & exedram habet, magnamque insuper domum, in qua cænaculum est sive convivitorium iis commune, qui ad Museum pertinent, & literis humanioribus operam navant. Hoc collegium publicas pecunias habet, & sacerdotem, qui Museo præest, olim a Regibus, nunc a Casaribus, constitutum. Floruisse hoc Museum jam tum Ptolomæi Philadelphii tempore, docet Athenæus lib. 5. cap. 8. * Non leve erat hoc honore dignum haberi: nam inter equestres dignitates referebatur, ait Philostratus lib. 1. de Sophistis in Dionysio. Adrianus Dionysium Satrapam designavit, non humilium gentium, sed inter viros ordinis equestris censerit voluit & eos, qui in Museo alebantur. Museum autem erat Mensa Egyptia, quæ ex omni terrarum orbe celeberrimos quosque convocabat. Illorum honorum præcipua quasi capita fuere δωρεῖς καὶ δώρεα. Ita in Adriano Tyrio Philostratus: Μάρκος, inquit, Imperator Sophistam Adrianum miratus eum magnis affectis δωρεῖς καὶ δώρεα. Tum subjungit: Voco autem δωρεῖς, publici victus honorarium, prærogativas, immunitates, Pontificatus & cetera, quæ viros illustrent: Δώρεα vero aurum, argentum, equos, mancipia, & quæcumque divitiarum nomine censentur. Quibus addere possumus liberam & immunem terra marique vehiculationem, quam donavit Polemoni Trajanus Imperator, ut in ejus vita habet Philostratus. Ipsi illi maximi Imperatores Sophistarum auditorium præsentia sua & muneribus cohonestabant. Pompejus, teste Plutarch. in ejus vita, cum Rhodum venisset, singulis Sophistis talentum largitus est. Ad Hermogenem, 15. annos natum, facundia celebrem, Marcus Imperator summa cupiditate accessit; & ut Suidas ait, δωρεῖς λαμπρὰς ἔδωκεν. * Erant vero omnis

generis viri docti in Museo Alexandrino, Rhetores, Mathematici, Poëtae, Philo-
phi. De Philosophis est illud apud Athenæum lib. 1. cap. 19. scomma: *Timon Philo-
sophus Sillographus Museum caveam dixit, irridens Philosophos, qui ibi alebantur, & tanquam
aves maximi pretii, incluse reti saginabantur.*

*Permulti pascuntur in Aegypto populosa.
Pugnantes libris ac semper digladiantes
Musarum in cavea.*

- Ut de verbis rixari nunquam cessent.* De hoc Museo ejusque viris illustribus scripsit
Aristonicus, teste Strabone lib. 1. Scripsit & Callimachus Μουσῶν, teste Suida. Erat
inter honoris titulos, *Alexandrinus* dici, qui alia gente erant oriundi. Qui enim A-
lexandriæ literas docuerant, vel jus civitatis erant adepti, Alexandrini dicebantur.
Vide plura ejus appellationis exempla apud Jonsum, *Histor. Phil. l. 1. c. 2.* Multa hic
de Byzantino, Antiocheno, Berytensi &c. Collegiis dici possent, quæ consulto
9 omittimus. * Vetusissima *Canonicorum collegia*, nihil nisi scholæ fuerunt, & in hunc
finem institutæ, ut arguunt, quæ hodieque mutato & profanato eorum usû super-
sunt, officiorum nomina.
- 10 Successerunt, mutato per Carolum Magnum publico statu, omnique re sacra &
literaria restaurata, Academiarum, de quarum origine, juribus, multa dici possent. Sed
occupavit illud argumentum Conringius in præclaro *de Antiquitatibus Academicis* li-
bro. Moliebarur etiam Leo Allatius opus *de totius orbis Academicis*, sed illud vel affe-
ctum tantum, vel *ἀνέκδοτον* est. Scripsit & Joh. Bapt. Alberti tractatum Italica lin-
gua: *Discorso dell' origine delle Accademie pubbliche & private*, teste Ghilino in *Theatr. Ho-*
11 *minum literator. vol. 2. p. 137.* quem tamen non vidi. * In his etsi universa doctrina &
rerum humanarum divinarumque scientia proponitur, nam in unum finem sunt in-
stitutæ, ac *Universitatum* nomen sunt adeptæ; parum tamen hæcenus in rerum na-
12 turalium studiis ac mathematicis effectum est: * cujus rei causam Franciscus Ba-
co Verulamius indagat in *Cogitatis & Visis suis de inventione naturæ*, sive *Inventione re-
rum & operum: Cogitavit & illud, inquit, in moribus & institutis Academicarum, Collegio-
rum & similium Conventuum, quæ ad doctorum hominum scolas & operas mutuas destinata sunt,
omnia progressui scientiarum in ulterius adversa inveniri. Frequentiam enim multo maximam
professoriam primo, ac subinde meritoriam esse. Lectiones autem & exercitia ita disposita, ut
aliud a consuetis non facile cuiquam in mentem veniat cogitare. Sin autem alicui inquisitionis
& judicii libertate uti contigerit, is se in magna sollicitudine versari statim sentiet. Sin & hoc
toleraverit, tamen in capeffenda fortuna industriam hanc & magnanimitatem sibi non levi impe-
dimento fore experietur. Studia enim hominum in ejusmodi locis in quorundam Autorum scripta
velut relegata esse: a quibus, si quis dissentiat, aut controversiam moveat, continuo ut homo tur-
bidus & rerum novarum cupidus corripitur: cum tamen, (si quis verus æstimator sit) magnum
discrimen inter rerum civilium ac artium administrationem reperiatur. In artibus au-
tem & scientiis, tanquam in metallifodiis omnia novis operibus & ulterioribus progres-*
13 *sibus strepere debent.* * Eadem est querela Ehrenfriedi Waltheri von Tschirh-
haus

haus in eleganti libro, cui titulus: *Medicina mentis, & corporis*, lib. 1. part. 3. qui in causas inquirens, quare in indaganda veritate adeo exigui sint progressus, præcipue in Academiis, eandem adducit, quod plerique homines non sui animi inclinationes & ductus sequantur, præcipue illi, qui in Collegiis vivunt. Ita enim ille: *Qui suas inclinationes secuti sunt, vel ex instituto, vel fortuna sic disponente, magni certe viri sunt habiti, mundoque exhibuere singularia. Hæc, qui magnorum virorum vitas perlegerit, optime firmata inveniet: cum contra tot Academiæ, tot annorum absump-
to tempore, & tot collegia virorum, studiis quam enixissime incumbentiis, paucissima tantum nobis, aliorum plerumque inventa, alio ordine, aut commentariis illustrata, ad discendum usum disposita tradiderint; nihil autem, quod cum inventis illustrissimorum virorum comparatur, ne dicam equipolleat, multo minus palmam præripiat. Certe hujus rei ratio non est alia, quam quod plerique proprias inclinationes ob necessariam vitæ sustentationem vix potuerunt sequi, ut optarint maxime, vel, quod una cum studiis certo adstricti fuerunt vitæ generi, ad quod unice propter temporis penuriam coacti fuerunt attendere; aut quod ad studia attinet, ea tantum tractare coacti sunt, quæ ipsorum genio directe adversabantur. Quod adeo verum est, ut ex altera parte viderim homines admodum rudes, qui semper propriam animi inclinationem ab incunte ætate secuti sunt, eo perfectionis evasisse, ut, quod oculis inspicerent, id manibus feliciter efficere scirent; licet fuerint destituti speciali magistri manu-ductione, non sine omnium hæc non attendentium miratione.*

Hos defectus ut evitarent, in Collegia liberiora viri docti coivere, opes & sub- 14
sidia suppeditantibus viris Principibus & Magnatibus, præcipue in Italia. Magnus illic pro omni genere studiorum, Collegiorum & Academiarum, quas vocant, numerus, inque præcipuis Italiæ urbibus, quæ, ut certo sine fuere institutæ, ita variis titulis nominibusque insignitæ fuerunt. Sunt vero ex his quædam celebriores, quædam Autoribus suis superfuerunt; quædam cum ipsis, & ante ipsos, extinctæ. Nos Academiarum Academicorumque nomina hic, quoad notitia eorum haberi potest, congeremus, quam partim Gregorio Leti, in *Italiae regnantis part. 3. lib. 1.* partim Joanni Ferro in *Theatro Emblematum*, Italica lingua scripto, debemus. * Si 15
Conringium in *Antiquitat. Academ. supplemento* 1. audimus, primo omnium in Italia Romæ videtur *Academiæ* vox reducta in usum Paulo II. Pontifice, ita tamen, ut non significaret scholam ipsam, sed collegium illo tempore Romæ commorantium, & præcipue doctrinæ collapsæ restitutionem aliquam instituentium; probatque hoc, loco ex Bartholomæo Platina in vita hujus Pontificis adducto, ubi memoratur, Paulum hæreticos eos pronunciaffe, qui nomen Academiæ, vel serio vel joco, deinceps commemorarent. Sed post illa tempora & frequentius & gratius talium Academi-
narum nomen fuit: de quibus nunc agemus.

Romæ (ut ab illa incipiamus) celebres Academiæ fuerunt, I. HUMORISTARUM, 16
quorum Symbolum est, decidens e nubibus pluvia, cum hoc lemmate: *Redit agmine
dulci.*

- 17 *dulci.* * Autor hujus Academiae Paulus Mancinus fuit, ex stirpe Romana veteri ac nobili prosapia creatus. Originem nominis in Historia Academiae Francicae sub initium ejus Dn. de Pelisson recenser, & Gallisus in *Conversations de l'Academie de Bourdelot*, Discursu illo, qui appendicis loco additur. De Mancino Erythraeus *Pinacoth. I. num. 13.* *Humoristarum Academiam instituit praestantissimis hominum ingeniis refertam, cujus nominis fama brevi totam Italiam pervasit, atque Alpes conscendens & maria transmittens, apud omnes eas nationes permanavit, ubi aliquis bonis literis honos habetur, adeo ut hodie apud doctos viros nihil fere sit Academia illa celebrius. Ad hanc Academiam instituendam impulit Mancinum Gaspar Salvianus, homo ad amicitias & familiaritates eruditorum factus. Hujus characterem graphice depinxit Erythraeus Pinacoth. I. num. 14.* Huic ab ineunte aetate nihil fuit antiquius, quam universos notitia comprehendere, singulorum genus, patriam, opes, divitias, virtutes ac vitia, nosse, quam plurimos usu amicitiaeque sibi conjungere, quos ita junctos haberet, opera, consilio, labore juvare, cum eis communicare, quod habebat; adeo ut, cum pro nonnullis eorum intercessisset, pene ad egestatem redacta sit; sed maxime eorum familiaritates appetebat, qui ingenii, eruditionis, doctrinae, aut artificii cujuscumque fama praestarent; hos colere, diligere, tueri obsequio, horum studia, utilitates & commoda suis antepone. Neque alterius cujuscumque opera usus est Paulus Mancinus ad Academiam Humoristarum congregandam, nisi illius. Nam quod erat apud omnes eruditos viros gratia & amore, non fuit illi magnopere elaborandum, quo unumquemque illorum in illum caetum attraheret, & quoties conventus ille honestissimus cogendus erat, solus ille singulos adire, hortari, rogare, ut venirent, quaeque domi tanquam in umbra commentati essent, foras educerent, & in eam clariorum hominum lucem conspectumque proferrent; aduentibus obviam ire, salutem impertiri, locum in subselliis tribuere. De hoc Paulo Mancino legi amplius potest Erythraeus, *lib. 5. epist. 6.* Hujus Humoristarum Academiae princeps suo tempore factus est Joh. Bapt. Marinus, Poeta Italus celebratissimus. Vide Erythraeum, *Pinacoth. I. num. 16.* Fuit & in eadem Academia princeps Augustinus Mascardus, Urbani VIII. cubicularius, Poeta insignis, teste Erythr. *Pinac. III. num. 26.* * Fuit 2. Romae celebris LYNCEORUM Academia, ut Erythraeus refert, ab Angelo Caesio, Federici filio, Duce Aquae Spartae Romano instituta, cujus merito plenior hic historia proponi debet, quo illa ceteris omnibus Italiae Academiis majorem promerita famam est. Lynceorum sibi nomen a Symbolo Lyncis sumserunt, ut perspicacitatem in
- 19 operibus naturae eo titulo innuerent. * Hujus Caesii characteris Erythraeus nobis depingit *Pinacoth. III. num. 23.* *Mathematicas praeter alias disciplinas coluit, in eisque, qua erat ingenii sublimitate atque acumine, progressus maximos fecit, ut videre licet ex libris, quos edidit; & in Geometricis ac Mechanicis pleraque a nemine excogitata invenit. Praestantissimum etiam ingenium contulit ad rerum philosophicarum scientiam, in quibus summus evasit. Ex quo excellenti studio omnia egregia illa opera emanarunt, quae cum summa singularis ejusdem ingenii admiratione leguntur. Primum, volumen illud ingens, quod Naturae theatrum inscribitur, unde Apiarium etiam*

suum depromsit: Tum liber de cælo, in quo ex sanctorum Patrum sententia probare con-
 tendit, cælum esse fluidum, non autem solidum, ut universa Philosophorum schola defen-
 dit: deinde prodigiosorum omnium Physica expositio, pluribus libris comprehensa; tum cæ-
 lestis natura, non minus multis libris exposita: tabula etiam Philosophicæ, in quibus o-
 mnium vis & natura plantarum, Mexicanarum quoque, luculenta oratione narratur.
 His additur Metallophytum, Urbano VIII. & Card. Barberino dicatum; Physica Ma-
 thesis, & universale rationis speculum; ubi scientiarum ars omnium copiose tractatur.
 Neque his tantum, quantumvis latissimis, doctrinarum finibus se illa vis ingenii continuit,
 sed tantum flumen, extra ripas diffluens, in alias etiam disciplinas & ad eam Philosophi-
 am, quæ est de vita & moribus, exiit, atque Moralia, Paradoxa, Monita, & his simi-
 lia quam plura, in vulgus emisit. Ad sui aliorumque exercitationem publicam domi sue
 Academiam instituit, quam Lynceorum nomine appellavit; in qua & ipse, quoad vixit,
 principatum obtinuit. Autor erat Academicis suis, ut aliquid scriberent; cujus autori-
 tas eo majus apud eos pondus habebat, quod suum ad illam exemplum accedebat, qui
 nullum scribendi finem faciebat. Ac, ne ad ea, quæ doctè eruditeque composuissent, in
 lucem edenda, sumtuum faciendorum metu detererentur, pecuniam ipse de suo largie-
 batur. Cujus honestissimæ gloriosissimæque liberalitatis exemplum si viri principes imi-
 tarentur, non tam multis egregiis ac doctis operibus egeremus, quæ nunc, autorum ino-
 pia, in aliquem paupercule domus angulum rejecta, pulvere obruta situque corrupta, in
 magnum bonarum artium detrimentum, eruditorum manibus eripiuntur: præterea eum
 illi sue liberalitatis fructum ferrent, quo nullus, neque major, neque præstantior, expecta-
 ri potest ab iis, qui nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem & honestatem,
 existimant; videlicet, ut nomen ipsorum clarum & æternum apud posteros esset. *Quid*
multis opus est? Eo Angeli Cæsi, in operibus eruditorum typis mandandis, liberalis ac
regius progressus est animus, ut nulli neque sumtui, neque labori pepercerit, quo Nardi
Antonii Recchi novæ Hispaniæ rerum medicarum liber, qui antea latitabat, in hominum
conspectum exiret. Nam & sumtus ad id necessarios præbuit, ac doctissimis suis Lynceo-
rumque suorum commentariis illustravit atque auxit. Laudata est viri hujus principis eru-
ditio, ac mentis acies, quæ rerum omnium vim & naturam inspexit, a Jo. Baptista
Porta, in præfatione libri, quem de distillatione conscripsit. Hæc de Principe illo Ery-
*thræus. * Verum si Augustinum Favoritum in Vita Virginii Cæsarini, quæ Poë-*
matibus septem virorum illustrium additur, audimus, non Angelus Cæsius, sed Fe-
dericus, hujus Academiæ Autor fuit; ita enim Favoritus: Hæc Academia Lynceorum
autorem habuit Federicum Principem Cesium, literarum amatorem potius, quam peritum;
mansitque tamdiu, quamdiu vixit autor suus, qui illam quasi satam a se arborem omni
officio industriaque colebat. Verum eo mortuo, cum Academici nullas haberent certas sedes,
nec ceterarum Academiarum morem sequerentur, statis diebus in unum conveniendi: sed
unico nominis splendore, & annuli mysterio, omnis eorum disciplina contineretur, brevi
Lynceorum memoria ita extincta est, ut eorum ad ætatem hanc nostram vix tenuis au-
ra pervenerit. Incertum ergo e tam diversis sententiis, cui Academiæ hujus origo,
*patrine, an filio, tribuenda. * Fuit vero hujus Academiæ institutum, eodem Favo-*

- rito teste, inusitata rerum eventa, quæ terris, quæ cælo acciderent, in disputationem vocare, causas sedulo indagare, & eorum observationibus aliisque experimentis veterem omnem Philosophiam, Aristotelicam imprimis, evertere. Præcipue Chymica omnia excolebant, quibus convelli doctrinam Aristotelis putabant: quod Virginius fecisse, sedulo huic operi intentum, autor est Favoritus. Præclari ex hac Academia viri orti: Galilæus a Galilæis, Fabius Columna, ac plures alii, quorum historiam pleno opere, sed inedito, deduxit Martinus Fogelius, cujus supra mentionem fecimus. * Plura fuere in eadem urbe collegia: Academiam ORDINATORUM Cardinalis Datus in suis ædibus fundandam curavit, in qua eruditis exercitationibus accedebat suavissimus vatum & chordarum cantus. In illa magnam sibi famam Octavius Tronsarellus acquisivit; sed in magnam cum Margaritha Scarrochia, poëtria nobili, contentionem venit super simbolo hujus Academiae, quod erat, salinum plenum salis, cum hoc dicto: a Sole; de qua liticula legi potest Erythræus *Pinacoth. III. num. 36.* Plures Romæ memorantur Academiae, a J. Ferro, *Delficorum, Incitatorum, Intricatorum, Partibeniorum, Renovatorum, Uniformium*; a Gregorio Leti *Phantasticorum*, de quibus omnibus, quæ dicam, non habeo.
- 23 In Venerorum urbe multæ institutæ fuere Academiae: ubi primum occurrunt
- 24 Academia VENETA & VINITIANA κατ' ἐξοχήν ita dictæ, * quæ voces non unum idemque significant. Testis Joh. Ferrus Theatr. d' Imprese part. I. cap. 31. *Ne creda il Lettore essere la modestissima la Veneta e la Vinitiana. Percioche se bene queste due voci in altro significando sono sinonime e significano l' istesso, qui però prese in significazione d' Academia fanno diversità: poiche la Veneta hà per corpo una Palificata à modo di quelle che si fanno in Vinegia, quando si vuol fabricare col motto. Hinc attollere moles, & la Vinitiana ha la fama col*
- 25 *verso: Così dal basso me ne volo al cielo.* * Fuit illic Academia INCOGNITORUM, quam instituisse dicitur Joh. Franciscus Loredanus, Senator Venerus, variis scriptis celebratissimus. Ejusdem Academiae Collega fuit Angelicus Aprosius Vintimiliensis Augustinianus, cujus multi sunt elegantissimi, plerique tamen ἀνέκδοτοι libri, quorum catalogum recenset Gregor. Leti *Ital. regnant. part. 4. l. 3. a p. 358. ad p. 410.* ubi & multa in illum cumulat elogia. Ejus viri *Arbenas Italicas, Bibliothecam Aprostanam*, ita expectant viri docti, ut desiderium amplius non ferant. Horum Academicorum vitæ sunt peculiari libro Italico congestæ, cui titulus: *Le glorie de gli Incogniti, overe gli huomini illustri dell' Academia del Signori Incogniti di Venetia. Venet. 1647. in 4to.* cujus tamen libri verus autor ignoratur. Sunt, qui Loredanum ipsum autorem volunt, ut Philippus Labbe in Bibliotheca Bibliothecarum: quod merito in dubium vocat Placcius libro de Anonym. scriptoribus, cum ii, qui vitam ejus scripserunt, ac libros recensuerunt, nullam ejus mentionem faciant, neque verosimile
- 26 sit, ipsum sui Panegyristen futurum Loredanum. * Fuerunt porro in illa urbe Academici: *Allettati, Approvati, Cortesi, della calza, disgiunti, Disingannati, Fileuteri, Immaturi, Intricati, Maritimi, Securi, Assicurati, Svegliati, Peregrini, Dis-*
- 27 *cordanti, Instancabili, Guffoni, Accessi.* * Patavii illustris primum Academia est, cujus

eius historiam Riccobonus singulari libro descripsit. Hinc sunt Academici ÆTHEREI a Scipione Gonzaga instituti, cujus elogium vide apud Erythræum *Pinacoth. II. n. u.* ANIMOSI ab Ascanio Martinengo Abbate instituti, de quibus exstant duæ doctæ orationes Antonii Riccoboni, quarum prima est *de primordiis Academiae Animosorum*, altera *de insigni eorum*; illa octava, hæc nona in *Volumine primo Orationum Riccoboni* Petavii editarum. Fuerunt illic *Anhelantes* sive *Aspirantes*, *Orditi*, *Incogniti*, *Constantes*, *Elevati*, *Immaturi*, *Inflammati*, *Ricoverati*, *Sitientes*, *Sperantes*, *Affectuosi*, *Hoplophisti*, *Delii*, *Rinascenti*, *Stabili*.

Florentiæ FURFURARIORUM s. DELLA CRUSCA Academiae fama orbi li- 28
terato innotuit, eruditissimis ex ea societate libris. Nomen & symbolum a furfure ideo datum, quod disputationibus suis farinam puriorem, animorum cibum, a furfuribus, erroribus scilicet, fecernerent. Præcipue vero ad puritatem linguæ Itali-
cæ illa instituta fuit. Prodiit ex illa *Vocabularium Italicum della Crusca*, cui simile hæcte-
nus nulla vulgarium linguarum habet. Collegium hoc describit Monconisus in
Itinerario part. 1. p. 125. *Elle est (inquit) toute pleine de divises faisant allusion au mot &*
chasque escolier prend un nom aussis respondant au sujet. Les sieges sont faits en hottes où l'on
porte le pain, le dossier en peles dont on remüe le bled, les chaises en façon de grandes cuves d'
oscer ou paille, où l'on tient le bled, les coussins des chaises des Princes, sont de satin gris en for-
me de sacs, & l'on met les flambeaux dans des estuis; qui semblent des sacs de farine. * Aca- 29
demia Florentiæ quoque fuit in Joh. Baptistæ Strozzeæ ædibus, qui omnes suas opes
in literas impendit, quod ut illustre exemplum prædicat Erythræus *Pinacoth. II.*
num. 2. ac merito hic commemorari debet. *Præclara, inquit, adolescentum ingenia, quæ*
natura ad omnes egregias artes tanquam inchoaverat atque dolaverat, excipiebat, ut expoliret
atque perficeret. Erat iùe Philosophicis ac Theologicis doctrinis instructus, Grecis ac Latinis lite-
ris doctus, pœtice facultatis ita peritus, ut non eum equalibus suis solum, sed cum majoribus
etiam natu pœtis, compararetur. Has ille disciplinas, in instituendo docendoque prudentissi-
mus, juventutem edocebat, & quotidianis domi suæ disputationibus exercebat, ac sæpius, quod
umbratili illa institutione didicerat, in pulverem & solem cogebat educere: cujus rei magnam
illi facultatem dabat insignis Academia, quæ suis in ædibus, magno literatorum omnium, qui
essent Florentiæ, concursu celebrabatur. Quæ vero ingenia fortune culpa, ne emergerent, op-
pressa cernebat, suis ipse opibus ac facultatibus, quibus erat affluens, sublevabat; libros, vestem,
cibos, habitationem, omniaque ad necessarium usum illis præbendo. Hæc de præclaro hoc
viro Erythræus, qui in exemplum omnibus opulentis proponi debet. Nomen
vero ejus Academiae non prodidit Erythræus. * Fuere illic APATHISTÆ, quo- 30
rum socius fuit Joh. Nardius: *Ætherei*, *Inequali*, *Peregrini*, *Immobili*, *Infocati*, *Alte-*
rati, *Rinovati*.

Neapoli Academici OTIOSI a Joh. Baptistæ Manso Villæ marchione instituti, qui ge- 31
neris splendore & artium studiis clarissimus summam laudem in eo ponebat, ut hone-
stis adolescentibus se ducem præberet, quem proinde cum Strozza comparat Ery-
thræus,

- 32 thræus, *Pinacoth.* III. num. 13. ita tamen, ut hunc longe præferat. * *Strozze institutio*, recte illo, *is tantum disciplinis continebatur, quæ animum adolescentis quadam humanitate expoliant; at Mansi in juventute erudienda industria multo progressa est longius: etenim non solum is excultos disciplinis efficiebat, quas diximus, eos, qui se ipsi commiserant, verum etiam aliis prope centum artibus instructos ornatosque reddebat; equos frenis regere, sibi dicto audientes facere, in gyrum compellere, in cursus cogere; tum ad ludendum arma suscipere, ut ludicra illa armorum tractatione edocti, discerent, quemadmodum is uti deberent, cum ea ad pugnandum essent sumpturi, tum, saltare, citharizare, ad chordarum sonum psallere, atque ea omnia facere, quæ sine reprehensione a viri nobilis persona abesse non possunt: & ideo præcipuus fuit autor, Neapoli collegium Nobilium instituendi, ubi adolescentes nobiles is studiis operam darent, quibus eos equum erat impertiri: præterea, in eadem urbe, Otiosorum Academia una cum aliquot aliis initium dedit. Erat præterea vita integer, voluptatum & illecebrarum fugiens, humilis, officiosus. Quibusdam ad rem attentior visus est, sed honesto tamen fine: nam heredem omnium bonorum suorum Seminarium Nobilium reliquit, ac quantum in se fuit, cavir, ne inopia quis a studiis avocaretur. De hac Otiosorum Academia legendus & *Crass. Elog.**
- 33 *Hominum literatorum part. 1. p. 310.* * Fuere hic *Ardentes, Errantes, Sirenes, Intronati, Assetati, Suegliati.*
- 34 Fuere & ceteris Italiae partibus suæ Academiae. SENÆ; *Accesi, Avalorati, Cortesi, Desidiosii, Intronati, Travagliati.* VERONÆ: *Constantes, Olympici, Restoridi, Temperati, Filarmonici.* RAVENNÆ: *Excitati, Informes.* BONONIÆ: *Indomiti, Nobiles, Obtusi, de la Notte, Gelati, Sonnachiosi.* FERRARIÆ: *Intrepidi, Elevati.* In aliis Italiae locis: *Illustres, Uniti, Invaghiti, Occulti, della Penna, Solliciti, Freddi, Addormentati, Innominati, Adagiati, Offuscati, Caliginosi, Insensati, Obstinati, Raffrontati, Casenati, Immobili, Afforditi, Filoponi, Nascosti, Affilati, Aggiustati, Agitati, Arisphi, Avvolti, Concoridi, Confusi, Cospiranti, della Chiave, Estravaganti, Fenici, Filareti, Filomati, Filomeli, Gjoviali, Grandi, Hortolani, Illuminati, Lucitati, Industriosi, Ingenui, Intenti, Partemii, Pianigiani, Puliti, Secreti, Racchiusi, Riposti, Rischiarati, Risvegliati, Rozzi, Sabei, Schiumati, Sicuri, Spenserati, Sventani, Trapassati, Transformati, Unanimi, Uniformi, Uranii.* Instituit quoque Mediolani Academiam, exquisitissima Bibliotheca Ambrosiana instructam Cardinalis Fridericus Borromeus, de qua Stephan. Menoch. *Trattenement*
- 35 *erudite part. 3. cap. 5.* * Refert etiam inter Italiae & quidem Florentinas Academias Johann. Ferr. *Theatr. d'Imprese part. 2. p. 444.* Academiam della *Lesina*, five *subula*; non dixerim, an vere, an per jocum, an per errorem: neque enim ex verbis ejus
- 36 hoc colligi potest. * Prodiit alioquin apud Italos elegans & facetus liber, cui titulus: *la famosissima compagnia della Lesina*, ubi proponuntur varii modi, quibus quis per fordidam parsimoniam ditescere possit, instrumento hoc pro insigni Euclionibus applicato, quo familiari etiam sermone tales notare solemus. Illic quasi Collegium aliquod fingitur: dantur certa præcepta pro novitiis & initiandis, instituatur consultationes super hoc argumento. In linguam Gallicam liber ille conver-

conversus, ac Paris. 1618. in 12. editus; una cum altero, cui titulus, *la Contra-Lesne, ou Compagnie de la marmite grasse*, addita comœdia, *les Noces d'Antilefine*, ubi præcepta prioribus contraria de munificentia exercenda habentur. Nihil sane lepidius fingi potest. * Ridiculum alioquin pro vera Academia insigne, et si æque inepta nomina & symbola multi sibi sumserunt. Multa est Johann. Ferri *Theatr. d'imprese part. i. c. 22.* circa horum symbolorum convenientiam vel inconvenientiam ostendendam industria. Sollicite enim intentiones Academicorum distinguit. Sumuntur enim ab actione, passione, principio, conditione, imperfectione, perfectione, fine, loco, affectu, exercitio. Disquirunt ulterius, quomodo insignia & cognomina Academicorum sub generali quodam conceptu instituenda, ut quisvis focius sibi insigne & nomen sumere possit, quod sub generali contineatur. Nam habent & sua singuli focii nomina & insignia. Verum illæ difficiles nugæ videntur, & sapientioribus in risum illa cognomina cessere. Pinellum certe, Patavii viventem, ut jam supra diximus, deterruerunt, ne cuiquam nomen Academiae daret, qui ab omni ostentatione & pompa erat alienissimus. * Rolandus quoque Marefius *lib. 2. ep. 43.* cum consilium Academicarum Italicarum probat maxime, ac Capellanum laudat, quod Cardinali Richelio autor fuerit ad similia Collegia in Gallia instruenda, titulos tamen illos, ut ineptos, rejicit. Nihil, inquit, in iis mihi displicet, præter cognomina plane absurda & ridicula, quæ sibi assumunt Itali; quod cur faciant, prorsus ignoro: sed utilitas ex eo manifesta est, primum, quod declamando, & orationes habendo, veterum Sophistarum morem renovant, varia, unde libet, argumenta desumentes, quæ pro viribus ingenii tractent. Quæ exercitatione ad dicendum se comparant, & eloquentiam non parum alunt: deinde Poëtarum suorum aliorumque scriptorum opera severa lance examinant, & quid in iis laudandum, quid vituperandum, collatis sententiis judicant. Quod ad bene de literis judicandum plurimum confert. Sed incomparabile commodum in eo est, quod illuc scripta sua in medium afferunt, eâ omnium examini subjiciunt, quæ quisque libere reprehendendi jus habet. Hæc vero emendatio est optima, tot eruditorum virorum judicio facta: ex qua etiam consequuntur, ut postea emendatius scribant. Nec vero quis hæc tanquam parva contemnat, quod in lingua vulgari fiant. Quamvis enim Latina eruditorum lingua existimetur, tamen ipsi eruditi, patrii quisque sermonis non minimam curam habere; sed in eo scriptis elegantibus amplificando & exornando, multam operam ponere debent, Romanorum exemplo & æmulatione, qui, licet sermo Græcus uberior esset, tamen linguam suam, ut inferiorem, despectui non habuerunt; sed locupletiorum & comitiorum omni ope efficere contenderunt. Quanquam, quid prohibet ejusmodi cætus etiam ab eruditis viris, qui Latine tantum scribunt, institui? Imo, si instituantur, utilissimum fore arbitror saltem ad operum emendationem, quæ aliquando præcipitata editione, tanquam nullum amicum doctum habeant, cujus consilio utantur, in emendata emittunt.

De istis Italiae Collegiis porro tenendum est, idem eorum, quod vocabulorum ait Horatius, fatum esse: 39

*Multa renascuntur, quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore.*

40 Bononiæ e 24. Academiis non nisi tres hodie supersunt. * Academicorum numerus alibi certus, alibi pro arbitrio. Sunt; in quibus non admittuntur, nisi Nobiles, electiones instituuntur suffragiis secretis. Admittuntur Cardinales, & exteri quoque interdum invitantur, qui meritis illustres. Quælibet Academia Directorem habet, principemque suum, simulque Protectorem, qui vel fundator ejus est, vel ex illius familia. Locus certus solet assignari pro conventibus, vel in ædibus fundatorum, vel alibi. Etiam matronæ larvatæ interdum accedunt: nam & illæ in poësi se exercent, scripsitque Laurentius Legatus Museum Poëtriarum cum Iconibus, teste Gregor. Leti, *Ital. regn. part. 3. lib. 2. p. 185.* Admittuntur auditores accepta certa tessera. Unus Academicus in multis Academiis admitti potest. Suntque, qui vel 15. Academiarum membra sunt, solentque viri doctrina insignes ad hos honores invitari: quo enim doctiores focii sunt, eo majoris famæ est Academia.

41 Excitarunt hæc Italorum exempla etiam Gallos, ut & ipsi Academias erigerent. Capellanus Richelio earum autor fuit. Ipso ergo dirigente instituta est hoc titulo: *Academie Française*. Ceteri enim tituli, qui alius placuerant, *l'Academie des beaux esprits, l'Academie de l'Eloquence, l'Academie Eminente*, per allusionem ad Cardinalitiam Richelii dignitatem, a Richelio ipso rejecti sunt. Displicuit illa titularum affectatio, quæ Italis familiaris est, quod & innuit, qui ejus Academiæ historiam scripsit, Dn. de Pellisson. Ita enim de hoc titulo: *Au choix de ce nom, qui n'a rien ni de superbe, ni d'étrange, elle à temoigné peut-être moins de galanterie; mais peut-être aussi plus de jugement & plus de solidité que les académies de delà les monts, qui se sont piquées d'en prendre ou de mystérieux, ou d'ambitieux, ou de bisarres, tels qu'on les prendroit en un carrousel, ou en une mascarade: comme si ces exercices d'esprit estoient plutôt des debauches & des jeux, que des occupations serieuses.* Laudat proinde Academiam Florentinam, quæ ceteris omnibus antiquior est ac simplex, quod sine illa affectatione nomen assumpserit. Idem autor eodem in loco promittit, se aliquando de Italiæ Academiis earumque cognominibus scripturum. De illo quoque Gabriel Naudæus, quem ille citat in Dialogo suo, de Mascurat agere videtur. In hac vero Gallicæ Academiæ historia habetur 1. Origo ejus. 2. Literæ ad Richelium pro impetranda protectione cum *diarvovades* Academiæ. 3. Privilegium Regium. 4. Statuta, dies, locus, forma, conventus. 5. Institutio ipsa & quæ post illam contigerunt. 6. Memorabilia quædam, quæ circa hoc negotium evenerunt. 7. Academicorum singulorum historia. Præ ceteris in hac societate definitum fuit, ut elegantia & nitor Gallicæ linguæ illustraretur. Cui fini Lexicon ad exemplum Vocabularii della Crusca conficiendum proponebatur. Ideam ejus Lexici adornavit Capellanus, quæ habetur p. 98. ejus libri. Vaugelas & Faret huic labori destinati; sed cum tarde res illa procederet, uti sane non est ille annus, sed plurium labor (Vocabularium enim della Crusca quadragesimo demum anno absolutum est) sæpe incitatus est a Richelio Vaugelas, cui pensio eam ob causam certâ constituta fuit. Aliquando Richelius eum his verbis compellavit, *Mon-*
sieur

seur, vous n'oublierez pas du moins dans le Dictionnaire le mot de Pension; cui argute statim respondit Vaugelas; Non Monseigneur, & moins encore celui de reconnaissance. Sed irritus postea ille labor fuit, neque unquam lucem aspexit. Multæ super Comœdia Cid in illa velitationes institutæ: editum est singulari libro de illa ab hac Academia judicium, ab aliis iterum impugnatum. Non defuere etiam in optimum hoc Academiae consilium malevolorum Saryræ. Inter alios Abbas de S. Germain, qui omnia Richelii consilia reprehendit, publice eam impugnavit. Scripta quoque adversus illam Comœdia est, de quibus omnibus legi potest Autor ille p. 46. * Plures & ante & post illa tempora Parisiis conventus eruditorum instituti 42 sunt, quibus de variis rebus actum est, de moralibus, civilibus, naturalibus. Sed ea dissertationibus meris tantum absoluebantur. Hujus generis est illa Academia de Primaudaye, & *Recueil General des questions traitées en conferences du Bureau & Adresse, sur toutes sortes de matieres, par les plus beaux esprits de ce temps*, qui liber An. 1660. editus. Celebrantur hodieque tales conventus, quibus de variis rebus physiologicis, philologicis &c. disseritur. Quæ sub Directore Bourdelotio acta sunt, a Gallefio sunt edita sub titulo. *Conversations de l'Academie de Monsieur l'Abbé Bourdelot, contenant diverses recherches, observations, experiences & raisonnemens de Physique, Medecine, Chymie & Mathematique. Paris. 1673. in 12.* Addit pro appendice dissertationem, quæ quasi Præfationis loco esse possit, qua agit de origine Academiarum, earum utilitate, ac speciatim de Academiis Parisiensibus. Sunt Parisiis Academiae pro scientiis, (ff) artibus, omnis generis argumentis, sunt publicæ, sunt privatæ; sunt, quæ multis; sunt, quæ paucis sociis constant. Rex e doctissimis totius gentis aliquam constituit, qua de rebus Physicis, Medicis, Chymicis, Mathematicis agitur: Secretarius ejus Gallefius. Laudatur alia primi Præsidis ea dissertatione, alia, quæ titulo Delphini insignita est; sed quæ nunc dissipata: cui viri præstantissimi interfuerunt, vehementerque Gallefius eam sublatam dolet, consiliumque perfectæ Rhetoricæ, quod ex illo Collegio sperabatur, interversum. Laudantur illi apud Justellum, virum doctissimum, apud Thuanum, Dn. de Brach, Dn. Marion, Patinum, Turnierum, Rohautium, Dn. de Laubnay, Dn. Denis, Dn. de Fontenay, conventus. Quid in singulis laudari debeat, prolixè illic legi potest. Præ ceteris tamen omnibus Bourdelotianam Acade-

T 2

miam

(ff) De Academia Scientiarum Regia Parisiensi consulenda omnino est Joh. Baptistæ du Hamel, Socii ejus & antehac Secretarii, Historia illius Latina, in qua Libris IV. præter ipsius Academiae Originem & progressus ab An. 1666. ad 1697. variasque Dissertationes, & Observationes, 30. Annis factas, quamplurima Inventa & Experimenta Physica & Mathematica in certum Ordinem digeruntur, satisque accurate exponuntur. Prodiit ea Parisiis An. 1698. & Lipsiæ An. 1700. in 4to, & in Tertia Editione, Parisiis An. 1701. excusa, Libris Quinto & Sexto, Annorum 1697. 1698. 1699. & 1700. Gesta complectentibus, auctior comparuit. Continuare illam, quotannis, sed Gallico Idiomate, jussu Regio, cæpit Dn. de Fontenelles, modernus Academiae Secretarius, cujus Pensæ Annorum 1699. & 1700. Parisiis An. 1702. & 1703. in 4to lucem jam viderunt publicam.

miam commendat, cujus instituta, argumenta, de quibus differitur, omniaque, quæ illuc pertinent; magna diligentia recenset. Cadomi quoque præter Universitatem celebrem, duas Academias commemorat Galleus, quarum altera Physica & Mathematica tractat, a Rege ipso instituta; altera humaniora. Hæc a Dn. de Bri-eux curata fuit; illius, jam ante Regiam confirmationem, ab Hueto, Delphini In-formatore, Viro celeberrimo, fundamenta jacta sunt.

43 Magnus ex his Collegiis speratus semper fuit pro augendis scientiis fructus, quod quidem verum est; neque enim credi potest, quis ex sermonibus ultro citro-que habitis, & ex conversatione erudita fructus redundet. Verum, quoniam non minus auspiciis res illa agitur, sed omnia in commune conferuntur, ex ipsa tamen illa collatione *σύγχυσις* quædam oritur, quæ magis implicat opiniones & judicia de rebus: ne quid dicam de disputationibus, quæ per se veritati indagandæ obsistunt. Equidem non nego, magnam lucem in veritate exploranda suboriri posse illi, qui profundo ingenio eoque perspicace & *ἀρχιτεκτονικῶ* præditus est, si multorum ille cogitata & experimenta solus audiat, illa ad judicii normam exigat, atque ex illis conclusiones sibi formet. Ille per *ἀναλογισμὸν* & combinationem rerum & exper-imentorum ad illa pervenit ingenii sui *σοχασμῶν*, in quibus alii stupebunt. Officit enim in Collegiis illa multitudo sententiarum uniformi conceptui, neque ad certam adeo metam dirigi potest, nisi forte id sagaciorum auditorum vel lectorum singu-lari tacitoque judicio relinquatur; qui sibi solis sapient, neque in publicum illa con-ferent. Nunquam, ubi communibus suffragiis res agitur, aliquid boni solidique extundetur, unius viri non cerebrosi ac opinatoris aut pervicacis ingenium quasi lumine quodam omnia pervader.

44 Quare aliter rem in Physiologiæ & Matheos studiis instituerunt Angli, qui novam Societatem pro excolenda Philosophia naturali instituerunt auspiciis Regiis, certis quibusdam rationibus & legibus, quæ apud Thomam Spraat in Historia ejus Societatis Regiæ habentur, Anglica & Gallica lingua edita. Jamdudum talis Col-legii ideam aliquam dederat Baco Verulamius, in elegantissima illa fabula novi Ar-lantis, ac historiæ naturalis certam methodum in novo Organo aliisque suis libris præscriperat. Origo Societatis ejus ex eo est, quod in Academia Oxoniensi pri-mum viri quidam ingeniosi privatim aliquod experimentale studium susceperunt; inter quos fuere Sethus Wardus, Boylius, Wilckins, Christophorus & Matthæ-us Wrenii, Wallisus, Willisus &c. viri ingenio & scriptis omnes celebres. Illa cum veniret ad Gallos fama, ipsi Academiam Parisiensem, quæ in linguæ Gallicæ culturam instituta erat, ad studium rerum naturalium transtulerunt. Oxonio Lon-dinum rerum naturalium studium deductum est, cum viris istis Londinum abeun-tibus, ad quorum numerum accessio facta a multis Londinensibus, tam Proceribus, quam Philosophis & Medicis, usque dum Regiis auspiciis illa Societas Ann. 1660. excitata est, recte diplomate Regio, quod privilegia, insignia, scepra, sigillum iis
45 tribuit. * Antequam illa omnia adornabantur, prodiit scriptum aliquod ab Abra-hamo

hamo Covleio, Poëta insigni, & in ceteris Philosophiæ & Medicinæ partibus insigniter erudito, quo suppeditabat consilia pro Philosophia Experimentalis propaganda: (Reperitur inter poemata ejus Anglica, p. 41.) Bene hic quidem omnia comparata habebantur: sed quoniam is sumtus nimios impendi volebat in singulos Officiales, eorumque numerum nimis auxerat; præterea onus informationis illis impo- fuerat, inconveniens illis videbatur ejus consilium sequi. Neque enim certos reditus habet illa Societas, nisi aliqua donaria ex liberalitate Procerum, & quæ a singulis sociis, cum primum recipiuntur, & deinde in singulas hebdomadas conferuntur. Quare dubito, an illa designatio Officialium & Impensarum, quam dedit in *Gammaologia sua cap. 3.* Sachsius satis sibi constet. Ex illo tempore cerratim aliæ nationes in eadem studia conspirarunt, Florentini, Germani, Dani &c. de quibus in *Polyhistore Physico* pluribus agetur.

Multorum etiam extant de variis Collegiis consilia. * Collegium Psycho- 46
phicum proposuit singulari libro *de Psychosopia* Johannes Joachimus Becherus, ad commodam & tranquillam vitam agendam. * Collegium Hierosolymiticum Spize- 47
lius in suo *Felice Literato* pro pia & beata vita delineavit. * Academiam Universa- 48
lem Philadelphicam seu Collegium Samaritanorum pro officiis charitatis erga pau-
peres & afflictos præstandis adornare voluit Justinianus Traulou, in quod consili-
um annotationes quasdam paratas habuit Hieronymus Welfchius. * Ad veritatis 49
in Philosophia naturali & Mathesi inquisitionem ut multa Ehrenfried Walther von
Tschirnhaus proponit, ita Collegium aliquod pro indaganda veritate singulari mo-
do instituendum suadet, in *Medicina mentis part. 2. p. 203.* quem huc ex illo adducam.
Si quinquaginta pluresve curiosorum veritatis amatorum, inita concordia contributorent, haud magni singulis eorum annuatim constaret, ut tantum conferant, quantum sufficeret, ut quis, qui sibi habitum seu facilitatem acquirendi veritatem, nova & nova semper inveniendi comparavit, plus brevi tempore præstet, quam multis seculis alii: prostant quippe doctorum Virorum exempla, qui a nemine adjuti tanta etiam proprio Marte ediderunt specimina, quanta de nostris antecessoribus frustra per multa retro secula huc usque fuerunt sperata. Atque ita alii vitæ suæ negotia possent prosequi, & sibi absque labore veritatem acquirere, ac summa frui voluptate, qua mens in ejus acquisitione afficitur. Quo vero hoc negotium facilius procedat, posset lege sancita in hoc collegio caveri, ut, si aliquod ejus societatis membrum absque liberis & consanguineis ad studia aptis e vivis excesserit, definita hereditatis portio cederet bonarum artium cultoribus, pro societatis arbitrio distribuenda. Hujusmodi plura possent constitui utilissima: adde, quod desiderium illud sciendi doctorum nostri temporis non mediocre ob tot singularia hoc ævo detecta in suspicionem adducit, fore, ut eorum plurimi, quia otio veritatem per se ipsos investigandi carent, id munus iis sint necessario delaturi, quos scient aliquid hac in re posse facere, haud ita a quovis alio præstandum, tandemque ad hæc hisque similia salutaria consilia, acti sciendi ardore, confugere cogentur. Si autem hac quoque spe frustraremur, non desunt sapienti, siquidem tale quid appeteret, tot alia viæ satis opum ad isthæc necessariorum colligendi, etiam ab ignorantibus, si placet, & vulgi turba. Vcluti si is, qui primus Tele-

scopia invenit, operam dedisset, ut in celeberrima urbe, in qua multi habitant novitatis avidi, cuius objecta e longinquo per telescopium conspecta, sub tam sensibili apparere specie, celato artificio, ostendisset, idque vili accepto a singulis pretio, haud difficulter ingentes hoc invento pecunia summas potuisset lucrari. Sic haud difficile foret artis invenendi perito plurima comminisci, quae, tecto artificio, magis admiranda apparerent, quam omnia ea, quibus multa saepe lucrari videmus. Ita variis insuper modis (quos de industria subitico, cum viro ingenioso, si ad ea se velit applicare, nequeant esse ignota) majorem opum copiam per alios possent colligere, quam ad eorum institutum requireretur. Plura hic de Collégiis variorum Ordinum sacrorum & similibus cumulari possunt. Sed illa nunc extra institutum nostrum sunt.

C A P. XIV.

DE CONVERSATIONE ERVDITA.

- §. I. Doctrina de conversatione in re civili & literaria utilis. 2. Ejus quaedam disciplina datur; 3. haectenus non exculta: 4. 5. Homiletice Erudita Autoris. 6. Ejus lineamenta prima ex Aristot. Rhetor. II. 7. Notitia sui praemitti debet. 8. 9. 10. 11. Ingeniosorum multa παρανομία recensentur. 12. Ambitiosi. 13. Contentiosi. 14. Nugatores. 15. Fuci, Crabrones, Apes. 16. Notitia aliorum ratione temperamenti, aetatis, fortunae, gentis, conditionis, virtutum, morum, affectuum &c. considerata. 17. Regula in conversatione eruditorum, I. ratione opinionis excitanda: 18. (1) Honestatem vultu, verbis, facto exprime. 19. (2) Eruditi famam aucupare, & esto. 20. Eremitae literarii. 21. (3) Viros magnos venerare; mortuos & vivos. 22. Ciampoli insania. 23. Principes eruditos honore prosequamur. 24. (4) Ostentator modestus esto. 25. Ridicula δοξομαχίας exempla. 26. (5) Defectus tuos absconde. 27. 28. Declaratur e Verulamio & Ficheto, 29. (6) Arcana tibi serua. 30. (7) Cave contemni. 31. II. proponuntur Regulae ratione impedimentorum, in conversatione tollendorum: 32. quarum generalissima est: Ne sis molestus. 33. Reg. (1) Ut homo est, ita morem geras. 34. Declaratur exemplis. 35. (2) Obsequiosus esto. 36. Disputaces & contentiosi intolerabiles. 37. Exempla horum. 38. (3) Affabilis esto. 39. Tristes & morosi a conversatione alieni. 40. H. Cardani ridicula exceptio peregrini. 41. Exempla humanitatis in Pinello, Grutero & Budeo. 42. (4) Garrulus ne esto. 43. Ridiculum garruli exemplum. 44. (5) Curiosior, quam decet, ne esto. 45. (6) In judicando praecipue ne esto. 46. Modus conversandi. 47. Conversatio magnum informationis subsidium. 48. Barboxae conversatio cum Bibliopoli. 49. Colloquia Literatorum. 50. Perturbationes studio excitata interdum utiles. 51. Pinelli modus indagandi inclinationes hominum. 52. 53. Ejusdem & Pauli Sarprii modus notandi e colloquiis observata. 54. Peregrinatoribus magna e Collo-

Colloquio doctorum utilitas. 55. Certum interrogandi artificium etiam arcana de-
regit. 56. Critice Socratica. 57. Conversatio per epistolas. 58. 59. Pinelli & Ma-
liabecci studium ea in re laudatur. 60. Finis Homiletices Eruditæ, scientia & fama.

Musea & Collegia, de quibus superiore capite egimus, eam ob causam insti-
tuit solent, ut ex conversatione eruditorum mutua res literaria augmen-
tum capiat. Conversandi ergo ratio quædam habenda est, quæ ut in
omni hominum societate, ita & literatorum illa, omnia moderatur, & ut
in rebus civilibus indigentiam, ita in doctrinis ignorantiam nostram solatur. * O-
peræ sane pretium fecerit, optimeque de orbe erudito mereretur, qui artem con-
versandi cum hominibus ad certas regulas revocaret, & in quoddam suis vinculis
connexum systema compingeret. * Hactenus enim inter desiderata referendus
est ille labor. Etsi enim habemus, qui de officiis scripsere, tamen non tam late
patet illa tractatio, & ad justitiam actionum tantum refertur, non vel ad utile, vel
ad decorum. In his conversandi ars consistit, prudentiæque civili ad latus jungi
debet, quæ sine illa rudis futura est ac ingrata, & nonnunquam sine suo frustrabi-
tur. * Sed illa in solo σοφισμῶ consistere plerisque creditur, ac infinite vagari,
ut in ordinem redigi non possit: qui tamen errare mihi videntur: cum ipsa negotia
civilia accurate satis præceptis comprehendere possint. Quam diligentissime hic ex-
cutiendum τὸ φρονῖν & ἠδονῖν morum ac affectuum, in quibus omnis rerum car-
do versatur, ex quorum affectionibus, ad personas, negotia, loca, tempora, appli-
catis, illæ conclusiones formandæ sunt. In consilium adhibendi Physiognomici
Scriptores, Porta, Camillus Baldus in *Physiognomica Aristotelis*, libro de *propensionibus
hominum*, libro Italico de *Conversazione*, Scipio Claramontius de *conjectandis latentibus
animi affectionibus*, & plures alii, qui vel incertis, vel fugitivis dissertationibus de
hoc argumento scripsere: ita feliciori pede hac in re progredi possemus, & tan-
dem artem, certis constantem principiis, hinc efformare. Quæ cum sæpe mecum
perpenderem, non inglorium aut inutile opus credidi, si quis, quæ in in univer-
sum de conversatione dicuntur, ad rem literariam applicet; in qua post medita-
tionem nostram omne punctum fert conversatio, quæ & ipsa novis meditationi-
bus viam sternit. Pro mente excolenda laboramus; illi ut bene sit, etsi divina
gratia & nobis ipsis præcipue indigeamus; tamen aliorum etiam opera requiritur,
ut sapere recte possimus; quemadmodum ad corpus hoc sustentandum opè & au-
xilio aliorum carere non possumus. * Quare titulo HOMILETICES
ERUDITÆ librum mihi scribendum aliquando proposui. Verum cum spes
mihi inchoare longas in hac varietate & multitudine rerum, quibus distringor, at-
que lubrica hac mea valetudine, non liceat; integri libri materiam in paucis pagel-
las contraham, si fortassis illa studiosa juvenus, cui omnis meus labor servit, sibi
profutura arbitretur.

Primum quasi solum omni huic contemplationi substernendum est, quod summus 6
rerum civilium Magister, Aristoteles, libro secundo Rhetoricorum nos docuit, qui

Oratorem civilem formaturus ea ipsi præcepta in moribus & affectibus hominum explorandis dedit, ut non auroribus suis tantum, sed omnibus, cum quibus conversatur, placere, eorumque, quod in societate civili potissimum est, gratiam sibi conciliare possit. Inprimenda ergo sunt animo penitus, & altis quasi radicibus defigi debent, illa de moribus & affectibus axiomata: quæ quasi *βιζώματα* sunt, unde omnis hæc tractatio velut in ramos suos dispescitur. Elegantissimam in summa brevitate horum axiomatum *διάρθρωσιν* dedit Vir Cl. Vincentius Placcius in Excerpto suo Rhetorico de Inventione Affectuosæ probationis Oratoriæ; cuius ille pleniorē *ἐξεργασίαν* pollicitus est. Addi his possunt Theophrasti characteres, & quicquid in Historicis, Comicis, Satyricis *χαρμηλερισμὸν* est, & ad mores vel affectus pertinet. Præterea & ii, qui vitas eruditorum scripserunt, sedulo legendi, quæque in illis occurrunt exempla, cum his præceptis conferenda sunt. Quorum aliqua in suo Felice literato aliisque scriptis collegit Spitzelius. Cui jungi possunt, quæ de Infelicitate literatorum Tolloius, Valerianus, Canonherrius scripserunt. Nam ex conversatione non recte instituta omnis illa eruditorum infelicitas oritur, ut proinde ex alieno periculo præcepta & regulas, ut sæpe fieri solet, nobis ipsis formare possimus.

- 7 Ut aliquam hujus HOMILETICES ERUDITÆ delineationem demus, prima ac præcipua in notitia sui opera poni debet. Nunquam cum aliis recte conversabitur, qui seipsum non satis exploraverit: quod, ut difficultatis plenissimum est; ita, ne hac in parte nos ipsos fallamus, omni studio providendum est. Omnis inter duos minimum conversatio vertitur, quorum alter ita comparatus esse debet, ut gratiæ aliorum capax esse possit; ne quid sit, quod animos avertat, sed quod alliciat, & in favorem nostrum rapere videatur. Quare non solum virtutibus omnibus instructus esse debet, qui familiaritatem virorum doctorum quærit; sed illos naturæ in se instinctus ita temperabit, ut nemini molestus, omnibus suavis deprehendatur. Omnes ergo ingeniorum morbos & defectus illum prius exploratos habere oportet, ne sua culpa impingat; & sicubi in aliis deprehendat, moderatius ferat, iisque bonis obviam ire rationibus in se ipso discat. Ingeniorum, ut vultuum, variæ sunt figuræ, quæ, nisi frenis coërceantur, ac iudicii censura in ordines redigantur, in sylvestrem naturam abeunt, ut arbores sibi relictae, si cultura nulla accesserit. Hic vero in seipsos descendere debent omnes, seque ipsos explorare, ex Stoicorum sententia, quali genio utantur. Præcipuum hic in sui ignorantia erratum est, si ingenii nostri vires vel defectus non recte expendamus, si nimia nostri fiducia viribus majora aut incongrua affectemus, si non in certo vitæ instituto acquiescamus.

- 8 Est sane quidem magna ingenii vis, si singulares quosdam instinctus, quos natura nobis infeminavit, sequamur. Illa quibusdam intelligentiæ amplitudo est, ut nihil tam excelsum & eximium sit, quo non pertingat. Sed rara admodum in illa felicitate constantia est: nam vel male subductas vitæ rationes habent, vel in scopulum aliquem ex improvise impingent ingeniosi homines, qui illos fortunis omnibus ever-

evertet, aut per totam vitam miseros reddet. Quare nisi prudentia ad clavum ingenii sedeat, *μετέωρα* omnia erunt & evanida. * Aliqui, qui ineptæ Polymathiae morbo laborant, in sylvas & in horrida tesqua dilapsi, semper in labyrinthis hærebunt, nunquam in viam *λεωφόρον*, nunquam ad metam pervenient, similes illis, qui ingurgitando negotium quidem ventriculo faceffunt, nihil vero in succum sanguinemque converrunt. * Aliqui ad abstrusa & recondita feruntur magno quidem conatu, sed robore impari, in quibus postea fatiscunt & hebetantur. * Alii nimis vasta moliuntur, de quibus illud Horatianum dixeris: *Conantur tenues grandia, cælum ipsum stultitia petunt*, cum vel ipso animi, vel fortunæ pondere in terram depri- mantur, aut Phaëtonæo supplicio insanas spes luant. * Nulla est tetrior ingenii pestis, quam si philautia viriosa inficiatur. Illa in omnes vertigines & scopulos abripier, ac ipsum exitium struet. Etsi enim honesta sui fiducia non improbanda est, neque sine illa quicquam præclari suscipi potest; tamen esse in illa modus debet, & ne infinite vagetur, coercenda est. Eo nonnullorum excrescit e fiducia nimia ambitio, ut sinistro aliorum iudicio in extremam incidant insaniam: quod Barlæo accidit, qui ob prælatum sibi Spanhemium in maniam incidit, seque ipsum in puteo suffocavit, quod de eo Sorbierius refert *epist. 64.* extatque apud Duportum *Musarum Subsecivarum lib. 1.* de eo epigramma. Spectat & huc Vincentii Gramignæ exemplum, qui ex pudore & verecundia, quod ad difficile argumentum non respondisset, totius triennii silentium sibi ipsi indixit, teste Erythræo, *Pinacoth. I. num. 44.*

* Infelicissima semper ingenia existimavi, quæ sibi solis sapere volunt; atque omnia antiqua, tot seculorum & sapientum suffragiis probata, e sedibus suis convellunt: quæ quidem strepitus movent, sed perennes famæ plausus non referunt; quemadmodum cometæ oculos quidem omnium in se convertunt, sed post aliquot dies vel menses corporum suorum lumen absumunt. Illis accenseas, qui non nisi per aliorum contemptum emergere laborant, cum magna nomina impugnant, atque ex Heróstratæis conatibus palmam sibi acquirunt. * Quidam ita animati sunt, ut non Junonem, sed nubem, amplecti malint, quorum studium omne non in disciplinas ipsas earumque verum *εργον*, sed in *περίεργον* fertur. Quicquid illi vel in maxime seriis rebus suscipiunt, omne ludicrum & ineptum est, & vel in subtiles, vel eruditas, vel difficiles nugas resolvitur. Qui Historiæ studium colunt, cum maximus ex ea in rem civilem fructus redundet, in inanes quasdam rituum observatiunculas dilabuntur. Qui Physica tractant, pro utilissimis & præstantissimis doctrinis, in florum, concharum similibusque rerum inanes speculationes abripuntur: quorum Anthomaniam & Conchomaniam ridet Wellchius *Hecatoth. I. Obs. 84.* reduviam potius, quam caput curantium. Sunt quædam in singulis disciplinis ineptiæ, ac, ut ita dicam, præstigiæ, quibus vanissima capi ingenia solent, cordatis prudentibusque viis semper explosæ. Sed qui illis delectantur, doctissimi Fabulatoris dictum audiant: *Nisi utile est, quod facimus, stulta est gloria.* Quot sunt, qui incerta omnia sequuntur! cum, si in uno solo habitarent, omnium ferre suffragia potuissent. Nunc vero, si non omnibus ridendos se præbent, mediocrem aliquam vel tenuem doctrinam ridicula pompa ostentant.

15 * Non incommode omne studiis incumbentium genus cum tribus comparaveris, fucis, crabronibus, apibus. Fuci sunt homines ignava opera, philosopha sententia, compilatores vel dolosi vel inepti, vani scientiarum ostentatores, agyrtæ, aralogi. Crabrones sunt feroculi illi, qui ut docti videantur, aliis insultant; cumque prodesse nulla re possint, strepitu tantum molesti sunt. Apes sunt, qui illud doctrinæ & sapientiæ mel e variis floribus congerunt, & bonæ famæ fragrantia orbem eruditum implent. Hic se ergo ipsum quis examinet; an inter fucos & crabrones, an vero inter apes locum sibi esse velit.

16 Notitiam sui notitia aliorum sequitur; nam qui se ipsum recte exploraverit, & ad Lydium lapidem virtutum & decori examinaverit, rectius de aliis judicare poterit. 1. Considerari ergo illi eruditi, cum quibus conversari cupimus, debent, ratione temperamenti, sunt enim melancholici, sanguinei, biliosi, phlegmatici. 2. Ratione ætatis, ut juvenes, senes. 3. Ratione sexus, ut viri, virgines, feminæ. 4. Ratione fortunæ, ut divites, nobiles, potentes, scriptis clari, pauperes, miseri, exules, inventores novarum rerum, secretorum possessores. 5. Ratione gentis & patriæ, ut Galli, Itali, Germani, Septentrionales &c. 6. Ratione conditionis, status, officiorum, ut Eruditi, Principes, in autoritate positi, Heroës, Literarii, Politici, Aulici, Academici, Milites, Privati, Mercatores, Eremitæ literarii & solitarii, Sacri Ordinis homines, Monachi, Icti, Advocati, Medici, Philosophi, ἑμότεχνοι, Peregrini, Cives. 7. Ratione virtutum, vitiorumque his oppositorum, morum, item affectuum; ubi Aristotelis illa tria capita spectari debet: *Qui, erga quos, quibus ex causis.* Spectabimus hic religiosos, atheos, superstiosos, hypocritas, ambitiosos, magnificos, superbos, maledicos, contemptores, adversarios, feroces & ingenii tyrannici, luxuriosos, voluptuarios, affabiles, urbanos, morosos, tristes, avaros, liberales, veraces, mendaces, dolosos, assentatores, severos, crudeles, injustos, invidos, calumniatores, imprudentes, intempestivos, garrulos, inconstantes, molestos, credulos, suspiciosos, diffidentes, temerarios, vindictæ cupidos, maculosos, obstinatos, pusillanimes, curiosos, extemporales, ἐνεργητιμὸς, quos activos dicere solemus, industrios, incuriosos, laboriosos, beneficos, hospitaes, gratos, ingratos, querulos, mansuetos, ebriosos, cavillatores, κενδοῖζες, gloriatores, modestos, occupatos, iracundos, φιλορέκτες, varios, mirabiles, admirantes omnia, infociabiles, gloriæ contemptores, rustice verecundos, in diem viventes, tergiversatores, σκοτεινὸς, perplexos subtilitatum affectatores, & si qui præterea sunt: quorum singulorum ingenia ad conversandi rationem expendenda. Possunt enim illi mores & affectus considerari, vel ut per se tales, vel cum respectu ad personarum conditionem, unde certum quasi temperamentum omnis conversationis est. Sed nos hic summa tantum rerum vestigia sequimur, & quoniam exhaurire argumentum hoc totum non licet, paucis tantum axiomatibus præcipua complectemur.

17 Summum hoc in omni conversatione tenendum est, ut aliquam de nobis opinionem excitemus, & nemini molesti simus: quorum alterum animos erga nos inclinat, alterum impedimenta tollit; unde tandem favor & amor consequitur, cujus

excitandi varii quoque alias modi sunt generales, qui ad omnem, non solum eruditi, conversationem pertinent, & hic quasi præsupponi debent. Ut opinionem aliorum de nobis excitemus, hæc præcepta observanda sunt: * I. HONESTATEM VULTU, VERBIS, FACTO, EXPRIME. Nihil magis allicit animos, quam bona mens, quæ per se virtute sua, quasi quodam magnetismo, trahitur. Qui versuti sunt, callidi simulatores, tritatores, litium seminatores, quorum vitæ genus in istis rebus versatur, quæ multum fallaciæ conjunctum habent, eos suspectos plerumque habemus, cum semper ab aliis insidias metuamus. Præterea homines omnes ad fucum & ad speciem compositi, ad quæstum intenti, pessimæ vitæ & morum, abalienant a se omnium bonorum hominum animos; quibus accensendi sunt Athæi, qui cum Deum non venerantur, nihil in humanis sanctum habebunt, atque ab omni conversatione merito removendi sunt. Pietas vero & honestas contra mirifice hominum favorem excitant, & amplissima sæpe beneficia etiam ab ignotis extorquent. Qui magnorum arcanorum possessores sunt, ad familiaritatem non admittent, nisi homines probos. Amabunt tales discipulos Præceptores, promptioresque illi in eradiendis bonis erunt, quam in distortis & pravis ingeniis. Quis non laudat illam in Salmasio generositatem, qui vel amplissimi stipendii spe adduci non potuit, ut Richelii historiam scriberet, quod ipsi multa essent adversus animi sententiam & in veritatis præjudicium scribenda, de quo apud Patin. *Epist.* 2. Honestas illa non ex factis tantum, sed ex ipso etiam vultu, gestu & verbis elucere debet: ex his enim statim de animo judicatur. Non possumus nisi cum fastidio excipere illos homines, quos σοβαρῆς, ὑψηλῆς, μετώρῆς, ὑψαύχνας, ὑποκάζοντας Græci appellant. Autor est Ælian. l. 3. *var. hist.* Platonem cavillationem & irrisionem quandam in vultu Aristotelis notasse, unde ad impudentiam natum censuit. Eam vultus honestatem vel ab oratore suo Rhetores requirunt, Cic. l. 2. de Orat. *Ad conciliandam benevolentiam hæc adjuvant in Oratore, lenitas vocis, vultus, pudoris significatio, verborum comitas.* In Pompejo Plutarchus laudat τὴν εὐψίαν & μετρίως συνδημαγωγῶσαν καὶ πρῶεντυγχάνουσαν αὐτῷ τῆς Φωνῆς, vultum non mediocriter gratiosum, quique tacitis nescio quibus illecebris hominum studia benevolentiamque pelliceret, atque adeo præveniret ejus orationem. Chrysostomus de S. Meletio loquens τρυφή ἢ μεγαλή τὸ τῆς ἀγίας ἀψῆως ἀπολαύειν ἐνεύνης. Erat summa voluntas frui illo sancto vultu. Vidimus nonnunquam solo aspectu persuasisse Oratores: habitat enim in vultu animus, qui, si bonus ac honestus est, radios ex ipsa illa vultus compositione spargit, qui se aliorum animis ingerunt. Quidni ergo in conversatione erudita idem fieri possit, ubi mutuis modestisque colloquiis animi ipsi inter se coeunt & miscentur. *Omnis enim, ut Cic. de Orat. l. 3. ait, motus animi suum quendam a natura vultum habet, & sonum, & gestum: totumque corpus hominis, & ejus omnis vultus, omnesque voces, ut nervi in sistribus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulse.*

II. Axioma nobis sit: ERUDITI FAMAM AUCUPARE, ET ESTO. Qui eruditorum amicitiam ambit, ipse eruditus esse debet: quemadmodum enim, ut Græco

proverbio dicitur, τέτλιξ μὲν τέττιγι Φιλὸς, μύρμηκι δὲ μύρμηξ, ita quoque sunt eruditae commercia & confortia, quæ non nisi vario doctrinæ sapientiæque coagulo coalescunt. Non sufficit inanis aliqua eruditionis species, quibus imperitis quidem imponi potest, viris prudentibus & doctis non item. Ipsa quoque eruditio thesauri abscondito similis; quæ nisi in publicum proferatur, ut aliis quoque de eruditione nostra constet, nos ipsi ab eruditorum orbe quasi divisi vivemus. * Ac sunt nonnunquam homines, qui vel sui diffidentia vel generositate quadam nimiaque fiducia & aliorum contemptu, secessus quosdam amant, ut sibi sapere possint; vana aliqua philautia inducti id faciunt, sive quod ad arcanorum sapientiam admissi cetera vulgaria aspernentur: quos ego Eremitas literatos dicere soleo, qui cum se ipsos ab omni hominum vel eruditorum societate sejungunt, ad conversationem eruditam animum nunquam applicabunt, neque aliis, qui amicitiam eorum ambiunt, facile aures dabunt; nisi forte iisdem moribus sint; & ad easdem artes & scientias eodem instinctu ferantur. Ut ergo constet esse te eruditum, vel specimine aliquo, quod alii tibi potius extorqueant, quam tu aliis obtrudas, vel erudito colloquio ostende. Sæpe uno arguto & eleganti epigrammate plus famæ quidam sibi pararunt, quam vastis aliis libris, in quibus multam laboris, parum ingenii est & iudicii.

21 III. Præceptum est: VIROS MAGNOS ET DOCTRINA ILLUSTRÉS VENERARE. Non de vivis tantum, sed & de mortuis hoc dictum puta. Infelicissimi ingenii signum est, si quis viros totius orbis erudiri & multorum seculorum suffragio probatos suo iudicio de famæ possessione deturbare velit. Sunt, qui, ut famam aliquam aucupentur, magnis & illustribus viris bellum indicant, Gigantum fraterculi, vel potius Pygmæi. Aversabuntur omnes hominem talem, licet interdum eruditionem non damnent, perpetuæque infamiæ macula etiam post fata illos comitabitur. Præterea non magnæ tantum arrogantiae ac malitiæ hoc signum est, sed & inscitiae: solent enim plerumque tales homines præcipiti aliquo iudicio ferri, cum accurate non légerint & expenderit omnia. Multos vidi, qui juvenia audaces impugnarunt homines illustres, quos postea, etiam meliora monitos, mutare sententiam pudit. * Erat his moribus JOANN. CIAMPOLUS Florentinus, quem Erythræus *Pinacoth. II. n. 19.* describit, qui cum ab ineunte ætate magnus esset æstimator sui ipsius, & contemptor aliorum; cum multam sibi invidiam pararet ob nimiam loquendi libertatem; ob intimas atque apertas cum iis amicitias, quorum voluntates ab iis, quorum ipse tempori inservire debeat, alienæ existimabantur; & ob mimicam scurrilitatem, qua aliorum vultus moresque exprimeret; mortuis quoque & tot seculorum plausu æstimatis viris acerbè insultavit. *Virgilium & Petrarcam eo nomine felices appellabat, quod tot seculis principes Poëtarum habiti essent, cum nihil in eis nisi humile atque vulgare inveniretur, nec comparandi quidem essent ad eos, qui sua ætate florent. Die quodam cum per urbem rheda veberetur una cum Gaudenzio Paganino, aliisque eruditis hominibus, occasione arrepta, cepit ita in Virgilium & Horatium invehere, ut diceret, nemini unquam iniquius Poëta nomen fuisse comparatum, quam illis; etenim nullo esse homines ingenio,*
nulla

nulla eruditione, nullis literis, & quod rem attinet, nulla inventione, sed puerorum similes, qui tum primum in scholis versus facere discerent: contra se divino quodam munere omnes poeta numeros fuisse adeptum, in quo omnes e. a. viritates conspicerentur, quarum alii essent expertes: Quod cum Paganinus ferre non posset, stomachans e rebda se eiecit, neque deinde ausus est eo, ubi ipse esset, accedere. Plures ejus viri, utut alias ingeniosi, sed obstinati, tumidi & affectatoris, ineptias illic recenset Erythraeus. Testis tamen idem est, paulum ante suum e vira discessum totam suae sententiae rationem mutasse, eosque Poetas in veterem dignitatis locum, unde opinione sua deturbaverat, reposuisse. Solet enim idem hujus indolis hominibus fatum esse, quod Phrygibus, qui sero demum sapiunt, per totam vitam *ἀει πᾶδες*, qui non nisi *μετρώεως* & inanibus rebus ac ineptis delectantur. Quod si idem faciant in vivis, pro scenore inimicitias omnium reportabunt. Omnes ad viri talis conspectum, velut ad rabidi capis occursum, horrebunt, & cane pejus & angue vitabunt. Novi virum egregie doctum, sed in omnes pene hujus seculi illustres viros maledicentissimum: quam ob causam nemo illum respicit, neque amicitiam ejus ambit. Nam cum nemini parcat, easdem ab illo injurias omnes metuunt. Præterea incitiae ac imprudentiae opinionem excitat: cum enim reprehendi aliquem vident, qui omnium judicio in caelum extollitur, prudentiores hominem indoctum habebunt, qui id fecerit. Ut enim de pictore, sculptore, fectore nisi artifex judicare; ita nisi sapiens perspicere non potest sapientem. Insapientis ergo, indoctus & homo malus est, qui bonos & doctos reprehendit. * Quod si ad doctrinam insignem illustris quoque dignitas accesserit, major illis reverentia debetur, quo magis illi fortunas doctorum augere possunt. Principes eruditi enim, siquidem vere eruditione excellent, aut prudentes sint, *δμοτέχνης* semper amabunt, eosque, ut suae laudis praecones, venerabuntur. Qui eruditioni suae diffidunt, alios, qui se ingenio & eruditione superant, odisse solent, ut Nero Poetas sui temporis. Verum Urbanus VIII. & Alexander VII. Pontifices, Poetae ipsi praestantissimi, ad optima munera viros ingeniosos & Poetas vocarunt, ac cum ipsis familiariter conversati sunt: Legimus in praefatione Epistolarum Patini, Magnates Patino aureum nummum (*Louis d'or*) obtulisse, singulis vicibus orbiculo supponendum, quoties ille cibum una capere vellet: quam ille tamen conditionem fastus aulici impatiens respuit.

IV. Axioma hoc est: OSTENTATOR MODESTVS ESTO. Quemadmodum superbia & fastus nos ab aliis sejungit, ut consortium nostrum fugiant, ita cum nimis abjecte de nobis sentimus, per nostram negligentiam aliis quoque negligimur. Quare non adeo improbanda est decora ostentatio, sed quae ab omni jactantia, ab ineptiis remota ac plena modestia sit. Quod si famam expertus faventem fueris, eamque fueris promeritus, non tuo tantum, sed & virorum bonorum judicio, secundum Horatii sententiam, *questam meritis fume superbiam*. Est enim quaedam honesta philautia, quae in sui fiducia consistit. Magna vero famae in alliciendis animis praerogativa est: quare famam non tantum honeste aucupari debet, ut praeepto primo diximus,

mis, ostentatio, quam ut in Mutiano laudavit Tacitus, & ab illo requiritur; ita & erudito quaedam sui ostentatio necessaria erit. Egregia plane sunt, quæ de omni etiam virtutis ostentatione agit Verulamius l. 8. de Augm. scient. c. 2. etiam nobis hoc in loco profutura; quæ illic legi possunt. * Abeffe 25 vero omnis fastus & ineptiæ debent, ne vel odiosi famus vel ridiculi. Fastum talem cum asperitate conjunctum in Mottæo Vayero deprehendit Patinus, qui de eo epist. 15. *autant Stoïque qu' homme du monde, homme qui veut être loué & ne loue jamais personne, fantasque & capricieux, & soupçonné d'un vice d'esprit dont étoient atteints Diagoras & Protagoras.* Ineptam illam *δοξομακίαν* aliquot exemplis nobis Erythræus, optimus characterum in viris literatis observator, depinxit. In eorum genere qui esse primi omnium rerum volunt, nec sunt, BELMONTES CAGNOLUS fuit, de quo ille Pinacoth. I. n. 8. ridiculam plane historiam recenset. Homo gloriarum plenissimus sibi persuadebat, in toto orbe terrarum celebratum suum nomen esse; ac si literatus quispiam ipsi advenienti continuo non assurrexisset, elatus iracundia, hisce hominem verbis accipiebat: *Itaque? Abbas Cagnolus eversa Aquileje & tantorum carminum autor, tuam potuit notitiam effugere? non sit verosimile. Et quo tempore Cardinalis a Balneo aula ludus erat, cum die quodam in Humoristarum cœtum se intulisset, & amatoria quedam carmina ab alio, ut ipse dicebat, confecta, qui in ejus disciplina educatus esset, senex candidissimus recitasset, omnium in se risus excitavit. Quamobrem ille inflammatus ira: quid ridetis, inquit, insani? ego sum ille Abbas Cagnolus, omnium, qui sunt ex hoc numero, multo antiquissimus, quique ex dicitur Aquileje poemate tantam mihi gloriam famamque vollegi, ut nullus in terra vivat, cujus nomen sit apud omnes illustrius & clarius. Quibus auditis omnes ita voces, ita palmarum intentus, sibilos profuderunt, ut ad eos compefcendos nihil Augustini Mascardi, qui tum Academiam Princeps regebat, jussus atque autoritas plane valeret.* Ridicula plane & misera fuit JACOBI CLAVERI *δοξομακίαι*, quam idem Erythræus Pinacoth. I. n. 3. describit: *Suo tempore sacris initiatus; mittebatur quotannis feriis esurialibus in aliquem pagum, divinarum rerum interpres; atque etiam excipiendarum confessionum provinciam accepit; que res illi conjungenda cum multis amicitie causa fuit, utque cupiditatem laudis & gloriæ, quæ astuabat, expleret.* Nam tribunal, unda confessiones excipiebat, ostiolo templi propinquum habebat, qua discipulis a scholis redeuntibus transeundum necessario erat; ibi tanquam in statione manebat, & quemcunque adolescentem ingenio prestare audivisset, humanissimis verbis excipiebat, laudibus efferebat, suam illi operam pollicebatur, ac postea in cellulam deductum juglande, melle condita, reficiebat; quibus blanditiis eo hominem adducebat, ut promitteret, se ejus laudes, quas ipse sigillatim enarrabat, vel prosa oratione vel carmine, celebraturum, ac per hanc rationem a multis, qui postea in literis clari & magni extiterunt, non inelegantes versus suam in laudem expressit: nec minus audacter poetarum hujus ac superioris ævi principes est aggressus, videlicet Annibalem Carum, Torquatium Tassum, Benedictum Varchium, Fulvium Cæsarem Stellam, Porphyrium Felicianum; quorum scripta in ipsum carmina leguntur, hæc ille postea in duo volumina collecta edidit, quorum alterum Latina, alterum He-

trusca

trusca poematia continet; & utrisque præfixa est ejus vita, oppido ridicula. At voluit homo cupidus laudis vivens gloriola sua frui: quibus rebus perfecerat, ut tota urbe celebratum suum nomen esset. Induxit etiam, nescio quem, Religiosæ ejusdem familie rerum gestarum scriptorem; ut sua ipsam historia summis laudibus ornatum infereret. Longe subtilior illorum *δοξομανία* est, qui gloriam de spreta gloria aucupari solent, de quo Antonin. Imperat. τῶν εἰς ἐσωτὸν. lib. 12. §. 27. ὁ γὰρ ὑπὸ ἀτυφία τύφος τυφόμενος πάντων χαλεπώτατος, fastus de fastus contemptu inflatus omnium est maxime intolerabilis; ubi præclaras Gatakeri notas vide. Omnis ab ostentatione & laudis cupidine affectatio abesse debet, quæ in erudito omnia corrumpit. In verbis, factis, scriptis, conversatione & ubique se exercere solet: quam ut effugiat, omni prudentia providendum est. Vir eruditus erat Alexander Burgius, sed unum illi objiciebatur vitium, referente Erythraeo *Pinac. l. n. 67.* quod nimis eruditi famam affectaret: nam obvios in via amicos sententia aliqua, aut verbis, ex Ciceronis epistolis desumptis, salvere jubebat: unde apud eos, qui eum non nossent, pædagogici speciem non poterat effugere. De hoc affectationis vitio, quod Gallis *pedanterie* dicitur, multa erudite Autor artis cogitandi in *Disc. primo: Recenset nonnullos hujus vitii in eruditis caracterifimos Baillerus in libro de Judiciis doctorum, tom. 1. part. 1. §. 2.* De variis in paranda fama artibus & præstigiis extat elegans Johann. Comirii Oratio, Poëmatibus ejus annexa, quæ hoc nostrum axioma mirifice illustrabit.

V. Axioma est: DEFECTUS TUOS ABSCONDE. 26
 Ut ostentare in tempore virtutes, ita defectus suos occultare, viri prudentis est. Ut ille Politicus omnium optimus est, qui imprudentiæ suæ errores tegere novit; ita ille vir eruditus præ ceteris habebitur, qui defectus suos callidius celare novit.
 * Tres defectuum latebras, ut vocat, Verulamius constituit: quarum prima illi est 27
Cautio, quando iis rebus abstinemus, quibus pares non sumus, cum audaces se omnibus rebus ingerant, ac prudentiorum risui se exponant. Secunda est *Prætextus*, cum defectibus nostris benigna aliqua interpretatione viam sternimus, quasi aliunde provenientibus, aut alio tendentibus. Tertia *Confidentia*, cum illa contemnimus, quæ ipsi assequi non possumus: ut mercatores, qui suas merces, licet ignobiliores, extollunt, aliarum pretium imminuunt. Singula hæc, ab illo prudentissime observata, etiam in re literaria atque conversatione erudita usum insignem habent, quæ satis per se sine ulteriori elucidatione intelligi possunt. * Idem in *arcana sua studio- 28*
rum methodo cap. 14. diligentissime inculcavit Alexander Fichetus, qui inter alia studiorum mysteria etiam hoc proponit: *Defectus majori studio tacendi sunt. Etsi enim fascès præ modestia summittendi sunt, prodenda tamen non sunt apud alios, quæ videntur nocitura; notitiam enim defectuum illico fama malum velocissimum spargit linguis; ac ut sunt ita comparati a natura mortales, ut aliorum sic malis & inopia gaudeant; ut curiositate gestiunt ea cognoscendi, magna famam credulitate excipiunt, magnaque despicientia notatos prosequuntur & contemptu. Neque ergo memoriæ defectus, nec difficultas componendi nec studendi molestia, nec capitis aut oculorum imbecillitas, nec ingenii tenuitas in medium est proferenda.*

Qui

Qui non habet facultatem Orationis extemporanea, quam in Oratore exigit Quintilianus, ille conversatione crebra debet abstinere, aut domo paratus efferre in medium materias, quod etiam illi præstant, qui pedanea in ceteris valent eloquentia; satius tamen est, ut pulpito & rostris contenti sint, ne decrescant, seque ipsis minores esse videantur. Ceterum nunquam in publicum prodeat disputaturus, peroraturus, aut aliud quidpiam præstaturus, nisi paratus eximie, & ad concitandam admirationem instructissimus. Vel unica minus ornata minusque compta disputatio hominem capite minuit & fama: omnium autem maxime elaborata sit oportet, quæ prima est, quia ab ea successus & opinio pendet. Consequitur ergo ex his, quoniam opinionem bonam imminuit defectuum imprudens revelatio, illam conversationi impedimento esse, ac proin sedulo viro docto evitandam.

29 VI. Axioma est: **ARCANA STUDIORUM TUORUM TIBI SERVA.** Etiam hoc ad prudentiam in conversatione literatorum necessarium maxime est. Majori admirationi sunt, quorum modi & causæ ignorantur. In omnibus negotiis, commerciis, artibus, aliqua arcana sunt & recondita, quæ sibi fervant, qui ista tractant: propalatis enim illis évilescit illorum premium, & simul vel lucrum, vel honos, vel quodcunque illis commodum decedit. Quare si tibi singulares in aliqua scientia profectus sint, & occulta quadam arte parati, quam alii ignorent, eveniet, ut ea manifestata levem rem æstiment, qui antea mirati sunt, cum se eadem id efficere ratione posse credant. Huc pertinet illud Alexandri Ficheti præceptum in arcan. method. cap. 10. *Magna arte fama sustinenda, servandumque arcanum silentiariorum ope Geniorum: Nam etsi specimen eruditionis semper sit dandum in publico, remota ambitione præstataque humanitate, illud tamen, quo præstas aliis, aperiendum non est, ne coronam tibi tuam præripiant, tuisque graculorum more plumis se convestiant: sit tamen aliquid, quo emineas; si aliquid, quod suggeras & proferas inauditum, parce & modeste, ne prodigas tua, tuisque te spolies: sat est, si agnoscant ex ungue Leonem. De Hebraicis, Arabicis, de Jurisprudencia, Medicina, Historia, & aliis arcanis, salis modo inspersis, quanta lateant, suspicentur. Tu vero & laudibus & argutis interrogationibus, & blanditiis erue arcana eorum, si potes: sapientia genus est hoc genus doli boni. Huc etiam pertinet arcanum illud maximum, ne cuiquam adversaria, notas & dictata tua pervolvenda permittas: ne cuiquam dixeris, quo studeas modo, qua dicas aut conscribas arte, quos habeas arcanos libros. Nam ea, que latent, suspicione semper & curiositate insita mortalibus majoris sunt. Vidi ego virum doctum, habitum contemptui, quia fenestris apertis scribebat, habendum alioquin in pretio & admiratione maxima, si studendi modum arcani majestate obvelasset. Hæc Fichetus, & me quidem iudice recte, præcipit: nam quod de scriptis celandis ait, verissimum est, ac novi ego hac ratione viris doctis multos laborum suorum periisse fructus, cum alii eorum sylvas pro lubiru cæderent, atque ex parata materia, quæ vellent, ædificarent. Quam enim facile est, in varias rem figuras convertere? ut eorum videatur, quod aliis manifesta fraude subductum est. In scientiis ipsis aut earum methodo arcana dissimulata majorem laudem conciliant.*

Quæ

Quæ non Mnemonices beneficio prodigiosa præstita sunt tam apud veteres, quam apud recentiores? quæ admirationi omnibus fuere, antequam illa ars propalata: nunc vero post manifestata ejus artis arcana, æstimatio quoque ejus rei perit.

VII. Axioma est: **CAVE CONTEMNI.** Generalissimum hoc³⁰ est præceptum, quod priora continet, & si quæ alia sunt, quæ superioribus non comprehenduntur. Qui enim opinionem de se excitaturus est, is omnia illa fugere debet, quæ in contemptum adducere possunt. Contemptibiles autem nos reddunt omnia illa vitia, quæ in oculos incurrunt; sive illa, ab anima, sive a corpore, sive a fortuna, aut ipsa conversatione oriuntur. Qui intellectu peccant & ideo contemni solent, sunt homines simplices & stulti: reperiuntur enim etiam in eruditis, qui non in ipsa rerum luce & actione versantur, cetera non indocti multi homines imprudentes & simplices, qualis ille fuit Marcellus Marchesius, apud Erythræum *Pinac. I. n. 69.* Cui nauta quidam de campanis e templo Franciscanorum furto sublatis imposuerat. Ubi tamen id notandum, homines simplices usui interdum sagacioribus esse in rebus curandis; quibus ipsi operam commodare nolunt. Contemptum etiam provocant illi, qui omnia admirantur, in sermone affectatores imprudentes, rerum suarum imperiti, homines in nugis occupati, voluptuarii, ridicule ambitiosi, rustice verecundi, audaces & temerarii, homines gloriosi, assentatores, superciliosè graves, in diem viventes, & his similes, de quibus videatur ulterius Vinc. Placcius *Excerpto II. Rhetor. Tit. 2. §. 6.* Plura hominum eruditorum ob stultitiam contemptorum, exempla vide apud Erythræum *Pinacoth. II. n. 65.* in Fortunato Scaccho, & eadem *Pinacoth. n. 45.* in Antonia Maraffa & *ibid. n. 4.* in Francisco Balduccio. Ubi jam ergo hæc præcepta sedulo observaverimus, facile per conversationem nobis amicos parabimus: qui multis quoque aliis modis parari possunt, quos in libro supra laudato notavit Placcius. Ita *Tit. 2. §. 20. num. 2.* describuntur personæ jucundæ & delectabiles, *ibid. §. 16. num. 2.* Personæ venerabiles. *Ibid. §. 14.* de benevolentia paranda canones proponuntur, qui optime ad præsens applicari negotium possunt.

Ad alterum caput procedimus, quo impedimenta opinionis de nobis excitandæ removemus, *cujus summa hæc est: **NE SIS, VEL VERBIS³¹ VEL FACTIS, MOLESTUS.** Molestiæ vero cum multæ possint esse causæ, quas enucleate satis proposuit Vinc. Placcius *Excerpt. I. Rhetor. Tit. 14.* nos illa præcipue nostro scopo applicabimus. *I. Canoa sit: **UT HOMO³² EST, ITA MOREM GERAS.** Explorandi sunt omnium animi, cum quibus conversari cupimus, ne illis dissimilitudine morum molesti simus, sed nostros ad eorum genium temperemus. Quemadmodum in sonis non concinunt chordæ, nisi certis proportionibus sint temperatæ; ita & in animis fieri solet. Nihil dici, nihil fieri debet, ex quo offendatur, quisquis ille sit, cum quo conversationem quærimus. Id vero artis est, ut modesta quadam & circumspecta colloquendi ratione animum tuis moribus adversum paulatim inclines. Recte præcepit Velamius; animum occasionibus & oportunitatibus obsequi debere. Ingenium ver-

34 facile, ut politico ita & erudito, esse debet. * Si cum ambizioso & superbo homine tibi res est; acerbis reprehensionibus in furorem conjicies, sed meliorem serinque circumductione paulatim ejus animum compones. Memorabile est illud Socratis exemplum, qui Glauconem juvenem tumidum, ad civitatis regimen aspirantem multis argumentis & tricis & interrogationibus eo tandem redegit, ut suam in illa re imperitiam agnosceret: describitur a Xenophonte *lib. 3. Memorab. pag. 133.* & Schradero *Comm. in Arist. Rhet. lib. 1. cap. 4.* ut inigne artificii Oratorii specimen proponitur. Cum Politico & quidem in rebus civilium negotiorum conversaberis alia sumenda persona est. Hic *ἀλωπικίζεν πρὸς ἀλώπικας* interdum opus est: a remotionis & ritibus indulgendum, de quibus alii solliciti non sunt. Elegancia enim moris civilis & aulici, de qua Böclerus singularem dissertationem scripsit, hic omnifert punctum. Quomodo cum invidis agendum, id eleganti libello nos docet Benedictus Menzinius Florentinus libro de literatorum hominum invidia. Præclarum extat Budæi exemplum in ejus vita, a Ludovico Regio scripta, quomodo is cum adversario suo Leonardo Portio aliisque rem suam instituerit: Ferocium hominum mores utcumque ferendi, ac illi sibi ipsis relinquendi sunt. Erit, cum sui illi mores ulciscantur. Habent & populi suos mores, ad quos peregrinus se componere debet, si illorum velit gratiam aucupari. Ita Italorum & Gallorum eruditorum mores proponit Gregor. Leti in *Italia regnant. part. 3. lib. 3. p. 228. & seqq.* quarum discrepantiam observare eruditus conversator debet. Galli non adeo omnino ad animum admittunt, & faciles in amicitias sunt, ducente illos civitate quadam libertate naturali, sine ceremoniarum affectatione. Itali vero ad amicitiam tardiores, arctiorem ineunt amicitiam. Galli ex levi occasione eam solvunt, facile resumpturi. Itali tardius ab illa discedunt, ita ut vel nunquam, vel sero & raro, ad earum redeant. Infinita propemodum sunt, quæ notari ad hoc axioma possint: ac inprimis vir eruditus sibi hoc commendatum habeat, ut commendavit sane quam maxime Verulamius libro supra citato. *Interest imprimis, inquit, honoris literarum, ut homines isti pragmatici sciant, eruditionem haudquaquam avicula; qualis est alaunda, simile esse, quæ in sublime ferri & cantillando se oblectare soleat, at nihil aliud: quin imo e accipitris potius genere esse, ut qui in alto volare, ac subinde, cum visum fuerit, descendere, & prædam rapere novit.*

35 II. Præceptum est: OBSEQUIOSUS ESTO. Obsequium semper amico parit. Pulchre describit hominem obsequiosum Terentius *Andria Act. I. Sc. 1. v. 35.* Homo commodus ille alias dicitur. * Respuit conversatio omnes, qui sunt contentio-
36 so & disputaci ingenio, & qui censuram sibi in alios sumunt. Pulchre Quintilianus lib. II, cap. 1. *Habet mens nostra sublime quiddam & erectum & impatiens superioris idoque abjectos aut submittentis se libenter allevamus, quia hoc facere tanquam majore videmur, & quoties discessit æmulatio, succedit humanitas. At qui se supra modum extollit; premere ac despiciere creditur, nec tam se majorem, quam minores ceteros facere.* Quam sit in rebus civilibus necessarium obsequium minorum erga majores & quidnam illa arte obsequii effici possit; pulchre docet Böclerus *dissert. polit. 3.* Institutionibus politicis addita, & *commentar. ad lib. I. Annal. Taciti ad cap. 2. annotat. n*

Fichetus inter arcana sua etiam hoc proponit cap. 10. *Adsit comitas & ingenuitas, blanda conciliatrix animorum, quæ tamen vulnere non pateat, neque latus nudet aliorum simulationi & calliditati, horum pesti temporum venenoque conversationis. Sit silentium sermone potius, nisi de ignorantie suspitione periclitemur. Sit in audiendo patiens animus, auris benevola, laus liberalissima; nec vultu aut nutu ledatur amicitia, quæ etiam pietate condiri debet. Morosa non sit, neque contentiosa conversatio, sed blanda veritati assentiens: molestissimi sunt enim odiosissimi que mortalium, qui contradicunt semper, ut Aristoteles est effatus.* * Hanc in 37 Petavio disputatam damnat Patinus epist. 2. quem molestum, maledicum & mordacem hominem vocat; qui nunquam scripserit, nisi alium refutaturus. Campanellæ cum Theologo disputatio acrior omne malum accersivit, ut prolixè recenset Erythræus *Pinacoth. I. n. 21.* Absit a literatis omnis ferocia, quæ Musas earumque cultores non decet. Singulare hujus ferociæ exemplum in Thoma Dempstero fuit, cujus mores graphice Erythræus *Pinacoth. I. num. 9.* describit. Sunt etiam in eruditorum genere, qui merui malint, quam amari. Adversus hos feroces, opiniosos, morosos, disputatores, qui contendet, ex infanis plerumque infaniores reddet. Sed sunt tamen & in illis, qui cedendo a superiores fiunt; ubi animos & laceratos illis objeceris, mitefcunt.

III. Præceptum est: **AFFABILIS EST O.** Nihil magis animos allicit, 38 quam si quis se omnibus placidum exhibuerit. Qui in Græcis epigrammatis *ἠεροζυγοκἀμψιμέτωπος* appellatur, h. e. *feræ & flexijuga frontis*, ut Themistius Orat. 9. Procopium describit, *ἀεὶ συγκεκυφὸς, ἀεὶ συνεφῆς ἐφελύμενος τοῖς ὀφρῦς, demisso semper in terram vultu, semper tetricus, & contractum supercilium habens*, is ut ab omni conversatione, ita ab erudita, removendus. * Sunt tamen interdum homines, præsertim 39 profundis speculationibus immerfi, Theologi severiores, Pædagogi; morosiores & superciliosii. Quidam etsi per se tristioris ingenii, adscititiam tamen humanitatem in conversatione habent. Quidam tristiores videntur, quam re vera sunt, quod de Vincentio Gramigna notat Erythræus *Pinacoth. I. n. 44.* *Tristitia atque severitas, quam præ se ferebat in vultu, dabat illi, qui non essent experti, occasionem suspicandi, eum esse amicum minus suavem & commodum; sed expertis nihil eo videbatur humanius & jucundius: atque amicitias, quas semel cum aliquo susceperat, quippe quas non lucrum, non ambitio, non vitiorum societas conciliaverat, sed virtutis amor studiumque conjunxerat, usque ad extremum spiritum, integras illibatasque conservavit.* * Singulare morositatis, imo 40 stultitiæ, exemplum Cardanus dedit; de quo Hilarius Pyrcckhamerius in libro de ratione peregrinandi refert, cum illum salutandi gratia adiret, interrogatum ab illo fuisse, num pecuniam afferret; cum ille se præter necessarios ad iter nummos quicquam attulisse negaret, respondit Cardanus; se non curare transalpinos, nisi nummos adferrent. Ex eo tempore, inquit ille, non Cardanum amplius, sed *Κερόδειον*, vocabam. Sed condonandum hujus hominis ingenio quicquam fuit, qui, utur doctissimus, multa tamen alia stultitiæ suæ specimina dedit. * Summa contra fuit Pi- 41 nelli humanitas, qua ille viros doctos excepit: ita enim vitæ ejus scriptor Gualdus de illo: *Moris ipsius fuit, omnes, qui eum venerant salutatum, ad infimos usque scalarum*

gradus comitari, domesticos utlibet atque familiares. Irascebatur quippe ineptis quibusdam, qui nescio cujus existimationis magis, quam amicorum rationem habentes, sanctissimum amicitiae nomen inani verborum gesticulationumque observatione polluunt. Addi huic debet Jani Gruteri exemplum, cujus singularis humanitas atque hospitalitas a Balthasare Venatore, in Panegyrico illi scripto, omnibus in exemplum proponitur. De Budæi facilitate, qui ne injurias quidem ad animum admisit, videndus est Ludovicus Regius in ejus vita.

- 42- IV. Præceptum est: **GARRULUS NE ESTO.** Quam gravis in conversatione garrulitas sit, Horatius *Satyra lib. 1. secunda* festissime depinxit. Molestissima est viro docto temporis jactura, quod cum sine fructu
 43 sibi per garruli alicujus ineptias perire videt, indigne illud feret. * Adscribam hic hominis garrulitate, quamvis non indocta, molesti imaginem ex *Pinnacotheca Erythraei prima, num. 158.* Erat is Angelus Angelotus ita loquax, ut, quibuscum una esset, nullam sermonis partem relinqueret. *Imitabatur, inquit Erythraeus, homo Camers veteres Graculos; nam quocumque in loco, quoscumque inter homines, sive cum uno sive cum pluribus versaretur, sciscitabatur ab eis, quæ de re vellent audire; neque fas erat illis recusare, quin rem aliquam in percunctando ponerent, de qua argutissime disputaret: & ubi quempiam in via convenerat, quem inter & ipsum vel levis saltem aliqua notitia intercederet, se illi invito atque aliud agenti comitem addebat, ac vim prope imponebat, ut aliquid ab ipso percontaretur, de quo maxime vellet audire; neque antea divelli ejus a latere poterat, quam inchoatam disputationem perorasset conclusissetque: atque olim me admodum adolescentem, quem semel cum amico colloquentem suo videret, atque eadem opera, ut mos est urbanorum, salutaverat; cum feriis Bacchanalibus solum euntem aspexisset, est audacter aggressus, atque, o te, inquit, volebam, ut vales? quid agis? quo is? Ego, neque quid agam, respondi; nec, quo me conferam, scio: nam cum pigeret otiosum domi manere, ejeci me foras, ut saltem oculos hominibus personatis, tota debacchantibus urbe, delectarem, ac molestas ab animo cogitationes ejicerem; neque decretum aliquem locum habeo, quo me præsertim ire expediat. O te felioem, inquit ille, auspicato domo foras pedem extulisti; non poteras, si totam urbem perreptasses, oportuniorem hominem invenire, suavis alloquiis, atque eruditis disputationibus, omnem tuo ab animo molestiam abstergeret. Sed quoniam adveniēti mihi ad sinistram fors eum obtulerat, id quod ego non animadverteram, advolavit illico ad dexteram, atque, demus primum, ait, operam, ne merito in sermones hominum vituperationemque veniamus; nam quos de nobis sermones dabimus, quos populo risus præbebimus, si me, te tanto ætate majorem, & quod refert, tanto literis doctrinaque superiorem, tecum in via ad levam incedentem adspexerit? age vero, mihi quaestiuiculam, de qua tuo arbitrato loquar, impone; sed illud quere, quod sit amicum, lepidum, jucundum, Bacchoque dignum, cui sunt hodie Dionysia. Ego, qui in eas me tricas devenisse conspicerem, unde quemadmodum expediret, non inveniebam, demitto auriculas, & quo aliquid responderem, Dic, ajo, de amore, ex Platone præsertim, quem tibi præ ceteris Philosophis audio esse in amore atque deliciis. O sapiens, inquit ille, postulatam, & atatula ista, quam obtines, dignum: nam sit verosimile, tibi, ut ceteris adolescentibus, amorem in corde versari, tuumque*

que animum apud aliquam lepidam, venustam, cuique similem adolescentulam, cupidinis clavo defixum hærere; agendum, Amor sit nostri sermonis materia, sed ille purus, defœcatus, nobilis, mellisque fœcundissimus, ad quam faciem cupio esse eum; quo ardes, non ille impurus, inhonestus, quique amarum ad satietatem usque aggerit. Ac cepit primum definitionibus explicare, quid esset amor; tum causas enumeravit, unde amor ortum haberet, quos vel conferebat in astrum, cuius imperio, ut Plato voluit, duo subjicerentur, vel ad statum cœli siderumque revocabat, in quo illi nati essent, vel similitudini geniorum assignabat, vel ad eandem temperationem corporum aut morum convenientiam, aut ad formarum simile in utrisque exemplar referebat, deinde alia non parum multa subiciebat, plena illa quidem doctrina, & quadam prope admirabili varietate rerum ac copia, sed quæ mihi, tum in variis magis occupato, odium & fastidium crearent. Neque is tantum garrulitate molestus, sed in ædes per beneficium admisus, ut ipsi gratuita esset habitatio, non nisi per lites aut per vim ejici potuit: quam ille historiam prolixè ibidem describit.

V. Præceptum est: **CURIOSIOR, QUAM DECET, NE ESTO.** 44

Oderunt nimis curiosos viri prudentes, obest quoque conversationi, & fructu, quem ex illa percipere poteramus, nos defraudat. Quo enim curiosius quis omnia inquirat, eo magis animi sensa celat alter, qui sibi insidias strui videt. Occultis hoc rationibus, non apertis, agendum est. Describit hoc hominum genus Phædrus lib. 2. fab. 5.

*Est Ardalionum quedam Romæ natio,
Trepide concursans, occupata in otio;
Gratis anhelans, multa agendo nil agens,
Sibi molesta & aliis odiosissima.*

VI. Præceptum: **IN JUDICANDO PRÆCEPS NE ESTO.** 45

Quam multi in hunc scœpulum impingunt! Censura nihil odiosius est, quæ maxime, etiam cum non putamus, offendimus. Si quæ sunt inter viros doctos lites, rectius faciet, qui in neutram partem inclinet, aut omnibus denique rerum momentis bene perpensis, iudicium aliquod modeste & dubitanter interponat. Accidit sæpe, ut liberum ac temerarium de re aliqua vel homine iudicium injuriam suam alius interpretetur. Etiam a laudatione quorundam nobis temperabimus; & a reprehensione, nisi accurate nobis de ejus iudicio constiterit, cujus conversationem quærimus. Atque hæc de altero capite dicta sunt. Verum rerum magister usus plura nobis suppeditabit.

Procedimus nunc ad Conversandi modum, quæ ratione scilicet conversatio in- 46
stituenda. Conversamur vero cum præsentibus per colloquia, cum absentibus per
epistolas. * Nihil verò ad informationem commodius est, quam frequens cum vi- 47
ris doctis conversatio, quæ est disciplina omnium optima, & in sensus magis incurrit,
quam tædiosa illa per lectiones & meditationes via. Consilium illud præcla-
rum

rum Ficheti est in arcana studiorum methodo cap. 3. *Compendium scientiæ unicum est Vir aliquis eruditus ad unguem, quem subinde consulas ut magistrum, qui viam velit compendiosam, quam sero invenit, ut ait Seneca, tibi demonstrare, pretiosos indicare libros, fontes aperire: sed rarus est, qui hoc velit; quia plena fastidii opera est; aut qui possit, magnis enim impensis fit. Certe si quem offenderemus huiusmodi meliorem metallo formatum mystam, qui fores templi clausas aperire velit, ne paucis mensium flexibus multorum annorum spatia conficeremus. Hoc de maximis arcanis est unum. Hunc tu hominem de meridie vel accensa face quaere & peruestiga; hunc eme vel aureo mundo, si potes. Verissime hæc Fichetus; nam, ut demonstrat Campanella *Metaphys. part. 3. lib. 17. cap. 1.* homines eam consequuntur vitam, quam per educationem habent; & ostendit Tschirnhausius in *Medicina mentis part. 2. pag. 79. & seqq.* per conversationem in omni vitæ genere plura disci, quam per lectionem librorum. Lectio tamen librorum non inutilis, si non habemus, cum quo conversetur. Ideoque vel sola illa cum Bibliopolis & Bibliothecariis*

48 conversatio insignem nobis usum præstabit. * Narrat Erythræus *Pinacoth. II. n. 18.* quam Augustino Barbosa conversatio cum Bibliopolis utilis fuerit ad vastos libros scribendos, cum nullos ipse haberet. Clenardus quoque præclarum in Informatione Grammatica per conversationem specimen dedit, de quo *libro secundo* plura. Ac proposuit Montaigne olim consilium, quomodo civitas aliqua eruditorum institui possit, ubi solo usu & conversatione lingua Latina addiceretur.

49 Colloquia & συζητήσεις literatorum ad scientiam multum conferunt. Ac possunt illæ per interrogationes bene ordinatas ita institui, ut arcana interdum explorentur. Verulamius hic prudens temperamentum & mediocritatem quandam præscribit, in libertate sermonis & in taciturnitate. Frequentius libertatem usurpabimus, at, cum res postulat, silentium: libertas siquidem in sermone etiam alios invitat & provocat, ut pari libertate erga nos utantur; ut taciturnitas fidem conciliat efficacique, ut velint homines secreta sua apud nos tanquam in sinu deponere.

50 * Nonnunquam præter libertatem opportuna quædam importunitas aliqua extorquet, si nimirum vel contentione nostra, vel simulatione & fictione, perturbationem in alterius animo moveamus. *Ipsa testatur experientia*, inquit Verulamius, paucos admodum reperiri, qui erga arcana sua tam fidi sint, quin interdum ex incundia, interdum ex iactantia, interdum ex intima erga amicum benevolentia, interdum ex animi imbecillitate, qui se mole cogitationum onerari amplius non sustineat, interdum denique ex alio quopiam affectu intimas animi cogitationes revelent & communicent. *Ac ante omnia finis animi excutit, si simulatio simulationem impulerit, juxta adagium illud Hispanorum: Dic mendacium & erues veritatem.* * Ille roties nobis laudatus Vincentius Pinellus singularem habuit modum indagandi hominum inclinationes ex variatione narrationis. *Si quid novi accidisset, refert Gualdus, rei seriem amabat, ab omnibus, quotquot eum circumferebant, cognoscere, quasi tum primum inaudivisset. Afficiebatur enim varietate illa narrationis, quam ipse callidus verborum estimator in sermonis autore, cui amoris odii-ve cause adessent, deprehendebat. Neque hoc sine fructu. Eruebat namque latitantem*

sepe

sepenumero veritatem, eventusque causas acu, solerti scilicet ratione, tangebant. Eodem consilio
rumorum, si qui percrebuisent, autores investigare consueverat, quod hac ratione disquirere
*se posse consideret, verine an falsi quidquam continerent. * Idem Pinellus, ne fructus,* 52
quos ex amicorum congressu perceperat, ulla abriperet oblivio, cum illi abiissent,
secedebat in cubiculum interius, ubi, quæ præclara in colloquendo animadvert-
erat, in commentarium manu sua referebat. Imo & cum amici adessent, nunquam
non illi ad manus fuit calamaria theca, ut summa rerum, quæ placuissent, capita,
*ne exciderent, annotaret. * Idem de Paulo Sarpio refert Fulgentius, qui vitam* 53
ejus scripsit p. 86. edit. Gallicæ. Quand il se trouvoit avec un homme eminent en quel-
que science ou art particulier, il l'interrogeoit de tous les points d'icelles avec tant de
douceur, qu'il apprenoit tout ce qu'il en scauoit, sans pourtant, que ce rare persona-
ge se trouuast importuné de ses demandes; ny qu'il se plainst de son trop de curiosité.
Quantum ex illa cum literatis conversatione utilitatis redundet, exaggerat epistola ad
*Nicol. Heinsium 43. lib. 1. Marefius. * Illic de peregrinatorum ex his colloquiis com-* 54
modo pluribus agit, atque Heinsio eo nomine gratulatur. Morum, ita scribit, illum
vestrum valde comprobo, qui Belgis omnibus & Germanis communis est, per cultiores
Europæ regiones peregrinandi, priusquam certo in loco pedem figatis, officioque aliquo, vel
grata matrimonii compede vos illigetis. Nam præter externarum linguarum notitiam, &
prudentiam, quæ ex illo per varias provincias discursu acquiruntur, aliud etiam commo-
dum vos Φιλομαθῆς consequimini: doctos nimirum viros, qui ubicunque degunt, salutan-
do, cum illis amicitiam contrahendo, eorumque consuetudine & colloquio fruendo, ex quo
nonnunquam plus utilitatis hauritur, quam ex librorum lectione. Quæ in re tu tibi non
defuisti: sed quicquid est apud nos hominum eruditorum, dum in Italiam is redisque, vi-
dere, alloqui, quin & eorum benevolentiam conciliare, cura tibi fuit non postrema. Cui
commodo aliud addendum est, vobis quodam modo peculiare, scilicet Bibliothecarum excuf-
sio, librorumque rariorum, præsertim vero manuscriptorum sedula conquestio: fatendum
est enim, vos & Germanos indefesso præ ceteris labore in literarum studiis versari, & in
emendandis restituendisque ope veterum codicum bonis autoribus diligentem operam insume-
re; quo nomine omnium ubique studiosorum gratiam demeremini. Quantis ex colloquio
in peregrinatione fructus capiantur, docuit Monconifus, in cujus Itinerario multa
habentur in re naturali, mathematica & aliis, elegantissima observata. In rerum
scilicet naturalium cognitione multum illa conversatio lucis accendet, cum ex plurium
colloquiis, per artem, quam vocant combinatoriam, elicere multa possimus. Athe-
nis olim & Romæ hujusmodi συζητήσεις frequentabantur, ut ex Gellio & Plutar-
cho constat. Refert Petrus Crinitus Politianum, Savanorolam, Picum Mirandulam
& alios celebres viros, qui Florentiæ tum degebant, hujusmodi συζητήσεις frequen-
*tasse. * Scipio quoque Claramontius in libro de conjectandis latentibus animi affecti-* 55
bus libr. 9. c. 8. §. 5. de vi interrogationum in secretis extundendis agit, qua arte
quoque iudices utuntur. Ita Chremes apud Terentium repetita interrogatio-
ne Menedemum inclinavit ad causam ærumnæ suæ aperiendam. Sunt aliqui inter-
rogandi arte adeo excellentes, ut reos interrogationibus ad confitendum adigant,
quod

quod Tranquillus Ambrósius, *de processu informativo libr. 1. cap. 2. n. 5.* testatur. Illa verus per interrogationes, disputandi ratio fuit, quibus ita teneri & constringi potuit adversarius, ut nullo *ψευδοθύρα* elabi potuerit. Ac tradit Aristoteles VIII. Topicorum Dialecticam nos docere *πὸς δεῖ ἐρωτῶν*. Laudabat haec in Laurentio suo interrogandi solertiam Athenæus lib. 1. *ἐκ αἰθασανίως ἐκ ἐκ τῆ παρατυχόντος τοῖς ζητήσεσι ποιόμενος, ἀλλ' ὡς ἐν μάλισσά μετὰ κερτικῆς τῆος καὶ Σωκρατικῆς ἐπισήμης, ὡς πάντας θαυμάζειν τῶν ζητήσεων τὴν τήρησιν*. Neque viles neque abjectas sane quaestiones objiciens, aut quaecumque accidissent, sed quemadmodum maxime convenit cum critica quadam & Socratica scientia, ita, ut omnes quaestionum illarum seriem
 56 *admirarentur*. * Critica Socratica hic ab Athenæo appellatur, quæ in argutis interrogationibus consistebat. Quare & Demetrius Phalereus genus orationis vocat *εἶδος Σωκρατικόν*, quod esset per interrogationes conceptum. Hujus Critices specimen in Glaucone Socrates dedit, de quo supra §. 34. diximus. De hac Critice multa se in libro de Critica dicturum promisit Casaub. *Animad. in Athenæum lib. 1. cap. 2. p. 5.* qui tamen lucem non vidit. Quicquid ergo ex his colloquiis nobis notarum fuerit, id ad usum nostros seponendum, quod magnorum ausum esse rudimentum potest. Nata illinc sunt Scaligeriana, Perroniana, Thuanæa, Cotomesii illa opuscula literaria, Ultrajecti apud Petr. Elzevirium An. 1669. edita; quibus adjicitur libellus Gallico sermone, cui titulus: *Recueil de particularités*, in quibus multa de eruditis familiariter a Vossio aliisque suppeditata, laudato semper autore, vir ille effutivit, quæ insignis sane temeritas fuit. Multa tamen in his sunt mendacia, quale illud de Casparo Barthio horrendum, qui concubinam suam Rheno suffocaverit, quod ejus cum Scriverio amores deprehenderit, & plurima alia.

57 Cum absentibus conversamur per epistolas. Illa homines conversatio sola ingenii similitudine conjungit, cum se nunquam viderint, quo affectus sæpe plus, quam præsentium conversatione incendi solet. Tegit epistola & celat omnes illos defectus, qui forte in moribus aut forma colloquentis apparent; solus hic animus loquitur; seque nudum exhibet. Fuit Scaligero & Casaubono, Heroibus literariis, frequentissimum literarum commercium; neque tamen unquam se viderunt. Narra-
 rat Parinus *Epist. 136.* Casaubonum sæpius iter Batavum meditatum, jamque ducentos aureos huic itineri destinasse; verum semper impedimenta quædam objecta fuisset. Scaliger illum sæpe exspectavit, atque hæc ad illum scribit: *Tui erit arbitrii in media hyeme venire, quam loculento foro expugnabimus, qui nunquam deficiet in cubiculo, quod*
 58 *tibi adornabo: quod tamen nullum præter te ornamentum habebit*. * Diligentissimus in hoc commercio literarum fuit Pinellus, cujus insigne studium, quod exemplo omnibus esse possit, illius autoris verbis qui vitam ejus scripsit, apponam: *Instruxerat ille præclaram hanc discendi cupiditatem ope multorum, qui eadem voluptate afficerentur. Hos non in Italia Europæque urbibus modo, sed & in oppidis vicisque selegerat, quorum industria continenter uteretur, ad quos epistolas schedulasve oportune missitaret.* *Illud*
sane

sane in Piniello mirandum, quam ratione ipsi per imbecillam valetudinem liceret tot rerum meminisse, tot negotiis sufficere. Et vero hanc ille sibi præter ceteras methodum præscripserat, ut perlectis amicorum literis earum capita compendiaria via in codicem referret. Hunc sibi proponebat responsurus sepositis epistolis, in quarum mox tergo adnotabat nomen ejus, qui scripsisset, animum, diem, locum, & negotiorum indiculum. Harum fasciculos singulis hebdomadis in cistulas transferebat. Ad literas cum demum responderat, selectas in manipulos cogi, annorum, mensum, septimanarum, dierum habita ratione digeri, & in unum secludi imperabat. Consueverat insuper tabulas sibi quasdam conficere, in quas referret ea omnia, quæ ipse ab amicis, quæ ipsi ab eo vicissim postularent; descriptisque summis negotiorum petentiumque nominibus, uno intuitu discernebat, quid actum esset, quid agendum restaret: ac confecta nomina inducebat, postquam rescripta cum codice contulisset. * Nostro tempore Antonius Malia- 59
beccus foris multis per totum orbem literatum virorum doctorum amicitiiis inno-
tuit; domi ex omni gente virorum doctorum concursus est: de cujus insigni hu-
manitate, admirabili eruditione Gregor. Leti *Ital. regnant. part. 3. libr. 4. pag. 423.* * In- 60
signis est ex omni illa conversatione, vel per colloquia vel per literas, omni ex parte
utilitas, atque adeo hic de fine conversationis eruditæ tractatio suscipi possit.
Ille vero duplex est; nam vel scientiam solam, vel famam, venamur. Qui scientia
sola contentus est; minori apparatu indiget; qui famam etiam ambit, quædam
τεχνήματα in subsidium vocat. Et si veram virtutem, & quæ illa fundatur, con-
versationem fama ultro sequitur. Multis sola cum eruditis conversatio ad famam
prodest, quemadmodum Pompejo Garigliano, de quo hæc Erythræus Pinacoth. I.
n. 39. Diebat sepe in Academia Humoristarum, more suo, ex tempore, summa Academicorum
aliorumque frequentia: inde emanavit ejus nominis fama in totam civitatem. Nemo erat Car-
dinalis, nemo vir princeps, nemo paulum literarum cupidior, quin eum videre cuperet, alloqui,
adire, quin domum suam invitaret. Adeo amplissimum virtutis præmium ipsa virtus,
& sua sapientiam & doctrinam fama semper comitatur.

CAP. XVI.

DE SCRIPTORIBUS AD REM LIBRARIAM
ET HISTORIAM LITERARIAM
PERTINENTIBUS.

- §. 1. *Transitus ad Auctorum enarrationem.* 2. *Ejus occasio.* 3. *Vogleri Introductio in noti-
tiam Auctorum.* 4. *V. Placcius ejus supplementum promisit.* 5. *H. Couringii Opuscu-
la.* 6. *MStum de eruditionis a C. N. propagatione & de Scriptoribus.* 7. *Bartho-
lini comm. de libris legendis.* 8. *Autor Gallicus Anonymus de cognitione bonorum li-
brorum.* 9. *Censura ejus.* 10. *Periculosa de Auctoribus judicia.* 11. 12. *Benjami-
nis Prioli aliorumque conatus audaciores.* 13. *Photii Bibliotheca μωρεῖς βιβλῶς.*

14. *Varia de ea judicium.* 15. *Bibliotheca hujus scribende occasio.* 16. *Ejusdem Photii Nomocanon.* 17. *Glossarium MStum.* 18. *Jacobus Gaddius* 19. *libro de Scriptoribus non-Ecclesiasticis majora viribus audet.* 20. *Labbei de eo judicium.* 21. *Antonii Possovini Bibliotheca selecta.* 22. *Apparatus sacer.* 23. *Claudii Verdierii Censio Autorum stulta & temeraria.* 24. *In patrem suum ille maledicus.* 25. *Scioppii censura adversus illum.* 26. *Leo Allatius ex illo multa cepit libro de Erroribus magnorum Virorum in dicendo.* 27. *Recensentur aliqua judicioforum stultorum de Virgilio præcipue & Horatio specimina.* 28. *Theophili Raynaudi Erotemata de bonis ac malis libris.* 29. *Bailleti* 30. *& Patini de eo judicium.* 31. *Patini illi male Conringio præfert.* 32. *Scriptores Ephemeridum literariorum.* 33. *Autoris consilium.* 34. *Anglorum;* 35. *Gallorum Ephemerides.* 36. *Tanaq. Fabri Censura Ephemeridum Gallicarum.* 37. *Dionysii Medici Memoriae & Galleji continuatio Ephemeridum.* 38. *Romane, Florentine, Ephemerides.* 39. *Nazarii laus.* 40. *Venetæ Ephemerides.* 41. *Acta Philosophica Germanorum & Danorum.* 42. *Acta Eruditorum Lipsiensia laudantur.* 43. *Menckenii & Carpzovii encomia.* 44. *Mercurii librarii.* 45. *Cornelii a Beughem Indices.* 46. *P. Bælii Excerpta Reip. Literariæ.* 47. *Mercuræ scævant.* 48. *Bibliotheca Universalis Historica.* 49. *Ephemerides Parmenses;* 50. *Hamburgenses.* 51. *Georgii Richteri Crises Melanchthonianæ commendantur.* 52. *Elogia Thuanæa,* 53. *cum notis Antonii Teiffieri.* 54. *Tobias Magiri Eponymologium criticum.* 55. *Bailleti judicium doctorum de præcipuis libris laudantur.* 56. *Ejus de judicio ferendo cautiones.* 57. *Excerpta Scaligeriana & Perroniana.* 58. *Prima Scaligeriana.* 59. *Quibus autoribus congesta & digesta.* 60. *Excerpta Perroniana.* 61. *Judicia & sermones doctorum familiares, invitis autoribus, non temere edendi.* 62. *Collectio dictorum Ciceronis a Quintiliano.* 63. 64. *Melanchthonianorum dictorum a Camerario & Sibero reprehensa.* 65. *Trajani Boccalini.* 66. *Adami Eberti, Relationes e Parnasso.* 67. *Danielis Bartoli Character hominis literati.* 68. *Theophili Spizelii libri.* 69. *Franc. Ridderi historia eruditionis.* 70. *Vinc. Placcii de Anonymis,* 71. *Deckeri de scriptis adespotis liber.* 72. *Conringii liber de Antiquitatibus Academicis laudatur.* 73. *Historiam Universalem Academicam inter desiderata ponit Autor.* 74. *Du Boulay Historia Academiæ Parisiensis.* 75. *Antonii Wood Academiæ Oxoniensis Historia,* 76. *commendatur ad Philosophiæ & Theologiæ Scholasticæ historiam.* 77. *Lambecii Commentarii de Bibliotheca Vindobonensi.* 78. *Gabr. Naudæi Additio ad Historiam Ludovici XI.* 79. *Typographia Germani a Naudæo vindicata.*

Quæ hæcenus differtavimus, quasi vestibula & aditus ad totam hanc tractationem faciunt. Nunc ad AUTORES ipsos perveniemus, quorum recensionem non magno apparatu & pompa infiruemus; sed præcipua quædam de iis monebimus, quæ τῆς πολυμοιδείας studiosis inprimis profutura existimamus. Neque enim Nomenclatoris hic partibus fungimur, qui & vitas, & tempora, & li-

& libros Autorum justa serie recenseat, quo labore alii defunguntur; sed ad solum nos usum respicimus, quem in cognitione rerum sibi præfixum habere bonarum literarum cultores debent. * Cum primum scholis privatis illa proponeremus, pleraque, quæ in sequentibus de Autoribus dicimus, ex memoria, sine ullo libro, commentario aut operosa meditatione, nobis deprompta sunt, ut optime norunt, qui tum illis interfuere. Non displicuit ille viris eruditis, ut ut extemporalis, labor, qui ejus editionem sæpissime urfere, & nunc quidem juventutis præcipue commodo illa publici juris facimus; interjectis nonnullis, quæ sub manu, cum illa concinnaremus, nata sunt. Præcipuos igitur tantum Autores enumerabimus, neglectis illis, qui levioris momenti visi sunt. Qui enim omnem scriptorculorum istorum saburræ colligere velit, Heliogabalum imitari videretur, qui, ut Romæ vastitatem ostenderet, omnes e tota urbe aranearum telas coacervari jussit. Amplissimum certe negotium per tam vasta Autorum spatia diffundi: prudentiæ præterea res est, ex illo numero seligere optimos. Viæ denique compendium est, pro illis, qui hæc studiorum spatia decurrunt, ut Hodegetas inveniant, qui digitum intendant. Nos jam primum de Autoribus, qui ad rem librariam & literariam in genere consideratam pertinent, agemus. Præmittemus verò Autores compendiariorum: nam ut compendia nobis faciamus, prodest aliorum compendia nosse; & quidem primo loco hic pōnemus

VALENTINUM HENRICUM VOGLERUM, Professorem Medicum Helmstadiensem, cujus extat *universalis in notitiam cujusque generis bonorum Scriptorum Introductio*, Helmstadii An. 1670. in 4. edita. (gg) Vir fuit ille doctissimus, & vastum hoc argumentum *ὡς ἐν τύπῳ* proposuit. Rudimentum ergo non spernendum est, & quasi ichnographia magni operis. Generatim agit de modis, quibus Scriptorum notitia possit acquiri, & omnes inde Autores illos recenset, qui de Scriptoribus certarum disciplinarum, nationum, summariam recensionem instituerunt. Sed multa tamen in illo desideres. Nam in generali illa Synopsi non omnia complexus est, quæ dici poterant. * Ejus supplementum meditatatur VINCENTIUS PLACCIUS, Gymnasii Hamburgensis Professor, vir clarissimus. * Id quoque e Voglero discimus e cap. 5. istius libri, extare HERMANNI CONRINGII Opus eruditum *de universa eruditionis a nato Christo propagatione*, ejusdemque *de Scriptoribus* commentarium privatis lectionibus ab illo conceptum, qui multorum commoda adjuturus esset, eo iudice, si lucem viderit. * Verum compendiariorum plane libellus ejus est, quem vidi, *de eruditionis propagatione*, commentariolus Chronologicus, in quo per singula secula quinque illa capita proponit. 1. De Scriptoribus Ecclesiasticis & Judaicis. 2. De

Y 2

Scripto-

(gg) Voglerianæ *Introductionis* primæ, quæ h. l. commendatur, & An. 1670. prodit, editioni, præferendæ sunt duæ posteriores, Helmstadii An. 1691. & 1700. in 4to excusæ, ob luculentas, quæ his accesserunt, Viri Summi, Henr. Meibomii Junioris, tum Præfationes, tum Notas & Accessiones. Quæ & ipsæ in tertia editione, post Meibomii obitum, filii patrisantis, Herm. Dieterici, cura, Anno 1700. publicata, auctiores sunt, quam in secunda.

Scriptoribus Philosophicis. 3. De Jurisconsultis. 4. De Medicis. 5. De Historicis, Oratoribus & Poëtis : quem ego quidem extemporalibus ipsi dissertationibus natum suspicor, multis accessionibus augendum, ut est ipse Vogleri liber longe locupletior. Verum de Scriptoribus commentarium nullum hæctenus vidi.

7 THOMAS BARTHOLINUS alterum ab illo locum occuper, magni Vir nominis, non inter Medicos tantum, sed inter Polyhistoras & Philologos. Is sub extremam ætatem Bibliothecæ Academicæ Hafniensi admotus occasionem nactus est, Commentarium *de libris legendis* scribendi, editum Hafniæ A. 1676. in 8vo, Dissertationibus septem. Parvæ quidem molis liber est, sed in quo quasi constipata sunt utilissima de libris monita & notitiæ ad multas disciplinas utiles. Dissertatione *prima* multa habet de Academiæ & Bibliothecarum Hafniensium incrementis: *secunda* de Autoribus supposititiis, anonymis, plagiaris, de autorum patria & ætate, singularum nationum & autorum genio, vitis autorum: *tertia*, de linguis Scriptorum, Scriptoribus Milesiorum & versionibus: *quarta*, de scribendi ratione veteri & nova, MStis antiquis Romanis, Danicis, Islandicis, Editionum meliorum notis, Typographis, voluminum forma: *quinta*, de titulis librorum, variis librorum argumentis, methodis &c. *sexta*, de lectione librorum, de arte mnemonica, de Excèrptis instituendis, Indicibus variis, Lexicis: *septima*, de electione librorum, & judicio circa Scriptores, notis & siglis &c. Opus tamen hunc librum lecturo aliqua Autorum notitia: nuda enim nomina velut per lancem saturam congesta tirones facile morantur. Prodeat tertio loco.

8 AUTOR GALLICUS ANONYMUS, *de la connoissance des bons livres, ou examen de plusieurs Auteurs.* Liber ille sine autoris nomine prodit in 12mo Amstelodami 1672. * Magnifica multa promittit titulus, cum pompa & apparatu institutus; sed exigua sunt, quæ in illo libro tractantur, & in censuram quorundam Autorum Gallicorum desinunt; cui fini destinatus ille liber videtur, eamque ob causam nomen autoris omissum, ut invidiam a se declinaret. Prolixus est in judiciis defabulis & Romantiis Gallorum: quæ potissimam libri partem occupant. Regulæ, quas ponit de bonis Autoribus cognoscendis, admodum sunt generales. Judicium ille de libris instituendum dicit, ratione autorum, tituli, argumenti: eaque occasione de quibusdam Gallicis Scriptoribus, eorumque virtutibus & vitiis agit, de Comædiis, de Poësi Gallica, de eloquentia Gallicana in stylo soluto & ligato. Quibus totus ille liber absolvitur, atque ita in urceum exit, cum amphoram titulus promiserit. Quare recte de eo judicat Bailletus in *Judic. Doctor. tom. 2. part. 1. p. 169. cet ouvrage n' a point augmenté l' estime, qui le Public a conçue de son habilité, ce ne sont que des discours vagues, dans lesquels il semble battre l' air, sans sçavoir à quoy s' en tenir.* Autorem hujus scripti nominant *Memorie Gallica*, a Dionysio Medico scriptæ, *Sorellum*, qui Bibliothecam Gallicam scripsit, de quo in sequentibus; verosimile videtur. Videor enim mihi in utroque scripto parem judicandi solertiam deprehendere, & ipse liber statim in initio mentionem Bibliothecæ Gallicæ facit.

10 Præmissis Autoribus illis, qui generatim de judicio circa libros instituendo agunt

agunt, ad ipsos illos procedimus, qui judicia de Autoribus scripserunt. Hic quidem ex antiquioribus occurrunt Cicero, Dionysius Halicarnassensis, Quintilianus, Longinus, qui data occasione Autorum veterum nomina recensent, deque iis judicant. Periculosæ plenum opus alexæ fuscipiunt, Quintiliano judicē, qui de Autoribus judicia in publicum edunt, quod & Rolando Marefio *lib. 1. ep. 41.* visum est. Meminit illic Erasmi, qui in Ciceroniano de sui & superioris ævi Scriptoribus judicia dedit, non sine summa sui invidia: item Justi Lipsii, qui Bembum aliosque severo examine expendit. Hoc denique ejus de his censuris judicium est: *Omni certe laude hoc prosequendum est, modo cum modestia fiat & in pridem functis, sine odio & gratia; quorum cause procul habentur, cum de iis judicatur, quos videre, quibusque proinde invidere non licuit. Sed id in justo opere & ex professo facere, fortasse nimis invidiosum sit: nimirum summorum virorum quasi censorem agere. Tantum epistolis aut Criticis operibus illas censuras admisceri vellem. Quanquam ejusmodi judicia sic, ut dixi, exercita non tam censuræ, quam laudationes dici debent: quibus, quid in unoquoque egregium videatur ac laudabile, ingenue adnotatur, obiter vero tantum, si quid aliquando iidem peccaverint.* * BENJAMIN PRIOLUS, qui *Historiam Gallicam ab excessu Ludovici XIII.* scripsit, in appendice istius libri promissit *judicia de Scriptoribus Græcis & Latinis.* Verum quæ judicia exspectanda ab homine, qui ipse exiguo judicio præditus, in amplissimo suo argumento inepte versatur? Nihil est enim ista historia, si dictionem, si argumentum videas, quod placere doctis possit. Ridicula plane illa operi subjuncta epistola vel excusatoria, vel defensoria. Quam stulta illa Lipsiani styli affectatio: ac passim occurrunt e Lipsii Politicis ac aliunde confuti centones: * De JOHANNES BAPTISTA CAPONO refert Gregor. Leti *Ital. regn. part. 3. lib. 2. p. 97.* moliri illum libros XII. *de erroribus clarorum Scriptorum Latinorum, & alios de erroribus clarorum Scriptorum Tuscorum,* sed post mortem demum edendos. Refert & Bailletus *de Judic. doctorum, tom. 7. part. 1. p. 172.* esse a Dn. Despreaux Boileau judicia de Viris doctis conscripta, quæ tamen hætenus non vidi. Idem eodem loco, *pag. 293.* mentionem cujusdam societatis facit *le port Royal,* quæ variorum librorum censuram, sed audaciorem, instituerit, de qua hætenus nil mihi constat. Inter illos censores, qui aliquam ætatis prærogativam habent, ponendus nobis primus est

PHOTIUS, Patriarcha Constantinopolitanus. Hujus Viri magna fuit eruditio. Vixit seculo post Christum natum nono. Ejus extat *Bibliotheca Photiana*, sive lectorum a Photio librorum recensio; sed non supersunt, nisi 279. codices, quos recensuit. Casaubonus tamen epist. 164. meminit, MStum integrum extare apud Henricum Stephani. Habentur in hoc Opere Excerpta ex Autoribus illustria, inter quæ sunt multa deperditorum autorum fragmenta. Adjicit quoque judicium de Autoribus, quod genus scribendi primus ille suo tempore instituisse videtur. In Latinam linguam conversum est hoc Opus ab Andrea Schotto, editumque Augustæ Vindellicorum 1606. in fol. Græcus Textus solus cum Emendationibus Höschelii 1607. prodierat, suavisu Marci Velsæri; Græce vero ac Latine excusum fuit Genève apud Paulum

Paulum Stephanum An. 1611. tum deinde Rotomagi. Utraque editio in folio.

- 14 * Fuisse Virum hunc suo tempore doctissimum, nemo Historiarum peritus ignorat: quanquam ab Henrico Spondano, aliisque Pontificiis Scriptoribus, ut homo sacrarum literarum rudis traducatur, quod ab invidia profectum est. Antonius Posslevinus in Bibliotheca sua selecta lib. 5. cap. 16. contemtim de Photio judicat: *de Bibliotheca Photii, quam multi, & ii etiam perdocti, aut Græcam aut Latinam optarunt, nolim quenquam admodum angi;* & in Apparatu Sacro, sub voce Photii, multos in illo errores notat. Notum enim est ex Historia Ecclesiastica, quæ tum lites fuerint inter Ecclesiam Orientalem & Occidentalem agitatae. Quoties librum illum legimus, toties insignes periisse libros, quorum ille argumenta recenset; dolemus. Honorifice de hoc libro sentit Lipsius *Cent. 5. Misc. Epist. 89.* Heinf. *prolegom. in Aristarch. sacr. Voss. l. 2. Hist. Græc. cap. 25.* Calixtus in *apparatu Theologico*, immensæ quidem lectionis & variæ eruditionis virum vocat, sed vitæ minus probatæ. Multa in ejus laudem Schottus in *præfatione*, ubi Photium Hermogenis Ideas
- 15 in Critice Autorum sequi ait. * Occasio hujus Bibliothecæ scribendæ hæc fuit: dum in Assyria legationis munere fungeretur pro Basilio, Tarasius amicus ejus per literas a Photio petiit, ut, quæ subsæcivis horis legeret, secum communicaret: quare in hunc Commentarium omnia illa, quæ legit, retulit, & ad amicum suum transmisit. De Photio vide Elogium apud Capaccium *lib. 2. Elogior. p. 330.* Editus quoque ab illo Photio est liber adversus tyrannidem Pontificis Romani. Hujus Viri utinam omnia haberemus, multa nobis superessent verustorum Autorum
- 16 Fragmenta. * Extat tamen præter hanc Bibliothecam scriptus *Nomocanon;* cum notis Theodori Balsamonis, & Johannis Zonaræ, editus a Jacobo Gothofredo & Bevereggio in Synodico illo magno. Extant & *Epistole* ejus cum versione & notis
- 17 Richardi Montacutii. * Scripsit quoque *Glossarium Græcum*, quod hætenus MStum est, latetque in Bibliotheca Viri illustris Marquardi Gudii, cujus editionem multi hætenus frustra urserunt. Est & alterum MStum in Bibliotheca Oxoniensi, cujus editionem moliantur illic Viri docti. Magno commodò foret hoc Glossarium literatoribus & Historicis; multa enim ex Autoribus deperditis depromisit, quorum lacinæ etiam venerationi esse debent. Quod ad notitiam singularem hujus Viri attinet, legantur Andreae Schotti in Bibliothecam ejus Prolegomena. Aliqua etiam summatim recitat de Historia ejus Böclerus, in libro *de rebus seculi noni & decimi, sub Ludovico II. p. 157.* Verum Glossarii illius nulla apud eos fit mentio. Hætenus enim non nisi duo illa cognita sunt exemplaria. Subjungo Photio, velut ejus simiam,
- 18 JACOBUM GADDIUM, Florentinum, Virum Nobilissimum, e Familia illustri
- 19 Italica. * Is Opus edidit *de Scriptoribus non-Ecclesiasticis*, Tomis duobus comprehensum, sed qui non uno tempore, nec integri, prodierunt. Tomus enim primus Florentiæ 1648. in fol. editus; Tomus II. a litera L. ad literam S. Lugduni A. 1649. eadem forma editus, unde difficulter illi libri junctim possunt comparari. Magnificus librorum illorum titulus est, ut solent plerumque esse verborum prodigi, qui rerum sunt

sunt parci. Judicia interponit de Autoribus sæpe temeraria & futilia, ne quid de maledicentia ejus dicam, quã viros doctissimos sæpe impugnat, præcipue Germanos; ipsi quoque Photio non parci, in quo taxat nimiam Plutarchi recensionem, cum illud studio fecerit autor ille. Quæ enim non sunt in Plutarcho notatu digna? in quibus prolixitatem ejus nunc quidem damnari ineptum est: nam si periisset ille Autor, ut multi alii, nego non ipsi egisset magnas gratias. * Abbas 20
 Ghilinus in *Theatro suo hominum literatorum*, invidenda illi Elogia suspendit: sed Philippus Labbæus rectius de eo format judicium, vocando Sciolum Florentinum in libro ejus *de Scriptoribus Ecclesiasticis* p. 878. qui de rebus sibi penitus ignotis judicium, quo fere semper caruit, ferre voluit; in quisquiliis undequaque corradendis operosum: qui, quot verba habeat, tot propemodum mendacia. Idem integrum librum de Gaddianis aberrationibus se scripturum promiserat. Scripsit Gaddius pene Bibliothecam librorum in vario doctrinæ genere, ut solent homines, quo ineptiores sunt, eo magis esse πολύγραφοι, qui chartis illinunt, quicquid in buccam venit. Ejus Opera recenset Gregorius Leti, *Ital. regn. part. 3. lib. 4.* Occurrunt tamen in his nonnulla sæpe e MStis notata, aliaque curiosiora superstiriosa diligentia congesta, quæ inter tot alias ineptias ad usus nostros seponere possumus: ut nullus liber tam malus est, in quo non sit aliquid boni. Fuisse aliquando mente cap-
 tum, Gregor. Leti refert. Extat &

ANTONII POSSEVINI, e Societ. Jesu, *Bibliotheca selecta* & 21
Apparatus sacer: cujus Viri non est æqua apud doctos æstimatio. Sunt, qui illum in cælum ferunt laudibus; sunt, qui illum compilatorem, non multæ curæ & judicii habent. *Bibliotheca selecta* 18. libris constat. Multa hic pertinentia ad rationem studiorum, & rei literariæ in universum, interponit judicia, in quibus multa reprehendit Jacobus Gaddius: sed non magni faciendum est ejus judicium, ut qui sæpissime ineptus Autorum censor est. Verum tamen est, vagis & longe quæsitis excursibus fatigare illum lectores. Sixti Senensis *Bibliothecam sanctam* passim vellicat, quæ tamen viris doctissimis in pretio est; de quo nos alio loco.
 * *Apparatus* ejus *sacer* majore in pretio nonnullis habetur, multaque habet de Scri- 22
 ptoribus veteribus & novis judicia, ex aliorum sæpe sensu formata. Utilissimum tamen ille laborem suscepit, in quo aliqua condonari debent. Bailletus suadet, ut correctio errorum ab aliquo viro docto suscipiatur. Annectit Catalogos MStorum, quæ ad res Ecclesiasticas pertinent, magno studio ex omnibus eruditi orbis Bibliothecis conquistos; cui si similes in ceteris disciplinis collectiones habere-
 mus, magno profecto usui esset. Judicia ejus de Machiavello magnam ipsius ositantiam & imprudentiam arguunt, ut ostendit in Præfatione Principis Machiavellici Conringius. Ultima editio *Bibliothecæ selectæ* prodiit An. 1607. Coloniae, in folio. *Apparatus sacer* ibidem 1608. Referendus itaque hic autor est ad Scriptorum rei literariæ Criticos, qualis Photius est, & qui e recentioribus, Photii methodum sequuntur Ephemeridum Scriptores. Inter illos Criticos nomen quoque, sed invita planè Minerva, profiteri voluit

- 23 **CLAUDIUS VERDIERIUS**, filius Antonii Verdierii, cujus extat supplementum in Bibliothecam Gesneri, & plurima alia lingua Gallica. Is librum scripsit exiguum magnifico hoc Titulo: *Censio autorum omnium veterum & recentiorum*. Quis non de locuplete penu hujus Pantosophistæ præclara omnia, & tanti promissoris hiatu digna, sibi sponderet? Sed misere ille corvos deludit hiantes: nam ubi censuram suam exercet, manifestum hominis phrenesin facile deprehendas. Vel ex ipsa libelli fronte non falsa metoposcopia conjeceris hominis dementiam, qui tringinta circiter foliis tam vastum argumentum exhaurire voluit. * Si non aliunde, vel ex eo colligas insaniam, quod ipsi parenti suo, viro docto, in laudes filii sui tam prolixo, non parcat. Nam in Bibliotheca sua Gallica Antonius Verdierius Pater sub voce Claudii filii sui varia carmina Gallica etiam cum elogio recenset, & ille tamen ingratus & maledicus filius de Patre suo pag. 171. ita: *Erravit fortasse Antonius Verdierius pater meus, qui Gesnerum secutus Bibliothecæ supplementum fecit &c.* Porro de eo:
- 24 *Laboris hac in re inesse satis, quamvis industriæ parum, nemo est, qui neget.* * Adversus illum censuram scripsit Caspar Scioppius, qui & ipse certare cum aliis potest maledicentia; non vero seorsim excusus libellus ille, sed additur libro, cui titulus: *Catulli casta carmina*, selecta a Raphaële Eglino Iconio; cum ejusdem Vindiciis adversus Josephum Scaligerum. Editus est liber Francofurti A. 1606. in 12mo. * Nescio tamen, qui factum sit, ut Leo Allarius disceptatione sua *de Erroribus magnorum virorum in dicendo*, Romæ 1636. edita, non exiguas ex hujus Verdierii censione lacinias in hunc suum libellum transtulerit, laudato interdum, sed dissimulanter, autore, interdum præterito. Nam certe majori judicio ingenioque Leo Allarius erat,
- 25 quam ut è misera ista Verdierii censione judicia illa emendicaret. * Si quis aliqua ejus stultitiæ specimina velit, dabimus illa in gustum: statim in initio operis, 18. paginis multa sunt inepta de Grammaticis veteribus judicia. Pag. 43. *Romans* Gallorum ex voce Gallica *Normans* stulta plane derivatione deducit. Pag. 50. & sqq. in Virgilio reprehendit voces barbaras, quodque utatur phrasi non Latina, ut *Æn.* 3. cum Poëta ait: *Anchisen facio certum*; cum dicere debuisset: facio certiozem. *Sceleratum* quoque *frigus*, & *sceleratas faces* more Mantuano dixisse Virgilium, unde in eo deprehensa sit Mantuanitas. O acumen omni pistillo obrusius! Quam ridiculum est ejus de Horatio judicium p. 57. quod in Hexametris duriusculus sit, & versus plurimum in exulte per monosyllaba desinere faciat, quo nihil sit absurdus, quod de poetica arte multa præcipiat, quæ ipse non observet; quod Satyras suas Sermonum appellatione minus idonea deprefferit: Satyram enim ea gravitate & majestate, qua concionator in pulpito adversus hominum vitia, prorumpere debere; cum sermo familiaris quædam loquela sit. Non novit bonus ille vir genium Satyræ, quem nemo unquam feliciter Horatio expressit, ac de industria hoc illi Carminis genus quaesitum; neque aliam Satyris esse indolem, quam quæ ridendo & familiari sermone verum dicat, non gravitate concionatoria, quæ cum Satyrarum Scriptoribus stultissime componitur. Ejusdem commatis est, quod pag. 100. artem omnem oratoriam, ut generi humano perniciosam, damnat, pag. 103. & 104. præclaros illos Aristotelis Rhetoricorum libros cavillatur. Nihil dicam de insana ejus in Leges &

Jctos censura a p. 110. usque ad p. 132. Verum de eo iudicium quoque tulit Bailletus de *Judic. Doctor. tom. 1. pag. 2. & pag. 517.*

THEOPHILUS RAYNAUDUS, Vir multæ lectionis & scriptionis, 28 Jesuita: nam omnes ejus libri 20. tomos in fol. complent, qui ante aliquot annos junctim editi in Gallia, testibus Ephemeridum Scriptoribus. Is librum inter alios scripsit, cui titulus: *Erotemata de malis ac bonis libris, deque justa aut injusta eorum conditione*, editum in 4to, Lugduni A. 1653. quod argumentum ipsi integrum volumen parere potuit, quanquam non aliter, nisi morali ratione, tractaverit. Magna scilicet horum hominum sollicitudo est de admittendis sive tollendis & expurgandis libris. Multæ in hoc Opere ab ipso afferuntur minutæ quæstiones, unde parum fructus pro literaria notitia, nisi quod obiter nonnulla inspergat. Verum scilicet hic Horatianum illud est:

Cum fueret lutulentus, erat, quod tollere velles.

Eandem materiam ante ipsum tractavit Gabriel Puhtherbeus, cujus extat liber *Theotimi* titulo, seu, *de tollendis & expurgandis malis libris, Parisiis An. 1549. in 8vo editus.* Sed noster ille plenius tractat hoc argumentum. Instituit certas librorum classes, ut Hæreticorum, Atheorum, Magicorum, Superstitiosorum, Obscænorum, Infamium, Supposititiorum, Furtivorum. De singulis multa habet, quæ disquirat. Sed ille, dum sua in alios libertate censendi utitur, ipse in censuram Ecclesiasticam incurrit, atque in Indicem illum Prohibitorum quædam ejus Opera relata sunt. * Et 29 fuit sane intolerabilis illa audacia, qua referente Bailletto in *Judic. Doctor. tom. 1. part. 1. cap. 13. pag. 102.* censuram libertinam & impiam in Symbolum Apostolorum scripsit, aliosque in religionem Christianam injurios plane libros: quare inter illos, quos Gallica voce *Chicaneurs* dicimus, refert. * Guido Patinus magnis illum elogiis ornat. In epistola 92. vocat illum hominem prodigiosæ scientiæ, qui omnia norit: nunquam se, ait, aperire ejus libros, quin aliquid ex eo discat. *Epistola 122.* Rainaudum cum Martino Schoockio & Hermanno Conringio confert, ita tamen, ut utrumque a Rainaudo eruditione vinci contendat. * Qua in re Viri ejus 31 iudicium minime amplecti possum. Longe enim profundior eruditio, & limatius in Conringio, quam in Rainaudo, iudicium. Quod qui discernere non novit, næ is vel parum judicandi solertia valet, vel partium studio ducitur. Parum quoque apte cum Schoockio confertur Conringius, in hac triga principe loco nominandus.

Referendi huc quoque sunt SCRIPTORES EPHEMERIDUM 32 LITERARIARUM in variis nationibus, quatenus non nudos tantum nomenclatores, sed & Enarratores & judices se exhibent. (bb) * Jam XX. propemodum 33 anni sunt, cum consilium nonnemini suppeditarem, ut singulis saltem mensibus, (ut

(bb) Ephemeridum Literariorum, solis, quæ decennio proximo lucem videre cœperunt, recentissimis exceptis, omnium Historiam fufius, diligentia satis curiosa, persecutus est Chfist. Junckerus, Dresdenfis, Gymnafii jam Schleusingenfis Conrector, peculiari, quod Lipsiæ A. 1692. in 12. edidit, & Continuatione, ad hæc usque tempora pertexenda, auctius nuper promissit, Schediasmate.

(ut in rebus politicis fieri solet) varias de rebus literariis ex tota Europa conquiritas relationes publicaret, usus eorum opera, quibus magnum est cum viris celeberrimis literarum commercium: quod non ad libros tantum, sed & ad omnia cogitata & inventa aliasque historias literarias extendi vellem. * Ac factum nunc est, ut singulari quodam impulsu animi eruditorum in hoc rei literariæ studium acti fuerint. Sed scopos sibi diversos proposuerunt. Angli enim ad res Physicas se totos converterunt, nova experimenta & Autores Philosophiæ naturalis enarrando, cui fini apud illos instituta fuit *Societas Regia*, cujus auspiciis Henricus Oldenburg, ejus Secretarius, in publicam lucem protulit, quæ illa in Societate proponebantur. Eorum pars in Latinam linguam conversa est: promiserat & ipse Autor integram versionem, cujus nunc laboribus fata intercesserunt; illam telam nunc pertexit

34 Hooekius. * Galli non intra naturæ fines se continent, sed latius evagantur; omnis enim generis Autores novos recensent. * Primus e Gallia illam operam sumpsit Hedovillius, cujus liberiora judicia bilem moverunt eruditus, ut Tanaquil Faber singularem librum scripserit adversus illos Ephemeridum Scriptores, cui Titulus *Journal du Journal, ou censure de la censure*, in quo falsè exagitat novos illos Criticos. Quare circumspicte magis rem suam instituerunt, & judicio omni ab-

35 finuerunt, sola recensione contenti. * Postea res illa ad Dominum Gallefium, ad Abbatem Roquium, ad Dominum Dionysium, Regium Medicum, delata est, quorum labores uno fasciculo comprehensi sunt sub titulo *Journals des sçavans* prodierunt. Recusi illi libri in Belgio fuerunt; sed accessisse hic quædam a falsaria manu, queruntur Galli. Quæ ab aliis notata in his Ephemeridibus fuerunt, legi possunt apud Baillet. libro toties laudato, tom. 2. pag. 57. & seqq. Pars ali-

38 qua istarum Ephemeridum in linguam Latinam conversa est a Nitschio. * Ceperunt quoque Itali Gallicas convertere in suam linguam, & ipsi Gallorum exemplo tales scribere Ephemerides, & quidem Florentini se exercuerunt præcipue in Physicis & Mathematicis. De libris apud illos nihil habetur. Sed

39 ii jam dudum laborem hunc abruperunt; * Romæ vero FRANCISCUS NAZARIUS, Vir doctissimus, eandem quoque palæstram ingressus est, de quo multa præclara scribunt Autores, qui ejus librum legerunt. Prodiit vero etiam ille sub Titulo: *Giornali de Letterati*. Raro tales libri ad nos perveniunt, Caspar Bartholinus in Præfatione libri sui de Tibiis veterum hoc illis elogium suspendit: *Francisci Nazarii Ephemerides tantam librorum cujuscunque scientiæ & linguæ varietatem, tamque distinctam notitiam complectuntur, ut singularia eorundem, quæ ipse laboriose solus perstringit, clarius & solidius ab ipsis seorsim Autoribus haberi nequeant.* Ex illis Ephemeridibus multa transcribunt Galli, nonnunquam etiam

40 Angli. * Veneri quoque Ephemerides tales instituerunt: sed & hæc cum Romanis jam diem suum obierunt. * Harum nationum exemplo incitati etiam Germani & Dani, acta quædam Philosophica & Medica instituerunt, sed intra Physi-

42 cæ & Medicinæ limites se continent. * An. 1682. in Academia Lipsiensi viri aliquot docti laudabili consilio negotium hoc susceperunt, ut *Acta Eruditorum* publicarent, quibus non libros solum in omni doctrinæ genere, ex omni gente, novos

recen-

recenserent, sed & inventa nova physica & mathematica undique conquisita proponerent. Optime illa res hactenus cum eruditi orbis applausu successit; estque ejus rei fructus longe maximus. Ego certe Germaniæ atque illustri huic Academiae de illo consilio gratulor; quod exteris quoque, quibus nostra raro ad palatum sunt, nunc placere incipit, ut jam in Gallicam quoque linguam acta illa convertantur. * In ordinem illa redigit vir non literarum tantum fama, sed & singulari 43 in his industria spectatissimus OTTO MENCKENIUS, manum jungentibus aliis inclutæ Academiae Professoribus, præcipueque Viro omni eruditionis apparatu instructissimo, Dn. CARPZOVIO, urbis Senatore amplissimo. * Nolo hic 44 dicere de Mercuriis librariis, qui singulis mensibus in Anglia, singulis semestribus in Belgio, prædeunt; quem morem etiam Galli imitantur, qui singulis Ephemeridibus Catalogos aliquos librorum subnectunt, quibus continentur digna indigna relatu. * Neque illud silentio hoc loco prætereundum est, Batavum quendam 45 CORNELIUM a BEUGHEM pollicitum esse *Universale* aliquod *ex omnibus Ephemeridum Scriptoribus Compendium*, (ii) quo continebuntur & nova inventa, & libri varii generis: quod ubi prodierit, judicium de illo labore formari poterit; qui profecto non a jejuno ac proletario ingenio, sed a viro rerum omnium, quæ ibi tractantur, perito, suscipi debet. Specimen aliquod ejus rei in libro dedit, cui titulus: *la France sçavante, Gallia erudita*, Amstelodami 1633. in 12. impresso. Sed nec ille vel titulo, vel exspectationi aliorum, labor satisfecit: titulos tantum Ephemeridum, non materiarum specialium ponens, quod secundum tres classes, temporis, alphabeticæ seriei, & generalium materiarum distinxit. Vide de illo Bailleti judicium loc. cit. Scripsit de Physicis, Medicis, Historicis ac Politicis libris Catalogos, sed qui ab anno 50. ad nostra tempora prodierunt, de quibus sequenti capite. * Plures 46 hinc ad eadem rei literariæ augendæ consilia dilapsi sunt: nam Roterodami vir Clarissimus PETRUS BÆLIUS, Historiarum ac Philosophiæ Professor, edidit Gallica lingua librum, cui titulus: *Nouvelles de la République des Lettres*, quem Latina lingua ita ipse effert: *Excerpta Reipublicæ Literariæ*. * Magno illa studio ac industria 47 congesta fuerunt; sed sine aliqua censendi audacia: qua laborat, qui antea ejusdem generis librum scripserat cum titulo: *le Mercure Sçavant*, cujus duo tantum vel tres menses prodierunt, quique cum illis Bælii Excerptis vendi solet. * Nunc 48 quoque Amstelodami ne hac quoque gloria excideret urbs celeberrima, viri eruditi novum genus Ephemeridum instituerunt, sub titulo *Bibliothecæ Universalis*

L 2

Histo-

- (ii) Universale illud ex omnibus Ephemeridum Scriptoribus modernis Compendium five Indices Librorum & Inventorum, de quibus in istis est actum, Generales, publicæ jam luci stitit Corn. a Beùghem, Bibliopola & Senator in Cliviæ Ducatu Embricensis, ob industriam laboriosam, & bene de Historia Literaria Recentiori merendi studium, laude sua haud defraudandus: librorum quidem in quatuor Apparatus sui ad Historiam Literariam *Novissimam Conspectibus*, Amstelodami Anno 1689. 1694. 1699. & 1701. in 12. editis, Inventorum vero in *Syllabo recens. in Re Medica, Physica & Chymica, exploratorum*, ibidem Anno 1696. excusis. Verum solos tantum titulos nomenclatoris instar, recitat, neque sic tamen ab omni errore immunis.

- Historica.* *Universalem* vocant, quod quoscunque libros, cujusque gentis, disciplinae & linguae recensent; *Historicam*, quod sola narratione contenti omni judicio abstinent. Acta Lipsiensium ejus praecipuum autorem alias incognitum nominant,
- 49 *Johannem Clericum.* * In iisdem quoque Actis Lipsiensium, Mense Jan. Ann. 1687. *Ephemerides Eruditorum Parmenses*, exhibentur, e quibus excerpta quaedam speciminis loco proponuntur. Nuper admodum prodierunt quoque *Ephemerides*, quae
- 50 *Politicam & Literariam historiam* conjungunt. * *Hamburgi* quoque a curiosioribus ejus loci viris doctis nuper instituta *Ephemerides Literaria* in ipso ortu suo suppressae, a quibus illud memorabile praeter ceteris omnibus visum est, quod Londino nunciabatur, experimentum de liquore *αυτοκινήτω*, seu de aqua vorticoſa, quae se ipsam in gyrum torquet, a R. B. Societati Regiae expositum, occasionem maximis suppeditare meditationibus possit, multumque arcani recondere videtur.
- 51 Egimus de iis, qui id sibi proposuerunt, ut judicia de autoribus scriberent. Sunt, qui nonnunquam judicia de Autoribus scriptis suis immiscent, e quibus alii excerptare. E scriptis Melanchthonis **GEORGIUS RICHTERUS**, Sacerdos Gorlicensis, collectionem talium judiciorum instituit, libro *Islebiae 1597.* in 8. edito, cui titulus: *Crisis Melanchthoniana de eligendis optimis quibusque in omni disciplinarum genere autoribus.* Erat suo tempore Melanchthon communis Germaniae Praeceptor, ejusque doctrinae longe lateque disseminabantur. Quare quae in illius scriptis de Autoribus bonis habentur judicia, magni usui esse discipulis poterunt: nam non solum de Oratoribus, Poëtis, Historicis, sed & omnium quoque disciplinarum Scriptoribus sana & solida hic colliguntur judicia, tironibus non solum, sed & doctoribus ipsis profutura. Venerabile merito Melanchthonis omnibus eruditus nomen esse debet, in quo uno viro plus doctrinae & sapientiae fuit, quam in toto sciorum, multa & magna crepantium, grege.
- 52 Habentur in **THUANI** historia, ducente ita temporum ac annorum ferie, varia de viris doctis judicia & elogia, quae in unum aliquod volumen cum ceteris memorabilibus Gerhardus von Stöcken in *Thuano suo enucleato* collegit. Illa quoque de viris doctis judicia seorsim sub titulo *Elogiorum Thuanorum* Londini 1671. in 8. edita. Multum illis tribui debet ob singularem hujus viri candorem, qui procul ab
- 53 omni partium studio fuit, & perspicacissimam ejus in judicando solertiam. * Novissime haec judicia in Gallicam linguam convertit Teissierus, suaque additamenta adjecit, quibus de vitis virorum doctorum multa monentur, & aliorum etiam de scriptis judicia, e variis hujus generis Autoribus, colliguntur. Editus est liber ille duobus tomis in 12. Genevae An. 1683. sed idoneis indicibus destitutus.
- 54 **TOBLÆ MAGIRI**, Professoris Francofurtani, Viri docti, extat quoque *Eponymologium Criticum*, ut vocat, quo habentur Elogia & Censurae Virorum celeberrimorum e variis Autoribus collectae. Tenuis primum is labor erat, & quasi rudimentum quoddam; Polymaemoni ejus, libro optimo, praemissum, postea seorsim in 4to editum auctumve Francof. A. 1644. Novissime, Anno scilicet 1687. cura Christiani Wilhelmi Eybenii

Eybenii duplo, quam ante, auctius in lucem missus est. Hoc quasi Indice uti possumus; ad quem plura ejus generis, quæ sparsim apud viros doctos legimus, judicia conferri possunt: sed separanda sunt Encomiastica a veris judiciis.

Talia cum apud omnes Autores de viris doctis judicia magno studio collegisset ANDR. BAILLETUS, Bibliothecæ Lamonianæ Præfectus, in vastum aliquod Opus labor ille ipsi succrevit: nam aliquot jam Tomi prodierunt Operis istius, cujus titulus: *Jugemens des sçavans sur les principaux ouvrages des Auteurs*. Tres primum Tomi Paris. 1685. in 12. prodire, & nunc quartus de Poëtis accessit, cujus quinque sunt partes, An. 1686. editus. Omnium ille, qui hætenus de hoc argumento prodire, absolutissimus dici Commentarius potest: nam non aliorum tantum judicia Vir doctissimus magno studio congeffit; sed sua quoque passim immiscuit, in quibus multa sunt egregia. Multæ quoque de Autoribus, Gallis præcipue, illic habentur notitiæ, quas frustra alibi quæsieris. * Totus ille primus Tomus in præliminaribus occupatur, ubi de instituto suo & omni ratione judicandi multa & utilia & erudita proponit. Hic de libertate, necessitate censendi, de virtutibus boni judicis literarii, judicandi solertia, scientia, perspicacitate, modestia; de vitiis in judicando, præcipitantiâ, affectatione sive Pedantismo, (ut vocat,) cavillatione (*chicanerie*), malignitate, amore & odio, philantia, agitur, in quibus singulis ad specialia descendit. Agit deinde de præjudiciis librorum ab antiquitate, a charactere sacro vel profano, a dignitate Autoris, ab autoritate ejus, a titulis honorum, (quos singularim recenset,) ab inclinationibus Autoris, a natione & patria: ubi de singulis gentibus, atque inter alios de Germanis, de quibus sinisterius judicat. Quam enim invidiosum hoc! *les Allemans sont toujours Allemans*. Quasi non & apud ceteras gentes homines inepti essent, neque apud Germanos viri docti. Sed de his in Germanos convitiis alio loco plenius a me diceretur. Agitur porro de præjudiciis, ab Autoris temperamento & moribus, ab ætate, a præcipitantiâ & lenitudine, a titulis libri, ubi multos veteres & recentiores in censuram, aliquando tamen asperiores, vocat; a circumstantiis, pretio & raritate, frequenti editione, remuneratione librorum. Immiscentur variæ dissertationes de libris posthumis, anonymis, vastitate & exilitate librorum, de compendiis, de Polygraphis: quæ omnia multum ad variam doctrinam conducunt. Recenset hinc Typographos, Criticos, Historicos, Interpretes, Grammaticos, & tandem Poëtas magno multoque apparatu. Sed in his adjumento illi fuere integri, qui de Poëtis prodierunt, a Gyraldo, Vossio, Craffo, Borrighio &c. libri; in quibus nos ita procedemus, ut, quæ aliis dicta sunt, suis Autoribus relinquamus, & digitum tantum in illa intendamus: ea vero, quæ a nobis ipsis notata sunt, diligentius proponamus. Ubi ceteri prioribus Tomi accesserint, in magnam molem excrescet liber: sed tamen ob summam utilitatem commendari præ ceteris omnibus debet; etsi Autor, qua est modestia, ipse tantum pro rudimento perfecti Operis haberi velit.

Erravimus judicia de viris doctis, ab aliis collecta, subjungemus his judicia 57

Virorum doctorum illis sublecta : inter quæ referri debent *Excerpta Scaligeriana & Perroniana*. Libelli hi prodierunt e Bibliotheca Isaaci Vossii : fuerunt vero illa olim consignata a fratribus Puteanis, cum in Belgio apud Scaligerum viverent, in bonos viros ac integras nationes sæpe injuriosa. Multa illic sunt congesta de libris & viris doctis judicia, per ordinem Alphabeticum disposita, digna atque indigna relatu, nonnunquam maledica & falsa: quæ postea descripsit Claudius Sarravius, curiæ Parisiensis Senator. Neque enim dubito, illis quicquam accessisse a maligna manu. Multa tamen illic habentur ad rem literariam

58 Historiamque ejus temporis noscendam utilia. * Postquam primum edita fuerunt hæc Scaligeriana Hagæ Comitum An. 1666. in 8vo, Gröningæ postea in lucem venerunt alia Scaligeriana, An. 1669. in 12. quæ prima vocantur, cum præfatione Tanaquilis Fabri, & ex ejusdem Bibliotheca: omnia vero Latina lingua afferuntur, cum altera illa intermixta sint multis Gallicis Dissertationibus, prout ex ore loquentis exciderunt. Multa illic conqueritur de misero suo statu Faber, historiamque primorum Scaligerianorum hanc recenset: *Sex septemve menses sunt, ex quo Fr. Sigonius Jurisconsultus apud Augustoritenses celeberrimus, hæc Scaligeriana manu descripta ad Bibliopolam misit, ut ederentur & publicarentur. Rogavit porro, ut inspicerem: inspexi; & quadam sane ad ea paravam scribere, quæ non omnibus fortasse nata sunt; sed totum id consilii, ut abjicerem, multa fecere. Cur autem Prima vocaverim (nam hunc eis titulum feci) ubi libellum legeris, facile intelliges; scilicet altera illa Scaligeriana, quæ abhinc duobus tribusve annis prodire, recentiora sunt. Doctrina autem in his tanta est interdum, tamque recondita, ut, qui meliorum literarum studiosi sunt, nullam satis magnam Cl. Sigonio gratiam referre possint, qui nec opera suæ pepercit, nec sumptibus, ut schedas & adversaria Vertuniani sibi compararet & describeret.* Gröningensi editioni adduntur altera, ut vocantur, Scaligeriana,

59 quæ prius prodierant; sed illa in non paucis interpolata. * Plenior horum Scaligerianorum historia habetur apud Guid. Patin. *Epist. 154.* qui non a Puteanis Fratribus, sed a quodam Vassano hæc consignata tradit: quam hic integram Gallicis, ut ibi habetur, verbis apponam: *J'en ai céans un manuscrit. C'est un Livre fort curieux, mais un peu dangereux. Je le fis transcrire il y a 30. ans sur l'original que m'en prêtèrent Messieurs du Puy, qui étoient mes bons Amis & de fort honnêtes-gens. Voici de la manière que le Livre a été fait. Un jeune homme qui n'avoit pas 20. ans, nommé Jean de Vassan, de Champagne, Huguenot, qui avoit étudié à Geneve, prit à Paris des Lettres de recommandation du Grand Casaubon pour Joseph Scaliger, & s'en alla en Hollande. Ce Jean de Vassan étoit neveu de Mrs. Pithou grands amis de Scaliger, qui étoit visité toutes les semaines par toute sorte de gens savans. Jean de Vassan écutoit tout ce que disoit Scaliger & l'écrivoit. Delà vint ce Livre, qui est aujourd'hui dans la Bibliothèque du Roi. Jean de Vassan étant de retour de son voyage, fut fait ministre, puis par le moyen du Cardinal du Perron & d'une bonne pension, se fit Catholique, mais la pension n'allant pas bien, il se fit Moine Féuillan, & avant que*

60 d'y aller fit présent de ce manuscrit à Mr. du Poy. * Perroniana per eosdem fratres Puteanos, vel per eundem forte Vassanum, e Cardinalis Perronii quotidianis ser-

monibus

monibus congesta sunt, in quibus nonnulla ejusdem argumenti, quæ melius inter se
 coherent, ut Scaligeriana. Sunt in illis multa eximia, etsi de Cardinali Perronio
 contemptim judicet Patin. epist. 10. Eadem a Cl. Sarravio descripta edita Genevæ
 apud Petr. Colomesium Ann. 1666. Sunt & per eosdem fratres Puteanos Thuanæa
 quædam Excerpta consignata, sed minoris momenti; in quibus nulla de Autoribus
 judicia, sed mera Historica occurrunt. Ad hoc exemplum memini ab amico meo
 fuisse consignata Conringiana judicia, quæ ille ex familiari cum ipso conversatione
 notaverat. * Male profecto de virorum illustrium fama merentur, qui omnia eorum
 dicta factaque sine ullo delectu in publicum protrudunt: ut fecit Colomesius
 in Opusculis suis literariis; ubi habentur quædam relationes Gallicæ de variis do-
 ctorum rebus & institutis secretioribus, minime propalandæ. * Quintilianus jam
 olim lib. 6. c. 3. eos reprehendebat, qui de jocis Ciceronis tres libros collegerant, in-
 que iis quædam frigidiuscula retulerant, quæ tantum virum non decebant. *Utinam,*
inquit, Quintus & libertus ejus, Tyro, aut alius, quisquis fuit, qui hos hac de re libros edidit,
parcius dictorum numero indulgissent, & plus judicii in eligendis, quam in congerendis studii, ad-
hibuissent: minus objectus calumniantibus foret. * Ita Adamus Siberus in epistolis p. 475.
 indigne fert, Manlium quendam omnes sermones Melanchthonis congestisse, quos
 vel in mensa, vel in schola, vel in via effutivit: cum delectus ei fuisset habendus
 optimorum. * Idem conqueritur in vita Melanchthonis Camerarius: *de iis, qui et-*
iam dicta & sermones quotidianos atque familiares ipsius collegerunt, & ausi sunt cum suis Com-
mentationibus divulgare, quid dicam? Isti vero neque studio, neque judicio, neque omnino con-
sideratione aliqua congerentes, quæ ne audissent ipsi quidem, sed ex aliis fortuito cognovissent,
solida sua temeritate sese quidem infamarunt inprimis; sed & Philippi Melanchthonis nomini
macula aliquid asperserunt, & multorum bonorum virorum futilem atque nugatoriam, vel in-
decoram quoque & indignam mentionem inculcantes, indignationem illa offensione concitarunt.
Verum in hujus seculi impudente licentia hoc scilicet ad alia innumerabilia mala apponendum,
& dandum est insulse hominum vanitati, & existimationis seu lucelli quoque aucupio, cum per-
mittantur fiantque impune alia, cum flagitiosiora, tum sceleratiora. Idem de Lutheri ser-
 monibus judicium esto, quos illo invito & nesciente ediderunt nonnulli. * Fuere
 quoque, qui Satyrica quadam ratione judicia de viris doctis eorumque actionibus
 proposuere, ut TRAJANUS BOCCALINUS in *Relationibus suis e Parnasso*; quem
 tamen verum autorem multi non habent, ut supra vidimus. * Hunc imitatus est
 ADAMUS EBERTUS, cujus extant *L. Relationes e Parnasso*, Hamburgi 1683. in 8vo
 editæ, ubi de rebus literatis & civilibus nonnulla per fictas illas narratiunculas pro-
 ponuntur.

DANIEL BARTOLUS, Italus, Vir ingeniosissimus, varios libellos scri-
 psit Italica lingua, cultu orationis pene nimios. Inter illos est liber de Literatis, eo-
 rumque virtutibus, & vitiis, qui in Germanicam linguam quoque translatus est.
 Conversus est etiam in Linguam latinam, cum hoc titulo: *Character hominis literati.*
 Multa in illo arguta sunt de scriptis Satyricis obscænis, plagiiis &c. sed ad eloquen-
 tiam magis, quam ad Historiam spectant: nam belli elegantisque ingenii lusus cir-
 ca

ca singula capita apud illum habentur. Scripsit & alios libros, quorum in eloquentia Ecclesiastica usus est, de quibus infra plura. * De eodem argumento THEOPHILUS SPIZELIUS egit: aliquot enim libros de virtutibus & vitiis eruditorum scripsit, quos undique e vitarum Scriptoribus & Encomiasticis collegit. 68 Tituli sunt: *Literatus, felix & infelix.* * Similiter quoque FRANCISCUS RIDDERUS scripsit Historiam de Eruditione, scriptione, libris, & Bibliothecis; sed non nisi mera illa Collectanea sunt undique congesta.

70 VINCENTIUS PLACCIUS *de Scriptoribus Anonymis & Pseudonymis* egit; (kk) optimum fuit consilium Viri doctissimi, cum hoc sibi eligeret argumentum, quod ante eum nemo occupaverat. Extabat tenuis quaedam scheda FRIDER. GAISLERI *de mutatione nominis*, cujus posterior pars agit de scriptis Anonymis, sed parum est pro hujus argumenti vastitate. Suscepit idem consilium jamdudum Bibliothecarius Bibliothecæ Oxoniensis THOMAS HIDE, a quo tamen nihil haecenus in lucem editum est. Nemo igitur operæ pretium fecit, præter Placcium; quanquam, ut ipse non diffitetur, festinatus ille labor sit & imperfectus, nam ipse nunc Supplementum altero tanto majus promisit. Augeri sane ille labor multis modis potest, & magnum habet in tota Historia literaria fructum. Multa latent sub larva falsi Autoris volumina, quorum interdum tenuis notitia est. Admittuntur enim quandoque libri in lucem, quorum Auctores longe alii sunt. * Referendus quoque hic est JOH. DECKHERI liber *de scriptis adespotis*, jam tertium An. 1686. Amsterodami editus.

72 Ad Historiam literariam pertinent & illi, qui de Academiis scripsere. Hic primo loco merito poni debet HERMANNUS CONRINGIUS, Vir πολυμαθής, qui, ut jam supra indicavi, *de Antiquitatibus Academicis*, librum singularem scripsit. Ejus postrema editio multa habet additamenta, quæ pene altero tanto superant priorem editionem. Liber est doctus, & in hoc argumento pene unicus: nam, qui alias in hoc negotio versati sunt, jejunam tantum operam præstiterunt, & in generalioribus occupati, aut in iis, quæ ad jura Academica spectant, præcipua tamen Historica, primasque origines ne attigerunt quidem. Hornius quidem in dissertationum suarum Historicarum & politicarum 31. agit de Academiarum per occidentem instauratione: sed levia illa sunt & superficialia. Conringius quoque ipse in specialioribus deficit: Histo-

(kk) Vinc. Placcii *deutérios* de Scriptoribus Anonymis & Pseudonymis Detectis *Φγογρίδες*, quæ in volumen ingens, labore ipsius improbo, & amicorum symbolis, excreverunt, prælo paratæ apud JCtum πολυμαθής, Gerhardum a Maastricht, Reip. Bremensis Syndicum, cui Autor moribundus eas commendavit, delitescunt, & a Bibliopola, boni rei Literariæ publicæ studioso, in lucem protrahi desiderant. Institutum Operis, 5000. circiter Autoribus larvam detracturi, exponit *Invitatio* Autoris ad Ant. Magliabechium, aliosque Eruditos, *super Symbolis ad illud conferendis*, Amica, Libro de Arte Excerpenti, Hamburgi A. 1689. in 8vo edito, subjuncta. Non parum etiam Argumentum hoc illustravit Adr. Bailleti Tr. Gallicus, Parisiis A. 1690. in 12. publicatus: *Auteurs Deguisez sous des Noms Errangers, empruntez, supposez, feints à plaisir, chiffrez, renversez, retournez, ou changez d'une langue en une autre.*

Historia enim specialior Academiarum ab aliquo deducenda hactenus desideratur: nam, quanquam Franciscus Junius Müddendorpius de Academiis Germaniæ, alii de Academiis specialibus, e. g. de Parisiensi, Oxoniensi, Patavina, singularibus libris egerint; quanquam & Gregorius Leti de Academiis *Italia in Italia sua regn.* non modica inspergat, revera tamen omnis ille labor mancus est & sterilis. * Optandum esset, ut hanc operam sibi deposceret vir prudens & doctus, & quemadmodum Conringius generalia Academiarum, ita specialiora tum e variis de hoc argumento Scriptoribus, tum ex sua experientia concinnaret. Et sane, quemadmodum olim Aristoteles Rerump. historiam contexuit; quidni simili ratione liceret Academiarum, quæ sunt literatorum Resp. Historiam tum e Politicis, tum ex Historia literaria, principia contexere? Præclarum sane hoc & illustre argumentum, de quo nemini hactenus in mentem quicquam incidit; cui operi tamen exædificando multa possint suppeditari hinc illinc subsidia, modo quis prudentiam & peritiam huic rei commodet. De his Academiarum juribus & privilegiis in universum Autor quidam Hispanus scripsit vastum Volumen. * De Academiis Galliæ, ac speciatim de Parisiensi quidem *Cæsar Egassius du Boulay* historiam scripsit, Bailleto *tom. 2. pag. 170.* nominatam, sex spissis in folio Voluminibus, mihi vero nunquam visam. Ita vero de iis judicat Autor ille, multa quidem in illis haberi impertinentia, sed utilissimum esse librum ad notitiam scriptorum, quæ publicarunt viri docti in Gallia; exterorum quoque, qui in hac Academia vixerunt. Multa quoque illic memorabilia coacervari ait, quæ alibi frustra quærantur. De Belgii Academiis singulares etiam libri conscripti sunt, lingua & Latina & vernacula, quorum tituli in Catalogo Thuanæo videri possunt. Edmundus Richerius, vir inter Gallos doctissimus, *de optimo Academiarum statu* librum elegantem scripsit, in 8vo Parisiis An. 1603. editum. Ex his similibusque Autoribus confici idoneum corpus possit.

ANTONIUS WOOD, Anglus, scripsit *Historiam & Antiquitates 75*
Universitatis Oxoniensis. Liber editus est in folio 1674. Oxoniæ. * Qui, cum 76
diligentissime recenset antiquissimæ Academiæ Oxoniensis originem & progres-
sum, operosus est in Theologiæ & Philosophiæ Scholasticæ historia percen-
senda. Cum enim in antiquissima Academia Parisiensi hæc caput extulerit, in-
deque in Academiis Britannicas propagata, ejus hic historia plenius proponi-
tur. Magni itaque usus ad hunc scopum liber ille est, ex quo præterea cog-
noscas Academiarum tum temporis in Europa statum, quæ ad Parisiensis Bri-
tannicarumque Academiarum formam institutæ videntur. Insignis ex illo no-
titia haberi potest virorum doctorum, qui vel in hac Academia vixerunt, vel
ex illa prodierunt, quorum alias notitia haberi non potest. Magna potuisset
Conringii libro ex hoc Opere accessio fieri; sed ille librum isto tempore non-
dum impressum ad hos usus applicare non potuit. Potest & his addi Bæcle-
rus in Commentario *de Seculi 9. & 10. rebus*, qui sub singulis Imperatoribus bre-
vissime recenset statum literarium.

PETRUS LAMBECIUS, Vir doctus & Polyhistor clarissimus, Ham- 77
Tonus I. A a bur-

burgensis olim Gymnasii Rector, postea consiliarius & Bibliothecarius Imperatoris, ad Historiam literariam non parum subsidii attulit; de quo jam supra multa diximus. *Prodromum* ille quidem *Historie literarie* scripsit, sed vel ex titulo ipso apparet, non nisi partem ab ipso tractari: neque enim sufficiebat vir unus tam immenso operi, cujus concinnatio non unum aut alterum annum, sed totam fere hominis vitam, requirit, ideoque post primam illam *Prodromi* editionem nihil ulterius edidit: sed ad *Bibliothecæ Vindobonensis historiam*, & *Catalogos* scribendos, vastos & laboriosos, accessit; cujus Operis magna jam tum prodierunt Volumina, docta quidem & operosa, sed multis illuc non pertinentibus rebus referta, cum in excursus abire Auctor, non quidem inutiles & indoctos, sed alii loco & tempori opportuniores. Rectissime de eo iudicat Bailletus *Tom. 2. p. 250.* Autorem hunc vastos illos Commentarios in arctius contrahere spatium potuisse, si maiorem sumptuum, quam magnificentiae rationem habere voluisset. Non displicet tamen eius consilii ratio, quod manum Historiæ literariæ ultimam imponere noluerit, quam completo Bibliothecæ Vindobonensis Catalogo. Sed ipse spe sua excidit, cum fata tam longinquo Operi intercesserint

- 78 GABRIEL NAUDÆUS, Gallus, Vir doctissimus; Bibliothecarius Cardinalis Mazarini, inter Scriptores Historiæ literariæ recensendus, cujus extant scripta, magno ingenio & doctrina elaborata. Is Gallica lingua librum scripsit, cui titulus: *Addition à l'Histoire de Louys XI.* Parisiis editum 1630. in 8vo, oppido rarum, quo continetur præcipua pars Historiæ literariæ illorum temporum, non per Galliam solum; sed & per alias Europæ partes. Vocat *Additionem*, quoniam illic pertractat partem, a reliquis Historicis intactam. * Incidit autem hujus Regis historia in illa tempora, quibus incepit *παλιγγενεσία* literarum per totam Europam: occasione illa disquirat in originem artis Typographicæ, candideque Germanis vindicat divinam artem, quam Batavi sibi tribuere voluere per summam erga Germanos invidiam; quorum argumenta illic refutat: legendus est *cap. 7.* Frustra itaque est *Boxhornius* cum omnibus suis argumentis, qui peculiarem *de artis Typographicæ origine* librum pro Batavis suis scripsit. Idem Vir clarissimus *Bibliographiam Politicam* scripsit; ubi de Politicis Scriptoribus iudicat; aliumque, cui titulus *Mascurat*, ubi de iis scriptis iudicat, quæ sub Cardinale Mazarino edita sunt.

C A P. XVII.

DE SCRIPTORIBUS BIBLIOTHECARIIS.

- §. 1. *Scriptores Bibliothecarii* 2. *vel de methodo Bibliothecæ instituendæ agunt, vel historiam Bibliothecarum proponunt.* 3. *Richardi Buri Philobiblion.* 4. *Bessarionis epistola.* 5. *Gabr. Naudæi dissertatio de instruenda Bibliotheca.* 6. *Hottingeri Bibliothecarius quadripartitus.* 7. *Ejus Indices librarii.* 8. *Claudii Clementis Museum.* 9. *Iusti Lipsii de Bibliothecis Syntagma.* 10. *Ludovici Jacobi Tracta-*

Tractatus de Bibliothecis. 11. *Judicia de illo*; 12. *Gallica Bibliotheca non ceterarum nationum Bibliothecis preferenda*. 13. *Ludovici Jacobi plures libri Bibliothecarii recensentur*. 14. *Lomeier de Bibliothecis*, 15. *in vetustis diligentior, quam in recentioribus*. 16. *Ludovicus Jacobus indiligentiâ notatur*. 17. *Jodocus a Dudnck*. 18. 25. *Mutius Pansa*. 19. *Galleſii Tractatus de Bibliothecis exiguus*. 20. *Spizelii Diſſertatio de re Bibliothecaria*. 21. *Cardone*. 22. *Puteani*. 23. *Majoragii, Heinfii de Bibliothecis ſcripta*. 24. *ſqq. Bibliotheca Vaticana*. 25. *Mutius Pansa*. 26. *Angelus Rocha*. 27. *Zoilus Ardelio de Bibliotheca Vaticana*. 28. *Vindobonienſis Bibliotheca a Lambecio deſcripta*. 29. *Bibliotheca Oxoniienſis*. 30. 31. *Catalogus ejus a Jamesſo & Hidano ſcriptus*. 32. *Quid in hoc deſiderandum*. 33. *Anglica Bibliotheca cetera*. 34. *Bibliotheca Guelferbytana ab H. Conringio laudata*. 35. *Bibliotheca Regia Gallica nova & pleniffima deſcriptio laudatur*. 36. *Qui de variis Bibliothecis ſparſim egerunt*. 37. *Collegii Pariſienſis Societ. Jeſu Bibliotheca laudatur*.

Cum ſupra cap. 3. de Re Bibliothecaria egerimus, ac plurima ejus argumenti tetigerimus; nunc hoc loco SCRIPTORES BIBLIOTHECARIOS recensēbimus: nam, quoniam Bibliothecæ locupletis ordinata cōgnitiō non parum facit ad Hiftoriam literariam cognoscendam; non immerito Scriptores Bibliothecarios iis, qui ad Hiftoriam literariam pertinent, ſubjungimus. * Quidam ex illis Scriptoribus vel de methodo inſtituendæ Bibliothecæ agunt, vel Hiftoriam Bibliothecarum, ſeu univerſalem ſeu particularem, proponunt. De illis primum agemus, etſi jam tum cap. 3. eorum quoque mentionem fecerimus.

RICHARDUS a BURI, Epifcopus Dunelmienſis, & Eduardi III. Anglorum Regis, Cancellarius, & Theſaurarius Regni, librum ſcripfit, cui titulum fecit; *Philobiblion*, qui rariffimus eſt, & in paucorum manibus verſatur (II), in quo illerem Bibliothecariam commendat, & modos oſtendit, quibus adornari Bibliotheca poſſit. Seorſum ille editus non facile comparet in Bibliothecis; ſed iteravit editionem ejus Melchior Goldaſtus, addiditque *Centurias Epiftolarum Philologicarum*, quas ille collectas junctim edidit Francofurti in 8vo, An. 1610. quibus multa continentur notabilia. * Additur quoque Beſſarionis, Patriarchæ Conſtantinopolitani, & Cardinalis Tuſculani *Epiftola*, ad Principem Senatumque Venetorum miſſa An. 1469. qua Bibliothecam ſuam omnis generis libris inſtructiſſimam eidem Senatui deſert ac donat. Richardi vero illius liber, etſi dictio genium iſtorum temporum ſapit, tamen eleganter ſcriptus eſt, ac multa proponit rei Bibliothecariæ arcana.

GABRIELE NAUDÆO nemo vixit ſuo tempore *εμπειρίας* Bibliothecariæ peritior; cujus exſtat libellus ad Præſidem Memmium, ſcriptus hoc titulo: *Advis pour*

A a 2

dreſſer

(II) Reçuſum eſt Richardi de Buri *Philobiblion*, cum eadem Centuria Epiftolarum Philologicarum, a Melch. Goldaſto collectarum, Unica (nec enim plures, ut Morhofius opinatur, edit.); Lipſiæ An. 1674, in 8vo.

dresser une Bibliothéque. Multa sunt in hoc tenui libello notabilia, tum quod ad erectionem; tum quod ad conservationem Bibliothecæ attinet. Richardum de Buri sæpissime in exemplum proponit. Multa illic de officio Bibliothecariorum, qualitate librorum, & similia, quæ recentiores quidam de hoc argumento Scriptores strenue excribunt. Prolixus in ejus laudes est Marefius *lib. 2. Epist. 32.*

- 5 JOHANNES HENRICUS HOTTINGERUS, Theologus Reformato-
rum *πολυμαθέστατος*, Orientali literatura præcipue celebris, librum scripsit titulo *Bibliothecarii quadripartiti*. Quatuor partes hujus Operis fecit: prima agit de Bibliothecarum instructione, officio Bibliothecarii, aliisque nonnullis, quæ spectant ad modum contexendi Catalogos Bibliothecarios, quorum potissima pars excerpta ex Naudæi scripto supra dicto. Notanda sunt imprimis, quæ de Locis Communibus Bibliothecariis instruendis proponit. Ita enim Bibliothecam suam institui jubet, ut ipse ejus ordo possit esse instar Locorum Communium. Illic varias recenset variorum Autorum methodos, quibus tandem suam addit *ἐπιχειρῶν p. 79.* Quæ omnia sic satis bona sunt, nisi quod ordo nimium laboriosus videatur, & in ipsa Topographia libraria difficulter semper observari possit. * Præstat itaque, si Bibliothecæ ea ferme methodo, qua utuntur Collegii Jesuitici Parisiensis Patres, in Systemate Bibliothecæ ab illis edito, aut qualis habetur in Catalogo Bibliothecæ Thuanæ, dispositæ bonos Indices subjeceris. De ejus *Indicibus librariis* plura diximus *cap. 6.* quolectorem remittimus. Reliquis tribus partibus scripta Theologorum secundum certas classes disponit, quæ omnia utiliter & cum fructu legent Theologiæ Studiosi. Utilis quoque esse potest in prima ejus libri parte *cap. 3.* Bibliotheca Anglorum Theologica contracta.

- 8 CLAUDIUS CLEMENS, Jesuita, scripsit librum, cui titulus est: *Museum s. Instructio Bibliotheca, tam publica, quam privatæ.* Editus est Lugduni An. 1636. in 4to. Multa coacervat hic Autor ad hoc argumentum: est in alienis potius occupatus & generalibus, in externis, quæ spectant ad ornatum Bibliothecæ, in picturis & similibus. Scilicet ille phaleras tantum, non Pegasum ipsum curat: recte de illo Bailletus *tom. 2. p. 273.* *Il y a quelque erudition, mais il y a trop de babil & trop de ce que nous appellons fatras & s'il avoit eu plus de jugement, il auroit renfermé tout ce qu'il y a de bon dans cet ouvrage, en un fort petit livre.* Additur quoque descriptio Bibliothecæ Hispanicæ Scorialensis, & ad studia lectionemque librorum parænesis.

- 9 JUSTI LIPSII primo loco debet fieri mentio, sed quoniam in re Bibliothecaria potius ungues & redyviam curat, quam caput, vel plane etiam omitti poterat, & ad Scriptores antiquarios rejici. (†) Scripsit *Syntagma de Bibliothecis*, in quo de ritibus

(†) *Syntagma Libellorum & commentationum de Bibliothecis atque Archivis*, a Joh. Joach. Madero Helmstadii Anno 1666. in 4to publicatum, præter Editoris de Scriptis & Bibliothecis Antediluvianis Præfationem, Justi Lipsii de Bibliothecis *Syntagma*, Fulvii Ursini, Guid.

bus variis & antiquitatibus circa rem Bibliothecariam agitur. Hunc librum postea una cum aliis ejusdem argumenti excerptis antiquariis edidit Maderus, præmissa de antediluvianis Bibliothecis Dissertatione. Eundem Lipsii librum cum insigni auctario editurus erat maximi nominis Medicus, Hieronymus Welschius, ut restatur in ejus vita Schröckius. Sed hujus & multorum aliorum spes præmatura hujus viri morte intercidit.

LUDOVICUS JACOBUS primus est, quantum memini, qui de Bibliothecis, 10 antiqui novique temporis, aliquid scripsit. Fuit Carmelita: Gallica lingua librum, Parisiis Ann. 1644. editum, scripsit, cui titulus: *Traité de plus belles Bibliothèques publiques & particulieres, qui ont esté, & qui sont à present dans le monde*, id est, *Tractatio de optimis Bibliothecis, publicis, privatis, quæ fuerunt, hodieque supersunt in orbe.* * Magnam hic rem agi credideris: sed si, quod res est, dicendum, amphoram titu- 11 lus instituit, liber exit in urceum. Quod ad veteres attinet Bibliothecas, plura ab aliis jam tum dicta sunt; in novis recensendis ultra notitias, quas e paucis Autoribus hausit, nihil novi affert. In Italicis Thomasini, in Anglicis Pitsei, in Belgicis Sanderi, in Germanicis Melchioris Adami vineta cædit. Qui Autores, si Thomasinum & Sanderum excipias, ἐν παρέργῳ illa attingunt, & casu in eorum mentionem incidunt. Nam, qui e Melchioris Adami Vitis omnem rei Bibliothecariæ Germanicæ notitiam meritur, ut facit Ludovicus Jacobus, e turri Archivos judicat. * Ex 12 qua rerum peregrinarum incuria vel despicientia natum hoc ipsi judicium est, plures Bibliothecas in una Luteriæ urbe, quam in Anglia, Hispania ac Germania integra reperiri. Scilicet & hic verum est, quod veteri verbo dicitur: τῆς Πατρίδος καπνὸς λαμπρότερος τῆ παρ' ἄλλοις πυρὸς. Neque tamen Patriæ suæ Bibliothecas illa, qua poterat, diligentia recenset, quanquam majorem illis curam impenderit. Josephus Scaliger in Excerptis refert, suo tempore 80. perfectas Parisiis fuisse Bibliothecas, cum Londini tantum 12. fuerint. Memorat de eo Bailletus tom. 2. p. 273. quod parum diligentiae & judicii in Opere hoc adhibuerit; multa incerta aliorum

Aa-3

fide

Guid. Pancirolli, Bartholom. Chassanæi, Franc. Patricii, Mich. Neandri & Jac. Phil. Thomasini de iisdem, Laur. autem Pignorii de Servis Veterum Bibliothecariis, & Emundi Figrelli de Statuis Doctorum, Ἀποσπασμάτια, Balth. Bonifacii Lib. de Archivis, Franc. Schotti, Onuphr. Panvini & Ant. Cicarellæ de Biblioth. Vaticana, Balth. Corderii & Alex. Barvoetii de Scorialensi, ac Joh. Alex. Brassicani de Budensi, Schediasmata, uno falce complectitur. Secunda illius editioni, a Joh. Andr. Schmidio, Theologo Acad. Juliæ πολυμαθεστάτω, Helmstadii Anno 1702. cum Præfat. sua, publicata, Herm. Conringii de Bibliotheca Augusta Guelpherbytana Dissertatio accessit Epistolica. Hanc, curante eodem Polyhistoro, ulteriorem etiam Collectionis hujus pollicito continuationem, Anno 1703. secuta est *Nova de Bibliothecis Accessio*, Syntagmati Maderiano adjuncta, in qua Rich. de Buri Philobiblion; Gabr. Naudæi & Theoph. Spizelii de Bibliothecis Diatribæ, & Christoph. Heidmanni de Bibliothec. Acad. Juliæ Verustiori, Herm. ab Hardt de Nova ejusdem Rudolphæ, Casp. Sagittarii de Jenensi, ac Jul. Pflugii de Budensi, Commentationes, lucem denuo junctim aspexerunt publicam.

fide credulus ipse adducat. Inde factum, ut numerum Bibliothecarum auferit, quas ille pro locupletibus venditat, quæ vix inter mediocres locum inveniunt. Bibliothecam S. Victoris illè ob MStorum copiam in cælum extollit laudibus; sed Scaliger in Excerptis quicquam in illa boni esse negat, neque sine causa Rabelesium Satyrico illam, sale defricuisse. Sed dici tamen in ejus defensionem potest, quod ipsè in præfatione ad lectorem Autor pro imperfecto Opere habeat. Condonandura affectui ejus in patriam est, quod Parisinas Bibliothecas ceterarum gentium vincere existimet. Etsi enim illic locupletes illæ sunt, comparari tamen cum tot nationum Bibliothecis nequeunt, ubi non fungi & verveces habitant. Laudat tamen ejus curiositatem Bailletus, *ibid. p. 98.* & accuratoria ab illo sperare nos potuisse ait, si super-
 13 vixisset. * Edidit Idem *Bibliothecam Pontificiam*, in cujus prima parte agit de libris, quos Pontifices scripserè; altera de iis, qui vitas & elogia Pontificum scripsere. *Bibliothecam* quoque *Cardinalitiam* & *Carmeliticam* promisit, eodem modo instructam: quæ an lucem viderint, non constat. Idem *Bibliothecam Feminarum*, quæ literis & libris inclauerunt, an absolverit, incertum. Extrat quidem in illum librum inter Epigrammata Naudæi aliquod, quod *pag. 53.* legitur; sed fortassis illud in librum, vel affectum vel ineditum, scriptum est. Præmitti huic solet libro Naudæi *dissertatio de Bibliotheca instruenda*; quam ob causam factum est, ut totum de Bibliothecis librum Naudæo adscripserit Lambecius, *Comment. de Bibl. Vindob. lib. 1. p. 15.* qui tum optimi amici fuerunt, ut ex vita Naudæi, Epistolis ejus præfixa, patet.

14 Post illum *de Bibliothecis* in universum singularem librum publicavit, jam secundum editum, JOHANNES LOMEIER, Ecclesiæ Deutechomiensis Pastor, Vir doctus quidem, sed cui tamen non iste ad manum fuit apparatus, quo opus erat de hoc tam vasto argumento aliqua scripturo; quod ille limatus ornatusque nobis, quam Carmelita ille, dedisset, si sylvam Operi educendo instructiorem habuisset. Nam & in summa illius percurfatione etiam curam quandam & *αὐχινέαν* ostendit, ne Ludovici quidem Jacobi subsidiis adjutus, cujus ille librum apud Bibliopolas Amstelodamenses & Francofurtenses frustra quaesitum, nusquam reperire potuit, ut ipse testatur. In vetustioribus
 15 tior est Lomeierus, Gallus vero ille indigentior. * At vero in recentioribus recensendis parcior est Lomeierus: quanquam interdum aliqua, quæ Galli isti-
 16 us manum fugerunt, & illic apparent. * Gallus ille, ut in Bibliothecis, qua publicis, qua privatis, recensendis diligentior est, illis præcipue, quæ in Collegiis Monachorum latitant, multas tamen, tam publicas quam privatas, prætermisit, easque celebratissimas, e quibus nunc tantum viciniore nomine, Augustam illam *Wolferbytanam*, *Slesvicensem* nostram, & *Hamburgensem*, quæ profecto inter rot alias recenseri debebant: ne quid de remotioribus dicam, & de privatis. Quanquam enim hæ non sunt perpetuæ; nam vel ad alios possessores transeunt, vel venditionibus distrahuntur, earum tamen notitia propter ipsos libros habenda est. Gallus, ut indigentiam suam in Germanis Bibliothecis excusare possit, ad fontes sibi nobisque incognitos ablegat. *Non dubito*, inquit *pag. 226. plures esse easque bonas in Germania Bibliothecas,*

theat, verum cum illarum nulla mihi haecenus notitia sit, remitto lectorem ad librum Jodoci Dudingii de Bibliothecis: qui, cum ad manus meas haecenus non pervenerit, ad rei Bibliothecariae cognitionem nullam nobis usum praebere potest. Et ille tamen in hac rerum suarum tenuitate & angustia, Germaniae, Hispaniae, Belgiique opes contemnere audeat praeter Galliae suae thesauris. * Illum vero Jodocum a Duding non nisi a Catalogis & indicibus novi, frustra a me haecenus, utut maxima diligentia, quaesitum. Fuit vero iste JODOCUS a DUDINCK, Canonicus Resensis, & Pastor Vinenis ad Rhenum, cujus liber Coloniae apud Jodocum Kalekofen, An. 1643. in 8. magnifico sane titulo prodiit: *Palatium Apollinis & Palladis; sive, Designatio praecipuarum Bibliothecarum mundi, veteris novique seculi.* Non habuit ipsum, neque vidit Labbeus, qui in Bibliotheca Bibliothecarum p. 109. e Valerii Andreae Bibliotheca Belgica libri titulum cum aliis ejus Autoris recenset. Ne mentionem quidem ejus facit Lomeierus, ut vel ex eo, ignotum ipsi hujus viri fuisse nomen, appareat. Testatur vero Bailletus tom. 2. pag. 272. dedisse illum Dudingium ideam Bibliothecarum praecipuarum superficialiarum, ut vel ex eo appareat, non visum fuisse Jacobo libro, ad cujus pleniore opes nos ille ablegat. * Addi superioribus potest MUTIUS PANSANSA in libro Italice scripto de *Bibliotheca Vaticana* Ann. 1590. Romae in 4to edito, qui suo in argumento hospes alibi semper vagatur, & reliquarum gentium librariam & literariam rem recenset, neutri horum, quos recensui, quantum ego quidem animadvertere potui, cognitus.

GALLESIIUS, Autor Gallicus, An. 1680. librum edidit, cui titulus: *Traité de plus belles Bibliothèques du monde.* Magnos ille titulus strepitus facit; sed pro thesauris carbones. Exiguus liber est, novem scilicet foliis constans in 12. Praeque exscripsit e Lomeiero, quem vix nominat: quo in judicio *ὁμολογῶν* mihi video Bailletum, qui errores quoque Lomeieri retinuisse notat. Ludovici Jacobi nomen in illo non deprehendi. Historia de impressis primis libris jejuna est & tenuis, ac longe plenior apud Naudæum in Additione ad historiam Ludovici XI. Epistola ejus de instituenda Bibliotheca nihil novi habet, quod non plenius Naudæi dissertatio proponat. In Parisiensium Bibliothecarum recensione forte aliqua nova habet.

THEOPHILI SPIZELII extat liber, cui titulus: *Sacra Bibliothecarum illustrium arcana detecta:* editus Augustae Vindelicorum 1668. in 8vo. De hujus consilio alibi plura dico: hoc loco tantum ejus mentio fit, quia Dissertationem praeparliminarem libro suo praemisit, qua in universum de Bibliothecis agit, quae continet notabilia quaedam, ex supra memoratis Autoribus excerpta; quibus addidit nonnulla, quae ipse vel in peregrinationibus observavit, vel alias notavit.

Ex Nicolai Antonii Bibliotheca Hispanica discimus: JOHANNEM BAPTISTAM CARDONAM, Valentinum, multiplici divinarum & humanarum rerum prudentia celebrem, in Patribus ope Manuscriptorum restituendis occupatum, libellum de *Regia Sancti Laurentii Bibliotheca* scripsisse, ubi consilium cogendi omnis generis utiles

utiles libros, & per idoneos ministros fructuose callideque custodiendi proponit; cui adnexa sunt quædam *de Bibliothecis* ex Fulvio Ursino, *deque Vaticana* ex Onuphrii schedis: qui libellus junctus est *de expurgandis hereticorum propriis nominibus, & de Diphycis*, Commentariolis, qui omnes simul editi Tarraconæ 1587. apud Philipp. Mey
 22 in 4to. * Scripsit & ERICUS PUTEANUS librum *de usu Bibliothecæ*, & quidem speciatim Bibliothecæ *Ambrosinæ*, Mediol. in 8vo 1606. editum, aliumque, cui titulus: *Auspicia Bibliothecæ Lovaniensis* An. 1639. in 4to. De Petri Blanchot idea Bibliothecæ
 23 Universalis jam supra diximus. * Habentur apud *Majoragium & Heinsium* Orationes hujus argumenti. Extrat & hujus generis Epistola a P. Bertio scripta, & Catalogo Leidenfi addita.

Subjicimus generalibus illis de Bibliothecis Scriptoribus speciales aliquos, qui
 24 scilicet singularium Bibliothecarum Historiam scripserunt. * Inter Bibliothecas Christiani orbis principatum obtinet VATICANA, cujus Historia a Scriptoribus aliquot tradita est; sed secretiora ejus & MSi Codices nunquam patuerunt. Josephus Scaliger, tum in Epistola ad Gruterum scripta, tum in Excerptis illis, quæ fratres Puteani congefferunt, non magnopere æstimat Bibliothecam Vaticanam, illicque præfert Florentinam & Parisinam Regiam; qua de re plenius agit Conringius in *Biblioth. Aug. pag. 37. 38. 39.* Illius opes creviffe dicuntur e spoliis Bibliothecæ Electoralis Palatinæ: sed alii hoc in dubium vocant, qui existimant, inter Cardinales quosdam direpta fuisse arcaniora ejus Bibliothecæ.

25 MUTIUS PANSA, cujus jam supra mentionem fecimus, Italica lingua librum scripsit, cui titulus: *Ragionamenti della Libreria Vaticana*, quo in libro agit de Origine & Renovatione Bibliothecæ Vaticanæ: ubi & vetus illa fabula requiritur de Bibliothecæ primordiis a D. Petro institutis, quam operose refutavit Conringius in libro de Bibliotheca Augusta. Quod ad ipsam Bibliothecam attinet, parum ab Autore illo adfertur, quod memoratu dignum: nam in Digressionibus totus est, quæ plane ad hoc argumentum non pertinebant. Immiscet multa de picturis hujus Bibliothecæ, de literis & Alphabetis; de literarum artiumque Autoribus, de Bibliothecis aliarum gentium; quibus non erat hic opus. * Qui
 26 ejusdem Bibliothecæ Historiam scripsit, ANGELUS ROCHA, cujus extrat ea de re Commentarius, Romæ Ann. 1591. in 4to editus, eodem modo procedit, totus in excursibus & dissertationibus, ad rem, quam tractat, non pertinentibus.
 27 * Quis vero ille sit ZOILVS ARDELIO, cujus meminit Janus Nicius Erythræus in *Pinacoth. I. n. 133.* dicere non possum: nam nomen illud fictum est, & testatur Erythræus, ipsum scripsisse *de Bibliotheca Vaticana*, ceterum hominem fuisse maledicum & nequam. Operæ pretium profecto fuerit, legere hujus hominis characterem; qui doctus quidem fuit, sed ob summum fastum & maledicentiam, cujus illic ridicula specimina narrantur, omnibus invisus. Adeo parum ornant literæ, nisi virtutibus ipsæ ornentur. Referrî hæc exemplum ad *caput nostrum 15. de Conuersatione erudita* potest.

28 Alterum a Vaticana locum merito VINDOBONENSIS BIBLIOTHECA tenet, cujus

cujus magna olim fama fuit; & major nunc excitata est a LAMBECIO, laboriosus de illa Bibliotheca Commentariis. Nam ipse pene Bibliothecam de Bibliotheca scripsit, ac jam tum prodiit, si recte memini, Tomus vel 8. vel 9. & vix ad mediam ejus partem pervenit, cum fata ipsius laboribus injecerunt manus. Quousque hactenus Lambecius pervenerit, compendio recitat Spizelius in *Dissertatione preliminari Sacr. Bibl. arcan.* §. 13. Prolixus nimis est in Digressionibus, in Delineationibus rerum supervacanearum, in alienis multis ingerendis; quæ, ut molem, ita pretium libri citra necessitatem augent. Ceterum de MStis Codicibus multorum Autorum longa illic est disquisitio, quæ prodesse interdum possunt ad notitias Autorum; interdum lectorem ultra, quam par est, fatigant.

BIBLIOTHECA OXONIENSIS, five BODLEANA, a primo 29
ejus fundatore ita dicta, magni nominis est, & merito quidem, libris qua impressis, qua MStis opulenta. Ejus Historia cum aliis nonnullis hujus Academiæ Bibliothecis tradita est ab Antonio Wood *lib. 2. de Historia & Antiquitatibus Bibliothecæ Oxoniensis, p. 45.* * Ejus Catalogum dedit Thomas Jamesius geminum, alterum secundum 30
seriem Bibliothecæ, alterum secundum seriem rerum dispositum. Sed magnis postea accessionibus locupletata, ultra veteres suos indices excrevit; nam præter alias Seldeniana Bibliotheca, Orientalibus scriptis & Manuscriptis referta, addita est. * Quare novus nunc A. 1674. prodiit Catalogus in folio a *Thoma Hide*, Bibliothecario, confectus, novem annorum Opus; * sed in illo nulli habentur MSti Codices, & præterea Catalogus tantum secundum seriem Autorum, non secundum seriem 31
materiarum, formatus, ut erat verus ille Jamesii. Restaret itaque altera hæc 32
pars Indicis materialis, qui mole æquaret priorem illum Catalogum; sed tamen magni usus esset. Recte judicat Bailletus in Præfatione Indicis Bibliothecæ Lamonianæ: *Illam ipsam, quæ Thomæ Hidano arrisit, methodus, ut ad studiorum utilitatem minus necessaria, ita nec sola debuit adesse, sed posterior, cui priorem argumentorum sive rerum ordinem, utpote longe utiliorem, præmitti oportere, nemo non intelliget: plerique enim mortalium ad rerum studia animum adjungere solent, ad Autorum vix unus & alter.* Quare in confectio-
ne Indicis Bibliothecæ Lamonianæ potius ad argumenta ipsa, quam ad Autores respexisse se, ait Bailletus. MSti Codices Bibliothecæ Oxoniensis numero pene æquare dicuntur impressos; an illorum Catalogus aliquando edendus sit, incertum est. (mm) De forma hujus Indicis plura habet Thomas Hide Præfatione hujus Catalogi. De singularibus ac memorabilibus hujus Bibliothecæ legatur Monconistus in *Itinerario, part. 2. pag. 51.* * Londinensem Regiam ego olim ipse 33
vidi, sed quæ & tum & olim negligentius habita. Vide Arnoldi ad Rich-
terum

(mm) MStorum Bibliothecæ Bodlejanæ Oxoniensis omnium notitiam suggerit plenissimam Edy. Bernhadi, Professoris Scholæ istius Inclyti, *Catalogus Librorum MStorum Academiarum Oxoniensis & Cantabrigiensis & celeberrimorum per Angliam Hyberniamque Bibliothecarum, cum Indice Alphabeticum*, Tomus II. (quorum Prior sola Oxoniensis recenset) Oxoniæ A. 1697. in fol. editus, Opus eximium, & vix cuiquam in isto Scriptionis genere secundum.

terum epistolam, inter Richterianas pag. 483. Scaliger in Excerptis suis vehementer laudat omnes Anglicas Bibliothecas a MStorum copia; præsertim in Historia; sed eorum negligentiam accusat, qui, cum Catalogos publicarint, decies tamen iis plura omiserint: imo qui nunquam excudant bonos libros veteres, sed tantum vulgares. Quanquam nunc illi in vetustis Autoribus edendis cum Gallis aliisque gentibus certare velle videntur.

34 BIBLIOTHECÆ GVELFERBYTANÆ Historiam, singulari libro persecutus est HERMANNUS CONRINGIUS, ad illustrem Boineburgium scripto, sub titulo *Bibliotheca Augustæ*. Scripserat ad Augustum Ducem Boineburgium, petieratque editionem Catalogi, & ad hoc negotium Hermannum Conringium deposcebat. Hac occasione inductus libellum hunc ad ipsum misit Conringius, in quo ostendit Bibliothecæ illius Singularia, ad septem ejus, ut vocat, ad miranda, de quibus legi ipse potest. Bis mille in ea adservantur MSti Codices & centena sedecim millia aliorum Voluminum. Illi e ruderibus Bibliothecæ Budentis collecti. Multa admiscuntur ad rem Bibliothecariam in universonum pertinentia, tam vetera, quam recentiora.

35 Sperare nos Bailletus tom. 2. p. 251. jubet pleniorẽ aliquam Regiæ Bibliothecæ Historiam, quæ e Bibliotheca Medicea in Galliam translata primum crevit, de qua Conring. *Biblioth. Augustæ*, pag. 24. Primum enim novus Catalogus MStorum Codicum conficietur, longe Labbeano plenior & accuratior, atque singulorum exactum rigidumque examen Criticum instituetur. Addentur brevia eorum summaria, cum recensione historica de cujuscunque MSti Codicis fortuna & conditione. Spondet ille maximum ex hoc labore fructum, cum nullus hactenus illi similis labor ulla in gente visus fuerit, siue magnitudinem Operis, siue excellentiam ejus spectemus. Quod cum ab uno perfici Opus non possit, duodecim vel tredecim viris, doctrina & judicio singulari præditis, totum committetur negotium, ut illi partitis inter se operis agant. In tria illi dispendentur Collegia, quorum unum in Manuscriptis Hebraicis aliisque Orientalibus; alterum in MStis Græcis, tertium in MStis Latinis versabitur. Scilicet ille verus est aliquo Hercule Musageta ac maximo Rege dignus labor.

36 Bibliothecarum aliarum publicarum integræ non prodierunt, quod sciam, Historiæ, nisi quod a scriptoribus alia tractantibus *ὡς ἐν παραδείῳ* inspergantur aliqua, quæ ad Historiam hujus vel illius Bibliothecæ pertinent. Ita de Bibliotheca Vaticana in *Itinerario suo parte secunda, capite 10.* agit Franciscus Schottus. Est & Onuphrii Panvini de eadem Bibliotheca Fragmentum. Item Antonii Cicellæ de eadem Bibliotheca descriptio, quæ habetur in vita Sixti V. historiæ Platinae subnexa, editionis Coloniensis 1662. De Bibliotheca Regia Hispanica S. Laurentii extant Balthasaris Corderi Epistolæ duæ, præfixæ Cyrilli Alexandrini Homiliis XIX. in Jeremiam Prophetam, Antverpiæ editis A. 1648. Est & Claudii Clementis ejusdem Bibliothecæ descriptio, addita ejusdem Museo in 4to, A. 1635. edito Lugduni. Extat ejusdem Bibliothecæ Catalogus scriptorum ineditorum, & Manuscriptorum Alexandri Barvoëtii: qui

qui cum rarior sit, Labbeus in Novæ suæ MStorum Bibliothecæ supplemento tertio inseruit, cum aliarum Bibliothecarum Catalogis Manuscriptis. Recudi quoque Maderus cum ceteris curavit Bibliothecæ ipsius structuram, ac omnia ornamenta graphice describit Monconifius *Itinerarii sui part. 3. p. 46.* De libris tenuiter judicat Scaliger in Excerptis, pag. 61. Videri quoque de ea potest Spizelius in *Dissertatione præliminari Sacr. Biblioth. Arcan. §. 14. & Conring. Bibl. Aug. pag. 140.* Alexandri Brassicani de Regia Budensi Bibliotheca MStis locupletissima, misere a Turcis direpta, extat Epistola, præfixa Salviano, ab ipso edito. Sed nupera Budæ recuperatione aliquæ ejus reliquiæ receptæ, quarum Catalogum Pflugius promisit. De Bibliotheca Florentina Monconifius *Itinerar. part. 2. p. 480.* Idem *ibid. pag. 443.* de Bibliotheca Vaticana, & pag. 291. de Bibliotheca Electoris Palatini, ubi de cimeliis & nummis, qui in ista Bibliotheca asservuntur. Bibliotheca Medicea a Sigismundo Regali, a Sylverio Florentino & Petro Francisco Minozzio Epigrammatibus celebrata, quæ Lugduni prodierunt 1673. Privatarum Bibliothecarum Historiæ, quod sciam, non extant: referas forte huc Epistolam Naudæi, quam scripsit, dehortatoriam, de non distrahenda Bibliotheca Mazariniana, cujus singularia recenset Conring. *Bibl. Aug. pag. 48.*

* Extat Collegii Parisiensis Societatis Jesu Bibliothecæ Systema, quo traditur Bibliothecæ ejus Historia, Ortus, & Incrementum; est dispositio elegantissima, ut ideæ loco esse possit Bibliothecam aliquam adornaturo, vel Historiam literariam *ως ἐν τῷ πῶ* & per Synopsis consideranti. Cerre sola Bibliotheca illum in modum disposita Locorum Communium instar esse possit. Quem in usum Bailletus quoque commendat, *tom. 2. p. 275.* qui illic Garnierum ejus Systematis Autorem vocat.

C A P. XVIII.

DE CATALOGORUM SCRIPTORIBUS.

- §. 1. Catalogorum notitia necessaria. 2. Variæ Catalogorum formæ. 3. Philippus Labbeus 4. & Teisserus Indices Catalogorum scripserunt. 5. Conradi Gesneri Bibliothecæ & Pandectæ laudantur. 6. Adversus acriorem quorundam censuram defenditur. 7. Equior de eo censura Fonsii & Bailleti. 8. Scaliger illum magni fecit, 9. ut & Thuanus. 10. Varia ejus librorum compendia & supplementa recensentur. 11. Michaëlis Neandri Pandectæ & Præfatio. 12. Bolduani Catalogus Historicus præ ceteris laudatur. 12. 13. Ejus, ut & Draudii, labores imperfecti. 14. Methodus Draudii laudatur. 15. Königii Bibliotheca non præstat, quæ titulus promittit. 16. Martini Lipenii Bibliothecæ reales omnium Facultatum. 17. Quenstedtii Dialogus de patris illustrium virorum. 18. Gallorum cura in libris suæ gentis consignandis. 19. Claud. Fauchet. 20. Du. de Casq nova. 21. Antonius Verdierus. 22. Crucimanius. 23. Hic a primâ juventute Historia Bibliothecariæ Gallicæ se totum impendit. 24. Andr. du Chesne s. Quercetani Catalogus scriptorum Gallicæ Historicorum & Typographicorum. 25. Sorrelli Bibliothecæ

ca Gallica. 26. Ludovicus Jacobus Universalem Bibliothecam Gallicam moliebatur. 27. Labbei Cbiliades Historico-Chronographica. 28. Itolorum imperfecta in Scriptoribus suis recensendis opera. 29. Historia Lynceorum Fogelii. 30. Gregor. Leti de Scriptoribus Italis collectanea. 31. Hispanorum Scriptorum Catalogi. 32. Nicolai Antonii insignia de gente sua merita predicantur. 33. ceterisque in exemplum proponuntur. 34. Batavorum negligentia notatur. 35. Scriptores quidam, Sanderus, 36. Desselius, 37. Svertius, 38. 39. Meursus, Miraeus, recensentur. 40. Mercurii Officinales Waesbergiani. 41. Anglorum magna in his negligentia. 42. Balci, Pitsei, Leighi, 43. Lalii, 44. Woodii imperfectus labor. 45. Dempsteri Scotorum Scriptorum recensio. 46. Albertus Bartholinus Danicorum Scriptorum Catalogum dedit. 47. Joannis Mollerii Cimbria literata laudatur. 48. Johannis Schaefferi Suecia literata. 49. Starāvolsciis de Polonorum scriptis. 50. Germanae gentis Historia literaria desideratur. 51. Melchioris Adami, 52. Wittenii, Spizelii labores, de vitis Germanorum. 53. Bibliothecarum Scriptores respectu certi ordinis. 54. Bibliotheca Ordinis Jesuitici 55. & Cisterciensis laudatur. 56. Joh. Caramuelis Lobkovitz opera. 57. Certi nominis Scriptores a multis collecti. 58. Spachii Nomenclator Philosophicus. 59. Vossii indefessa in autorum recensione opera. 60. Supplementa Vossiana a variis scripta. 61. Scripta scientiarum Mathematicarum, 62. Scriptores librorum Theologicorum, 63. Juridicorum, 64. Thurmanni, 65. Cornelii a Beughem labores promissi. 66. Medicorum Scriptorum Catalogi. 67. Varii Bibliothecarum publicarum 69. 70. & privatarum indices recensentur. 68. Laurentii Legati scripta ἀνέκδοτα. 71. Catalogi Officinales. 72. Scriptorum certi temporis. 73. Catalogi Miscelli. 74. Cinelli Bibliotheca Volante. 75. Mercurii literarii.

1 **P**ost Bibliothecarios Scriptores veniunt CATALOGORUM SCRIPTORES, quorum accuratior notitia ita necessaria est Polyhistori, ut mapparum Geographicarum cognitio peregrinatio. De eorum utilitate & jucunditate multa Conringius sub initium epistolae de *Bibliotheca Augusta* disserit, quibus hoc argumentum praecipue illustratur: & Spizelius *Diff. preliminari Sacr. Biblioth.*

2 §. II. 12. 13. * Disponi vero solent Catalogi vel secundum personas, vel secundum materiarum ordinem. Utrique vel sunt perperui, qui omnes omnium disciplinarum Autores indicant; vel temporales, qui certi alicujus temporis Autores tradunt. Perpetui vel sunt universales, quales modo diximus, omnium scilicet scientiarum & temporum; vel particulares, respectu vel nationum certarum, vel ordinum, vel scientiarum, vel Bibliothecarum, earumque vel publicarum, vel privatarum, quae vel spectant ad viros doctos, vel sunt officinales, vel respectum certi nominis habent &c. Scriptores temporarii scribunt de certi temporis libris, vel ordine aliquo, vel sine illo.

3 Vestibulum ante ipsum nobis hic quasi Hodegeta & Janus Patulcius excubat PHILIPPUS LABBEUS, Vir, qui in texendis Catalogis totam pene vitam consumpsit. Is

Is *Bibliothecam Bibliothecarum*, cujus ideam ad calcem novæ Bibliothecæ Manuscriptorum adjecerat, scripsit, librum olim rarum, Parisiis 1664. in 8vo editum, deinde auctiorem Rotomagi, novissime Anno 1682. Lipsiæ in 12. recusum, editione quarta, ut titulus habet, juxta exemplar Rotomagenfè. Vocat autem *Bibliothecam Bibliothecarum*, quod recenset omnes Autores, qui Catalogos Catalogorum ediderunt, & de Bibliothecis, Vitis & Elogiis scripserunt. Adjecit Bibliothecam nummariam & Mantissam antiquariæ supellectilis, quæ continet Autores antiquarios & nummarios. Huic postremæ editioni additus est Seldeni liber exiguus de nummis. Primum Autores omnes confuse ponit, hinc subjicit Indices distinctiores ea ferie; Primus repræsentat Autores secundum artes & scientias dispositos: Secundus Autores, qui de libris per nationes distributis scripsere: Tertius enumerat Bibliothecas sodalitatum & collegiorum: Quartus Miscellaneos de variis argumentis: Quintus Scriptores de homonymis: Sextus Polygraphos enumerat: Septimus recenset nomina & cognomina Bibliopolarum & Typographorum: Octavus agit de Bibliothecis secundum varia cognomina. Adduntur Indices Nominum & Cognominum. Imperfectus ille labor est, & augeri multis modis potest. Illum altero tanto auctiorem se editurum Vincentius Placcius jamdudum promisit. * Nunc vero Antonius Teiffnerus, idem scilicet, qui Elogia Thuanæa cum commentario edidit, auctiorem hunc librum dedit, sub titulo Catalogi Autorum, qui librorum Catalogos, Indices, Bibliothecas, Elogia, Vitas, Orationes funebres, scriptis configurant, Genevæ An. 1686. in 4to impressum, cui sequenti anno aliud auctarium accessit. Ille vero, cum Labbeus Autores plus, quam 800. non recenset, Autores plus, quam 2050. & Vitarum & Orationum funebrium Scriptores 1200. enumeravit: patriam & professionem, ubi Labbeus omiserat, addidit; ac duos præterea Indices, omissis tantum injuriis, quibus ille optimis Autoribus insultat.

CONRADUS GESNERUS inter universales & perpetuos Catalogorum Scriptores principatum obtinet, Vir maximis suis laboribus optime de Rep. literaria meritus. Fuit enim & vertendo & colligendo omnium diligentissimus. * Injurii sunt & ingrati in bonum virum exteri quidam; qui ejus scripta passim traducunt ut non satis accurata, & solo labore, nullo vero ingenio, spectanda. Quod familiare solet esse in Germanos convitium omnium exterorum; qui, si non haberent a Germanis congestas rei literariæ opes, angustius certe secum habitarent. Adeo (quæ Vossii præfat. in Theolog. Gentil. querela est) *laudis nihil sperandum, quocumque etiam judicio adhibito, propter ambitiosulos istos in strenua inertia & ingenii & facundie laudem solis sibi vindicantes, aliis relinquentes dumtaxat laboris gloriam, cum Arcadico, ut loquuntur, pecore communis.* Etiam Gadius, tenuis & jejunus Scriptor, minutam diligentiam in illo reprehendit, qui ipse montes parturiendo non nisi mures parit. Rolandus quoque Marefius in Epistolis suis Philologicis, Opere docto, Gesnerum alicubi, ut Locorum Communium Scriptorem, exagitat, cum Gesnerus & Gesnero similes inter eos sint, qui sylvas ferunt, ut habeant alii, quas cædant & excidant. Non nego quidem, nævos inesse & errores ejus Autoris scriptis, sed illos facile absorbet improbus labor

- 7 labor ac insignis ejus utilitas. * Æquius de viro isto Jonsius *Histor. Philos. lib. 3. cap. 20.* & Bailletus *tom. 2. pag. 15.* judicant. Considerandum enim, quot quantisque laboribus unus vir districtus fuerit, Physicis, Medicis, Philologicis; quanta seculi istius ob meliorum editionum defectum imperfectio. Quia potius tota ipsi posteritas ob summa illa & Herculea in re literaria merita obtricta est. Infinita propemodum sunt & incredibilia, quæ vir ille nondum L. annos natus, cum moreretur, in omni studiorum genere perfecit. Unus pene Bibliothecam scripsit. * Quam honorificum Jul. Cæsaris Scaligeri de Gesnero fuerit judicium, ex iis literis Sylvii, J. C. filii, Scaligeri colligas, quæ in *Siberianis Epistolis pag. 459.* habentur, quibus ille Gesneri amicitiam ambit, eumque rogat, ut suo testimonio paternorum scriptorum splendorem gloriamque augeat. *Tuam, scribit ille, auctoritatem tanti facio, ut nullius amicitiam magis petam, alium magis colam neminem.* * Addi his potest præclarum candidissimi Scriptoris Thuani elogium *Histor. lib. 38.* qui mortem ejus omnibus seculis deplorandam, ob insignia in universam rem literariam merita, vocat; prætereaque incredibilem ardorem in rei literariæ studio juvando deprædicat: qui sub extremum vitæ spiritum electulo surrexit, ut, quæ vivus publicare non poterat, post mortem suam edenda designaret. * Edidit ille *Bibliothecam, sive Catalogum Universalem*, Tiguri apud Froshoverum An. 1545. in folio, secundum Alphabetum & nomina Autorum. Illum Catalogum in epitomen redactum, aliis vero Autoribus locupletatum, edidit *Josias Simlerus*, apud eundem Froshoverum bis editum. Ante Simlerum quoque *Conradus Lycosthenes* in Compendium traxerat, quod mancum omnino est, & exigui usus; neque enim notat vel formam librorum, vel locum & annum editionis, vel nomen Typographorum, quod in Catalogorum concinnatione necessarium est. Hinc editus est cum majori auctario; sed Operis Gesneriani Compendio, per *Johannem Jacobum Frisum*, Tiguri An. 1583. Scripserat & auctarium aliquod, sed breve ANTONIUS VERDIERIUS, Bibliothecæ Gallicæ Scriptor, quo continentur Autores, quos præterit Gesnerus, quique post ejus tempora editi, cum Bibliotheca Constantinopolitana. In hunc notas MStas BONAVENTURÆ VULCANI apud amicum quendam meum extare novi. (m) Jam olim quoque Gesnerus eundem hunc suum Catalogum secundum ordinem artium & scientiarum disposuerat: qui liber majori usui est, & Locorum Communium instar esse potest. Qui itaque rei literariæ & librariæ cognitionem perfectam habere cupit, binos illos libros habeat, alterum illum secundum Alphabetum personarum dispositum, a *Johanne Jacobo Friso* editum A. 1583. & alterum ab ipso Gesnero sub titulo *Pandectarum* publicatum A. 1548. quem in compendium quoque redegit Frisius. ROBERTUS etiam CONSTANTINUS Indicem fecit *super Bibliothecam & Pandectas Gesneri*: *Guilielmus Canterus* fecit *notas super Bibliothecam Gesneri*, per Simlerum contractam. JOH. HALLERVORDI *Bibliotheca curiosa*
nihil

(m) Notarum Bonav. Vulcani in Verdierii, Supplem. Biblioth. Gesnerianæ possessor fait. Vir illustris, Marqu. Gudius

nihil aliud, quam supplementum Gesneri est, huncque titulum in Typographi gratiam assumpsit.

MICHAEL NEANDER, Vir doctissimus, & communis Germania Præceptor, Philippo Melanchtoni coævus, qui multa tum in linguis, tum in artibus scripsit, in Catalogo lucubrationum suarum, Erotematibus linguæ Græcæ addito, promisit *Pandectas variorum Autorum & Scriptorum*, quod Opus ab illo editum non est. Ipse argumentum illorum hoc recenset: *Referuntur primò Bibliothecæ insigniores ac instructiores; quæ ab initio in mundo fuerint, & si quæ adhuc hodie maxime celebratæ sunt, omneque genus scriptorum publicatorum; ac in Bibliothecis etiamnum ubicunque terrarum latentium, temporis etiam injuriâ deperditorum: eorum etiam, quorum vel nomina solummodo apud veteres reperiantur. Horum omnium scripta ac libri referuntur secundum materias ac argumenta, quæ tractarunt secundum artes, scientias, professiones ac facultates: indicato etiam tempore, quando floruerint: simul etiam, quando & ubi locorum cujusque scripta sint excusa: numero quoque chartarum in plerisque indicato, quo facilius de pretio fiat judicium: censuris etiam doctorum virorum additis, ut sciatur, quo loco cujusque scripta sint habenda, omnibus ordine suoque loco positis ac distributis, ut in quacunque arte ac quacunque materia scriptorem requiras, mox quesito loco pro uno innumeros reperias, ut adhibitio judicio potior, ac quem seu ipse maxime probeat, seu aliis præcipue probatum fuisse intelligas, postea deligas.* Vel ex illa recensione appareret, quam præclaro Opere, quod ipso Gesneriano præstantius fuisset, exciderimus. Rudimentum tamen ejus videtur doctissima illa & prolixa Præfatio, editioni Erotematum Græcæ linguæ posteriori præmissa, ubi per Synopsin & perpetuam dissertationem omnium artium & scientiarum Scriptores, qua antiquos, qua sui temporis, recenset. *In hoc enim, ut ipse Autor in titulo promittit, tum multa alia copiose dicuntur, tum præcipue narratio copiosa ac longa instituitur de Bibliothecis vetustis, temporum varia injuria vastatis & consumptis: de libris deperditis innumeris ac optimis, in omnibus linguis, artibus, disciplinis ac facultatibus. Commemorantur etiam Bibliothecæ; hæc etiamnum ætate rara librorum MStorum suppellectile in variis orbis terra locis instructa, ac hoc nomine celebratæ: cum indicatione autorum & librorum præcipuorum Græcorum & Latinorum, veterum ac recentium, extantium adhuc & publicatorum, distributis singulis optimo ordine secundum linguarum, artium, disciplinarum ac facultatum genera: ubi de auctore & argumento & orationis genere, ac quo loco quilibet autor habendus sit, plerumque adolescentes admonentur.* Edita sunt hæc Erotemata Basileæ 1565. in 8. Invenies illic nonnullam quam judicia memoratu digna.

Post Gesnerum non adeo feliciter hanc telam pertexere nonnulli. PAULUS BOLDEANUS, Pastor aliquis Pomeranus, *Bibliothecam librorum, suo tempore editorum*, confecit; sed destitutus ad illam rem necessariis subsidiis, habitans quoque loco incommodo, & ad notitiam librorum sibi parandam non satis apto, e Catalogis Francofurtensibus excerpfit, qui nonnunquam mendaces, & nonnisi titulos ostentant. Præ ceteris tamen eminent ejus Autoris *Bibliotheca Historica*, bono ordine digesta, cujus ordinis & digestionis ratio ab ipso Autore in Præfatione prolixè

pro-

proponitur. Rudimentum non sane spernendum notitiæ Historicæ præbere poterit, quod suppleri e Bibliothecæ Thuanæ & Cordeſianæ Catalogo poteſt, de quibus infra dicetur.

- 13 Ejusdem commatis Autor GEORGIUS DRAUDIUS est cenſendus, cujus extat *Bibliotheca classica per omnes Facultates*, itidem e Catalogis Francofurtensibus congeſta. Solum ille nomenclatorem, & ne quidem fide dignum, agit, in quo reperias nonnulla plane falſa; libros, qui nunquam editi, & in ipſo conceptu parturitæ cerebri ſuffocati. Inepti ſunt, qui librorum Catalogos ſcribunt e Catalogis.
- 14 Oculata hic fides & judicium præſens requiritur. * Laudanda tamen methodus eſt, qua utitur: quam ob cauſam majori eſſe uſui poteſt, quam ceteri Indices, etſi accuratius inſtituti.
- 15 GEORG. MATTHIÆ KONIGII *Bibliotheca Vetus & Recens* edita eſt Norimbergæ ab Enteris in folio, An. 1678. Non facile memini, majori apparatu venditatum eſſe ullum librum, quam hunc; quia, ut titulus præfert, totius Orbis literati opes, ab ipſis incunabulis ad noſtra uſque tempora, pollicetur. Sed totus ille liber exigua plane induſtria congeſtus, e Catalogis variis undiquaque & undique corraſus. Historia, quæ breviter annectitur, nonnunquam de viris doctis falſa eſt: libri aſſinguntur quibusdam, de quibus nunquam forte illi cogitarunt: omnia manca ſunt & mutila. Nam de viris celeberrimis, qui hodie vivunt, vel nuper deſierunt vivere, leviora quædam ſcripta referuntur, præteritis dignioribus.
- 16 MARTINUS LIPENTIUS, Scholæ Lubecenſis Conrector, ſcriptis quibusdam in lucem editis clarus, *Catalogos librorum in Jurisprudentia, Medicina, Theologia, Philoſophia*, congeſſit, ſecundum materias diſtinctos, quod a multis hæcenus deſideratum. Libri omnes per intervalla in folio editi, typoque grandiore, unde moles & pretium quidem librorum augetur, ſed commoditas notandi prætermiſſa relinquitur. Reliquis tamen præſtare Bibliotheca Philoſophica & Theologica videntur. Indices Autorum Alphabetici adjecti. Utiliſſimus labor eſſet, ſi omnes Auctores, veteres & novos, ſecundum materiarum titulos accurate diſpoſitos habere-mus. Sed fieri vix poteſt, ut in iſtis argumentis omnibus abſolutum numeris haberi Opus poſſit: nam *deutéροι Φροντιδες* novique labores ſemper hic locum inveniunt.
- 17 Hæc de Scriptoribus univerſalium Catalogorum dicta ſunt. * Veniamus nunc ad Scriptores Catalogorum particularium; inter quos primum locum tribuamus iis, qui certæ alicujus nationis Auctores & libros recensent. Sunt vero inter illos nonnulli, qui perſonis contenti omittunt ſcriptorum accuratam enarrationem, inter quos eſt JOHANNES ANDREAS QVENSTEDT, cujus extat *Dialogus de patribus illuſtrium virorum*, omnium ordinum ac facultatum, qui ab initio mundi per univerſum terrarum orbem uſque ad annum 1660. claruere. Non contemnendus liber eſt, quanquam non ſatis plenus, nec in recensendis ſcriptis accuratus. Errores Geographicos alioſque in illo notat Bailletus tom. 2. pag. 25.

Incipiemus a *Gallis*, quæ gens, ut præ ceteris ad ostentationem facta est, non omisit hanc quoque nominis sui gloriam, exemplo Græcorum & Romanorum, apud quos non defuerunt; qui gentis suæ Scriptorum elogia editis libris celebrarunt. Valde enim ad existimationem nationis pertinet ingenii gloria, quæ libris & inventis æstimatur, ut patriæ specimina victoriis & factorum historiis. * Provincialium Poëtarum Gallorum Historiam **CLAUDIUS FAUCHETUS**, Vir illustris, recensuit peculiari libro. Nam poëtica gloria præ ceteris nationibus, pene in ipsa barbarie, excelluerunt Galli; unde didicerunt & exemplum sumpserunt Itali. Certe apud Gallos singulares ludi poëtici fuerunt instituti, quibus ipse Rex præsidebat, & victores in hoc certamine coronabat. * Horum ludorum memoriam ex ipsis Antiquitatis rudibus produxit **DOMINUS DE CASA NOVA**, Vir illustris & doctissimus, cujus extrat singularis de hoc argumento liber, in 4to editus: de quibus pluribus etiam egimus in Dissertatione nostra de Germanica Poësi, capite de Gallorum Poësi. **Franciscus Petrarcha**, argutissimus Itatorum Poëta, multum Provincialibus istis debet. * Hujus Faucheti Historiam suo libro inseruit **ANTONIUS VERDIERIUS**, Claudii Verdierii, de quo nos supra, pater. Summa hic cura recensentur libri, Gallico non solum idiomate scripti, sed & Latino a Gallis: quanquam parciore in his fuerit, & diligentior tractationem labor ille requirat. Editus est ille liber, titulo *Bibliothecæ*, Gallica lingua, Lugduni Anno 1585. in folio. Præfatio libri plenius consilium ejus exponit. Est omnino in pretio habendus; quanquam Bailleus multos in illo defectus noter.

FRANCISCUS CRUDÆUS CRUCIMANIUS, ut illum Nicolaus Antonius vocat, sive **SIEUR DE LA CROIX DU MAINE**, idem argumentum tractavit post Verdierium, cui tamen nihil se debere profiteretur. Habuit quidem in animo hic Autor Vastum Opus Bibliothecæ universalis condere; ut patet ex Epistola ad Regem scripta, qua ideam proponit perfectæ alicujus Bibliothecæ, per pluteos suos instar Locorum Communium disponendæ; sed methodus ejus est plane *à métréodos*, neque certa scientiarum capita sequitur: titulos enim varie inter se miscet. Habuit quoque affectos alios libros Bibliothecarios de Gallicis Scriptoribus aliisque; sed qui nunquam sunt editi, & post mortem ejus distracti fuerunt, teste Ludovico Jacobi in Tractatu suo de Bibliothecis; ubi de Bibliothecis Gallicis agit. Fuit vero inter duos illos controversia, de sublectis sibi per plagium notatis suis: nam uno pene eodemque tempore libri illi prodierunt. Crucimanius tantum Gallicos recenset isto libro, qui eodem titulo editus Paris. in fol. 1584. Latinos peculiari libro reservaverat, qui nunquam editus. * Memorabile omnino est, quod ipse de se Crucimanius in Præfat. Bibliothecæ Gallicæ. *Je diray que dès l'an de mon âge dix-septieme, sçavoir est, en l'an de salut 1569. estant envoyé en l'Université de Paris, pour faire profit aux lettres, j'estois si curieux d'avoir toutes sortes de livres, non seulement en Grec, Latin & autres langues, & sur tout en François, qu'en fin l'amas que j'en fais estoit si grand, que le Catalogue d'iceux se monstroit tenir plus d'un juste volume.* De façon qu'il me prit

dès-lors une envie de mettre à part les Grecs & les Latins, & d'un autre costé les François, ou Auteurs qui avoyent escrit en nostre langue, sans parler des Italiens, Espagnols & autres. Alibi dicit, se Commentariorum septingenta vel octingenta Volumina anno ætatis 27. in omni genere scientiarum collegisse. Promittit quoque librum Gallica lingua, cui titulus: *La Recherche des Bibliothèques ou Cabinets les plus renommez de France avec la declaration des livres rares, medailles, portraits, Statues ou effigies, pierreries, ou autres gentilleses, ou gentilles curiositez, qui se voyent es maisons des Princes & autres, qui sont amas de telles magnificences.* Sed nihil post mortem ejus eorum apparuisse, testis est Lud. Jacob. p. 675. quæ forte destructa & dissipata fuere.

24 ANDREAS DU CHESNE, sive QVERCETANUS, scripsit Gallica lingua *Bibliothecam Autorum*, qui scripserunt Historiam & Topographiam Franciæ secundum ordinem temporum & materiarum. Editus est ille liber in 8vo, Parisiis A. 1627. & si recte memini, post illud tempus auctior in lucem venit. Sed apud illum nihil invenias præter Gallicos Auctores; & quidem Historicos & Geographos: poterit tamen inservire Historiam Gallicam secundum tempora & Auctores nosse cupientibus.

25 CLAUD. SORELLUS, Historiographus Regius, Vir doctus, cujus extant multi libelli ab ipso editi, Gallica omnes lingua; ut *Scientia Universalis*, de qua infra dicemus, & alius liber *de perfectione hominis*, qui in linguam Germanicam conversus est a Barone de Stubenberg: scripsit librum, cui titulus: *La Bibliothèque Françoisise*, quo comprehendit Auctores, qui Gallicâ lingua scripserunt, aut e Latina & Græca in Gallicam linguam verterunt varios Auctores. Sed eorum, qui lingua Latina scripserunt, nulla hic mentio, nec omnium, qui lingua Gallica. Præcipue illos tantum Scriptorum recenset, qui agunt de Eloquentia, Philosophia morali, Poëtas, Oratores, Grammaticos & Historicos Gallicos. Ita autem versatur in illorum Auctorum recensione, ut judicia sua passim interponat. Habuit vero ille in animo, ut ex Bailletto tom. 2. pag. 168. patet, Encyclopædiam aliquam ex Gallicis tantum Auctoribus concinnatam dare, cum sine Græcæ Latinæque linguæ subsidiis ad perfectam rerum cognitionem pervenire nos posse crediderit, quod vanum ejus merito consilium Bailletus vocat. Ejus characterem describit Patinus *epistola 25.* ubi multa ejus scripta recenset, & pene 20. habere inedita volumina narrat. * Ceterum, qui inter Gallos de omnibus Auctoribus scripsit, nemo hactenus repertus est. In animo hoc habuit LUDOVICUS JACOBUS, uti diximus, qui vastum Opus quatuor in folio Voluminum meditarus est; quorum duo eos, qui Latina lingua, cetera, qui Gallica scripserant, comprehendere debebant. Ille vero Titulus Operis: *La Bibliothèque universelle de tous les Auteurs de France, qui ont écrits en quelque sorte de sciences & de langues*, quod ille An. 1638. inchoaverat. Jam vero eo mortuo, quid huic Operi factum sit, non constat. Edidit ille quidem singulis annis, ab Anno 43, nisi fallor, incipiens, libros Parisiis editos, sub titulo *Bibliographia Parisina*, & finit A. 1662. quo scripsit *Bibliothecam Gallicam universalem*, id est, Catalogum omnium librorum per universum Galliæ regnum

ab anno 50 excusorum. (oo) Videatur Labbeus in *Bibl. Bibliothecarum*. Sed nulla illie talis Bibliothecæ, quam promisit, & quæ vere ita vocari poterat, mentio fit. Extat & quarundam regionum apud Gallos, virorumque in illis illustrium, enarratio. De quibusdam Baillerus *tom. 2. p. 184.* * Habuit quoque in animo *Universale aliquod* 27
Opus PHILIPPUS LABBEUS, homo ad Lexica & Catalogos conficiendos à natura factus, testaturque, de illo Nicolaus Antonius in Præfatione Bibliothecæ Hispanicæ his verbis: *Vixisset hujusmodi natus laboribus Labbeus, haberemus absolutissimam hujus gentis ad miraculum doctæ, & Chiliadibus Historico-Chronographicis notitiam.* Quod si continuus Scriptorum illorum Catalogus dari possit, non dubito, illum mole superaturum ceteros omnes. Ut enim ingeniosa gens est, & scribax, ita magna, ut puto, illorum Autorum apud illos messis erit.

Gallos excipiant Itali; magna apud illos virorum doctorum semper copia, tum 28 præcipue, cum evigilarent iterum ex profundo multorum seculorum lethargo. Multæ apud illos à præcipuis viris institutæ Academiae & Collegia, de quibus supra *cap. 14.* Singulis Collegiis certæ erant leges: Scribuntur a singulis membris libri, quorum omnium Historiam si haberemus, non parum prodesset ad rem literariam. * Solam *Lynceorum historiam* adornabat MARTINUS FOGELIUS, Professor Ham- 29
burgensis, Vir doctissimus; sed ille immatura morte abreptus ineditum Opus reliquit. Multi e Collegiis illis prodierunt egregii libri, quorum exigua, & plañe nulla, apud nos est notitia. Extant nihilominus particulares singularium urbium Bibliothecæ & Catalogi, qui si conferantur omnes, integrum fortassis aliquod corpus constituere possint. Nolo in illis recensendis prolixus esse, præsertim cum Labbeus in sua *Bibliotheca Bibliothecarum*, & Teissierus plurimos jam tum recensuerint, ubi illorum nomina & librorum tituli legi possunt: nam singularia, quæ in illis moneamus, non habemus. Videndus quoque de iis est Baillerus *Tom. II. a pag. 138. ad pag. 146.* ubi nonnulla virorum doctorum de iis judicia habentur. * Facit & 30
Academiarum illarum & Academicorum mentionem GREGORIUS LETVS, in 3.
part. Italiae sue regnantis, non quidem perfectam plane, & absolutam, sed tamen, quod ad nostra tempora spectat, sic satis accuratam: Ipse vero, ut videtur, potius aliunde doctus, quam sua experientia omnia scribit, ac pleraque excerptit e notitiis privatis. Neque enim omnia Italiae loca ea, qua fieri debebat, cura indagavit, in quibusdam locupletior, in plerisque strictior & parcior. Prodesse tamen extero potest labor ille, utit imperfectus, Italiam studiorum gratia adituro. Nam in Autorum, qui hodie vivunt, nominibus recensendis satis diligens est. Mallem illum omnes illas notitias & memorias, unde ipse hauserat, notasse.

Veniemus ad *Hispanos*, apud quos olim exigua fuit scribendorum librorum cura, nisi quod ANDREAS SCHOTTVS in libro *de Bibliothecis & claris Hispaniæ viris*, 31

Cc 2

Franco-

(oo) Ludov. Jacobus Bibliographias annorum singulorum, partim Parisinas, partim Gallicas Universales, edere quidem cepit quotannis Anno 1643. sed ad annum tantum 1653. (nom 1662.) continuavit.

Francofurti in 4to, An. 1608. edito; & VALERIUS ANDREAS TAXANDER in *Catalogo clarorum Hispaniæ Scriptorum*, Moguntia An. 1607. in 4to edito, aliquam in illo argumento operam posuerunt, sed minus accuratam. De illis videatur Bailletus tom. 2. pag. 150. 151. 152. * Post illos tandem prodiit NICOLAUS ANTONIUS, Hispalensis, Jctus, Ordinis S. Jacobi Eques, Canonicus, Reginorum negotiorum in urbè & curia Romana Procurator generalis. Is maximis laboribus con- gressit, tum e Catalogorum universalium Scriptoribus, tum e gentis suæ nomenclatoribus, qui tamen perpauca sunt & plane non accurati, Bibliothecam, cui titulum facit. *Bibliotheca Hispana, sive, Hispanorum, qui usquam unquamve, sive Latino, sive populari, sive alia quavis lingua scripto aliquid consignarunt, notitia, his, quæ præcesserunt, locupletior & certior, brevia elogia, editorum atque ineditorum librorum Catalogum duabus partibus continens, quarum hæc ordine quidem rei posterior, conceptu vero prior, duobus Tomis de his agit, qui post annum secularem 1500. usque ad presentem diem florere; prodiit Romæ, Anno 1672. in folio. (pp). Præmissa est luculentissima Præfatio, quæ agit de toto hoc colligendi Auctores negotio, exponit sua & aliorum consilia, & quasi per lancem saturam recenset magna diligentia Auctores omnium nationum Bibliothecarios. Liber ille omnes, quotquot sunt hujus argumenti, Scriptores accuratione & diligentia vincit; nam & elogia addit, & libros editos adsignato tempore & loco, una cum ineditis; sollicitè recenset. Multa enim in illo libro invenias maxime memorabilia, ex ipsis Bibliothecarum recessibus producta. Adjecit Indices, pulcherrimo ordine, secundum disciplinas congestos. Primus est Index Cognominum. II. Patriarum. III. Ordinum Ecclesiasticorum. IV. Munerum Ecclesiasticorum. V. Munerum Se-
 33 cularium. VI. Materiarum, qui ceteris amplior, & in XXIII. Classes dividitur. * Liber ille Ideam subministrare potest omnibus in aliis simile quippiam tentaturis. Antiquiores Hispaniæ Scriptores peculiari libro reservavit.*

34 Dolendum est, adeo incuriosos esse in rerum suarum notitia *Batavor*, cum apud illos plurima lucem videant, tam Latina, quam Belgica lingua scripta, quorum Ca-
 35 talogum locupletiores texti, interesset publice. * ANT. SANDERUS de *Scriptoribus Flandria* 3. libros, de *Scriptoribus Gandavensibus* alios tres, duos de *Brugensibus* scripsit. Idem de *MStis* quoque egit. Elogia uberiora virorum doctorum sunt in *Flan-
 36 dria ejus illustrata*, vasto Opere. * VALERII ANDREÆ DESSELI *Bibliotheca* ceteris omnibus in hoc genere Scriptoribus præferenda est, etsi in multis deficit;
 37 * ac FRANCISCUS SWERTIUS in *Athenis suis Belgicis*, quædam sibi subrepta queritur: qui hoc suo libro de *Academiis & Bibliothecis Belgii* agit. Sed
 38 Valerii Andreae liber multo accuratior est. * JOH. MEURSIUS eodem titulo

Athena

(pp) Nicol. Antonii *Bibliotheca Hispana* *Vetus* Romæ Anno 1696. in fol. curante Josepho d' Aghirre, Cardinali Hispano, itidem jam prodiit. In Tomos divisa est duos, quorum Priore Scriptores, qui ab Augusti Imperio ad A. C. Millesimum, posteriore autem, qui ab A. C. 1000. ad 1500. floruerunt, suse, industria simul & judicii accuratione incomparabili, celebrantur.

Athenarum Batavarum usus solam Academiam Leidensem describit, ejusque Professorum 39
 elogia & Opera recenset. * AUBERTUS MIRÆUS, Panegyristes potius, quam Bibliothecarius Scriptor, in solis elogiis hæret: quare & *Elogiorum Belgicorum*
 titulo liber ejus prodiit. Valerius Andreas in Præfat. Bibliothecæ suæ duos
 alios librorum Belgicorum consignatores nominat. Sed imperfecti eorum labores
 industria Valerii Andreae obliterantur. * Nunc quidem prodeunt *Mercurii* aliqui 40
Officinales librorum, singulis semestribus; non in Belgio tantum, sed & alibi, editorum;
 curantibus Waesbergiis, quorum diligentia merito laudanda est, non enim
 nudos tantum titulos, sed & argumenta simul exhibent. Sed fera est illorum opera,
 & a paucis tantum annis inchoata.

Anglica gens Batavis longe fuit negligentior in consignandis ingeniorum mo- 41
 numentis; nihil enim ab illis prodiit, quod mereatur nominari, cum tamen sint exten-
 tentque pene innumera ingeniosissimæ gentis in omnibus doctrinis scripta, prode-
 antque quotidie, tam Latina, quam vernacula lingua, plura. * Quod ad vetera at- 42
 tinet, præter JOH. BALEUM, cujus extant *Centuria Virorum illustrium Anglicorum*;
 & compilatorem ejus JOH. PITSEUM, qui de simili argumento & de iisdem Au-
 toribus scripsit, pleraque describendo & interpolando; & quendam EDUARDUM
 LEIGH, qui populari lingua *de recentioribus Autoribus* aliqua scripsit; neminem ha-
 bemus, nisi paucula illa velimus his addere, quæ in Actis Philosophicis habentur.
 Sed ea tantum Physica sunt & Mathematica. Baleum plerique non bona fide in
 recensione sua versatum judicant. In Pitseo compilatore multi notantur errores:
 Burtonus in *Græca lingua historia* p. 55. impudentem plagiarium nominat. * Quæ 43
 GEORGIUS LILIUS *elogia Anglica*, scripsit, exigua sunt, & memoratum vix digna.
 Fuit ille filius Guilhelmi Lillii, qui teste Burtono p. 56. ut Græcis literis commodius
 operam daret, in Rhodo insula quinque annos degit. Prodeunt & singulis mensi-
 bus *Mercurii Officinales*, qui defectu aliorum colligi & notari possunt. Extrat etiam
 Catalogus librorum, qui incendio Londinensi perierunt, ex quo hunc defectum
 utcunque resarcire possumus. * Subsidio etiam esse potest ANTONIUS WOOD, 44
 qui in *Historia Oxoniensi* commemorat libros a Professoribus Oxoniensibus, omnibus-
 que hujus Academiæ alumnis, qui postea ad celebritatem nominis pervenerunt,
 editos. Catalogus quoque Oxoniensis Bibliothecæ jungi his potest: sed nulla ta-
 men in omnibus est plena & ordinata Autorum Anglicorum recensio. * Qui do- 45
 ctorum Scoticæ gentis historiam descripsit in *Historia Ecclesiastica Scotiae* THO-
 MAS DEMPSTERUS, non satis bona fide ea in re versari existimatur a
 multis, quorum judicia collegit Bailletus tom. 2. pag. 188. Et sane hominem fu-
 isse præferocis & perverſi animi, ex iis apparet, quæ de ipso narrat Erythræ-
 us *Pinacoth. I. num. 9.*

Danorum scripta, sed per Catalogum tantum digesta, breviter consignavit AL- 46
 BERTUS BARTHOLINUS, cui auctarium accessit a THOMA fratre. Rudes
 sunt illi labores, qui per Catalogos tantum ordinati sunt. Melius mererentur de pu-
 blico,

blico, qui secundum seculorum seriem omnia consignarent, & accuratam simul Protopographiam ederent. (99)

47. Nunc quoque *Holsatorum, Hamburgensium & Lubecensium* Scriptorum historiam laudabili profecto conatu molitur JOANNES MOLLERUS, Flensburgensis; cuius Operis designatio habetur in *Cimbriae literatae prodromo*, qui An. 1687. Sleswigæ editus est. Opus autem ipsi in 4. partes dividetur. I. Serie Chronologica exhibebit elogia fustiora Scriptorum indigenarum. II. Elogia Scriptorum exterorum, qui apud Cimbrum inclaruerunt. III. Alphabetico ordine recenset Scriptores minorum meritorum. IV. Aliquot sectionibus complectetur 1. Scriptores anonymos & pseudonymos, 2. viros doctos, sed nullis libris editis claros, ceteris tamen nihilo inferiores, 3. indicem exterorum, muneribus publicis non admodum, quorum monumentis Historia Cimbrica est illustrata. Præmittet V. Prolegomena, quibus continentur tum Scriptores Historiæ particularis literariæ, singularum totius orbis nationum, ordine Geographico, quorum jam numerus octuplo superat Labbeanum & Voglerianum, tum Cimbrorum in rem literariam merita insignia *ως ἐν συνόψει* adumbrata. Subjiciuntur VI. Indices, ex quibus primus Alphabetico; secundus vero Chronologico ordine nomina Scriptorum sistet; tertius Typographicus suis singulis tum Cimbriæ locis, tum regionibus exteris singulos viros doctos assignabit; quartus Tacticus Autores ratione munerum & scientiarum distinguet; quintus Realis, sub materiarum classes scripta Cimbrorum revocabit, non generalibus tantum titulis contentus, sed & partes scientiarum complexus: sextus memorabilia quævis continebit. Ea vero *ἀνεπίβητα*, fide, industria, in hoc Opere versabitur, ut ceteris in hoc genere Scriptoribus palmam facile prærepturus sit.

48. *Succi* quoque nuper suas opes in publicum produxerunt, quorum scripta hætenus ignorata fuerunt. Fuerunt tamen apud illos nonnulla edita, quæ magnam sane laudem merentur. Prodiit Anno 1680. Holmiæ JOHANNIS SCHEFFERI *Suecia literata*, (99) sive de scriptis & Scriptoribus gentis Suevicæ liber, cui accedit Appendix de Scriptoribus Finnicæ gentis, Opus posthumum: sed facile apparet, Autoris ultimam manum operi non accessisse. Novi enim Suecos, qui ipsi hunc vilipendunt laborem. Quæ præmittitur ad Lectorem Præfatio, affert non pauca, quæ ad notitiam rei literariæ Suevicæ pertinent, queriturque de iniquitate hujus loci in libris cœmendis & imprimendis. * SIMON STARAVOLSCIUS quoque *illustrium Polonorum Centuriam* edidit.

50. Utinam in *Germana* gente esset, qui hoc patriæ suæ pietatis officium præstaret, colligeretque accuratam Scriptorum & Autorum suæ gentis historiam; certe numero

(99) Alb. Bartholini *Librum de Scriptis Danorum*, a se plurimis in locis emendatum atque auctum, & Joh. Schefferi *Sueciam Literatam*, cum Hypomnematis suis in utrumque Scriptorum Historico-Criticis prolixioribus, & Prolegomenis de Gentium Borealiæ in Literas Meritis, Historiæque Literariæ & Ecclesiasticæ Scriptoribus, junctim denuo publicavit Jo. Mollerus, Flensburgo-Cimber, Scholæ Patriæ Rector, in *Bibliotheca Septentrionalis Eruditi*, Lipsiæ Anno 1669. in 8vo edita.

mero vinceremus omnes, non æque dicam pretio. Scribunt enim multi, imo videntur libros; quibus ut excureretur e manu calamus, publica autoritate provideri deberet. Hinc contemptus nostræ gentis apud gentes nasutiores, qui tamen, si rem accuratius pensaveris, multum Germanorum diligentia debent. Id certe vel ipse livor fatebitur, absque Germanis vix tantos in re literaria progressus facturas ceteras nationes, quæ Germanos quadantenus Pædagogos nactæ sunt: quod aliquando ostendam Dissertatione singulari *de meritis Germanorum in rem literariam*. Superfunt multi libri, tam Latina, quam vernacula lingua scripti, qui in pretio haberi merentur; qui si notarentur accuratius, non parum hoc tum ad gloriam, tum ad utilitatem faceret. * Cæpit quidem MELCHIOR ADAMI aliqua *de vitis Theologorum, Jctorum, Medicorum & Philosophorum* commentari, qui in nostra gente aliquod tamen operæ pretium fecit; quanquam longe a perfecta Historia absit: in elogiis prolixior est, in scriptorum recensione non adeo accuratus. * Eandem telam continuavit HENNINGUS WITTE, Gymnasii Rigensis Professor celeberrimus, Vir doctus & amicus noster, qui e Programmatibus Academicis elogia & scripta collegit; addidit & exterorum nonnullorum *Vitas*, laudabili quidem opera. Sed vix uni homini tam vastum argumentum exhaurire licet, quod adeo operosum est, & literarum commercia pene infinita postulat. Nunc ille *Diarium Biographicum* instituit, (rr) in quò Scriptorum sæculi XVII. præcipui concise descripti. Postea REISERUS (ss) Theologorum aliquot & Philologorum e nostratibus *Vitas & scripta* recensuit.

Vidimus de Bibliothecarum Scriptoribus secundum nationes consideratis; locum cum ab his occupent, qui agunt de Bibliothecarum Scriptoribus respectu certi ordinis. Eorum possit vastus Catalogus texti; sed nolumus operosi esse, cum jam tum illos recensuerit Philippus Labbeus in Bibliotheca Bibliothecarum, Indice tertio, & Teiffierius. Legendus est Bailletus *tom. 2. a pag. 118. ad pag. 138.* * Præ ceteris omnibus laudanda est *ordinis Jesuitici Bibliotheca*, quæ plene & copiose scripta est post Petrum Ribadeneira, a Philippo Alegambe Bruxellensi, quæ edita est Anrverpiæ in folio, Anno 1653. Prodiit denuo auctior illa Bibliotheca *Nathanaëlis Sorwelli* opera, Anno 1676. Romæ: plura de illo libro singularia notavit Bailletus, quæ hic non reperam. * Com-

(rr) Henn. Wittenii *Diarium Biographicum Sæculi XVII.* Scriptorum illius; annorum & dierum emortualium ordine, sed sæpius, quoad Scripta imprimis, parum accurate, recensentis, Tomus I, ab A. 1600: ad 1688, perductus Gedani A. 1688, Tomus autem II. prioris *παράλειπόμενα* & Continuationem ad A. 1690. exhibens, Rigæ A. 1691. in 4to prodiit. Tertium Autor addere constituerat, telam eandem ad finem usque Sæculi pertexturum, sed promissis, morte immatura d. 22. Jan. A. 1696. extinctus, stare non potuit.

(ss) Theologorum atque Philologorum Lutheranorum Quinquaginta Imagines æri insculptas, *Vitas & Scripta*, exhibuit, non Ant. Reiserus, sed Theophilus Spizelius, Ecclesiastes Augustanus, in *Templo Honoris*, quod Augusta A. 1673. in 4to prodiit, *Reserato*. Subiuncta tamen illi est Reiseri, Gymnasii tunc patrii Augustani Rectoris, & Theologi deinde Hamburgensis, Epistola ad Spizelium erudita, Observationes quasdam de Theologis ac Philologis iisdem selectiores, in libro ipso prætermittas, illi communicans.

- 55 * Commendari quoque debet *Bibliotheca Scriptorum sacri ordinis Cisterciensis*, a Carolo de Visch adornata, cujus editio secunda plenior Coloniae Agrippinae 1656. in 4to prodiit. * In hac memorabilis omnino est illa *Johannis Caramuelis Lobkowitz* Operum, tam editorum, quam ineditorum, recensio, ab ipso Autore consignata, & hic inserta a pag. 178. ad p. 200. ubi multa occurrunt notatu dignissima. Incredibile est, quantum Autor ille librorum scripserit unus in omni scientiarum genere: in quibus secretiora etiam quaedam, & vulgo non animadversa, & singularia quaedam cogitata continentur. De ceteris legi Bailletus potest.
- 57 Certi nominis Scriptores, nescio qua minuta diligentia, in unum corpus collecti a multis. In Græcorum Historia tum *Johannes Meursius*, tum *Leo Allatius* diligentes fuerunt. Ille de Alypiis, Antigonis, Aristoxenis, Philostratis, Ptolomæis, Pythagoris scripsit; hic de Simeonibus, Psellis, Philonibus, Nicetis, Methodiis, & Georgiis: qui ultimus liber in corpore Byzantinæ Historiæ Georgio Acropolitæ additur, continetque multa memorabilia de libris, ab iis autoribus scriptis, qui nomen Georgii habuere. Non pauca habet ille liber ad notitiam historiæ Ecclesiasticæ, præcipue Orientalis, pertinentia. Ita de claris Jacobis scripsit Ludovicus Jacobus: de claris Philippus Labbeus: de claris Theophilis Theophilus Rainaudus: de claris Antoniis Sanderus.
- 58 Inter Catalogorum particularium Scriptores recensendi & hi sunt, qui de Scriptoribus, respectu ad scientias habito, scripserunt. Inter eos primo loco numerabimus ISRAELEM SPACHIUM. Ejus exrat *Nomenclator Scriptorum Philosophicorum atque Philologicorum*, quo habetur succincta recensio eorum, qui Philosophiam, omnesque ejus partes, quovis tempore aut idiomate usque ad annum 1597. descripserunt & illustrarunt, methodo secundum locos communes ipsius Philosophiæ instituta, cum duplici Indice, uno rerum, altero Autorum, collectus & digestus. Laudanda est Viri hujus industria, quam in sequentibus temporibus adhibuit nemo. Ordo secundum Philosophiæ partes commodus est, & magni usus. Idem Autor scripsit & *Nomenclatorem Medicum*, simili ratione digestum; qui rudimentum præbuit illis, qui postea majores & de re Medica Catalogos scripserunt.
- 59 GERHARDI JOHANNIS VOSSII indefessa diligentia in his argumentis præferri omnibus debet. Extant ejus Opera *de Historicis Græcis & Latinis*, nunc mendose recusa, quem diligenter exscripsit *Martinus Zeilerus*, qui secundum Alphabeti ordinem Autores disposuit, & aliqua de recentioribus Historicis addidit. * *Supplementa Vossiana* scripsit BERNHARD. a MALLINCROT, qui prætermittos a Vossio Historicos Græcos singulari dissertatione adjecit: sed in altera editione Vossii pleraque, quæ notaverat Mallincrotius, addita fuerunt. Scripsit & supplementum Hallervordius, & novissime Christophorus Sandius, libello in Batavia edito in 12. Reinesius quoque supplementa ad Historicos Græcos. molitus est, ut tradit Rupertus in *Epistolis Richterianis*, pag. 424. Testis quoque est Sarravius in *Epistolis* pag. 267. Ludovicum Jacobi

Jacobi tale supplementum scripsisse: nam in epistola ad Isaacum Vossium scribit, se ipsi partem eorum transmisisse, & nunc reliqua, quæ ad Historicos Græcos spectent, transmittere, librum enim ad umbilicum vergere: sed nihil eorum publice comparuit. * Idem Vossius de *Pœtis Græcis & Latinis* libellum edidit, sed ad recentiores se non demittit; editus est Amstelodami Anno 1654. in 4to. Poëtas recentiorum temporum Gyraldus Dialogis duobus persecutus est. De scientiis Mathematicis ac Autoribus veteribus & recentioribus idem Vossius scripsit. Voluit scribere de scientiis & artibus, cujus *ἀποστολομοτίον* est liber de 4. artibus popularibus. Quæ ut omnia doctissima sunt, ita optandum fuisset, ultimam iis accessisse manum. Non pauca prætervidit: recentiorum illi & exoticorum cura parior, quæ vero ab illo scripta memorantur, sollicitè satis examinantur. 61

Astrologorum Elenchum specialem & secundum Chronologiam institutum dedit Ricciolus in *Almagesto* suo novo. * Qui perfectas singularum Facultatum & scientiarum Bibliothecas & Catalogos scripserint, non habemus: quanquam multi quidpiam tentarint pene in omnibus disciplinarum generibus. Quod ad Theologiam attinet, sunt quidam, qui Theologorum Scholasticorum ac Moralium nomina consignarunt; quidam, qui Interpretum Scripturæ; aliqui generatim de rerum Theologicarum Scriptoribus egerunt, tum e Pontificiis, tum e nostris & Reformatis. *Possevinus & Molanus* e Pontificiis *Theologicam Bibliothecam* scripserunt, & præterea nonnulli alii. E Reformatis *Vossius*, qui multa immiscet falsa; libri non rectè citati; interdum affingitur multis, quod ab ipsis scriptum non est; nomina pervertuntur. E Nostris, qui scripserint, vix memini, præter *Bolduanum & Draudum*: in quibus tamen id laudandum est, quod tam in Theologicis, quam in Philosophicis, secundum locos materiarum collectanea sua instituerint. Nunc accessit illis *Lipenii* Bibliotheca Realis Theologica. *Calixti* Apparatus magna rei Theologicæ jactura in ipso pene initio defecit. Ideam Bibliothecæ Theologicæ secundum seriem Autorum commode dispescere docuit *Hottingerus* in *Bibliothecario* suo quadripartito, ubi Autores in ordinem redigit, & potiores in ordine illo recenset. 62

Juristarum libros qui in ordinem redegerit accuratum, ab ipsa Jurisprudentiæ *πάλαιγενεσία* nullum habemus. Sunt quidem, qui Vitas nonnullorum descripserunt, & libros quoque recensent, ut *Baldus, Rutilius, Pancirollus, Fichardus, Bechtoldus*, qui secundum materias juris Autores disposuit, quibus ultimo *Martini Lipenii* *Bibl. Juridica Realis* accessit; sed nondum satisfactum est huic negotio. * *Bibliothecam universalem Juridicam* molitur CASPARUS THURMANNUS, qui multa cum cura & industria hoc in argumento versatus est: nam secundum materias & partes Juris generaliores eam instruet: Bibliothecam processualem, criminalem, testamentariam, contractuum &c. singularibus voluminibus comprehendet, in quibus ordinem rerum sequetur. Qui, si aliquando prodierit, liber omnium superabit labores. * *Promisæ & CORNELIUS a BEUGHEM* *Bibliothecam Universalem Juridicam*, sed recentiorum Scriptorum, cujus ille specimen dedit, publicata hoc anno *Bibliographia* 63

Juridica & Politica, qua continentur Juri & Politici, qui ab anno 51. usque ad annum 78. in omnibus linguis scripserunt. Prodiit Amstelodami A. 1678. in 12. dispositus est secundum Autores liber; hunc ille laborem per sequentia tempora continuabit, & aliqua parte juvabitur res Bibliothecaria hujus Viri studio, si aliquando in lucem produceret, quos editioni se paratos habere libros scribit. Habebimus ab illo Bibliographiam Universalem omnium Facultatum & artium; Bibliothecam Belgicam omnium Scriptorum, qui unquam prodierunt in Belgio; Bibliothecam materiarum universalem; Bibliothecam Mathematicam, Historicam, & Chronologicam orbis imperantis & literati, præterea plurima alia. Videatur Sylabus, libro ejus præfixus.

- 66 Medicorum Scriptorum iridem accuratum Catalogum non habemus. *De Vitis antiquorum Medicorum* in animo habebat scribere Clarissimus Vir, *Johannes Henricus Meibomius*, & eandem telam texere dicitur *Ægidius Menagius*. Meibomii liber apud filium ejus, Professorem Helmstadiensem, Virum Clarissimum, later, qui de hoc Opere, si recte memini, publicavit epistolam. (tt) Est & in Italia quidam *Johannes Baptista Caponus*, qui *Historiam Medicam universalem* præ manibus habere dicitur, referente Gregorio Leto. Hujus Historiæ Universalis libros quinque molitur, quorum primus est de veteri Medicina; secundus de recentiori Medicinæ usu apud omnes nationes; tertius de sectis; quartus de Medicis; quintus de Bibliotheca Medica cum notitia Manuscriptorum totius orbis in quocunque idioma. Verum vix hominis unius industria isti labori sufficere videtur. Quod ad veterem Medicinam attinet, *Covringius* in Introductione sua Medica strenue partes suas exsecutus est, quam supplemento suo auxit nunc Cl. *Schelhammerus*. Sed nos hic non tam de historia, quam de Catalogis librorum solliciti sumus. Eorum aliquos dederunt *Israël Spachius*, *Brunsfelsius*, *Schenckius*, *Robertus Constantinus*, *Paschalis Gallus*, & post illos *van der Linde*, Professor Leidensis, qui omnium antecessorum labores in unum corpus congestit, additis suis augmentis. Dispositus autem liber est secundum Autores, suntque multi in eo errores & defectus, quorum aliquos notat *Voglerus Introductione in notitiam scriptorum pag. 42. 43. 44.* qui cum Autoribus prioribus, *Schenckio*, *Constantino* & aliis, multis in locis ipsum contrulit, & non satis accuratum invenit. Post illum secundum materias disponit *Lipenius*; sed magna seges restat recentiorum Scriptorum, quorum nulla in illo libro mentio. Scripsit & *Cornelius a Beughem* Catalogum novissimorum Scriptorum Physicorum & Medicorum, sub titulo *Bibliographiæ Physico-Medicæ*, quæ anno 80. prodiit in 12. De ceteris, qui ratione scientiarum

(tt) Henr. Meibomii Junioris *Epistola* ad Georg. Hier. Welschium *de Historia Medicorum scribenda*, qua paterni Operis faciem & Methodum adumbrat, simulque ceteros istius argumenti Scriptores recenset, Helmstadii A. 1669. in 4to est edita. Joh. Antonidæ a Linden, Prof. Medici Leidensis, *Libri II. de Scrip'tis Medicis*, in novissima Editione a Georg. Abr. Merclino, Poliatio Noribergensi, continuati, & dimidia pene parte amplificati, sub *Lindenii Renovati* Titulo, Noribergæ An. 1686. in 4to prodierunt.

rum habitâ Catalogos scripsere, plura habentur apud Bailletum *tom. II. a pag. 189. ad pag. 237.* & nos suo de illis loco plura commentabimur.

Catalogi Bibliothecarum publicarum aliquot publicati sunt, ut *Bibliotheca Oxoniensis*, de qua supra. In Belgio quoque prodierunt Bibliothecarum quarundam Catalogi, ut *Ultrajectina*, qui in folio editus est, & *Lugdunensis*, qui in quarto; quales vix haberi possunt in Bibliopoliis. In hoc MSta Orientalia enumerantur. In Germania extat *Catalogus Bavarica & Augustana*, qui rariores sunt. Catalogi Augustanae Bibliothecae non nisi centum exemplaria impressa sunt. In illa Bibliotheca latent multi MSti Codices, adhuc inediti, quorum non pauci prodierunt, curante *Marco Velfero*, ejus Reip. Duumviro, cujus magna apud eruditos est celebritas. De his & Bavaricis Monachii ac Ingolstadii Bibliothecis videatur Bailletus *tom. 2. pag. 243. 244. 245.* De Vindobonensi Bibliotheca Lambecius non Catalogos; sed Commentarios scripsit. Guelferbytanus Catalogus ut ederetur, urfit olim Boineburgius, sed frustra; cujus causas tradit Conringius in *Epistola de Bibliotheca Augusta*, ubi multa de Catalogis Bibliothecae ipsius Principis manu, singulari plane cura & industria, conscriptis. Non memini plures unquam produisse publicarum Bibliothecarum Catalogos. Prodierunt quidem Excerpta Catalogorum de MStis Codicibus, a Bibliothecariis vel aliis Autoribus publicata. Habemus a Thomafino editos Catalogos MStorum, qui reperiuntur in Bibliothecis Patavinis, tam publicis, quam privatis. Quales Catalogi utinam plures ederentur per omnes provincias & regiones! mire enim profunt ad MStos Codices indagandos, qui alias facile pereunt in privatorum Bibliothecis, si illae distrahantur, vel ad alios possessores indoctos perveniunt; unde saepe ad bibliopagos & salamentarios deferuntur. Hafniensium Bibliothecarum ortus & incrementa recenset Thom. Bartholinus in *dissertationum de libris legendis prima*, p. 16. 17. 18. 19. 20. Bibliothecae Mediceae Florentinae Catalogus ab Henrico Ernstio Amsterodami A. 1641. in 8. publicatus. De ceteris nos supra plura diximus. * Scriptoros Catalogorum de viris doctis Italicis habet Gregor. Leti *Ital. regnant. part. 4. p. 195.* Parte 3. ubi Laurentii Legati libros recenset, notat ejus Autoris *Lyceum Herculis, sive scriptores Cremonenses*: item *librum de Pictoribus, Sculptoribus & Calatoribus Cremonensibus*: ejusdem *Athenaeum Poëtarum tom. 4. & Museum Poëtriarum cum Iconibus*; qui tamen omnes *devēndor oi.*

Hæc de publicis Bibliothecis earumque Catalogis in hac summaria recensione sufficiant. * Venimus ad Bibliothecas privatas: earum Catalogi plures sunt, quam ut recenseri possint, neque omnes ad manus meas pervenerunt: ex iis tamen celebriores primum enarrabo, reliquos quasi per lancem saturam exhibiturus. Præcipuus inter illos est *Catalogus Bibliothecae Cordesanae*, quam instituerat *Johannes Cordesius*, Canonicus Ecclesiae Lemovicensis, qui omnes suas opes, & quicquid corradere poterat, in Bibliothecam hanc impenderat, vir doctissimus & humanissimus; cujus plenius elogium descripsit *Gabriel Naudæus*, qui Bibliothecae hujus Catalogum ipse confecit, & accurato ordine digessit Autores, secundum materias & formam librorum

illos dispescens. Præcipue hic commendari Catalogus debet ob insignem Historicorum, præsertim exoticorum, copiam, quorum rarior apud nos est notitia; editus est Parisius in 4to, An. 1643. Hinc commendo *Catalogum Bibliothecæ Thuanae*, cujus jam supra cap. 5. num. 11. facta mentio est; & mirifice mihi placet ordo: non enim contentus summis tantum capitibus Autor sub specialibus titulis locavit Autores, ut statim occurrant, qui de eodem argumento scripserunt, quod Locorum Communium instar esse potest: & hujus ideam, notante Baillet, Draudio debet. Additi quoque sunt MSti Codices, tam antiqui, quam recentiores. Qua diligentia Bibliotheca hæc composita sit, Præfatio ejus libri docebit. Addendus quoque melioribus Catalogis est *Raphælis Tricheti du Fresne Bibliotheca Catalogus Parisi. 1662. in 4to editus*, ob librorum raritatem & selectum præcipue commendandus. Observavi in illo Catalogo Scriptores, frustra in aliis quæsitos. Sed infinita sunt in illo menda Typographica. Theologorum, Jctorum, Medicorum parcior hic numerus, sed in omni historia, antiquitate, varia literatura, rebus naturalibus, libris, quorum nomina nunquam pene audita, instructissimus ille est, libri interdum non conveniente loco positi. Bibliothecæ ipsa Regiæ accessit pretio 24000. librarum Gallicarum vendita, postquam ab alio 33000. libras oblatas vidua recusavisset. Anni impressionis diligenter notati magnum habent in libris ipsis eorumque variis editionibus conferendis usum. Qui vitam Pinelli scripsit Gualdus, diligentissimum iteratarum editionum examinatore eum fuisse prodidit.

70 Qui jam sequuntur Catalogi, sine ordine nobis recensentur. Plerique illorum formati sunt de Bibliothecis, quæ publice per auctionem distractæ sunt; eorum magnus est numerus, seligendi tamen sunt meliores de Bibliothecis, quas possederunt Viri celebres, *Scaliger, Salmasius, Heinsius* & alii, si haberi possunt. Ex inspectione enim talis Catalogi statim patet Viri industria & judicium in bonorum Autorum selectu instituendo. Deinde vel eam ob causam aservandi sunt Catalogi isti, ut sciâmus, ubi lateant Autores, quos viri illi manu sua notarint. Sæpe enim notulæ optimis Autoribus a viris istis in margine adjectæ, multum lucis ad Autorum sensum adferunt. Hinc in Batavia tales libri Scaligeri, Salmasii, aut alterius viri docti manu notati, magno pretio cœmuntur. In Amstelodamensi Bibliotheca habentur *Baronii Annales*, manu *Davillis Blondelli* notati, quos Resp. illa magnis sumptibus emit; quæ notæ, si recte memini, nuper sunt publicatæ. Vidi ipse olim in Bibliopolio Sansonii Geographiam sacram Capelli cum ejusdem Blondelli notis MStis. *Bibliothecæ Scriverianæ Catalogus*, qui Amstelodami An. 1663. in 4. prodiit, exquisitissimus est: constat enim selectissimis omnium Facultatum & artium Autoribus. *Scavenianæ Bibliothecæ Catalogus*, (uu) qui Hafniæ prodiit, itidem commendandus est; ut &

Mule-

(uu) Scavenianæ Bibliothecæ Catalogus perperam hic vocatur Index Regiæ Hafniensis, a Pet. Scavenio, Jcto, illi præfecto, concinnatus, & Hafniæ A. 1665. in 4to excusus. Georg. Calixti Bibliothecæ nullus prodiit Catalogus, sed Index tantum Scriptorum ejus priorum, a filio

Muleniana. Scaveniana Bibliotheca Regiæ accessit, Muleniana Academicæ: hujus Catalogum cum Præfatione & Oratione edidit Bartholinus, Hafniæ 1670. ubi multos Catalogos recenset. Optimi Autores Græcæ & Latinæ linguæ, optimæque ejus editiones habentur in Catalogo *Pauli Junii*, qui publicatus est Lugduni Batav. 1670. Commendo ideo hunc Catalogum, quod tantum Autoribus illis constet, & paucos alios admittos habeat. Si qui Chymicorum, Theosophicorum, Mysticorum, imo & Fanaticorum quoque Scriptorum acervum velit, is inveniet in Catalogo librorum *Serrarii & Babusii*, qui prodiit Amstelodami 1670. Non vacat nunc omnes recensere Catalogos. In sola Batavia pene integram Catalogorum Bibliothecam reperies, quos omnes coacervare, superstitiosâ esset diligentia & crambe millies cotta. Ad id tamen prodest Catalogorum multitudo, ut in vasta aliqua sylvaprehendantur nonnunquam aliqua, quæ vel in instructissimis Bibliothecis non habentur. An. 1682. *Nicolai Heinsii Bibliotheca Catalogus* prodiit, viris doctis in pretio habendus, ob exquisitos, qui illic recensentur, libros, tam editos, quam ineditos & MStos, ac manibus Scaligeri, Salmasii aliorumque Criticorum notatos: cui jungi potest *Bibliotheca Gœfsianæ Catalogus*, Anno 1687. Leidæ editus; in quo non rariorum tantum librorum, sed & magnus nummorum apparatus est. Notari quoque possunt & comparari, ubi incidetis in illos, *Calixti, Reineccii, Pavvii, Gothofredi Jcti &c.* Catalogi. *Adriani Pavvii Catalogus* Hagæ Comitum Anno 1654. & ibidem Anno 1656. editus: in quo multitudo librorum cum selectu cerrat.

Etiam Catalogi Officinales non spernendi, ut *Catalogus Bibliopolit Elzeviriana* 71 *ni*, qui Amstelodami prodiit Anno 1681. in quo multi exotici autores. Sunt & ab aliis Typographis & Bibliopolis alii publicati Catalogi, in quibus recensendis non ero prolixus. Ii quoque, qui libros impesserunt, typographi certos consignare librorum, a se editorum, Catalogos solent. Extant Catalogi librorum, qui a prelo *Manuciorum, Stephanorum, Plantinorum, Morelli, Cranoisii &c.* prodierunt.

Sunt præterea, qui certi temporis Bibliothecas scripserunt, quo referendus 72 est *LEO ALLATIUS in Apibus urbanis*, libro, quo describit viros eruditos, Romæ tempore Urbani VIII. viventes, & eorum scripta recenset. Pertinent & huc Ephemeridum Scriptores apud varias nationes, de quibus supra diximus. Sunt, qui suorum librorum Catalogos scripserunt ut *Campanella, Gaddius, Cardanus aliique*.

Sunt, qui laborem susceperunt colligendi libros quoscunque rariore, sine tem- 73 pore certo & ordine, prout se inter peregrinandum vel in Bibliothecis obrulerunt. Aliud institutum fuit *JOHANNIS CINELLI*, qui ex consilio Viri illustris Magliabechi 74 congerere cœpit libellos & schedas singulares, in quibus nonnulla rariora continentur, varii argumenti, quorum facilis alias jactura est. Ejus specimen unum prodiit Florentiæ 1677. in 8vo. sub titulo *Della Bibliotheca Volante*, qui titulus ingeniosus est,

Dd 3

per

lio Helmstadii Anno 1658. in 4to publicatus. Hunc, in Mulenianæ Bibliothecæ Indiæ Catalogis Bibliothecarum. immixtum, Morhofius, illum secutus, incaute iisdem accessit.

per quem intelligit minutos & hinc illinc errantes libros. Continuavit illum laborem sequentibus temporibus Cinellus. Non est spernenda hæc opera, nec nullius usus: sæpè enim excidunt e memoria eruditorum, pèreuntque vulgo non animadvertsa. Velim tamen de contentis & summariis librorum accuratius egisset. Retulit & illic nonnullas disputationes de materiis rarioribus in Germaniæ Academiis scriptas. * Refèrri huc quoque debent Catalogi Francofurtenses semestres; sed qui multis imaginariis titulis referti; Mercurii Anglorum, Gallorum & Belgarum mensurui. Quod optimum certe inventum est ad librorum notitiam parandam; tales ego Mercurios institui velim in præcipuis Europæ urbibus & Academiis, in quibus libri non tantum editi recensentur, sed omnia nova, vel inventa vel cogitata, in re literaria: Eorum enim collectio vehementer prodesset ad omnis doctrinæ incrementum.

C-A P. XIX.

DE VITARUM SCRIPTORIBUS.

1. *A vitarum Scriptoribus magna in historia literaria utilitas.* 2. *Ne minima quidem hic omittenda.* 3. *Quod adversus Maresium asseritur.* 4. *Peregrinationes doctorum diligenter notande.* 5. *Character animi e minimis cognoscitur.* 6. *Joachimi Camerarii diligentia in vita Melanchthonis laudatur.* 7. *Tria in literatorum vitis consideranda.* 8. *Exemplo Philiberti de la Mare ostenditur, ne omnia quidem & somnia esse negligenda.* 9. *Memorabilis de Quarreo historia.* 10. *Vitarum Scriptores antiqui recensentur.* 11. *Vitæ virorum Reipubl. negotiis admotorum multum conferunt ad prudentiam civilem.* 12. *Eorum aliquæ recensentur.* 13. *Vitas suas qui ipsi scripserint.* 14. *Commentarii, Memoires.* 15. *Scriptores vitarum veterum.* 16. *Biographos recentiores qui enarraverint.* 17. *Vita Peirescii a Gassendo.* 18. *Tychonis Brabæi &c. ab eodem.* 19. *J. Vincentii Pinelli a Gualdo.* 20. *Recusa cum adjectis vitis Budei, Hugonis Grotii & aliorum.* 21. 23. *Pauli Sarpii a Fulgentio scripta* 22. 23. *ad rem literariam multum conferunt.* 24. *De Pauli Sarpii eruditione & prudentia multa narrantur.* 25. *Ejusd. litera Italica lingua scripta.* 26. *Vita Petri Puteani a Rigaltio scripta multa habet ad rem literariam & civilem profutura.* 27. *Actorum publicorum collectanea.* 28. *Vita Ducis Valentini speculum fraudum politicarum & artium Machiavellicarum.* 29. *Malorum hominum vitas explorare prodest.* 30. *Vita Henrici VII. a Verulamio scripta* 31. *ad prudentiam civilem commendatur.* 32. 34. *Vita Melanchthonis a Camerario plenissime & eleganter consignata est.* 33. *Melanchthonis encomium.* 35. *Camerarii Narratio de Eobano Hesso.* 36. *Reuchlini laudes.* 37. *Ejus Vita a Johanne Henrico Majo scripta.* 38. *Lotichii Poëtæ Vita laudatur.* 39. *Poëtarum Germanorum princeps.* 40. *Judicia de illo.* 41. *Ejus vaticinium poëticum de expugnatione Magdeburgensi.* 42. *Forsneri Elogium a Böclero scriptum.* 43. *Ancloti de Hussayo indigna in illum censura.* 44. *Singularis de Thoma Campa-*
nella

nella & Forstneri historia producitur. 45. Wallensteinii, 46. Bembi, Contareni Vita. 47. Gratiani liber de vita Commendonii & casibus virorum illustrium. 48. Scriptores vitarum singularium. 49. Boissardi Vita & Icones. 50. Hanckii, 51. Imperialis, 52. Crassi, 53. Gualdi, 54. Gbilini, 55. Theveti, 56. Bullarti, 57. Massoni, 58. Capaccii in hoc genere scripta. 59. Qui de feminis doctis scripserunt. 60. Erythraei Pinacotheca. 61. adversus Marefii calumnias defenditur. 62. Sammarthianorum Elogia. 63. Marefii de illis judicia. 64. Patini Elogia Virorum Gallicorum promissa. 65. Vita Jctorum. 66. Betrandi, Pancirolli & aliorum scripta de vita Jctorum. 67. Leickheri opera in iis colligendis laudatur. 68. Pelissonii Recensio Doctorum Academiae Gallicae. 69. Architectorum, Pictorum Vita colligenda. 70. Georgii Vasari de iis liber. 71. Descriptio ejusmodi pluribus gentibus neglecta. 72. Francisci Junii liber doctores de iis. 73. Carolus Dati idem sibi proposuit.

Praecipuam Historiae literariae partem VITARUM SCRIPTORUM RES constituunt: cum enim duplex proficiendi in literis via sit, altera per praecipua, altera per exempla; haec posterior priori praeferenda omnino est, quo magis ipse usus in rem praesentem deducit. Prout enim incidimus in Vitam vel Philosophi, vel Jcti, vel Medici, vel Politici; ita multa discimus, quae ad scientias illas spectant, e τὸν αὐτὸν περὶ αὐτῶν, singularia, de quibus nunquam cogitarunt, qui praecipua tantum proponunt. Ex illis arcana quaedam colligi possunt, quae non scientiam tantum, sed & prudentiam hominis literati augent. Ut enim in vita civili, ita quoque in vita hominis literati, prudentia quadam opus est in omni negotio. Conversationis sane eruditae ratio e vitis virorum doctorum formari quam maxime potest: * Quam ob causam ego vitas virorum doctorum 2 & illustrium, qui vel ad literas vel ad Rempublicam adhibentur, non superficialia aliqua & jejuna opera, sed quam plenissime, describi velim, ut vel ipsa μικρολογία in his mihi placeat. Nam vel ex minimis rerum circumstantiis aliqua, quae in usum tuum erunt, capies. * Non placet sententia Marefii, qui lib. 2. Epist. 5. in Hi- 3 storicis minimorum recensionem indulget, in vitarum scriptione illam damnat: qua in re totus ab illo dissentio. Ille quidem Suetonii & Nepotis exempla obtendit; at illi compendia tantum rerum sectantur, & ab iis distinguendi, qui unius vitam describunt. Ipsa enim methodi ratio requirit majorem in unius vitae scriptione diligentiam, quam in plurium veluti conglobatione: & vel Attici Vita ostendit Nepos, quid summaria aliqua percurfatione locupletior ac copiosior narratio praestet. Non probat ille, si quis Ducis alicujus vitam scribendam suscipiat, & universam rerum illius tempore gestarum, quibus ex parte tantum interfuerit, historiam admisceat. Germanam vero eodem libro Epist. 25. gentem laboriosissimam, ut per contemptum vocat, reprehendit, quod in ejusmodi elogiis multi sint, & in ea materia, ut in aliis fere, περιεργον. Ex his quidam eorum, inquit, parentes referunt, diem, & aliquando horam, qua nati sunt, & talia, qua in Regibus solum & in viris maxime illustribus requiruntur. Quasi scilicet virorum

virorum celebrium conditio idem non mereatur, & quæ ille prætermittenda iudicat, etiam inter memorabilia referri non debeant. Cum enim, qui panegyricos virorum illustrium scribunt, vel ex artis præscripto non parentes tantum & nativitatem, sed & majores, ac omne id, si memorabile est, quod vitam antecessit, oratione complecti debeant; annon ineptum est, eos, qui vitam alicujus singulatim recensent, quorum longe uberior tractandi ratio esse debet, præterire ipsa vitæ auspicia? * Idem *Epistola 44* ejusdem libri eandem cantilenam canit: *Si is, inquit, de quo scribunt, peregrinationem aliquam susceperit: omne illud ita singulatim describunt, & quos quoque loco convenerit, quosque cum quoque sermones habuerit, cum fastidio legentium commemorant: cum præcipua tantum, quæ in vita contigerunt, referre sufficiat, & quales hominis fuerint mores, qualia scripta. Cui vitio etiam obnoxios esse ait plerosque, qui vitas Ducum rebus gestis illustrium hodie scribunt.* Ita ille suo ex ingenio iudicat, qui Atticisimæ etiam in dictione affectator, in rebus quoque ipsis sterilitatem amare videtur. Sed ego, tantum abest, ut cum illo reprehendam hos Vitarum Scriptores, ut laude potius dignos æstimem, qui eam negotio, quod tractant, præstare diligentiam volunt, quam quilibet paulo prudentior ab illis requirat. Quid enim? an vitio veram illi, qui viri eruditi vitam describit, si peregrinationes ejus & cum viris doctis instituta colloquia recenscat? - unde plus sapientiæ ac utilitatis lectori, quam ex quavis alia narratione, accesserit. Ego, si omiserit, ne excusandum quidem existimaverim. * In vitis vero Ducum ac virorum, rerum civilium administrationi admotorum, eo sollicitius omnia recensenda sunt, quo magis e minimis sæpe circumstantiis inopinata quædam consilia & eventus emergunt. Sed nec illa tantum, quæ præcipua alicui videantur; sed *περὶ λεπτοῦ* minime prætereunda esse existimo; si quid in illis notata non indignum videatur. Nam levia illa, quæ *Junius Cordus* in Vitis Imperatorum commemorare solitus est; quoties processerint, quando cibos variaverint, quando vestem mutaverint, ac in ipso *Julius Capitolinus* reprehendit, nemo cordatus Scriptor temere notabit. *Plutarchus* optimus Vitarum Scriptor in *Alexandro* suo non semper clarissimas quasque res, virtutes vel vitia repræsentanda ait, sed exiguum subinde factum dictumque & jocum aliquem, qui citius specimen edat morum, quam funestissima prælia. *Concedendum nobis est, inquit ille, animi indicia ut scrutemur, ac cujusque per hæc informemus vitam: aliis molem rerum & certamina permittamus.* *Augustin. Mascard.* de arte historica tract. i. c. 3. in eadem sententia est. *Quoniam, inquit ille, indoles & inclinationes nature cognoscuntur e rebus minutissimis, e responsione inopinata, ex actione aliqua, quæ aliis parum ad rem pertinere videatur, ex operibus quotidianis & ordinariis, non hoc indecens Vitarum Scriptor existimet, si accuratam eorum rationem habeat; præcipue in sanctorum historia, respiciendo ad factum non solum, sed & ad modum, tempus, occasionem aliasque circumstantias.* Quæ, si in Sanctorum rebus e *Mascardi* sententia attendenda sunt, in Vita Ducis, Principis, Ministri Regii, præ ceteris observanda sunt, cum in iis vere τὸ πραγματικὸν lateat. Ego certe, tam ob causam magni facio Vitam *Peirescii*, a *Gassendo* scriptam, quo in omnes partes

partes excurrat & se diffundat, quam noster ille forte in eo μικρολογίαν damnavit. • * Laudandus est JOACHIMUS CAMERARIUS, Heros eruditus inter Germanos, quod in vita Melanchthonis ne quidem somnia ejus notabilia, ac minima quaedam præsagia, ostenta; omina omiserit. Etsi enim levia hæc habiturus nonnemo sit, tamen non sunt dissimulanda illa providentiæ divinæ specimina, quæ viris bonis & doctis in vita sæpe occurrunt; ad quæ respicere omnino debet, qui vitæ historiam scribit: ac optarim ego, exemplorum talium messem extare quam uberrimam. * Tria ego in omnibus litterarum vitis consideranda esse existimo, 1. illud, quod ad scientias sive doctrinas pertinet, vel θεωρητικὸν vel πρακτικὸν, in quo ego ne cogitata quidem eorum prætermiserim. 2. Quod ad mores & conversationem. 3. Quod ad totum illum vitæ cursum, quatenus ille divina manu regitur: quæ pars vitæ minime contemnenda est, aut leviter tractanda, ac mirifice lectores afficit. * Cum PHILIBERTUS DE LA MARE, Senator Divionensis, vitam Jacobi Guionii describeret, non indignum suâ narratione existimavit, quod non Guionio ipsi, sed Quarræo Collegæ monitum, nescio cujus genii, nocturnam acciderat. * Quam cum mihi historiam recitarit vir Clarissimus, Petrus Axenius, Amicus noster optimus, antea mihi non observatam, qui in commentario suo doctissimo in Phædri fabulas ad illustrandam libri 4. fabulam 23. de Simonide per Castorem & Pollucem a ruina ædium servato adduxerat, huc apponere, ut rem memoratu dignissimam, volui. *Sed me locus admonet, ne rem inauditam hætenus, & ideo seculorum omnium memoria dignissimam præteream; quam, etsi haud pertinere videtur ad Guionios, non abs re tamen hoc loco referre mihi visum est: seu, quia conscius illius fuit ac interpretes Jacobus Guionius; seu, quod vix apud posteros fidem inveniet, nisi testimonii & subscriptionibus probata fuisset; ea tamen fuit: Fæderatorum factione plus justo in Burgundia valente Regiarum partium Præsides ac Senatores Semurium, primarium Mandutiorum oppidum Regis nomine jus dicturi secesserant, cum Divione non liceret; ac inter eos Joannes Quarræus, qui feliciter miscuerat ornamenta toge artibus belli: Is IV. Calendas Augusti MDXCIV. circa secundam diei horam matutinam sibi visus est. motu subito expergescere, & verba quaedam ignota pronuciare, cum famulo propius decumbenti surgere, & lampadem accendere jussu præcepit, ut eademmet verba, quæ, ne sibi claberentur, dentibus quasi retinere videbatur, scripto consignaret in hunc modum: Oug aposondes ton endon distiguion. Quod famulus confestim exsecutus est, neutro eorum, Græcane illa essent, an Arabica, aut alia, sciente. Quarræus quidem, quamvis abunde iis artibus excultus, quæ Viro Senatorio conveniunt, in suis Professionum tabulis, ex quibus hæc historia a me excerpta est, scribit ingenue, se Græci sermonis plane fuisse inscium. Summo demum mane pergens in Senatum Quarræus Jacobo Guionio, quicum illi consuetudo intercedebat, obvius fit, & vix salutatum rogat, ut ille verba, quæ ex sola eorum asperitate Græca esse conjectabat, interpretari vellet; quæ a Guionio lecta, Græca statim esse deprehendit, sed minime ex Homero excerpta, quod putavit novus quidam Philosophus; hæc*

autem ratione describenda: ἐκ ἀπώστωντες τῶν ἔνδον δυστυχίων. Quibus & interpretationem addidit verbis totidem: Non repulsuri, quod intus infortunium. Horum vero cum diu sensum simul perpendissent, & si quid tristius in iis lateret, deprehendere conati fuissent, autor fuit Quarræo Guionius, ut, quia jam ex illa domo, quam Semurū incolebat, migrare, constituerat, quod illius fœtori recurrentem iterum iterumque celiacum dolorem, quem passus fuerat, tribueret, non longiorem in illa moram traheret. Sed longe gravius exitium illa verba portendebant: siquidem post dies octo, cum Quarræus Reipublicæ causa Flaviniacum, Regiarum partium oppidum, perrexisset, domus illa a fundamentis convulsa de nocte repente concidit, fatalique, nec penitus imprævisa Guionio ruina suos incolas oppressit: cujus rei historiam eleganti carmine (ut audio) Guionius postea cecinit, quo tam charum Regi & Reipublicæ caput jure merito tanta clade ereptum fuisse sibi & bonis omnibus gratulabatur, minime omiſsa, ut decuit, Socratis & Bruti geniorum mentione. Memorabilis hæc sane historia est, quæ, etsi ad Guionii personam non pertineret, occasione tamen a Guionio data inductus, minime prætermittendam existimavit Philibertus de la Mare: atque exemplo aliis fuit, quomodo in hoc argumento sit versandum. De Guidone Patino refert, qui epistolas Gallicas edidit, in præfatione earum, adeo illum in vitis eruditorum sagacem fuisse, ut ne minima quidem inexplorata reliquerit.

- 10 Fuere jam tum apud antiquos, qui in hoc genere laudabilem operam posuere; quorum pauci ad nostra tempora pervenerunt. Philosophorum vitas aliqui, aliqui dogmata, aliqui cum vitis simul dogmata scripsere: ac fuere plures sæpe, qui unius Philosophi Historiam tradidere. Ita Gellius *Noct. Atticar. lib. 14. cap. 3.* multos nominat, qui de Xenophontis Platonisque vita & moribus exquisitissime scripserunt. Justinus Martyr in *Παράνεσες* Scriptores Pythagoricæ Vitæ & Historiæ citat. Philo Byblius Grammaticus triginta libros *περὶ πόλεων καὶ ἐς ἐκάστη αὐτῶν ἐνδοξῆς ἡγεμε,* de urbibus, & quos earum quæque celebres genuerit, teste Suida, de quo Jonsius *Histor. Philos. lib. 3. cap. 7.* qui si hodie extarent, illo judice, multis jam rixis de patria virorum illustrium facile remedium foret. Plures e veteribus Biographis, tam Græcis, quam Latinis, recenset Vossius in *Arte Historica cap. 7. pag. 40.* & Wouwerius *Polymath. c. 12.* qui omnes temporum injuria interierunt. De Agatharchide, an Biographis accensendus sit, videatur Jonsius, *lib. 2. cap. 12.* Qui Biographi Philosophici supersint, notum omnibus est. Habemus Diogenem Laërtium, Eunapium, Hesychium, Illustrium, de quibus in *Polyhistore Philosophico* plura. Imperatorum, Cæsarum, Principum in Republica Virorum Vitas recensuerunt ex antiquis Plutarchus, Cornelius Nepos, Suetonius, *Hist. Aug. Scriptores.* * Cum ergo Historia nihil aliud sit, quam Philosophia exemplis utens, vitæ vero descriptio singularis historia sit, quæ unius hominis actiones in Republica describit, ideo accuratius instituenda est, quod *τύπον* illum *πρακτικόν,* qui ex ipsis rerum circumstantiis emergit, evidentius ob oculos ponat; ac simul nexum rerum, quæ ab uno illustri viro, si is inter præcipuos sit, gestæ sunt, apertius demonstrat. Tales ergo Scriptores necesse est *πραγματικῆς* vel

πράγμα.

πραγματομαθῆς esse, qui usum rerum magnum habent, quique φιλοσοφῆν πραγματικῶς didicerunt; qua de re tam multa præcipit in præfatione sua Polybius, in quam legi aureus ille Casauboni Commentarius potest. Est præterea prudentiæ non levis argumentum in iis Scriptoribus, qui ex aliorum hominum vita, quid ex usu præsentis sit, ostendunt, aliosque officii sui admonent. Præclare Böclerus in *Commentar. ad Cornel. Nepotem* medium illud iter vocat, quo inter potentiorum ambitiones media licet via pergere, nec abrupta per suavitatem incessendi, qua accenditur dominandi cupiditas; nec declivi per adulationem & silentium, quo Reip. studium negligitur: *Obvia*, inquit, *morum similitudine, dum alios legunt, sibi occurrunt ipsi, & in censura exterorum, nec opinantes, sua judicari facta intelligunt: nec timenda est indignatio. Vident enim vera narrari, non ludi fabularum colore: neque odio hic locus; sciunt enim ex officio Historici fieri, quod demimus: solus pudor superest, & tacita conscientie admonitio, quæ ut non semper ab incepto revocat audacia consilia; ita cautione nunquam temperat.* Hæc Böclerus recte quidem: sed incidunt interdum tempora, ubi hujusmodi institutum Scriptori odium & obrektionem & vel exitium parit, ut Tacitus in *Vita Agricole c. 1. 2.* testatur. Scilicet schola quædam civilis prudentiæ proponitur in ejus, cujus vitam describimus, exemplo, ut nulla dari plenior informatio possit. * Quid non in *Vita At-* 12
tici, a Nepote scripta; civilis prudentiæ latitat, qui privatus quidem fuit, sed multum potuit in Republica? quo consilio militi suo diligenter legendos suadet Naudæus *lib. 2. de studio militari, p. 510.* eos Biographos, qui Ducum & Imperatorum bellicorum vitas scriptis consignarunt. Ex *Agricole Vita*, a Tacito scripta, quid non discat vir rebus civilibus vel bellicis admotus: si *Vitam Agrippæ* vel *Mæcenatis* haberemus ab Historico veteri consignatam, utilissimum esset ad studium civile: nunc eorum res gestas hinc illinc sparsim collegerunt Böclerus in commentationibus de Mæcenate, & Agrippa. *J. Cæsarem*, quem Suetonius nobis in *Vita* sua expressit, Zevcotius eleganti commentario illustravit, & Stephanus Ambrosius Schiappalaria in *Vita Cæsaris Italica* lingua scripta, Antverp. 1578. in 4to edita, pulcherrime & uberrime suo seculo ob oculos posuit, quid juvent aut obsint in Republ. cives potentes & locupletes, & obstinati. Quot non habemus inter recentiores Vitarum Scriptores, unde multa disci Politico possunt? Ex *Vita Catharine Medice*, quam multa ad res Gallicas pertinentia notari possunt? *Vita Villaregii* a Pastorio in linguam Latinam conversa Ministro Principis proderit. Multi sunt inter Gallos Biographi, de quibus legendus in Bibliotheca Gallica Sorellus. Sunt & antiquorum a recentioribus vitæ scriptæ: qui ex fragmentis corpus aliquod historiæ, sed imperfectæ neque satis connexæ, concinnant: qui Philologi potius, quam veri Politici & Historici, partibus funguntur. Qui Ciceronis Historiam scripserunt, Corradus, Fabricius, aliique, ad intelligenda Ciceronis scripta utilem operam instituerunt. * Sunt, 13
qui ipsi suæ vitæ Historiam texuerunt: nam, Tacito teste, in *Vita Agric. cap. 1.* apud Romanos *plerique suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati sunt.* Nec id Rutilio & Scauro citra fidem & obrektionem fuit. Nostris

Nostro tempore Thuanus, magnæ vir autoritatis, candidissimus Historicus, de
 14 sua vita historiam scripsit, in qua multa, quæ ad statum publicum pertinent: * Ac
 referendi eo sunt libri Commentariorum (*Memoires Galli* vocant) quos viri negotiis
 publicis admoti de rebus suis gestis, quales olim Cæsar, nostro tempore Galli mul-
 15 ti, scripserunt; in quibus enarrandis diligentissimus est Sorellus. * Sunt & alii, qui
 non tam ad civilem prudentiæ usum, quam ad Historiam ipsam respiciunt: quales
 sunt, qui in Familiis veterum Romanorum enarrandis operam posuere, laudabilem
 illam quidem, sed quæ ad rem nostram non facit. Historiæ illi antiquæ magnam
 lucem accendunt; cuius generis Scriptores cum cura & censura sua enarravit Ru-
 pertus in literis ad Albert. Richterum, quæ habentur in *Epistolis Richterianis a pag.*
465. ad pag. 470. Elogiorum quoque Scriptores proprie huc non pertinent: alia
 enim ratione rem suam instituunt. Quomodo hæc Vitarum Scriptores differant,
 16 pluribus ostendit Mascardus *de arte historica, tract. 5. p. 528. 529.* * Nos jam ad Bi-
 ographos recentiores accedimus, quorum vastissima sylva est. Tot enim sunt Vi-
 tarum Scriptores, ut integram penè efficere Bibliothecam possint: quorum Indi-
 cem congeffit Labbeus in *Bibliotheca Bibliothecarum*, uberiores dedit *Teiffierius*; opti-
 mo ordine digestæ illæ sunt in *Indice Bibliothecæ Thuanae*. Magnum hoc ad solidi-
 orem doctrinam arcanum est, Biographos bene habere cognitos, unde non in re
 literaria tantum, sed & civili optima formari prudentia potest. Nos ex ista sylva
 aliquas, quæ majori esse usui possunt, decerpemus.

17 Primo hic loco a nobis ponetur VITA PEIRESCII a GASSENDO scripta.
 Magna diligentia conscriptus est liber iste, continetque varia memorabilia antiqua-
 ria, Philologica, Physica, Politica, quasi per cumulum congesta. Dum enim perse-
 quitur omnes viri istius labores, occasione ista ad multa curiosa, ab illo vel inventa
 vel notata, dilabatur. Plane in hoc labore exercuit ingenium suum Gassendus, &
 dum varia Philosophemata proponit & judicia, pulcherrimis subinde contemplati-
 onibus totam viri hujus Historiam illustrat, & sub illa rei literariæ tum temporis in
 Gallia statum. Oprandum esset, ut simili diligentia illustrium virorum memorabi-
 lia consignarentur, quod fieri non potest, nisi ab amicis & familiaribus, vel nisi ipsi
 Autores vivi rerum suarum Commentarios scripserint, ut fecit Thuanus & alii non-
 nulli, vel saltem lineamenta ejus duxerint, unde perfectum deducere Opus viri ha-
 18 rum rerum periti possint. * Idem Gassendus etiam *Tychonis Brabai, Peurbachii, Re-*
giomontani, & Copernici vitas descripsit, in quibus multa singularia ad rem Mathema-
 ticam & Astronomicam spectantia.

19 JOHANNIS VINCENTII PINELLI VITA scripta est per *Paulum Gual-*
dum, Patricium Vicetinum. Fuit vero Pinellus Patricius Genuensis, vir maximi
 nominis, Philologus, Polyhistor eximius, magnorum in literas & literatos merito-
 rum, quos fovit, ornavit, ope consilioque juvit. Continentur in ejus vitæ descri-
 ptione multa memorabilia & rara. Magnam habuit vir ille supellectilem antiqua-
 riam, ut propemodum factus fuerit ad rem librariam & literariam. Multa
 sunt

sunt in illo libro arcana de parandis libris & MStis. Multa habuit vir ille instrumenta publica & collectanea, quæ ad statum Venetorum spectabant. Quare post mortem Pinelli (nam vivebat Patavii) Senatus Venerus manum injecit MStis Politicis, arcana status sui continentibus, Bibliothecæque suæ publicæ addixit, ne in manus peregrinas devenirent. * Prodiit Vita hæc Augustæ Vindellicorum in 4to A. 1607. 20 postea recusa est in Anglia, curante *Guilielmo Barthesio*, inter ceteras virorum aliquot illustrium Vitas, pag. 314. Quod Opus Londini prodiit Anno 1681. & præter Pinelli hanc Vitam, *Budæi, Hugonis Grotii, Pithæi, Camdeni, Walæi, Petavii, Sirmondi, Petri Molinæi, Henrici Valefii, Jacobi Ufferii Armachani* aliorumque continet.

VITA PAULI SARPII a Patre *Fulgentio* scripta hic nominari meretur. 21
 Quantus vir *Paulus Sarpus* fuerit, non ignotum esse potest illis, qui interiori rei literariæ notitiam habent. * Fuit ille sacri ordinis homo, Monachus, Minorita, (xx) 22
 sed summi ingenii. Ejus extat *Historia Concilii Tridentini*, magna prudentia & ingenuitate scripta, sub nomine *Suavis Polani*, quam inter absolutissima historiæ specimina numerat *Guido Patinus Epist. 170.* Totum Reip. Venetæ statum moderatus fuit consiliis suis. Vindicavit jura ejus adversus Pontificem, qua de causâ summe invidus fuit Pontificiis, & in mortem ejus aliquoties conspiratum; ut sicariorum manibus per vim vix extorqueretur. Illum enim omnibus hæreticis pejorem habuerunt, ut qui arcanorum Pontificii status proditor erat. Spargebatur de ipso fama, quod abutum ad Reformatos meditaretur, quæ non omnino de nihilo est: scio enim superesse epistolas manu ejus scriptas, ad *Isaacum Casaubonum*, quibus sollicitat ipsum de gratia Regis Angliæ sibi concilianda; si forte illic fortuna iniquior ipsum abigeret. * Vita ejus conscripta est *Italica* lingua; postea in linguam Gallicam con- 23
 versa prodiit Lugduni Bat. in 12. Ann. 1661. sub titulo *La vie du Pere Paul.* Multa sunt in hac descriptione memorabilia ad omnem rem literariam: habuit enim excellentissimum ingenium, quod per omnes scientias, artes, & linguas se diffuderat. * Promptus erat consilio, animo semper præsens, extrema vitæ pericula summa 24
 generositate contemnens, & ut breviter dicam, sui temporis Phoenix. Multa enim ille in Phisicis & Mathematicis demonstravit extemporali pene solertia, quæ desperata aliis videbantur. Celebratam apud Medicos circulationem primus ille ante *Harvei* tempora ostendit, quod cum objiceret *Bartholinus* Anglis, ægre admodum tulerunt, ejus inventionis gloriam dubiam sibi reddi. Sed dolendum est, omnes illius viri chartas periisse, ac distractas post mortem ejus fuisse; nihil enim horum serio scripsit, & data opera; sed quasi aliud agendo, cum vacatio esset a publicis negotiis. Illa omnia prolixius recensentur in hoc libello, ac notanda sunt, ut videamus, quam multæ & vulgo ignoratæ opes lateant sæpe in ingenio, quorum vix notitia publica est. Quo magis illorum industria incitanda est, qui in peregrinationibus suis ad talium virorum amicitias admittuntur, ut omnibus artibus e scriiniis illorum extrahere contentur, quicquid forte illic delirescit. Qualia multa sunt per Italiam Galliamque ingenia, de quibus nulla ad nos defertur notitia.

E e 3

*Pro-

(xx) *Paulus Sarpus* non fuit Minorita, sed Ordinis Servitarum Monachus.

25 * Prodiertunt Ann. 1673, ejus quaedam literæ Italica lingua scriptæ, proposito Veronæ ficto, ut patet, nomine; quibus continentur intimiora illa Politica superiorum temporum in aula Cæsarea, Pontificia, & Venera, quibus immiscentur nonnunquam quaedam literata.

26 VITA PETRI PUTEANI a RIGALTIO scripta, multa habet præclara. Magna fuit Puteanorum olim celebritas. Illi sunt, per quos Excerpta Scaligeriana congesta sunt. Petrus Puteanus fuit Regi Galliæ a Consiliis & Bibliothecis. Qui ejus Vitam descripsit Rigaltius, ad multa respexit, tum quæ ad rem literariam spectant, tum quæ ad res Civiles; quanquam intimioribus adeo consiliis admotus ille non fuerit. Non fuit tamen facile illo peritior Juris publici Gallicani aliorumque

27 Statuum. * Præcipue magna ejus cura fuit in colligendis actis publicis. Gallica sola quinquaginta vastis libris collegit, quorum titulos hic recenset Rigaltius, unde exemplum capere Politicus possit, quid ipsi agendum sit in scriptis talibus colligendis. Si quis enim illo modo disposita habeat Imperii Romani Principum jura, quantum ille thesaurum possideret! Mature itaque, atque adeo ab ipsa juventute instituendi sunt tales libri Politices Studiofo, in quos vel acta ipsa referat, vel si haberi non possunt, ex ipsis potiora excerpant. Pinellus, de quo supra mentionem fecimus, Status Veneti arcana penetravit: Puteanus noster Gallicana. Ita omnium aliorum statuum res & jura exquiri possunt, si quis cum cura illud agat. Ille labor præcipue in Germanis Conringium exercuit, quibus ille initiis; vel ipso non dissentente, tantam sibi experientiam & prudentiam conciliavit. Recusa est hujus Vitæ historia, inveniturque inter ceteros Virarum Scriptores, a Bathesio collectos p. 660.

28 VITA DUCIS VALENTINI descripta est a *Thomaso Thomasi* lingua Italica, editaque Anno 1655. Claramontii in 4to. Panditur hic scelerum & nequitiarum officina: continentur enim in hoc libro omnes illæ fraudes & artes, quibus usus est *Cæsar Borgias*, Dux Valentinus, Alexandri VI Pontificis patris nequior filius, homo astutissimus & tyrannicus, ad imperium Galliæ Cisalpinæ sibi parandum, quo tamen ille consilio excidit, fatis obstantibus. Hujus Principis ideam Machiavellus descripsit. Liber enim ejus de Principe eo fine scriptus, ut hoc exemplo illum depingeret omnibusque ob oculos poneret. Prodiit & in Gallicam linguam conversus ille liber ante novem annos, editus in Batavis in 12. Inspecere & in malorum hominum vitas, tanquam in speculum, possumus: non ut discamus ab illis fraudes; sed ut evitare illas sciamus; ne plane simus in technis illis hospites. Videas hic machinationes machinationibus, dolos dolis oppositos, & varie inter se mistos pro scopo obtinendo. Hoc legenti jucundum erit, characteres causarum & ingeniorum nosse, unde regulas sibi quisque suas pro prudentia formare poterit, & vitæ rationes subducere, qui in aula consiliis præest, & aliorum evertere dolos, qui res novas moluntur, & tyrannidem

29 affectant. * Sunt quidam, qui malorum hominum vitas non putant scribendas, eoque nomine reprehendunt Tacitum, quod narrando facta malorum Principum parum absit a docente: cum bonorum exempla non solum cognitione boni nos instruant, sed

sed etiam ad imitandum excitent. Verum cum major hominum pars mala sit, etiam eorum ingenium nosse debent boni.

VITAM HENRICI VII, REGIS ANGLIÆ, a Bacone Verulamio scriptam, priori subjungimus. Ut enim pessimi tyranni vitam descriptam dedimus sub persona Cæsaris Borgiæ, ita optimi Principis historiam πολιτικοῦ αἰῶνος libro complexus est Verulamius; quam ideo scribendam suscepit, ut responderet calumniatoribus suis, qui scholæ illum & contemplationibus aptiorem existimabant, quam rebus gerendis, ac ut singularem etiam his peritiam ostenderet. * Plenum hoc omnis civilis & architectonicæ artis opus; quo interiora tum regni ipsius Angliæ, tum omnis in universum prudentiæ continentur. Invenies hic pacis & belli artes, in praxin ipsam deductas: nam e typo illo περιστατικῶ plus intelligitur, quam ex infinitis præceptis. Maximi facit hunc librum passim in scriptis suis Bœclerus, omnibusque commendat, ut sane commendari hilibri omnibus debent, in quibus quisque describitur, qualis in imperio fuerit, & qualis interior ac familiarior vita. Nam τὸ ἰδιῶν & τὸ πολιτικῶν hic utrumque spectandum est.

VITA PHILIPPI MELANCHTHONIS scripta a Joachimo Camerario in re Ecclesiastica & literaria non exigui momenti est. * Quantus vir fuerit Philippus Melanchthon, nemo ignorat; pluris sane æstimandus, quam vulgo fit, Primus ille in Germania disciplinarum omnium & purioris Theologiæ cum Luthero restitutor, nullum eruditionis genus intactum reliquit, ut in singulis habitare, non peregrinari, videretur. Nervos in illo & impetum requirunt nonnulli, sed tamen nec illud extra laudem est. Ut enim habuit ingenium compositum & moderatum, & ab affectatione omni alienum; ira talem se quoque in omnibus vitæ actionibus & scriptis exhibuit. Stylus ipsi purus & limpidus, nonnunquam humilis, nonnunquam assurgens: plena tamen ingenii & prudentiæ omnia. * Ejus viri vitam descripsit Joachimus Camerarius, vir suo tempore doctissimus, & intimioribus literis præ omnibus in Germania excultus. Multa discas ex illo, quæ pertinent ad statum literarium & ecclesiasticum: omni enim scenæ, quæ tum adornabatur, vel præfuit vel interfuit Melanchthon, nomen omnibus Germanis merito venerabile. His addi possunt aliorum Theologorum Protestantium vitæ, tum, qui singulatim prodire, tum quæ ex iis excerpit Melchior Adami, e quibus sic inter se junctis multa addisci possunt, quæ ad statum Ecclesiæ Protestantium pertinent, ut Melanchthonis Historia multa continet Historiæ literariæ. Ejus judicia de optimis Autoribus, Patribus, Oratoribus, Poëtis, ex omnibus ejus scriptis collegit uno volumine Georgius Richterus: sub titulo: *Crisis Melanchthonianæ*, de quo supra diximus. * Ejus Camerarii Narratio extat de Eobano Hesso, qui fuit suo tempore inter Poëtas præcipuus; de compluribus aliis ejus ætatis doctis & eruditis viris aliqua memorat. Adjectæ sunt Epistolæ Camerarii & Eobani Hessi mutua, omnes eruditæ, & rebus literariis referatæ.

Ad res illorum temporum sacras & literarias plenius noscendas omnino JOHANNIS REUCHLINI Phorcensis Legg. D. qui se Capnionem vocabat, qui que Melanchthonis Præceptor fuit, VITA pertinet. Ille enim, exciratis Hebraicis & Græcis literis adver-

adversus rabiosam Monachorum pertinaciam & Judæorum quorundam perfidiam januam aperire elegantioribus & purioribus studiis visus est. Ab hoc quasi aurora eruditionis illucescere cœpit, unde potius a luce Phosphorus, quam a fumo Capnio dicendus. * Ejus vitam Georgius Pflugerus, Joannes Murmelius, Paulus Merula, scripsisse dicuntur Teiffiero, quos tamen non vidi. Strictim enarravit Melchior Adami: sed nunc plenissimam & uberrimam dedit *Joannes Henricus Majus*, itidem Phorcensis, & in Gymnasio Durlacensi Profess. P. & in templo primario Pastor: qui primum Orationem Inauguralem de eo habuit, sed postea prolixis & utilissimis notis illustravit, optime de civē suo bonisque literis meritus. Editus est liber Durlaci Anno 1687. in 8. ac multa memorabilia continet.

38 VITA PETRI LOTICHII SECUNDI per Johannem Hagium scripta, non
39 pauca erudita continet. * Fuit Phœnix Poëtarum Germaniæ Lotichius, omnibus
40 exteris si non superior, certe æqualis. * Hujus tamen vel ipsis Germanis pene ignotum nomen est: exteri nullam ejus mentionem faciunt. J. C. Scaliger, cum censuram Poëtarum Germanorum instituit in Hypercritico suo, ne verbum quidem de hoc nostro, qui tamen omnibus ceteris erat antefereendus. Mira in illo suavitas & concinnitas carminis, & vix imitabilis, ut mihi superare interdum ipsum Ovidium, ac Virgilianam in Eclogis suavitatem unus exprimere videatur. Multa habet vita ejus memorabilia, quæ ipsi per Italiam Galliamque peregrinanti obtigerunt: multa in illa de viris doctis notitiæ. Dolendum, immaturo fato & in ipso flore ætatis, anno scilicet 32. obiisse e philtri reliquiis, quod ipsi in Italia propinatum fuit. Solus inter Batavos Heinsius tam candidus fuit, ut æstimaret ipsius ingenium *lib. 2. Eleg. 2.* quam in obitum Taubmanni scripserat. Ira enim ille non minus honorifice, quam vere:

*Hic sedet & priscos Lotichius ardet amores.
Hoc nullum majus gens tua nomen habet.
Nec negat hoc Naso, lateri cui proximus hæret,
Nec negat hoc Nemesi nunc quoque junctus amans.
Nec negat hoc Veneris puer & Cythereia mater,
In terris alium vix habitura parem.*

Non satis pro dignitate viri judicavit Thuanus, qui illi Eobanum Hessum præponit; quo ille non solum, sed & omnibus ceteris est superior: quod ostendit cognatus ejus, JOHANNES PETRUS LOTICHIIUS in *Promulsæ Critica*, sive *Censura super Poëtis novantiquis*, Francofurti Anno 1645. edita: ubi multis argumentis ostendit, non Eobano tantum Hesso, sed & ceteris omnibus superiorem esse Lotichium Secundum. Qua in re, etsi nihil a vero alienum dixit, non deerunt tamen, qui vel immodestiam, vel affectum ejus nimium, hic reprehendant. Videndum etiam est Lipsii de Lotichio elogium, quod legitur *tom. 2. operum p. 74. lit. B.* * Illud singulare in hoc viro & propemodum divina est, ac plus quam Poëticum ἐνδοξασµὸν arguit, quod in *Elegia 4. lib. 2.* ad Joachimum Camerarium scripta tristissima obsidionis & expugnationis Magdeburgensis fata integro seculo prædixerit. Res omnino notatu digna, ac
Elegia

Elegia illa pulcherrima est. Hæc ille aurea carmina, quod mireris, inter armorum strepitus ipse miles scribebat.

CHRISTOPHORI FORSTNERI VITAM, vel potius Elogium, 42
 scripsit Bœclerus. Dignus certe tanto viro Panegyristes. Nam non tantum in elegantissimis suis in Tacitum Commentariis, quantus vir fuerit, ostendit; sed & in luce ipsa atque actione prudentiam suam declaravit. * Maligne de tanto viro judicat 43
 AMELOT DE HUSSAYE in judiciis de Taciti Commentatoribus, quæ Moralibus suis præmisit, cum dicit, familiari illo in Germanos convicio, Forstneri Commentarium nihil esse, nisi Locos Communes, exempla male sæpe adduci, neque quicquam conferre ad Politicam. Longe sanius Bœcleri de eo judicium est, peritioris in isto negotio arbitri, quam est iste Amelotius. * Ex hac ejus Vita unum hoc memorabile 44
 de Thoma Campanella hic adducam. *Non prætereundum est, inquit Bœclerus, quod in Italia, cum Campanellam inviseret, ei usu venit. Tenebatur ille in custodia, nec ad videndum nisi custodibus arbitris quisquam admittebatur. Plures una acceperant, & de more evilibellos colligendis illustribus nominibus destinatos Campanellæ in cubiculo tradi jusserant. Postquam inscripserat is, quæ voluit, admissos contemplatus, sine hæsitacione Forstnerum nunquam antea visum nomine compellavit, manuque prehensum de futuris honoribus & quibusdam aliis eventibus edocuit. Extitit fides prædictis: sive ex liberali & multarum bonarum rerum indice facie feliciter conjecturam facere contigit; sive veterem de divinatione prudentum sententiam, ad hoc quoque præsagiorum genus, monitu exemploque Cardani referre, fas est. Quamquam tutius est in his facta scire, causam ignorare.*

WALLENSTEINII a GUALDO scripta lingua Italica; & postea in 45
 Latinam conversa a Josua Arndio, ejusque notis politicis illustrata, multa continet præter historiam, quæ ad officium Ducis bellici pertinent. * BEMBI Cardina- 46
 lis & CONTARENI VITA a JOHANNE CASA scripta, præter singularem Latinæ linguæ nitorem, qua ejus monumenta Latina commendantur, multa ad rem literariam & civilem pertinentia tradit. * ANTONII MARIÆ 47
 GRATIANI libri de Casibus Virorum illustrium & de Vita Commendoni ad res civiles commendari debent, quorum singularis etiam in lingua Latina nitor est.

• Multa possent de Vitis singularibus, quas Autores certi scripsere, dici; sed 48
 omnes illas recensere & operosum nimis esset & supervacuum: sufficere potiores aliquas notasse. Si quis nomina aliorum, qui Vitas scripserunt, nosse velit, adeat Bibliothecam Thuanam, Cordesianam, & Theissierii Indicem. Sequuntur jam illi, qui vitas multorum autorum scripserunt, uno volumine comprehensas, plerumque in Elogiis subsistunt, & raro ad specialia descendunt. * Habemus collectas a 49
 JOH. JACOBO BOISSARDO *Vitas Virorum illustrium* cum iconibus, qui liber editus est quatuor partibus Francof. A. 1597. Imagines adjecit *Theodorus de Bry*. Breviter omnia & satis nervosè inde excerptit *Melchior Adami*, ut carere, quantum ad Germanos, hoc Boissardo possint, qui Melchioris Adami Vitas habent; nisi quis iconibus delectetur, quæ tamen plane non sunt ad vivum factæ.

- 50 **MARTINUS HANCKIUS** scripsit libros duos *de Romanarum rerum Scrip-
toribus, tam veteribus, quam novis*; atque ita ordinavit, ut primo vitam recenset, se-
cundo scripta, tertio judicia variorum Auctorum. Idem *de Byzantinarum rerum Scri-
ptoribus* librum eadem methodo confecit, Lipsiæ editum Ann. 1677. Multa quidem
debet Vossio; sed labor tamen non inutilis est, cum sic ordinatè procedat, & va-
ria tamen alia misceat. Indices adjecti secundum seriem temporum & no-
minum.
- 51 **JOHANNES IMPERIALIS** scripsit *Museum Historicum & Physicum, sive
Elogia Virorum literis illustrium* in 4to Venetiis apud Juntas 1640. impressa. Bonus
ille liber est: multa continet de viris doctis memorabilia, quorum elogia non so-
lum descripsit, sed & singularia sæpe immiscet. Alioquin Elogiorum Scriptores
non tam plenam fidem merentur, quam Virarum Scriptores: aliquid hic interdum
affectibus datur; sed si citra partium studium scripta sint, breviter & velut in typo
characterem viri literati ob oculum ponunt.
- 52 **LAURENTIUS CRASSUS** scripsit *Elogia hominum literatorum* Italica
lingua in 4to. Editus ille liber Venetiis est, duabus partibus 1668. in 4to. Conti-
netque varios per orbem terrarum literatos, de quibus ille interdum nonnulla re-
fert, quæ alibi non facile invenias. Nescio tamen, an sincera omnia fide: credo
enim multa illum ex aliorum relationibus hausisse. Recenset ille libros Auctorum
editos ac ineditos, & nonnulla de utrisque judicia sæpius inspersit. Notat etiam,
ubi inveniri possint MSei quorundam Auctorum labores; quod utile multis modis
esse potest. De Scaligerianis & Salmatianis scriptis multi illic nominantur inediti,
de quibus nullam apud alios mentionem fieri vidi. Non pauca ex hoc Autore di-
dici, quæ faciant ad historiam virorum doctorum. Adjunctæ etiam sunt imagines.
Scripsit idem Italica lingua *Historiam Poëtarum Græcorum*, & qui in Græca lingua
carmina scripsere: quæ in folio edita est Neapoli 1678. Alius Nicolaus Crassus
Venetorum Patriciorum Elogia scripsisse perhibetur.
- 53 **GALEAZIUS GUALDUS PRIORATUS** scripsit lin-
gua Italica librum, cui titulus *Scena d'huomini illustri d'Italia*: qui editus est Ve-
netiis 1659. in 4to. quo continentur varii viri illustres ex Italica gente, & doctrina &
fortibus factis celebres: hos enim viris doctis miscet.
- 54 **HIERONYMUS GHILINUS** scripsit *Theatrum hominum literatorum* Ita-
lica lingua, quod Venet. Ann. 1647. in 4. editum est; ac pene eodem modo ac for-
ma, quæ Laur. Crassus suos Viros doctos descripsit, libros editos ac ineditos diligen-
ter recenset. Hujus rei magnus usus est in notitia exoticorum Auctorum, qui vario-
res sunt apud nos.
- 55 **ANDREAS THEVETUS** scripsit *Imagines & Vitas Virorum illustrium Gallorum*,
in fol. Paris. An. 1648. Gallica lingua. Longe plenior est illic narratio, quam apud
ceteros Auctores Gallos, qui Vitas popularium suorum descripserunt: quorum omnium
56 Elenchum vide apud Sorellum in *Bibliotheca Gallica pag. 150.* ubi & judicia de iis. * Si-
mili ratione **ISAACUS BULLART** librum scripsit Gallica lingua, magnifico
titulo:

titulo: *Academia Scientiarum, qua Vitæ, Elogia, Historica & Imagines hominum illustrium, qui aliquot a seculis inclaruerunt, continentur.* Liber editus est Amstelodami in folio An. 1683. duobus Voluminibus.

JOHANNES PAPIRIUS MASSONIUS in Senatu Parisiensi & in regia 57
Advocatus, edidit Paris. 1656. in 8. *Elogia sua, inscripta Petro Segviero, Franciæ Cancellario.* Partes duas elogiorum fecit: prima Regum, Ducum & Heroum Virtas recenset; altera Virorum eruditorum, sed quos Gallia protulit; breviter omnia, nec sine panegyricis coloribus. Invenies tamen nonnunquam, quæ ad rem seu notitiam literariam prodesse possunt.

JULIUS CÆSAR CAPACCIUS scripsit *Elogia illustrium mulierum ac virorum* 58
in 4to Neapoli 1698. * Ne mulierum quidem laudes celari debent, quas & olim 59
habuimus, & nunc habemus doctissimas. Non invidiosum viris esset, has sibi ad-
jungere Veneres. Habuimus Philosophas, Poëtrias. Ante aliquot annos in Acade-
mia Patavina publicam Facultatis Philosophicæ lauream reportavit cujusdam Pro-
curatoris S. Marci filia *Elena Cornara Piscopia*; de illa habetur in Ephemeridibus Gal-
licis, & apud Gregorium Letum *in Italia regnant. part. 4. lib. 1. p. 43. & sqq.* In Theo-
logia eandem petitura erat, nisi obstitisset Cleri autoritas; indignum enim crede-
bant, mulieri docendi in Ecclesia munus conferri, cum sacris literis hoc repugnet.
Consilium hoc in animo habuit Capaccius, ut feminarum quoque illustrium memo-
riam celebraret; quod nostro tempore fecit *Thomasius*; cujus extant de eruditione
feminarum aliquot dissertationes, Lipsiæ habitæ. Vir doctissimus, *Orbo Sperlingius*
integrum in Mulierum doctarum gratiam Opus molitur, a primis temporibus ad
nostra usque productum. *Capaccius* gentis suæ feminas recensuit & viros. *J. B.*
Fregosus scripsit de Feminis, qui doctrina excelluerunt, teste Ghilino *part. 1. Theatr. p.*
96. Vincentius Placcius de scriptis & Scriptoribus juvenilibus ac muliebribus
librum promisit.

JANI NICII ERYTHRÆI fictum nomen est; verum, Johannes Victorius 60
Rossius, sive Johannes Vincentius de Rubris. Magnæ dignitatis vir in aula Roma-
na *Pinacothecas Virorum illustrium* scripsit in 8. quæ nomen quidem Coloniae præfe-
runt; sed in Batavis impressæ sunt An. 1643. & 1645. Exquisitus Latinæ linguæ
nitor in hoc Opere est. Multa memorabilia habet circa rationes vivendi & studen-
di viris eruditis singulares. Multa de eorum controversiis & disputationibus, arti-
bus, technis, libris; quæ omnia illic magna cum utilitate & voluptate legi possunt.
Ut enim erat Vir & doctus & prudens, ita multa observat in vitis doctorum viro-
rum, quæ non observarunt alii. * De illo videtur loqui *Maresius Ep. 27. lib. 2. Nu-*
per Italus tres libros de viris illustribus edidit, ferme omnibus Italis, qui his 50. annis vi-
xerunt. Inter hos vix quinque sunt in literis Latinis tolerabiles. Sed maligna hæc
censura est: est enim optimus labor, & quod potissimum est, characteres *hædæ* vi-
rorum doctorum magna cura proponit. Quod si omnes æque fama celebres non
sunt, tamen & vulgo ignoratos nosse interest, in quibus plus interdum sapientiæ,
quam in aliis, latitat.

SCÆVOLÆ seu GAUCHERII SAMMARTHANI & ABELII illius filii 62

- extant *Elogia, Vitæ* & alia Opera edita in 4. Paris. Ann. 1633. Fuere Viri eruditissimi, iudicio solido, & ab omni adulatione remoti. Verum Oratoris potius, quam Historici partibus funguntur. Nihil enim de scriptis illorum habent, quod tamen potissimum hic erat. Characteres & lineamenta potius ducunt. Scævola ob Poëmata sua Virgilianum aliquid spirantia notissimus eruditus. Quidam illum omnibus sui seculi Poëtis præferunt. Varia de iis & Abelii Sammarthani Poëmatibus iudicia collegit Bailletus part. 3. tom. 4. de Poëtis p. 166. & sqq. * De his Elogiis ita Marefius lib. 2. Epist. 25. *Nostrorum vitas Sammarthanus scripsit versu, quam prosa, melior, cujus soluta oratio etiam poësin redolet. Eæ fere sunt uniuersum, & in doctorum Catalogum multos e Senatu & alios refert: qui multa scripta reliquerunt, quique alioquin non magni fuerunt in literis nominis.* Laudat eo loco Michaëlem Marolium Villa Lupensẽm Abbatem, qui Vitas scribendas suscepit, de quo nihil hætenus vidit. * Promisit & Guido Patinus Epist. 133. ad imitationem Sammarthani, *Elogia Gallica: J'ay autrefois ramassé rien de mémoires pour faire des Eloges Latins des François illustres en Science, à l'imitation de Mr. Scévola de Ste. Marthe, à quoi je pourrai travailler l'Hiver prochain pendant les soirées, mais le nombre des malades me fait peur, c'est ce qui fait que je n'ose le promettre absolument.* Et in fine Epistolæ hæc habet: *Si Dieu me fait la grace d'en venir là, je ferai mes éloges plus beaux, plus curieux, & plus historiques que ceux de Monsieur de Sainte Marthe, auxquels ils ne céderont que pour l'expression. Je n'y mettrai que d'honnêtes gens & dont le mérite fera la dignité.*
- 65 VITÆ JURECONSULTORUM non sunt plene tractatæ. Si veterum haberemus Vitas diligenter descriptas, multum hinc lucis accederet Jurisprudentiæ: imprimis si Commentationes illorum ad leges cum curâ recenserentur, quantum de iis haberi possit e fragmentis Jctorum, quæ in Pandectis habentur, & ex Oratoribus & Historicis.
- 66 * Si non omnibus numeris absolutum, saltem non inutilem præstitit laborem JOHANNES BERTRANDUS, Præses Tolosanus, cujus extant de *Jurisperitis libri duo*, Lugduni Batav. recusi An. 1675. in 8vo. Promisit pleniùs de *JCitibus veteribus* Opus Vir doctissimus, ÆGIDIUS MENAGIUS, ut videre est in Præfatione illa, quam præmisit amcenitatibus Juris civilis, quæ nunc auctiores editæ sunt. Quod si illud Opus ad finem perducturus sit, gratulabimur orbi erudito. Cura circa recentiores Jctos quorundam exigua est, ut *Job. Eichardi, Rutilii, & Guidonis Pancirolli*, qui postremus diligentius rem suam instituit. Ejus de claris legum interpretibus libri quatuor prodierunt Venetiis in 4to An. 1637. & denuo ibidem An. 1655. *Germanorum Jctorum Vitas* usque ad sua tempora dedit MELCHIOR ADAMI. *Speciales quorundam Jctorum Vitas* descripsert CUIACIUS & BALDUINUS: quam hic Antonio Matthæi ut plagiarius vapulat; nam elogio Massonii indignatur,
- 67 qui ipsum Cujacio comparaverat. Sed de his plura alio loco. * Nuper adeo laudabile consilium suscepit FRIDERICUS JACOBUS LEICKHERUS, qui Lipsiæ An. 1686. *Decadem Vitarum integrarum*, non in Compendium contractarum, edidit, ut N. Boërii, A. Augustini, F. Hotomanni, B. Brissonii, Pitheci, G. Budæi, A. Goveani, Cujacii, J. Bertrandii,

trandi, G. Pancirolli, quæ a viris doctis scriptæ, & ab illo notis eruditis illustratæ sunt. Promisit, plures se ita junctim editurum, quo non Jurisconsultos tantum, sed viros doctos omnes, sibi obtringeret. In Theologorum quoque, Medicorum & Philosophorum Vitis nihil perfectum & absolutum est.

Enarravit quoque PAULUS PELISSONIUS vitas eorum & scripta; qui 68 Academia Gallicæ interfuerunt, de qua singularem ille librum scripsit, supra nobis memoratum. De hujus Academia consiliis & censendi ratione multa monet Bailletus *Tom. II. p. 163. 164. 165.* Idem cujusdam *du Saussay* Episcopi mentionem facit, qui collectionem Scriptorum Mysticorum, qui primo sæculo vixerunt, instituerit. Vocat multæ lectionis virum, sed simpliciorum & exigui judicii. Eodem loco *pag. 171.* recensentur *Lanovii Historia Collegii Navarræ.* Bonciario delata fuit provincia scribendi de Viris illustribus Perusinis, teste *Eryth. Pinacoth. I. pag. 99.* Anglorum, Virorum tam illustrium quam doctorum, aliquot Vitas descripsit WILLIAM WINSTANLEUS libro, cui titulus: *England's Worthies.* Proponuntur hic Vitæ a Constantino M. usque ad mortem Cromwelli. - Liber Anglicæ lingua editus est Londini Anno 1660. in 8vo.

Non omittendi quoque sunt insignes artifices, Statuarii, Pictores, Musici, Ar- 69 chitecti, quorum Vitæ etiam notandæ sunt. Disputatur quidem a nonnullis, an eorum Vitæ scribi mereantur, præcipue a Patricio *dialogo de Historia octavo.* Sed recte contrariam sententiam defendit Vossius de *arte historica Cap. 17.* * GEORGIUS 70 VASARUS, tam penna, quam penicillo celebris, scripsit Italica lingua tomis aliquot *Vitas pictorum & statuariorum, & architectorum illustrium:* qui liber editus est Florentiæ apud Juntas An. 1568. in 4to. De illo videatur Ghilin. *Theatr. part. 2. p. 17.* Adeo solliciti etiam Itali fuerunt, ut excellentium artificum Vitas descriptione dignas judicarent: quod utinam aliis quoque gentibus persuaderi posset. * Facit 71 enim hoc ad conservationem ipsarum artium & inventorum singularium. Habent enim plerumque singuli artifices aliqua, quæ ipsorum ingenio debentur: quæ si cum delectu & bona fide notarentur, magnum in vita civili usum haberent. Ne quid dicam de commodis, quæ inde ad Mathematica & Physica studia perveniunt. Turpe est, Germanos nostros non esse ea de re sollicitos, inter quos magna est artificum industriorum & solertissimorum copia, quorum ipsa sæpe cum Autoribus pereunt inventa. De Pictoribus quibusdam in Germanica lingua memoriæ quædam apud Sandraturum extant: sed infinita alia possent colligi. * Ingens aliquod 72 corpus & Systema, quo omnium pictorum, veterum & recentiorum, Vitas comprehendit, moliebatur FRANCISCUS JUNIUS, qui olim ipse de *pictura* librum edidit. Ostendit mihi ipsi, cum essem in Batavis, librum a se scriptum, satis copiosum & vastum; qui an unquam edendus sit, ambigo: Typographum enim, qui sumptus erogare veller, invenire non potuit. (yy) Nunc forte vivere desuit Vir ille

F f 3

tum

(yy) Franc. Junii Labor iste de Pictoribus una cum Libris ejus III. de Picturæ auctoribus, Roterodami

73 tum temporis octogenarius. * Nostra ætate CAROLUS DATI scripsit *Vitas Pictorum Antiquorum*, Florent. editas Anno 1667. in 4to.

C A P. XX.

DE FRUCTU OMNIS HISTORIÆ BIBLIOTHECARIÆ.

f. 1. Transitio. 2. Magna Historia Bibliothecariæ utilitas. 3. Hinc universalis aliqua scientia speranda. 4. Consilia ejus adornande proponuntur. 5. Quirini Kulmani 6. & aliorum promissi labores. 7. Librorum ineditorum investigatio publice utilis. 8. Eorum multi veris autoribus per plagium surrepti. 9. Catalogi omnium autorum consiendi methodus. 10. Inventorum & experimentorum commemoratio. 11. Ejusdem utilitas. 12. Nova Machina Urinatoria, cujus ope per aquas ambulare possumus. 13. Ea jam tum a Pegelio. 14. & Petro Mornio publice proposita. 15. Magna ex inventorum historia utilitas. 16. Inventorum scriptores ex antiquis. 17. Beccheri liber Germanicus, cui titulus Stulta Sapientia, & Sapiens Stultitia laudatur. 18. Itineraria Monconisi, Thevenotii, Ogerii laudantur. 19. Et Epistolarum nonnulli Scriptores. 20. Ex Patini Epistola inventum singulare pro calefaciendis conclavibus producit. 21. Joannis Pellii consilium pro scientia Mathematica universali adornanda. 22. Idem fieri in ceteris disciplinis potest. 23. Summa inde eventura utilitas. 24. Placcio aliqui in hoc argumento libri promissi.

Percensuimus hætenus Autores Bibliothecarios, qui vel de Bibliothecis in universum, vel de Bibliothecis singularum Facultatum ac omni re literaria egerunt; ita tamen, ut non omnes minutias persecuti simus, indicium tamen dediderimus, unde illæ petendæ: nunc dicemus aliquid de fructu hujus laboris, ne quis existimet, intra solam nomenclaturam rem illam consistere. * Monuimus jam in ingressu Operis, quantum momenti sit in Historia literaria, & quam difficile sit illius fundum emetiri, quam difficultatem utilitas infinita solari poterit; quare fuerunt non pauci, qui conatus quosdam ad rem illam attulerunt, sed irritos hætenus & spe sua destitutos. Non vero adeo desperata res esset, si certo ordine & probe dispersitis operis institueretur. * Fuerunt, qui universales scientias methodo secreta & singulari excogitarunt, cum crederent, se summas omnium rerum rationes animo complecti posse, atque ita universali quodam typo omnis doctrinæ abdita se comprehensuros.

Roterodami Anno 1694. in fol. sub hoc prodiit Titulo: *De Pictura Veterum Libri III. tot in locis emendati, & tam multis Accessionibus aucti, ut plane novi possint videri. Accessit Catalogus adhuc ineditus Architectorum, Mechanicorum, sed præcipue Pictorum, Sculariorum, Celatorum, Tornatorum, aliorumque Artificum, & operum, quæ fecerunt, secundum seriem Literarum digestus.* Debetur hæc editio Viro Celebrissimo, Joh. Georg. Grævio, qui Vitam etiam Junii præfixit.

furos. Sed steriles fuisse hos labores jamdudum compertum est: sola perfectæ omnium rerum cognitioni viam sternit Bibliothecaria noticia; quæ, quamdiu non est tota exulta, non sperari poterit perfectæ & universalis omnium sæculorum & artium doctrina. At verò rem infinitam postulas, dixerit aliquis: imo non est infinita, & satis commode finibus suis coërcebitur, modò in promptu sint subsidia ad illam rem idonea. * Sunt vero ad illa sumptus necessarii a Magnatibus submini- 4 strandi, quod palmarium in hoc negotio est; privatorum enim sortem & conditionem conatus illi excedunt: deinde doctorum ad eundem scopum conspirantium æqualis propensio, unius prudentis & docti viri auspiciis ordinata; qui si laborem illum per disciplinas distinctum susceperint; a pluribus aliquot annorum cursu facilius hoc expedietur negotium, quam ab uno homine integro sæculo.

Seligantur ergo homines singuli in arte sua & disciplina, quam profitentur, excellentissimi, qui laborem hunc aggrediantur. Distinguantur primum disciplinæ notionales à realibus: in illis intricatior proficiendi ratio est, ob multitudinem sectarum & opinionum, non tamen omnino impossibilis: in realibus disciplinis, ut Physica & Mathesi, quæque illis subordinantur, promptius procedere possumus; in singulis vero peculiare quædam rationes ineundæ sunt, secundum quas institui hæc tractatio debeat. * Fuit ante aliquot annos QVIRINUS KULMANNUS, juvenis 5 ingenio non destitutus, qui in *Prodrómo suo quinquennii mirabilis*, & in *Epistolis de arte magna sciendi*, seu *de combinatoria*, magno apparatu promisit artes magnas, ut vocat, artem nempe magnam eloquentiæ solutiæ & ligatæ, artem magnam sciendi, artem magnam scribendi, linguas discendi, commentandi, Critices & multa alia: quæ ille, quasi divino spiritu edoctus, proponere hominibus voluit, ut essent prodigiorum ac miraculorum instar. Verum hætenus præter titulos non vidimus: & fuit ille homo, utut ingeniosus, nescio quibus fanaticis opinionibus imbutus, quæ infringunt omnem hujus doctrinæ apparatus. Erat verò illa non tam speculatione inani, quam lectione diligenti & attenta veterum ac recentiorum scriptorum auctorum absolvenda: quam viam homo ille spernit in solis ingetii, alioquin non vulgaris, commentis subsistens. Pleraque enim illa, quæ ut nova ac divinitus quasi inspirata venditatur, vel ab aliis jam tum designata fuere, vel ex re ipsa facile se produnt. * Fuerunt & alii, ut *Lullius*, *Paulus Scalichius*, qui singulares rationes commen- 6 ti sunt novæ ac universalis doctrinæ. Sed, cum vetera omnia spreverint, non poterunt recto ordine incedere. Commentitia enim omnia fuerunt, & illi *divodit- dæxlor*, de quibus *lib. 2. plura*.

Ut itaque rectiore via incedatur, conficiatur Catalogus omnium Auctorum in 7 singulis disciplinis, atque ille exhibeat Synopsis omnium librorum ejus disciplinæ, qui vel jam publicati sunt, vel adhuc MSti in Bibliothecis delitescunt. De MStis publica Magistratus cura indagandis jam *supra cap. 7. dixi*, & nunc denuo moneo: * multæ enim sunt de surreptis per plagium ineditis libris virorum doctorum que- 8 relæ. Legatur de hoc argumento Rittershusii ad Richterum Epistola, quæ habetur in Richterianis p. 204. *Equidem mirari satis non potui, ille ait, tam apud veteres Græcos*
 & La-

- & Latinos; quam superioris seculi viros magni nominis aliena scripta tota transcripsisse, & sine ulla immutatione aut mentione autorum pro suis edidisse: Bodinus lectiones Turnebi in Opianum pro suis vulgavit. Quid Scioppius Giphani harpagarit, notum est doctis. Hoc non eque omnibus, Davidem Origanum Mathematicum libros Georgii Rollehagii de Pragnostico Calendariorum & Nativitatum pro suis edidisse. Arnoldus Clapmarius hoc nomine accusatur ab Eberhardo a Wethe. Optimi Piccarti nostri p. m. scripta in furaces hujusmodi manus incidisse, nemini hic ignoratur: ut nec illud, ejus lectiones in Tragæd. Senecæ hanc ipsam ob
- 9 causam publicam lucem fugere. * Idem Autores secundum tempora & ordinem annorum, quibus Opera eorum primum excusa, dispescantur; tertio Catalogus exhibeatur ipsorum Operum, Catalogus secundum ordinem annorum, atque in singulis summaria & lemmata non capitum tantum, sed & eorum, quæ in capitibus continentur, annotentur. Tales Catalogi si instituantur, exempli gratia in Physicis, primum Autores veteres secundum ordinem & seriem annorum essent numerandi: si illorum integra extant Opera, ea in compendium contrahenda brevissimum; si fragmenta, illa etiam suo loco ponenda. * Hinc ad generalem Physicam progressus fieri deberet, & secundum ordinem rerum notandæ essent variorum Autorum sententiæ: qui veteres consentiunt cum recentioribus, ad unum ordinem referendi. In speciali Physica notari ista deberent singula, quæ ad praxin ipsam sunt deducta, quæque in natura ipsa ita inveniuntur, notatis semper Autoribus & annis, quibus singuli vel libri, vel inventa lucem viderunt: quæ si accurate sint omnia notata, atque indices plene omnia repræsentent, magna inde nasceretur utilitas. Statim enim patebit, quid cuique vel veterum vel recentiorum circa principia physica in mentem venerit, sive nova constituendo, sive vetera illustrando.
- 11 Hinc statim pateret, si nova dogmata ab aliquo protrudantur in publicum, an illa recocta sint, vel per plagium alicui surrepta, vel nova quadam ratione interpolata. Specialia quoque inventa una innotescerent, sique illa simul proponerentur, ex illo analogisimo homini solerti plura inveniendi subministraretur occasio: dici enim non potest, quanta sit conceptuum fertilitas. Sola enim commemoratio illorum experimentorum, & perpetua e principiis deductio similia molendi, & ex iisdem principiis deducendi, occasionem suppeditat, * Fuere nunc, cum hæc scribo, qui machinæ alicujus inventionem proposuere, quam non unus tantum homo, sed integri exercitus, sine pontibus impune per aquas ambulare, gladiis pugnare, ignes & tela jaculari possent. Publicis relationibus in omnium notitiam res illa venit, ferebaturque Cl. Dn. WAGENSEILIUS hujus inventi artifex, de quo tamen alii ante ipsum jam dudum cogitarunt. Quod clarissimo huic Viro forte ignotum: neque enim illius inventum in dubium voco, & possunt
- 13 pluribus eadem sæpe in mentem incidere. * Idem tamen, quod nemo animadvertit, jam sub hujus seculi initium Principibus & Rebuspublicis, inter cetera sua arcana obtulit MAGNUS PEGELIUS, cujus jam supra mentionem fecimus. Ex enarratione autem circumstantiarum utrinque collatarum idem patet esse inventum. Unde manifesto exemplo videre possumus, quam multa in seculis prioribus
- per

per socordiam hominum neglectâ, quæ alio tempore iterum in conspectum producuntur. Ita vero apud Pegelium verba habent p. 126. *Quomodo in Naufragio quocunque submersionis seu interitus discrimen omne semper: & ubique certo vitare liceat. Qui item sine sanitatis seu valetudinis aut aliâ notabili corporis incommodo, adeoque sine aquarum, fluctuum, procellarum, pluviarum, frigoris pernicioso aliquo impedimento seu noxa ibidem interea dormire; jacere, sedere, stare, cibum capere, & quocunque velis, te ipsum promovere seu viam dirigere valeas. Res etiam tuas, que mole seu quantitate non nimia fuerint, vel ex his, que tibi cariora sunt, una tecum salvare poteris: uno hominem, quem celis, alium vel plures etiam, si sic efformaveris, absque ullo ullius hinc incommodo, simul tibi coherentes gratos & suaves sic socios, tibi quæ vitam suam & quicquid una salvarint debentes, æque liberabis. Præterea medio hoc eodem, quocunque etiam extra naufragium, pro rerum tuarum firma & tuta conservatione, & pro quiete noctu & alias & in navi & in curru & domi uti & frui licebit, seu conjunctim toto, simul, seu parte illius una, duabus vel quocunque volueris. Hæc omnia & singula omnino sunt & perdurantia & sumptuum facilliorum: Alias si capite seu ore solo aquarum immunis esse cupis, media occurrunt exigua & levia. Illa Anno 1604. scribebat Pegelius, sordidis narrans fabulas, neque quisquam ad illius oblata arcana, ut fieri plerumque solet, respexit.*

Anno 1630. PETRUS MORMIUS in arcanis Collegii Rosiani detectis p. 42. Or- 14
dinibus Belgicis simile inventum, quod tamen minoris videtur effectus esse, quam superius illud, obtulit. Ita vero illic: *Arcanum mortem arcens violentam, triplex est: unum defendit ab aquis, alterum ab aranis, a fano tertium. Primum horum non est tanta difficultatis, quin possit excogitari etiam ab obtuso & præpingui ingenio: at quia non est apud incolas hujus patriæ usitatum, ubi tot discrimina mortis ab aquis grassantur, maritimis tempestatibus, aliisque fortuitis casibus, judicavimus, nobis indecorum haud fore, si illud publico usui communicandum offereremus. Facillime instrumentum hoc & portari & admoventi potest; quo quisque mare aditurus muniri debebat; ut, si tempestas, vel nox obscura inter scopulos, aut aliud periculum a nave submergenda, aut ab hostibus perfringenda ingruat, eo munitus mergi in gurgitem nequeat; sed saltem fluitando super aquis animam Deo commendandi tempus super sit; aut venti vel manuum remigantium beneficio atque pedum circa littus aliquod ferri queat, aut amica nave excipitur, aut alio quopiam fortunato eventui servari.*

Magna profecto hæc est Principum & opulentorum hominum ignavia, qui 15
pulcherrimâ inventâ, sola avaritia ducti, penire sinunt; cum tamen, si vel maxime illa non succederent, comparari tamen quolibet pretio & in publicos usus reponi deberent. Haberent forte secula futura, quod sibi elaborarent, si nostrorum stupor illa non caperet. In tam multis unum experimentum multis congerendis opibus forte inserviret, & impensas largissimo scenore refarciret. Quam multi in res voluptuarias & vanas exhauriuntur thesauri, unde mæra in Rempublicam, & cives damna redundant, cum modicis sumptibus immensæ parari utilitates possint. Non exiguum profecto hoc Reipublicæ arcantum esset, si quis Princeps vel aliqua Respublica, cer-

- tos pro novis inventorum præmiis reditus constitueret, quod & ingenia excitaret, & magno fructu Rempublicam bearet. Quanta hujus, de quo agimus, inventi utilitas sit, quis non videt? sed nemo tamen hæcenus, quod sciam, inventus est, qui inventorem allicere aliquo præmio velit. Denique & hoc utile erit, invento-
- 16 rum Historiam consignare, quod olim multi fecerunt: * nam de inventis scripsere ex antiquis Scamon, Cydippus Mantinensis, Antiphanes, Aristodemus, Aristoteles, Philostephanus, Strato peripateticus, Heraclides Ponticus, Ephorus, Theophrastus, Philochorus &c. de quibus *Jonsf. Histor. Philos. lib. 1. cap. 12.*
- 17 Hoc JOHANNIS JOACHIMI BECCHERI consilium fuit, qui in libello Germanico variorum inventorum Historiam recensuit. Titulus est *Stulta Sapientia, & Sapiens Stultitia*: duas ergo libri partes facit, quarum prima, cui *Stultæ Sapientie* titulus, ea continet nostri temporis inventa, quæ stulta visa omnibus fuere, & feliciter tamen successerunt: altera pars, cui *Sapientis Stultitiæ* titulus, de illis inventis agit, quæ magno molimine & consilio excogitata, in irritum ceciderunt. Elegans liber est, multaque sciru digna continet, aliosque invitare potest, ut simili-
- 18 lem inventorum recensum instituant. * Nunquam expeditior ad illa pervenien-
- di via est, quam in peregrinationibus. Si quis ergo in itineribus diligenter ob-
- servationes instituat, eas aliquando editurus, is bene profecto de re literaria merebitur. Supra laudavi MONCONISIUM, cui addi potest THEVENOTIUS, qui multa apud varias gentes vel mechanica vel naturalia inventa consignavit. Laudandus quoque hac in re CAROLUS OGERIUS est, cujus extat *Iter Danicum, Suecicum & Polonicum*, quod ille Legato Memmio additus Secretarius dictione Latina nitida descripsit. Habentur illic variarum rerum civilium, naturalium, fortuitarum, lepidæ narrationes, quæ legentem mirifice delectant. Plerumque & illi, qui suam scripsere vitam, silentio præterire non solent, quæ illi memorabilia in vi-
- 19 ta observarunt. * Ex epistolis nonnunquam talia colligi possunt, præcipue talibus, quæ Physici sunt argumenti, quales Bartholinus, Licerus, Sorbierius, scripsere.
- 20 Nonnunquam etiam in aliis talia deprehendas. * Ita in Guidonis Patini Epistola 153. recensetur inventum Itali cujusdam pro componenda ex terra quadam composita massa inflammabili, citra tamen odorem & fumum, qua calefieri quasi in momento conclave aliquod possit. Verba ipsa adducere ab hoc loco alienum non est. *Il y a ici un Italien qui dit avoir été mandé exprès pour un certain secret, qui est d'une terre composée qui echauffe incontinent une chambre, sans odeur & sans fumée. Plusieurs ont été nommés pour en voir l'épreuve, dont il y a eu deux Medecins, savoir Monsieur Matthieu & moi, Mr. Blondel, Guenaut, Brayer & Morisset s'y sont aussi trouvés. Nous avons signé que ces boules de terre faisoient un feu beau & clair sans fumée & sans aucune mauvaïse odeur. Il nous dit qu'il en donnera un cent pour 10. sous. Chaque boule est plus grosse qu'une balle de tripot.* Hæc & familia colligenda omni studio sunt, insigni aliquando usui futura.
- 21 In Mathematicis idem consilium dari potest, & dedit jampridem, JOH. PELLIUS,

LIUS, Anglus, in sua *Matheseos idea*, epistola scilicet de meliorando studio Mathematico, quæ reperitur in Collectionum Philosophicarum Anglicarum quinta, quæ Anno 1682. prodit. Consilia illic suppeditat, quomodo Pandectæ universales Mathematicæ confici possint, quibus colligantur ex Mathematicis libris & inventis, quæ ante nos fuere; & veluti confectaria inde deducantur, citatis sub finem cuiusque periodi aut propositionis Autoribus antiquissimis sequentibusque; omnibus nota iniusta, ubi vel in furto deprehensi fuerint, vel mutuati suppresso auctoris nomine fuerint, vel aliorum inventa sibi audacter arrogaverint. His Pandectis ita concinnatis pateret omnibus, quantum ordinis, soliditatis & perspicuitatis singulis inesset, quid artifex artifici præstaret. Magno porro lucro cederet notitia Auctorum in unum conspectum producta, neque anxia esset circa libros inquisitione opus: tolleretur quoque inordinata illorum lectio: quicquid peccatur diversis methodis, confusionibus, tautologiis, paralogismis, id simul omne pateret, & constaret omnibus, in quos lapides offendere quis possit. Verum enim est, quod Autor ille ait, etiam paralogismorum debere esse notitiam, & errorum, qui a Viris celeberrimis non solum, sed & hominibus ineptis & indoctis commissi sunt. Nam & ex eorum notitia veritatis patet via, & plus interdum ex illo, quod paradoxon videtur, discitur, quam ex ipsis præceptis, veraque illa & accurata methodo. Fiet enim ita, ut errores ipsi vitemus, & quid ex usu nostro reque ipsa fit, rectius percipiamus. Id non in Mathematicis tantum, sed etiam omni adeo doctrina prodest. * In ceteris 22
disciplinis idem præstari posse, quod in Physicis & Mathematicis, dubium nullum est, modo res ita instituat, ut veterum recentiorumque Auctorum accurata inter se constituatur *σύγκρισις*: quod ut fiat, primum Auctores omnes diligenter notari, tum excerpta accurata secundum ordinem capitum disciplinæ instrui debent: in iis vero excerptis ordo ille adhibendus, ut omnes opiniones veterum recentiorumque Auctorum quasi per indicem noverentur, præcipua & palmaria argumenta illis subji-
antur. * Qui labor, si per aliquot annos continuetur, eo tandem rem redigere poterimus, ut singularum disciplinarum perfectissima Systemata habeamus, quæ in unum corpus compingi deinde possint, atque ita mirifice augeri possit res literaria cum maximo, tam docentium, quam discipulorum, emolumento: imo ausim ego vel dato pignore certare, si curæ isti serio insisterent Magnates, sumptusque & Bibliothecas suppeditarent, viros deinde doctos, & suis singulos laboribus aptos huic negotio præficere, vel uno decennio rem omnem in singulis disciplinis absolvi posse. Quod si fieret, unus liber in singulis disciplinis pro Bibliotheca esset, cessarentque omnia illa impedimenta, quæ nascuntur e confusa tot Auctorum lectione. * For- 24
te aliquid hujus rei molitur PLACCIVS, qui in librorum suorum Catalogo promissit *Historia literaria Compendium Universale*, migrationes artium & scientiarum varias summam exhibens. Idem de ratione status Reip. literariæ hodiernæ, corruptela atque remediis illius, librum, & varia in Verulamii egregios de augmentis scientiarum libros augmenta, promissit.

DE LOCORUM COMMUNIVM SCRIPTORIBUS.

- §. 1. Bibliothecarum notitia instar Locorum Communium est. 2. Bibliotheca Thuana Locorum Communium ideam proponit. 3. Dassiliandri & Johannis Ray peregrinantium diligentia in notandis viris doctis eorumque scriptis. 4. Locorum Communium studium nonnullis male contemnitur. 5. Maresii 6. & Sorelli iniquior censura refellitur. 7. In Locis Communibus concinnandis aliquis etiam judicio locus est. 8. Ipsorum Autorum interitus a Locorum Communium Scriptoribus quibusdam creditur. 9. Constantini Porphyrogenetae excerpta. 10. Defectus e nimio Locorum Communium studio. 11. Modus in illis colligendis tenendus. 12. Illi per amanuenses colligendi. 13. Virorum doctorum *παραεξείρεται* non contemnenda sunt. 14. Salmasii Opus in Solinum laudatur. 15. Quidam data opera in unum argumentum omnes Locos Communes exhauriunt. Eo nomine notatur Causinus in Aula sancta, & Cornelius a Lapide. 16. Martinengi glossa in cap. 1. Genes. 17. Rosselii Comm. in Pimandrum. 18. Mersenni Commentarius in Genesim. 19. Veteres magnam excerptorum curam habuerunt. 20. Referuntur antiquorum excerptorum compilatores. 21. Medii & recentiores excerptorum Scriptores, 22. Vincentii Specula. 23. Zwingeri & Beyerlingii Theatra Vitæ humanæ. 24. Polyantheorum Scriptores. 25. Langius, 26. Gruterus. 27. Magirus ceteris præfertur. 28. J. B. Bernardi Seminarium Philosophiæ Platonica & Aristotelicæ. 29. G. J. Vossii liber de Idololatria & Physiologia laudatur. 30. Voëtii Disputationes selectæ. 31. Disputationes & dissertationes argumenti varioris diligenter colligenda. 32. Tassoni Pensieri diversi. 33. Idem Carmificis panegyristes. 34. Bonifacii Historia Ludicra. 35. Pontani Attica Bellaria. 36. & Progymnasmata. 37. Ravisii Officina. 38. Laurentii Polymathia. 39. Welschii Idea antiquitatum. 40. Ejusdem opera affecta. 41. Jac. Gothofredi Corpus Antiquitatum Juridicarum. 42. Galleotti Martii de doctrina promiscua liber. 43. Ejusdem alter de rebus vulgo incognitis deperditus. 44. Sorbieri Epistole. 45. Casparis Dornavii Amphithearum. 46. Bisciola Horæ succisiva. 47. Majori Dies Caniculares. 48. Locorum Communium Scriptores titulis adscitis luxuriant. 49. Menochii Trattenimenti Eruditi. 50. Cælii Rhodigini Antiquæ lectiones. 51. Pancirolli libri Memorabilium. 52. Watsoni Supplementum. 53. Ejusdem Unio sapientiæ. 54. Conradi Lycosthenis Apophthegmata. 55. Erasmi Apophthegmata. 56. Lycosthenis Similita. 57. Ejusdem Auctaria in Officinam Ravisii. 58. Idem facetias Brusonii edidit. 59. Emblematum Collectanea. 60. Giovanni Ferro Theatre d'Impresæ. 61. Philippi Picinelli Mundus Symbolicus. 62. Adagiorum Scriptores. 63. Adagia a gnomis differunt. 64. Welschii Opus Adagiorum panglottum. 65. Kubhanamii Opus Adagiorum Universale. 66. Adagialium Collectio utilis. 67. Erasmi

67. Erasmi Opus de Adagiis, 68. defenditur adversus Rhodiginum, 69. & Verdierum. 70. Jani Gruteri Florilegium Ethico-Politicum. 71. Bibliotheca Exulum, 72. Berluccii Adagia selecta. 73. Josephii Langii Adagia, 74. in certos locos distributa. 75. Jac. Duporti Gnomologia Homeri. 76. Bogani Homerus Hebraizon. 77. Michaelis Neandri LL. CC. 78. Philosophici Graeci, 79. Aristologia Pindarica Euripidis. 80. LL. CC. Philosophici Latini, 81. Rottmari 82. & Burlandi Proverbia Virgiliana. 83. Acute dicta veterum Poëtarum, nullius momenti. 84. Haynecii medulla Terentiana, Tulliana. 85. Adagia Graecorum, Zenodoti, Diogeniani, Suida. 86. Adagia in aliam linguam an transferri possunt? 87. Apostolii proverbialia. 88. Adagiorum sacrorum Scriptores. 89. Hebraica Plantavitii, Drusii & Buxtorfii. 90. Vorstii Adagia Graeca N. Testamenti. 91. Zehneri Adagia sacra, 92. similitudines, 93. & paralipomena. 94. Detrii 95. & Novarini Adagia sacra. 96. Italica adagia. 97. Angeli Monofini liber de Italica lingua & adagiis, laudatur. 98. Julii Varini Schola vulgi. 99. Optima adagii disponendi methodus. 100. Alii adagiographi Itali recensentur. 101. Gallicorum adagiorum Scriptores pauci. 102. Belgica adagia, 103. Hispanica Nunnesii, 104. Mal Lara. 105. Commentarius in adagia Medica Hispanica de Rieros. 106. Anglicorum adagiorum Scriptores. 107. Jac. Howel. 108. Dictionarium Powels. 109. Sermones ex adagiis concinnati. 110. Germanicorum Adagiorum Scriptores, Franck, Agricola, Friderici, Henischius, Eying, Lehmannus, Tappius, Winckler. 111. Langstons Poëseos Graeca Medulla. 112. Draxii Bibliotheca Scholastica. 113. Plures Proverbiorum Scriptores recensentur. 114. Freigii Ciceronianus. 115. Rivii Loci Communes Philosophici. 116. Schielen, 117. Zimmermanni, 118. Ficketi, 119. 120. Benzii & aliorum Loci Communes.

Inter præcipuos Historiæ Bibliothecariæ fructus est, quod jam supra diximus, ut habeamus quasi universales quosdam Loci Communes: atque ita optimæ & præstantissimis Autoribus congestæ Bibliothecæ instructæ sunt, ut Locorum Communium quasi imaginem quandam exhibeant. * Quales jam supra Bibliothecas plures commendavimus, atque inter illas præcipue Thuanam illam. Fuit in illa ingens MStorum indubiæ vetustatis copia, & in magna Autorum sylvâ operosus selectus, ad cuius solam librorum compactionem viginti millia scutatorum nummorum & amplius consumpta sunt. Collecta hæc Bibliotheca est Scaligeri, Casauboni, Puteanorum fratrum, Salmasii, Grotii, Sammarthanorum fratrum, Sirmondi consilio. In peregrinationibus suis Thuanus apud omnes gentes Bibliopolarum angulos excussit, ut optimos secum libros adduceret, quod a Josepho Quesnel in præfatione hujus Indicis prolixius recensetur. Id enim in peregrinationibus eruditus præcipue attendere debet, ut viros doctos eorumque Opera inquirat. * Ita Theophilus Daffiliander in Commentario suo Itinerario an. 1585. edito urbes 3 Italiae non describit tantum, sed & viros doctos eorumque Opera recenset. Ita Johannes Ray in Itinere per Germaniam, Italiam, Galliam, cujus historia Londini

- An. 1673. Anglica lingua edita est, præter Observationes Topographicas, Morales & Physiologicas; quicquid ad viros doctos, rem literariam, scripta doctorum pertinet, diligentissime recensuit. * Quoniam ergo ipsæ Bibliothecæ Locos Communes præstant, ideoque & **LOCORUM COMMUNIORUM SCRIPTORES** ac **COLLECTORES** Bibliothecariis a nobis accensentur. Sunt enim variæ doctrinæ quasi promi-condi, neque tam contentim habendi, ut vulgo a sciolis quibusdam habentur; qui, nisi ipsi ex aliorum Locis Communibus profecissent, arcte profecto secum habitarent.
- 5 Sunt inter Gallos aliqui, qui omne illud Locorum Communiorum studium ac ignavos homines ablegandum putant, e quibus *Maresus lib. 1. Epistola 2.* alto supercilio nonnullos e Germanis despicit. Hos enim illic tangit, etsi non nomet, Plinius illis opponens, qui non ingentia Volumina ex variis Autorum locis confuta derit, sed qui de universâ rerum natura scribere aggressus rem omnem, quæ prope infinita videbatur, paucis libris & ordine præclaro complexus sit: cum ex recentibus quidam minimas ejusdem Historiæ Naturalis partes tot sint Voluminibus persecuti. *Nimirum, inquit ille, Plinius autorum, quos sequitur, verba, non nisi raro idque breviter, cum opus est, adducit: sed ab illis desumpta materia stylum tantum suum accommodat, & opus quasi suo Marte, non hians neque interruptum, conficit. Longe aliter isti: quam plurimos siquidem & prolixos locos in libros suos conferre student: plerumque etiam gravibus rebus, que minutias omnes respiciunt, spinosas & importunas Critic. disquisitiones, & Grammaticas; si Deo placet, quisquillas inspergunt: a quibus splendida materies refugit, & non aliter contaminatur; ac Arretina violant crystallina testæ.* Secutis hæc profecto morosi Censoris querela est: alia est Plinii scriptio, alia eorum qui Locorum Communiorum collectanea congerunt. Plinius Historiam Naturalem continuo filo deductam sibi proposuerat; sed ceteri illi Locorum Communiorum scriptores, si quidem partibus suis recte fungi vellent, diligentius, & ut rei fides ex relatione accurata constare possit, omnia conquirere, & lectori judicanda relinquere debebant. Quod si fecisset quoque Plinius, non laboraret in multis ejus fides
- 6 Stulta est verborum parsimonia, ubi rerum quæritur evidentia. * Nimis in Locorum Communiorum Scriptores iniquus est *Sorellus* libro *de Cognitione bonorum librorum cap. 2. p. 61.* minime idoneus arbiter, Huarti quandam sententiam adversus illos pronuncians. Ille scilicet in Examine ingeniorum publica lege coercendos putabat homines, magis memoria, quam judicio pollentes, ne illi libros scribant: quales
- 7 ipse locorum Communiorum Scriptores interpretatur. * Quasi scilicet nullo illis in libris congerendis judicio opus sit; cum in selectu tamen rerum illud maxime requiratur, ac interdum eodem judicio præditus esse debeat, qui pro usu aliorum quædam seligit, quam qui ipse selectis utitur. Prævenit enim aliorum industriam, & quasi ideam omnium animo præcipit, qui materiam tot rerum argumentis ministrat.
- 8 Parata & alia in Locorum Communiorum Scriptores calumnia est. Ajunt aliqui, eorum culpa tot bonos nobis periisse Autores: sive enim diffusi Autores in compendium trahantur, pro usu vel publico vel privato; sive centones confarcinentur

tur ex pluribus; sive pro arbitrio in codicem singularem aliqua memorabilia excerpantur; illa *επιπρομασμοίρια* in lucem interdum mittuntur, cum paulatim e memoria hominum dilabuntur vera illa & genuina Opera. De singulis illis egit Lomeierus libro de Bibliothecis cap. 8. circa finem, & plenius illa exemplis illustravit Bailletus de *Judiciis doctorum tom. 1. part. 2. cap. 11. a pag. 449. ad pag. 469.* * Constantinus Porphirogeneta ex Autorum multorum scriptis Politicis & Physicis in certas classes, quæ maxime utilia, colligenda curavit, ut de re omni in promptu essent exempla, e quibus paucula aliqua Peirescius servavit, cujus beneficio in publicum illa edita sunt. Quas si eclogas omnes haberemus, utilissima multa ex Autoribus excerpta superessent, quæ nunc cum ipsis Autoribus interierunt. Præstat saltem aliqua nobis antiquorum Autorum relinqui fragmenta, quæ tamen horum Collectorum industria servantur, quam ut omnis illorum pereat memoria.

Negari id quidem nequit, esse quendam etiam Locorum Communium abusum. Nam quo quis Locos Communes magis instructos habet, eo minus chartæ parcat, omnia corradit, conscribit, ut magnum librum, magnum malum, pariat. Quo nomine Germani sæpe exteris ridentur, qui in omnes crimen illud consueta sibi maledicentia diffundunt. Plurimos sane nominare possem, qui eo modo libros conscripserunt, qui quidem gloriæ parum inveniunt apud eruditos, idque præmiū loco consequuntur, ut exscribi sine plagii suspitione possint; & eatenus commendandi sunt, quatenus illorum insania frui prudentior aliquis possit. Scribunt illi, non quod scribi debet, sed quod potest; imo quod nec debet, nec potest. Si ad usum transferre velint studia, plerumque hic talia ingenia deprehendas, qualia describit Gabriel Naudæus in *Syntagmate de studio liberali*, sub initium. * Quare multi viri prudentes omne studium, quod in Locos Communes impenditur, ut bonæ mentis & judicii corruptelam damnant, quorum tamen sententia probari mihi nunquam potuit. Separandus enim usus ab abusu est. Est etiam modus in illa re tenendus, ac parcius in illo colligendi labore versandum esse fuaserim, ne labore infano judicii vis atteratur. Rectius aliquis fecerit, si sæpius ad exercitium & usum, cui fini omnia congeruntur, transferat, quam si magnas inter opes inops eis uti ignoret. * Quare, quicquid inter legendum sine incommodo tuo breviterque tanquam per lemma (diffusas enim descriptiones nihili facio) notare potes, notes velim: vel si opibus non destituaris, amanuenses alas non ineruditos, quibus rem illam committas; sed, qui tuo judicio in colligendo utantur. Id Salmasius alique viri præstantissimi fecerunt.

Evenit tamen nonnunquam, ut & viri eruditi & principe inter literatos loco, in Locos illos Communes uberius se diffundant, vastisque digressionibus scripta sua extendant: quibus ego ignoscendum omnino arbitror, quod utilitas summa eam, si qua est, culpam rependat. Multum interest inter indoctorum hominum & doctorum *παιρητορευς*. Hi enim semper utilia promunt; & lectoribus suis commodant, etiam cum extra oleas vagantur. * Quam ob causam vastum illud *Salmasii in Solinum* Opus,

Opus, quod ego Oceanum eruditionis Philologicæ vocare soleo, mirifice mihi placet: non, quod non multis abstinere potuisset in illo Commentario, ac per leges methodi debuisset Salmasium judicem; sed, quod ex locuplere penu, velut ex horreo quodam, liberali manu tot tantasque opes promat, magno usui omnibus futuras. Magnus enim in illo scripto thesaurus & velut aurifodina latet, atque unice pene nunc profuit illi, qui vastum Lexicon Philologicum nuper concinnavit; relatis ad literarum classes commentationibus, quæ primum ad Solini verba alligatæ erant. * Reprehendit Guido Patinus *Epist. 17.* hanc in *Caussino & Cornelio a Lapide* scribendi rationem, qui omnia cum pulvisculo converrant, & in unum librum constipent. Cujus hæc verba: *Celui de la Cour sainte est veritablement plein de rapsodies & principalement au 3. & 4. Tomé. Ce fut l'avarice du Libraire qui pressa ce bon Pere d'augmenter le nombre de ces volumes, afin de gagner davantage, & néanmoins le bon homme étoit épuisé. Il avoit mis tout ce qu'il savoit de bon dans les deux premières Tomes. Un autre Jésuite nommé Cornélius à Lapide en a fait de même. Il a commenté presque toute la Bible en 12. Tomes: mais il a mis plus d'erudition dans ses deux premiers sur les livres de Moïse & sur les Epîtres de S. Paul, qu'il n'y en a dans les dix autres. Il est d'un homme Savant comme d'un sac; quelque*

15 *plein qu'il soit il s'épuise, & enfin demeure vuide, à force d'en tirer.* * Eodem modo in unum librum omnia constiparunt *Afcanius Martinengius* glossa magna in cap. 1. Gen.

17 ubi pene omnia, quæ ad totam rerum naturam pertinent, congestit; * similiter *Rosselius* Commentario in *Hermetis Trismegisti Pimandrum*, omnes disciplinas in-

18 pte confarcinavit. * *Marsennus* quoque comment. in *Genes.* sylvam variarum rerum, sed eruditam, complexus est.

Nos jam ad enarrationem illorum Autorum, qui collectanea & Locos

19 Communes scripsere, procedimus. * Fuere ejus generis Scriptores apud antiquos non pauci, qui in certo genere collectanea quædam scripsere; et si un-

20 versalia ab illis non habeamus. * Hujus exempla in utroque *Plinio*, *Gellio* aliisque habemus, & argumento sunt librorum excerptorum apud veteres nomina. Huc spectant libri commentarii, ita dicti a commentando, quod in memoriam nobis revocent, quæ lecta sunt; *Straboni Hypomnemata* dicti. *Gellius* etiam memorias & conjectanea, quod multa in unum aggerantur, vocari testatur. Quæ *JCr* digesta vocant, *Loci Communes* sunt. Habent & *Græci* suas *χηρομαθείας*, de quibus *Mauslacus* in præloquio notarum ad *Harpocratonis* Lexicon, quod nomen *Bæclerus* excerptis suis *Terentianis* imposuit, *εὐλογεῖς*, quas Latini electa vocant. Tales sunt *Strobæi Eclogæ*, *Electorum* librum *Plinium* scripsisse accepimus, de quibus libris fusius agunt *Hermannus Hugo* libro de prima scribendi origine cap. 31. & *Clariss. Schefferus* libro de *Stylo* cap. 12. *Græci* excerpta epigrammatum *Ἀνθολογίαις* nomine appellabant, de quorum Autoribus, colligendi modo multa doctissimus *Vavassor* libro de epigrammatibus, cap. 16. commentatur. * Nunc ad recentiores Scriptores descendemus, e quibus generaliores illos seligemus: nam omnium, qui quacunque in arte & disciplina collectanea scripserunt, ratio nunc haberi nequit; habebitur, cum ad disciplinas illas pervenerimus. Fuere

jam

jam tum barbaro illo seculo ante *περιγενεσιων* literarum nonnulli, qui in omni genere collectanea scripserunt, sed cellarum fœtores spirantia. Hinc tot illorum sunt specula, repertoria, quodlibeta, deflorationes, quæ vel ipso nomine suo produnt elegantias suas, de quibus non est ut solliciti nunc simus.

VINCENTIUS BELLOVACENSIS EPISCOPUS primus e 22
huto aliquantulum emerfit. Fuit ille ordinis Dominicani, natione Burgundus. Ejus extant quatuor specula, videlicet Doctrinale, Naturale, Morale & Historiale. Vasti illi libri sunt, & non contemnenda diligentia congesti; sed ubique perlucet istius seculi rûditas. Sub Doctrinali Speculo comprehendit dogmata Metaphysica, Logica, Theologica: sub Speculo Naturali comprehendit Physica & Mathematica: totum pene Plinium exscripsit, & omnes Autores Geoponicos: in Speculo Historiali incipit historias ab initio mundi, usque ad annum Christi 1244. quas alius usque ad annum 1444. continuavit. Atque hæc causa esse videtur, quod Vindingius in Additionibus illis ad Dekeri librum de Scriptoribus Anonymis putat, hoc Speculum Historiale totum ab alio quodam Vincentio esse confectum. Ejus in historia non magna fides est; nota enim est Monachorum in illo genere industria. Est tamen nonnunquam, ubi in sterquilinio hoc auri aliquid apparet. Habuere illi nonnunquam libros, aut descripsere, qui ad nostras manus non pervenerunt. In Speculo Morali habentur omnes illæ materiæ, quæ ad philosophiam moralem & civilem spectant. Variæ quæstiones circa hoc negotium, quasi per lancem saturam, e Scholasticis congestæ, aliquo tamen ordine: sed de omnibus illis libris hoc pronuntiandum, quod Horatius de cujusdam Poëtæ carminibus:

Cum fueret lutulentus, erat quod tollere velles.

Profuerunt tamen hi labores illis, qui postea libros ejus generis ediderunt.

THEATRUM VITÆ HUMANÆ. THEOD. ZWINGERI & 23
LAUR. BEIERLINGII vasta exhibent Volumina, per omnes rerum titulos deducta, magis tamen ad eloquentiam, quam philosophiam instructa: quæ enim ad scientias pertinent, modico apparatu proponuntur, materiæ morales & civiles, quarum usus in eloquentia præcipuus est, majori cura sunt congestæ. Melius faciunt, qui excerpta ad disciplinas, qua disciplinas, spectantia sejungunt, quarum singulis singularem ego librum destinari vellem. Zwingeri Theatrum Vitæ humanæ aliquoties editum est, cujus ille primus autor non fuit, nam a Conrado Lycosthene, Viro erudito, ab apophthegmatum & similibus collectaneis celebri, initia sua accepit. Inprimis molesta est tam anxia & sollicita rerum divisio, quæ nescio, quam *μικρολογικον* sapit, in hoc Scriptorum genere inutilem; distrahit enim animum & oculos inquirentis. Sub eodem titulo a Beyerlingio Antverpiæ liber ille prodiit, sed accommodatiore ordine alphabetico, & longe auctior. Ille itaque posterior labor præferendus est Zwingeri laboribus.

Theatris illis vitæ humanæ subjungendi sunt POLYANTHEARUM SCRIP- 24
PTORES, quorum usus præcipuus est in eloquentia & in Dissertationibus scribendis. Continent enim gnomas, apophthegmata, similia, exempla: * secundum quem 25

- ordinem Polyantheam suam congeffit JOSEPHUS LANGIUS, cujus extat sub illo titulo liber, in folio editus, non quidem inutilis, sed ordine illo non satis ad usum accommodatus. * Hunc laborem postea continuavit JANUS GRUTERUS, Vir in colligendo diligentissimus, ut testantur tot ejus libri: sequitur eandem methodum, qua usus est Langius; superat vero mole Langii librum, qui gravatur nimis excriptione integrarum pene Orationum, quibus integra folia complentur, quod tamen in Catalogis τῶν γνωμικῶν fieri non debebat. Utriusque libri extat Epitome in usum tyronum. * Illos vero utriusque labores longe superavit TOBIAS MAGIRUS, cujus extat liber similis sub titulo *Polymnemonis*, elegans & concinnus, ac pulcherrimo ordine digestus, qui per se aptus sit enthymemata subministrare Orationem aut Dissertationem aliquam scripturo. Magno sane tædio ac labore sublevar ille quærentes, dum sub specialibus titulis adferuntur sententiæ ejusdem argumenti. Quo labore suo pene videtur aliqua ex parte præstitisse, quod volebat Schraderus, qui peculiarem Thesium & Enthymematum Rhetoricorum librum conficiendum suadet, cui conficiendo vel supplendo mirifice prodesse potest. Id dolendum est, non adjecta fuisse postremæ editioni auctaria illa, quæ Autor ille, dum viveret, libro suo adjecerat. Noluerunt scilicet Bibliopolæ ære illo redimere, quod postulabant hæredes, atque ita in lucem ediderunt nulla addita syllaba.
- 28 JOH. BAPTISTA BERNARDUS scripsit *Seminarium totius Philosophiæ Aristotelicæ & Platonice*, editum Lugd. an. 1599. in fol. Si titulo illius libri fides habenda est, opus est admirabile, quod Philosophorum Græcorum, Latinorum, Arabum, quæstiones, conclusiones, sententiasque omnes integras & absolutas, perspicua methodo congestas, complectitur. Non quidem præstat, quod promittit titulus; est tamen non contemnendi usus liber in evolvendis sententiis Philosophorum, tam Peripateticorum quam Platoniorum, atque adeo indicis potius alicujus vicem tenet, & de aliqua re scripturo subsidia suppeditat, Judicio tamen illum oportet uti suo, qui ejus opera utitur, neque temere illi soli fidere sine collatione ipsorum locorum. Namque in sententiarum congestione sæpe nimius est & rautologus, sæpe etiam deficit. Laudandus tamen liber est, quod nullus ipsi similis scriptus est, ideoque in pretio habendus. Et mihi quidem videtur liber ille non ex lectione ipsorum Autorum, quod fieri debebat, sed ex eorum indicibus compaginatus.
- 29 GERHARDI JOHANNIS VOSSII liber *de Idololatria & Physiologia Christiana* inter Locorum Communium Scriptores laudari debet. Penus hic panditur variarum rerum, ut LL. CC. titulo insigniri omnino debeat, non tamen temere scriptorum, sed optimo judicio digestorum, quos sua industria ex rerum universitate collegit. Nam cum de idololatria inscribit, videtur argumentum huic libro quæsisse, ne sub collectaneorum titulo nomen ejus vilesceret. Quod certe ad physica illa attinet, illa non alia occasione ipsi nata, nec diffitetur in Præfatione operis. Quare noctium Leidensium titulo insignire voluit exemplo A Gellii, quod tamen consilium postea mutavit, atque suo de Idololatria operi velut appendicem adjecit, quæsito utcunque

connexionis argumento. Liber est profecto totus aureus, & magno apparatu rerum refertus. Theologiæ Gentilis primordia quanquam jecerit Gyraldus, & alii ante ipsum, ipse tamen longe locupletiora & accuratiora dedit illa omnia, suo interposito ubique judicio. Utinam postremam ejus partem de rebus naturalibus ita elaborasset, certe complexum totius universi liber iste sisteret. De hoc libro ita Grotius judicat; Alios quidem titulos plus, quam præstat, promittere; huic vero librum plus præstare, quam titulus promittit. Pene idem habuisse consilium videtur hujus libri argumento, quod habuit *Commentario suo in Solinum Salmasius*, in quem omnes suos Locos Communes exhaustit. Est enim ille Commentarius de omnium rerum nomenclatura Criticus. Optima editio prodiit Amstelodami, 1668. in fol. Simile argumentum tractant, quod ad physica illa attinet, rerum naturalium Scriptores, ut *Gesnerus* in omni animalium genere, & *Aldrovandus*, qui post Gesnerum ampliore theatro illa omnia proposuit, quanquam plura ex ipso Gesnero ceperit; ne quid dicam de aliis, qui in re metallica, gemmaria similibusque scripserunt, de quibus suo loco.

GISBERTUS VOETIUS in *Disputationibus selectis* inter Locorum Communium Scriptores referri potius debet, quam inter Dogmaticos accuratos. Utenim Vir fuit multæ lectionis potius, quam judicii, ita magno studio cumulavit Auctores in doctrina, quam proponit. Habentur vero varia in istis libris Theologica, Physica, Moralia, Civilia, Historica: quo nomine prodesse ad omne studiorum genus possunt. Selegit materias non vulgares, Aurorumque locos diligenter congeffit. Notandi scilicet sunt tales Auctores, qui velint, nolint, largiuntur de suo citra aliquod plagii crimen: similes quippe iis, qui aurifodinas ostendunt, quæ deinde ab aliis occupatæ justos efficiunt & bonæ fidei possessores. Quanquam enim, qui paulo peritior est illarum rerum, facile subolfacere possit, quibus indiciis profecerint aliqui, objici tamen illis crimen non potest, quod in communes fontes facile sit unicuique incidere. * Atque hic in universum de omnibus *Disputationibus & Dissertationibus* monere velim, eas diligenter collectas Locorum Communium vicem præstare posse: solent enim plerumque Auctores earum in omnibus congerendis, quæ quacunque ratione ad argumentum pertinent, esse operosi, & maxime singularia congerere. Seligendæ vero sunt, quæ de argumentis rarioribus scriptæ sunt: quarum vastum numerum, si quis agat, facile quis congerat; ac velim eas accuratius notari, quod consilium Cinelli fuit in Bibliotheca volante. In jurisprudentia multæ sunt exquisitissimorum argumentorum *Disputationes*, quæ prodesse JCrts variis in rebus possunt.

ALEXANDER TASSONUS mirabilis ingenii homo fuit, Italus, singularem ex eo laudem quærens, quod optima scripta veterum ac recentiorum communi omnium seculorum & hominum judicio approbata, molestissima & invidiosa censura vexaret, semper in illis quærens, quod carperet & reprehenderet, & nodum nonnunquam in serpo. Scripsit Italica lingua librum, cui titulus: *Pensieri diversi*, i. e. variæ cogitationes, in quo multa notabilia & vexata problemata proponuntur, Physica, Moralia, Civilia, Historica, quorum rationem indagat. Dignus liber lectu est.

Prodiit Venet. An. 1646. in 4to. Credo vero hunc librum natum esse primum Auctori ex Excerptis. Non immunis ab illius cavillis fuit *Homerus* e veteribus, cuius ineptias 500. sententiis voluit ostendere; non *Franciscus Petrarca* e recentioribus; quem integro libro castigavit, ab aliis vicissim convitiis, ut par erat, exceptus. In-
 33 regras in Italia Academias scriptis contumeliosis provocavit. * Ut ostenderet ingenium ad paradoxa natum, edito libello carnificis se panegyristen præstitit, quo aliquorum risum, aliquorum indignationem incurrit, in aliquam certe infamiae partem ipse venit. Eristicorum ejus scriptorum Catalogus habetur apud Leonem Allatum in apibus urbanis, unde desumptus præfigitur huic libro. Inter illos libros præcipue nominari debet, quem de *historia Ecclesiastica* scripsit, in qua passim Baronii Annales examinat, & eorum fidem labefactat.

34 **BALTHASAR BONIFACIUS** *Historiam ludicram* edidit. Vir ille pene infinita scripsit, ut solus Bibliothecam facere possit, diffusæ lectionis, nec tamen nullo judicio. Scriptorum ejus Catalogus habetur in ultimo capite *Historiæ ludicræ*. Ipsa vero *Historia ludicra* varia habet ex historiis collectanea, & quidem selecta, de quibus non facile cogitarint alii. Occurrunt non pauca ex naturalibus, ac multa subministrantur de argumentis selectis aliquid dicturo. Prodiit Bruxell. anno 1656. in 4to.

35 **JACOBUS PONTANUS**, Jesuita doctus, *Attica bellaria*, ut vocat, scripsit, i. e. varia collectanea historiarum, rituum, salium, facetiarum, in quibus multa occurrunt notatu digna, quanquam argumenta tamen vulgaria interdum immiscentur. Postrema editio prodiit Francof. 1644. in 8. * Idem *Progymnasmata* in lucem edidit;
 36 in quibus per rationem colloquiorum, varia proponit in usum linguam Latinam addiscere cupientium, ac eorum, qui antiquitatum aliarumque rerum notitiam sibi parare velint. Simili modo per colloquiorum formam alii collectanea varia dedere; ut *Torquemada* in *Hexaemero* suo, *Erasmus Francisci*, *Harsdorfferus* in variis scriptis, *Martinus Zeilerus* in *Dialogis suis Germanicis*.

37 **JOHANNIS RAVISII** *Officina* liber utilissimus est ad omnem doctrinam. Nam exempla vera, fabulosa sub titulis suis collegit; sed breviter admodum, ne nimia mole Opus gravaretur. Ad carmen scribendum non parum conducit, ubi exempla fabulosa utramque paginam faciunt. Horum autem magna ac bene digesta ibi farrago est, & ita compendiose instituta, ut carere illo non possint, qui exercitia oratoria & poetica tractant. Exiguo illo libro feliciter uti possumus, quam diffusis *Zwingeri* & *Beierlingii* libris. Ipsa illa officina dudum non amplius comparuit in officinis librariis. Ejus epitome aliquoties impressa est. Prodiit Geneva 1626. in 8vo. Hoc libro tanquam *Locis Communibus* in hoc genere uti quis potest, adjectis vel in margine, vel munda charta interposita, quæ illic non notantur.

38 **JOSEPHUS LAURENTIUS**, Lucensis, scripsit *Polymathiam*, sive variae antiquæ eruditionis libros sex, quos ille voluit esse tanquam *Pandectas antiquarum, tam Romanarum, quam aliarum*. Placet sane consilium istius viri: quanquam imperfectum Opus, & infinitis modis possit ampliari. Editus primum est in 4to liber, sed

postea

postea plenior in fol. prodiit Lugduni A. 1666. Collectanea illa instituta sunt sub forma Dissertationum de materiis antiquariis, viris doctis, tam in, quam extra Italiam, inscriptarum: editio illa in 4to præfationes habet præmissas, in quibus molestæ *ῥαίκοζήλια* semper Lipsianizat, quas omisit in sequenti editione, quæ loco illarum rebus auctior est. Præter collectanea nihil præstat ille Autor; rara iudicii apparet vis; quintus & sextus liber per indices & lemmata varias antiquitates congerit; adjectis Autoribus, qui de iis fufus tractarunt. Atque hic hætenus intra conatus substitit Autor, quos si perficere aliquis velit aut possit, quo ille bono mactaret rem literariam! Hætenus enim mutila & inania sunt omnia, & ipsum illud Rosino-Dempsterianum corpus, quod in hoc genere tamen unicum pene est. * Habuit, cum 39 viveret, tale Opus in animo GEORG. HIERON. WELSCHIUS, Medicus Augustanus, mirabilis doctrinæ Vir, elegantis ingenii & iudicii, & linguarum pene omnium Orientalium & Europæarum peritissimus, cujus ille specimina dedit insignia libris in lucem editis, de quo nos supra plura diximus. Opera ejus per omnes propemodum disciplinas diffusa, Historica, Medica, Physica fuere singularia. * Dolendum est, intercidisse morte ejus præclara consilia, quæ nunc æstimare plenius escriptis jam tum editis possumus; in quibus omnia eleganti sermone scripta, nihil jejunum, & quod Locos Communes sapiat, aut eo filo contextum, quo texere sua plerumque solent, qui nunc scribunt in Germania, qui tamen apud plebem doctorum ut lumina & sidera habentur. Operis illius, quod *Ideam antiquitatum* inscribere volebat, mentionem facit, qui ejus vitam descripsit Lucas Schrökius, sub titulo *Memoria Welschiana* p. 71. & 72. Si quis hoc in genere doctrinæ apparatus aliquem instituire velit, ille mature ineunte ætate librum Excerptorum Antiquariorum conficiat, & per meros indices & lemmata excerptat adjectis Autoribus. Quod si quis constanti opera continuaverit, magnum sibi thesaurum comparare poterit, unde successu temporis Opus aliquod universale prodire possit. * *Corpus antiquitatum juridicarum* 41 olim in animo habuit JACOBUS GOTHOFREDUS, Jctus consummatissimus, & nostrorum temporum Cujacius; sed præter ideam hujus Operis nihil vidimus.

GALEOTTUS MARTIUS; Philosophus & Medicus Italus, scripsit librum 42 de *doctrina promiscua* elegantem Francof. editum in 12. An. 1602. Exiguus liber est, sed continet multa memorabilia, Medica, Physica, Philologica, Mathematica. * Dolendum est, intercidisse libros ejus tres de *rebus vulgo incognitis*, quos Matthiæ, Hungarorum Regi, inscripserat, a cujus Bibliothecario Braslicano cum excudendos accepisset Oporinus Typographus, ab Italo quodam furtim subrepti sunt, teste Neandro in præfatione illa, quam de re Bibliothecaria agentem præmisit Græcæ linguæ Erotematibus pag. 219.

SAMUEL SORBIERIUS Historiographus Regis Galliæ, Vir variæ doctrinæ, 44 Gallica lingua *epistolas* scripsit varii argumenti, in quibus occurrunt Philologica, Philosophica, Mathematica, Medica, Historica, Poëtica, ad varios Galliæ viros doctos perscripta. Multos habemus Auctores, qui in epistolis collectanea scribunt: ad evi-

tandum enim Locorum Communium titulum, talem aliquam formam libri comminiscuntur Autores; ut tamen cum aliquo apparatu videantur tradere collectanea sua. Multa habentur in illis, quæ spectant ad Historiam literariam recentiorum temporum. Ceterum de epistolarum Scriptoribus, sunt enim longe plures, qui sub hoc titulo collectanea congefferunt, integro capite agemus. Liber ille prodiiit Parisiis an. 1660. in 4to. Plura ab illo viro prodierunt, de quibus suo loco dicendi erit occasio.

45 CASPAR DORNAVIUS, Philosophus & Medicus, diligens fuit in nugis, sed eruditus. Alias quidem, Catullo dicente, *turpe est, difficiles habere nugas*, sed pulchrum est habere doctas. Collegit ille ridicula rerum encomia, tam e veteribus, quam e recentioribus Autoribus, Græca, Latina, Germanica. Editus liber ille est Hanoviae an. 1619. in fol: hoc titulo: *Amphitheatrum Sapientie Socraticæ Joco-seriæ*. Multa illic habentur, quæ ad honestam animi relaxationem faciunt, & cum voluptate legi possunt. Scilicet juvat etiam mimi in eruditorum theatro: mallet tamen omisisset quædam scurrilia Germanica. Ejus exemplo in Batavis prodierunt talium argumentorum Scriptorum; uno volumine collecti.

46 LÆLIUS BISCIOLA Hispanus fuit. (zz) Scripsit *horarum successivarum* duo volumina in fol. quæ edita sunt Ingolstadii, typis Adami Sartorii an. 1611. Varia continet ille liber Naturalia, Moralia, Historica; typis mendose exscriptus est; pleraque ex Plinio & ejus compilatoribus, Solino & Vincentio, desumpta. Incidunt tamen nonnunquam, quæ notari merentur. Referendus est ad Locorum Communium Scriptorum gregarios: nam non ista judicii vis & industria e collectaneis illis relucet, quæ adhiberi poterat & debebat. Multos tales habemus libros, qui cramben eandem centies recoquunt, & de charta in papyrum scribunt: E quibus omnibus si unum aliquod conficiatur cum judicio volumen, per me quidem scriptorculorum illorum *πάν ἀπώλοιτο γένος*.

47 SIMON MAJOLUS scripsit *Dies caniculares*, ut vitaret Locorum Communium simplicitatem. * Mire ingeniosi sunt Autores in titulis Locorum Communium excogitandis, per omnia scientiarum genera: quemadmodum Postillarum Scriptores, quorum facile quis integrum Lexicon confecerit. Ita CASPAR DE REIES librum inscripsit *Campum Elysiûm jucundarum questionum*, cum collectanea tantum varia contineat; LAUR. RAMIREZ DE PRADO librum miscelli argumenti Philologici inscripsit *Pentecontarchum, sive, quinquaginta militum ductorem; stipendiis Ramirezii de Prado conductum, cujus auspiciis varia in omni literarum ditione monstra profingentur; abdita pandantur, latebræ ac tenebræ peruestigentur & illustrentur*; quo nil stultius excogitari potest. Quia 50. libro capita sunt, ideo pentecontarchum inscribit. Sunt autem omnia Philologica, non quidem indocta, (nam Sanctium alicui Autorem voluit) sed titulus, credo, ab ipso Autore additus, Thraconisimûm Hispanicum sapit. Noster Majolus per modum Dialogi tractat argumenta, in quæ se diffundit. Olim aliquot

(zz) Lælius Bisciola, Jesuita, non fuit Hispanus (uti h. l. traditur,) sed Mutinensis Italus. V. Nathan. Southwelli *Biblioth. Jesuiticam*. p. 537.

aliquot tomis in 4to editus erat ille liber, novissima editio Francofurti in fol. prodijt tomis II. Torus liber est quasi cinnus rerum variarum, filo tamen meliore textus, quam Lælii Biscolæ liber.

JOH. STEPHANUS MENOCHIUS edidit Italica lingua, tomis sex, varia 49
Collectanea, Historica, Physica, Sacra, Moralia. Primum Volumen sub ficto nomine Johannis Coronæ prodierat Romæ in 4to. An. 1646. Titulus est, *le Stuore*, ad imitationem Stromatum Clementis Alexandrini conceptus. Alter tomus ibidem A. 1648. prodijt; uti & sequentes annis sequentibus sub titulo *Trattenimenti Eruditi.* Selectiora sunt, quæ in his libris habentur, pene eo modo adornata, quo *Philippus Camerarius* horas suas succifivas adornavit, & *Petrus Mexias* varias suas lectiones, qui liber ex Hispanica lingua nunc in Germanicam conversus est: quales adhuc plures habentur, quos recensere omnes non patitur instituti nostri ratio. Sufficiat præcipuos enumerasse. Cum ad disciplinas peculiare ventum est, non obliviscemur illorum, qui suæ disciplinæ Locos Communes scripsere.

LUDOVICUS CÆLIUS RHODIGINUS vir fuit doctissimus, rerum natu- 50
 ralium & humanioris doctrinæ peritissimus, &, quod non parum ad laudes ejus facit, J. Cæsaris Scaligeri Præceptor. Extat ejus liber *lectionum antiquarum* titulo, quo continentur multa memorabilia, tam in naturali Philosophia, quam in Medicina, præcipue vero in humaniori doctrina. Est inter præcipuos Bibliothecarum thesaurós, & vario modo utilis: quæ enim per totam ille vitam collegit, vel observavit, in hunc unum librum videntur congesta, ut non immerito *Corni copia* vocari debeat. Extremam editionem procuravit Beckensteinus, Bibliopola. Prodiit vero Francof. & Lipsiæ An. 1666. in folio.

GUIDO PANCIROLLUS *Memorabilium* libros duos scripsit, quorum prior 51
 deperditarum, posterior noviter inventarum rerum est. Eos notis illustravit Henricus Salmus. Multa continentur in illis memorabilia. * Eorum supplementum 52
 scripsit MICHAEL WATSONUS, Collega quondam noster in hac Academia, in libro, cui Titulus: *Theatrum variarum rerum, exhibens Excerpta & Annotata in lib. de rebus memorabilibus*, Bremæ 1663. in 8vo editum. Illic in proœmio varia referuntur, quæ ad historiam hujus libri pertinent, & ad res, quæ illo libro continentur. * Scripsit & Watsonus alium librum, cui titulus: *Unio Sapientiæ*, Bremæ An. 1658. in 12. 53
 editum, quo habetur Synopsis totius Philosophiæ. Est & ille inter Locorum Communium Scriptores referendus; nam coacervat potius memorabilia singularum disciplinarum, quam dogmatica methodo procedit.

CONRADUS LYCOSTHENES vir fuit magnæ diligentiae in variis Locis 54
 Communibus digerendis, quibus pene immortalis fuit. Operi ejus posthumo, ut dixi, manus iniecit *Zwingerus*, & sub titulo *Theatri vite humane* publicavit, quibusdam de suis additis. Congessit Lycosthenes sub titulis *Apophthegmata Virorum illustrium & sapientum*, qui profecto utilissimus labor est, optandumque, ut aliquis solidum corpus conficeret ex omnibus illis Scriptoribus, quorum permultos in omnibus habemus nationibus,

- tionibus, Germanis, Belgis, Gallis, Hispanis, quod non est hujus loci: plerique autem sic scripserunt, ut secundum personas disponerent, non secundum locos, vel
- 55 nullo plane ordine congererent. * Præclarus est liber *Erasmi*, qui *Apophthegmata* collegit secundum personas disposita, adjecto aliquo indice tum locorum gnomicorum, tum characterum, qui reperiuntur in apophthegmatibus; quem librum Pontificii per invidiam tribuerant Paulo Manutio, eraso Erasmi nomine. Ille enim
- 56 Autor legitur in editione Coloniensi, quæ An. 1666. in 12. prodijt. Lycosthenis autem Collectanea copiosiora sunt, & sub titulis ordinatius posita. * Idem *Similia* optima methodo digessit sub *Locorum Communium titulis*, quæ edita postea sunt a Zwingero, una cum addita præfatione de methodo Similium inventiendorum. Liber utilis esse potest ad *Orationes*, tam civiles, quam sacras: ac operæ pretium esset plurima talia colligere, quæ quasi semina sunt argutarum inventionum. Primum metaphoræ sunt, deinde similia, quæ quasi metaphorarum evolutiones. Hinc nascitur sæpe roti alicui, vel carmini vel orationi, inventio: quarum rerum si
- 57 magnam sylvam collegimus, dici non potest, quantum hoc sit ad ornatum omnem in eloquentia subsidium. * Idem, ut hoc obiter memorem, *Ravisi* Officinam auxit, & in ordinem commodiorem redegit, quod Opus editum est An. 1552 in 4to.
- 58 cujus altera deinde editio prodijt in 8vo. * Idem iste *Lucii Domitii Brusonii* Facetiarum & Exemplorum libros in lucem produxit. Italus ille fuit, qui sub hoc titulo aliqua collegit, quæ faceta videri poterant, sed tamen pauca: prodijt Basileæ in 4. A. 1559.
- 59 Refero huc quoque **EMBLEMATUM COLLECTORES**; sunt enim & illi, qui Similium Locos Communes nobis suppeditant: nihil enim aliud est Emblemata, quam, quod pictura repræsentatur, simile. Cum enim Simile constet duabus partibus, *πρότασις* & *ἀπόδοσις*; ita pictura exhibet *πρότασιν*, lemma autem argutum, quod ipsi imponitur, *ἀπόδοσιν*. De ratione Emblematarum conficiendorum Autores infra nominabimus, neque hic omnes emblematarum Scriptores nominare animus est, quorum vasta sylvæ est; illos tamen recensebimus, qui in unum aliquod corpus Emblemata collegerunt: quibus qui recte uti norit, multum subsidii inde accipiet ad poëmatum inventiones, imo ad quamcunque Orationem, præcipue sacram. Non, quod velim, Orationes sacras semper incrustari apparatu hoc quasi theatro, ut fecerunt nonnulli, qui integras Postillas emblematicas scripserunt; aut, qui omnia orationis membra picturis illis emblematicis exornant: hoc enim, nescio quomodo, videtur affectatum & comicum. Melius erit, si illis utamur, tanquam Similibus, quæ apta sunt parare argutas inventiones, cum in meditationes sacras super aliquot argumenta incidimus.
- 60 * E talibus Scriptoribus nominandus est **GIOVANNI FERRO**, qui omnes Italarum *de Emblematicis* labores uno volumine congeffit, adjectis quorundam Emblematarum iconibus: procedit autem secundum ordinem rerum. Prodiit ille liber Veneriis An. 1623. in fol. sub titulo: *Teatro d'Imprese*. Illud vero utilissimum est in hoc libro, quod indices varios adjecerit, quibus tanquam Locis Communibus uti possumus. Primus est omnium Emblematarum cum imaginibus & lemmatibus: primum ponitur imago, res scilicet, quæ depicta est, & illi subjiciuntur omnia

omnia lemmata quacunq; ratione, per totum librum, huic subjecto applicata; ideoque statim videre licet, quo in tertio illa inter se conveniant. Alter index, qui subjicitur, est locorum, sub quibus ponenda sunt Emblemata, secundum ordinem alphabeticum dispositorum, & sub illis titulis, vel virtutum, vel vitiorum, vel aliarum rerum. Primo ponuntur lemmata, lemmatibus subjicitur imago, unde statim patet uno intuitu, quæ qualesque imagines ac similia uni alicui loco quadrent. Si jam in Oratione sacra in talem Locum Communem incidas, quasi sylva quædam dabitur Similium, quæ novis conceptibus: (ut omnia analogismus fecundus est) ansam præbere possunt, qualia Similia conglobata mirifice ornant Orationem sacram. Legi potest præfatio, huic Indici præmissa ab Autore. Addidit deinde tertium Indicem solorum lemmatum, secundum alphabetum dispositorum: adjecta singula lemmata subjecto ipsi, qui Index in inveniendis lemmatibus Emblematarum usui esse potest. Quæ, ut argute sonent, nervose proponantur, meditationem sæpe longam requirunt; valde enim facit ad Emblematarum venustatem. Quarto adjecit Indicem Autorum, qui certis Emblematibus usi fuerunt, tanquam caractere quodam gentilitio. Quinto addidit Indicem generalissimum, tam Rerum omnium, quam Emblematarum & Personarum. Altera pars ejus libri, vel potius novus aliquis liber, qui inscribitur *Umbra apparentes*, ab eodem Autore est. Continuat idem argumentum, in quo multa de usu Emblematarum. * Hunc laborem hujus Autoris, 61
 quanquam utilissimum, superat tamen alius, Italica lingua ad exemplum ejus scriptus, qui nunc in linguam Latinam conversus est. Ejus Autor est Abbas PHILIPPUS PICINELLUS. Liber itidem Italicus prodiit Venetiis An. 1678. in fol. Latina versio Coloniae A. 1681. iterumque A. 1687. curante *Augustino Erath*. Singulare hoc habetur in illo Autore, quod Emblematarum plerorumque lemmata, e quibus illa Poëtis deducta sint, ostendat. Solent enim lemmata a Poëtis desumi sub hemistichii alicujus specie. Elegantissimus liber, & maxime utilis, atque alteri illi præferendus: omnium autem rerum classes ordine persequitur, quam ob causam *Mundum symbolicum* vocat Autor. Indices adjiciuntur quatuor copiosissimi, Lemmatum, Applicationum, rerum notabilium, & locorum S. Scripturæ. Continentur vero hic non solum Johannis Ferri, sed multorum aliorum, Emblemata, quorum index præfigitur.

Quandoquidem supra de Similium Collectoribus diximus, nunc non erit incommo- 62
 dum etiam de ADAGIORUM SCRIPTORIBUS dicere. Est enim ille labor pernecessarius & maximi usus. Non est hujus loci de Adagiorum natura & requisitis dicere; id enim plerique præmittunt Scriptores Adagiorum suorum collectioni. * At verum est, multa vocari Adagia, quæ non sunt, sed gnomæ, senten- 63
 tiæ breves: contra vero longe plura latitare apud Poëtas, Comicos præcipue & Satyricos, quæ vel Adagia, vel Adagiorum loco esse possunt. Horum absolutum corpus hætenus nullum habemus. * Promiserat is, quem supra laudavi, WELSCHIUS 64
Opus Adagiorum Panglottum, quod cum ipso intercidit. * VIRINUS KUHLMANNUS 65
 promiserat in *Prodro-mo quinquennii sui mirabilis*, ut vocat, tale alicuod *Adagiorum corpus uni-*

- versale*; sed illa fortassis in fumum cum aliis ejus promissis abiere. Meo consilio standum hic esset, nollem adeo sollicitè distingui adagia a ceteris sententiis argutis: ratione enim usus & finis conveniunt. * Suaferim ego, ut quis ab ineunte ætate
- 66 Locos Communes conficiat Adagialium, quo referat non tam adagia, quam illa *παροιμιάδη* adagialia, quæ inveniuntur in Poëtis, Comicis, Satyricis, scriptis eristicis, quod hætenus nemo fecit. Quanti vero usus res illa sit, deprehendent, qui stylum aliquando operi eleganti admoturi sunt. Qui promptuarium habent istis collectaneis refertum, illis quasi sub manu crescent raræ inventiones, argutæ meditationes, & similia.
- 67 ERASMUS ROTERODAMUS primus fuit inter Adagiorum Collectores, quod opus ipsi suo tempore profecto fuit difficillimum: nam credo, illum plus laboris operæque huic scripto impendisse, quam multis aliis. * Liticulam illi aliquando movit *Calius Rhodiginus*, quasi furrripuerit sibi aliqua circa Adagia meditata; sed non habet, quo jactet se Rhodiginus, quod guttula una vel altera hunc fontem au-
 68 xerit: paucula enim sunt, quæ in Opere ipsius *antiquarum lectionum* habentur de quibusdam Adagiis. * Etiam *Verdierius* nugacissimus ille veterum & recentiorum
 69 censor p. 158. ungues suos in hoc opere figit, cui similem ille ne paginam quidem scribere poterat. Multæ sunt Operis ejus editiones, Frobeniana est emendatissima. Edidit & Henricus Stephani e typographeo suo. Nova editio omnium est corruptissima, licet ceteris locupletior: nam adjecta sunt Erasmi Chiliadibus Cognati, Junii & aliorum Auctorum Adagia. Liber est, quo nemo carere potest Latinæ linguæ paululum studiosior. Sufficere tamen tyroni epitome ejus potest, & in Germania & Amstelodami nitidior edita. In qua præterea laudandum est, quod Adagia suis sub titulis ponantur, quod non fit in magno Opere, ubi index supplet jocosum communium titulos.
- 70 JANI GRUTERI *Florilegium Ethico-politicum* aliquot tomis multarum gentium Adagia complectitur. Colliguntur in hoc libro sine ordine breves sententiæ, & Adagia Græcorum, Latinorum, Germanorum, Itatorum, Belgarum, Hispanorum, Gallorum, Anglorum: sed confusum chaos est, & plane non ad usum: esset vero maxime, si sub titulos redigerentur. Uti tamen hoc libro vel sic possumus, & si tantum temporis ipsi impendere velimus, redigere possumus in ordinem. Sed multa hic habentur, quæ vix argutæ sententiæ laudem merentur: nam effata omnia, vel moralia vel civilia, in Adagiorum censum venire non debent. Notulas aliquas breves adjecit, ubi sententiarum sensus obscurior, præsertim in Publii
 71 Mimi sententiis, quæ omnium sunt argutissimæ. * Neque gnomæ & jambi, quos ipse confecit, sunt contemnendi, qui & in *Polyanthea* ejus leguntur, & seorsim in libro, cui titulus *Bibliotheca Exulum*, habentur. Tres ejus libri partes constituuntur. Editus est Francofurti 1610. in 8vo.
- 72 JOH. ANTONIUS BERLUCIUS *Adagia selecta* An. 1632. edidit in 8vo, cum eleganti præfatione, in qua exhibetur methodus usurpandi, imitandi ac inveniendi Adagia. Continentur in illo libro Adagia Græca, Latina, tum & hemistichia adagialia,

gialia, apud Poëtas occurrentia; sed nimium brevis est in colligendis iis: multa enim obscuriora sunt, quam ut sic statim intelligi possint. Sed ab illis forte ad Erasmi Chiliades remitti possumus: tituli sunt magna cura dispositi, quod optimum in hoc libro est. Ceterum omnia illa referuntur Adagia & Adagialia sine Autore & teste, quod fieri tamen non debebat: nisi enim apud Autores rectum eorum usum inquirere possimus, frustraneus ille labor est, deinde dubius semper quis hæret, an verum sit Adagium, quove sensu usurpandum. Multa quoque afferuntur, quæ Adagiorum nomine non digna sunt: liber interim non contemnendus, cujus telam si quis pertexat, atque illa, in quibus deficit, suppleat, præclarum ille Opus concinnare possit.

Collegit & Erasmi Adagia, aliasque sententias proverbiales, Græcas, Latinas, 73
Germanicas sub certis Locorum Communium titulis JOSEPHUS LANGIUS, quæ Argentorati Anno 1596. in 8vo impressa sunt. * Loci vero illi concepti sunt 74
secundum seriem illam, quam Sturmus olim excogitavit, & in compendio suo Latinæ linguæ ac Thesaurò Elocutionis Græcæ secutus est Joannes Benzius. Quorum locorum insignis sane usus est, si illa methodus in omnibus adhibeatur. Proponitur animo idea rerum inter se connexarum. Sed Adagia, cum ad varias actiones speciales referri soleant, istis generalibus titulis non possunt omnia comprehendendi. Subjungendi itaque generalibus illis titulis sunt specialiores, ut fecit quidem Langius: sed illi pauciores sunt, longeque plures requiruntur.

Dixi supra, hemistichia aut versus integros Poëtarum Adagiis æquiparari. Si quis iis commode utatur; magnam elegantiam conciliat sermoni, inprimis Epistolis, ac isti dicendi generi, quod numero & periodis non morose nimis adstringitur: nam in oratione seria vel nullus, vel rarus earum usus. * Est vero *Homerus* 75
omnium Poëtarum Pater & Princeps, adeoque Adagia aliqua ex illo collecta venustiora præ ceteris sunt. Edidit itaque JACOBUS DUPORTUS, Cantabrigiæ, Græcæ linguæ in Academia illa Professor, *Gnomologiam Homeri*, Cantabrigiæ An. 1660. in 4to. Illo in libro sub titulis certis collegit sententias Homericas, quarum aliquæ Adagiorum titulum merentur; aliquæ tantum sententiarum nomen. Laudabilis quoque ille labor est eam ob causam, quod duplicem parallelismum adjecerit, unum e locis S. Scripturæ, quibus Gnomæ Homericæ vel affines, vel non ab similes, alterum e gentilibus Scriptoribus, Poëtis, Oratoribus: addidit passim Notas Criticas. Subjecit triplicem Indicem, sententiarum, locorum Scripturæ, & vocabulorum; ideoque non solum in eloquentiæ usum, sed & ad ex-
fin commendari labor ille potest. * Quo argumento se ZACHARIAS BOGANUS, 76
Anglus, exhibere voluit, cujus extat *Homerus Hebraizon*, quo in libro collegit phrasas Homericæ rextusque Hebraici & Græci in S. Codice parallelismos. * Imitatus videtur MICHAËLEM NEANDRUM Duportus in hoc Opere, cujus extant super varios, Poëtas Græcos *Excerpta sententiosa*, non scholarum tantum bono publicata, sed & viris usui futura. * Habemus ab illo *Locos Communes* 78
Philosophicos Græcos, Lipsiæ 1588. a discipulo ejus, Johanne Vollandò, editos, in quibus sententiæ & versus ad moralem doctrinam pertinentes habentur;

79* item *Aristologiam Pindaricam, Aristologiam Euripidis, aliorumque Poëtarum Græcorum.* Certe viro illo nemo diligentior in informanda optimis præceptis juventute, cui
80 multum tum temporis debuit Germania nostra. * Idem quoque Locos Communes Philosophicos Latinos sub titulo: *Ethice vetus & sapiens veterum Latinorum Sapientum & Poëtarum* An. 1585. edidit, quibus adjiciuntur *Versus proverbiales Leonii & Germanorum sapientum sententiæ proverbiales.*

81 Quod in Homero fecit Duportus, id ante illum in *Virgilio* fecerat VALENTINUS ROTMAREUS, quanquam dissimili ingenio & judicio, addo & labore; nam imperfectum Opus est, & longe plura nobis dare poterat. Scripsit *Centurias V. & Decurias tres versuum proverbialium.* Liber editus est Ingolstadii ann. 1570. in 8vo. qui raro reperitur: sed tamen sperni non debet, cum ad ejus exemplum institui plura talia possint. Aliqua ex illo excerptit RUDOLPHUS GOELENIUS in *præxi-artium generalium*, ubi agit de analysi affectionum troporum, & ex *Eclogis Virgilianis* Rotmariana Adagialia in hunc locum conjecit. * Idem quoque in *Virgilio*

82 BARLANDUS fecit; cujus extant *Versus proverbiales*, Basil. A. 1539. in 8. editi. Spachius in *Nomenclatore Philosophico* quoque nominat HIERONYMI CLOCI *Versus proverbiales ex Virgilio*, Cremonæ apud Vincentium Costum 1562. in 8. editos, quos ego non vidi. Si quis in *Juvenalem & Horatium* similem laborem suscepturus esset, vel omnes eorum *Versus adagiales* sub titulos redigere vellet, quod neminem hæcenus fecisse memini, Promptuarium aliquod hoc in genere habituri essemus. Sed pauci sunt, qui Veneres illas intelligunt. Qui Flores Poëtarum collegerunt, non pertinent ad hanc classẽ; nam illi simplices sententiæ & descriptiones tantum exhibent.

83 Prodiit & liber cum illo titulo: *Acute dicta omnium veterum Poëtarum*, Parisiis An. 1664. in 12. cujus Autor non adjicitur, nisi forte PHILIPPI BRIETII sit, cujus *Synagma de Poëtis*, miserum certe & jejunum, præfigitur. Magnificum aliquid spirat titulus: nam, ut frons libri promittit, Opus editum est ad usum Sereniss. Ducis Gviliis: sed tenuis labor est, & ut vere dicam, ineptus, quamquam titulus faciles emptores allicere posset. Certe, cum nucleos deberet colligere, non nisi cortices collegit, & præterea ex omnibus Poëtis paucissima, quæ nec gnomæ sunt, nec adagia,
84 nec phrasæ, nec descriptiones. Totus inanis supervacuusque labor est. * HAYNECCII *Medulla Terentiana, Tulliana*, sententiæ tantum continet. Ita CHRISTOPH. DIBUADIUS *flores & sententiæ dicta e Senecæ Tragædiis* collegit.

85 *Adagia Græcorum e Zenobio seu Zenodoro, Diogeniano & Suidæ collectaneis* partim edita, partim Latine reddita, publicavit ANDR. SCHOTTUS, Antverpianus, e Societate Jesu, quæ edita sunt Antverpiæ an. 1612. in 4to: liber est optimus & rarus, omnino noscendus elegantioris literaturæ studiosis: collecta sunt non secundum Locos Communes, sed secundum initiales literas Adagiorum, Notas eruditas adjecit Schottus, quibus partim obscuriora, quæ non satis ab Auroribus explicata, exposuit, partim locis parallelis illustravit: pleraque certe illorum jam tum in chiliadas suas re-
86 tulit Erasmus, sed suavius est & utilius ex ipsis fontibus haurire. * Ac reperiuntur tamen

tamen multa ab Erasmo non notata, forte quod non attenderet, vel quod civitate Latina nondum donata; neque enim omnium gentium Adagia omnibus conveniunt; sed est quidam lepor linguae, quaedam occasio inveniendi Adagia, non statim aliis nationibus cognita. Usus omnium magister est; quanquam tamen per *συμβολισμὸν* ceterarum gentium effici formarique in alia lingua Adagia possunt. Sed delectu & iudicio hic opus est. Imo si Adagiorum loco non erunt, vel simile aliquod aut argutam phrasin suppeditabunt. Adjiciuntur proverbii illis Graeca proverbialia metrica, quorum loca in margine notavit Schottus, & Parallelismis, tum Graecis, tum Latinis, illustravit. Adjecti sunt Indices locupletes, tam Latinus, quam Graecus. * MICHAELIS APOSTOLII *Proverbia Graeco-Latina* a Petro Pantino cum notis ejusdem & aliorum in 4to Lugd. Batav. An. 1619. & in 8vo antea Basileae Anno 1538. edita.

Adagiorum sacrorum Scriptores segregari a plebeis & civilibus debent; pleraque enim illorum ita sunt comparata, ut communis illa oratio respuat & profanum aliquod sonent, si profano sermone temerentur; latitant ita permulta in Codice V. & N. Testamenti, nondum digne satis excussa. * *Hebraica Adagia* collegerunt PLAN-89 TAVITIUS, DRUSIUS, & BUXTORFFIUS, qui e Rabbiniis sub titulis illa collegit, arguta profecto & in quibus multum est sapientiae reconditae. * *De Adagiis N. Te-*90 *stamenti* Diatriben scripsit JOH. VORSTIUS, quae edita est Coloniae Brandenburgicae in 4to an. 1686. Latitant in scriptis Patrum antiquioribus insignia Adagia, quorum collectio utilissima est: sed pauci sunt, qui in hoc genere suam exercuerunt industriam. * E nostratibus Theologis JOACHIMUS ZEHNERUS *Adagiorum sa-*91 *crorum Centurias V.* scripsit, quas ex universo Bibliorum Codice collegit. Editus est liber Lipsiae in 4to, An. 1601. Adagia illa parallelismis illustravit, tum Patrum, tum gentilium quoque Scriptorum, quae prodesse magnopere possunt ad orationes sacras. * Scripsit & *Similitudines Biblicas*, quae Adagiis accenseri optime possunt, & ad 92 eundem usum transferri. * Ultimo loco scripsit *Similitudinum Biblicarum παραχρησῶ-*93 *μενα*, pro ratione materiarum convenientium in Locos Communes digesta. Addidit deinde Indicem, quo disponit Similia secundum Scripturam, quae prodierunt Lipsiae anno 1604. in 4to. * Scripsit & *Adagia sacra* MARTINUS DELRIO Hispanus, 94 Autor satis notus e Disquisitionibus suis magicis aliisque scriptis. * Habentur vero 95 illic Adagia e Patribus excerpta; sed imperfectus ille labor est, quem quidem *Aloysius Novarinus* ampliolem suscepit, publicato ejusdem argumenti libro, qui totum ultimum constituit Lectionum suarum; Prodierunt Novarini etiam scripta duobus to-96 mis in folio, quibus multa continentur curiosa ex antiquitate sacra collecta, imprimis quod ad ritus nuptiales sacros & hostias eucharisticas attinet.

Non negligendae sunt vernaculae exterarum gentium deliciae. * Habet Ita-95 lica lingua miras Veneres, omniumque argutissima est in explicandis animi sensibus; quod docent tum poemata, tum dissertationes, ab illa natione scriptae, apud quam quasi in legem abiit, ut non nisi argute efferant animi sensa; in quibus ita versantur, ut fastidium excitent nimia argutarum copia. * Quod ad proverbialia illorum 96

attinet, primo loco recensebo ANGELI MONOSINII *florem Italicae linguae* libris 9. comprehensum: in quorum quinque prioribus agit de congruentia Florentini sermonis cum Græco Romanoque, ubi præter phrasin & Syntaxin plus mille proverbia conferuntur & explicantur. Prima itaque pars illius libri Adagiorum est *συγκριτική* comparativa, quæ demonstrat, quæ Adagia Italica cum Græcis & Latinis sint communia. In ultimis 4. recenset peculiariora & propria Adagia, tresque illorum chiliades. Addidit Indices Adagiorum & rerum notabilium uberrimos; sed locos communes vel titulos non adjecit. Elegans est & doctus liber, editus Venetijs An. 1604. in 4to. Prodiit, si recte memini, altera ejus locupletior editio.

- 98 JULIUS VARINUS edidit elegantem librum, cui titulus: *Scuola del Volgo*, qui editus est Veronæ An. 1642. in 12. Habentur in illo libello proverbia Italica, secundum actiones humanas disposita, quibus simul per connexionem aliquam prudentia quædam moralis & civilis ex istis Adagijs efflorescens inculcata, quam ego
 99 methodum omnibus proverbii applicatam vellem. * Cum enim illa nascantur ex actionibus hominum, earumque circumstantiis, e quibus has sententias velut universalialia colligit populus, elegantissime eo referuntur. Ideoque elegans titulus est, quem Auctor præposuit huic libro, quod vocet illum *Scholam vulgi*: nam vulgi hæc sapientia est, ejusdemque schola non solum, sed & sapientum. Nam de his quoque interdum verum est: *Vox Populi, Vox Dei*. Non ineleganter Draxe in Præfat. Bibliothec. suæ scholasticæ: *Veteris Philosophiæ reliquias nobis prægustandus propinant, sunt ingenii cotes, dotes, & indices: sunt vitæ ordinandæ norma & amissis: vitia humana non tam false & scite, quam cum auctoritate quadam exagitant: sunt memoria subsidia & promptuaria: declamaturis & subito dicturis amplum & aptum e re nata sermo nis apparatus auditoribus accommodatum subministrant: orationem nostram allegorice, ironice, metaphoricæ, & hyperbolice enunciatis voculis decorant & exornant.* * Est & alius quispiam ORLANDUS PÊSQUETUS, qui *proverbia Italica* congeffit ordine alphabetico, & in thesauro Gruteri habetur; sed ceteri illi præferendi. Mentio etiam fit, si recte memini, in postremis Ephemeridibus Gallicis novi cujusdam Auctoris, qui *proverbia Italica* congefferit, cujus mihi nunc nomen excidit. Alii nominant *Thomasi Buoni Proverbia Italica*, Venet. in 8. 1604. & 1606. duobus tomis edita, quæ non vidi.

- 101 *Gallicorum Adagiorum* Scriptores pauci sunt, quantum ego quidem memini: Bibliotheca certe Thuana, quæ illos memorare deberet, paucos habet de hoc argumento Scriptores, quem tamen ex gente sua collegisse, verosimile est, quos nancisci potuit. Solum illic habentur proverbia Gallica a *Joh. Egidio Nuceriensi* edita, & libri quidam proverbiorum Gallicorum sine auctore. Eorum aliqua collegit Gruterus, & Florilegio suo adjecit. Extant quædam de proverbiiis Gallicis dissertationes, & quodam *Fleury de Belingen* Hagæ Comitum Anno 1653. editæ, hoc titulo: *Essais des Proverbes & autres questions curieuses proposées & exposées en forme de Dialogue*. Gallus aliquis *le Duc* scripsit librum: *Proverbes en Rimes, ou rimes en proverbes*, Paris. 12. 1665. Belgica

Belgica Adagia collegit singulari libello SAMUEL BRUN: in primis autem illa, 102
 quæ metrica sunt. Habentur & apud Gruterum alii autores; sed parcius fuit in
 illis colligendis gens illa. * *Hispanica* FERDINANDUS NUNNEZ, Professor Elo- 103
 quentiæ & Græcæ linguæ in Academia Salamanticensi collegit. * Addidit JUAN 104
 DE MAL LARA Proverbiorum Hispanicorum Centurias X. cum titulo: *La Filo-*
sosia vulgar; ubi proverbiorum explicationem prolixam subjungit. (aaa) Editus
 est liber. An. 1621. in 4to. * Scripsit & alius JUAN SOROPAN DE RIEROS li- 105
 brum Medicum, e proverbii Hispanicis concinnatum, ubi proverbia Medica exa-
 minat & commentario illustrat. Titulus libri est: *Medicina Espannola contenida en*
proverbios vulgares enra lengua. Singularis ille proverbiorum usus est, qui nemini
 alias in mentem venit, quo in artis medicæ doctrinam illa adhibentur. Est vero
 elegans liber, ac multa habet ad eam rem pulchre aptata adagia. Aliquot adagia
 Hispanica in rhythmos Belgicos convertit *Constantinus Hugenius*, quæ inter poemata
 Belgica reperiuntur.

Anglica Adagia variis Autoribus collecta sunt, primum a CAMDENO in *Ro-* 106
liquis Antiquitatum Britannicarum, Anglica lingua scriptis, (vocantur *Romains*). Post
 illum alii quidam Autores non satis cogniti. * Tandem JACOBUS HOVELL 107
παραπορογενεσιων *Anglicam* edidit, ceteris omnibus locupletiores. Ex omnibus
 postea quidam anonymus I. R. instituit collectionem Anglicorum proverbiorum,
 hac methodo, ut primum ponat sententias proverbiales, ordine Alphabetico dis-
 positas, deinde phrasas proverbiales, tunc similia proverbialia, tum rhythmos
 proverbiales, quos sequuntur proverbia rustica, & tandem proverbia singulis in
 Anglia regionibus vernacula. Si quis attente illa perlegerit, tum Italicorum &
 Gallicorum magnam convenientiam cum Germanicis Adagiis animadvertet. Li-
 ber editus est Cantabrigiæ An. 1670. in 8vo. * Extat inter Anglos cujusdam 108
 POWVELS *Dictionarium Anglico-Italico-Gallicum* in fol. Adjiuntur illi *Dictionario*
proverbia Anglica, Gallica & Italica, non exigua cura congesta. * Eorum peritiam ut 109
 ostendat Autor, Epistolas aliquas & Oratiunculas ex meris proverbii in tribus his
 linguis concinnavit, quod in Latina lingua fecit ingenii ostentandi gratia FAUSTUS
 ANDRELINUS, cujus *epistola proverbiales* Helmstadii recusæ An. 1662. secundum
 exemplar Colonienſe, quod An. 1509. prodit. Quod & in Germanica lingua ten-
 tavit integra aliqua Comœdia, (cujus tamen exemplum ab Italo sumserat) Harstorf-
 serus in parte 2. seiner *Gespräch-Spiele* in fine.

Germanicorum Adagiorum Scriptores aliquos etiam habemus: inter illos sunt 110
 SEBASTIANUS FRANCK, Autor variis in Germanica lingua scriptis historicis notissi-
 mus, cujus *Adagia* prodierunt Francof. An. 1541. in 8vo non utique contemnenda.
 Edidit postea AGRICOLA *proverbia Germanica* cum explicatione, & FRIDERICUS PE-
 TRI singulari libro euitit: *Der Teutschen Weisheit*, qui ceteris omnibus locupletior
 videtur, verum omnes sine ordine instituant: Hamburgi prodit An. 1605. Prodit &
 a GEOR-

(aaa) Proverbia XXI, Hispanica Rhythmis Germanicis expressit ipse Morhofius, sub finem Poëma-
 tum suorum Germanicorum. p. 467-471.

a GEORGIO HENISCHIO *Theſaurus linguae Germanicae*, quem Lexici instar esse voluit, in quo sub singulis vocibus Adagia diligenter notavit. Verum non fuit absolutus ille liber; pervenit enim tantum usque ad literam H. Collegit Proverbia Germanica tribus tomis, adjecta explicatione rhythmica. EUCHARIUS EYERING, Islebiae in 8vo. An. 1601. edita. Titulus libri est *Copia Proverbiorum*. Habentur in illo selecta proverbialia, notatu digna: licet explicatio rhythmica ad modum rudis poëseos germanicae sit instituta. Sed tamen & in illa multa sunt non adeo inepta. Ex his Autoribus, adjectis quibusdam aliis, collegit postea CHRISTOPHORUS LEHMANNUS *Privilegium suum Politicum*, cujus extant tres partes in 12. editae An. 1643. Multa illic habentur arguta; quae quoniam sub titulis sunt disposita, interdum argutos conceptus epigrammatibus praebere possunt. Exemplo suo hoc demonstravit *Kindermannius* in aliquo carmine nuptiali, & *Joh. Heywood* Anglica lingua 300. Epigrammata super 300. Proverbia scripsit. Schuppius aliquo loco librum hunc adeo commendat, ut post S. Biblia illum legi velit. Collationem Latinorum Adagiorum cum Germanicis instituit singulari libro TAPPIUS, qui labor non contemnendus. Ante aliquot annos PAULUS WINCKLER, Consiliarius Brandenburgicus, tres Chiliades Sententiarum Germanicarum adagialium collegit, sub titulo: *gute Gedancken*, Gorlitzii An. 1685. in 12. editas, quae sunt elegantes & argutae.

111 Mentio supra facta est de Versibus sententiosis & adagialibus, eos colligi unum in volumen intetest. Non ita pridem JOHANNES LANGSTON in lucem edidit *Poëseos Graecae Medullam*, Londini ann. 1676. in 8vo quo collegit secundum Alphabeti literas initiales versus Graecos, vel Adagii aliquid vel gnomas habentes, & eum quidem in finem, ut memoriae mandari possit a tironibus, pene eodem modo, quo *Seidelius* portulam suam Graecae linguae edidit: melior autem hic selectus est. Idem jam antea ediderat similem in Latina lingua laborem, sub titulo: *Lusus Poëticae Latino-Anglicani*, qui postea auctior prodiit: de quo, cum haecenus non viderim, judicare haud possum. * Alius Londini 1616. in 8vo. liber prodiit sub titulo: *Bibliotheca Scholasticae* instructissima per THOMAM DRAKE congestus, & Principi regio Carolo inscriptus; ubi Latina, Graeca, Gallica, Anglica Adagia & Versus sub titulis aptis reponuntur. Utilis quidem ille liber est, verum longe plenior dari apparatus poterat, ideam tamen aliqua similia tentaturo subministrabit.

112. Arque haec dicta sufficiant de Proverbiorum Scriptoribus, quorum adhuc alii sunt, quos non nominavi, ac data opera omisi. Adjici etiam his possunt *Proverbiorum Arabicorum* Centuriae II. cum interpretatione Latina & scholiis *Josephi Scaligeri*, & *Thomae Erpenii*, quorum locupletissima editio prodiit in 8vo. Lugd. Batav. ann. 1623. Edidit quoque *Andreas Tscheringius*, Professor Poëseos, in Academia Rostochiensis, ex Erpeniana editione proverbialia Arabica, quae in Germanicam linguam convertit, scholiis quibusdam adjectis. Edita quoque est *Persicorum Proverbiorum* centuria, collecta & versione, notisque illustrata a *Levino Warnero*, Lugd. Batav. in 4to. ann. 1644. Recensentur ab aliis *Parcemiographi*, quos videre mihi non contigit. *Erasmus lib. 17. epist.*

epist. 3. de omnibus Adagiorum Scriptoribus sui temporis agit. Israel Spachius nominat *Hub. Susannæ* proverbiorum Ciceronianorum Connubium, qui error est, & à Martino Lipenio quoque transumptus: non enim de proverbiiis, sed adverbiiis liber ille agit. Laudantur quibusdam *Ferrei collectanea proverbiorum*, Colon. 1612. *Fungeri Proverbiorum Farrago* Lugd. Batav. in 8vo 1585. & 1595. *Germsbergii Proverbiorum Centuria XV.* Basil. 8vo. 1583. *Gerschovii Centuria Locmannica Proverbiorum Arabicorum*, Distichis Latinis expressorum, Gryphisw. 8vo. 1635. *Henrici Stephani Proverbia Epigrammatica*, vel Epigrammata proverbialia. Scripsit & *Aloys. Cynthius* de Origine vulgarium Proverbiorum, Venet. 1526. Est *Jac. Mejeri Hortulus Adagiorum*, Basil. 12. 1677. & plura alia a Lipenio diligenter congesta: quæ cum non viderim, nihil de illis pronuncio. *Seiboldi Adagia Latino-Germanica* multa habent lutulenta & plebeja.

JOH. THOMÆ FREIGII *Ciceronianus*, Basileæ ann. 1669. editus, etiam inter Locorum Communium Scriptores referendus est, cujus liber hoc titulo produit, usui eloquentiæ inserviens. Concinnavit ille e scriptis Ciceronis quasi Encyclopædiam aliquam, omnia verbis Ciceronis apte inter se connexis exprimens; in ordine instituendo, ut solent Ramistæ, satis diligens, cujus ille typum & schematicum præmisit. Ad Deum vero & hominem omnia retulit: hominis locos dividit secundum partes, causas, adjuncta. Sub adjunctis comprehendit omnes artes virtutesque. De rebus moralibus & civilibus dissertaturo Loci Ciceroniani statim patent, quibus exornari oratio, vel rerum argumentis vel verborum delectu potest. Nunquam enim pene oratio scribitur, quin vel tota, vel quadam sui parte in Loco aliquo Communi versetur: atque sic proderit Oratori liber ille, quemadmodum sacro Oratori prodesse possunt libri de virtutibus & vitiis scripti, ut *Peraldi summa virtutum & vitiorum*, *Cresollii Anthologia de selectis piorum hominum virtutibus*, de quibus infra dicendi locus erit, cum ad Eloquentiæ sacræ Scriptores perventum. Idem Thomas Freigius in isto libro suo p. 508: Uberiores Locos Communes promisit. *Hæc, inquit, hætenus ex Ciceronis monumentis, locorum communium demonstratio fuit: vix juxta unius aut alterius mensis meditatione sic nobis conscripta, memoria locos ex aliis alijs suppeditante. Equidem pleniore illos justioresque locos mentis quadam designatione jam delineatos, ex omnibus omnium temporum scriptoribus, poetis, historicis, philosophis, oratoribus, medicis, jureconsultis, theologis congestos, aliquando plenius editurum me confido. Ubi enim melius aut vita humane utilius hoc literarum otium, quamdiu mihi eo uti licet, collocabo? Interim ejus majoris operis ac laboris specimen hic noster Ciceronianus esto, qui, quæ cetera futura sint, æstimanda benevolis lectoribus relinquat.* Sed nihil ex illis, quod ego memini, lucem vidit, magnopere in multis profuturum. Eodem modo e Poëtis moralis doctrinæ locos communes *Henricus Stephani* congestit.

Edidit & JOHANNES RIVIUS *Athendorienfis Locos Communes Philosophicos*, quorum tomus tantum primus Glauchæ, suburbio Salinarum Saxonicarum Ann. 1580. in fol. editus est; qui quanquam liber utilissimus est, continet enim multa singularia, ad Grammatices, Dialectices & Rhetorices cognitionem: generalissima ta-

men illa *διετύπωσις* est per tabulas, ut vulgo vocant, analyticas. Ideoque ad Encyclopædiarum Scriptores potius, quam ad Locorum Communium Scriptores referendus est: proponuntur enim integræ illic disciplinae. * Est J. G. SCHIELEN *Bibliotheca enucleata*, sive Aurifodina artium & scientiarum, Ulmæ an. 1679. in 4to magnifico hoc titulo edita, in qua tamen per merum Indicem citra summariam rerum commemorationem varia coacervantur, quæ usui interdum esse possunt.

* Sunt ZIMMERMANNI *Analecta*, in quibus varia philologica & critica colliguntur. * Generalem aliquam Locorum Communium ideam sic satis commode instructam, non tamen omnino sterilem, sed Autoribus & materiis utcumque differentiam, subjecit ALEXANDER FICHETUS *Arcane studiorum methodo* Lugduni an. 1649. editæ, de qua nos supra. * JOHANNES BENZIUS solos tantum titulos Locorum Communium comparandæ rerum & exemplorum copiæ accommodatorum edidit, bona ratione ex Sturmii doctrina dispositos, quam Sturmius e Mylæi de scribenda rerum universitatis historia cepisse nonnullis creditur; de qua nos libro sequenti plura. * Sunt in Theologicis, Moralibus, Historicis, Politicis, varia promptuaria, adversaria, ut Canisii, Hondorfii, Dinothi & aliorum. In Gallica lingua multi libri sub titulo Collectaneorum (*Recueil*) & discursuum prodierunt, ut *Montaigne* & plurimum aliorum, de quibus *Sorellus* in Bibliotheca Gallica legatur. Nos illa hic omittimus, & quoniam plerique ad certas disciplinas pertinent, data occasione de iis dicemus.

* CAP. XXII.

DE

E O D E M A R G U M E N T O E T
D E P O L Y G R A P H I S .

- §. I. Locorum communium Scriptores plures recensentur. 2. Antoninus Imperator. 3. Proclus in *Χρησμοειδεια* Poetica. 4. Macrobius, 5. Plutarchus, Athenæus, 6. Seneca, 7. Licetus, Parrhasius, Pignorius, &c. 8. Referuntur varia Mellificia, Promptuaria &c. 9. Indicium Scriptores. 10. Qui allegationibus multis utuntur. 11. Quo abusu Jcti potissimum notantur. 12. Petrarca de his judicium. 13. Alii circa allegationes abusus notantur. 14. Erasmus, Melanchthon, Gesnerus, a Scalligero male, ut Locorum Communium Scriptores sugillantur. 15. Cardanus Gesnerum reprehendit. 16. De Vadiano inniquum judicium Vossianum. 17. 18. De Montano & Voetio judicia. 19. Consilium de colligendo in unum librum, quicquid eximii in aliis omnibus sparsim reperitur. 20. Cartesii de eo judicium. 21. Polygraphi. 22. Oligographi vel Bradygraphi. 23. Multorum seculorum labores ab uno Polygrapho in Compendium trahi solent. 24. Exempla in Aristotele, Hippocrate, Galeno Theophrasto, Plinio, Varrone. 25. Librorum fata ex imperiis pendunt. 26. Etiam ab ingeniorum diversitate. 27. V. scientiarum gradus ratione hominum

hominum & seculorum a Cardano ingeniose deducti. 28. Polygraphi multi apud veteres & recentiores. 29. Cardanus Polygraphus. 30. Scaligeri de Polygraphis iudicium. 31. Campanella. 32. Caramuel, Polygraphi. 33. Joach. Fortii consilium de multis libris scribendis. 34. 35. De Henrico Stephani Polygrapho iudicium Vassoria. 36. Marefii querela de vitiiis Polygraphorum. 37. Francisci Macedo incomparabile ingenium. 38. Fuit πολυγραφώτατος. 39. Elogia ejus invidenda. 40. Opera & vasta & multa recensentur. 41. Collectores librorum in historiis & disciplinis.

Multa superiore capite de Locorum Communium Scriptoribus diximus, sed longe I
plura restant, quam ut paucis pagellis illa enarrari possint. * In antiquis 2
ut multi sunt, ita Antoninus quoque Imperator eo referendus est, in libris
των, εις εαυτον, sive, de vita sua ad se ipsum, quos excerptorum nomine vocat Barthius *Adversar. lib. 51. cap. 16. & lib. 1. cap. 11.* ac uberioribus collectaneis illustravit Thomas Gatakerus, ut moralium sententiarum thesaurus esse possit. * *Procli 3*
χηρησομαδελα poetica ad hanc quoque classem pertinet, quam edidit Schottus Hano- 4
viae 1615. in 4to. * Fuere vel per dialogos instituta talia Collectanea, quod fecisse 5
videmus Macrobius in Saturn. libris, * vel methodo erotematica, ut *Plutarchus* in 6
quaestionibus convivalibus, *Athenaeus* in Deipnosophistis; * vel per epistolas, ut fecit 7
Seneca, cujus Epistolae non sunt nisi sententiae congestae, * ac multi e recentioribus, qui quaesita per epistolam scripserunt, ut *Fortunius Licetus*, cujus exstant multi hoc titulo libri, *Janus Parrhasius*, *Laurentius Pignorius*. * Et quis recenscat omnia nostro tempore Mellificia, Promptuaria, Calligraphias, Aeria, Apparatus, Parnassos, Scintillas, Flavillas, Flores, Florilegia, Miscellanea, Semestria, Otia, Promulsides, Conjectanea, Varias Lectiones, Observationes, Dies Caniculares, Sylvas, Adversaria, Singularia, Praecidanea, Analecta, Dies geniales (quo titulo Alexander ab Alexandro optimum librum edidit, a Tiraquello commentario illustratum,) Stricturas, Exercitationes, Florum Sparsiones, Spicilegia, Memorabilia, Benedicta, Laudabilia, Cinnos, Politias literarias, quo titulo Angelus Decembrius librum edidit, homo doctior, quam eloquentior, quod Barthii *Adversar. lib. 1. c. 2.* iudicium est.

Referendi etiam huc INDICUM SCRIPTORES sunt, qui & ipsi Locorum Communium Scriptorum, nisi quod titulos solos ponunt, & lectores ad libros ipsos remittunt; quales sunt in Codice sacro omnium linguarum, ut vocantur, Concordantiae; in Iurisprudencia Brederodii & Bertachini repertoria, Doringii Bibliotheca, qui tamen ne primam quidem Alphabeti literam absolvit; in Medicina Antonii Musae Index super Galenum; in Philosophicis is, quem supra laudavi, Bernhardus.

Omnes denique illi SCRIPTORES huc pertinent, qui *digressionibus*, *allegationibus* 10
erebris in scriptis suis utuntur: quanquam ii inepte plerumque rem suam instituant. * In iis male plerumque audiunt JCTi, qui notissima quaeque infinitis testimoniis con- 11
firmant. Ridebat hunc morem Paulus Sarpus: videatur Fulgentius in ejus Vita p. 151. Gall. edit. * Quidam in vanam ac inutilem pompam istis allegationibus 12

paginas complent, quod in Thoma Messanenſi reprehendit Franciſcus Petrarcha ſingulari epiſtola, quæ inter epiſtolas Philologicas a Goldaſto collectas prima eſt: *Animadverti, ſcribit ad illum, te in ſcriptis tuis omni ſtudio, ut appareas, niti. Hinc illi diſcurſus per ignota volumina, ut ex ſingulis aliquid decerpens rebus tuis interſeras. Plaudunt tibi diſcipuli, & omnium vocant, innumerabilium autorum nominibus atroniti, quaſi omnium, quorum titulos tenes, etiam notitiam ſis adeptus. Docti autem facile diſcernunt, quid cuiuſque proprium, quid alienum ſit: & ruruſus, quid mutuum, quid precarium, quid furtivum, quid e medio hauſtum, quid a prætereunte delibatum. Memoriam oſtentare puerilis eſt gloria; viro, ut ait Seneca, captare ſoſculos turpe eſt: quippe quem fructu deceat gaudere, non floribus. Tu vero in hac ætatis parte venerabilis, & in tua profeſſione clariffimus, imo, ut non ſemper pungam, ſed interdum ungam, ſolus ſine exemplo noſtri temporis earum, quibus es deditus, literarum princeps, neſcio quo juvenili animo, dimiſſis ſinibus tuis, in alienis prætiſ otioſus & vagans, inclinata jam die, interlegendis ſoſculis tempus teris. Placet ignota tentare, ubi ſæpe viam non inveniens aut vageris, aut corruas: placet illorum ſequi veſtigia, qui ſcientiam quaſi mercimonium aliquod ante fores explicant, cum interim vacua domus ſit. Certe tuum eſt, ad id potius niti, ut ſis aliquid plus, quam videris. Operoſa ſemper & periculoſa jactantia eſt. Adde quod, cum magnus videri voles, innumerabilia incident, quæ te non modo veram ad meſuram redigent, ſed infra etiam contrahent.*

13 Huc illi quoque pertinent, qui *Autores deperditos citant*, ſuppreſſis iis, unde hauſerunt, hac ambitione ducti, ut ipſi poſtea pro veris Autoribus laudentur: de quo artificio Thomafius *lib. de plagio ſ. 260. & ſ. 573.* eodem a Petrarcha ſale defricandi. Defendit tamen eos Thomafius, qui multos eoſque ſæpe minutos Autores allegant, qui ex aliis deprompſerunt ſua, quam ipſos fontes, qui forte non ſunt ad manus. Vide eum *libro de plagio ſ. 173.* Et hoc vel ideo debere fieri ille putat, ne in plagii ſuſpicionem incidamus: etſi non deſunt e Scholaſticis & Melanchthoniſ ſchola, qui hanc inter ſe *κοννοβλαγ* habuere, ut citra plagii crimèn verba, ſententias, mutuo tranſcriberent, inque uſum ſuum verterent, quæ de re idem videatur *eodem libro ſ. 192. 193. 194.* Obtinuit & in allegationibus multorum morbus, qui ipſi quosvis Autores, modo ignotos, etiam cum elogiis nominant; ac ſunt alii, qui miſere ambiunt aliorum in ſcriptis magna de ſe elogia. Hos notat Menzius in libro de literatorum hominum invidia cap. 8. cujus hic verba apponemus: *Cum curioſitate non bona laborent invidi, altera quoque addatur nota, gloriæ ſcilicet enormis quedam cupiditas; literatorum enim pleroſque is intus alit ſpiritus, & eo feruntur, quo ducit, impubet, ambitio. Hinc ſpectioſis librorum titulis eruditiffimos legimus, & doctiſſimos, quibus nec puerorum fabellas aut ſi quid levius eſt, intelligendum conceſſeris. Atque illud ſedulo curant alieno in ſcripto, cum ipſi interim deſides ſedeant, & falſo gaudeant teſtimonio. Nec longe diverſo, & quidem ridendo, utuntur artificio, qui obnixè & illud curant, ut in aliorum monumentis nomen ſuum grandioribus deformatum literis inſpiciant omnes, & majoris auxilio characteris tacitum non prætermittant. Exiliunt itaque gaudio, & pene deſipiunt;*

piunt; atque eos tantummodo libros non oderunt, qui ejusmodi adulationis stigmatē notentur; alios omnes, qui de illis ne verbum quidem fecerunt, utpote insulsores & illepidos, damnandos prorsus & abjiciendos pronunciant. Hunc igitur morem, qui nuper apud nostros inolevit, probare vix possum, cum, nulla habita personarum ratione, eos promiscue doctos inter & eruditos inscribi video, qui bonas artes vix à limine salutarunt. Dijudicandum enim est, quo quis eycomio dignus, imo tacendum potius, quam ridicula adulationis nota subeunda.

Negari non potest, hoc allegandi cacoëthes a Germanis plus, quam necesse est, frequentari, unde sinistra exterorum de iis judicia. Hinc Scaliger in Excerptis a Fabro editis p. 80. ubi de Erasmo, Melanchthone, Gesnero judicia fert, ita de iis: Hi tamen tres simul componendi magni locorum collectores fuerunt potius, quam suum aliquod in medium proferentes; quod vitium cum omnibus Germanis familiare habent. Duos tantum excipio, Georgium Agricolam & Beatum Rhenanum. Hæc illi, sed manifesta maledicentia in bonos viros, jaçantur. De Erasmo improba hæc calumnia est, nec minus de Melanchthone & Gesnero. Non reprehendendi sunt, quod Locos Communes scribere voluerunt rei literariæ juvandæ gratia, quorum tum temporis, cum renascerentur literæ, magnus erat usus. Et gratiæ illis agendæ erant. Id vero Germanorum esse fatum solet, ut eorum opera & industria exteri feliciter utantur, quod ut dissimulare tutius possint, convitiis & contemptu eam a se suspicionem amoliri conantur. Ceterum Erasmi divinum judicium tot scripta loquuntur, nec ipsa invidia diffirebitur. Ipse quoque Scaliger alibi adversus patris sui acerbissimas invectivas Erasmi tumetur. Sunt & Melanchthonis & Gesneri scripta maturo satis judicio & stylo rei accommodato adornata, de quibus jam supra diximus.

* In Gesnero Cardanus lib. 10. Paralipomenon in Historia Lapid. & Metallor. p. 525. reprehendit quidem, quod Plinio nimium addictus quædam falsa suis admiscuerit, rejectis Georgii Agricolæ verioribus sententiis; sed magnis tamen elogiis ornat. Cogor, inquit, aliquid dicere adversus præstantissimum virum & amicissimum, simulque de bonis literis & de me bene meritum; quam invidus, Diu norunt. Videmus hic, quam discrepent interdum hominum judicia: ipse enim Scaliger alibi de tribus illis honorifice judicat. * Non dissimile exemplum est de Vadiano; quem inter omnes Germanos pene unicum commendat Scaliger in alteris Scaligerianis sub titulo: *Les Allemans*. Sed de hujus commentariis super Melam Isaacus Vossius dicit, quod rus & stivam oleant: quod rusticum judicium ille, qui notas alteris Scaligerianis adjecit, merito reprehendit. * Ita Montani dissertationes laudibus effert Marelius lib. Epist. 30. contemnit Malebranche lib. 2. de inquirenda Veritate cap. 5. ut inter stultos & vanos (*les pedans*) numeret: qui quidem, ut Diogenes Platonis factum alio fastu, ita Montani vanitatem & arrogantiam alia vanitate calcare videtur. * In Voetio Sarravius in Epist. pag. 158. ut & nos supra, tumultuarium scribendi modum notat: nonnulla istius Viri, inquit, olim legeram, in quibus satis multa congerere per πολυγραφία γράσιον videbatur; sed parvo aut nullo judicio congesta.

19 Jam præcedente Capite aliqua de Locis Communibus per certos Anagnostas colligendis monueram, ac sane magna ejus rei utilitas esset. Ipsi Anagnostæ multum in studiis eos juvant, quo sunt audita lectis jucundiora & tenacius hærent: qua de re Scaliger *Exerc. 308.* Et hæc quidem collectanea in historicis, politicis, moralibus magnum usum habebunt, non æque in Philosophicis, quantum ad doctrinas & conclusiones; nisi forte ad historiam respexeris. * Quam ob causam probare neque ego consilium illud possum, quod Cartesio non nemo proponebat, de quo habetur in *Epistolarum ejus parte 2. Epist. 100;* consilio scilicet de colligendo in unum libram, quæquid eximii in aliis omnibus sparsim reperitur. Ea de re verum ille judicium interponit: *Vereor, inquit, ut possibile hoc sit consilium: nam præterquam, quod saepe difficillimum est de alienis scriptis judicare, & utilia ex illis desumere, relictis inutilibus, veritates in libris huc atque illuc sparse tam inconnexæ sunt, & ab invicem independentes, ut plus industrie & ingenii requiri putarem ad illas in corpus unum concinna proportione & ordine juxta consilium autoris componendas, quam ad tale corpus propria arte fabricandum: non quod propterea sint spernenda aliena, siquidem utilia reperiantur; sed nequaquam puto, tempus præcipue adhibendum esse illis colligendis. Denique si quospiam scientiarum fundamento investigando par esset, is esset culpandus, si vitam tereret in illorum particulis per Bibliothecarum angulos latentibus disquirendis: qui vero ad hunc tantum laborem idonei fuerint, neque scient sagaciter eligere, neque electa sapienter disponere.* Reprehendit eum porro, quod religionem cum scientiis misceat, & quod ex his conficere velit scientiam aliquam universalem, quam possint adolescentes ante vicesimum quartum ætatis annum intelligere & addiscere. Recte hæc a Cartesio cogitata improbantur: nam quod in Politicis Lipsius e Centonibus ac variis Autorum sententiis doctrinam *de principatu* congefferit, & in artis & præceptorum formam redegerit, non tam ex Autoribus ea præcepta & regulas collegit, quam antea sibi cognita his velut emblematis illustrare voluit. Atque in his feliciter illa tentari possunt, quam in ceteris scientiis,

21 Ad Locorum Communium Scriptores referri quoque debent POLYGRAPHI; nam & hi, cum in multa se diffundant, multa ipsi ex aliis coacervant, ut foli Bibliothecam scribant. Non idem eruditus sensus est. * Aliqui annos integros trahunt in libris scribendis, & in eorum expolitione pene vitam omnem impendunt: aliis una nocte, velut fungi, nascuntur libri. Utrunque peccatur: nam & nimia cura sæpe obest perfectioni Operis; est, ubi impetus pulchriora cogitata extundit, cum illi, qui manum de tabula tollere nesciunt, nimia diligentia rem perdant. Media est inter præcipitantiæ & procrastinationem via. Quidam cunctatores sunt & lentuli, quidam celeres & fulminei: utriusque, prout ingenium hominum est, rem vel perdunt vel restituunt. Judicii effectus est cunctatio, & qui magna moluntur, cunctari solent. Sunt tamen & torpida ingenia & testudinea, qui tardo gressu eo procedunt, quo aquilæ uno volatu. De utrisque operose egit Baillæus libro *de Judiciis doctorum, tom. 1. part. 2. c. u.* ac multa tam ex antiquis, quam recentioribus produxit exempla. Nos illos

illos Oligographos vel Bradygraphos mittimus, & de Polygraphis, tanquam qui ad Bibliothecarios Scriptores propius accedunt, pauca monebimus. * Scribendorum librorum nullum esse finem jam tum sapientissimus Salomon dicebat; ac est revera res infinita: ut enim cogitationibus hominum nullus statui finis potest, ita nec libris, qui cogitationum partus sunt: quibus lectores tandem deerunt, redeuntibus semper novis, qui ad temporis sui genium accommodatiores sunt, & antiquorum luminibus officunt. Ita, quod prudenter notavit Cardanus *Paralipomenon lib. 1. cap. 13.* fieri solet, ut singulis temporibus collectis in unum multorum laboribus unus pro multis legatur, in cujus scriptis omnium præcedentium sententiæ & splendidius comprehendantur, ut sæculo magis florido & a viro sapientiore descriptæ. * Ita Hippocrates majorum scripta collegit, ita Aristoteles & Galenus. Reliquum Aristotelis collegit Theophrastus; Plinius Romanorum & Græcorum scita coacervavit; antea feliciter multo, sed prolixiori sermone, tentatum a Marco Varone. Et hi denique superstites sunt, quos æquare non licet ingenio aut felicitate seu ornatu. * In Historia præsentia non necessaria multis habentur, obsoleta spernuntur mutatis locis, nominibus, moribus. Prima ætas historiarum est in imperio nascente rudis & fabulosa; secunda, dum viget & fluctuat imperium, atque tum historiæ vigent. Ubi decidit, & senescit imperium, linguæ mutantur, & historiæ & scripta senescunt. Poëtica ob figuras & numerum diutius durant, præsertim in lingua elegante. Mathematica, quia ad rerum usum pertinent, ac simul jucunda sunt, & sub sensum cadunt, durabilia sunt, semperque per gentes & sæcula, instigante usu & necessitate, resuscitantur. Quæ vero e naturalibus & medicis disputationi subjacent, ut ambiguarum fidei, ita non ab omnibus æstimantur, aut diu in pretio sunt. Hinc est, quod tam multa Philosophorum & ipsius Aristotelis scripta periere. Ciceronis opera cum linguæ Latinæ cultu efflorescere ceperunt, sique illa decidet, ea quoque intercedent.

Accedit ingeniorum diversitas, eorum vel sublimitas vel humilitas, unde sua quoque fata libri habent, si temporum & hominum simul conditio expendatur. * Extat elegans Cardani Observatio *lib. 2. Paralipom. cap. 5.* quod hominum cognitio circulo quodam redeat, nec longius progrediatur. Humana cognitio, seu ad unumquemque, seu ad gentem unam, seu ætatem, seu ad universum genus referatur, non in infinitum procedit, sed nec longius digreditur ab incitia, aut, ut honestius loquar, a primis principiis: unde Philosophi decepti sunt late, aut nugantur, si non erint. Omnes gentes & sæcula & ætates circa suam sapientiam aut eruditionem volvantur, & iidem etiam homines. Parum autem distat hæc sapientia a cognitione principiorum, & eorum, quæ sensu acquisita sunt. Neque enim tota humana natura longius recedit, etiamsi non impediretur calamitatibus, quia non potest ulterius procedere, quam singuli homines: qui etsi adjuti longa plurium sæculorum ferie sapientia, non tamen sine prioribus posteriora intelligere possunt; quæ dum colligunt, meditantur, mors obrepit: & ob id quasi nescientibus nobis, quæritur homo spectatæ fidei ac sapientiæ, cui credere possumus, ut posterius intellecta pro principiis habere liceat,

liceat, atque ulterius discendo progredi. Ob hæc felici seculo natus illi Aristoteles dicitur, cum eam doctrinam amplexus sit, quæ inter sapientiam mediam & exactam humanam reposita sit. Hic ergo diagramma octo circulorum ob oculos ponit Cardanus. Centrum eorum est omnium istorum, quæ intelligi possunt, ignorantia, qualis in infantibus ac belluis. Qui hoc ambit circulus, est cognitio principiorum, velut a septimo anno ad quartum decimum. Secundus circulus est eruditionis juxta ætatem, a quarto ad vigesimum primum. Tertius circulus est eruditorum simpliciter; quartus est sapientum regionis suæ: quintus sapientum seculi sui: sextus sapientum simpliciter: septimus sapientissimorum, in quorum ordine ille posuit Hippocratem, Aristotelem, Theophrastum, Plotinum, Euclidem, Archimedes, Apollonium &c. Octavus est divinorum; cujus excessus est juxta rationem centri in circulo: unde qui habuerit in primo, parum melior erit sapientissimo: si quis autem in ultimo erit, velut immortalis; quod forsân vix contingere potest. Quælibet tamen hujusmodi melior est absolutissima sapientia humana. Quærunt tamen homines fructum excessus sui circuli, & ob id manent adhuc monumenta clarissimorum virorum: non ergo infinitum est hoc nostrum humanum scire, ut a centro ignorantia recedit, sed in se ipsum circulo revolvitur & maxime juxta mundi ætates. Id quod quasi demonstratione aliqua ingeniosus & ἐπιφαντασιώτος Cardanus ob oculos ponere voluit. Alibi libro 16. Paralipom. cap. 1. tria hominum illustrium genera constituit, qui ex actionibus præclaris famam sibi acquirunt. Sunt vero illi immodici, fortunati, sapientes: qui iterum vel bifariam vel trifariam jungi possunt, atque ex horum conjunctione omnem illustrium hominum differentiam fingit exemplis ubique adductis. Ex his, quæ diximus, apparet, omnes illos, qui maxime sunt πολύγυροι, atque omnia complecti animo volunt; nihil ad perfectionem scientiæ humanæ conferre posse; sed, cum omnia in orbem redeant, suis finibus subsistere, & ad ipsos carceres relabi.

- 28 Fuisse multos inter veteres polygraphos ex historia discimus; sed & ex errore titulorum multi Autoribus adscripti, quos illi non scripserunt, ut notat Jonsius in *Hist. Philos. lib. 1. cap. 2. p. 17.* Idem *lib. 2. cap. 8.* de Stoicis nonnullis Philosophis aliisque agit, quorum multi vastique extiderunt libri. Magnum eorum Catalogum rexit Baillerus loco supra citato. In his sunt Interpretes Sacri Codicis, libraria Juris, apud quos pene in legem abiit se mutuo exscribere, & molem augere librorum. Agit hic de Trismegisti libris, quos 36529. nonnulli numerant, de Callimacho Cyrenæo, Aristarcho, Zenone, Epicuro, Chrysippo, Theophrasto, Didymo, Servio Sulpicio, Varrone, Galeno, Esdra, S. Augustino, Alberto Magno, Thoma, Raimundo Lullio, Wiclefo, Alphonso Tostato, Jehanne Indagine, Paracelfo, Luthero, Zwinglio, Melanchthone, Calvino, Bulingero, Musculo, Rudolpho Gualtero, Moyse Amiraldo, Salmerone, Bellarmino, Cardinale de Lugo, Gretsero, Schotro, Suaresio, Vasquez, Lorino, Cornelio a Lapide, Sanchez, Hazarto, Niremergio, Petavio, Theophilo Raynaudo, Labbeo, Escobaro, Kirchero, Antonio Diana, Petro d'Alva & Astorga, Carmuele, Josepho Pellizero de Salas, Lope de Vega, Baronio, Raynaldo, Ughello, Carda-

Cardano, Aldrovando, Licero, Bartolo, Cujacio, Fabro, Barbofa, Farinaceo, Vincen-
centio Mariniero, & quibusdam aliis, de quibus ille singularia quædam me-
morat.

CARDANUS inter polygraphos a Bailletto numeratur, & merito: nam ipse 29
inter illos numerari gaudet. Etenim *Paralipomenon lib. 2.* diserte ait: *Atque hac parte
hisque duobus satis felix tum editis jam 126. libris, conscriptis aliis pene 200. & 60. prope auto-
res jam de nobis in suis libris mentionem faciunt.* Quæ, cum puerili quadam ambitione
ab illo dicantur, mirum non est, a Scaligero illum ob πολυγραφίας affectationem
exagitari, præsertim, cum & in libris de Subtilitate dixerit: *Generaliter quis non ha-
bendus est in pretio in aliqua arte, qui non multum scripserit, præterquam in Poësi & Mathe-
maticis;* quæ vellicat Scaliger *Exerc. 34.* ac adversus illum sustinet, remeritate atque
inscitia compelli nos ad multa scribendum. * Sed ille iniquior in Cardanum est, 30
quæque in contemptum ejus Operum adducit, meras calumnias spirant. Fuit
Cardanus sane magni ingenii homo, ac in pretio habendus est, quicquid etiam Sca-
ligero videatur. Etsi enim non pauca in illo sunt, quæ nescio quas ineptias sapere
videntur, multa tamen in illo sunt egregia atque admiratione omnino digna.

THOMAS CAMPANELLA, quem a Bailletto omissum miror, inter præcipuos 31
nostri temporis polygraphos etiam numerandus est. Portentum ingenii fuit, &
omnes fere disciplinas ad sensum suum reformavit. Quæ edidit ipse, non multa
quidem sunt, etsi satis illa operosa & spissa volumina. Ineditorum longe major
numerus est, ut ipse de libris suis librum scripserit, ubi illorum historiam recen-
set. Plura de illo in *Polyhistore Philosophico.* * CARAMUELLIS a LOBKOWITZ ut 32
multi, ita singularis ingenii sunt labores, de quibus peculiaris Index ab ipso Auto-
re editus est, additusque Bibliothecæ Ordinis Cisterciensis, quam Carolus de Visch
publicavit: verum plurimi sunt inediti. * Etiam JOACHIMUS FORTIUS RIN- 33
GELBERGIUS, Vir inexhaustæ diligentiae, ut inter polygraphos compareret,
omnem operam impendit. Notatu digna sunt, quæ ex ejus libro de ratione stu-
diorum narrat Melchior Adami in ejus vita. *Fuit ipsi in animo, si vita daretur medio-
criter longa, opuscula conscribere. millena, quorum corpori universo inde titulus esset Chilias.
Nullum perfecit librum, nisi, dum a typographo excuderetur: in quo hunc observavit modum:
Ante omnia animo concipiebat totum corpus operis futuri; deinde in tabula lignea maxime
amplitudinis cubica titulos solum capitum delineabat. Circumspiciebat hic diligenter, num cun-
ctæ bene cohererent: ubi res visa exigere, alios auferebat, alios addebat, mutabat, transpone-
bat. Titulorum capita, dum excogitatio recens esset, rudi oratione leviter singula in singulis
depingebat: quos ordine ponebat in tabula, ubi titulos prius collocarat. Hos postremo
scribebat typis, quo libri ordo universus aspectu uno posset comprehendi. Tum singulis
his capita aliquot ad prælum absolvebat: primum illis leviter descriptis aliquid addendo vel
ammiendo, deinde decore, suaviter, numerose omnia eloquendo.* * Inter polygraphos 34
cenferi etiam HENRICUS STEPHANI potest, Vir, si quis alius, ad juvandas
bonas literas promptissimus. * Sed in illo, quod multorum polygraphorum 35
virium esse solet, μικρολογίαν & multarum rerum inutilium confipationem
Tomus I. L1 damnat

damnat Vavaffor in libro de Epigrammate cap. 17. Ex Petro Puteano, narrat ille accepit quandam; fac. Aug. Thuanum. & sepe Stephanò & vehementer autorem fuisse, ut libros edere veterum pergeret sane, quoad vellet, & quamdiu suscepta operæ non pœniteret; scribere ipse libros desineret prorsus: ista ratione multo rei literariæ magis profuturum, magis sibi: quod illi consilium, ut audio, dederat antea Petrus Pitheus, vir ætatis in primis valdeque prudens. Sed quæ causa utrique hominem sic admonendi? Non una, opinor: quod facilis quidem, & solutus in scribendo, sed parum castigatus esset; quod ad nimia & frivola laboretur sæpe & adhaeresceret; nimium præcipiens, nimium emendans; omnia loqueretur de omnibus; assidue de se; cum scriptorem præterire multa, & reticere, & dissimulare oporteat, de rebus vero suis verbum facere nullum, nisi neces-
 36 sario, sit pars aliqua non tantum modestiæ, sed etiam prudentiæ. * Eadem quoque de vitis polygraphorum querela est Maresii libr. 2. epist. 9. ubi e polygraphiæ infans studio in hæc & similia Scriptores abire vitia judicat, ut rarum omnino sit, si quis in πολυγραφία rationem iudicii & prudentiæ habeat.

- 37 Reperiuntur tamen nonnunquam (neque enim negari potest) Heroës quidam literarii, ut appellare sane possumus, qui quasi in Oceanos librorum & scientiarum se diffundere possunt, sine aliqua *εγκρίσις* nota, & cum omnium etiam doctorum stupore & applausu. Non possum hic præterire maximi profecto viri & plane *δωμάριος*, P. FRANCISCI a S. AUGUSTINO MACEDO, Lusitani, olim membri Soc. Jesu, postea Minoritæ, Lectoris Jubilati, Publici Professoris Patavini, insignia Opera. Non adeo in vulgus nota est viri hujus historia, nec a quoquam plenius, quam
 38 Gregorio Leti in Italia regnante, parte 3. & 4. tradita: * Quare hoc loco, ubi de polygraphis agimus, inter singularia ævi nostri miracula recenseri omnino hoc exemplum debet. Ita de eo parte 3. lib. 3. Leti: *E un ingegno trascendentissimo, è mostroso, e senza di alcun dubbio uno maggiori Letterati che sien viventi. In Roma l'anno 1658. per tre interi giorni tenne publiche Conclusioni di quasi tutto lo Scibile, e l'istesso qualche tempo doppo, fece perotto in Venetia. Discorre all'improvviso dottissimamente sopra di qualsivoglia materia, si in prosa come in versi Latini, ed hà dato in luce fino ad hora piu di quaranta suoi Libri, molti de quali sono anche in foglio. Hà poco meno di ottanta anni, ed in una età così grave, continuamente, o studia, o scrive: E pure, vergogna del nostro Seculo, quando morrà, si potrà di lui dire quello che esso medesimo scrissè à carte 12. del dottissimo Abate Ilarione Rancati. Et tamen, tantus hic vir domesticis *ἀποταξάται* insignitus honoribus occubuit, & Monastico indutus habitu sepelitur. Cumulat inde
 39 plura elogia, quæ hic præterimus. * Pag. 209. adducit Patr. Archangeli de *ἁγίου* testimonium, quo nihil admirabilius, quam quod de poemate extemporali placidè intento simile scripsit, atque ita habet: *Interrogarunt & proharunt hominem innumeris questis & argumentis Doctores ac Magistri omnium ordinum, quibus ipse ad votum respondit, ac si premeditata omnia habuisset, tanta felicitate, ut nunquam titubavit, nunquam dubitavit, nunquam hæserit, nunquam cunctatus fuerit. Imo sæpe accidit, ut arguentibus, quæ objiciebant, aut obliuiscens, aut male recitantibus, ipse dicenda submitti-**

subministraret & corrigeret: Inter quos fuit unus, qui S. Scripturae locum male citarat; & alter, cui locus Virgiliti memoria exciderat; & tertius, qui nonnullos autores suspectos pro sua sententia allegaverat. Primo igitur testimonium S. Scripturae correxit: secundo versus Virgiliti suggestit: tertio subtraxit suspectos autores, & idoneos subministravit. Jam vero actio novissima de carmine extemporali admirabilis visa est omnibus. Is fuit entusiasticus hominis, ut plus, quam duo millia versuum repente effuderit; & argumenta sibi proposita extemporali carmine reddiderit: inter quae fuerunt duo; Gigantomachia & Furor Medae filios occidentis. Haec ille vix audita suscepit, & versibus ornavit ingenti plausu & admiratione. Fassi sunt omnes, nunquam se simile quidquam vel vidisse, vel audisse: nec sibi persuadere potuisse, unum hominem tot tamque diversa genera scientiarum complexurum fuisse. Mirati & acumen, & eruditionem, & eloquentiam, & venae poeticae ubertatem. Terminavit actionem Epigrammate in laudem urbis Venetiarum pari omnino illi celeberrimo, ab insigni Poeta Jacobo Sannazario composito: Quod, quia excellens habitum fuit, in Bibliotheca Publica S. Marci Autoris manu scriptum affigi jussim, & praeterea ad usum communem typis mandatum. Itaque eum virum dignum Senatus judicavit, qui civitate Veneta donaretur, & cui cathedra Patavina, quae tunc vacabat, liberali stipendio praeter consuetudinem aucto assignaretur. Depingi vero eum suis sumptibus curavit Illustriss. ac Excellentiss. Dominus Antonius Grimanius, tunc Orator ad summum Pontificem destinatus, & hodie apud ipsum Legatus. Sed pictura opus non erat ei, cujus fama futura erit immortalis. Quis non cum stupore legat, quae alii cum stupore audierunt. * Neque sane levia & 40
vulgaria ejus carmina fuere, qualia quis ab homine Scholasticis, Philosophicis, & triticis immerso exspectaret, sed excelsa, sublimia, erecta; dictione, inventione & acumine admirabili: quale illud est, quod in Reginam Christinam ab illo scriptum habeo. Elegans in Helenam Piscopiam, virginem doctam, Epigramma extat apud eundem Leti part. 4. lib. 1. pag. 71. & inscriptio argutissima in Bibliothecam Baptistae Nanni pag. III. Operum ejus Catalogus integer neque apud Nicolaum Antonium, neque apud Alegambium extat. Ipse vero Catalogum ad Magliabechium scripsit, quem hic e Gregorio Leti part. 4. lib. 5. apponam, ut & ingenii summi & inexhaustorum laborum hic specimen sit. Scripsit in Societate Jesu constitutus Apotheosin S. Francisci Xaverii Epico carmine, Olisipone anno 1621. Apotheosin S. Elisabethae Reginae Lusitanae Epico carmine, Conimbrica anno 1624. Theses Rhetoricas in unum volumen collectas, Madriti anno 1628. Epitomen Chronologiae ab orbe condito ad Christum natum anno 1632. Artem Poeticam justo volumine. Haec non vidit lucem. Elegias VII. Has in libris non numero. Typis mandatae sunt Lugduni anno 1626. Vitam Domini D. Ludovici de Ataide, Lingua Hispanica in 4. Madriti anno 1633. Historiam recentium Martyrum Japonensium, eadem lingua in 4. Madriti anno 1632. In ordine S. Francisci hi ab illo libri prodierunt: Apologeticus pro Lusitania vindicatae Parisi anno 1641. in 4. Jus succedendi in Regnum Lusitaniae cum Historia Lusitanae, & Schemate Genealogico Competitorum de Regno Lusitaniae Parisi.

in fol. *Elogia Gallorum, Aquis Sextiis eodem anno 1641. in 4. Descriptio Ville. Ju-
 quii, & Sanctæ Baumes, i. e. Spelunca S. Magdalena, Aquis Sextiis eodem anno 1641.
 versibus in 8. Panegyricus Urbano VIII. Apes Barbarinae, Lyra Barbarina. Roma.
 Vetus & Nova, carmine Heroico in unum volumen conjuncta, Roma anno 1642. in 4.
 Honor vindicatus, Rupella anno 1642. in 8. Philippica Portugesa Hispanice, Olispone
 1643. in fol. Propugnaculum Lusitano Gallicum Paris. anno 1646. in fol. Laurus Har-
 courtica, Parisiis anno 1647. in 4. Cortina Augustini Paris. anno 1648. in 4. Tessera
 Pontificia pro dignitate & autoritate Papæ, Londini anno 1652. in 4. Controversia Ec-
 clesiastica inter fratres Minores, Londini 1653. in 8. Lituus Lusitanicus contra Tubam
 Anglicanam, Londini 1652. in 4. Mens divinitus inspirata Pontifici Innocentio X.
 super quinque Propositiones Jansenii, Londini 1654. in 4to. Scrinium Augustini, Londini
 1654. in 4. Domus Sadica, id est, Familia Nobilium Lusitanorum cum eorum gestis
 descripta Londini anno 1654. in fol. Rosa Alexandrina, id est, Electio Pontificis Alexan-
 dri VII. cum Panegyrico & Poëmatis omnis generis, Roma anno 1655. in 4. Pallas
 Togata, id est, Regina Succie ad fidem conversa, Roma anno 1656. in 4. Encyclopaedia,
 Roma an. 1657. in fol. Vita S. Jo. de Matba, & Felicis de Valois, Fundatorum Or-
 dinis Redemptorum SS. Trinitatis, Roma anno 1660. in 8. De Clavibus Petri, Roma
 anno 1660. in fol. Archigymnasi Romanæ Sapiëntia Descriptio, Roma 1661. in 8. The-
 atrum Meteorologicum, Roma 1660. in 12. Diatriba de Adventu S. Jacobi in Hispani-
 am, Roma an. 1662. in 8. Controversie selectæ, Roma an. 1663. in 12. Scholæ The-
 ologicae Positiva, Roma an. 1664. in fol. Assertor Romanus, sive Vindicie Romani Ponti-
 ficis, & Pontificatus, Roma an. 1666. in fol. Vita Theresæ & Sanctæ Reginarum Lu-
 sitanarum, Roma an. 1667. in 8. Conventus Euchologicus Ven. 1668. in fol. Vita S. Tu-
 ribii Archiepiscopi Limani, Venetiis 1668. in 4. Pictura Veneta, Venetiis 1669. in 4. Col-
 lationes S. Thomæ & Scoti ad 2. Sententiarum, Patavii in fol. Azymus Eucharisticus, Ve-
 rone an. 1673. in 8. Disquisitio Ecclesiastica super Azymo Eucharistico, Verone 1673. in
 4. Commentationes duæ Polemicæ pro S. Augustino & c. Verone 1674. in 4. Responsio ad
 Notas Critici, Verone an. 1674. in 4. Myröthectum ex documentis Moralibus, Patavii
 1675. in 4. Libri, qui perierunt: Historia expeditionis Brasiliæ ad Babiam recuperan-
 dam, an. 1625. in 4. Liber de generibus & differentiis styli, tum Rhetorici, tum Poëti-
 ci, tum Historici, tum Epistolari, Comibrice 1626. in 8. Vita Pii Viri Domini Joannis
 Laici Jesuitæ, tum Latine, tum Lusitanice in 8. Scientia Rhetorica, Madriti in 4. In
 fol. casu amissa. Scientia Poëtica, Opus accuratissimum, Madriti in fol. Amulorum frau-
 de interversa, Bella Hispanorum cum Gallis, lingua Hispanica, Madriti in 4. Inve-
 nta apud Ducem de Villa hermosa. Descriptio Poëtica Heroico, carmine Palæsti Madri-
 tensis rusticani. Reperietur in Bibliotheca Comitum de Olivares 3. milliâ versuum Epi-
 corum. Adversaria collecta ex omnibus operibus S. Augustini. Ingens tomus. Hunc
 meum ordinis, quod erat interpunctus, & ex chartis solutis male composi-
 tus esse aliquod opus inutile, combussit, magnò meo dolore, & aliqua, opinor, do-
 culimane jactura. Vita S. Rosæ Limensis Dominicanæ, quæ prima omnium
 scripta*

(scripta sūt, servatur ad Mineru. Romæ in 4. Libri confecti & in lucem edendi: Historia de Bello Lusitanico, dudum, ex quo fui in Anglium missus, interrupta; cuius libri duo, ad ideam Titi Livii sunt confecti; & meam adhuc expectat perfectricem manum. Liber de Conciliis universalibus, & particularibus in fol. Liber Apologeticus contra Caronem & Valsum, Romane Ecclesie Adversarios in 4. Calamitas erudita in 4. Diatriba de Opinione probabili in 4. Lucerna Macædi in 8. Dissertatio de validitate Matrimonii Ethnicorum, præsertim Tunchinensium Barbarorum in 4. Traductio Ludovici Camonii Principis Poëtarum Lusitanie in Latinam linguam Heroico item carmine, Opus magni laboris & accuratioris, in 4. Continet Myriadem ferme versuum, totidem Poëte versibus respondentium. Subdit prælo tertium tomum Collationum in 3. Sentent. S. Thomæ & Scoti. Habet præ manibus librum inscriptum, Prosper redivivus contra Narratorem (hoc est, contra Patrem Noris). Urget alium, cuius titulus est: Accipiter, sive Sparaverius, Rafreerii plumis vestitus, deplumatus, & viginti quinque errorum convictus (Rafreerii per anagramma Ferrarii). Subjungit huic suo catalogo illa: erit, qui velit nosse opera vaga & solitaria. Hæc, quod sunt plurima, ægré numerari possunt, & ægrius inveniri. Verum obiter attingam. Panegyricos dixi quinquaginta tres. Orationes Latinas habui sexaginta. Laudationes, sive Funebres Orationes, triginta duas. Poëmata Epica recitavi publice quadraginta octo. Elegias composui centum viginti tres. Epitaphia centum quindecim. Epistolas dedicatorias ducentas duodecim. Familiæ septingentas. Poëmata Epica juxta bis mille sexcenta. Elegias quingentas. Odas centum decem. Epigrammata, & id genus alia plusquam tria millia. Comædias Latinas quatuor. Satyram unam Hispanice. Carmina, quantum recolendo præterita consequi possum, omnis generis, quæ scripsi, ac ex tempore fudi, ea opinor centum & quinquaginta myriades posse conscire. Tandem animadverto, de multis me questionibus fuisse consultum: earum Responsa, quæ sunt dispersa, si colligantur, ingentem Tomum efficiunt. Accenset alios Gregor. Leti Panegirico sagro, del' Serafico Padre San Francesco, Discorso Academico, qual goda con più diletto la Rappresentazione Comica ò Tragica, ò missy di un Palco; se un Cieco che senta, ò un Sordo che veda. In Padoua per il Cadorino 1676. in 4. L' Academico Umorista Romano, Ricourato Padouano, & nonnulla alia.

Accensendi sunt & Locorum Communium & Bibliothecariis Scriptoribus illi, qui minutos, vel unius vel multorum Autorum labores in Volumina colligunt, ne illi intereant, sed publico bono serventur. Recte ergo etiam illos BIBLIOTHECARIOS vocamus, cum multa Volumina colligendo Bibliothecam faciant, & Bibliothecis interserviant. Ita in libris sacris habemus Bibliothecas Patrum, Biblia Critica: in Jurisprudentiæ Oceanum Juris, seu Tractatum Tractatum. In Historicis mediæ ævi in Volumina colligendis, quam diligentes fuisse Goldastus, Freherus, Lindebrogius, Schardius, Ursinus, Reuberus, Pistorius, Reineccius, Meibomius, cujus nepos novum nunc corpus promittit, Bongarsius, Piræus. Laurentius Strauffius in Theatro Sympathetico multos, qui de Sympathia & Antipathia rerum scripsere, congestit. Gruterus in Face Critica omnes Scriptores Criticos suorum & præcedentium tempo-

rum collegit, sub nomine Rhanutii, Gheri Poetas Gallos & Germanos. Elzevirii & Blauii in Rebuspublicis & Arantibus edendis operosi fuere. Hortlederius, Lundorpius scripta, ad res Germanorum pertinentia, Voluminibus certis complexi sunt. Sunt, qui Concilia & Synodos, universales ac particulares, Historicos Hispaniæ, Galliæ, earumque gentium, in unum corpus compegerunt. Habentus Theatra Chymica, artem auriferam, in quibus Chymici Scriptores continentur. De quibus singulis nunc non est dicendi locus.

C A P. XXIII.

DE

EPISTOLARUM SCRIPTORIBUS.

- §. I. Epistolarum Scriptores ad rem & historiam literariam multum conferunt. 2. Hi quid à Biographis differant. 3. Magna est in commercio epistolari iucunditas. 4. Difficultates in scribendis Epistolis ex Erasmo producuntur. 5. Cum Responsoriis edenda. 6. Epistole secundum seriem temporum ordinandæ. 7. Lacune in illis indagandæ. 8. Indices addendi. 9. Doctorum hominum literæ in unum corpus colligendæ. 10. Rolandi Maresii Epistole Philologicæ laudantur. 11. Græcorum Auctorum Epistole. 12. Ciceronis Epistole ad eloquentiam & cognitionem status Romani maximopere commendantur. 13. Illarum præstantia defenditur. 14. Ciceroniani κενόσηλοι ab Erasmo aliisque notati. 15. Erasmus inclementius Ciceronem tractavit. 16. Jul. Cas. Scaligeri Declamationes adversus illum. 17. Sed & illa in Erasum injuria. 18. Multi fuere inepti Ciceronis Censores. 19. Ejus Epistole ad Atticum ob prudentiam politicam laudandæ. 20. Plinii Epistole à quibusdam Ciceronianis male præferuntur. 21. Michaelis Neandri Elogium de illis. 22. Seneca Locorum Comm. Scriptor. 23. Ejus & Pliniorum latinitas impugmata. 24. Patrum quorundam Epistole. 25. Sidonii Apollinaris Epistole ob historiam commendandæ. 26. Cassiodori Epistole. 27. Petrarche. 28. Gasparini, 29. Aretini, Philelphorum & c. Epistole. 30. Angeli Politiani Epistole. 31. Magnæ Barthii de eo elogium. 32. Diversum Manutii judicium. 33. Hermolai Barberi epistole. 34. Scaligeri, 35. Erasmi, 36. Scioppii, 37. Floridi Sabini, Pauli Cortesii, Capaccii de Politiano judicium. 38. Petr. Bembi, Joh. Casæ aliorumque Italorum Epistole. 39. Rudolphi Agricola, 40. Marsilii Ficini, 41. Joh. Neri Mandulani, 42. Thoma Mori Epistole. 43. Epistolarum obscurorum virorum auctorem Uldaricus Huttenus. 44. Erasmi Epistolarum Opus commendatur. 45. De stylo ejus judicium. 46. De stylo Barthii & Grotii judicium. 47. Comparatur stylus Erasmi cum stylo Budeano. 48. Multa in illo Historica sacra & civilia. 49. Vincentii Fabricii, 50. & aliorum de his Epistolis elogium. 51. Melanchthonis Epistole carumque variæ partes. 52. Statum illorum temporum in sacris exhibent. 53. Stylus Melanchthonis. 54. Camerarii Epistole laudantur. 55. Aonii Palearii Epistole ad indolem Ciceronis scripta. 56. Goldasti Epistole Philologica. 57. De Manutii

Manutii Epistolis varia elogia & judicium. 58. Quid Muretus de Italis in universum senserit. 59. Bunelli Epistola. 60. Mureti Epistola. 61. De iis judicium Erythraei & Scaligeri. 62. Rogeri Aschami Epistola. 63. Joh. Sturmii elogium. 64. Bonciarii. 65. Reinesii Epistola. 66. Christiani Daumii Lexicon vocum medii aevi. 67. Casauboni Epistola. 68. Earum ditio. 69. Compositio varia aliam indolem stylo largitur. 70. Julii Cas. Scaligeri. 71. Josephi Scaligeri Epistola ab ipso, & Gallicæ ad hunc scriptæ commendantur.

EPISTOLARUM SCRIPTORES ad Bibliothecarios omnino referendi sunt: ex illis enim multa hauriri possunt, quæ ad omnem rem & Historiam literariam pertinent, ubi a Vitarum Scriptoribus discesserimus.

* Biographi multa exponunt Scriptorum consilia & arcana: elogiorum quoque Scriptores: quanquam hi in laudem proniores sunt, ut Sammarthani, Crasus, Ghilinus aliique, de quibus supra; quibus addi possunt Monumenta illustrium virorum & elogia Trajecti ad Rhenum a Zyllo publicata, ac picturis Tobiaë Fendtii illustrata ann. 1671. in fol. Sed omnes illi testimonium de aliis perhibent: in epistolis vero sui characterem ipse Autor depingit. Quod si enim e colloquiis eruditorum proficimus, etiam ex epistolis, quæ colloquia absentium sunt, magni ad nos fructus redundabunt; præsertim cum secretiora in illis tractari soleant.

* Historia vel civilis vel literaria præteritorum temporum nobis jucunda erit, quam ex epistolis virorum illustrium nobis eo plenius ob oculos ponere possumus, quo evidentior est in illis typus rerum & personarum practicus, unde perspicaci aliqua solertia multa eruent, qui Historiæ illorum temporum non sunt omnino ignari. Commendat hoc Vincentius Fabricius epistola, quæ est inter eas, quæ cum ceteris ejus Poëmatibus novissime prodierunt, secunda: *Quem non delectent, inquit, familiares isti, & quasi a presentibus habiti virorum magnorum sermones: quorum imago est Epistola? quantum ibi jocorum: quantum etiam querelarum; & quatenus per ludum inter amicos licet, convicio- rum? Annon te felicem crederes, si licuisset annos aliquot conversari cum Politianis, Manutiiis, Erasmiis, Caseliis, Scaligeris, Lipsiis, Muretis; eorum mores, vitam, etiam cum in letis rebus, cum in tristibus essent, cum serio aut per remissionem agerent aliquid vel scriberent, inspicere? Jam vero talium Epistole cum omnibus te conjungunt quodam, & dulcissimo contubernio.* Hæc quidem recte Vincentius.

* Sed varia sunt in Epistolarum Scriptoribus consideranda; variæ ipsi Scriptoribus difficultates in Epistolis edendis proponuntur, de quibus nemo plenius, quam Erasmus in Epistola 1. unde hic adducemus nonnulla: *Ad Epistolas scribendas fortasse non ita valde videri poteram ineptus; verum alioqui multæ res erant, quæ me ab hoc genere deterrebant.* Primum, si epistole carent veris affectibus, neque vitam ipsam hominis representant, jam Epistole nomen non merentur: quales sunt Senecæ ad Lucilium, atque adeo inter eas, quas olim scripsit Plato, quasque ad Apostolorum (ut apparet) imitationem scripserunt Cyprianus, Basilius,

Basilius, Hieronymus, Augustinus, perpaucæ sunt, quas libros rectius appellaris, quam Epistolæ. Porro, quos nobis reliquit, nescio quis Bruti nomine, nomine Phalaridis, nomine Senecæ & Pauli, quid aliud censerî possunt, quam declamatiunculæ? Verum autem illud Epistolarum genâs, quod morès, quod fortunam, quod affectus, quod publicum simul & privatum temporis statum, velut in tabula representat, cujus generis fere sunt Epistolæ Ciceronis, Plinii, & inter recentiores Aneæ Pii, aliquanto plus habet periculi, quam historia rerum nuper gestarum; periculose (ut inquit Flaccus) plenum opus alicæ. Proinde, si quid edendum sit in hoc genere, nulli velim autor esse, ut ipse virus edat, sed tyroni cuiquam hoc det negotiû. Quamquam hic in edendis patroni sui monumentis plus studii, quam iudicii creditur attribuisse. Si ve laudes, sive vituperes aliquem, non deerunt, qui offendantur. Ut ne commemorem esse quosdam, qui ne laudari quidem sustineant libris editis: sive, quod dedignentur a quovis nominari, sive quod vereantur, ne cui veniant in suspicionem Φιλοκαλακίας. Quo magis admiror divum Bernardum Epistolæ suas evulgasse, in quibus tot nomina carbone notantur. Nunc si quis Jacobitæ aut Carmelitæ meminerit, vel suppresso nomine, nisi multa cum honoris præfatione, res videtur digna lapidatione. Jam & illud est incommodi, quod, ut sunt res mortalium, ex amicissimis nonnunquam redduntur inimicissimæ: & contra, ut & illos laudatos, & hos doleas affectos. Postremo ne fama quidem Autoris satis consulitur, quod plerique ex una quapiam Epistola totum æstimant hominis ingenium, cum aliquoties scribamus videnti, nonnunquam dormitantes; interim lassî, interim etiam agroti, aut aliud agentes, nonnunquam alieno stomacho, frequenter ad ejus, cui scribimus, vel captum, vel iudicium, orationis habitum attemperantes. Unde fit, ut imperitis veniamus in suspicionem inconstantie, cum ea varietas, ætatis, affectui, personis & rebus in diversum mutatis, sit imputanda. Hæc cum alium, quamlibet felicem, ab edendis epistolis merito deterreant, me tamen illud peculiariter dehortabatur, quod, cum mihi semper fortuna non solum humilis fuerit, verum etiam constanter iniqua, neque is vitæ tenor, ut eam velim aut possim ab omni crimine vindicare, non erat, cur vellem utriusque multa vestigia superesse. Atque hæc ratio fortassis & illos moveret, ad quos scribimus, qui, quod per literas velut in suum effutunt amicum, nolunt omnibus prodi; cum sint, qui nati Gratiis iratis nihil non interpretentur in pejorem partem. Sæpenumero fit, ut, quod in convivio aut inter candidos homunculos dictum gratiam habet, si idem loco non suo dicatur, aures excitet tragedias. Hac quidem de causa pauciores admisimus ex his, quibus respondemus, & tamen aliquot adjecimus, præsertim eruditorum: partim, quod me piguerit laboris, quem Angelus Politianus fere sumit, in repetendo argumento Epistolæ, cui rescribit; partim quod, ut addas argumentum, tamen aliquid lucis ac vitæ videtur desse, ni prius legas eam, ad quam respondetur. Hæc ex Erasmo prolixius adducere potuit. * Illud tamen ego velim, in Epistolarum Scriporibus semper responsorias adjungi: ita rectius de omnibus iudicarem. * Velim & tempora Epistolarum sollicite adnotari. Quæ duo non sine causa desiderat in Epistolographis Thomasius præfatione illa, quam Boxhornii Epistolis a se recisis præmittit. Quare laudanda est Manutii, Siberi, in ordinandis Ciceronis epistolis opera, unde multum lucis historiæ accedit. Idem Johannes Aurifaber in Lutheri, Joachimus Camerarius in Me-

in Melanchthonis Epistolis fecit. Commendat eo quoque nomine Boxhornianas Thomafius. * Reperiuntur & in nonnullis Epistolis lacunæ vel ænigmatica & peregrina nomina, quorum in Scaligerianis & Casaubonianis Epistolis clavem dedit Colomelius, opusculis suis literariis adjectam: qualia in Philippi Melanchthonis Epistolis passim quoque reperiuntur. Sed talia facile e frequenti lectione detegi possunt, quod de se ait Vincentius Fabricius Epistola modo laudata: unde Thomafius quoque loco citato adduxit: *Memini me non indiligenter legisse antehac, quæ extant, eruditorum literas, nec vero nunc, quoties otium ad eam rem fert, intermitto. Unde tantum, præter alia, profeci, ut nihil fere occulte in Lipsii, Scaligeri, Baudii, talium epistolis notetur, nullus carpatur, (nomen enim nunquam fere, ut scis, exprimitur) quem ego non, quis fuerit, vel divinem, vel sciam.* * Illud denique magnopere reprehendendum est in plerisque Epistolarum Scriptoribus, nullum illis adjici Indicem, qui de potissimis literarum contentis docere possit. Pauci admodum Epistolarum libri sunt, qui hoc nomine commendari possunt Erasmi, Richteri, Boxhornii, (edit. Lips.) * Illud quoque ego suaserim, si quis hanc operam sumere velit, ut eruditorum literas, hinc illinc in scriniis nonnullorum latitantes, perquirat, atque in unum corpus compingat, alioquin, nisi hoc fiat, perituras. Næ is optime de re literaria mereatur. Nos jam Epistolographos recensebimus, potissimum eos, quorum ad historiam literariam usus est. Primo ergo loco nobis nominabuntur

ROLANDI MARESII *Epistola Philologica.* Quoniam enim ille in Epistolis suis de rebus agit, quæ ad rem & Historiam literariam pertinent, merito primo loco nobis ponitur. Gallus fuit ille, Vir doctus, cujus extant duo libri Epistolarum Philologicarum, ad varios, tum in Gallia tum extra Galliam, Viros scripturarum: singulæ epistolæ continent argumentum aliquod de ratione studiorum instituenda. Jam enim de Grammaticis Scriptoribus, jam de Poëtis, jam de Loc. Comm. Collectoribus, de Versionibus, de Jurisprudencia, Theologia Scholastica, Antiquariis eloquentiæ singularibus, Historicis agit. In singulis multa habentur de Viris doctis judicia. Prima editio primi libri prodiit Parisiis ann. 1657. in 12. Altera prodiit post mortem Autoris auctior: nam Launoius & Valesii fratres omnes Epistolas in ordinem collegerunt, & singulis breviaria sua præfixerunt, in duos libros dispescendo. Prodiit Parisiis in 8. Ejus Elogium habet Petrus Hallæus, quod adjunctum legitur Vitæ Henrici Valesii, ubi simul habentur Epistolæ Maresianæ ad Valesios scriptæ. Novissime ann. 1687. Cl. Rechenbergius Lipsiæ & Francofurti recudi fecit. Rationes hujus sui libri reddit *Epistol. 1. lib. 2.* Idem *Epistol. 2. lib. 1.* de eo agit, cur Epistolæ nostrorum ab Epistolis veterum tantopere differant degenerentque, cujus hanc rationem dat, nos non secundum artem & ἀνάλωσιν Dialecticam procedere, quod Cicero aliique faciebant; ii præterea inter publica negotia studia tamen sua non omittebant, sed semper aliquid scribebant. De Epistolarum variis generibus idem *lib. 1. Epist. 1.*

E Græcis Aldus olim Venetiis duobus tomis *Autorum 177. Epistolas* excudit SOCRATIS, ANTISTHENIS, ARISTIPPI, XENOPHONTIS, ÆSCHINIS, Tomus I. M m PHI-

PHILONIS, PHÆDRI & aliorum Socraticorum Epistolas edidit Leo Allatius. Cujacius *Epistolas Græcas* uno Volumine collegit cum interpretatione Latina: qua versione nullam futiorem habet Barthius *Advers. lib. 40. c. 19.* putatque illam Cujacio affingi. De ARISTÆNETI *Epistolis*, earumque interprete vide Barthium *Advers. lib. 45. cap. 6.* De vero earum autore idem disquirat *lib. 55. cap. 8.* LIBANII 40. sunt editæ Cracoviæ: quasdam ineditas Epistolas Holstenius misit Lambecio, multaque de Aristæneto habet in iis Epistolis, quas ad se scriptas Commentarius suis de Bibliotheca Vindobonensi inseruit Lambecius. Inter recentiores habemus Budæi *Epistolas Atticas*, singulari veniunt scriptas. * Inter Latinos principem locum CICERO, disertissimus ille Romuli nepotum, tenet, cujus habemus *Epistolas ad Familiares, ad Atticum, ad Q. Fratrem, Brutum*, tum civili sapientia plenissimas, tum ad amantissimam genuinæ Eloquentiæ factas: e quibus eas, quæ ad Atticum missæ sunt, Viri doctissimi rectius *familiares* fuisse nominandas censent, cum earum pleræque videantur genere sermonis abrupto & extemporali scriptæ. CASELIUS *Libello de Ludo Literario recte aperiendo* in tironum gratiam familiares epistolas deligendas suadet ex omnibus Ciceronis Epistolis, quæ familiari filo ac epistolis proprio scriptæ sunt. * Nam certe Epistolæ ad Familiares, ut Ludovicus Vives putat, non eo sermonis genere conscriptæ sunt, quo domi utebatur Cicero; in multis sunt lectissima argumenta, selectis etiam verbis tractata: scribuntur ad Reip. Romanæ viros principes: ac indicat facile ipse numerus ac periodorum mensuram curam illam, quæ non adeo reperitur in Epistolis ad Atticum, ubi multa sunt abrupta & hiantia. De præstantia *Epistolarum Ciceronis* singularem Dissertationem JAC. PONTANUS scripsit, qua Ciceronis eloquentiam contra novatores nonnullos, Erasnum, Politianum & Belgam quendam Anonymum, defendit, monstratque, quam in omni epistolarum genere, quod adeo multiplex & varium est, unice triumphet Cicero. Nam & rebus accommodare argumenta, argumentis elocutionem, elocutioni numeros & decentem illam copiam novit; ut, qui simile præstiterit, e tota antiquitate inveniatur nemo, ipso Seneca teste: *Compositio Ciceronis una est; pedem servat curata, lenta & sine infamia mollis.* Sed ipse in stylo interdum varius est: scripsit enim nonnulla juvenis, quæ senex improbavit; cujus exempla affert Sebastianus Corradus in *Questura sua*, libro elegantissimo, in quo tota Ciceronis vita refertur. De *vario Epistolarum Ciceronianarum genere* commentarium Henricus Stephani edidit laboriosum, nec indoctum. * ERASMUS, adversus quem differit Pontanus in laudata dissertatione, junior adhuc quædam scripsit, non tam contra Ciceronem, quam contra malos Ciceronis imitatores in Dialogo, cui *Ciceroniani* nomen fecit. Non enim ferre homo perspicacissimus, Longolium aliosque se efferre Ciceronianarum nomine, quasi illi soli Latine loqui scirent, reliqui omnes barbaro ore creparent, cum illi vim imitationis Ciceronianæ neutiquam intelligerent, Centonum potius factores, quam veri imitatores; quorum factus, ut judicat vir doctus, Ciceroni non ut homo homini, sed ut simia, similis esset. * Sed fervore disputationis abreptus quædam licentius in Ciceronem dixit, quorum tamen postea penituit.

nituit. Nam ipse non semel temeritatem suam accusat. * Causa tamen nulla erat, 16
 quæ commovere JULIUM CÆSAREM SCALIGERUM ad tam acerbas *Declamatio-*
nes potuerit, quas *Eloquentiæ Romanæ Vindices* appellat, in quibus miris modis lacerat
 Erasmus. * Sed & ipsum postea suæ acerbitalis pœnituit, quam invidendo elogio 17
 in mortem ipsius conscripto expiavit; & filio ejus teste, in Excerptis Scaligeria-
 nis suppressæ sunt illæ Orationes, aliæque, quæ contra Erasmus scripserat pater.
 * Sed vetus ille error est, quod olim Quintilianus de Scholasticis dicebat: *Nemi-*
nem inter illos fuisse, qui non sibi persuaderet, se ante Ciceronem numerari debere. Id & hodie 18
 hominibus nonnullis accidit, Scholasticis præcipue, parum in usu dicendi exer-
 citatis. Viri etiam docti, ingeniosi, si aliam viam ingressi fuerint, ut sunt hominum
 ingenia varia, facile abripiunt in suum errorem alios; qui, cum gloria sua capian-
 tur, non obloquuntur aliorum judicio. LIPSIUS quoque Ciceronem magnificis
 laudibus evehit, passim tamen in Ciceronis imitatores declamat. Non injuria ita-
 que Franciscus Vavassor *lib. de Epigr. p. 163.* Robertum Constantinum reprehendit,
 qui in Lexico suo Græco-Latino Budæi Epistolas ad lectionem commendat, ac Ju-
 stum Lipsium, quod in epistolis Angelum Politianum Ciceroni & Plinio socium ad-
 jungere voluit. De variis *Epistolarum Ciceronianarum Commentatoribus* legi potest SPA-
 CHIUS in *Nomenclatore Philosophico.* Legi etiam potest *Oratio MURETI XVI. lib. 2.*
 qua Vir ipse eloquentissimus ostendit Epistolarum Ciceronianarum præstantiam.
 * Ciceronis Epistolæ ad Atticum ob prudentiam politicam imprimis commendari 19
 debent: statum enim Reipublicæ, qualis tum erat, describunt; ita, ut quemadmo-
 dum Cornelius Nepos ait, eas qui legat, non multum illorum temporum Histori-
 am desideret. E Ciceronis Epistolis extemporalem se facundiam nactum faretur
 Hermannus Buschius, teste Freinshemio, *Orat. 4. p. m. 46.* De Ciceronis Epistolis
 extat Sidonii judicium ambiguum, quod examinatum vide a Barthio *Advers. lib.*
47. cap. 9.

Post Ciceronem in Latina lingua PLINII JUNIORIS *Epistole* adeo nonnullis 20
 placuerunt, ut vel ipsi Ciceroni anteponant: in quo tamen errare illos certum est.
 Recte de illo Ludovicus Vivès: *Plinius succinctus & festivus, facetus & acutus, & fre-*
quens concinnis sententiis, doctis atque acutis ingeniis mirifice est aptus, qui scholasticas inter se
mittunt epistolas & umbraticas, quibus oportet plus ornatus & condimenti adjungi, quando re-
bus non perinde nituntur. Nam certe non elucet in illis tanta rerum varietas, tantus
 orationis splendor, qui in Ciceronis Epistolis, de rebus gravioribus ad viros prin-
 cipēs scriptis. Sed nostro tempore adeo delectavit dictio Pliniana nonnullos, ut
 non tam illam dicendi sibi proponant: a plerorumque enim scriptis exulat ille nu-
 merus ac justa illa sermonis copia, quam in Cicerone deprehendimus; argutiæ ve-
 ro, breves periodi, numerus non valde quæsitus, sententiis hinc inde & dictionibus
 Græcis & Latinis conspersa ac pene obruta dictio delectant. Etenim cum Epistolæ
 ad Familiares & viros eruditos de rebus scholasticis scriberentur, non adeo fortassis
 absurda erat hæc styli affectatio; quæ tamen in vitium incurrit, si ad viros graves
 principesve in re seria & deliberanda argumentis hoc modo scripseris. * Mire

prolixus in ejus laudes est Michael Neander in præfatione Erotematum suorum p. m. 241. Plinius, scribens, in *Epistolis suis ita petit & commendat, ut extorqueat: ita gratias agit, ut referat: ita offert, ut largiatur: qua modestia laudat? quo ardore invehitur? quibus rationibus se alterunve purgat & tuctur? quam festivo, quam vere gratulatur? quam breviter, quam lucide narrat? quam apte, quam lepide jocatur? sentem, si lamentatur, videas, unaque collacrymabis; movet nemo benignius, nullus hortatur blandius: quæ omnia vir emunctus, acutus, acer, ea verborum puritate, varietate, compositione vestivit, ut hominibus, sententiis, salibus adpersit, ut nihil tersus, floridius, concinnius, nitidius, succulentius, acutius aut dici aut excogitari posse videatur.*

- 22 SENECA in *Epistolis Locos Communes* scripsit: ejus enim *Epistolæ* nihil aliud sunt, quam farrago variarum sententiarum, in unitatem argumenti redactarum. Tota Philosophia moralis Stoica quasi per lancem saturam in iis exhibetur: quam, cum comprehendere non poterat Seneca justo aliquo Systemate, aut unius libri argumento, in *Epistolas* conjecit vagi argumenti materias, quia sic commodius illa proponi poterant. Nihil est ejus scriptis argutius & sententiosius; quæ ego volvenda & revolvenda suaserim, ut promptitudinem habeamus variarum rerum & argumentorum in moralibus & civilibus; addo & in sacris ad populum Orationibus, quibus illa mirifice subvenire possunt. * Ad orationis corpus formandum legi non debent: nam sic instituta orationis forma extra hoc argumentum laudari non potest. Erasmus in Seneca sordidas voces reprehendit, sed defenditur a Buchnero *lib. de Com. dic. ratione cap. 15.* Sanctius quoque in *Minerva lib. 3.* latinitatem Senecæ multis in locis claudicare ait, qui tamen eo deteriorem in latinitate utrumque Plinium facit.
- 24 TERTULLIANUS multum Africitatis habet, judice Ludovico Vive: Asper enim est, & verbis monstrosus. CYPRIANUS mollior aliquanto, quanquam ejus gentilis, uti & AUGUSTINUS; sed minus tersus ac comrus. HIERONYMUS ardens & vehemens, ut videatur semper ad judices dicere causa capitali. AMBROSIUS lenior & placidior. SYMMACHUS sui seculi pene Cicero habitus est; sed mirum quantum distet ab Arpinate isto. Ejus *Epistolæ editæ* sunt ex recensione 25 Lectii & Jureti. Extant & in eundem Scioppij *Observationes.* * SIDONIUS APOLLINARIS Giraldo Gallicum & Barbaricum aliquid redolere videtur *Dialogos. de Poëtis*, quem tamen Barthius post Claudianum pro optimo Poëta habet, ipse non satis accuratus eorum censor. *Epistolas* scripsit stylo obscuro & perplexo, multum trahentes ab infectione illorum temporum, in quas tamen extant *Commentarii* doctissimi Savaronis & Sirmondi. Ceterum in Carmine, quod & observavit Vives de tradendis disciplinis, non adeo deprehenditur orationis scabrities, quam in prosa: numerus enim illam vel operit vel sustinet. De hoc similibusque Autoribus recte judicat Maresius *lib. 2. ep. 1.* *Sidonius, quanquam scabri, & molesti sermonis affectator, ob multa, quæ epistolis inserit, suorum temporum acta nusquam alibi invenienda, satis in pretio est. Quantumvis enim barbari scriptores, quorum libri viventibus ipsis propter verborum squalorem, vel quod aliud vitium, fortasse negligebantur, si historiam suorum tempo-*

temporum scripserint, vel quid historicum suis scriptis admiscuerint, postea tamen recipiuntur. Historia enim quoquo modo scripta delectat, & licet insulse scriptam, tamen quoniam notitiam temporum habere desideramus, & nos quidquam, quod usquam gestum sit, latere dolemus, ambabus ulnis amplectimur. * CASSIODORUS Go- 26
thica sribligine totus plenus est: qui omnes elegantiae studiose ab imitatione excludendi sunt.

Post illa tempora magno intervallo, velut stella inter densissimas tenebras, 27
emicuit FRANCISCUS PETRARCHA, qui tamen multum trahit ex rubigine ac
situ temporum suorum. * Multo post primus in Italia aliquid Latine balbutire 28
cepit GASPARIUS, cujus Epistolas Ludovicus Vives laudat, quod in seculo
doctorum primae. * Huic succedunt LEONHARDUS BRUNUS ARETI- 29
NUS, parum etiam cultus, & PHILEPHI duo, pater & filius, sententiis inanes &
subfrigidi, POGGIUS, quem garrulum & nugatorem vocat Lud. Vives, *Aencas Pius*
II. Pontifex, Silvius, Campanus, Sabellicus, Pomponius Latus, de quibus judicia vide Lu-
dovici Vives Instit. Epist. Ceterum Leonhardus Aretinus *lib. 8. Epist. Basil. 1535.* in
8. editis, singularia argumenta Philologica & Historica comprehendit, quae perti-
nent ad statum illorum temporum. Nam non pauca occurrunt de artibus aulae
Romanae; ut lib. 3. Epistolam habet de infelici statu Romanae curiae; item de ar-
tibus, quibus oporteat uti illos, qui Episcopatus ambiunt a Pontifice Romano,
& plura alia. Notissimus alioquin ille Autor est: fuit enim & ille inter primos
resuscitatores literarum in Italia, ac multa ex Autoribus Graecis in linguam Lati-
nam convertit.

ANGELUS POLITIANUS, quem Scaliger in Excerptis dicebat primum 30
sui temporis caput extulisse in literis, Ludovico Vиви acumine & festivitate ama-
bilis, nisi quod laudis nimia cupiditate supra Epistolae limites assurgit. Ludit ille
non raro, & lascivit; multis est in materia minuta sui ostentator; & dum selectas
quasdam voculas quaerit, circumducit lectorem pluribus, tum verbis tum sensis,
orationem onerans, quam erat opus. Quod iudicium Ludovico Vivi Claudius
Verdierus in *Censione sua pag. 156.* sublegit. * Magnus est Politiani Panegyristes 31
Barthius *Advers. lib. 47. cap. 5.* Inter ea, inquit, ingenia, quae restaurandis literis cum
favente fato praesuerunt, vel cum primis, nescio etiam an nullo pari semper ego aestimavi. An-
gelum Politianum: tanta in eo viro dexteritas, quocumque literarum se verteret, fuit, ut
nec nunc satis admirari dotem incomparabiles possit; licet nonnunquam tanto Heroi iniquior,
posteritas. Nec admiratus ego solum hunc hominem semper sum, sed quae ejus in scribendo
singulares Gratiae sunt, amavi etiam, affectu sane tenero; Quare minus etiam patienter
tuli sordida pedagogorum iudicia, qui ne quid minus in hoc, quam aliis scriptis divinitati
jam consensu docti orbis transcriptis, sapere videantur, nescio quas vernilitatis notas
inusserunt, vel inurere certe conati sunt, longe doctissimis ejus monumentis. Idem lib.
19. *Advers. cap. 17.* de eo: Stylus latinitate Romanos ipsos adit, Atticas Athenas, si ita
fari licet, Gracitate. Inventionum vero acumine, lectionis varietate, iudicii dexterita-
te, singularis illius hominis felicitas fuit, eaque quo rarior in utroque genere orationis
pari laude cui contingere solet, eo in isto gratior. Adde, quod pueritia incidit in secu-
lum

lum Sophistis dominantibus plusquam barbarum, quorum dogmata etiam tamen ita calluit, ut non minimum laborasse dicatur ad elegantiam Latinam tradicendis. His velut cumulus accedit in vulgari quoque Italarum nunc Idiomate rotunditas suavissima, qua plures etiam nulli alii rei studentes longe post se reliquit. Etiam Marefio lib. 2. capit. 1. Politianus

- 32 valde politus & elegans videtur. * Quam; ab his diversum Manutii iudicium! qui se cum Politianis & Erasms misere errantem in viam reductum a Bunello ait, ob hoc iudicium reprehensus a Marefio lib. 2. epist. 4. qui cum istis viris errare mavult, quam cum Bunello & Manutio sapere, quorum Epistolæ rerum sint inopes, verbis canoræ. Sed non desunt, quæ & huic responderi possunt, de
- 33 quo alio loco plura. * HERMOLAUS BARBARUS, cujus Epistola, Politianis Epistolis mistæ, durus esse videtur, qui quoddam styli genus affectavit ex obsoletis & recentibus vocabulis mistum. * Utrumque multis laudibus effert Germanus Brixius
- 34 Epistola ad Erasmum, quæ est inter Erasmanas libri quarti octava. Scaliger ipse in primis illis excerptis, a Fabro editis, ait, se tribus inter omnes literarum suscitatores invidisse, Gazæ, Angelo Politiano & Pico Mirandulano. Politianum Poëtam excellentem vocat, & in omnibus aliis, præterquam in Epistolis, quarum stylum imitari nolit, nimis elatum & oratorium, sed potius Cæsaris, Cassii, Planci, Bruti & aliorum apud Ciceronem, maxime vero Mutii & Cincinnæ & Plinii secundi, qui tamen non sit superioribus conferendus, uti nec Cicero, qui non simplici stylo sæpissime utatur.
- 35 * Erasmus lib. 12. epist. 7. in Zasio laudat Politianicam Venerem ac delicias, cujus viri ingenio semper ita sit delectatus, & nullo æque, in quo summa sit eloquentia.
- 36 * Reprehendit & Scioppius in lib. de Rhetoricarum Exercitationum generibus pag. 25. in Politiano, aliquem *novισμὸν*, quod scil. utatur verbis e variæ ætatis Scriptoribus dissimillimis petitis. Ita enim: *Ab hoc vitio non satis Politianus cavet, etsi id eum ingentibus virtutibus aliis redimere fatendum est.* Atque hoc vitium ille omnes Transalpinos affectare nimis licenter ait, qui non tam iudicii & elegantiae, quam variæ eruditionis laudem ferant. Excipit tamen e Germanis Rudolphum Agricolum, Joh. Rivium, Anton. Schorum, Franciscum Fabricium: ex Gallis Muretum, Hotomanum &c. Ex Britannis Thomam Morum, Buchanatum, quem ille omnibus Italis
- 37 præfert. * Floridus Sabinus pag. 10. Apolog. Politiani Epistolas Plinianis præfert. Paulus Cortesius Ep. de imitatione in Politiano reprehendit, quod nullum imitetur, atque ita vitiosam & dissimilem scriptionem instituat. De Politiano videatur & Capaccius Elog. lib. 2. pag. 350.

- 38 PETRUS BEMBUS Italus, si credimus Joh. Casæ in Vita ejus, ab illo scripta, ad verum Romani sermonis genium aliquid scribere cœpit. Jacebat tum Cicero, & Autores illi ætatis aureæ. Solus ille illorum pretium reduxit, atque Ciceronianum quid stylo expressit. Præter enim Politianum, quem Joh. Casæ minus dulcem ac minus elegantem vocat, nemo erat, etiam ex illis, quos nominavimus, laude aliqua styli dignus. Magnificandus itaque is Autor est ob honorificum adeo testimonium Joh. Casæ, qui Romanæ linguæ peritissimus fuit, ut hodieque ejus scripta, utur pauca, magni æstimentur

æstimentur Italis. De Longolio, Casa, Bembo, Sadoletto, Lazaro Bonamico, Romulo Amusæo Muretus agit *volum. 2. oratione 16.* deque iis judicat. Legendus de Bembo Capaccius *Elog. part. 2. p. 263.* De Sadoletto idem *ibid. pag. 265.* De Victorii Epistolis *ibid. p. 267.* Cujus Epistolas utut Latinas, ob nimias tamen ambages non probat Scaliger. Joh. Sturmius lib. Acad. ad Lipp. ita de Italis: *Bembus & Sadoletus scribere maluerunt Latine, quam loqui. Et quanquam Sadoletus facilior, quam Bembo; tamen Bembo plus voluisse, Sadoletus non plus potuisse videbatur.* * RUDOLPHUS AGRICOLA, 39 Vir doctissimus, paucas scripsit Epistolas, quæ Operi ejus inferuntur, non illas quidem indoctas, sed Ludovici Vivis judicio in multis emendandas. Nam si ipse sua emendasset, maximis quoque Veterum potuisset comparari. * MARSILII FICINI 40 *Epistole* rudi stylo de rebus philosophicis agunt. * JOHANNIS PICI MIRANDULÆ 41 *Epistole* non destituuntur flore eloquentiæ purioris Latinæ, quarum aliquæ tenera ætate scriptæ, aliquæ provectiore, refertæ rebus mysticis, ut erat ille sui temporis prodigium. Eas epistolas Christophorus Cellarius Cizæ ann. 1682. recudi fecit, notulis quibusdam atque indice adjectis. * THOMAS MORUS, 42 magnæ Vir autoritatis ac magnæ eruditionis, *Epistolas* aliquas scripsit, quæ inter Opera ejus reperiuntur, non quidem adeo accurate ad genium Linguae Latinæ scriptæ, sed, quæ tamen laudem nitidi sermonis affectabant, eo præsertim tempore, quo superata barbarie, nova lux literarum effulgere cœpit. Tum exagitati fuere Scriptores barbari, ac perpetua inter illos & eruditos bella, quorum felicissimus propugnator fuit Erasmus Roterodamus. * Barbarorum hominum stribiginem eleganter depinxit 43 ULDARICUS HUTTONUS, Eques Nobiliss. in *Epistolis obscurorum Virorum*: is enim verus earum Autor est; de quibus Erasmus *lib. 22. ep. 31.* lepidissimas narrat fabulâs; quam scilicet illæ primum magno a Monachis plausu fuerint exceptæ, tanquam in honorem Monachorum scriptæ.

ERASMI *Epistolis* nihil est suavius & acutius. * Latinitas in illis non mala; 44 non quidem talis, quam ad imitandum aliquis proponere sibi debeat, (hic enim antiqui Scriptorum omne ferunt punctum) sed nativa, extemporalis & interdum aliquem ex rebus colorem trahens, quod accidit interdum Scriptoribus doctissimis, Grotio, Salmasio ac aliis. Illi enim autores, prout res sunt, quas tractant, prout in Autores scribunt, a quorum lectione recentiores discedunt, stylum suum formare solent. Id enim velim notet hic aliquis, viros doctos, qui multos Autores legunt, cum cura eos emendant, aut multam Scriptoribus philosophicis impendunt operam, vel medii ævi Autores diligentius legunt, plerumque ab illis aliquid vitii trahere, nec accurate adeo scribere, quam eos, qui unum, & quidem optimum, Ciceronem scilicet sibi imitandum proponunt. Quemadmodum, quibus cum variis gentibus commercium est, lingua nonnunquam inclinari solet, ita & hic fieri consuevit cum Scriptoribus barbaris, vel non accurate Latinis, familiariter conversantibus. * Eam causam existimo, quod 46 Barthius, diligentissimus medii ævi Scriptor, Lector & Emendator, nihil tam in soluta, quam in ligata oratione scripserint, quod elaboratum esset. Grotius quoque, ut ipse in

- in præfat. Poëmatum suorum fatetur, in stylo varius est. Jam enim Virgilianum aliquid, jam Statianum aut Claudianæum aliquod Carmen scribit. In prosa vehementer etiam variat. In libris Philosophicis interdum barbarissimos admittit, & Philosophorum Scholasticorum lingua loquitur. In Historia Tacitum non infeliciter exprimit; in Epistolis Plinium. Salmasio nonnunquam *σλόμοι* exciderunt. * Ipse quoque Erasmus stylum suum excusare mavult, quam prædicare, ut in *epist. 20. lib. 24.* ubi Budæana præ suis extollit, doctus modestia, in quo longe aliter ego sentio. Quam enim Budæana dictio ab Erasmi differat, nemo rectius ostendit, quam Longolius in Epistola quadam, quam Ludovicus Regius in Vita Budæi adducit. Vide & in Erasmi *lib. 1. ep. 11. & 12.* Scaliger in Excerptis suis Budæum ait nihil nisi imitando scribere potuisse, semperque Locos Communes Phrasium consuluisse, cum quippiam scriberet. Joh. Sturmius in libro Academico ad Philippum Lipp. Erasmus quoque Budæo præfert, atque ita de Erasmo: *Erasmus copia & varietate contentus Italorum spernebat in scribendo sollicitudinem.* * Ceterum Erasmi Epistolæ propter rei literariæ multiplicem cognitionem legendæ, & velut ad Locos Communes redigendæ sunt. Vastum hoc Opus est variarum ejus Epistolarum, non quidem omnium; nam multæ etiam ineditæ sunt, & earum multæ MStæ in Bibliotheca Gudiana asservantur. Ipse Erasmus *lib. 27. Epist. 42.* non diffitetur, multas sibi esse Epistolas ex tempore scriptas & dictatas, quarum nullum ille exemplum servaverat; doletque multas ex illis in vulgus emanasse. Cornu copiæ merito dixeris variarum rerum. Continentur in illo libro arcana Status Civilis, Ecclesiastici, Literarii illorum temporum, faceta nonnunquam & jocosa, ut ipse fuit ingenio mire festivo, e. g. cum morem osculandi in Britannia describit *lib. 5. ep. 10.* & jurgium ancillæ cum hera *lib. 5. ep. 6.* Editio Epistolarum illarum Frobeniana editione Londinensi & ceteris longe melior est & correctior: multis enim mendis hæc postrema scætet, quanquam aliqua parte locupletior. Index huic Operi subiectus utilissimus est. Lites in Theologorum palæstris tum ventilatas, & quicquid ad illarum Historiam pertinet, illic deprehendes. Quanquam Erasmus se medium semper gesserit, studium tamen partium non raro deprehendes. Magna fuit ejus Viri veneratio, & merito quidem, ingenium excellens, vastum, diffusum, fecundum, acre, promptum, ad omnia paratum, in decus & miraculum sæculi natum. Triumphare duobus his civibus Batavia potest, *Erasmo & Grotio*, quibus pares postera secula non facile datura sunt. * De his Erasmi Epistolis ita Vincentius Fabricius *epist. 2. Unius Erasmi epistolæ cum lego, præter quandam renascentium disciplinarum quasi historiam, imprimis legentem tenent, quas circa exortum purioris doctrinæ scripsit. Quippe qui medius & neutrius partis, nihil gratiæ (quis enim in Epistola ad amicum?) nihil det odio, quid autem in istis sibi placeat, in illis displiceat, generoso candore exponat. In quibus tamen nihil magis, quam singularem viri versutiam, qui hos ita sibi demereri potuit, ut illos non offenderet, mirari ego soleo.*
- 50 * Multa in Erasmi laudem Badius *lib. 2. Epist. 27.* Multa Germanus Brixius in Erasmus

Erasmi Epistolis *lib. 4. epist. 8.* Editio ultima prodiit Londini ann. 1642. in fol. cum Melanchthonis, Thom. Mori & Ludovici Vivis Epistolis.

MELANCHTHONIS *Epistolas* illis subjungimus. Jam supra in laudem 51
 istius viri multa dicta sunt, cum de Vita ejus ageremus. Faciunt vero ejus Epi-
 stolæ non parum ad statum rei Literariæ & Ecclesiasticæ. * Ut candidum illi viro 52
 pectus fuit; ita sine fuco & ornatu scribit in Epistolis, in quibus nonnunquam
 multas deprehendes ejus querelas de turbato Ecclesiæ statu, de pravis & seditiosis
 quorundam consiliis Theologorum, multa quoque suppressis nominibus & per
 ænigmata scribit. Ejus Epistolæ prodierunt in fol. & dehinc sparsim aliæ quæ-
 dam Volumina Epistolarum ad Joach. Camerarium & alios scriptarum; in quibus
 tam candidus, ut nec necessitates suas domesticas dissimulet. Diversis temporibus
 eas ediderunt Manlius, Peucerus, Pezelius, Saubertus, & Anonymus quidam par-
 tem earum sextam, ut vocat, Lugd. Batav. Ann. 1647. Optat vero Thomasius in
præfatione Boxhornianarum Epistolarum, ut quis in ordinatum corpus illas congerere
 velit: qui sane labor utilissimus foret. Non dubito, plures adhuc Melanchthonis
 latitare epistolas: vir enim in isto negotio positus plures procul dubio scripsit;
 quæ, ut omnes edantur, rei Theologicæ & Literariæ interest. * Stylus in eo pla- 53
 nus, liquidus, nec suis destitutus elegantis: quarquam non impetus ille ac fervor
 sit, qualis in Erasmijs, non tamen ideo culpandus; animi enim est character ser-
 mo, & ex illo idem in dictionem transfertur, huic ingenio domesticam & vernacu-
 lam. Ut enim ipse animus moratus est, ita vel *ἡδῆ* passim elucet, vel ex senten-
 tia, affectus vehementiores. Unde non falluntur, qui singulare aliquod divinationis
 epistolaris genus commenti sunt, tum ex ipso characterē sermonis, tum litera-
 rum, quod argumentum singulari libro tractavit *Camillus Baldus*.

JOACHIMI CAMERARII *Epistole* elegantissimæ sunt. Fuit ille illu* 54
 stre Germanorum nomen, ac superioris sæculi Phœnix, cujus elogia conglobata
 videas a Thomasio in *Præfatione 75. laudibus Joach. Camerarii*. Tot tantæque in lu-
 cem edidit scripta limatissima, ut inter Germaniæ Heroas literarios merito referen-
 dus sit. Hujus extat Libellus novus, Epistolas virorum doctorum ad se & alios
 suasque continens, ab ipso vivo editus Lipsiæ An. 1568. in 8. Promiserat in præ-
 fatione plures doctorum Epistolas, quas collecturus undique erat. Vehementer
 enim commendandum, & hujus viri exemplo etiam nunc a nobis faciendum esset.
 Post mortem ejus prodierunt Francof. Ann. 1583. libri 6. Epistolarum familiarium
 venustarum & delicularum; quæ, ut sunt elegantis stylo scriptæ, ita multa conti-
 nent sermō literariarum illius temporis. Hinc Anno 1595. ibidem quinque libri
 posteriores Epistolarum a filiis editi. Fuere ipsi commercia literaria cum pleris-
 que totius Europæ viris eruditis, de negotiis talibus scriptæ, quibus delectantur
 literati.

Vixit circa id tempus AONIUS PALEARIIUS, cujus editæ sunt *Ora- 55*
tiones & Epistole, quæ feliciter adeo exprimunt Ciceronem, tum qua dictionem,
 tum qua numeros, ut dubitem, an præferendus illi aliquis sit. Primæ editio *Basil.*

- in 8vo prodiit, altera *Breme*, quam procuravit Matthias Martinius in usum Scholæ Bremensis. (bbb) Paucis, quod miror, etiam viris doctis & acerrimis latinæ celsioribus cognitus iste Autor fuit; sed meretur profecto inter præcipuos numerari. Hic mihi quis discrimen imitationis videat: nam longe aliter sonat, quod Palearius scribit, quam Longolius & alii inepti Ciceronis imitatores. De Longolio videatur iudicium Ludov. Vivis in Instit. sua Epistolica. *Nimia cura imitationis*, inquit ille, *bonam naturam corrumpit: Verba habet Ciceroniana mira religionis, an superstitionis observatione &c.* * MELCHIORIS GOLDASTI *Epistolas Philologicas* jam supra memoravimus. Nunc, cum de *Epistolis* agimus, censeri etiam inter illarum Scriptores debet. Non verò scripsit ipse *Epistolas*, sed collegit tantum a viris doctis sui temporis scriptas, varii argumenti, sed philologici: centuria integra est, prodiitque Francof. ann. 1610. Operæ pretium faceret, qui talem laborem continuaret.
- 57 PAULUS MANUTIUS magnam assecutus est in exprimendo stylo Ciceroniano felicitatem, cuius *Epistola* magna diligentia ac curâ conscriptæ sunt, atque, ut Scioppius nobis narrat, tanto labore, ut menses aliquot uni *epistolæ* interdum impenderit. Scilicet, quem antea laudaverat, quod nemo, qui sanus sit, ad puritatis & elegantiae Latinæ summam quicquam Manutio desinere dixerit; mox tamen colaphum illi impingens, ex nimia illa cura factum esse iudicat, ut Manutii *Epistolis* quamvis elegantissimis, nequaquam ea sit gratia, quæ hominem, nisi valde otiosum ad iteratam lectionem invitet. Purissimus sane Autor est, ac pene unicus e recentioribus, quem ego Ciceroni jungi posse arbitror. Quod Scioppius dicit, tedium lectionis repetitæ inde oriri, si quid veri iudicat, ex illo forte est, quod plerumque de negotiis familiaribus scribat. Sed nos hic de rebus non solliciti, dictionis præstantiam commendamus. Aliquot ejus *Epistolarum* editiones sunt, quas recenset examinatque Thomæsius in præfatione novissimæ editionis Lipsiensis, cui, si verum fateri velimus, non multum diligentiae accessit. Extant adhuc aliquæ ejus *Epistolæ* ineditæ apud viros doctos, atque unam ejus bene longam servat *Cl. Gudius*, ipsius Manutii manu scriptam, quam ipse *Epistolarum* Manutii *Reginam* vocare solet. Muretus se Manutio minorem fatetur, & Maresius Muretum eo majorem facit. Scaliger certe in *Excerptis* illis primis, a Tanaq. Fabro editis, neminem magis Romano mane loqui ait. Capaccius *lib. 2. Elogiorum*, bonæ latinæ amatorem nominat, qui tamen a splendido & magnifico *Orationis* genere abesse visus sit, dum ab humili *Epistolarum* stylo non discessit. * Muretus cum in *Orat. 16. Volum. 2.* omnes Italos, inque hi Johannem Casam in scribendo omnium politissimum maximeque limatum, & al omnibus ineptis remotissimum, Manutium, Virum in scribendis Latinis *Epistolis* singulari lepore ac venustate præditum laudasset, ita tamen de iis in unum iudicat. *Et tamen in tanto ardore animorum, tanta ingeniorum contentione atque emulatione, tantis præpositis præmiis, nemo adhuc extitit, cui simpliciter & sine ulla exceptione eadem laus tribui possit, ut*

(bbb) Novissima ac nitidissima, imo novis etiam Accessionibus locupletata, *Orationum, Epistolarum ac Poëmatum Aonii Palearii* editio prodiit Amstelod. A. 1695 in 8vo.

bene Latine scripsisse dicatur. De Casa & Manutio ita judicat: Hi quemadmodum illud consecuti sunt, ut hac laus vere ac merito propria Italia haberetur, eique ceterae omnes nationes scribendi elegantia facile cederent: ita illud negari non potest, multos novos multasque maculas, quod bona omnium venia dictum sit, illorum omnium scriptis aspersas esse, quae planum faciunt, illos vidisse quidem, quid optimum esset, & viam, quae ad illud ferret, ingressos longe processisse: sed longe tamen ab eo, quo intendebant, substitisse. Octavianus Ferrarius in libro de Sermonibus Exotericis pag. 42. Edit. Venet. magno Manutium elogio ornat. Vocat eum virum acerrimi & elegantissimi judicii, qui Romanae laudem eloquentiae nobis ita veliat hoc tempore, ut priscos illius auctores, quorum habentur in honore scripta, partim exaquet, partim vincat orationis genere ipso flexibili, nitido, & sine satietate dulci. * Manutii 59 Epistolis jungi solent BUNELLI Epistola in editione illa Parisiensi, quam Henricus Stephani edidit. Sunt & seorsim editae. Ejus exemplo Manutius Epistolas suas scripsit, ut ipse fatetur. Nam mirus in illis est Latini sermonis nitore.

MURETI Epistola plus vigoris & spiritus habere videntur. Neque enim 60 sollicita adeo imitatione scriptae apparent, ut Manutianae, quae deicere quodammodo & supprimere animum videntur. Cum enim in formulas & phrasas intenti sumus (in his scilicet mire fecundus Manurius est, atque ex earum variatione continua prima, ut ipse fatetur, eloquentiae fundamenta jecit), minor rerum cura est, unde efflorescere sua sponte nativa quaedam, & argumento magis conveniens, facundia solet. Multa in Mureti Epistolis occurrunt ad rem literariam pertinentia. * De Mureto Erythraeus Pinacoth. I. num. 5. ut ipse peritissimus artifex, vere judi- 61 cat: Quis nostra aetate sermonis genere usus est, adeo gravitatis, doctrinae prudentiaeque referto, & in quo praeterea omnes verborum, omnes sententiarum illigentur lepores, praeter hunc? quis magis Latine, pure, dilucide suaviterque locutus est unquam, & quod refert, qui oris pressu & suavitate appellandarum literarum se magis hujus civem urbis, non peregrinum, significaret? Scaliger in Excerptis laudat, ut numeri ac periodorum singularem artificem.

ROGERUS ASCHAMUS, Anglus, Reginae Elisabethae fuit a Latinis Episto- 62-
 lis, cujus Epistolas Thuanus elegantissime scriptas judicat. Pene unus e gente
 Anglica est, cujus stylus veterem latinitatem sapit. Cum Joh. Sturmio singularem
 coluit amicitiam; cujus exemplo erectus, elegans dicendi genus sectatus est. * Ac 63
 fuit ipse Sturmus Vir eruditissimus, non Rhetor tantum optimus, sed & qui feliciter
 stylo exprimeret veteres Auctores minime fucato, ac puro, cujus & Epistolae in
 pretio haberi merentur. Epistolae ejus prodierunt Hanoviae in 12. ann. 1610.
 Idem & Anglica lingua libellum de informanda juventute scripsit.

M. ANTONIUS BONCIARIUS Perufinus, Academicus Insensatus atque Mu- 64
 reti discipulus fuit, e cujus disciplina profectus totum vitae tempus in instituenda ju-
 ventute consumpsit, cujus ille specimen in patre dedit; qui, cum annos septem &
 quadraginta natus, uxore amissa, se Societati Jesu vellet adungere, ne ob Latinae linguae
 N n 2 ignoran-

ignorantiam repelleretur, brevi temporis spatio ab illo Latinis literis imbutus est. Edidit ille *Epistolas* elegantes & tersas, aliquoties recusas. Editio secunda Marpurgi Cartorum Ann. 1604. prodiit. In *Epistola* Dominici Passionæi, quæ, p. 396. editionis hujus habetur, narratur omnis illa methodus, qua in parente informando usus est Bonciarius.

65 THOMAS REINESIUS, Medicus & Consul Altenburgensis, tam in sua arte, quam in omni literatura fuit doctissimus, & scriptis editis omnibus satis notus. Ejus extant variæ *Epistolæ* in 4. editæ, una cum responsoriis inter Hoffmannum, Christophorum Adamum Rupertum, Christianum Daumium, viros doctissimos & celeberrimos: (ccc) plures extiterunt ineditæ in Bibliotheca Bosiana, quas ille ad viros doctos per Galliam, Italiam & Germaniam scripserat. Ejus *Epistolæ* ad Hoffmannum & Rupertum editæ sunt Lipsiæ anno 1660. & in illis ad Hoffmannum multa habentur de re Medica & Physica philologemata: in iis, quæ ad Rupertum, multa, quæ pertinent ad interiorem Historiam Romanam, ad familiarum Romanarum genealogiam, & similia: in iis denique, quæ ad Christianum Daumium, multa sunt, quæ ad Latinitatem mediæ ævi pertinent, & ad Auctores vulgo in-
66 cognitos. * Nam CHRISTIANUS DAUMIUS jam a multis annis hoc volvit factum, ut conficiat aliquod *Lexicon copiosum*, quod exhibeat voces Latinae linguæ corruptas & mediæ ævi. Omnium ille labores superabit in hoc argumento. Est & diligentia specimen fordes collegisse, ut securiores esse possimus de elegantiss. Magnam Reinesianarum *Epistolarum* ad se scriptarum Volumen in Bibliotheca sua servat illustris Dn. Gudius. Quod ad stylum attinet, familiaris iste, argutus, sententiosus, compositioni non adeo studens, aut anxie affectans Tullianam grandiloquentiam.

67 CASAUBONI *Epistolæ* ultima editione prodierunt, curante Grævio, ut prima earum editio prodiit opera Gronovii; sed postrema longe auctior est in 4to. edita
68 ex officina Beckensteiniana, Francofurti. (ddd) * Multa sunt in illo libro singularia, quæ tam ad Historiam literariam, quam civilem illius temporis pertinent: stylus familiaribus scatens elegantiss & argutiss; Græcæ linguæ flores, adagia ubique appa-
69 rent. * Compositio quidem Ciceroniana non est, neque, ut ipse fatetur, se multum cruciavit in verborum delectu; sed tamen miram omnia elegantiam spirant. Etenim compositio interdum omnem sermonis faciem commutat, cujus exemplum habemus in *Camerario*, de cujus stylo Philipp. Melancthon lib. 4. *epist.* 206. ita judicat:

(ccc) Extant etiam Thomæ Reinesii *Epistolæ* ad Joh. Vorstium Philologico-Theologicæ, Coloniae ad Suevum Anno 1667. ad Nesteros, patrem ac filium, Archiatros Saxonicos, Medicæ, Lipsiæ Anno 1670. in 4to, & ad Joh. Andr. Bosium Critico-Philologicæ, cum Bosianis ad ipsum, a Joh. Andr. Schmidio Jenæ Anno 1700. in 12. publicatæ.

(ddd) Novam *Epistolarum* Isaaci Casauboni Editionem, Græviana etiam auctiorem, una cum Vitis illius, filiique Merici, prolixioribus, isti jungendis, ante annos jam plures, expectari a se, in *Epistolis* ad me diversis, jussit Vir Doctiss. Theod. Jansonius ab Almeloveen, Med. D. & Acad. Harvardicæ Professor.

cat: quod, cum antea Ciceronis verbis & phrasibus uteretur, compositionem vero periodorum aliam haberet, postea, cum etiam hanc ad Ciceronis normam institueret, seipsum quasi superavit. Qui græcis formulis in scribendis Epistolis delectantur, multas tum ex Casauboni, tum ex Reinesii Epistolis colligere possunt. Recensentur hic quoque sæpe arcana quorundam eruditorum, quorum nomina non sunt edita, quæ derexit aliqua ex parte Colomesius in *Clave Epistolarum Scaligeri & Casauboni*, quæ addita est opusculis ejus literariis. Non tamen ille omnia notavit. Rittershufius in Epistola ad Richterum scribit, se plures habere Casauboni Epistolas, p. 201. *Ipse jam dudum consilium cepi colligendi magni Casauboni literas, ad Germanos scriptas, eis ἐν σώματι ἵσταν σύνταγμα, quarum esse tantum numerum scis, ut justum corpus queant efficere.* Ab eo, credo, impetravit plurimas Gronovius, quas editioni suæ adjecit. Extat ad Richterum ejus de illa re Epistola. Ejus Epistolas Richterum quadam ad Gronovium Epistola Romæ combustas nunciat p. 240. Latitant & in Bibliotheca Gudiana multæ Casauboni Epistolæ.

JUL. CÆSARIS SCALIGERI *Epistola*, ut omnia, summo ingenio & judicio 70 scriptæ: Totus nervosus est & rerum plenus, vehemens ipsi ingenium, audax, acre, judicium penetrans; nonnunquam etiam cavillatorium, ut solent viri etiam summi aliqua in re labi. Adversus Cardanum & Erasmum virulentum scribendi genus instituit; nonnunquam in illos summe injurius: sed hæc nunc extra institutum nostrum. Ejus extant *Epistolæ & Orationes*, in quibus multa continentur, quæ in Historia literaria tunc temporis agitabantur: multa ex illis discas, quæ ad ipsius conditionem & vitæ genus pertinent, multa de ejus libris, studiis: amarulentæ illic multæ & rixosæ ad alios Epistolæ, quibus beneficia sua exprobrat. Duplex illarum Epistolarum, vel potius triplex editio est; una Tolosæ prodiit in 4. cum Orationibus adversus Erasmi Ciceronianum: altera editio in 8vo prodiit Lugd. Batav. alia editio Hanoviæ ann. 1612. in 12. ubi plures, quam in ceteris editionibus habentur epistolæ. Adjectæ sunt Orationes elegantissimæ ab illo conscriptæ, quæ non habentur in ceteris editionibus, ut Oratio in luctu filii, magnorum affectuum plena: item Oratio, qua parentat illis, qui in bello Turcico ad Viennam ceciderunt; fragmentum de laudibus anferis, & luculenta de verbo *Inepti* Oratio; qua tota oratione illud agit, ut demonstret Latinæ linguæ aptitudinem in rebus efferendis præ Græca: plena est optimis Observationibus. Sunt & ejus duæ epistolæ a Joach. Morfio Leidæ anno 1619. in 4to editæ; quæ non extant inter ceteras Epistolas.

Non minor parente filius JOSEPHUS SCALIGER, cujus & extant *Epistola*. 71 Ejus Viri maxima sunt in rem literariam merita, qui velut pater quidam literarum per universam Europam salutandus est. Ex ejus ludo prodierunt, quos Batavia habuit, Viri illustres. Ejus Epistolæ eruditione omnigena plenissimæ sunt; præter dictionem enim tersam & argutam proponuntur illic Philologica, Medica, Mathematica, Chronologica, & quæ ad Orientalem literaturam pertinent: judicium multa de Viris doctis, de libris, quæ legere, quæ excerptare debent harum rerum curiosi. Ejus *Epistolæ*

stolarum aliqua *παραλειπόμενα* in 12. a Jac Revio, si recte memini, publicata sunt. Sunt & Epistolæ Gallica lingua ad Scaligerum scriptæ. Liber ille rarissimus, atque multa continet singularia de libris & Viris eruditis: editus autem est post mortem Scaligeri a JAC. REVIO, Hardevici ann. 1624. in 8vo, hoc titulo: *Epistres Françoises des personages illustres & doctes a Mons. Joseph. Just. della Scola.* Habentur hic explanationes multorum locorum in Autoribus classicis, consulatur cum Scaligero de rebus plurimis. Si hæ Epistolæ conferantur cum ceteris, facient ad intelligentiam plurimarum rerum, quæ obscuræ alias videbuntur. Ceterum & intelligendis difficilioribus Epistolarum Latinorum locis proderit *Clavis Colomesiana*, de qua superius diximus.

C A P. XXIV.

CONTINUATIO PRIORIS ARGUMENTI.

1. Continuatio. 2. Claud. Sarravii Epistolæ laudantur. 3. Earum supplementa cum multis aliis ejus Viri Epistolis latitant in Bibliotheca Gudiana. 4. In ineditis multa habentur de liticulis eruditorum. 5. Latini Latini Epistolæ. 6. Fortunius Licetus polygraphus. 7. Summus hic Aristotelis Encomiastes. 8. Ejus quesita per Epistolam. 9. Erythrai Epistola. 10. Naudæi 11. & Reinesii diversa de illo judicium. 12. Contra Reinesium defenditur ab Autore. 13. Salmasii Epistola. 14. Pauca earum sunt editæ. 15. Morisotti Epistolæ lutulentæ. 16. In Bartholini Epistolis Physicæ & Philologicæ Observationes. 17. Epistolarum pretium plerumque neglectum. 18. Eobani Hessi Epistola. 19. Pauli Sarpii Epistola. 20. Iniquum de illo Cardinalis Perronii judicium. 21. Hugonis Grotii Opus Epistolicum *πολιτικώτατον*. 22. Quo stylo sunt conscriptæ. 23. Qui ex illo fructus haberi possunt. 24. Balzaci Litteræ selectæ Gallicæ, 25. Latine. 26. Howelii iniquius de Gallicis & Balzacianis literis judicium. 27. Gallica grandiloquentia. 28. Diversa judicium de eloquentia Balzaci. 29. Lis Poëtica de præstantia Vini & Cerevisiæ inter Guictum & Grotium. 30. Pignorii Symbolæ Epistolica. 31. Cartesii Epistola. 32. Conringii *όντογενεα* Epistolicum e præfationibus congestum. 33. Puteani Pompa Prospbonetica. 34. Collectiones Dedicatariorum suadentur. 35. Sturmii Prolegomena. 36. Tanaquilis Fabri Epistola. 37. Emendantur in illis Autorum loca. 38. Fabri audacia. 39. Ejusd. liber de unione religionum. 40. Calamitates domesticæ. 41. Caselii Epistola sparsim editæ. 42. Ejus elogium. 43. Operum ejus Collectio a multis instituta. 44. Ejus epistolæ ad viros Principes. 45. Epistolarum ineditarum a Dransfeldio volumen procuratum. 46. Epistolæ ineditæ in Bibliotheca Gudiana. 47. Josephi Scaligeri elogium de Caselio. 48. Petri Martyris Angleri Epistolæ Politica. 49. Aliæ a Puteano collectæ. 50. Item Foxii & Ossati &c. laudantur. 51. Stybus Epistolarum Civilium. 52. Naudæi. 53. Sepulveda. 54. 56. Barlei Epistolæ. 55. De hujus Possi judicium. 57. 69. Petri Gruteri *νεκροζήλια* Lipsiana. 58. Fr. Mar-

Fr. Martini faceta Epistola. 59. Lauri Epistola, 60. Poëmata, & cetera scripta.
 61. Strena de Nihilo Passeratio subrepta. 62. Ejus liber de annulo pronubo B. Mariae virginis. 63. Lipsii stylus. 64. De Lipsii Epistolis Marefii. 65. & Nicolai Heinssii judicium. 66. De imitatione styli Lipsiani judicium Autoris. 67. Bertilius Canutus, 68. Puteanus, 69. Petrus Gruterus, 70. Caelius imitatores Lipsiani.
 71. Centuria V. Epistolarum Lipsianarum novarum e Gudiana Bibliotheca edi possunt. 72. Zeileri Epistola Germanice ad LL. CC. Scriptores referenda. 73. Coppini, 74. Philalthæi, 75. Laurentii Epistole. 76. Wouwerii Epistole 77. magnis auctariis e Bibliotheca Gudiana amplificari possunt. 78. Lindenbrogii in Wouwerium maledicentia. 79. Plagii accusat ob Tractat. de umbrâ, Jaro Guilielmo subreptum. 80. Miltoni Epistole familiares. 81. Ejus solœcismi, 82. poëmata Anglica sine rhythmis. 83. Schickhardi & Berneggeri Epistole mutua mathematicæ.
 84. Georgii Richteri Epistole adversus Patinum defenduntur. 85. Quaedam rariora earum argumenta recensentur. 86. Baudii Epistole, 87. quo stylo scriptæ. 88. Baudii amores, 89. a Petro Scriverio descripti. 90. Bongarsii & Lingelheimii Epistole. 91. Jacobi Veetiani Epistole. 92. Italici libri raro ex Italia exportantur. 93. Joh. Nic. Saulii Carrege, 94. Henckelii, 95. Boxhornii, 96. Patini Epistole. 97. Jacobi Howeli Epistole Anglicæ. 98. cornu copiae variarum rerum exhibent. 99. Buchneri, 100. Calvinii, 101. Theologorum Remonstrantium, 102. Martini Ruari, 103. Christiani Liberii Epistole. 104. Le Secretaire Critique du Sieur B. P. dit du Jonquier. 105. Varii Epistolographi recensentur, Calcagninus, 106. Sacratius, 107. Rycquius, 108. Casomius, 109. Ferrarius, 110. Cabeliavius, 111. Ramus, Beomannus, Ompbalius, 112. Perpinianus, 113. Languetus, 114. Fabricius, 115. Heinsius, 116. Turnerus, Robortellus, Siberus, 117. Feminae etiam, Olympia Fulvia Morata, 118. Westonia-Laura, 119. Aloisia Sigæa. 120. Principum Lunenburgensium & Joh. Val. Andreae literaria commercia. 121. Collectores variarum Epistolarum, Michaël Brutus, Melchior Junius. 122. Epistole Indicae & Japonicae. 123. Nienbossii Itinerarium Chinesense ex his Epistolis excerptum. 124. Epistole Italicae ab Aldo Manutio, 125. a Bartholomæo Zuchi, 126. Antonio Bulefone collectæ. 127. Aloysii Groti cæci Epistole Italicae, 128. Johannis Donnae Anglicæ. 129. Medica variorum Epistole. 130. Epistole Ecclesiasticae antiquorum. 131. item de negotiis societatis Jesu. 132. Peregrinatorum Epistole Busbequii, 133. Sorbieri. 134. Politica Perezii, 135. Pasquierii, 136. Viglii Zwichemii ab Aytta. 137. Petri de Vincis.

Vastius hoc est, quod suscepimus, argumentum, quam ut una tractatione absolvi possit. Tantus enim Epistolographorum est numerus, ut, si omnes recensere animus sit, voluminis integri, non aliquot paginarum, res sit. Neque instituti nostri est, omnia cum pulvisculo hic congerere: præcipuos ex illis tantum enumeramus, inprimisque illos, qui Historiæ literariæ inserviunt: quam telam,

relam, quandoquidem semel orsi sumus, nunc eo, quo cœpimus, filo continuabimus. Prodeat itaque nunc post superiores, a nobis enumeratos,

- 2 **CLAUDIUS SARRAVIUS**, Senator Parisiensis, genere & doctrina vir illustris, magnam habuit cum eruditis sui temporis familiaritatem: hinc frequens ipsi Epistolarum cum ipsis commercium super varii generis argumentis Miscentur illic Historica, Philosophica, Philologica, Theologica, neque ulla illi epistola est, quæ rerum sterilis sit, & sola mutua civilitate absolvarur. Judicia illi habentur de viris doctis, de editionibus librorum, de locis Autorum corruptis, & plura alia; neque stylo inculto, sed elegantî plane & terso. Imprimis id laudandum est, quod plerumque subjiciantur virorum doctorum responsoriæ: quod non ita fit in aliis, quodque desideravit vir Clariss. Thomafius in *Prefat. Epistolarum Boxhornii*. Observatur etiam accurate ordo temporis, quod non ita in aliis. Viri autem, a quibus ad Sarravium, & ad quos Sarravius scribit, longe sunt celeberrimi, Salmasius, Grotius, (quorum plures illic reperiuntur), Heinsii, Alexander Morus, Gronovius, Blondellus, Vossii, quanta nomina! Ut duo memorem notabilia magno illorum numero; unum est, quod de Bodini Dialogo habet aliquot in locis, cujus jam supra facta est mentio; alterum de fragmento ex Anastasio Bibliothecario, de Johanna Papissa. Liber modicus est in 8vo editus ann. 1654, Arusione in Gallia. * In editis multæ sunt lacunæ, quibus habebantur nonnulla, quæ tunc temporis non poterant publicari. Illa nunc omnia et Bibliotheca Gudiana suppleri poterunt: poteritque vir illustris tertia parte auctiores dare has epistolas
- 4 * In illis occurrunt multa de literatis arcana, quæ non nisi in aurem dici poterant multa de Heinsio, ejusque controversia cum Salmasio habentur. Heinsium voca doctorem nonosyllabum; pleræque ad Salmasium scriptæ. Gallicæ Latinis mixtæ. Ut aliqua memorem: Tenuiter de Zuerio Boxhornio judicat, quem multis scribere ait, at parum considerate, adducendo Autorum loca, sibi non satis perpensa. Theodoretî editionem a Sirmondo procuratam imperfectam vocat, quod 16 vel 17. libros, qui sunt Theodoretî, & Athanasio vulgo adscribuntur, verum sub nomine Theodoretî a Photio citantur, omiserit. Grotii de Salmasii libris de Usuris ac Mutuo judicia recensentur; ac inter alia damnat Salmasii sententiam Grotius, qua *rem alienam testamento relinqui posse* negaverat. Multa hic de eruditorum liticulis, studiis, judiciis. Optime mereretur de literatis vir illustris, si epistolas impressas cum supplementis recudi, atque ineditas addi curasset. (eee).
- 5 **LATINUS LATINUS** Viterbiensis, vir doctissimus, magni apud Pontificios nominis, cujus elogium videas apud Lipsium *Cent. 2. Miscell. Epistolarum 39. & 75* magnæ peritiæ in Conciliorum historiis & in Canonibus veteris Ecclesiæ. Scripti
- Episto

(eee) Claudii Sarravii, & Amicorum, Epistolæ 275. e voto Morhofii, suppletis sacris, auctiores e Biblioth. Gudiana jam prodierunt, adjectæ Gudii ipsius, & Amicorum ad eum, aliorumque Virorum Doctorum, Epistolis, a Gudii conquestis, in Editione, quam Pet. Burmannus, Joh. Georg. Grævii Auspiciis, A, 1697. in 4to maj. curavit. Ultrajectina.

Epistolas multas tum Cardinalium, tum ipsius Pontificis nomine, cui ab *Epistolis* fuit; in quibus multa sunt, quæ pertinent ad statum Ecclesiasticum & Civilem, multa quoque de Autoribus judicia, & locorum quorundam emendationes. Editus liber est Romæ ann. 1639. in 4to. Post mortem ejus ante annos aliquot prodiit ejusdem Autoris *Sylloge* aliqua *variarum Observationum*, in varios Autores sacros & profanos, Poëtas, Conciliorum & Canonum Scriptores, quæ publicata e schediasmatibus ejus Romæ, sub titulo *Bibliotheca*, in fol.

FORTUNII LICETI, Medici & Philosophi Patavini extant multi libri 7 magna mole congesti & scripti. Jure optimo inter Polygraphos hic numerandus, quo fit, ut non usque adeo selecta semper scribat. Laudari tamen ob variam eruditionem meretur, quam in Medicis, Philosophicis, & Philologicis habuit. * Totus Aristotelicus ad superstitionem usque, quod vel ex eo patet: nam sententiam de via lactea ut mereoro defendens maluit in gratiam Aristotelis duplicem fingere γαλαξίαν, unam ætheream, alteram sublunarem adversus omnem rationem & veritatem, ne ulla in re falsus videri posset Aristoteles. Ejus extat quoque liber cum titulo: de pietate Aristotelis adversus Deum & homines, totus in laudem Aristotelis scriptus, & vel æternam ipsi salutem pollicetur. * Misit ille in lucem *quæsitæ per epistolam* sex, septem, in 4. spissis Voluminibus, quibus tractantur argumenta Medica, Philosophica, Philologica, de quibus ipsum consuluerant viri eruditi. Sed tamen & inter Locorum Communium Scriptores tueri nomen suum potest. Janus Parrhasius Philologus ante Licetum simili titulo de argumentis Philologicis scripserat. Ejus extant *quæsitæ per Epistolam* in Thesauro seu Fæc Critica Gruteri.

JANI NICII ERYTHRÆI, cujus jam supra toties mentio facta est, 10 elegantes extant *Epistole*, stylo cultissimo scriptæ, rebusque refertæ, quæ ad historiam illorum temporum pertinent. Multa ex illis discas, quid Romæ, quid in Italia tota rerum gestum sit; qui viri literati vixerint, quid præclari in lucem ediderint: de quibus judicia hinc illinc intersperfit. Nemo hoc tempore Ciceronem magis æquavit, & auream illam Romanorum Scriptorum eloquentiam, quam vir ille: quare & ratione styli & rerum legi potest. Ejus *Epistolæ* editæ sunt Coloniae Ubiorum, (vel potius Amsterodami; locus enim falsus) ann. 1645. in 8vo. * Ejus di- 11 ctionem vehementer extollit Gabriel Naudæus *epist. 93.* Ita enim ad illum scribit: *quæcunque prosa & versa oratione scribis, ita me capiunt & delectant omnia, ut præ te uno veteres meæ deliciae Bembi & Politiani videantur mihi illiberales esse & infaceti.* * Iniquius 12 est Reinesii de illo viro judicium, qui *epist. 66.* ad Rupertum, ut ex loco illo apparet, sibi habet ἐμόλυνον. Ita enim: *Nicii Romani, quæ prodiere, omnia nunc habeo, & lego; judicium in eo desidero, & ipse; itemque majorem Græcæ literaturæ cognitionem, a qua imparrior est. Ejus epistolis delector ideo, quod res urbanas & doctos hac ætate homines ex us possim cognoscere. Videtur hoc solum quæsisse isto scribendi genere, ut quantum Latina lingua valeat, experiretur. In Viris multa memorabilia observo in Exemplis τὸ ἐπιτορον εἰς μυσθὰ γὰρ sue superstitioni accommoda.* * Velim illa *παροράματα* detexisset Reinesius, 13

quæ ego, nisi forte in Exemplorum libro, non deprehendō. Sed ea ipse excusat. Græcæ linguæ imperitiam ubi prædat Nicius, non inveni, Latine enim scripta sunt omnia. Si ita grassari judiciis velimus, essent forte & in Reinesianis scriptis, quæ ad censuram vocari possent.

13 SALMASII *Epistolæ* prodierunt post mortem istius viri, doctrina varia plenæ, ut fuit ille vir diffusæ lectionis & ingenii; sed paucae illæ sunt, quarum ego
14 longe plures ab illo scriptas esse existimo. * In tanta enim celebritate hominum viventi pene quotidianum fuit *Epistolarum* commercium, quarum *αυτοχρηδισματα* ipsi perierunt, & in angulo apud viros doctos sparsim latent. Ut enim extemporalis fuit in omni lectione sua, omniaque, prout semel conceperat, in typographiam miserat, ita vix credibile est, *Epistolas* illum descripsisse: dolendum tamen est, intercidisse illas, in quibus fortasse multa fuerunt, quæ prodesse orbi literato potuerint. Apud Sarravium non paucae ejus *Epistolæ* leguntur, quas in Opere illo *Epistolarum* non deprehendas. Reperiuntur & in Bibliotheca Gudianâ nonnullæ.

15 CLAUDIUS MORISOTTUS, vir doctus apud Gallos, scripsit *Epistolas* varii argumenti. Ejus Opus est, quod inscribitur *Orbis Maritimus*, sed, quod profecto spei & voto virorum eruditorum non respondet. Multa illic debuisset agere de commerciis maritimis, de bellis maritimis, & similibus argumentis, de quibus pauca admodum & satis jejuna. Ejus *Epistolæ* varia continent Philologica; sed triti & obvii argumenti. Tituli & capita *Epistolarum* nonnunquam magnifici aliquid minantur; sed tamen accidit illis, quod Horatius ait:

turpiter atrum

Desinit in piscem mulier formosa superne.

Nonnunquam inepta aliqua declamatiuncula totam *Epistolam* absolvit. Nonnulla etiam Carmina sua & Elegias adjecit, ut singulares in tædioso & prolixo opere delicias; sed quibus parum inest delicati, modo sordibus & vitiiis prosodiciis immunes essent. Editæ sunt in 4to. Scripsit etiam *libros Fastorum Christianorum*, ad exemplum Ovidii, sed nihil est in illis poetici spiritus.

16 THOMAS BARTHOLINUS *Epistolarum Centurias* aliquot edidit, tum quas ipse ad alios scripsit, tum quas alii ad ipsum scripserunt: in quibus agitur de argumentis Medicis, Phisicis & Philologicis. Bene meritus est vir ille de omni doctrinæ genere, nec in ipsa senectute sua desit bene mereri, nec *Epistolas* suas bono publico invidit: * quod ejus institutum utinam & sequerentur viri docti; multa enim ex *Epistolarum* commercio disci possunt, quæ tamen plerumque negligenter habentur a viris doctis; tum, quod sibi nota scribant & familiaria, & facilem illorum jacturam habent, cum tamen illa omnia pretium ab annis capiant, & apud posteritatem demum illo, quo merentur, numero habeantur. Quod si quis in *Epistolas* tales incidere possit, cum distrahuntur Bibliothecæ virorum doctorum, is tanquam thesaurum comparet: plerumque enim spernuntur ut leviora.

18 EOANI HESSI *Epistolæ* sperni non debent. Fuit ille suo tempore Poëta magni

magni nominis, magnis virorum doctorum familiaritatibus implicitus. Illius epistolæ a *Joach. Camerario* collectæ, vel ideo in pretio habendæ, quod tanti viri nomen præferant: nam ad illum pleræque scriptæ faceti quidem argumenti plerumque; sed tamen in quibus multa etiam repèriantur notatu dignissima. Ejus libri jam supra a nobis facta est mentio in *Cap. de Vitæ. Scriptor.* descriptio quippe vitæ ejus præmissa est his epistolis. Prodiit liber Norimbergæ ann. 1553. in 8vo.

PAULI SARPPI *Epistola* jam supra a nobis commendatæ, cum ageremus de *Vitarum Scriptoribus.* Sunt verò illæ Italica lingua scriptæ, quæ anno 1673. in 12. demum publicatæ sunt; in quibus omnia pene sunt politici argumenti. Nam fere de omnibus Europæ rebus, ut tum erant, judicia instituit: inprimis de Statu Veneto, Pontificio & reliquorum Italiæ Principum. * Ineptum est & malignum Cardinalis Perronii de eo judicium in Excerptis illis suis; qui de illo ita: *Je ne remarquay rien d' éminent en cet homme; il a un bon jugement & bon sens, mais de grand sçavoir point, je ne vis rien que de commun, & un peu plus que Moine.* Adversus solem hoc loqui est. Qui norunt, quantas, qualesque res gesserit Sarpinus, quibus ille doctrinis excelluerit, illi non supra Monachum, sed & supra Cardinalem, ac ipsum hunc Perronium, sapuisse largientur.

HUGONIS GROTTII *Epistola* a viro maximo profectæ summo in pretio esse omnibus debent. Tot certe tantaque vir ille scripsit, ut seculi nostri Phœnix merito dicendus sit. Paucæ ejus epistolæ editæ primum fuerunt, quarum ipsum tamen magnum scripsisse numerum verosimile est, tanta negotiorum civilium mole, in tanto eruditionis apparatu. Ejus epistolæ ad Gallos aliquoties editæ, ultimaque editio Lipsiæ prodiit curante Gessenio anno 1674. in 12. in qua id laudandum, quod Indicem iis adjecerit, quem ego omnibus epistolis adjectum vellem: nam & utilissimus est, & multo labore levat legentes. Nunc tandem *Opus vastum Epistolarum Grotianarum* prodiit, quod hæctenus in Bibliothecis virorum illustrium delituerat, quodque Isaacus Gruterus a Blauio jam dudum typis destinatum testatur in quadam super Opera nonnulla Verulamii Latina præfatione. Continentur in illis varia, ut fuit ipsi ingenium ad omnia natum, Politica, Ecclesiastica, Theologica, Juridica, Philologica, judicia de libris. *Nec deest illi orationis cultus, quanquam stylus ipsi interdum ex argumento sordes aliquastrahat, & se ad hominum, quibus scribit, indolem componat. Reperiuntur enim interdum epistolæ simplici plane humilique dictione scriptæ, ac sine ulla morosa meditatione. Sed cum rem aliquam unice agit, nemo ipsiq; vel dulcior est Poëta, vel elegantior Orator, aut nervosior Historiographus. Adeo ubique vir ille domi est, & velut in fundo suo dominatur. Quam in Politicis epistolis ingenio rerum attemperare calamum debeat earum Scriptor, ille novit, qui in hoc negotio versatur; ubi verborum cura superstitiosa quidem non est, sed debent illa ad rei expressionem singulari ratione esse accommodata; quod Erythreus *Pinacorb. III. n. 27.* in Francisco Visdomino notavit. In his Grotii epistolis multa sunt, quæ Statum universæ Europæ suo tempore denudant, quæ aliunde difficulter peruntur.

23 * Recte ergo, qui præfationem ad Lectorem scripsit, de his Epistolis iudicat: Ut Theologica, Philologica, & que ad Historiam Ecclesiasticam, ac Jurisprudentiam pertinent, missa faciamus, non pauca hinc hauriri poterint ad illustrationem hujus nostri seculi historie mire conductentia. Dum enim magno Suecicæ Cancellario Axelio Oxenstiernæ res in Gallia gestas refert, multa suppeditat, ex quibus de Gallia tum temporis consiliis artibusque ac conatibus Cardinalis Richelii, certius aliquando ferri poterit iudicium, quam ex his, qui ejus ævi historiam data opera scripserunt. Uti enim ex Ciceronis epistolis multa discimus, quæ frustra in temporum illorum Historicis requiramus, quippe quibus multa ignota fuerant, quæ Ciceroni patuerunt, qui & Virorum in Rep. Romana Principum facta, dicta, suspiciones, suaque ipsius cogitata sine fuco aperit: ita ex Grotianis Epistolis, quæ inter Suecos & Gallos agitata sint, quæ post sparium acta, utriusque gentis artes, timores, peccata, tutius sæpe cognoscemus, quam ex scriptis, quæ eo animo edita sunt, ut honori alterutrius Gentis consuleretur. In historiis cavent plerumque scriptores eorum partibus officere, inter quos vivunt, eorum peccata dissimulant, hostium vero commissa augent, & vividis coloribus pingunt. At in Epistolis candidius agitur, libere notantur, qui aliquid vituperio dignum admiserunt, laudatur virtus, ubicunque reperitur. Præterea hic multa occurrent, quæ solent negligi ab historiarum scriptoribus, at sine quibus de Principum rebus gestis vix satis tuto iudicari potest. Notum est nimirum, Legatos ad Principes, a quibus sunt missi, vel ad eorum Ministros, teneri, quam sapissime possunt, Commentarios rerum, quæ aguntur ac dicuntur in Aulis, in quibus versantur, mittere, etiamsi nihil habeant, quod scribant, præter rumores: quia ex rumoribus istis sæpe, quid sint acturi hostes, aut etiam, quod aliquando minoris non est momenti, quid de rebus iudicent Principes, & ad quas inclinent partes, optime colligitur. Imperite ii iudicant de eiusmodi Commentariis Legatorum, qui eos contemunt, quod falsos rumores in his annotatos aliquando deprehendant. Inter artes politicas, quibus ducuntur populi, terrentur hostes, animi alliciuntur vel alieniores fiunt, rumores esse caute atque in tempore sparsos, ii demum ignorant, qui sunt omnium historiarum, imo vitæ communis, ignari. Itaque & talia nosci, & historicorum & omnium eorum, qui historiam amant, multum interest; id autem aliunde resciri nequit, quam ex Epistolis eo ipso tempore scriptis, quo evanidi rumores spargebantur. Vere hæc de Opere illo Epistolico prædicant, qui ediderunt; qui si Indicem rerum quoque adjecissent, optime sane de nobis meriti fuissent; nunc in illo vasto Opere multa latent, quæ non nisi magno labore erui possunt. Sunt tamen & secundum temporum seriem Epistolæ dispositæ, quod ad historiam magnopere conducit. Putaverim ego sane plures etiamnum editas esse viri hujus Epistolas: ac vidi ego non paucas in Bibliotheca Gudiana, quas ego in illo Opere extare non credo.

24 JOH. LUDOVIC. BALZACI *Literæ selectæ*, Gallico sermone scriptæ, Amstelodami apud Elzevirios editæ ann. 1656. in 12. Apud populares suos varia expertus est iudicia ob novum aliquod dictionis genus in Gallico sermone: est enim argutus, floridus, metaphoris aliquantulum indulgens; quæ scribendi ratio quibusdam, qui castiga-

castigationes videri volebant, displicuit. Nam Satyræ adversus illum scriptæ & integri libri, quos ipse tamen valide satis excepit & retulit. * *Latinas Epistolas* scripsit, 25 quæ raræ sunt, in quibus singularis quidam linguæ Latinæ nitore, & Gallica quædam facundia, optime ad sermonis Latini genium applicata. In Gallicis epistolis habentur singularia de rebus literariis & Autoribus judicia. * Non has tantum, 26 sed & aliorum Gallorum, Epistolas perstringit JACOB. HOWELIUS *in literis suis familiaribus*, Anglica lingua scriptis; nam epistola r. dicit, vicinos suos transmarinos, vernacula lingua scribentes, stylo uti marcido, qui similis sit corpori carnoso sine junctura & arteriis. Vocat eorum expressiones heclicas & meris verbis flatulentas, araneorum telas, quæ non stringant Lectores. Elegantissime sonant Anglica verba: *Others there are among our next transmarin neighbours Eastward who write in their own language, but their stile is so soft and easie, that their Letters maybe said to be like bodies of loose flesh Without sinews, they have neither Joynts of art, nor arteries in them; they have a Kind of simpering and lauck heclic expressions made up off a bombast of words and finical affected complements only: I cannot wel away with such sleay stuff, with such cobwebcompositions, where there is no strength of matter; nothing for the Reader to carry away with him, that may enlarge the notions off his soul: One shal hardly find an apothegm, example, simile or any thing of Philosophy, History, or solid Knowledge, or as much as one new created phrase, in a hundred of them; and to draw any observations out of them, Were as if one went about to distil cream out of froth; In somuch that it may be said of them, whad was said of the Eccho, That she is a meer sound, and nothing else.* De Balzaci literis ita judicat: *I return you your Balzac, by this bearer, and when I found those Letters, wherein he is so familiar with his King so flat, and those so Richelieu, so peff d with prophane hyperboles, and larded up and down down with such gross flatteries, with others besides which he sends as Urinals up and down the world to lork into his wwater, for discovery of the crazy condition of his boydy. I forbore him further.* Verum gentili illi odio paululum hic indulgere nobis videtur bonus Howelius. Quæ enim ille in literis requirit, ad literas, qua literas, proprie non pertinent, ac possunt vel sine his elegantes scribi literæ. Quis enim apophthegmata, exempla, similia, in epistolis, qua talibus, quærat? Neque enim Declamatores sunt Epistolographi. Ac vereor, ne Galli Anglis, ac ipsi Howelio, qui prodigi in his & similibus sunt, affectationem, etsi ingeniosam, exprobrent. * Illæ epistolæ, quas junior edidit, turgent metaphoris, & aliquid 27 Asiatici sonant. Maturiore ætate temperavit sibi paululum, & quod tumidum antea videbatur, in mollius dicendi genus commutavit. Si quid ego judico, Gallicæ illius eloquentiæ, vel potius grandiloquentiæ, quam genti illi familiarem in Sulpitio Severo, Eucherio aliqui, in Budæo Erasmus, notavit, specimen in illo quoque observare mihi videor. * Magna interim partium studia fuerunt in Gal- 28 lia adversus hujus viri eloquentiam, aliis ut novam integris libris damnantibus; aliis ut perfectissimi sermonis exemplum imitantibus. Historiam omnem ejus rei prolixa dissertatione complexus est Sorellus in Bibliotheca Gallica. * In Balzaci episto- 29

lis notari merentur, quæ habet de litæ inter Guietum & Grotium super præstantia vini & cerevisiæ p. 313. Francisci Guieti rusticum epigramma pro vino adversus Batavos cerevisiæ potores illic legatur! Grotii vero Phæucus pro cerevisia inter poemata ejus reperitur.

- 30 LAURENTII PIGNORII *Symbola Epistolica* plenæ sunt bonæ frugis. L. Pignorius, Professor Patavinus, varia in lucem misit docta & laboriosa. Is Symbolarum Epistolarum librum primum edidit Patavii ann. 1629. in 8vo, quem plures non sunt secuti: in quibus varii argumenti multa cumulantur, præcipue vero antiquaria. Multa illic sunt, quæ ad Jurisprudentiam & Historiam pertinent. Elucidantur Autorum varia loca, explicantur Inscriptiones veteres. Optimus est pro Criticis & Antiquariis liber.
- 31 RENATI CARTESII *Epistolæ* pleræque Physici argumenti sunt. Novæ Philosophiæ autor fuit Cartesius, quæ tamen non ita nova est, ut non apud antiquos ejus dogmata appareant, ut per singula capita facile demonstrari possent. Fuit, qui illa ex Mose deducere voluit, primis scilicet Geneseos capitibus, quod ipsi Cartesio ne quidem per somnium in mentem venisse opinor. Ejus hypotheses vix per se sunt intelligibiles, nisi illustrentur viva doctrina. Mathematicas certe corporum affectiones, & quicquid ab iis operationum dependet in natura, ut sunt permultæ, nemo profundius & exquisitius demonstravit, quam Cartesius. Post mortem ejus editæ sunt epistolæ in 4to, Lugd. Batav. quæ ad viros doctos scriptæ sunt super dubiis Philosophiæ suæ locis. Nullo itaque ex Commentario melius intelligi potest doctrina Cartesiana, quam ex isto, quem præbent epistolæ. Multa illic proponuntur rariora naturæ *φανόμενα*, in quibus explicandis illic suum exercuit ingenium. Gallica etiam lingua plures scriptæ.
- 32 HERM. CONRINGII *Epistolæ* prodierunt Helmstadii in 4to, junctim editæ, quæ prius sparsim editæ fuerunt, & librorum frontispiciis præfixæ. (fff) Ejus enim viri celebritate commoti multi, qui monumenta ingenii publicaverunt, ipsius operam sollicitaverunt in præfationibus Operibus suis præmittendis; eas in unum corpus redexit, quo continentur multa Theologica, Historica, Physica, Politica, Philologica,
- 33 prout argumenta librorum se ipsi obrulerunt. * Adjecit quoque librorum suorum præfationes, quod olim quoque fecit ERICIUS PUTEANUS, qui e Præfationibus & Dedicacionibus librorum, quos ipse confecerat, peculiare Syntagma collegit, sub titulo, *Pompe Prosopnetica*, usui fortè futurum singulari illis, qui dedicatorias epistolas scri-
- 34 bunt. * Consilium non adeo spernendum, si quis corpus aliquod selectiorum Dedicacionum ex variis Autoribus collectum conficeret. Solent enim in iis cumulari
floridi

(fff) Herm. Conringii Epistolis addenda sunt duo illarum, ad Ferd. Fürstenbergium, Episc. Monasteriensem, & Steph. Baluzium Syntagmata posthuma, ob variam Eruditionem, Antiquariam imprimis & Historicam commendanda, quæ, cum Utriusque Responsoriis, Helmstadii Anno 1694. in 4to, edidit Casp. Cörberus, Eloqu. in Acad. Julia Professor, plurimum ad eruditos alios; quæ has sint secutoræ, spem simul injiciens.

floridi styli argumenta, enthymemata encomiastica, quorum præcipuus Orationibus Panegyricis usus est; ne quid dicam de usu illo in argumentis librorum quasi summaria notitia cognoscendis. * Eo modo JOHANNIS STURMII quo-
que Præfationes sub titulo *Prælegomenorum* in unum corpus collectæ sunt, Tiguri-
que editæ, in quibus, ut editor Toxites recte sentit, sunt multarum artium rerum-
que optimarum insignes loci, quarum usus non minori cum utilitate, quam judicio
explicatur. Hic de Dialecticis, de via intelligendi Platonis Dialogos, de imitando
Cicerone, contentione inter Erasimum & Longolium orta, de verborum ἀναλύσει
ac delectu, de lectione Ciceronis, de Demosthenis atque Æschiniis discrimine, de
dicendi artibus, de Historiæ utilitate, multa proponuntur.

TANAQVILIS FABRI *Epistolæ* Philologici argumenti sunt. Vir do-
ctissimus fuit, Philologus, Græcarum literarum peritissimus, velocis, sed & auda-
cioris ingenii, Salmuriensis Academiæ Professor. * Multa ex ingenio suo in Au-
toribus reposuit, etsi MStis libris destitutus; quæ tamen ipsi temeritas nonnun-
quam feliciter cessit ingenii solertia sæpe percipienti, quod alii magno labore in
MStis requirunt. * Non semel tamen aliis ob audaciam suam vapulat Scriptori-
bus: nam corrigit sæpe pro lubitu mendosa loca, *destruit, edificat, mutat quadrata ro-
tundis*. Multa suarum conjecturarum complexus est his Epistolis, quarum libri duo
sunt, quibus Autorum veterum loca adversus omnium sententias explicat, ob fe-
stivitatem ingenii & acumen magno in pretio habendus. Aliquem Epistolarum
illarum locum, ubi Livium reprehendit, ut qui quondam Latinæ linguæ vocem
non satis intellexerit, fugillarunt Ephemeridum Scriptores Gallici, qui tamen ab ipso
probe depexi libro quodam Gallico, cui titulus: *Journal du Journal*. * Scripsit, ut
hoc obiter memorem, *de Religionum Unione* librum Gallica lingua, quo nec Pontifi-
ciis nec Reformatis placuit; illorum vitia in nuditate sua sistens, horum vero invi-
diam incurrens, quod jungere gryphes equis laboraret: qui liber & in Belgicam
linguam conversus est. * Ceterum magnæ fuerunt istius viri calamitates domesti-
cæ, de quibus sæpe conqueritur: filiam doctam habuit, quæ hodie libros scribit in
gratiam Delphini; quæ & ipsa dicitur imitari Patrem. Edidit quoque prima Sca-
ligeriana, quibus præfationem præmittit, in qua de fatiis suis queritur. De hoc
viro Patin. Epist. 77. legatur.

JOH. CASELII *Epistolæ* inter Germaniæ nostræ κειμήλια literaria, ut omnia
istius viri, merito referendæ. * Lumen ille Germaniæ fuit, Græce & Latine do-
ctissimus, Orator, Philosophus & omnium literarum vir, Rostochiensis primum
Academiæ, hinc Helmstadiensis, Professor, suo exemplo, consiliis, præceptis totam
temporis Germaniam pene informavit; a Principibus in consilia, tam literaria
quam civilia, adhibitus. Huic Helmstadiensis Academia illos progressus debet, quos in
solidioribus & elegantioribus studiis fecit. Ex ejus enim schola prodierunt viri doctis-
simi, ad genium antiquitatis & veræ sapientiæ formati. * Ejus Opera utinam ha-
beremus omnia uno Volumine comprehensa. Jam diu laborum id fuit Serenissi-
mis Ducibus Luneburgicis, ut omnia ejus Opera prodirent undecunque collecta, sed
hacte-

hactenus res non præstita fuit. Habuit in animo olim *Henricus Ernstius* Opus Caselianum constituere, qui Indicem scriptorum ejus imprimi curavit, cui tamen multa desunt. *Beatus quoque noster Sperlingius* idem consilium agitavit, in cujus Bibliotheca pleraque ejus scripta asservata fuerunt. Magno illum elogio *Grotius* 44 in epistola ad Gallos 154. ornât. * Præcipuæ autem ejus Epistolæ editæ ad viros Principes, in quibus multa de istorum temporum statu civili & literario, multa de viris doctis judicia. Illa tunc temporis Principum cura erat, quæ nunc (nam ista sæculi nostri perversitas est) ad Pædagogos ablegatur. Editus ille liber *Helmstadii* ann. 1619, curante *Fuchtio*. Editæ & aliæ quædam ejus sunt Epistolæ, *Vagerio* curante, *Hamburgi*, & iterum aliæ ejusdem ad *Victorium* cum ejus responsoriis, quæ aliquoties editæ sunt, in *Victorii* autem Epistolis omissæ, quod, ut *Bæclerus* queritur, tantum decus Germaniæ aliqui inviderent. * Nunc vero Anno 1687. Opus *Epistolicum Caselianum* per *JUSTUM a DRANSFELD*, Pædagogum *Gætingensis* Rectorem, *Francofurti* editum est, exhibens Epistolas ad Principes nobiles, viros celebres, propinquos, cives ac familiares, quæ in *Fuchtiana* & *Vageriana* Editione non comparent, ac in XVI. libros ex ipsius Autoris Adversariis & MSis tributum. Præmittitur *Conringii* ad illum Epistola, in qua de reliquis scriptis Caselianis nonnulla narrantur, isque Autor ad cetera quoque, quæ collegit, edenda impellitur: quod ut facere velit, etiam nos obrestamur.

46 * Est & in scriniis *Gudianis* integra Epistolarum Caselianarum centuria; hæctenus non editarum, nisi forte in nova illa collectione *Dransfeldiana* quædam ex iis habentur. Caselii 37. Epistolæ reperiuntur in volumine Epistolarum *αιερολογικων* *Blocii*, de quo *Lambecius* lib. 1. de Bibliotheca *Vindobonensi* p. 55. in quo multæ aliæ

47 sunt *Gruteri*, *Camerarii*, *Giphanii*, *Rittershusii*, *Sturmi* & c. Epistolæ. * Magnificum stylo Caselii elogium tribuit *Jos. Scaliger* lib. 3. Ep. 270. Multi, inquit, Latine, pauci Romane loquuntur: & si qui forte Romane; at raro illum *Ciceroniani* sæculi genium assequuntur. Qui hunc leporem in tua oratione non agnoscit (scribit ad Caselium) is quid sit Latine scribere, nescit. Quid de versculis tuis dicam? Qui quantum ab omni furo & ambitione remoti sunt, tantum Romane illius prisce simplicitatis & amœnitatis habent *Catullianæ*. De Caselii Epistolis legi potest Epistola *Vincentii Fabricii* 7. ad *Hent. Vagerium*.

48 PETRI MARTYRIS ANGLERI, *Mediolanensis*, Epistole Politici argument sunt. Fuit ille *Protonotarius Apostolicus* & prior *Archiepiscopus Granadensis*, & *Regi Hispaniæ* a rerum Indicarum consiliis. Editæ sunt in fol. an. 1630. & *Amstelodami* in fol. an. 1670. apud *Elzevirios*, cum Epistolis *Ferdinandi de Pulgar*. Totum Opus politicum est, & *Thesauri* instar, continet enim arcaniora status consilia tam Germanica quam Gallica & Hispanica; multa quoque, quæ ad res Indicas & commercia pertinent: quæ etiam causa fuit, quod *Elzevirii* recuderent librum tantum utilem. Magnificendæ sunt Epistolæ talis argumenti, quæ mirifice profunt ad notitiam *Rerumpublicarum*. Vehementer illas commendat *Bosius* *Introductione in notitiam Rerump.* cap. 5. §. u. qui tamen, quod miror, hujus Martyris mentionem non facit

**Politicas* tales *Epistolas* magna cura inquisivit PETRUS PUTEANUS, & ejusdem 49
 laboris socios habuit Peirescium, Antonium Lomenium, e quibus integrorum Volumi-
 num Bibliothecam, amplius quadringenta, confecit (connumeratis præter Epistolas
 aliis instructionibus & memoriis.) Illa quadraginta librarum millibus empta Regio
 Archivo inserta sunt. * Eiusdem Viri cura servatæ sunt epistolæ Foxii & Ossati, de 50
 quibus ita judicat Rigaltius in *vita Petri Puteani*, post Pauli Sarpii Tridentinam Hi-
 storiam nihil extare, unde queant Aulæ Romanæ artes pernoscî clarius & certius.
 Collegit & ille multas Scaligeri Epistolas hæctenus ineditas, & Peirescii Epistola-
 rum Volumina duo grandia, quibus continentur ad naturalis Historiæ totiusque li-
 teraturæ notitiam Observationes elegantissimæ, teste eodem Rigaltio in *ejus vita pag.*
50. Ut obiter hæc memoremus, extant Politici argumenti Epistolæ Aeneæ Sylvii,
 Forstneri de negotio Pacificationis Osnabrugensis. * In his Epistolis non tam do- 51
 ctrina multa, quam rerum usus requiritur, ut de Lanfranco Margotio Erythræus
Pinacoth. I. n. 71. testatur, qui sine multis literis in scribendis Epistolis longè doctissi-
 morum hominum industriæ anteivit. Etenim rem, de qua scribendum esset, *vide-*
bat acute, explicabat dilucide, sententias adhibebat illustres, quæque non tam haberent venusta-
tem, quam dignitatem & pondus. Verba erant non illa quidem elegantissimo sermone, sed quæ
rem maxime explicarent. Omnia scribendi genera noverat, eoque utebatur, quod cum ejus,
cui scriberet, eorumque, ad quos scribebatur, personis congrueret. Quæ de Epistolis Gro-
 tianis magnam quoque partem dici possunt.

GABRIEL NAUDÆUS *Epistolas* aliquas scripsit. Doctissimus Vir fuit, 52
 & magnæ *ἐπιτελειος* Bibliothecariæ, ipse Bibliothecarius Cardinalis Mazarini, &
 postmodum Reginae Christianae, olim Cardinalium Francisci a Balneo & Franc.
 Barbarini. Epistolæ post mortem ejus editæ Genevæ ann. 1667. in quibus extat
 rerum literarum sui temporis non exigua notitia. Multa ejus sunt de Viris do-
 ctis judicia, in quo tamen partium studiis interdum aliquid tribuit. Vide Episto-
 lam ejus 65. in qua Fortunium Licetum pene in cælum extollit laudibus, & reliquis
 suorum temporum Philosophis praeponit, amore Peripateticismi ductus. Cete-
 rum rariora aliqua ab ejus eruditione quis exspectaverit, quam illic habentur.

JOHANNIS GENESII SEPULVEDÆ *Epistola* multa continent me- 53
 morabilia. Fuit ille Cordubensis, Caroli V. Historiographus, Graece & Latine
 doctissimus, cujus sunt præclara in rem literariam merita. Latine vertit Aristote-
 lem & Alexandrum Aphrodisæum in libros Metaphysicorum. Genus orationis
 ipsi fufum, tractum, & cum lenitate quadam profluens. Fuerunt ipsi cum Erasmo
 quaedam liticulae: scripsit Epistolarum libros 7. in quibus multa varii argumenti,
 Theologici, Philosophici, Philologici, Historici, Mathematici. Habentur judicia
 de Autoribus. Editæ sunt illae cum ceteris ejus Autoris Operibus Coloniae A-
 grippinae Anno 1602. in 4to.

CASP. BARLÆI *Epistola* facetiis & salibus perspersæ multa istius temporis 54
 notabilia sæpe memorant. * Fuit Barlaeus Philosophus & Poëta præstantissimus, 55
 quanquam a Batavis ipsis non magni aestimatus; ingenium fecundissimum & festi-
 vissi-

- vissimum habuit, in Elegia, Scazonte & Phaleucis mire suavis & argutus, in Epico carmine luxuria nimia pene molestus: quam ejus loquacitatem contemptim habere Heinſius aliique caſtigatiōes Poëtae. Id certe verum est, in delectu verborum non multum se cruciaſſe, sed primos impetus plerumque esse secutum & ingenii sui ubertatem. Misero fato periit, puteo submersus; an sponte an casu, incertum. De morte ejus jam supra diximus. * Ejus extant Epistolae, quas non adeo ob dictionem legi velim, quam ob argutias & urbanitatem: facietiarum plenissimus est, ubique jocis circumfluens; ac incidunt nonnunquam, quae ad Historiam literariam sui temporis, praecipue in Batavia, pertinent. * Lepida inter alias Epistola est 71. quam ad *Petrum Gruterum*, Ludimagistrum, scripsit, hominem in stylo *κακόςηλον* & antiquarium, ubi per mimesin perpetuam eum cum stylo suo exagitat. Est vero Gruterus etiam inter simias Lipsianas; sed qui praeter *κακόςηλον* Lipsianam mire ineptus est in frigidis allusionibus & verbis antiquatis.
- 18 FRANCISCI MARTINI *Epistola* Barlaëanis jungi possunt; idem enim plane character in illis est, & pene festivitate superat Barlaëum. Fuit Concionator Epenſis; editae sunt Hardervici anno 1653. in 12. Dictione non contemnenda, nitida plane & florida; elegantes in illa occurrunt joci, ut de rebus vulgaribus, ita ingenio illis superiore concepti. Recensentur interdum aliqua inter Professores Leidenses friguscula, & aliqua de eorum scriptis judicia.
- 19 JOH. BAPT. LAURUS, Urbani VIII. Cubicularius, vir doctus, inter alia scripta *Epistolarum Centurias* 2. edidit, quae Coloniae Agripp. ann. 1624. in 8. impressae. Continentur in illo libro multa, ad Historiam literariam sui temporis pertinentia. Dictione in illo mediocris: magnum certe illi elogium suspendit Erythraeus *Pinacoth. I. n. 141.* magni habitus fuit a Pontifice Urbano VIII, qui in deligendis ingeniis magnam curam adhibuit. Edidit Autor ille, teste eodem Erythraeo; *Theatri Romani Orchestram*, in qua de viris illustribus, Romae versantibus, agit, quam nondum vidi. * Edita sunt ab illo poemata, & inter illa unum, quod inscribitur de *fabricatione calcis*, ingeniosum, quod cum *Sylvis* ejus prodiit. Habentur quoque illic *lib. 2. Aegyptiados*, quibus agit de *Mariae in Aegyptum fuga*. Adjiciuntur *Epigrammata* non spernenda. * Reperitur inter Epistolas ejus p. 174. & inter *Sylvas lib. 3.* Strena in Calendas Januarias, qua *Nihil donat Amico* in Epistolis ejus, de quo Carmine, quid judicare debeam, non habeo; totidem enim verbis in *Passeratii* Strenis legitur, in quibus multa alia habentur Carmina ejusdem commatis. De illo nos jam supra *cap. 9. §. 21.* quaedam diximus. Et mirum sane est, in *Sylvis* Poëmatum Lauri idem Carmen poni. Laurum e *Passeratio* id habuisse, tempus & omnia arguunt. * Idem Autor de *annulo pronubo D. Mariae Virginis* scripsit, in quo mirabiles historiae de annuli istius miraculis, qui caecis visum restituerit, quo temere tacto ab homine profano digitus exaruerit, cujus gossypium circumpositum tangentis temere manus adusserit, & infinita alia suis autoribus relinquenda.
- 63 De JUSTI LIPSII *Epistolis* dici hic multa possunt. Considerari illae vel ratio-
- ne

ne dictionis, vel ratione rerum possunt. Vehementer senex a iuvene discrepat. Cum enim in iuventute sua Ciceronianam dictionem sequeretur, maturioribus annis pene novum eloquentiæ genus sibi finxit, in quo argutiæ, adagia, hemistichia, græcæ sententiæ, quorum in familiaribus inter eruditos epistolis usus esse potest; tales enim epistolas illa ornant, in ceteris locum non habent, ubi enthymematibus agendum, & sermo *πεπλασμένος* requiritur. * Maresius *lib. i. ep. 7.* Sermonem poëticum in illo agnoscit, qui Statium referat sibi pro summo Poëta habitum, cujus scriptio valde sit adstricta, & crebra parenthesi interrupta. Idem *ibid. ep. 49. ad Heinsium* in illo reprehendit antiquorum verborum nimium usum, audaciam in scribendo, dictionem parenthesisibus & interrogatiunculis interruptam. * Respondet illi N. Heinsius: *Non desunt Lipsio suæ Veneres. Habet nescio quid, quo lectorem trahat, & quod prorsus improbare non possis. Ut non tam illi succenseam, quam ineptissimis mortalibus, qui imitandum sibi illum proponunt, idque tam præpostere, ut vitia ejus exprimant plerumque, virtutes non assequantur. Imitatus neminem Lipsius, ac proinde nemini imitandus. Memoriam ego tanti Viri sancte veneror. Nec negarim tamen, magna illi ex parte labem eam deberi, quam tu Belgis nostris non immerito adscribis. Quod nisi δ Θεωμωσιος Scaliger iuventuti nostra pessum eunti salubribus succurrisset monitis, in Lipsii locum a Curatoribus hujus Academiæ opportune subrogatus, futurum vix erat, ut tantam tot præclarorum ingeniorum, quæ annis quinquaginta proximis in Batavia nostra eluxerunt, messem mirarentur exteri. Nec labes tamen illa solos Belgas & Germanos, sed etiam vestros, infecisse videri potest. Magnam partem de illo vera sunt, quæ in Excerptis Scaligerianis dicuntur.* Henricus Stephani Latinitatem Lipsii singulari libro notavit. * Neque unquam ego suaferim, ut, antequam aliquis robur in stylo acquisiverit, inexercitatus adhuc Lipsianæ lectioni aduëscat, aut ejus flosculos in usus suos excerpatur. Qui illum imitati sunt, infeliciter rem suam gesserunt: nam vel exscriperunt nonnulla, ac sententias quasdam compilarunt, vel plane inepti fiunt, dum dictionem ejus exprimere tentant, per se non laudabilem. * BERTILIUS CANUTUS in suis *Epistolis* omnem in imitatione Lipsiana gloriam quæsit, ut vel in ipso libri titulo illam jactet: sed ille periodos Lipsianas tantum congerit, & laciniæ ex illo confuit: * ERYCIUS PUTEANUS, Lipsii successor, felicior quidem ejus imitator fuit, ac evitavit quidem abruptam illam brevitatem, tot sententiarum hiatus & præcipitia, frequentatas interrogatiunculas, alliterationes exiles & similia, quæ Lipsio familiaria vitia sunt: sed, dum illa vitavit, in vitium *περισσολογίας* & *ταυτολογίας* incidit. Cum enim brevitatem affectaret, id effecit, ut tribus quatuorve periodis abolveret, quæ Cicero una periodo mediocri abolvere potuisset. Scripsit Puteanus aliquot Centurias, quæ vivo illo editæ sunt, earumque plena editio Francof. 1663. prodiit. Post mortem ejus epistolarum apparatus posthumus, in 7. Centurias distributus, Lovanii Ann. 1663. editus est. * PETRUS GRUTERUS, cujus supra mentionem fecimus, *Λιψιανίζων* in *Epistolis* suis voluit, cui a Barlæo illustrum est. * Longe eo ineptior est, qui Lipsium imitatus, COELIUS in sua *Institutione Epistolica*, *κακοζηλιαν* Lipsianam docet, ipse vehementer ridiculus. De his

71 Simiis Lipsianis lege præfationem Thomasi in Epistolas Manutii. * LIPSII plures supersunt *Epistolæ ineditæ*, quæ in Chiliade illa non habentur. Jam tum Meurfius, Boxhornius aliique sparsim quasdam edidere. Testatur Monconisius in *Itinerario suo part. 2. pag. 150.* Hugenum omnes habere literas Lipsii ad se scriptas, ac Sorbierius in literis suis alicubi refert, Christianum Hugenum ostendisse sibi aliquot Volumina Epistolarum, a viris doctis ad Lipsium scriptarum. Vir illustris, Marg. Gudius tot habet ejus ineditas, ut Chiliada jam editam quinque augere Centuriis possit.

72 MARTINI ZEILERI *Epistola Germanicæ* ad Locorum Communium Scriptores potius referendæ sunt. Vir ille fuit *Πολύγλωστος* nostro seculo, non indoctus, certe rerum multarum compilator. Scripsit autem plura Germanica lingua, quam Latina. Solum illud, cujus supra memini, de Geographis & Historicis, Latina lingua produit, e libris Vossianis maximam partem compilatum. Ut lingua Germanica varia Itineraria scripsit, quibus multa memorabilia continentur; ita sub Dialogorum & Epistolarum habitu complexus est varia argumenta naturalia, moralia, civilia, historica. Scripsit ultra sexcentas Epistolas, quæ junctim prodierunt in 4to, anno 1657. Ulmæ.

73 AQUILINUS COPPINUS, Eloquentiæ Professor in Ticinensi Gymnasio, *Epistolarum libros 6.* scripsit, in quibus occurrunt non pauca de viris doctis in Italia judicia, multa quoque rerum naturalium, quæ ipsi in diversis Italiæ itineribus observaverunt. Elegans inter alia est descriptio illa *lib. 1. p. 29.* itineris Taurinensis. Inter alia hic meminit, sibi visam in montibus illis multorum gigantum mortuum efferentium imaginem, adeo expressam phantasmate quodam vel nube; ut nullus pictor imitari illam potuisset. Quod, an simile fuerit *Morgana Φαινόμενον*, an vero ita ipsi visum per sensuum aliquam fallaciam, nunc non disquiram. Ille alioquin in nubibus his speculandis mire ingeniosus & verbosus est. Editæ sunt epistolæ illæ Mediolani ann. 1613. in 8vo.

74 LUCILLII PHILALTHÆI *Epistolæ* scriptæ sunt ad varios in Italia viros doctos diversi argumenti. Continentur in illis multa illorum temporum a viris doctis acta & edita. Fuit vero ille Medicinæ Professor; juvenisque has Epistolas scripsit, editas Papiæ ann. 1564.

75 JOSEPHI LAURENTII jam supra mentionem fecimus, ubi de polymathia ejus egimus. Ejus extant *Epistolarum Centuriæ 2.* editæ Lucæ anno 1638. Stylus in illis *κακόζηλος*: nam & ille Autor inter Simias Lipsianas. Apparent nonnunquam stricturæ aliquæ ingenii, quæ tamen iterum ineptiis deturpantur. Scriptæ vero sunt ad viros illorum temporum celeberrimos; & in eis interdum aliquid latet, quod notatu dignum sit. Judicia in illo multa de viris doctis & Operibus eorum; quibus tamen fides haberi non potest, cum Panegyristen potius, quam sincerum Censorem agat.

76 JOHANNES WOUWERIUS, Vir doctissimus, e Brabantia oriundus illustri e familia, tandem in Holsatiam venit, magnis admorus muneribus, Consiliarius Principis

cipis & Præfectus Gotorpiensis, cujus extant varia scripta, inter quæ præcipuum est *de Polymathia*: Ejus *Epistolæ* editæ sunt Hamburgi anno 1608. (ggg) in 8vo, cum *Syntagmate de Græca & Latina Bibliorum interpretatione*. Variæ hic institutæ sunt de multis rebus literariis consultationes & judicia: nam multæ, quæ agitabantur illo tempore inter viros literatos, his in *Epistolis* recensentur. Scriptæ illæ sunt ad illustres ejus temporis Viros, Scaligerum, Meursium, Heinsium, Gruterum, Scriverium & plures alios, cum quibus non nisi erudita tractari poterant. * *Epistolas* 77 ejus multas ineditas servat illustris Gudius: latitant & aliquæ inter MS&a Bibliothecæ Hamburgensis. * FRIDER. LINDENBROGIUM tamen nescio quomodo is semper 78 infensum habuit: supersunt enim Lindenbrogii tum in Bibliotheca Hamburgensi, tum in Gudiana, *Epistolæ*, quibus illi acerbe insultat. Vocat illum hominem cum larrante nomine (a baubando.) * Multa in illo plagia notat, ac in aliqua 79 *Epistola* hæc de illo habet, ejus *de Umbra* Tractatum inter plagia recensens: *Quem novissime edidit librum tenebrosissimum umbratilis illæ, inter doctissimi optimique viri Jani Gulielmi schedas repertum. Ajunt in quo ad tæneam præstitit, quod aliam illi vestem induit, & suo more turpavit. Nam & carmina, quæ passim intermixta, non adulteri hujus fuerunt, sed Scholæ Schlesvicensis Rectoris, viri eruditi & probi, qui etiam nunc vivit, & id aperte fatetur.* *Epistola* hæc scripta est Hamburgi ann. 1613. Gravis hæc in illum Virum injuria est, & nescio quid acerbitatis sapit. In aliis *Epistolis* passim in eum invehitur, ac plura ejus plagia notat. Nos lites illas in medio relinquimus: De *Polymathia* ejus, per plagium Casaubono subreptâ, supra diximus. Idem Lindenbrogius, ut ex *Epistola* illa apparet, Vitam ejus integro scripto divulgare in animo habuit, quæ certe in laudem ejus minime concepta videtur. Ceteroquin Vitam ejus Clariss. Dn. *Adamus Olearius* peculiari oratione descripsit.

JOH. MILTONI *Epistolæ Familiæres* extant libello exiguo. (bbb) Non ignobili 80 lis fuit Autor Miltonus, quod e scripto Anti-Salmasiano constat, quem ille exagitarat, argutiis & salibus causam commendans, a Salmasio non iis, quibus poterat, argumentis defensam. * Id singulare in illo notari potest, frequentem illum esse in 81 Solæcis & Barbaris Salmasio objiciendis, cum tamen & ipse sit *σόλομος* sæpe & barbarus, ut quadret hic illud Juvenalis, Sat. II.

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.

Pp 3

Ejus

(ggg) *Epistolarum Joh. Wouwerii Centuriæ II. Hamburgi, non An. 1608.* (licet hunc exempla quædam Titulo indicent, quæ Morhofio Sphalmate isto Typographico impostuere,) sed 1618. sexennio post Autoris, A. 1612. defuncti, obitum a Geverhardo Elmenhorstio sunt editæ, Centuriam etiam Tertiam in præfatione pollicito. In Bibliotheca Hamburgensi plures ducentis supersunt, omnes *αὐτόγραφοι*, & ad solum Sebastianum a Bergem, Jctum ac Urbis istius Consulem, exarata.

(bbb) Joh. Miltoni *Epistolæ* etiam extant Politicæ, publico Parlamenti, sive Senatus Anglicani (cui a Secretis fuit) nomine scriptæ, & a Joh. Georgio Pritio Lipsiæ An. 1690. in 12. denuo recensitæ, quæ lectionem, ob stylum pariter arque Argumenta, merentur.

Ejus commatis sunt illa in præfatione: *Tuis Grammatistis te vapulandum propino, & pag: 11. populus assentitus est, & pag. 142. res nostras hallucinante.* Sed talia viris doctis interdum præter intentionem excidunt, qualia in Scaligero & Casaubono non pauca notavit Scioppius; delicatus illarum sordium collector, qui ingens domi sterquilinum salium Observationum habuit, quod publicare voluit cum titulo Hercculis

82 *καπεροφές.* * Quicquid tamen ejus sit, ostendunt Miltoni scripta virum vel in ipsa juventute: quæ enim ille adolescens scripsit carmina Latina, una cum Anglicis edita, ætatem illam longe superant, qua ille vir scripsit poemata Anglica, sed sine rhythmis, quos, ut pestes carminum vernaculorum, abesse volebat, quale illud 13. libris constans; *the paradise lost.* Plena ingenii & acuminis sunt, sed insuavia tamen videntur ob rhythmum defectum; quem ego abesse a tali carminum genere non posse existimo, quicquid etiam illi, & Italis nonnullis, & nuper Isaaco Vossio in libro *de poematum cantu,* videatur. Epistolæ ejus pauca sunt, in quibus tamen non pauca de Autoribus veteribus, recentioribus, domesticis, exteris judicia, quæ legere & nosse operæ pretium est. Editæ sunt Londini an. 1647. in 8.

83 **WILHELMI SCHICKARDI & MATTHIÆ BERNEGGERI** Epistolæ mutuae hoc in loco præteriri non debent. Præclari Viri ambo fuerunt: magna Schickardi rerum Hebraicarum & Antiquitatum Judaicarum peritia, literis his propemodum immergi & innutriti. Testantur illud doctissima ejus scripta *de jure Regio Hebræorum,* quod nunc Commentario Carpzoviano prodiit; & alii ejus libri, exteris omnes magno in pretio habiti. Salmasius certe in defensione causæ Anglicanæ multa ex ejus fontibus hausit, quod & Bœclero in primo Musei sui specimen notatum est. Quis *Berneggerus* fuerit, notum omnibus est e Commentariis in Historicos optimos. Uterque Mathematicis studiis impense deditus fuit, ideoque Epistolæ illæ, quæ publicatæ sunt Argentorati ann. 1673. in 12., pleraque Mathematici argumenti continent: Peirescii de Schickardo subnectitur judicium huic libello.

84 **GEORGII RICHTERI** Epistolæ plane non sunt illo loco habendæ, quo habet Patin. *Epist. 106.* Maledicum est & falsum, quod de illis ait: *Fai vñ les Epitres de Richter, il y a quelques bonnes choses, quelques-unes de mediocres, & tout l'ouvrage est assez mal fagoté.* Non facile memini pleniores bonæ frugis Epistolæ, quam hæc sunt. Fuit Richter *JCtus,* Consiliarius Reip. Norimbergensis, ac Academiæ Altorfinæ Procancellarius, Vir undequaque doctissimus, ut patet e paucis illis schediasmatibus, quæ edidit: neque enim ob molem negotiorum in tam ampla civitate vacare totus literis potuit. Magni habitus a Baravis, Gallis & Anglis, quod testantur literæ ad ipsum scriptæ. Ipsi Heinsius dissertationem inscripsit *de servis natura,* quæ adjicitur Oratiónibus Heinsianis, in qua agitur de eo, an *JCti Philosophis contrarietur, quando illi servis natura esse negant, Aristoteles autem aliquos natura servos statuit.* Ejus epistolæ selectiores editæ sunt uno volumine in 4to. Norimbergæ ann. 1662. Ubi habentur non ipsius solum, sed & illorum, quæ ad ipsum scriptæ epistolæ, plenæ argumentis Theologicis, Juridicis, Politicis, Medicis, Philosophicis, Historicis, Geographicis,

phicis, Philologicis, Criticis. * Quod titulus promittit, præstat liber uberrime: 85
Sunt enim multa notata dignissima, quæ ad Historiam literariam novissimi tempo-
ris pertinent, in illis data occasione notata. Multa sane disci ex illis possunt: addi-
ta sunt præterea literarum quarundam spicilegia, a Professoribus Altorfins, Hoff-
manno, Ruperto, Rittershusio, Dinnero, (*habuit enim Academia hæc viros semper insti-*
gnes.) & aliis viris doctis scripta. Sunt hic aliquot *Gruteri Epistolæ*, in quibus multa
notabilia: est prolixa Epistola *Christophori Arnoldi* ad Georg. Richterum p. 496. &
sq. ubi multa egregia habentur de Originibus Germanicæ linguæ. Additur In-
dex rerum & argumentorum in singulis Epistolis: judicium de Barclai Argenide
prolixè habetur p. 783. ubi tota illius fabulæ compages examinatur. Habetur
elegans *Carmen Gruteri* trochaicum in Galenum Casp. Hoffmanni, editioni quidem
paratum & summis curis & molestiis elaboratum, sed hæcenus, quæ invidia no-
strorum temporum est, nondum editum, non sine magno rei Medicæ & Philolo-
gicæ damno: fuit enim Hoffmannus vir longe doctissimus, Medicus, Philologus
consummatissimus. Reperitur illud carmen p. 534. & sq. quo graphice depingit
Magnatum desidiam in procurandis optimis artibus. Videas & illic p. 539. miserum Gru-
teri statum.

DOMIN. BAUDII *Epistolæ* etiam in tironum manibus sunt. Nemini igno- 86
tus Baudius, salubris & facetiis ubique diffuens. Vir fuit doctissimus, Poëta inpri-
mis in Jambis felicissimus. * Dictio ejus, si judicium Scaligeri in Excerptis Putea- 87
næis audimus, sapit phrasin Neroniani temporis. Est enim in illo quidam flos
fermonis ad poëtisimum aliquantum accedens, & colorem aliquem e Plauti argutiis
trahens, qui ipsi Scriptor familiaris fuit, quem imitaretur, & ita imitatus est, ut non
esset κακόςηλος. Epistolare enim argumentum inprimis inter familiares non re- 88
spuit jocos & sales. * Vir fuit meliore fortuna dignus, si ipse faber ejus esse po-
tuisset. Habuit familiaria vitia, quæ vehementer ipsi obstitere ad altiora ten-
denti, Venerem & Bacchum; amoribus enim paulo plus, quam licebat per hone-
statem & ordinem, deditus fuit: quod occasionem dedit eleganti illi *Centoni Virgi-*
liano, quem Dän. Heinsius in ipsum dissimulato nomine scripsit, qui reperitur inter
poëmata ejus p. 426. * Accessit postea, vel in famam vel in infamiam Baudii, quod 89
Petrus Scriverius ederet librum cum titulo: *Dominici Baudii Amores*, in quo ille con-
gressit omnes, quæ de hoc argumento habentur in Baudio, epistolas; adjectis aliis
similis argumenti, non omisso etiam Centone illo Heinsiano, cui Dom. Baudii no-
men ipsi præscripsit, quod dissimularat in poëmatibus suis Heinsius. Omnia in
illo libro lepida, grata futura iis, quos trahit illa voluptas; amatoribus scilicet, sed
eruditis. Nec mirum est, delectatum fuisse hoc labore P. Scriverium, qui & ipse
totus ad has delicias compositus fuit, si fides habenda est illis, quæ narrat Colome-
sius in *Opusculis* suis; illic enim mirabilis historia de illo habetur p. 101. quam
illic vide.

JACOBI BONGARSII & GEORGII MICH. LINGELSHEIMII *Epistolæ* 90
editæ sunt Argentor. an. 1660. in 12. Erat Bongarsius vir suo tempore magni no-
minis, sub Henrico IV. negotiis publicis sæpe adnotus, præcipue in legationibus ad
Germa-

Germaniæ Principes. In iis tamen negotiis multa scripsit erudita, & quidem juvenis notas doctissimas in Justinum; senex publicavit ingens volumen *Gestorum Dei per Francos*. Post mortem ejus editæ fuerunt tum hæc Latinae epistolæ, tum aliæ Gallica lingua, quæ nuper admodum Parisiis lucem viderunt. Lingelsheimius item, vir in publica dignitate constitutus, & ad Helvetios Legatus, olim Bongarsio ab epistolis, literas Bongarsianas una cum suis publicavit: fuit enim inter illos commercium literarum mutuum. Habentur in his multa, quæ pertinent ad statum Germaniæ superiorum temporum, ad aulas Principum, tam temporis intestinis malis turbatissimas, habentur & de rebus literariis notitiæ non contemnendæ.

- 91 JACOBI VECTIANI Itali *Epistolæ* ad varios viros doctos, Italos præcipue, scriptæ. Scripsere & ad ipsum multi literas, in quibus non pauca reperias rerum Romanarum & Italicarum, tam in literis, quam in statu civili. Quis ille fuerit, aut cujus conditionis, dicere non possum, cum liber ille, qui ad manus meas pervenit, & titulo & præfatione careat: nequæ locus impressionis constat. Rarum tamen Autorem esse oportet, cum nusquam invenerim in Indicibus & Catalogis. Norandus itaque, si forte ad manus aliquando veniat. * Ac sunt sane multi tales libri, qui in Italia editi in lucem a membris Societatum & Collegiorum, quæ illic plurima sunt, sed nunquam ex Italia exportantur. Vidi ego interdum Auctores & Commentatores cultissimos in veteres Auctores, quos ego nunquam nancisci potui, quacunquæ etiam diligentia quæsitos. In hoc Autore nostro multa observavi Italorum scripta passim laudata, de quibus nec vola nec vestigium apud nos apparet.
- 93 JOH. NICOLAI SAULII CARREGÆ libri 3. *Epistolarum* editi sunt Genuæ anno 1603. & inscripti Joh. Vincentio Imperiali, de cujus Museo supra mentionem fecimus in *Vitarum Scriptoribus*. Editi sunt postea alii libri 3. an. 1619. quos tamen non vidi. Tractantur hic singularia nonnunquam argumenta, in quibus totæ versantur Epistolæ: magis enim ad eloquentiam ostentandam scripsit Autor ille, quam negotiorum causa, ideoque non adeo multa ex illo disci possunt de rebus, quæ ad Historiam literariam pertinent. Luculenta illa est lib. 2. p. 129. qua reprehendit populares suos, qui lingua Hetrusca, quam Latina scribere malunt. Manutius aliquas ad ipsum scripsit epistolas, in quibus illum laudat a nitore styli, ut laudari revera debet.
- 94 BALTHAS. HENCKELII *Epistolæ carverales* raræ sunt, quas semel tantum vidi. Prodierunt Holmiæ ann. 1640. in 8. Fuit Henckelius Suecicus Consiliarius & negotiorum Gestor per Germaniam, durante bello Germanico-Suecico. Inciderat is in manus Pontificiorum & Jesuitarum, qui illum carcere inclusum diu tenuerunt. Epistolæ ejus varia habent Suecorum consilia, Jesuitarum machinationes, & arcaniora quædam istius belli, quæ alibi expressa non facile inveniris: stylus non contemnendus.
- 95 M. ZUERII BOXHORNII *Epistolæ* non carent venustate, quanquam pleræquæ familiares & extemporales. Sarravii enim judicium, quod supra adduximus, paulo asperius in illum est. Occurrunt multa in illis Philologica argumenta. Sunt vero omnes

omnes posthumæ. Poëmata, quæ adjiciuntur, acumine & elegantia non destituuntur, Recudi illas curavit Thomafius cum luculenta præfatione.

GUIDONIS PATINI, Medici Regii, *Epistole Gallica selectæ* Paris. 1685. in 12. 96 editæ sunt. Non fuit temere, qui audaciora & liberiora de libris & viris publicis, privatis, doctis, indoctis, judicia consignaret. Non putariim illum editioni vivum destinasse has epistolas: nam post mortem ejus editæ sunt. Perpetua hic in Chymicos & Pharmacopolas cavilla. De negotiis status & religionis, de rebus sacris summa *παρρησία* judicatur: Ne quid de facietis dicam, quibus condiuntur epistolæ. Infinita in illis observari possunt, quorum maximus in Historia literaria non solum, sed & medica & civili, usus est.

Non debent hic quoque omitti JACOBI HOWEL, Equitis Angli & Secretarii Regii *Epistole familiares*, Anglica lingua scriptæ. Publicata earum quarta editio est Londini, in 8. 1673. hoc titulo: *Epistole Ho-Eliane, familiar lettres domestick and forren Historical, political, philosophical.* * Mixta hic sunt negotiis civilibus literaria, magnaue illa rarissimarum rerum varietas mirifice legentem delectat. Agitur hic de rebus Anglicis, Gallicis, Italicis, Germanicis, Hispanicis, Belgicis, Danicis, Suecicis, unde multa ad historiam eorum temporum observari possunt. Inspurguntur nonnumquam Poëtici sales & facetiæ. Physica & medica non omittuntur: De rebus literariis disquiritur. Historiæ rariore narrantur. Characteres & lineamenta virorum illustrium & doctorum, tam in Anglia, quam in aliis locis, ab illo proponuntur. Elucet denique ex stylo varia & elegans eruditio. Ut pauca recenseamus: docta est illa de Linguis totius orbis dissertatio, *Volym. 2. epistolis 56. 57. 58. 59. 60. 61.* proposita. Quam memorabilis est illa *Vol. 3. Sect. 6. ep. 9.* historia de columbæ in Johannis Oxenhami omniumque ex ejus familia morientium agone apparitione, *Vol. 4. ep. 30.* recenset Epitaphium Principis Britannici, in America ante 600. annos sepulti. *Vol. 3. ep. 9.* prolixè agit de habitatoribus orbium cælestium, *Ep. 22.* agit de vaticiniis Nostradami & similibus. Illud quoque notabile est, quod *Vol. 1. sect. 5. ep. 5.* observat insignem similitudinem vultuum Nobilitatis Holsaticæ & Anglicæ, unde colonias hinc in Angliam ivisse auguratur. Infinita propemodum hic occurrunt observatione dignissima. Quare operæ pretium faceret, qui has epistolas in Linguam vel Latinam vel Germanicam converteret.

AUGUSTI BUCHNERI *Epistole* tomis 2. prodierunt Dresdæ ann. 1679. 99 & 80. in 8vo. Erat vir ille ad omnem nitorem literarum factus, Orator optimus & Poëta certe inter Germanos suo tempore princeps. Bene meriti fuerunt de orbe literato, qui has ejus epistolas publicarunt, in quibus multa sunt de rebus literariis judicia. Emendatur nonnumquam aliquid in Autoribus: stylus elegans, quamquam concisus. Formata tamen ipsi e Cicerone dictio est: quantum vero ad *τὸ περιουμένον* attinet, ab illo diversa. Quantus ille Ciceronis æstimator fuerit, videas ex epistola illa luculentissima, quæ est *partis 2. 32.* ad *Schneiderum*, Ducis Holsatiæ Consiliarium, qui ipsius consilium rogaverat de Curtio, an scilicet illius stylus ad elo-

quentiam Romanam sufficere posset. Sed totus in aliam partem inclinat Buchnerus, qui Curtii declamatoriam indolem multum abesse judicat a puritate nitoris Romani. Solum itaque Ciceronem illic ad omne scribendi genus, epistolare, oratorium, historicum unice commendat. Ne quid dicam de variis rebus & judiciis, quæ habet de Auribus, tam veteribus quam recentioribus. Inprimis elegans est illa scripti cujusdam Czarncoviani refutatio, quæ habetur *part. 2. ep. 129.*

- 100 Inter Theologos JOH. CALVINUS *Epistolas* nitidissimas scripsit. Ex-
tant illæ seorsim editæ Lausannæ ann. 1576. in quibus continentur multa ad statum
religionis illorum temporum pertinentia. Stylus in illo non contemnendus: id
enim operam dabat Calvinus, ut castigate scriberet. Sunt vero tales epistolæ ma-
gnificiendæ; & jam supra monuimus, Hottingerum instar thesauri habuisse episto-
101 las Theologorum, quarum ille magnum volumen congefferat. * Habemus ita
quoque epistolas Theologorum, inprimis Remonstrantium, quæ in Belgio editæ
102 sunt. (iii) * MARTINI RUARI Dithmarsii (kkk) *Epistola*, viri quidem doctis-
simi, sed Sociniani, in Batavia editæ sunt in 8vo; in quibus multa habentur, quæ
ad historiam Socinianismi pertinent. Multæ illic sunt ad Grotium epistolæ, quæ
ipsum Socinianismi suspectum faciunt: multæ etiam ad alios Theologos, quas illi
forte abesse inde velint. Erat vero ille vir doctus, Græcæ Latinæque linguæ Scien-
tissimus, ac præterea omnium illarum controversiarum, quæ Sociniani interce-
dunt cum Orthodoxis, præ aliis gnarus, disputator acutus, cui accedebat notitia
antiquitatum sacrarum. Primus certe fuisse creditur, qui Grotium in partes Socia-
nianorum traxerit, ut vel inde ingenium hujus viri conjicere possimus, cui tantus
vir potuerit succumbere. Misere tamen vixit, & paterna in Holsatia hæreditate
103 excidit, ob religionem legibus Imperii vetitam. * Similis mihi commatis viden-
tur nescio cujus CHRISTIANI LIBERII *Epistola*, quas nuper editas depre-
hendi: nam, quantum ex superficiali lectione patet, idem Socinianus viderur.
Nomen, ut quilibet videt, fictum est; sed tamen acumen ingenii cum Ruaro non
comparandum. Quod si idem ille est, qui nuper de scribendis, legendis & æsti-
mandis libris exercitationem Paræneticam scripsit, satis arguit ipse liber, minoris
ingenii esse. Inferuit quædam in illo libello de plagio literario & Thrafonismo
Theologorum, aliisque hodiernæ *μωοβιβλίας* causis.

- 104 LE SECRETAIRE CRITIQUE DU SIEUR, B. P. dit du Jonquier, in sce-
nam

(iii) *Epistolæ Remonstrantium* (Jac. Arminii, Joh. Utenbogardi, Conr. Vorstii, Hug. Grotii, Gerh. Joh. Vossii, Sim. Episcopi, Casp. Barlæi, & aliorum) Ecclesiasticæ ac Theologicæ bis sunt editæ, primum quidem a Phil. Limburgio & Christ. Hartsockero, Theologis Arminianis, Amstelod. Anno 1660. in 4to (quæ editio prior, in Idioma etiam Belgicum transfusa, ibidem A. 1662. in 8vo prodit), deinde autem, longe emendatioris, & plusquam 300. Epistolis auctiores, a solo Limburgio, Amstelod. 1684. in fol. Hæc posterior editio, 645. in universum complectens Epistolas, merito suo Historiæ Ecclesiasticæ atque Literariæ Studiosis, non minus quam ipsis Theologis, ob multiplicem usum, est commendatissima.

(kkk) Mart. Ruarus non Dithmarsus fuit, sed Crempa, Stormariæ oppido, Holsatiæ.

nam etiam Epistolographorum, ut mimus, prodeat. Autor ille has Epistolas Criticas scripsit, ut insultaret vitis eruditorum. Multa hic habentur arguta & satyrica de literatis, de libris, & de perversa studendi methodo, quæ legisse delectat & prodest. Habent scilicet omnes pene eruditi & omnes pene artes aliquid, in quo deliciari amant. Est amabilis quædam in multis etiam artibus insania ac intemperantia, Censoribus eruditus nunquam non notata, majori cum fructu studiis utilioribus impendenda, quam ille sale Satyrico defricat. Præcipue Medicos & Chymicos exagitat. Prodiit ille libellus Amsterod. 1680. in 12.

Vastissimus Epistolographorum numerus est, quos recensere omnes non possumus. * CÆLII CALCAGNINI Epistola doctissimæ & optime scriptæ. PAUSACRATUS, Canonicus Ferrariensis, scripsit libros 6. Epistolarum, Ferrariæ impressos, de quibus Joachimi Camerarii extat judicium, quod is sua manu ad exemplum suum adscripsit: *Consanguineus fuit, sororis filius Sadoleti, hic Autor, a quo ad hoc elaboratum scribendi genus fuit adjuvatus: cujus exemplum utinam nostri quoque homines sequerentur.* * JUSTUS RYCOVIUS Epistolarum duas Centurias scripsit, quibus continentur multa Philologici argumenti. De Epistolographis ævi sequioris agit Barthius *Adversar. lib. 9. cap. 19.* Idem de Salesburienfis Epistolis, *Adversar. lib. 13. cap. 12.* * DOMINICI CÆSONII Epistolarum selectarum centuriæ 5. Bonon. An. 1623, editæ non plane contemnendæ; sed nescio qua affectatione laborant, ac leviculas verborum allusionés quærunt, cujus exemplum *ep. 19. Cent. 3.* * OCTAVIUS FERRARIUS, humaniorum literarum Professor in Academia Paravina, Epistolas quasdam scripsit, Prolusionibus ejus additas, qui compositioni non adeo studere videtur. * In CABELLIAVII Literis reperias quoque nonnullam, quæ tollere velis. * P. RAMI Epistola nonnulla illorum temporum historica tangunt, & in CHRISTIANI BECMANNI Epistolis notatu digna occurrunt. JACOBI OMPHALII pauca sunt ad familiares Epistola, quas subjecit libro suo de elocutionis imitatione & apparatu. * PERPINIANI optimi Oratoris Epistola collectæ sunt, ac nuper cum Vavassoris Poëmaribus editæ, quibus multa de locis Rhetoricæ communibus, deque erudienda in Græcis Latinisque literis juventutæ habentur. * LANGUETI, (III) cujus elogium amplissimum habet Thuanus, Epistola multa habent rerum civilium sui temporis. * In VINCENTII FABRICII Epistolis nativa quædam elegantia est, quam ejus quoque elaboratissima Carmina ostendunt. * NICOLAI HEINSII multæ proculdubio erunt Epistola inedite, sed pauca ejus in Theatro Comæto Lubienitzii exhibentur. * TOB. TURNERI Epistola aliquem antiquæ dictionis genium habent. FR. ROBORTELLI Epistola de rebus philologicis nonnulla habent.

Q 9 2

BERI

(III) Huberti Langueti, Consilarii & Legati Saxonici, Volumen ingens Epistolarum, de rebus ævi sui, sive Seculi XVIi declinantis, Historico-Politicarum, ad Augustum, Saxonæ Electorem, ejusque Ministros interioris admissionis, Secretiorum, sub titulo *Historiæ Arcanæ Seculi XVI*, Halæ Saxonum A. 1699. in 4to a Joh. Petro Ludovico, Professore Halensi, ex Archivo, ni fallor, Electorali, est publicatum.

- BERI *Epistolæ* elegantes & non pauca ad rem literariam pertinentia notant. In-
 117 primis illa observanda; quæ in Henrici Decimatoris Sylva reprehendit. * Veniunt
 & in hunc censum feminæ eruditæ: OLYMPIÆ FULVIÆ MORATÆ,
 cujus præclarum est apud Thuanum encomium, *Cælii Curionis Epistolis* mistæ, non
 118 sunt omnino eloquentiæ Latinæ gloria privandæ. * Habemus & ELISABE-
 THÆ JOHANNÆ WESTONIÆ *Epistolas*. LAURÆ BRIXIANÆ
 119 *Epistolas* edidit Patavii Jac. Phil. Thomafinus. * Superfunt & ALOISIÆ SI-
 GÆÆ *Epistolæ* MStæ, Nicolao Antonio teste. Hispanorum Autorum, qui vulgo
 ignoti sunt, varias *Epistolas* peculiari indice notavit Nicolaus Antonius p. 600. *Biblioth.*
Hispanæ. *Epistolarum*, quibus Itinera Indica & Æthiopica describuntur, Autores Hi-
 120 spanicos idem pag. 631. eodem loco recenset. * Etiam Principum *Epistolæ* de rebus
 eruditis laudari hic merentur, quales Luneburg: Principum dedit *Joh. Val. Andreas*
in Selenianis Augustalibus.
- 121 Non defunt miscellarum EPISTOLARUM COLLECTANEA a
 variis instituta, ac optandum esset, ut plures haberemus, qui hanc operam orbi li-
 terato navarent. Extant *Epistolæ Principum, Rerumpublicarum & sapientum Virorum*, si-
 mul editæ Venetiis apud Jordanum Zilettum an. 1575. Extrat & aliud quoddam
 Volumen, quod JOH. MICHAEL BRUTUS collegit, quo habentur potissimum
 Philologica: sunt & editæ *Epistolæ clarorum Virorum* Lugduni in 8vo typis Elzevi-
 rianis, ann. 1617. Iisdem Elzeviriiis curantibus prodierunt *Principum & illustrium Vi-*
rorum Epistolæ, Amstelodam. ann. 1644. quo continentur *Epistolæ*, quæ inveniun-
 tur in Historicis Græcis & Latinis. Ante illos quoque MELCHIOR JUNIUS
 122 singulare Volumen talium *Epistolarum* collegerat. * Editæ sunt *Epistolæ Indica &*
Japponica a Patribus Soc. Jesu, Lovanii ann. 1570: quibus continentur variæ rela-
 tiones de rebus naturalibus, commerciis Indicis, negotio Religionis per Jesuitas
 promotæ, & plurima alia memorabilia; e quibus multa excerpterunt, qui postea
 123 Itineraria illa Chinensia & Japponica conscripserunt. * *Itinerarium* certe *Chinense*
Nienhoffii, quod Latina, Belgica & Germanica lingua prodiit, pene omnia capit ex
 his *Epistolis*, Trigautii expeditione Sinensi, aliisque ejus argumenti *Scriptoribus*,
 124 addito tantum suo *Itinerario*. * Sunt & *variæ literæ Italica lingua ad viros illustres*
scriptæ. *Epistolæ* illæ collectæ sunt ab ALDO MANUTIO tribus tomis in 8vo.
 Habentur in illo *variæ Pauli Manutii & ad Manutium scriptæ Epistolæ*, & longe plu-
 res *illustrium Italarum*, qui tum temporis præcipuum inter Italos nomen habuerunt.
 Nolo illorum Catalogum hic texere. Sunt vero illæ rebus illorum temporum li-
 terariis refertæ, quarum notitia homini erudito prodesse multis modis potest. Est
 & civilium rerum interdum aliqua illic notitia. Stylus Ialicus pro ratione illorum
 temporum cultus. Nimirum sunt tales Autores magno in pretio habendi: quæ-
 dam in illis nonnunquam deprehendas, quæ frustra alibi quæsieris. Commen-
 dat talia ipsa raritas. Prodiit ille liber apud Aldum Venetiis, ann. 1554. in 8vo.
 125 * Editæ sunt & Italica lingua literæ ex optimis *Scriptoribus* collectæ a BAR-
 THOLOMEO ZUCCHI Academico Insensato Perusino, Venetiis 1606.
 in 4to sub titulo: *L' Idea del Segretario*. Verum hæc in Eloquentiæ tan-
 tum

tum usum collectæ sunt sub titulis variorum generum Epistolarum, commendato-
 riarum, gratulatoriarum, petitoriarum &c. * Congestæ etiam editæque Puteolis 125
 sunt in 12. ann. 1685. *Literæ Historicae, Politicæ & eruditæ* variorum Autorum ab AN-
 TOMIO BULEFONE, Bibliopola Puteolano, de quibus agitur in *Actis Lipsiensibus*
 ann. 1686. Mens. Decemb. p. 610. Promisit & Lambecius Comm. de Biblioth. Vin-
 dob. lib. 1. sub finem, *Syntagma Epistolarum clarorum Virorum.*

Solent & in exoticis linguis elegantes scribi literæ, quarum & ad eloquentiam 127
 usus est: In quibus merito recenseri debent acutissimi auctoris ALOYSII GROTI.
Epistole, qui vocatur *Cieco d'Adria*, Venet. 1601. in 4to editæ. Notissimus ille apud
 Italos est, qui quanquam oculorum usu privatus, in utraque oratione elegantissime
 scripsit: quod præter ejus Epistolas *Orationes* quoque & *Carmina* testantur. * In 128
 Anglicis JOHANNES DONNE, Decanus Ecclesiæ Paulinæ, Poëmatibus Angli-
 cis & Sermonibus sacris celebris, *Epistolas* Anglica lingua scripsit, Londini editas 1651.
 in 4to, quæ elegantissimæ & argutissimæ sunt. Sed illi Scriptores huc proprie non
 pertinent.

Qui certa argumenta Epistolis accommodarunt, longe sunt plurimi, ac jam su-
 pra eorum Scriptorum aliquos sparsim recensuimus. * *Medicæ Epistolas* scripserunt 129
 J. CÆSAR BENEDICTUS, LANGIUS, HORSTIUS, ROSSÆUS, MATTHIOLUS
 aliique. * De Epistolis Ecclesiasticis antiquorum egit FRANCISCUS BERNARDI- 130
 NUS, FERRARIUS libro *de Antiquo Ecclesiasticarum Epistolarum Genere*, qui liber Helm-
 stadii a Mejero recusatus, Ann. 1678: * P. OLIVÆ, Generalis in Soc. Jesu ordine, 131
 extant Epistolarum tomi aliquot, *de negotiis Soc. Jesu*, quorum prior Romæ in 4to,
 Bononiæ in 8. 1668: prodiit, posterior Venetiis 1683. in 4to: Integra est Epistola-
 rum chiliæ, ac maximopere commendatur in Actis Lipsiensibus Anno 83. Mens.
 April. & August. * MONCONISIUS & DELLA VALLE, *Epistolis Itincrariæ* scripse- 132
 runt. Habemus & BUSBEQUII *Epistolas*. Peregrinatorum eruditorum Epistolæ
 magnam utilitatem in re literariâ præstant; nam συλλήθην repræsentant ea, quæ se-
 ro, vel nunquam in hominum notitiam veniunt. * Laudanda in his est SORBIERI 133
 diligentia, qui in *Relatione itineris Anglici*, Gallica lingua scripta, multa de eruditis An-
 gliæ libris, inventis, memorabilia notavit, sed liberiose censura in Anglorum invi-
 diam incurrit: adversus illum enim singularem librum THOMAS SPRAAT scripsit
 lingua Anglica sub Epistolæ formâ ad Dn. Wren. Titulus est: *Observations upen Sor-*
biers voyage. * ANTONIVS PEREZIVS *Hispanicas Epistolas* scripsit, omnes Politici 134
 argumenti. * In Gallica lingua PASQUIERII *Epistole* scriptæ, quibus tumultus Pari- 135
 sienses describuntur. Sunt & alii Auctores, quos vide apud Sorellum. * VIGLII 136
 ZWICHEMI ab AYTTA *Epistole Politicæ & Historicæ* ad Joachimum Hopperum scri-
 ptæ, & Leovardiæ an. 1661. editæ, multa rerum Friscarum habent. * Sunt & PE- 137
 TRI *de VINEIS libb. 6. Epistolarum Historico-Politicarum* Ambergæ 1609. editi.

DE

EPISTOLIS INEDITIS ERUDITORUM.

- §. 1. *Ineditarum Epistolarum præ ceteris ratio habenda est: 2. præcipue familiarium. 3. Tria Epistolarum genera, officiose, negotiosæ & familiares. 4. Syntagmata talium literarum conficienda. 5. Job. Pistorii, 6. & Pauli Cyprii Epistola. MStæ. 7. Epistola a Zacharia Ludio, & ad ipsum, 8. & Virorum celebrium ad Meursium scriptæ. 9. Quorum Virorum nomina recensentur. 10. Friderici Lindcnbrogii Epistola MStæ. 11. Fellerus & Daumius editionem Epistolarum nonnullarum promiserunt. 12. Harduici Smidenstädtii Epistola. 13. Eiusdem Loci Comm. Oratorii, 14. & Tractatus de imitatione Ciceroniana. 15. Magnus Epistolarum ineditarum thesaurus in Bibliotheca Gudianâ. 16. Epistole Germanorum & Belgarum apud illum εὐρύθετα superstites recensentur. 17. Lepida historiola de Latino Hegingensi ex Epistola Melanchthoniana. 18. Systema integrum novum Melanchthonianarum Epistolarum ad bis mille confici potest. 19. 20. Gallorum Epistolia εὐρύθετα recensentur. 20. Comitissæ Avauxii singularis erga Gronovium liberalitas & humanitas. 21. Ex Itatorum autographis Epistolis recensentur complurium Epistole Alciati, 22. Cesaris Trivulcii. 22. 23. Locus Plinii ex ea illustratus. 24. Augusti Valdi Epistola. 25. Ejus in Plinium notæ militari furore perierunt. 26. Nizolii ad Majoragium Epistola reprehensoria. 27. Majoragii in Nizolium libri Reprehensionum. 28. Sebast. Corradi. 29. Calcaigni. 30. Macigni, Majoragii Epistole. 31. Ejus duæ Orationes, olim e Bibliotheca Gudianâ editæ, quæ in Orationum volumine non inveniuntur. 32. Commentarius ejusdem in Virgilio Georgicâ MStus. 33. Pyrrhi Ligorii, 34. Bernardi Baldi, 35. Thomæ Phædri, 36. Cardani, Palarii, Cæli Rhodigini, 37. Jani Parrasii, 38. Francisci Ciceræi &c. Epistole. 39. Pauli Mianutii elegans Epistola, 40. cujus scribendæ occasio refertur, 41. & quia inter ceteras ejus non comparat, hic adjicitur.*

1 **E**gimus hætenus de Epistolographis, ac præcipuos eorum enumeravimus, qui
 2 in lucem miserunt Epistolas suas. Sed INEDITARVM EPISTOLARVM, quæ
 3 hinc illinc in Bibliothecis latitant, major nobis cura esse debet. * Quoniam enim
 illæ divulgatæ rypis non sunt, multa hic abscondi ad Historiam literariam per-
 tinentia credibile est, præcipue si maxime familiares literæ sint. * Sunt enim Epi-
 stolæ varii generis: quædam officiosæ tantum, & in sola civilitate subsistunt; earum
 non est, nisi in eloquentia usus. Neque illæ ad nos hoc loco pertinent, etsi illa-
 rum Scriptores hic miscuerimus, ne postea alio loco multa repetenda essent. Sunt,
 quæ de negotiis domesticis & vulgaribus agunt; quarum exiguus hic nobis usus
 est. Civilia negotia, relationes historicæ ad civiles usus pertinent. Maxime
 vero hic prodesse possunt literæ secretæ & familiares, quas vel vivi Autores edi-
 ter ceteras noluerunt, vel quæ in scriniis virorum doctorum delitescunt, non eo
 sine scriptæ sunt, ut publicarentur. In his enim plurima latent rei literariæ arcana.

* Illas

* Illas præcipue indagare debemus in Virorum illustrium Bibliothecis, atque inde 4
conficere Syntagma: quod si ab omnibus pari industria institueretur, bono id pu-
blico foret. Saltem in publicis Bibliothecis ad tempus custodiri tales chartæ debe-
rent, ne interciderent: nam crescit illis cum tempore pretium, & ab antiquitate ma-
jor erit æstimatio; ac impune tum in lucem mitti poterunt, postquam invidiæ lo-
cus amplius non est.

Multi quoque discere e talibus epistolis interdum possumus ad Historiam pa-
triæ pertinentia, quorum nulla in publicis monumentis superest memoria. * Com- 5
municavit mecum vir Clarissimus & amicissimus PETRUS AXENIUS *Epistolas La-*
zinas superiore seculo in Holsatia ad JOHANNEM PISTRIVM, Prapositum Ey-
derstætensem, & ab eodem scriptas, quibus non pauca habentur historica de statu
provinciae Civili & Ecclesiastico. * Venerunt ad manus BALTHASARIS HELDI, 6
amici nostri optimi, & diligentissimi veterum monumentorum indagatoris, PAULI
CYPRAEI *Epistola MStæ*, quibus multa de patriæ rebus memorantur. * Ejus quo- 7
que indicio mihi innotuit, superesse apud Secretarium & Archivarium Regium
DN. MOTHIVM *Epistolas* multas a ZACHARIA LUNDIO, viro docto & insigni
Poëta, & ad eundem scriptas: * Item magnum volumen epistolarum, a viris Ce- 8
leberrimis ad JOH. MEURSUM Seniore scriptarum, quod ex Bibliotheca
Seelfeldiana ab eodem Lundio descriptum; nec ille, ut audio, Orbi erudito invi-
debit, si erunt, qui typis promulgare velint. * Nomina eorum, qui has literas 9
scripserunt, mecum communicavit *Johannes Møllerus, Flensburgensis*, qui totum vo-
lumen 730. epistolas continere testatur, & omnigenæ eruditionis Thesaurum, ac
rei literariæ quoddam Archivum in literis ad me datis vocat. Continentur vero
hic *Epistolæ Adolphi Vorstii, Alph. Miniati, Andr. Riveti, Andr. Schofti, Ant. Fayi, Balth.*
Bonifacii, Balthas. Lydii, Ben. Aub. Maurerii, Bonav. Vulcanii, Car. Paschalii, Casp. Barthii,
Casp. Bartholini, Casp. Er. Brochmanni, Casp. Hofmanni, Gevartii, Christ. Frisii, Ravii, Tho-
mei, Christoph. Coleri, Bulei, Chr. Sig. Donaueri, Corn. Pynäkeri, Corn. van der Myle, Cour.
Rittersb. Cyr. Herdesiani, Dan. Heinsii, Dav. Heschelii, Dion. Gothofredi, Domin. Molini, Ery-
cii Puteani, Everh. Vorstii, Eustath. Swartii, Franc. Doussa, Frid. Lindenbrogii, Taubmanni,
Georgii Episcopi Cantuar. Georg. Lud. Frobenii, Georg. Mich. Lingelsheimii, Georg. Remi,
Georg. Queccii, Gerh. Joh. Vossii, Gevorb. Elmenhorstii, Guilb. Coddæi, Hadr. van der Bur-
chii, Herib. Rosweydiai, Henr. Ernstii, Henr. Spelmanni, Hug. Grotii, Jac. Aug. Thuanii,
Jac. Bongarsii, Gilloti, Gruteri, Lectii, Monavii, Jani Gruteri, Rutgersii, Joh. Bapt. Lauri,
Joh. Bedecheri, Joh. Brantii, Joh. Cabeliavii, Joh. Cluveri, Joh. Drusii, J. F. Gronovii, Joh.
Georg. Herwarti, Joh. Heurnii, Joh. Loccenii, Joh. Kirchmanni, Joh. Lydii, Joh. Phil.
Parei, Joh. Polyandri, Joh. Ravii, Joh. Wowerii Hamb. Joh. Wowerii Antw. Joh. Uten-
bogardi, Jos. Scaligeri, Isaaci Casauboni, Justii Lipsii, Lamb. van der Burchii, Lamp.
Alardi, Luca Holstenii, Ludov. Contareni, Marci Velscri, Marquardi Frèheri, Mart. Ly-
dii, Maxim. Urientii, Melch. Goldasti, Metroph. Critopuli, Mich. Piccarti, Nic. Fabr.
Peirescii, Nic. Rigaltii, Ol. Wormii, Olig. Roskranzii, Otton. Heurnii, Pauli Meruke,
Pauli

Pauli Petavii, P. Sarpü, Patritü Junii, Pet. Bertü, Pet. Castellani, Pet. Cunei, Pet. Denaisü, P. Gruteri, Pet. Pantini, Pet. Scriverii, Phil. Jac. Maußaci, Reg. Brederodii, Sixt. Arceri, Steph. Joh. Stephanii, Theod. Canteri, Theod. Douße, Ubb. Emmii, Vinc. Marm-
 IO rii. * FRIDERICI LINDENBROGII, cujus jam superiori capite mentio facta est, Epistola MStæ ad aliquot Centurias in viri Illustris & Excellentissimi Domini REINOLDI BLUMII, in aula Electorali Palatina quondam Præsidis & Cancellarii, Bibliotheca latitant, ut a Filio ejus Arnoldo Blumio, Illustriss. Comitis, Domini CHRISTIANI DETHLEFI RANTZOVII Ephoro dignissimo, Amico & Convictore meo honoratissimo, narratum est: quibus ego publicam lucem optarem, si exorari posset vir Excellentissimus, ut illas prælo subjiceret. Nam ex ceteris Lindenbrogianis, quæ in Bibliotheca Hamburgensi latitant, patet, multa in illis haberi, notitia Orbis literati non indigna. Jam quædam superiori capite ex illis adduxi de plagis Wouwerianis: ac communicavit nuper mecum (ut *ὄς ἐν κἀρόδω* memorem) de eodem argumento nonnulla Joh. Möllerus, qui ex epistola ejus ad Pet. Putcanum die 23. Jul. an. 1618. scripta, hæc de Wouwverio excerpfit: *Anno te ob communicatas Wouwverii literas: Quamvis tanti non erat, tabellarium iis portandis onerasse, quarum lectione nemo quisquam vel doctior vel melior redditur: sed nec aliud fere quicquam ex iis discitur, præter hominis vanissimi futile ingenium & mores, ad ambitionem ac arrogantie typhum factos.* Nam de eruditione nunc dicere supersedeo, quæ sane parum supra vulgum erat; adeo ut, ni illam alienis coloribus, velut *Ἄσopi* cornicula plumis, ornasset; sæpe nuda destituta fuisset; Velut in Italia contigit, cum Carmen ab illo in laudes horti cujusdam Nobilis Florentini exigeretur: Miratique sunt docti, qua ratione factum esset, ut qui paulo ante ob versionem Psalmi Davidici cujusdam, valde eleganter atque concinne numeris comprehensi, summum Pontificem in admirationem rapuerat, ejus nunc vena adeo exaruisset, ut ne Hexastichon quidem satis dignum, horti parietibus quod adscriberetur, extrudere potuerit. Sed ignorabant boni illi viri, hujus hunc nostrum autorem esse, illius vero Carminis Baudium. Hanc ille artem norat, aliena exscribere & interpolare, schema illis novum induere, & sic pro suis venditare. Idcirco non magis credas, librum, quem expectis de Cognitione Veterum Novi Orbis illius fuisse, quam certo tibi persuadere potes, quos de Bibliorum Interpretibus composuit, Casauboni & Gelasini esse. Nihil enim in Hebraicis intelligebat, imo ne autores quidem legerat; quos laudat. Geographiæ autem plane ignarus erat. Itaque aut vândica jactantia summum amicis vendidit, aut si quid hujus argumenti penes sese habuit, id absque dubio in Italia nactus fuit, ubi totos menses Jac. Mazzonii aliorumque virorum doctorum variis Observationibus describendis impendit, uti Aurelius Blondus Florentiæ mihi narravit. Non minus vera de aliis ejus Syntagmatibus referre possem; quæ tibi quoque & fratribus tuis in partem notissima sunt, ad quos scis, quid de colligendis transmittendisque Marcelli viri doctissimi commentariis scribere solebat. Narravit, nescio quis, etiam Cl. FELLERUM ad editionem paratas habere multorum Virorum celeberrimorum Epistolas. Scribit & ad me amicus, CHRISTIANUM DAUMIUM, Virum doctissimum, Epistolarum a Camerario,

merario, Barthio, Reinesio, Casaubono, Heinsio scriptarum, unam propediem *Centuriam* editurum.)

Invenimus passim in vitarum Scriptoribus notatas virorum doctorum epistolâs ineditas, quæ cum blattis & tineis pugnant, quas nemo respicit, aut in lucem educere laborat. Ita in Elogio HARTVICI SMIDENSTÆDTI, Oratoris & Poëtae in Academia Helmstadiensi, apud Boissardum in *Iconibus Virorum Illustrium, part. 3. p. 88.* memoratur, quod prematur in Bibliotheca ejus relicta præstans *volumen Epistolarum Illustrium & Scholasticarum.* Fuisse virum illum doctissimum, ex elogio Henrici Meibomii patet, aliisque ejus scriptis ineditis. * Nam & eodem loco refertur, premi in ejus Bibliotheca *Opus absolutissimum, in quo totam Cyclopadiam ita in Locos Communes digesserit, omniumque scientiarum rerumque capita & tractationem ita disposuerit, ut futuro Oratori, sive cuiquam etiam, ex tempore dicturo, veluti locupletissima Eloquentiæ Bibliotheca, quovis loco & tempore in promptu, atque in infinitum expedita esse queat.* Male profecto agunt, qui publico usui, talia scripta invident. Nam in eloquentiæ apparatu vehementer laboramus; neque hætenus fuit, qui Locos Communes idoneos in lucem dederit. Quod si hujus operis superest hodie memoria, id agere deberent viri eruditi, ut ab interitu hoc scriptum vindicaretur, & in publicum usum protraheretur. * Ejus quoque *de Imitatione Ciceroniana* Tractatus editus, qui exquisitissimus ibidem vocatur, nunquam mihi visus est. Inter Opera Autorum, a Melchiore Adami, Laur. Crasso, Ghilino aliisque notata, multæ reperiuntur ineditæ epistolæ, quarum omnium recensere Catalogum nunc non possumus.

Non possum, quin hic quasi in publico theatro orbi literato magnum illum *Epistolarum Thesaurum*, quem in incomparabili sua Bibliotheca servat Illustris MARQUARDUS GUDIUS proponam. (mmm) Integra ille volumina facile complebit epistolarum, ab omnium gentium viris doctis scriptarum, quorum *ἀνὸς ὄψεσθαι* singulari felicitate in ejus manus inciderunt. Dixi præcedente capite, integras illum habere Centurias, Wouwerianarum, Caselianarum, Sarravianarum, Erasmiarum, Casaubonianarum, Lipsianarum. Ex his Lipsianis conficere potest, ad Germanos Centuriam unam, aliam ad Gallos, tres ad Batavos. * Habet e Germanis & Belgis *ἀνὸς ὄψεσθαι* epistolarum Barthii, Baudii, Calixti, Cabeliavii, Christophori Coleri, Dilheri, Elmenhorstii, Gebhardi, Gruteri, Grostovii, Hascheli, Heinsii, Hofmanni, Laurenbergii, Meursii, Piccarti, Remi, Rhodomanni, Rittershusii, Ruari, Rutgersii, Sizmanni, Taubmanni, Velseri, Calvisii, Foppii & Leonis ab Aizema, Starckii, Bauhini, Beati Rhenani, Bæcleri,

(mmm) Multæ jam ex Epistolis Eruditorum, quas Vir Illustris, Marqu. Gudius, asservabat *ἀνὸς ὄψεσθαι* lucem aspexerunt publicam, in Appendice satis vasta, pauculis ipsius Gudii, Amicorumque ad illum, Epistolis, Ultrajecti A. 1697. in 4to excusis, a Pct. Burmanno, editore, auspiciis Gravianis, adjecta. Plures tamen, ni fallor, edendæ supersunt.

- Boecleri, Tychonis Brahei, Joachimi Camerarii, senioris & junioris, Theodori Canteri, Julii Pflugii, Cluverii, Ubbonis Emmii, Flenningii, Casparis Gevaritii, Huberti Giphanii, Melchioris Goldasti, Hug. Grotii, Lucae Holstenii, Joannis Secundi, Athanasi Kircheri, Joh. Kirchmanni (quarum magna copia est,) Johann. Kirstenii, Friderici Lindenbrogii, Längelsheimii, Lutheri, Mallincrotii, (cujus extat epistola prolixa, qua inter Erasmi & Jesuitarum merita comparationem instituit) Meursii, Joachimi Morsii, Ludovici Nomii, Johannis Oporini,
- 17 Johann. Rhodii, Joannis Rivii, Heriberti Rosweidi, Isaaci Vossii, Jungermanni. * Est in illis lepida ad Joachimum Rungium Calerid. Febr. A. 1560. manu Melanchthonis scripta epistola, qua bella de Latino Heringensi narratur fabula: cum Gallicus Legatus coram Maximiliano in Conventu Constantiensi luculentam haberet Orationem, Maximiliani filius, Philippus, ad Fridericum Saxoniae Ducem dixit: *Friderice, hic Vir est eloquens.* Tum Comes Hohenzollerensis horrendo sono inquit: *Domine Legate, vos debetis iterum venire post carnis privium.* Displicuit sonus & stentorea vox Philippo, qui ad Fridericum inquit: *Quale est hoc Latinum?* facete tum a se derivat Fridericus responsonem in Gregorium Lamparterum, Cancellarium Wurtembergicum; is interrogatus ait, *Vos Principes scitote, hoc Latinum esse Heringense.* Ubi, inquit Philippus, hoc discitur? Oppidum est, respondet Cancellarius, hujus Comitatus Heringen, ubi lineae telae horridissimae texuntur; ibi & hoc Comitatus Latinum textum est. Abiit ex illo tempore hoc in proverbium, & *Heringense Latinum* pro barbaro & Tolæco sermone Latino usurpatum est, ac saepe in aliis epistolis hoc joco utitur Philippus.
- 18 * Melanchthonianarum epistolarum, tam editarum quam ineditarum, bis mille ad Collectionem Londinensem ex hoc illustri promptuario adjici possunt. Observavi etiam inter illos *Sakvii*, Legati Suecici celeberrimi, literas ad Medicum Judæum de Castro, quibus illum rogat, ut librum de tribus impostoribus quovis pretio sibi comparet.
- 19 E Gallorum autographis epistolis primum locum merentur *Comitis A. V. A. V. XII*; Legati Regii, *Epistola.* * Magnus erat ille literarum ac literatorum Patronus, qui pro dedicatione Livii Gronovio mille imperiales donavit. Hoc de illo memorabile narratur: cum is Daventriam transiret, pedes ad Gronovium, tum ibi eloquentiam docentem, ac nihil tale expectantem, ivit; cujus inusitatam comitatem cum miraretur Gronovius, ita ad illum Legatus: *Tu eam artem doces, quam ego exerceo.* Sunt porro *Bongarsii*, *Bourdelotii*, *Chanuti*, (ejus, qui vitam Cartesii scripsit, & librum *Memoriarum*) *Stephani Claverii*, *Colladonii*, *Frontonis Ducæi*, *Sebastiani Gryphii*, *Ludovic. Jacobi*, *Caroli Labbei*, *Pelisonii*, *Perraultii*, *Salmasii*, *Josephi Scaligeri*, *Epistolæ.*
- 21 EX Italis ANDREÆ ALCIATI manu XXX. scriptæ *Epistolæ* sunt, quibus multa ha-
- 22 bentur singularia. * Est CÆSARIS TRIVULTII ad Pomp. fratrem elegans epistola, qua Observatio aliqua proponitur circa locum *Plinii, lib. 36. c. 5. de statua Laocoonis & liberorum ejus a Dracone intersectorum.* Inventa vero fuit illa statua in
ruinis

ruinis Titi Imperatoris, à cive, qui pro 700. nummis aureis vendere noluit Nobili Romano, a Pontifice postea vindicatam. Hanc statuam cum liberis & serpentibus Plinius ex uno lapide factam esse prodidit. Sed ille de ea ita in hac epistola: statuam ipsam, quam Plinius cum liberis ex uno lapide factam prodidit, Johannes Christophorus, Romanus, & Michaël Angelus, Florentinus, in urbe Roma primi nominis statuarii, negant ex uno lapide consecram: ostendunt compagnes plus minus quatuor, sed eas tam occulto loco conjunctas, tam apposite ferruminatas circumlitasque, ut non nisi ab ejus artificii peritissimis id facile intelligi possit. Quare aut Plinium deceptum affirmant, aut alios voluisse decipere, ut opus fieret admirabilius. Neque enim tres statuas magnitudinis justæ tot tamque mirabilibus Draconum nexibus complexas in uno tantum lapide ullis instrumentis potuisse formari. Magna est Plinii autoritas, & nostri artifices suis nituntur rationibus; nec vetus est verbum contemnendum, felices fore artes, si de iis soli artifices judicarent. Sadoletus, raro judicio non minus eleganter Laocoontem cum liberis calamo descripsit, quam illos ipsi opifices celo expoliverunt. * Elegans hæc est ex illa 23
Epistola ad locum Plinii Observatio, celeberrimorum artificium judicio firmata. Nam de Michaële Angelo de Bona rota, cujus Vita vasto volumine descripta est, constat, adeo illum artis suæ peritum fuisse, ut Veneris statuam in terram a se defossam pro antiqua vendiderit. * Sunt in illis AUGUSTI VALDI Episto- 24
le, viri doctissimi, cujus pluribus fama innotuisset, si Notæ ejus in Plinium, magna cura scriptæ, in lucem missæ fuissent. * Nam ut de eo Pierius Vale- 25
rianus libro de Infelicitate, literatorum. l. p. 44. ipse cum suo Plinio a militibus Hispanis Germanisque Romam aggressis, misere cruciatus interiit. Non minus, ait, crudeliter occubuit Augustus Valdus, Patavinus civis, qui Roma per tot annos bonas literas tantis ab eo vigiliis, sudoribus, & peregrinationibus acquisitas professus erat, qui non solum voce, verum etiam scriptis eruditionem omnifariam ab interitu vindicabat, quam autem miserabili mortis genere vitam, suavit! Incidit enim in Romanam cladem, Hispanorum illam, & Germanorum prædonum sævitiam acerbissimam, cujus ante oculos directa domo, in vinculis habitus, pretiosissimam librorum suppellectilem, laboresque illos suos, quos præsertim in Plinium elucubrarat, coram dilacerari, & in usum culinæ incendi conspexit, & in eo mæcere omnibus aliis incommodis conflictatus, propter arrogantem eorum crudelitatem, quibus nihil unquam fuit improbius, dum modica fortune vir insatiabilem barbarorum sitim tributis explere nequit, qui omne senectutis suæ viaticum jam excusserant, e loculis, post cruciatus varios fame demum consumptus perhibetur. * Extat inter MARIJ 26
NIZOLII nonnullas proluxa Epistola, manu ejus scripta, sed erudita, ad Majoragium, qua ipsum reprehendit ob Antiparadoxa, quæ adversus Ciceronis Paradoxa scripserat. Comminatoria illa est Nizolii epistola, qua ipsi acerbam refutationem miratur, nisi ab his suis in Ciceronem invektivis abstant, & παλιωδῶν cantet. Sciendum est, Calcagninum adversus Ciceronem scripsisse Disquisitiones in ejus Officia. Ciceronem vero Majoragius defendit, eam ob causam vehementer a Nizolio laudatus. * Postea vero, cum ipse Majoragius Anti- 27
paradoxa adversus eundem scriberet, acerbissimam ad illum Epistolam, quam modo

modo nominavimus, scripsit Nizolius; qua irritatus Majoragius *duos libros Re-*
 28 *prehensionum* adversus Nizolium edidit, satis dentatos. * Cui liti tandem inter-
 cessit SEBASTIANUS CORRADUS, Vir poliriffimæ latinitaris, cujus illic quoque
 reperitur *Epistola αὐτοβγοςος*, qua conciliationem inter illos tentat. Sunt & plu-
 29 res ejusdem Autoris. * CALCAGNINI, viri summi, cujus alioquin XVI. extant
 libri *Epistolarum Criticarum & familiarium*, etiam illic habentur *Epistola inedita*.
 30 * Ad illum habetur ibidem quoque MATTHÆI MACIGNI, Veneti, *Epistola re-*
sponsoris, qui Macignus in scientiis Mathematicis excellentissimus fuit, multos
 vetustorum Græcorum Mathematicorum MStos Codices habuit, quorum quam
 multi hodieque in Bibliotheca Gudiana comparent. MAJORAGII quoque non
 31 paucae ibi inveniuntur *Epistole* tersæ, ut omnia ejus viri, & elegantes; * editæ-
 que jam olim ex ipsius Bibliotheca ejusdem nitidissimæ Orationes duæ, altera
 de *laudibus auri*, qua Ecclesiasticorum vitia falsè traducuntur; altera *Apologetica*
contra Gaudentium Merulam, in qua plurimæ ejus vitiosæ lectiones notantur &
 castigantur. Hæ inter veteres Autoris schedas Mediolani primum repertæ; &
 32 Ultrajecti Anno 1666. in 4to typis descriptæ. * Later & ibidem *MStus* Majo-
 33 ragii in *Virgilio Georgica Commentarius*. * PYRRI LIGORII, Neapolitani, ibidem
 sunt *Epistole*, viri doctissimi, a quo XXIV. vasta antiquitatum Volumina inedita
 34 superesse perhibentur. * BERNARDI BALDI, ejus scilicet; qui in Vitruvium
 notas & Lexicon scripsit, illic vidi *Epistolas*. Ejus in Catalogis vidi quoque no-
 35 tatas *Epistolas*, in quibus cum aliarum artium præcepta, tum philosophiæ, illu-
 strare contendit, Mediolani 8. 1558. editas: sed librum ipsum non vidi. * Non
 defunt THOMÆ PHÆDRI *Epistole*, quem Pierius de *Literat. Infelic. lib. 1. p. 47.*
 vocat affluentissimum eloquentiæ flumen, quo non alius suo tempore clarior,
 neque vehementior fuit, Romanæ cathedræ decus & ornamentum: sed qui mi-
 36 serabili fato interiit, ut ibi prolixè describit Pierius: * HIERONYMI CARDANI
Epistole sunt, quæ in Operibus ejus non comparent, etiam AONII PALEA-
 RII, eloquentissimi viri, *aliquæ*, quarum nullum in editis vestigium est. COE-
 37 LII RHODIGINI ad Erasmm *Epistole* habentur. * Inter JANI PARRHASII
Epistolas una est, qua de arcanis familiæ, incestis cognatæ cujusdam amoribus
 scribit ad Lascarem, quem rogat, ut a Pontifice veniam earum nuptiarum im-
 petret. Scribit autem literas Latinas, quibus Græca verba, & nonnunquam
 38 periodos immiscet, ne secreta scilicet proderentur. * FR. CICERÆI illic quo-
 que *Epistole* sunt, item BEMBI, LAZARI BONAMICI, ROMULI AMUSÆI, quo-
 rum magna suo tempore in Latinis literis glória fuit: horum enim cura & in-
 dustria res literaria crevit; eorum exemplis, & præceptionibus præcipue ad
 eloquentiæ studia incitati sunt, qui postea ad hæc animum applicaverunt. Sunt
 OCTAVII PLATI, M. ANTONII REGINENSIS ad Majoragium, BENEDICTI
 THEOCRENI ad P. Juvium *Epistole*; DOMINICI MOLINI ad Meursium:
 BALTHASARIS BONIFACII etiam *Epistole* sunt; si illæ hoc loco dignæ & his
 principibus miscendæ videntur: fuit enim lutulentus illi sermo, etsi rerum co-
 pia

pia non destituatur. * PAULI MANUTII cum plures sint, una est longa, & valde elegans ad Cratonem a Crafftheim, Medicum Cæsareum, scripta, cum Romam proficessum pararet, plena querelarum. * Vocatus ille Romam erat, ut illic Curæ Typographi-
cæ præfesset in editionibus SS. Patrum procurandis, cui rei argentei typi destinati erant, & stipendia adsignata. Verum, cum res illæ non ex voto procederent, & in rei familiaris angustiam eam ob causam veniret Manutius, Crato a Crafftheim illi Cæsareæ munificentiae subsidia obrulit: ad quæ splendida promissa erectus Manutius, elegantissimam hanc & suavissimam epistolam eucharisticam scripsit, qua vix elegantior in toto Opere reperitur: nam meras Charites spirat, omnesque animi recessus effundit. Scriptam autem a Manutio hanc eo tempore fuisse epistolam, ex epistola 5. libri 9. ad eundem Cratonem scripta probari potest; his enim verbis finit epistolam: *Ad illam superiorem epistolam, Romæ scriptam pluribus verbis, expecto, quid respondeas.* Hæc vero scripta erat Venetiis. X. Kalend. Nov. Anno 1570. Sed altera illa inedita scripta est Romæ Idibus Juniis ejusdem anni, unde apparet, eandem illam esse, quam Manutius extremis illis verbis designat. * Non erit hoc, ut puto, Lectoribus ingratum, si illam ipsam epistolam, in Manutii epistolis ob certas forte causas omissam, quam mecum vir Excellentissimus communicavit, appendicis loco huic Capiti, atque toti libro primo Bibliothecario, qui in argumento de epistolarum Scriptoribus finitur, subnectam, purpuramque hanc panno nostro assuam.

PAULI MANUTII EPISTOLA

lib. IX. Epistolarum ejus post epistolam IV. inserenda.

Paulus Manutius, Aldi filius, JOHANNI CRATONI

S. D. Viennam.

Nihil minus placet, quam ut, nulla proposita re, nulla certa sententia, ad te scribam. Occurrit enim mihi tua dignitas, occurrit autoritas; cogito, quam tibi personam tua virtus imponat, quæ te premant onera, quæ negotia distrabant: nimirum, cum tue scientiæ tuoque consilio salus & incolumitas commissa sit ejus Imperatoris, qui multa regna, multas provincias imperio, omnes virtutes animo complectitur, gravissimam Christianæ Reip. partem sustinet. Cur igitur ita sim ineptus, atque adeo tam adversus communibus commodis, ut inani te literarum genere interpellem; & quem salutare illæ curæ detinent fixæ & locatæ pro publica Majestate tuenda, ad privata rei

cogitationem ac studium vocem? Verum tamen, quia nec res ipsa, ut ego interpretor, priva-
 tum ad me unum pertinet, sed aliqua ex parte cum publica utilitate conjungitur, & ex
 tuis literis velle te mea causa multum, ex omnium sermone, posse plurimum intelligo, ma-
 le prorsus mereri videar. de studiis meis, ac de me ipso, nisi opportunitatem istam nactus
 amoris officique tui, agam tecum de statu meo, quantum res ipsa postulat, & quantum
 mihi per humanitatem tuam licet, per quam licere video plurimum. Etsi enim jaceo, nec
 recenti, nec levi, sed inveterato jam difficilique morbo; tamen si Tu, tantus Vir, ad me
 erigendum ac recreandum accingeris; si istam scientiam, istam artem adhibes, que sepe
 bonis viris in calamitate opem ac salutem attulit, cur dubitem, quin voluntatem atque in-
 dustriam meam felicitas illa utrique nostrum pariter exoptata, consequatur? Quod si se-
 cus acciderit, suum tamen humanitas tua fructum non amittet: ego enim, quod volueris
 conatusque sis, in tua laude ponam; quod non perfeceris, ad meam fortasse culpam, vel ut
 equius de me ipso sentiam, ad meam certe fortunam transferam. Nam & preclarus ar-
 tifex perfectam animo speciem intuens, cum ipse nihil in arte possit, opus tamen imperfe-
 ctum subjecte materiae vitio relinquit. Nec tamen is ego sum, cujus animum immodera-
 ta quedam opum honorumve cupiditas angat. Habeo magnam gratiam nature, mea, que
 me ad hanc insaniam nunquam impulit, majorem etiam iis viris, quorum preceptis eruditus
 ad hanc diem ita vixi, itaque posthac, ut spero, vivam, ut neque summa cupiam, nec sum-
 ma adeptis invidiam. Sed quia virtus, licet a se ipsa pendeat, externa tamen quedam non
 recusat, propterea mediocritatem earum rerum, que fortune bona quidam vocant, nunquam
 contempsit, elaborandi etiam, ut consequeretur: & plane me consecutum credidi, cum decem
 abhinc annis Romam veni. Quis enim aliter crederet, cum a Pontifice maximo vocarer,
 cum hic vigere dicerentur, ac semper antea viguissent artes illa, quibus ab ineunte etate me-
 um studium dederam: cum ipsum denique nomen urbis Rome nihil tenue, nihil angustum, sed
 ampla & magna polliceri omnia videretur? Hoc loco non faciam; ut aut de meis ipse meritis
 detraham, quod certe non debeo, non enim commisi, ut meam in re mandata diligentiam,
 operam, fidem requirere quisquam jure possit, aut alios carpam, quod ab institutis meis
 longissime distat; tantum dicam, & id ipsum invitus: Nescio, quo fato, mihi fontes
 aruisse, qui profuere solebant; benignitatem, que antea patebat, ita clausam in me esse,
 non modo, ut nihil ejusmodi, in quo vel copia vel splendor inesset, sed ne mediocritas illa quidem,
 que repellit incommoda, que honestatem ex parte saltem aliqua tuetur, mihi adhuc obtigerit.
 Ac vide tamen equitatem animi mei: rei domesticae jacturam, quacunque est; facile fero; li-
 benter dissimulo, do operam, ut obliviscar; quod antiquam colere frugalitatem, quod illam par-
 vo contentam, omnium laudandarum artium parentem altricemque, disciplinam retinere cogar,
 non irascor; & hanc ipsam fore crederem liberis meis non contemnendam heredita-
 tem; At multa desunt: Ego deesse mihi quidquam nego, abesse multa confiteor,

que


que tamen ipsa, ni fallor, ejusmodi sunt, ut si large suppetant, nihilo fiam melior, si absint penitus, aut si minima sint, sicuti sunt, nihilo deterior; Ergo, quod ad hanc jacturam attinet, tranquillo satis animo sum: illa me dies noctesque vexat, illa mihi penitus insidet heretque cura, quod si quem studia mea fructum ferre, si quid posteris industria mea prodesse poterit, id perisse totum ac perire quotidie magis intelligo. Hæc sunt mea detrimenta, optime Crato; atque utinam mea tantum essent, ferrem facilius, & quoquo modo quasi foverem ac mollirem dolores meos. Nunc quod publico tamdiu commodo defuerim, quod jacere studia mea per annos decem, quod ingenium languere sim passus; quod denique fundamentis adolescentiæ præclare jactis, ætas gravior expectationi non responderit, id cum recordor, pene totus ipse mihi displiceo: & quanquam culpa vacem, me tamen culpa non libero, sed quasi communis causæ desertorem accuso. Una relinquatur in amore tuo consolatio: etsi nihil præstares aliud, hoc ipso tamen consolaris, quod ægritudini meæ sociam se adjungat ægritudo tua, & dum tu æque doles atque ego, id efficis, ut ego non æque doleam atque soleo. Sed illa pars literarum tuarum, in qua de Maximiliani Imperatoris admodum propensa ad liberales disciplinas voluntate significas, & addis, opem ab eo si petam, fore, ne frustra petam, ea vero pars animo meo tanquam labanti quiddam, quod consisteret, instillavit. Aliis alia cara sunt: non eodem sensu, non eodem omnes ingenio natura finxit: ego, quarum rerum illecebris capiuntur multi, ita plerasque non amo, ut averfer penitus ac fugiam. Literis pascor, his voluptatem nullam præfero, ac ne confero quidem; harum consuetudine nihil suavius experior, nihil dulcius. Et quemadmodum, si solem e mundo Deus auferat, statim in hoc orbis terræ communi domicilio summus horror, summa sequatur incommoditas; sic adempto mihi literarum usu, plena tenebris omnia, plena molestiis, otium injucundum, negotium perdifficile videtur. O mi Crato! O mi, inquam, suavissime Crato! (jam enim audeo, tua fretus facilitate, familiariter ac plane blande tecum agere) Tunc is es, qui mihi me ipsum longo intervallo restituas? qui has aliquando tenebras tuo lumine expellas? cujus numere excolantur, & rursus florere incipiant studia mea? Confer huc, obsecro, opes tuas, quas intelligo esse maximas, ingenii, prudentiæ, auctoritatæ. Digna prorsus tuis officiis, digna tuo patrociniis causa est: nam si pro literis agitur, cur humilis & obscura videatur? Si apud Imperat. sapientissimum, veteræ solidæque gloriæ cupidum; cur difficilis aut dubia? Merces autem recte factorum nulla præstantior aut uberior, quam ut usuram vitæ quam brevissimam æterna nominis memoria compenset, posterisque tradita, literarum beneficio, pulcherrimæ virtutis effigies amorem conciliet, laudandi voluntatem commoveat, imitandi studium excitet. Præclarum dicitur quam plurimis imperare mortalibus, gentes nationesque subigere, dare leges, jura præscribere; hæc magna videntur, & expetenda inprimis; sed hæc ipsa sæpe motus temporum labefactat, sæpe vis hominum convellit, sæpe ad alienam fortuna potestatem transfert: urbes & oppida intereunt: vestigia vix apparent: nomina simul interire; & cum aspectu memoriam quoque tolli scriptorum virtus & industria non est passa. Decet igitur, cum tu Maximilianum vehementer ames, cum illius gloriæ maxime servias, id curare te inprimis, quod & maximum est amoris argumentum, & ad ejus gloriam maxime pertinet. Bonis enim viris, quorum excludi numero me non arbitror, & ita doctrinarum in studio versantibus, non ut sibi tantum vivant, privata delectatione

contenti, sed ut ingenii monumenta relinquere, & posteritati patere suam industriam velint, quæ mihi semper studiorum ratio probata vehementer est, iis tu si otium das, & qua vales apud Imperatorem gratia, conficias; vide, quot bona consequantur. Ipsum Imp. ornabis immortali gloria, probitati & virtuti amissam prope dignitatem restitues, fueris tu quoque magna laude; quanquam Te quidem hoc spectare non oportet, (ad eam enim laudem, quam adeptus jam es, propemodum accedere nihil potest) sed tamen fruere eorum amore & observantia, quos tibi tua merita, tua benignitas adjuverit. Equidem, si hoc per Te assequar, ut ex turbulento negotii genere emersus, ad tranquillitatem perveniam, & quod reliquum vitæ contigerit, in optato literarum portu, interpellatore nullo, vacuus omni cura degam, nulla res erit tanta, quam non & me tibi debere confitear, & libenter tua causa suscipiam. Istam quidem virtutem, quæ me a molestissimis occupationibus ad suavissimam quietem & aptissima nature meæ studia traduxerit, feram in oculis assidue, colam animo semper, fortasse etiam futuris gettibus ignotam esse non sinam. Vale. Romæ, Id. Jun.

M. D. LXX.

FINIS LIBRI PRIMI.





POLYHISTORIS LITERARII

LIB. II.

METHODICUS.

CAP. I.

DE DELECTU INGENIORUM.

- §. 1. *Transitio ad librum secundum.* 2. *Ingeniorum delectus habendus.* 3. *Magistratum hic cura desideratur.* 4. *Animorum notitia maxima scientia.* 5. *Sui cognitio difficilis.* 6. *An detur ars sapientes gignendi liberos?* 7. *Ingeniorum vis ex corporis temperamento.* 8. *Huarti & Quilleti consilia recensentur.* 9. *Ingenia, qualiacunque sunt, excolenda.* 10. *Ευφωία, εὐμαθία.* 11. *Ingenium.* 12. *Ευφωία theoretica & practica.* 13. *Quae distinctio defenditur.* 14. *Quatuor Stoicorum persona, quibus homines induuntur.* 15. *Hoc ipsum ad praesens negotium accommodatur.* 16. *Ευμαθία in quibus consistat.* 17. *Ingenia quaedam sine disciplina summa.* 18. *Rara tamen sunt.* 19. *Judicii & imaginationis ratio in ingenis habenda.* 20. *Judicium theoreticum & practicum.* 21. *Imaginationis descriptio.* 22. *Ejus operatio.* 23. *Ad imaginationem. Eloquentia & Poësis praecipue referri solent.* 24. *Orator & Poëta εὐφωιωτάτοις.* 25. *Excellentissimi illi, qui Phantasmata sua judicio moderantur.* 26. *Virgilius hac parte praevalet Ovidio & aliis Poëtis.* 27. *Idem in Panegyris, Causidicis & Historicis requiritur.* 28. *Rejicitur sententia Huarti, qui imaginationem & intellectum sibi contrariari statuit.* 29. *Falsum est, eos, qui linguis, calligraphia, eloquentia excellunt, intellectu singulari destitui.* 30. *Pueri Grammaticae artis capaces non sunt.* 31. *Notantur Grammaticarum tricarum architecti.* 32. *Quidam absque Grammaticis praecipis Latinam linguam percalluerunt.* 33. *An pueri illi intellectu singulari praediti, qui Grammaticae praecipia non satis capiunt?* 34. *Poëtae & oratores ad omnia apti.* 35. 36. *De eorum singulari aptitudine ad Jurisprudenticae studia, Gossii, Tuldenii & Grotii sententia.* 37. *An Concionatores eximii singulari intellectu destituantur?* 38. *Phantasiae usus frenandus.* 39. *Phantasiae pollent ingenia inventiva.* 40. *Illi Φορτύναι.* 41. *Hetruscis quare capriciosa dicantur.* 42. *Ingeniorum quinque formae.* 43. *AGILIA, ad res arduas non satis apta.* 44. *TARDA, quae ad solida studia magis apta.*

apta. 45. *Exempla horum recensentur.* 46. *Sunt hæc illis præstantiora.* 47. *ACUTA ET MEDIOCRIA, ET ÆQUALI QUADAM RATIONE MISTA,* 48. *ac tandem HEROICA,* 49. *Ingenia secundum metalla aestimata.* 50. *Signa ingeniorum accurate dignoscenda.* 51. *Sex præstantis ingenii signa e Tuldeno.* 52. *Quæ ad quatuor partes revocantur.* 53. *Ingeniorum varii affectus & defectus.* 54. *Hinc pari ratione diversa ingenia haud tractanda.*

- 1 **P**ostquam libro primo de re Bibliothecaria & Literaria, deque Scriptoribus illis, qui ad eam pertinent, generatim egimus, nunc secundo hoc libro de METHODO in doctrinis instituenda acturi sumus. Quemadmodum scilicet, qui ædificium aliquod parant, primum res operi necessarias comportant, hinc ideam sibi aliquam præfigunt, quam in extruenda domo sequantur; ita in libris ac literis non veluti in rudi ac indigesta molè versandum est. Nam quanquam illa substerni menti nostræ operatrici, velut chaos aliquod, debet, tamen certa ratione omnia tractanda ac digerenda sunt, & methodus aliqua nobis præfigenda est, quam
- 2 sequamur. * Quoniam vero statuario non sufficit ad artem, officinam habere omni genere instrumentorum apparatusissimam, nisi materiam, in qua operationem instituit, habilem nactus fuerit; neque enim e quovis ligno, ut in proverbio dicitur, fit Mercurius: ideoque primum DE INGENIIS EORUMQUE DELECTU instituendo
- 3 solliciti erimus. * Nam magno hoc literis totique Reipublicæ damno est, nullam hic plane esse Magistratus curam; cum in eo Reipublicæ maxime felicitas sita sit.
- 4 Felices vocabant eos Stoici, qui nossent, quo genio uterentur, ac εὐδαίμονες dicebantur, quibus bonus obtigerat Genius. Verum cum ea solertia pauci sunt, ut suum deprehendere ipsi ingenium possint; nam certe aliquid vulgari ingenio majus est illi, quo pauci fruuntur, qui se ipsum satis explorare possit, ac plerumque com-
- 5 paratione ad alios instituta, bonique Præceptoris ope id addiscitur. * Nobis enim obsistit Φιλανθία, & insita quædam de rebus nostris opinio, quæ mentis illud lumen in nobis non raro extinguit. Aliorum ergo consilia & judicia incorrupta sequi oportet, dandaque opera nobis est, ut aliorum ingenia animi nostri ἀνεπίετα (quod facilius est) discernere discamus, ac videamus, quænam quibus doctrinis aptiora ingenia a natura ipsa formata sint. * Non defuerunt, quod mireris, qui singularis sapientiæ humanæ rem habuerint, *sapientes gignere liberos*; ut de Democrito narratur, divinum ille & cæleste pharmacum invenisse, quod fortunatos & sapientes homines efficeret. Quid Democritus hoc suo pharmaco intellexerit, altioris indaginis est. Qui de liberis consilio quodam & arte gignendis præcepta scripsere, quasi Promethei instar novos sibi homines e meliore limo fabricaturi, illi ultra naturæ opificem
- 7 sapere, ac fata ipsa in ordinem redigere mihi velle videntur; * Nam, quanquam quidem negari nequit, magnam inesse animis e corporis temperamento vim, ac Galenus singulari libro, *quod morès temperamentum corporis sequantur*, id propugnat; corpus enim ex alimento crassiori compactum plerumque spiritus stupidiore in liberos a se
- genitos

genitos transmittit; magna quoque ingeniorum e mundi plagis, loco nativitatis, educationis, nutritione ipsa varietas est; tamen extrinsecus pleraque accidunt, & a sublimiori principio animarum origo arcessenda est,

Ignis est illis vigor, & celestis origo,

atque ex humili casa & fordido rure sublimia ingenia prodierunt, multaue testantur exempla,

*Magnos posse viros, & magna exempla daturos
Verecunq; in patria crassoq; sub aere nasci.*

* Quare frustra est cum omnibus suis artificii HUARTUS, Hispanus, qui in *Scrutino ingeniorum* modum tradit, quo parentes generare possint filios sapientes, ac tali praeditos ingenio, quale id requirunt literarum studia. Hunc praecipue Autorem secutus mihi videtur is, qui se *Calvidium Latum* appellat, cujus genuinum nomen est CLAUDE QUILLET, unde hoc per anagramma formatum est, ut nos docet Bailletus *libr. de Judic. doctorum tom. 4. part. 5. de Poëtis, num. 150.* Ille, qui Abbas fuit, scripsit poema non inelegans, cui titulus: *Callipedia, sive de pulchrae prolis habenda ratione.* Poëma in libros 4. dispescitur, quorum primo de sponforum ad pulchram prolem deligendorum conditionibus; secundo de legibus in concubitu servandis, astrologicis cautelis; tertio de cura praegnantum, viribus imaginationis; quarto de promiscuis ad pulchritudinem parandam praecipis agitur. Sed, ut recte judicat Bailletus, plus, quam decet Abbatem, & ultra, quam honestas patitur, argumento huic indulgit Autor: magis enim in illa arte se Abbas, quam Laicorum exercitatus se profecisse ostendit, ut vel ipsi se naturae magistrum praebuerit. Dictio quoque non satis castigata, & vulgaria pleraque in carmine, longeque a Sammarthani judicio absunt, qui de *Pedotrophia* poema libris tribus distinctum scripsit, sed elegans, in quo genium poeticum Virgiliano proximum agnoscas.

Verum mittamus illos animarum fabros, atque illud mirabilis *παιδείας* genus: 9.
& potius, cum expectare alia non possimus, quam

Qualia nunc hominum producit corpora tellus,

ita quoque, quales invenimus in pueris *partes divinae mentis & haustus aethereos*, praecipis & doctrinis, ut fundum aliquem, excolamus. Atque hic primum illa ingeniorum varietas nobis consideranda est, de qua non immerito illud dixeris: *Quot capita, tot sensus.* Namque infinita propemodum vultuum, ita animorum, diversitas esse videtur. * Neque nostrum hic institutum est, omnes animorum characteres persequi: 10
illam tantum animi facultatem indagabimus, quae ad disciplinas discendas apta est, sive *ἐνψυχία* appellemus, sive *ἐνμαθία*. Sed illud latius patet nomen, & ad omnes quoque virtutes morales & actionem se extendit; hoc vero propius ad nostrum sensum pertinet; in cognitione enim versatur: quanquam nec *ἐνψυχία* ab *ἐνμαθία* sejungi debeat, ac boni mores cum omni disciplina conjungendi. De *ἐνψυχία* pulchre Aristoteles 3. Nic. 5. §. 41. & 42. *Appetitionem finis nemo sibi suo arbitrato optare potest; sed ita natum unumquemque esse oportet, ut quasi lumen mentis habeat, quo &*

judicare recte, & id, quod vere bonum est, sumere atque optare possit. Ille item bene inventus est a natura, cui hoc illius beneficio bene constitutum est: eo quod maxima et ac pulcherrima isthæc res, quamque ab alio neque consequi neque discere aliquis possit, sed talem obtineat quisque, qualis ipsi a natura data est, adeoque quod ipsum illud, bene & pulchre a natura factam compositamque esse hanc partem, sit perfecta & vera natura bonitas.

- Quod Aristoteles de naturæ bonitate ad mores & virtutes apta dicit, idem
- 11 in quacunque doctrina præsupponimus. * Nisi enim quis *ἐνφύσις* sit, & ingenium commodum habeat, frustra omnia erunt: Ingenium requirimus, quæ vox ab aliquibus pro ipsa *ἐνφύσις* accipitur: quanquam in eo Piccolomineus dissentit, cum ingenium de omni ingenio, quocumque se habeat modo, dicatur; *ἐνφύσις* vero de bono tantum intelligatur. * Alexander Aphrodis. duplicem constituit *ἐνφύσιον*, theoreticam alteram, alteram practicam; atque ex suo hoc sensu Aristotelem in variis
- 12 locis interpretatur. * Quam distinctionem, etsi sunt, qui impugnant, res tamen ipsa loquitur, eam summe esse necessariam, atque in ingeniis se statim ostendere. Ut ego quidem existimem, jam tum in ipsis *παιδαγωγείας* primordiis probe hæc esse perpendenda, atque ex illis propensionibus omnem futuræ doctrinæ mensuram ineundam. Ex eo enim fines studiorum ponendi sunt; ac infelices omnino erunt, qui ab hoc scopo, quem natura illis præfixit, dilabuntur.

- 14 Scite admodum ex Stoicorum mente a Cicerone *lib. 1. de Officiis* quatuor constituantur personæ, quibus homines induuntur. Duæ ab ipsa natura; una communis, qua sumus omnes & rationis participes & præcellentes bestiis, altera propria, quæ ipsa est indoles cujusque privata. Tertia fortuna est, quam casus aliquis, vel tempus, vel nascendi conditio imponit, ut si quis sit Rex, nobilis, dives: quarta est, quam nobismet ipsis judicio nostro accommodamus, ut si vel ad Philosophiam, vel jus Civile, vel Eloquentiam nos applicamus. Quæ omnes, cum in unam
- 15 personam coalescunt, ita se gerere quisque debet, ut nihil in singulis peccet. * Ex illis quatuor personis secunda, quam propriam dicunt, illa est, quam hic consideramus; nam tertia & quarta huic demum superveniunt, quamvis personam illam secunda ex illarum coalitione alia quadam ratione temperetur. Nam *ἐνφύσις* illa vel *ἐννοια* generalis, quæ in homine est, quandam ab his limitationem capit: aliter enim illa dirigenda est in Rege & nobili, quam in privato, alia quoque ratione instituenda est, cum ad certum scopum studia nostra tendunt. Et tertiam personam certi præterea Characteres morum inhaerent, qui mature ~~et~~ ducendi sunt, & ad *ἐνφύσιον* accommodandi; quales Historiæ penicillo quam optime exprimuntur, & ex his quasi præfigurari a bonis Doctores debent. Lineamenta illa generalia *lib. 2. Rhetoricorum* Aristoteles duxit; sed e lectione Historicorum, Satyricorum, Comidarum, atque ex ipsa observatione vitæ longe notari plura possunt. De quibus nos in sequentibus plura.

- 16 *Ἐννοια* his tribus absolvi videtur, 1. *Celeritate apprehendendi*, 2. *Sagacitate*, 3. *Memoria*; adeo ut qui tria illa conjuncta habeant, ad discendum sint aptissimi. Sed tamen nec omnes illæ partes omnibus insunt ingeniis. Quosdam destituit memoria,

nam cum & apprehensione & sagacitate valeant. Quidam memoria præcellunt, sed in apprehendendo tardi sunt, neque sagacitate multum pollent. * Sunt, qui ab artibus & doctrina averſo animo sunt, quibus tamen ingenii gloria deneganda non est: nam, etsi per regulas & præcepta illis non fulciatur ingenium, suo tamen quodam instinctu ad magna procedit. Testatur id Cicero in Orat. pro Archia: *Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse, & sine doctrina natura ipsius habitu prope divino per se ipsos & moderatos & graves extitisse fateor: & illud adjungo, sæpius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam.* * Quæ etsi quidem interdum occurrant exempla, tamen non omnes ita comparati sunt, ut soli naturæ relinqui possint, ideoque *ἐνμαθίας* in illis adjuvari informatione alicujus magistri debet.

Intellectus hominis præcipue rectitudine judicii & imaginationis æstimari solet. Illud actum mentis notat, quo illa inter res discernit, atque plures inter se ideas componit, vel affirmando & eligendo, vel negando & rejiciendo. Utriusque in singulis disciplinis habenda ratio est, sed ita, ut in quibusdam imaginatio primas, secundas judicium teneat; in quibusdam contrario se hæc modo habeant. Sine judicio certe omnis inanis phantasia & imaginatio est, nullaque omnino ars & scientia recte vel discitur, vel exercetur: nam ab illo quasi in ordinem rediguntur phantasmata. * Judicium hoc, si circa disciplinas intellectu eminentes versetur, judicium Theoreticum voces licet, vel Aristotelica vece *ἐπινοετικόν*; nam & illis maxime judicio locus est: si ad actionem refertur, prudentiæ nomen invenit, qua senes præ ceteris, ut multitudine eventuum eorumque collatione exercitati, excellunt. * Imaginationis illa actus mentis est, cum sese ad phantasma quoddam seu vestigium, cerebro impressum, applicat, super quibus simulacris intellectus deinde ratiocinatur; qualis a sensibus plerumque impressio oritur. * Imaginatione ad inferiora delabitur mens, & ex speculatione Phantasmatum universalia colligit, cum intellectus rationes puras, ac nullis coloribus vestitas, res divinas spiritualesque comprehendit. Potentia hac imaginante, ut rerum imagines, ita & similitudinem earum concipimus. * Quare ad omne genus disciplinarum, in quibus imaginatio regnat, extenditur. Inter eas principatum tenet Oratoria & Poësis. Præcipua elocutionis vis in imaginatione consistit: ut enim voces ipsæ & sententiæ sunt imagines rerum; ita ipsarum inter se sunt imagines in metaphoris, tropis, similibus, allegoriis, figuris, & ceteris sermonis ornamentis. Ipsa illa *ἡθῆ* & *παθῆ* ubique hic regnant, quibus perpetua est characterum & actionum expressio, adeo ut, quod pictor suis, id Orator & Poëta suis quasi coloribus exprimat. * Quare ex monitu Quintiliani & Orator & Poëta debet esse *ἐνφαντασιώτατος*, qui sibi res, voces, actus secundum verum optime fingat. * Habet & illa suos gradus imaginatio, neque in omnibus æquali se modo habet. Quidam celerius imaginantur, & velociori ex imaginatione disciplina auditores imbuunt; ut de iis, qui translatis bene utuntur, loquitur Aristoteles. Nam cum ingenii solertia se phantasmatibus miscet, in omnes partes se imaginatio extendit, atque ex se ipsa parit plura, necens e simula-

cris simulacra, illaque sibi quasi subordinans, ut copia ipsa sæpe laborent, qui in phantasia pollent; quales ad Poësin sunt aptissimi, ut hac sua facultate sæpe abutantur, si rationem & iudicium non sequuntur. * Quo nomine Ovidius quibusdam notatur, qui laxiores phantasiæ habenas data opera sæpe mittit: neque enim ignoravit sua vitia, sed amavit; cum Virgilius ita phantasiæ indulgeat, ne quid nimis: summum enim ubique iudicium apparet. Non deerat etiam Virgilio ille imperus, & concipiendi celeritas, neque eam neglectui habebat; ut nunquam habere debent, qui laudabile aliquid scripturi sunt: sed posterioribus cogitationibus ita expoliebat, ut de 50. versibus, uno calore profusis, vix decem retineret. * Oratores, Declamatores, Panegyristæ, Satyrici, Causidici, omnesque, qui simulatione quadam opus habent, imaginatione præstare aliis debent; ita tamen, ne extra orbitam illa feratur: sic vel stultitiæ, vel tandem amentitiæ, propior futura est. Historici, etsi in descriptionibus, orationibus, phantasiæ indulgent, in ipsa tamen Historia secundum optimi iudicii normam instituere omnia debent.

28 Non possum hic laudare Huarti sententiam, qui imaginativam & intellectum ita sibi contrariari existimat, ut, qui imaginativa prævalet, intellectu valere non possit; nam plane aliter ego colligo: cum enim omnis nostra cognitio procedat a sensibus, atque tantum sciamus, quantum illis nobis demonstratum sit; sequitur hinc, eum, qui in concipiendis rerum imaginibus felix & sæcundus est, eo magis quoque intellectu valere, cum ille, his quasi fundatus, in varios se cogitationum orbes dispergat, siquidem organa ipsa non sunt vitiata, omniaque recte se habent. Occultis illæ inter se nexibus facultates junguntur, neque altera alterius operam facile destituit: Imaginatio quasi viam sternit, & cuniculos agit, quibus se non ingerere non potest intellectus, eadem promptitudine hunc quasi typum & indicem suum secururus.

29 * Quare falsæ sunt illæ opiniones, eos, qui Latinam linguam egregie noverint, vel Calligraphia vel Poëtica excellant, inhabiles esse ad speculativas scientias: quas abunde refutatas vide ab Antonio Possævino lib. 1. de Cultura ingeniorum, cap. 15. 16. 17. 18. Nam sane in Grammaticis & Linguis iudicio plurima relicta sunt, neque phantasiæ tantum hæc res & memoriæ est. Ego quidem sic existimo, eandem esse Grammaticas difficultatem, quæ est vel Metaphysicæ & Logicæ, atque adeo ineptos illos esse, qui illius minutius puerorum ingenia torqueant. * Nunquam ego tam felix quenuquam puerum ingenii fuisse arbitror, qui Grammaticas artem illa ætate comprehendere potuerit: nam usus & maturior ætas, quæ ad philosophiam apta est, præmum docebit. * Quo magis miror esse homines, qui tricas tricis augent, ac novas Grammaticas Philosophicas comminiscuntur, quibus expeditius, si Diis placet, informentur pueri. * Ipse Grammaticæ Philosophicæ faber Scioppius statim in initio Grammaticæ suæ fatetur, se nullam didicisse Grammaticam Latinam, sed postnominum verborumque Declinationes memoriæ mandatas ex quotidiano Latine loquendi usu & lectione Autorum, sex mensium intervallo, Latinæ linguæ intelligentiam consecutum. Idem de Covvleo, Anglorum Poëta egregio, testatur in ejus Vita, Operibus

Operibus Poëticis Cowlæi præmissa, Thomas Spraat, nulla ratione inculcari ipsi
 potuisse præcepta Grammatices & Profodiæ, cum tamen in soluta & in ligata ora-
 tione optime, etiam prima ætate, scriberet. * Male tamen colligit Huartus, puer 33
 si in Grammaticis non proficiat, esse hoc argumentum boni intellectus; quia in
 imaginativa & memoria debili eo præstantior intelligendi vis sit: non enim hæc
 idonea ratio est; sed quia intellectus puerilis nondum capax est disciplinæ Philo-
 sophicæ per modum Systematis ordinatæ. Quoniam vero in lingua ipsa & Poësi
 sine artis præceptis proficit, præclari hoc intellectus documentum, cujus se ali-
 quando vis in aliis disciplinis exeret: * Id enim certum est, multisque exemplis 34
 constat, poëtica & oratoria facultate præ ceteris insignes omnibus studiis ad mira-
 culum usque fuisse aptissimos. * Incidit hic, quod in viri clariff. W. Goëssii Præ- 35
 fatione in Rei Agrariæ Autores, quos ille notis illustravit, legere memini. Ita
 vero ille: *Cum rogabar, ne favere vellem multæ eruditionis Candidato, quod & Poëta & Cri-
 ticus esset, non adeo me res ea non deterruit, ut exinde propensiori in eum, quam antea, fer-
 rer studio. Atque is ad eam, quam exoptabat, dignitatem promotus vel solus documento esse
 posset, quam vani sint, qui tam stultis præjudiciis hæc damnant & proscribunt.* * Diodorus 36
 quoque Tuldenus, JCtus egregius, in aureo illo, quem de *Cognitione sui* libro scri-
 psit, lib. 3. c. 1. ita de Oratore: *Quamvis jurisprudentia altiore spiret prudentiam, quam
 eloquentia; verus tamen Orator non ingenii tantum vi, sed & scientiæ amplitudine Legulejum
 antecellit.* Grotius quoque in epistola 179. ad Gallos: *Furisconsulti munus, ait, virum
 magnum non faciet, nisi eloquentia accedat, cujus & præcepta & exercitatio magnam diligen-
 tiam exigunt: præsertim cum, ut veteres nos docent, orbem quendam discipline ea res in se
 complectatur.* * Quare nec illud simpliciter probaverim, quod Huartus statuit, Con- 37
 cionatores eximios raro singulari intellectu præditos: Etsi enim in multis, quos vulgus
 præstantissimos judicat, hoc contingit: ii tamen, qui veræ eloquentiæ rationes se-
 quuntur, non destituuntur singulari rerum intelligentia. Non enim eloquentis ti-
 tulum merebitur; qui intelligentiæ suæ documenta etiam in ipsa Oratione non
 ostendat; neque hæc se jungi possunt. Et sane illi, quos antiquis nostrisque tem-
 poribus eloquentia præ ceteris excelluisse vidimus, incomparabili intellectu prædi-
 ti fuerunt, ejusque multa specimina dederunt. Vel unus Cicero absolutissimum in
 hoc genere exemplum dabit: nam si iudicium ea de re ferendum est, non *oi tu-
 tiores*, sed præstantissimi in istis doctrinis producendi sunt. * Id tamen negari 38
 non potest, magnos accidere ingeniis ob phantasiæ exorbitantiam abusus; quæ nisi
 iudicii freno coercatur, in omnes se disciplinas diffundit. Tractari tamen hæc in-
 genia ita a prudentioribus debent, ut, remotis inanibus, illa quæ solida sunt, in il-
 lis exquirantur. * Plerumque enim ingenia phantasia uberiore peccantia 39
 aliquid sapientiæ recondunt, quæ in usum cedere publicum possit: qualia sunt,
 quæ ad inventionem variarum rerum naturæ quodam instinctu feruntur.
 * Quæ, etsi in speculationes inanes sæpe abripiuntur, & *Phœnomena* esse solent, 40
 atque ut Huarti verbo hac in re utar, *capriciosa*; indulgendum tamen illis
 paululum a prudentioribus est, ne fructu illo careamus, qui vel e volaticis
 illorum

illorum cogitationibus haberi potest. Ac verum profecto est in hominibus illorum ingenia dementiæ aliquam speciem præ se ferre videbantur, latuisse nonnunquam quædam, quæ in iis non quæsiuisses, arcana. * *Ingenia inventiva*, inquit Huartus, *Hetrusca lingua capriciosa appellantur, ob similitudinem, quam in eundo investigandoque cum capris habent.* Atque hæc aliis ingeniis jungenda ille suadet. Ut *providi bonique pastores magno ovium gregi quandoque dodecadem caprarum solent adungere, que breviora via ac gradu promptiore ad nova quædam pascua, & ad gramen nec dum tritum depastumve oves conducant: haud secus convenit esse inter literatos quædam hujusmodi caprea velut ingenia, quæ ovili aliorum intellectui nova natura secreta ac contemplationes nondum ante cognitæ atque exploratæ pandant, quibus exercentur.*

42. Patet ex illis, quæ diximus, pro varia judicii, phantasiæ, affectuum temperie, varias esse ingeniorum formas, quæ probe examinandæ sunt. Nos illas ad quin-
43. que reducimus. * Ac primo quidem loco a nobis ponuntur *Celeria, excitata & agilia ingenia*, qualia ab imaginationis promptitudine nasci solent; de quibus jam multa diximus. In vulgi oculos illa incurrunt, atque ab iis præcipue æstimari solent. Non deest illis acumen & extemporale oratio; sed quæ aures potius implent, quam pectus saturat. Joci illis in promptu & sales: sed, cum res seria agitur, cum argumenta in medium proferenda de Republica salutaris consilio gubernanda, omnis illa subtilitas ingenii retunditur, & velocitas illa ob inconstantiam nulli usui est. Solent tali ingenio plerumque esse præditi, quos *præcæces* appellamus: nam rara est in illis constantia, nisi singulari ratione & divinitus excitatum ingenium sit. In illis nihil æstimandum, nisi quod primum omnium excidit, id enim ingenium redolet. Si labor & cura accesserit, omnia corrumpentur & in nihilum redigentur. * His ex adverso opponuntur *Tarda ingenia*, quæ quidem non celeriter comprehendunt, sed judicio pertinaci rebus immorantur, atque adeo assiduitate sua, præcipue si quædam illis sagacitas juncta sit, istorum celeritatem sæpe anteverunt: nam plures ex maturitate iusta fructus colligunt. Et illa quidem ad Rempublicam regendam peridonea ingenia sunt: omnia enim in statu suo conservare potius, quam res novas moliri laborant; ceterum in rebus novis excogitandis segniores sunt. * Vidi ingenia, quæ stupida quis credidisset, sed subito postea quasi e veterno quodam evigilantia omnium in se oculos converterunt: nam quasi ex cella promptuaria, quæ ante per silentium collegerant, depresso summa judicii vi rerum intima penetrare videbantur. Ex hoc genere inter alios quos Demosthenes, Virgilius, Thomas Aquinas fuere: atque hic posterior eam ob causam *Bovis* nomine appellatus fuit. Solent illi profunda disciplinarum omnium penetrare, in civilibus solida instructi esse prudentia. In sermone semper hæsitant, ut oratio illis non fluere, sed stillare, videatur. Extemporales non sunt in inveniando, sed ubi rem attente contemplantur, ad fundum omnia perspiciunt. Verba illorum plena sensuum sunt & emphatica. Quicquid agunt, serio agunt; atque ubi assiduitas vel exercitatio accesserint, in omni doctrina palmam ferent.

Modestiam semper præ se ferunt; nunquam *Φοβημοί* & superciliosi. Unde Huar-
 rus recte ingenii excellentissimi notas retulit; *si natura humilis sit, si sua non aestimet.*
 Hinc fit, ut, qui latrant eruditi, plus interdum sapientiæ recondant, quam qui il-
 lam in publica luce jactant. * Tot mihi exemplis hujus rei veritas constat, ut ego 46
 in puero malim aliquam tarditatem, quam celeres & præcipites animi motus: Hos
 enim ab illis superari semper observavi. Quare & Astrologi, si qua illis fides est,
 Mercurii, qui ingeniorum director habetur, & agilitatem illis parare creditur, felici-
 simum positum non adeo laudant, cum Saturni bene locati tarditas profundita-
 tem intellectus largiatur. Quod si cum corporibus mentes comparare fas est, hi de
 natura fixi participant, cum illi ad volatiliam indolem accedant. Quo magis au-
 tem illa, quæ fixa sunt, constantia sunt & *εὐεργητικά*, ita & plus roboris tales animi
 habent.

Medio inter hæc ingenia loco sunt duæ eorum formæ, quarum altera *ex utra-*
que illa forma mixta, altera *aliquid præter hæc excellentius, habere videtur.* Nam cum agilia 47
 ingenia naturæ magis instinctu agant, tarda arte & labore proficiant, illa tempe-
 rata ita ex utraque illa indole sunt, ut exiguo labore multa præstent, cum ingenta
 vis in illis arte major fit. Ad quasvis illa scientias apta sunt, sed tamen ultra medio-
 critatem non assurgent. In his vero & ingenii præstantia ac agilitas cum labore
 maximo conjunguntur, ac natura cum arte æqualiter certat: quare inter ordinaria
 ingenia principatum tenent. * His denique *quintam aliquam formam* omnium præ- 48
 stantissimam addiderim, quæ, ut inter elementa, quasi quintæ alicujus essentiæ loco
 sit: qua notabuntur illi seculorum Phœnices, *Herões*, *divino quodam instinctu* ad omnium
 rerum cognitionem, ad novarum artium inventionem animati. Tales fuere artium
 & disciplinarum inventores, imperiorum Stratores, Imperatores, Ecclesiæ reformato-
 res similesque, quales vix multi uno seculo nascuntur. * Comirius in eleganti 49
 oratione *de arte paranda fama*, Platonem ut puro ea in re secutus, hominum ingenia
 cum metallis comparat. Sunt in illis plumbea, sunt aurea, sunt virrea, sunt e va-
 riis metallis mixta, quorum singulorum ille artes & rationes in fama paranda re-
 censet. His ego adderem illa plusquam aurea, quæ etiam plumbeos homines sua
 virrute & luce in aureos mutare possint.

Pro variis his classibus facile a quovis signa vel præstantium vel stupidorum 50
 ingeniorum colligi possunt, in quibus tamen nihil temere definiendum: sæpe enim,
 in tarda videlicet, successu temporis, pro mutatione temperamenti in meliorem sta-
 tum immutabuntur, ut non paucis exemplis constat eorum, qui ex morbo singularem
 ingenii felicitatem consecuti sunt: sæpe quoque certo naturæ impulsu ad peculiare
 quasdam artes feruntur, in quibus supra fidem proficiant, cum in ceteris plane de-
 lipiant, ut multis exemplis Huarus probavit *lib. 1. c. 3.* Sæpe a studiis & lectione
 abhorreere quosdam videmus, qui tamen sibi relictis plus præstent solius naturæ be-
 neficio. * Sex præstantis ingenii signa Diodorus Tuldenus, JCrus doctissimus, in 51
 præclaro illo *de Cognitione sui Opere lib. 3. cap. 3.* posuit, quæ hic notabimus: I. est ju-
 stus ad res sublimes instinctus, ut cum in Philosophia ad Dei & Naturæ contempla-

tionem feruntur, a cavillatroniculis & tricis abhorrent: in historia ad factorum industria documenta respiciunt, non ad ritus, vel fabulas, aut otiosas philologias: uno verbo, quæ nolunt difficiles habere nugæ. II. est ubertas: claritasque principiorum, cum ad illa potius, quam auctoritates feruntur. III. felicitas in conjectura, quando ingenium tenuissima cura adjutum extendit & dilatat se ipsum, quod partim ad docilitatem, partim ad imitationem pertinet: cum quo conjungi potest illud, quod IVro loco posuit: sagacitas conjectantium dextre rerum eventuumque proximas causas. V. est celeriter unum ex alio colligere & apte connectere. VI. est facile & apte imagines concipere. * Hæc Tuldenus signa constituit, quæ tamen ad illas quatuor τῆς ἐπιμαθείας partes a veteribus traditas μνήμη, μίμησις, ἀρχιλοοία καὶ ἐξύτησις revocari possunt. * Sed longe plura in ingeniorum delectu consideranda sunt. Sui sunt singulis affectus, sui defectus, in quibus prudenter dijudicandis præcipua magistri cura esse debet; quod non tam præceptis & regulis, quam ipso usu discitur. Multa de his Autor Anglicus differuit in libello *of the different Wits of men, i. e. diversis hominum ingenis*. * Quare in informatione ad singula illa perito doctori attendendum est: & consequitur hinc, diversæ indolis ingenia ab uno magistro pari ratione tractari non posse, quæ tamen una vulgo disciplina conjungi solent. Unde fit, ut tardiores in Scholis publicis sint studiorum progressus, quam in privatis, ubi ab homine & doctrina & prudentia, tam communi quam didactica, instructo, quod profecto non leve aliquid & exiguum est, longe felicior ingeniorum cultura exercetur. Sed de his in sequentibus plura.

CAP. II.

DE OFFICINIS BONARUM MENTIUM.

- §. I. *Educatio Juventutis præcipua Magistratus cura.* 2. *Ægyptii, Spartani, eo nomine laudantur.* 3. 5. *Magistratum incuria notatur.* 4. *Chinensium hac in re industria.* 5. *Ludimagistri officium non vilipendendum.* 6. 7. *Seligendi ad id munus peritia & bono judicio præditi.* 8. *Scholasticum munus cur optimi aliq̄ defugiant.* 9. *Imp. Valentiniani, Valentis & Gratiani de Academicæ juventutis disciplina constitutio.* 10. *Ad horum imitationem excitantur Magistratus.* 11. *Præcepta Περικλέους a vetustis Philosophis scripta* 12. 13. *Melanchthon & Erasmi literarum & Scholarum emendatores.* 14. *Westphali primo Regentiorum uterum ludos instituerunt, opera Rudolphi Agricole & Langii.* 15. *Hinc ille in Belgium & Germaniam disseminata.* 16. *Alexander-Hegius laudatur.* 17. *Elogium Westphale Nationis.* 18. *Autores de Scholis instituendis.* 19. *Inter eos præcipuum locum merito tenet Joannes Sturmius.* 20. *Male ab ejus methodo Schola Germanicæ abierunt.* 21. *Enarrantur ejus Scripta Scholastica,* 22. *& ab iis recessisse Scholas dolet Autor.* 23. *Sunt illa scripta ab Henrico Strobandio in unum volumen collecta,* 24. *seqq. Volumina III. Institutionis iterata laudantur.* 24. 25. 26. *Eorum recensio generatim.* 27. *Dissertationes Belgicæ de studiorum ratione.* 28. *Schre...*

velit Palamon. 29. Guilielmi Machovii Hermathene. 30. Emundi Richerti
 Obsterix animorum. 31. Molnari Syllecta Scholastica. 32. Joannis Henrici Hei-
 deggeri Opuscula de ratione Studiorum. 33. Et de corruptelis studiorum dispen-
 dunt. est. 34. Ludovici Vrots de tradendis disciplinis earumque corruptelis libri.
 35. Vogleri dissertationes de ingeniorum delectu & hodiernis studiorum corrupte-
 lis laudantur. 36. Cura de tollendis hisce obstaculis.

Delectu ingeniorum bene instituto, excolenda illa probe sunt: nam ut terra
 etiam mirabilis cultura perfici potest, ita & ingenia animique facultates cer-
 tis quibusdam subsidiis ornari & adjuvari possunt, ejusque rei cura ad eos,
 qui Republicæ præsent, pertinet, neque perfunctorie, ut nunc fit, res illa
 agi debet. Neque enim ad Parentes tantum, quanquam præcipue quidem ad illos,
 sed & ad Magistratus educationis cura referri debet; quique boni Legislatoris mu-
 nere olim functi sunt, juventutis educandæ rationem etiam habuerunt. * Apud
 Ægyptios & Spartanos, præ ceteris gentibus, formandis puerorum animis multum
 operæ impendebatur. Illi in Principibus erudiendis, & ad mores, quales voluerunt,
 componendis, diligentissimi fuere: hi, cum ad militiam Rempublicam instituissent,
 iis moribus & studiis Pueritiam & Juventutem imbuerunt, quibus ad Patriæ defen-
 sionem & rem strenue gerendam opus esset. * Sed de moribus populi per disci-
 plinam publicam formandis nemo nunc cogitat; & hæc cura ad solos parentes re-
 mitti solet; cum publice tamen & ad diurnitatem & ad ordinationem Republicæ
 interlit, bene moratos esse cives. * Soli Chineses hic præ ceteris gentibus nunc
 sapiunt, qui præcipuam morum curam habent. * In artibus quoque & scientiis
 addiscendis non ea Magistratus industria est, qualem esse conveniebat, & Republicæ
 intererat. Nulla est publica ingeniorum & studiorum censura, & si qua est, ex-
 igua est, & hominibus incuriosis ac indoctis sæpe permittitur. Qua de re justissi-
 ma querela est illustris viri Seckendorffii de *Statu Christianismi* libr. 3. cap. 9. §. 3. qui
 & pietatis morumque studia a linguis sejungenda, & majore cura tractanda recte
 existimat. * Neque tamen nulla hic prudentia opus est in ingeniis dijudicandis,
 in admovendis informationi hominibus idoneis, in doctrinis ordinandis, in defecti-
 bus corrigendis. * Pro vili officio habetur pueritiam moderari; deliquuntur ad hoc
 opus homines nulla propemodum peritia & nullo judicio præditi, cum ad primam
 etiam puerorum informationem eximio judicio opus sit. Sub talibus enim magi-
 stris & minus proficiunt pueri, & sibi profutura discunt; sub imperitis & fatuis
 vero animus statim prima illa tinctura corrumpitur, quo nihil est perniciosius; ut
 deinde vel per totam vitam imperiti maneat, vel majore opera dediscenda illis
 sint, si dedisci possunt, quæ in juventute perperam didicerunt. Videmus, sub uni-
 us præstantis viri disciplina paucis annis eo progredi pueros, quo nunquam alias
 forte pervenissent, ut provocare etiam viros possint. * Nemo præterea est, qui
 muneris Scholastico admoveri cupiat, ob contemptum, qui illud vitæ genus comi-
 tatur, & ob exiguum stipendium; cum & luculenta illis constituenda sint præmia,
 & ho-

- & honore etiam afficiendi. E Scholis postea mali mores protruncuntur in Academiis, qui illic in summa libertate ferociam sumunt. Doctrinae olim male instituta hic sub optimis etiam doctoribus raro corriguntur. Hinc in Republica & Ecclesia malitia & ignorantia triumphabit. * Memorabilis est Imperatorum, Valentiani Valentis & Gratiani, L. A. Cod. Theod. de Studiis liberalibus Urbis Romae & Constantinopolis Constitutio, luculento ab H. Conringio Commentario illustrata; ex qua apparet, cura Imperatoria dignum fuisse habitum negotium, ut juventus studiis idoneis informaretur, neque malos mores inferret in Rempublicam. Quare, quicumque ad urbem discendi cupiditate veniebant, jubebantur ad Magistrum Censuum provincialium judicium, quibus copia erat danda veniendi, ejusmodi literas proferre, ut oppida & natales, & merita expressa tenerentur: deinde primo statim introitu profiteri illa studia, quibus incubituri essent. Jubebantur Censuales inquirere in hospitia eorum, tum adventantium tum commorantium, ut scirent, num Studiosus illis studiis vacaret, quae se staturum se promiserat; adeoque perpetuo Censualium judicio committebatur totum hoc studiorum ad reditum in patriam tempus, quod ad XX. aetatis annum definitum erat. Idem Censuales providere debebant, ut singuli eorum tales se in conventibus praebent, quales esse debent, qui turpem inhonestamque famam & confociationes, quae criminibus sunt proximae, fugiendas astringant: ne spectacula frequentius adirent, aut vulgi intempestiva convivia appeterent. Illud vero duriusculum erat, (quod ab Imp. frequentiora juvenilis petulantiae exempla forte extorserunt) eos, qui non ita in urbe se gesserunt, quemadmodum liberalium rerum dignitas poscat, publice verberibus afficiendos, statimque navigio superpositos abjiciendos urbe domumque remittendos. Additur porro huic Constitutioni clausula, qua se sollicitissimos hoc in negotio ostendunt Imp. *Verum ne haec perfunctorie fortasse curentur, praecelsa Sinceritas tua officium censuale commoneat, ut per singulos menses, qui vel unde veniant, quive sint, pro ratione temporis ad Africanam vel ad ceteras provincias remittendi, brevibus comprehendat.* * Utinam has curas nunc imitarentur Principes atque Magistratus, atque in unum hoc opus sedulo incumbere, optime illi de genere humano atque de omni posteritate preferentur. Si honesta doctoribus illi constituerent stipendia, in mores juventutis pravos severe animadverterent, praemiis ad virtutes & studia allicerent, industrios & ingeniosos honoribus ornarent, egestate pressa ingenia stipendiis sublevarent, novis & salutaribus inventis favore & opibus suis subvenirent; rectius illi Reipublicae pro viderent, eamque in omne aevum stabiliarent.

- II In praecipis bonae παιδαγωγίας suppeditandis jam tum ab antiquis Auctoribus laboratum est. Si Laërtio in vitis Philosophorum fides habenda est, Aristoclius περί σχολῶν sex libros composuit, tum & Cleomenes Παιδαγωγικὸν scripsit. Ipse quoque Pythagoras παιδευτικὸν scripsisse dicitur, & Aristoteles, Theophrastus, Aristippus περί παιδείας, tum & Plato & Chrysippus: quae omnia temporum injuria perierunt. Superest e veteribus aureolus Plutarchi περί παιδῶν ἀγωγῆς libellus, quo

quæ utilissima de hoc negotio præcepta continentur. * Superiori seculo, cum re- 12
 florescere inciperent literæ, multi fuere e viris doctis, qui hac quoque parte labo-
 rant Reipublicæ consiliis succurrerunt: in quibus præcipue *Melauchtbon* & *Erasmus*
 mihi nominandi, quorum ille communis Germaniæ Præceptor de omnibus per
 Germaniam Scholis bene meritus fuit, tum quod de instituendis illis præcepta da-
 ret, tum quod omnes disciplinas recenseret, & in luculentum ordinem redigeret, in
 ipsis quoque optimis latinitatis Autoribus enucleandis multum temporis infumeret:
 unde hodieque supersunt tot in Ciceronis Epistolas, Orationes, Virgilium aliosque
 Autores notulæ non profecto contemnendæ, & in quibus multum eruditionis la-
 tet, quas ex ore ejus nonnulli exceperunt. * *Erasmus* utilissimos quoque de insti- 13
 tuenda juventute libellos edidit. * Sed tamen & ante hos Duumviros in Germa- 14
 nia, & quidem apud Westphalos, quibus illa præcipue laus debetur, bonarum lite-
 rarum & linguarum celebres ludi fuere instituti, cum exemplo suo incitaret ex Ita-
 lia in rura Westphala deducens *Musas Rudolphus Agricola*, & hæc consilia *Rudolphus*
Langen, Eques Westphalus doctissimus, urgeret. * Tum in urbe Monasterienti lu- 15
 di elegantiorum literarum, barbaris illis magistris repudiatis, instituti, statimque per
 totam Westphaliam plures apertæ fuerunt Scholæ, quibus formata ingenia: hinc
 per totam Germaniam bonas doctrinas disseminarunt. * *Daventriæ* tum versaba- 16
 tur *Alexander Hegius*, homo Westphalus, Langii quondam condiscipulus: e cujus
 disciplina magnus ille *Erasmus* prodiit, & ad Belgas æque ac Germanos bonæ ar-
 tes propagatæ sunt. * Scilicet ut ab hac quondam gente Germanicæ virtutis glo- 17
 ria adversus Romanos asserta fuit, cum illorum victricia arma non sine insigni cla-
 de repellerent; ita primi humaniorum literarum tropæa in Germania erexere.
 Majoribus postea passibus & animis hæc stadia decurrerunt in Germania viri docti,
 ut vel cum ipsis Italis de principatu contenderent, & magna cum cura in Scholis
 recte adornandis certatim a viris doctis laboratum fuit.

Non enumerabo hic omnes, quotquot de Scholis earumque institutione hoc 18
 tempore scripserunt. Multi enim sunt multorum libelli & dissertationes de hoc ar-
 gumento *Camerarii*, *Chytræi*, *Neandri*, *Burenii*, *Maphei Vegii*, *Vitruvii*, *Roscii*, *Vergerii*,
Mosellani, *Frischlini*, *Bilstenii*, *Alstedii* & aliorum. * Inter eos omnes merito principe 19
 loco nominandus est *JOANNES STURMIUS*, Argentoratensis Academiae Professor,
 cui præstant varia de Oeconomia Scholarum scripta: ejusque consilia Scholastica
 non Germaniæ tantum urbes, sed peregrinæ securæ sunt. * A cujus methodo utinam 20
 non abiissent Scholæ Germanicæ, substitutis variis obscurorum hominum compen-
 diis: ita verum linguæ Latinae nitorem non corrupissent, nec a Regia via aberras-
 sent. Nunc cum quilibet barbarus & incultus sub ingenii aliqua & compendii specie
 novas sibi rationes docendi discendique condit, protruduntur primum in Academias,
 hinc in Rempublicam, homines & orationis & rationis usu non satis instructi; unde
 certissima aliquando barbaries expectanda. * Scripsit suo tempore *Sturmius* li- 21
 brum de *literarum ludis recte aperiendis*, quod de ordinibus & progressionibus studio-
 rum,

- rum, de horis, ratione docendi, de resolvendis orationibus, de interpretationibus Autorum, publicis lectionibus, privatis studiis, exercitiis scholasticis, multa habentur. Scripsit *Epistolarum Classicarum* libros tres, quos *Classicos* ideo vocat, quia ad Classium Scholasticarum Argentoratensium præfectos eos dedit, quibus rationem in singulas illas informandi adolescentiam præscribit. Illic quasi *ἀναγεγραμμένη*, designatio & partitio operum habetur, quam ille in superiori libro *ὡς ἐν τύπῳ* delineaverat. Diligenter illa legere debent, qui Scholis præfunt; multa enim ex illis discunt, quæ ad *ἐμπειρίαν* Scholasticam pertinent. Scripsit *Epistolarum Academicarum* librum ad Scholarchas, & singularum disciplinarum Professores, quibus de universita in Academiis docendi ratione agit. Scripsit *Scholæ Lavingane Oeconomiam* ad Philippum Ludovicum & Joannem, Comites Palatinos Rheni, Illustrissimi Principis Wolfgangi Filios. Agitur hic de officiis singulorum Præceptorum, de legibus Scholæ, de lectionibus per curias & classes instituendis: ex quo veluti typo Scholæ instituendæ idea peti potest. Scripsit de *Educatione Principis* libellum ad Illustrissimum Principem Guilielmum, Ducem Juliacensium, & de Nobilium puerorum informatione librum, titulo *Nobilitatis Literatæ* ad Werteros fratres. De *Exercitationibus Rhetoricis* librum Academicum ad Philippum, Comitem Lippiarum, scripsit; item alium *de amissa dicendi ratione*, & quomodo ea recuperanda sit, ac de *Lingua Latina resolvendæ ratione*, quibus præclarâ habentur ad linguæ Latinæ facultatem parandam præcepta, variaque afferuntur consilia de copia rerum & verborum obtinenda.
- 22 * Sæpe ego miratus sum, quare a tam salutaribus consiliis recesserint, quæ hoc seculo institutæ sunt, Scholæ; cum nemo quidpiam sanius rectiusque docere eo in genere possit, quam docuit Sturmius: in cujus scriptis, quæ apud recentiores Scriptores habentur, egregia pene omnia delitescunt. Scripsit ille varios ad eloquentiam omnem recte excolendam egregios libros; ut de *Imitatione*, *Elocutione*; scripsit *commentarios in Aristotelem, Hermogenem & Ciceronis libros*, & plurima alia.
- 23 * Sed illi, quos modo enumeravi, libri, quoniam ad rem Scholasticam & Juventutis accuratam informationem propius pertinent, uno Volumine collecti sunt, & Torunii Borussorum editi Anno 1586. curante *Henrico Strobendio*, Consule & Scholarcha Torunensi, viro literato, deque literis bene merito; qui in sua non tantum Scholæ sed & in omnium usum, hæc scripta Sturmiana suis sumptibus, laudabili profecto exemplo, recudi fecit; ut in Inscriptione hujus Operis Joanni Sturmio facta Rector & Pro-Rector ac Collegæ Scholæ Torunenſis testantur, qui & mentionem ad Lectorem addiderunt de Scholis & libris Sturmianis; qui illo Volumine continentur, quod illi *Institutionis Literatæ Tomum primum*, & a Sturmii nomine
- 24 Sturmianum inscripserunt. * Subjecerunt Scholæ Argentinensis, sive Epistolarum Joannis Sturmii *Classicarum & Academicarum σχηματομοὶς* a *Joanne Ludovico Havenreutero* confectos, quibus quasi quædam omnium librorum Sturmianorum *ἀναγεγραμμένη* continetur. Hinc & alios, qui de Scholarum instituendarum, docendi discendique ratione scripserunt, invitarunt, ut sua ad editionem
- 25 transmitterent. * Quare sequenti anno produit, hoc ipso Strobendio curante, *Institutionis*

Institutionis Literatæ Tomus secundus, cum præfatione amplissima ejusdem Scholæ Torunenſis, qua agitur de Miniſtris Eccleſiæ, cur Scholas, politias atque œconomias ſibi commendatas habere debeant, quæque illis officia præſtare teneantur. Hoc Tomo continentur Actus tres Academiæ Argentorateniſis, 1. Clafſicorum, 2. Baccalaureorum, 3. Magiſtrorum, ſub Melchiore Junio habiti. Et in primo illo Actu de ratione examinandi & viſitandi Scholas inferiores agitur: adjiciuntur lectiones tum in Academiâ, tum in Scholis inſtitutæ, cum Orationibus nonnullis. Cetera ad ritus & ſolemnia Academica in gradibus conferendis potius pertinent, quam ad rem Scholaſticam. Habentur in illo Tomo porro Introductio novæ Scholæ Altorfinæ Norimbergeniſis, expoſita aliquot doctorum Virorum Orationibus; Auguſtani Gymnaſii ad D. Annæ conſtitutio ac docendi diſcendique ratio ab *Hieronymo Wolffo* delineata; & ejusdem Autoris de expedita utriusque linguæ, vel privato ſtudio diſcendæ ratione, & aliæ quædam commonefactiones. His additur ejusdem *Wolffii* de Auguſtani Gymnaſii inſtauratione deliberatio, & Somnium de expedita in bonis Autoribus interpretandis progreſſione. Sequitur *Joannis Rivii* de ratione docendi libellus, & Ludi literarii Magdeburgeniſis ordo, leges ac ſtatuta, autore *Godeſcalco Prætorio*. * Addiderunt ſequenti Anno 1588. 26. *Tomum tertium*, cum præfatione de Magiſtratus Politici titulis & officiis in reliqua tria vitæ genera conferendis. Continentur illo docta variorum ſcripta: *Jodoci Willichi* conſilium de formando ſtudio in quolibet artium & ſacrarum & prophanarum genere, duobus commentariis diſtinctum; quorum prior de Verborum, poſterior de Rerum copia agit: *Harmonia* de ratione Inſtitutionis Scholaſticæ a *Joanne Garceo* conſcripta, in uſum Ludi literarii Brandenburgeriſis in Marchia: Inſtitutio Joannis Friderici, Ducis Pomeraniæ, ſcripta per *Philippum Melanchthonem*: Ratio ſtudenti generalis *Pauli Eberi*: *Victorini Strigelii* de ratione docendi *καθολικὰ θεωρηματα*: *Petri Vincentii* diſciplina & doctrina Gymnaſii Gorliceniſis: Curriculum hibernum ſtudentium Scholæ Gorliceniſis; Oratio *Lauræntii Ludovici* de ratione docendi diſcendique puerilia Grammatices elementa, quæ Methodicæ appellatione continentur; Ratio adminiſtrandi Scholas triviales, propoſita a *Fridericico Widebramo*, *Joanne Staëſelio*, *Maximiliano Morlino*, *Martino Miſſo*, *Laur. Lindemanno*, *Luca Tangel*, Viſitatoribus Eccleſiarum & Scholarum in Ducatu juniorum Principum Saxonie: ordo ſtudentium, qualem ſibi Adoleſcentes, qui ad Academiâs acceſſerunt, vel jamjam acceſſuri ſunt, præſcribi expetere ſoleant, autore *M. Stephano Prætorio*: *Συναγωγὴ* Scholæ trivialis reſtaurandæ, conſcripta pro Gymnaſio Jureboceniſi, & edita a *M. Joanne Grunio*, Norimbergeniſi, ejus Gymnaſii Rectore: Scholæ Cremonenſis in Auſtria deſcripta formula, edita a *Joanne Matthæo*, Theologo & Profefſore Wirtenbergeniſi; paedagogi illuſtris *Gandershemii* inſtauratio, conſtitutio, claſſes, leges: de optima ſtudentium ratione in omnium ſtudentium genere Methodus, autore *Leopoldo Dickio* Jcto: ejusdem *Chriſtianæ & Civilis vitæ Compendium*. Promiſerunt iidem *quartum Tomum*; ſed ille, quantum mihi conſtat, nunquam produit. * Fuere quidem in Belgio variæ diſſertationes de ſtudentium ratione in ſingulis diſci-

nis editæ, duobus in 12. libris, in quorum altero Hugonis Grotii; altero Johannis Gerhardi Vossii Dissertatio primas tenet. Ille ex officina Elzeviriorum Amstelodami Anno 1643., hic Trajecti ad Rhenum Anno 1658. prodiit. Verum illi de Scholarum œconomia in univèrsim non agunt, sed de singulis tantum disciplinis: quanquam & hi ad Autores istos referendi; partem enim eorum constituunt. Iis vero enarrandis nunc superfedebimus. Erit de iis commodior in sequentibus dicendi locus.

- De Scholis earumque institutione qui generatim egerunt, præter eos, quos modo enumeravi, non adeo multi sunt. Ex illis, quod e re sua erit, petere poterunt, qui bonarum mentium officinas instituent. * Laudari tamen etiam meretur SCHREVELII *Palæmon*, sive *Diatriba Scholastica*, continentes tum quæ ad laudem & commendationem Scholarum spectant, tum quæ ad *ἔνταξιν* earum & œconomiam. Agit hic de Natura, Educatione & disciplina: de tribus, quæ sub disciplinam cadunt, corpore, appetitu, ratione: de iis, quæ tum respiciunt appetitum, tum rationem: de Institutione publica & privata: de officio boni Præceptoris: de officio discipulorum: de Institutione gratuita & mercenaria: de disciplina Scholastica: de præconiis literariis seu scholasticis. Ad ipsam vero docendi rationem non descendit. * Extat viri doctissimi, & Amici, dum viveret, optimi GVILIELMI METCHOVII *Hermathene*, elegans liber de recta institutione juventutis Scholasticæ, Francofurti 1673. editus, quo gravissima & salutaria de illis rebus monita habet, maximo illis, qui Scholis ordinandis præsumt, usui futura. Multa hic copiose & accurate disquirit de officiis Magistratus, Inspectoris, Parentum, Præceptoris, Discipulorum; de præceptis disciplinarum eorumque usu, de Exercitatione, Auditione, Lectione & Interpretatione, Colloquio, Scriptione, Versione, Imitatione, Exercitatione proprio Martè instituenda, Paraphrasi, Amplificatione, Variatione, Exercitiis Oratoris, Meditatione, Ediscendis, Reractatione, Collatione, Emendatione, Repetitione & Interrogatione; Concertatione Juventutis, Studio excerptendi, Loco studiis apto, Tempore discendi, Ante-Scholanis, qui Scholas nondum frequentant, Amphithalamio Encycliorum, Palatio Humanitatis, Legibus Juventutis, præmiis & pænis Scholasticis, morbis Scholarum, Bibliotheca literaria, Exercitiis corporis:
- 30 * Quæ omnia ad Methodum & rationem docendi pertinent, de qua speciatim nos dicturi sumus: quanquam & huc omnes illi Autores pertinent; e quorum tandem numero unum, qui pene instar omnium est, præterire hic non possum, EMUNDUM RICHERIUM in doctissimo libro, cui titulum *obstetricis animorum* fecit, qui Ambergæ 1608. in 12. editus est, ac uberrime de omnibus illis, quæ ad informandam juventutem pertinent, agit. * Collegit & ALBERTUS MOLLNAR. varios ea de re tractatus sub titulo *Syllectorum Scholasticorum*, Heidelbergæ 1621. editorum;
- 32 * uti & JOANN. HENRICUS HEIDEGGERUS, Tiguri Anno 1670. De Studiis instituendis seorsim scripta plurima sunt, nondum in volumina collecta, ut *Hegendorphini*, *Fungeri*, *Osiandri*, *Freigii*, *Nathan*, *Chytræi* &c. quæ ego voluminibus certis colligenda suaserim.
- 33 Ad hanc classẽ referendi quoque illi Scriptores sunt, qui de defectibus in infor-

informanda juventute, & corruptelis studiorum, agunt. Ut enim ad sanitatem in-
terest, non sanitatis tantum regulas præscribere, sed & morbos omnes nosse &
avertere; ita & hic corruptelis studiorum cognitis rectius de ipsis doctrinis judica-
bimus. * Hac in re laudabilem operam præstitit LUDOVICUS VIVES, qui non 34
solum de tradendis disciplinis, sed & de causis corruptarum disciplinarum aureolos plane
scripsit libellos, plenos bonæ frugis ac diligentissime omnibus doctis legendos.
* In eodem argumento versatur VALENTINUS HENRICUS VOGLERUS, qui 35
doctissimas de delectu ingeniorum & hodiernis studiorum corruptelis dissertationes scripsit,
in quibus de causis agit, quæ profectus studiorum in Scholastica & Academica in-
formatione morantur. * Dignissima hæc consideratione res est, omnibusque, qui 36
Reipublicæ curam habent, providendum, ut, sublatis his obstaculis, majores in-
mente excolenda & in studiis progressus faciamus.

C A P. III.

DE FACULTATUM ANIMI
S U B S I D I I S.

§ I. *Facultates animi certis quibusdam adminiculis excitari debent.* 2. *Quæ excitatio male communiter negligitur.* 3. *Exemplo corporis & corporearum actionum.* 4. *Per assuesfactionem insolita in motibus,* 5. *affectibus,* 6. *appetitu fieri possunt.* 7. *Qua ratione voluntati, affectibus, appetitui frena injicienda.* 8. *Exercitatio recte ordinata præcipuum in facultatibus animi augendis subsidium.* 9. *Ejus quedam prudentia est.* 10. *Per eam varia in Scholis Sophistarum ad ostentationem specimina instituta.* 11. *Memorie narrative præprimis adfuescendum.* 12. *Erasmi Bartholini Dissertatio de Consuetudine laudatur.* 13. *Per assuesfactionem & exercitationem crebram orta ars, qua a nativitate surdi, ac per consequens muti, ad loquendum institui possunt.* 14. *Wallisii specimen.* 15. *Holderi, Sibscotæ ea de re liber.* 16. *De illa arte Rudolphi Agricole testimonium.* 17. *Exemplum in Sabaudia quodam Principe.* 18. *Aliud e Digheo prolatum.* 19. *Quidam sola natura duce loquentes intellexerunt.* 20. *Ejus exempla.* 21. *Bonneti liber Hispanicus de hoc argumento laudatur.* 22. *Quis ille fuerit?* 23. *Petrus Pontius hujus artis inventor;* 24. *quod multis testimoniis probatur.* 25. *Nicolaus Antonius Emanuelem Ramiresum de Carrion artis hujus inventorem constituere videtur,* 26. *a se ipso dissentiens.* 27. *Refellitur ejus opinio de Ramiresio isto.* 28. *Helmontius filius aliqua de hac arte scripsit.* 29. *Specimen hac in re a Wallisio datum.* 30. 32. *Bonneti methodus recensetur.* 31. *De arte pronuntiandi qui scripserint.* 33. *Autôres de hoc argumento ad singularem in negotiis civilibus usum uno volumine colligendi.* 34. *Aristotelis, Scaligeri & Molinæ contraria sententia refellitur.*

1 **Q**uemadmodum ad fruges e terra producendas subsidiis quibusdam, tam naturalibus quam artificialibus, indigemus; ita ad scientias addiscendas administrandis quibusdam opus est. Ut ager fructus ferat, excitanda illa naturæ vis est, quæ terræ fecunditatem auget; ita ut mens in rerum apprehensione & dijudicatione expeditior sit, illæ animæ facultates, quibus illa intelligit & dijudicat, erigendæ rectis quibusdam rationibus & acuendæ sunt. * Videmus, educatione juvenum animos ita formari posse, ut labores tolerant, a voluptatibus abstineant: sed ad animi facultates firmandas & augendas, ut quis recte meditetur, ut in inveniendis rebus celer sit, ut memoria & iudicio polleat, paucissimi præcepta suppeditant; cum id fieri tamen multis modis possit. Nam vel solo exercitio rectaque applicatione illas augeri posse quotidie videmus: quemadmodum, qui scopum ferire discunt, continuo usu propius accedunt, roburque lacertorum intendunt. Soler quidem vulgato verbo dici, *quemlibet esse fortunæ suæ fabrum*; sed longe hoc rectius de ingenio dicitur, *quemlibet esse ingenii sui fabrum*: magis enim in potestate hominis est flectere, in quamcunque velit partem, ingenium, & qui forte sunt ejus defectus emendare, ut appetitus & affectus suos domare quis constanter perpétuaque voluntate potest.

3 Quod si corpore nostra videamus, ad miraculum illa per consuetudinem & exercitationem quotidianam in morus insolitos impelli possunt: quod in funambulibus patet, qui super fune extenso sine ullo metu ambulant, saltant, in gyros se torquent, de turribus delabuntur, ad quæ hiant & stupent earum rerum ignari, & in iis inexercitati. * In doloribus perferendis videmus quosdam adfuefactione stipitibus & truncis similes, ut Spartanorum quondam pueri adversus omnes dolores obstinati erant, qui ad sanguinem, imo ad necem, cædebantur, neque voce tamen ulla aliquem sensum ostendebant. Novimus vel ipsum aëris usum, sine quo vivere alii non possunt, diuturna consuetudine ad bene longum tempus inhiberi posse, quod in urinatoribus videmus. Quidam rebus ignitis versandis habiles manus fecere. * Sunt, qui abstinentia a cibus inedia ad aliquot annos tolerarunt: qui ingurgitatione crebra helluones tricongii fiunt; continua voracitate ita proficiunt, ut vel soli, quod decem hominibus sufficiat, una cœna absument: qui frigora intensissima, qui sitim ad stuporem usque perferre possint. Cumque hæ fieri in corporibus mutationes possint, non secreta quadam, sed maxime naturali ratione, quis non multo magis animos variarum figurationum capaces crediderit? modo sibi ipsis non diffidant homines, atque ea se præstare posse credant, quæ alios præstare vident, atque illud sibi præfigant, quod labor improbus omnia vincat. * Voluntati nostræ, affectibus, appetitui nostro leges vel ipsi ponimus, vel alii illis ponunt: nam vel religione, vel opinione valida, sive illa ex institutione, sive illa persuasione oriatur, vel exemplo simili, quod illustre sit, & in oculis incurrat, vel affectu contrario frena illis injicimus; sive verè hoc fiat, sive simulate. Illud Philosophia moralis urget: hoc vero in civili conversatione fieri videmus: sunt enim, qui voluntatem suam adeo tegere possunt, ut ne exigua quidem ejus nota vix ullo vultus caractere deprehendi possit. Ut ergo simili ratione

riore facultates intellectus in nobis ad expeditiorem apprehensionem & usum formentur, nobis laborandum est.

In his mediis exercitatio recte ordinata præcipuum sibi locum vindicat. Ex 8 ea enim habitus formatur. * Est vero & in illa prudentia quædam observanda, 9 ut attemperetur ingeniis & finibus, ac recto ordine instituatur. Per gradus illa suos ducenda est & partes, nonnunquam oblique, & per quandam, ut ita dicam, consequentiam: est enim, ubi exercitatio plena ac perpetua magis turbat & impedit, quam promovet, studia; quare interdum quibusdam adminiculis illi subveniendum est. Ac primo quidem, ut omnia recte fiant, opera danda est; hinc ut promp- 10 te & expedite & cum quadam alacritate ac animi jucunditate. * Fuerunt in veterum Sophistarum Scholis, qui in utramque partem de omni argumento dicere potuerunt, quod non nisi continuo exercitio factum est. Sunt, qui frequenti usu omnia in ridiculos sensus detorquent. Quantum memoriæ, vel exercitiatione vel peculiari aliqua arte, succurratur, notum est, & de eo nos infra plura. * Multum 11 prodest ad res magnas & negotia gerenda, si quis mature adfuescat memoriæ narrativæ, ut cum circumstantiis temporum, personarum, locorum, omnia memoret & describat, & quæ ab aliis narrantur, ex lectione vel auditione in summam aliquam contrahat. * Incredibilis exercitiationis & consuetudinis vis, per quam non in edu- 12 catione tantum, sed & in quibuscunque aliis rebus stupenda fieri possunt, de quo legatur doctissima illa *Erasmi Bartholini* Dissertatio, quæ est inter *questiones* ejus *Academicas* nona.

Quanta exercitiationis recte ordinatæ vis sit, vel ex eo patet, quod in illo, qui 13 ob naturalem surditatem vocis & linguæ usum non habet, adeo intendi vis imaginativa & apprehensiva possit, ut e moru labiorum, quem visu observat, literas, e literis verba incredibili celeritate intelligat, & ad illa respondere sciat; quod arte singulari & certis præceptis a quibusdam cum stupore audientium effectum est. Dixi alibi ea de re prolixius, sed nec loco hoc prætermittendum id videbatur, quoniam vel solo illo exemplo mirifica phantasiæ & ingenii vis arte adjuncta ostendi potest. * Suscepta fuit ab Anglis quibusdam illa mutorum institutio, ejusque speci- 14 men *Wallisius* dedit; cujus extat prolixa ea de re epistola ad *Dn. Boilium* scripta, in *Actis Philosophicis Anglicis*, Num. 61. * Fuerunt & alii inter Anglos, qui integris ea de re 15 libris egerunt: *HOLDERUS* in libro *de Elementis loquendi*, cui additur *Tractatio de Informatione muti & surdi*: (liber editus est Anglica lingua Londin. 1669.) *GEORG. SIBSCOTA* in libro Anglico, cui titulus: *Deaf and Dumb mans Discourse, or concerning those, Who are born Deaf and Dumb*, edito Lond. 1670. cum additione libri *de ratione loquela creaturarum inanimatarum*. * Non recens natam illam artem e Rudolpho 16 *Agricola* conjicere possumus, qui *lib. 9. de Invent. cap. ult.* vidisse se testatur surdum a primis vitæ annis, & quod consequens est, mutum; didicisse tamen, ut quæcunque scriberet, aliquis intelligeret, & ipse quoque, tanquam loqui sciret, omnia mentis suæ cogitata perscribere posset. Quod etsi in dubium vocare videretur *Ludov. Vives* *lib. 2. de anima, cap. de discendi ratione*, nullam tamen ejus causam habuit, præfer-

- præsertim cum fide dignus testis & ἀγρόπτερος fuerit Agricola; nunc vero tot exper-
- 17 rimentis res illa probata est: * Nam non in Anglia tantum Holderus & Wallisius
experimenta instituerunt, sed & in Sabaudia quodam Principe ingeniosissimus Co-
- 18 mes Emanuel Thesaurus specimen aliquod exhibuit: * ac meminit Digbæus tract.
de natura corporum cap. 28. Sacerdotis cujusdam Hispani, qui fratrem natu minorem
Comitis stabuli Castellæ, a nativitate surdum, improbo labore ita erudiverit, ut
modo lumen non abesset, aut tergum non obverteretur, e motu oris, labiorum ali-
- arumque partium, perfecte intelligere voces loquentium, ad interrogata responde-
- re, vocabulorum vel in incognita sibi lingua sonum & accentum accurate ad alteri-
- us prononciationem reddere potuerit; nisi quod tonum vocis eundem servare non
- 19 poterat. * Refert & Schottus in *Physica Curiosa lib. 3. cap. 33.* novisse se in Sicilia
quendam e Soc. Jesu, qui surdus erat penitus, & tamen promptissime de quavis re
tam cum suis, quam cum exteris egerit, tamen nullum perciperet verbum, dum-
- modo labiorum motum loquentium videret. Atque id non tam per disciplinam,
- 20 quam instinctu naturæ bonitateque ingenii factum est. * Nam & alius P. Layman
singulari quodam casu surdus factus, ut illic testatur, assidua oris loquentium ob-
- servatione didicit visu percipere, quod non poterat auditu. Refert & Zwingerus
in *Physiol. Med. cap. 25.* Jacobum Oecolampadium, cum Sacerdos Basileæ esset, inter
alios habuisse auditorem plebejum, sed surdum, qui tamen verba illius intellexerit
ex eo, quod intentis & inconnivis illum oculis intueretur. Quoniam ergo natu-
- ram & ingenii indolem hic præstare talia videmus, quidni certis quibusdam regu-
- 21 lis adjuvari natura posset? * Librum in hac arte dudum, ante, quam Angli ea
de re cogitarunt, scripsit aliquis JOHANNES PAULUS BONNETUS, ediditque
Madriti in 4. Anno 1620. ac Regi ipsi inscripsit. Titulus est: *Reduction de las let-*
tras y arte para enseñar a ablar los mudos, i. e. *Reductio literarum & ars informandi*
mudos. Non dubitat huic Autori inventionem hujus artis adscribere Caramuel in
apparatu suo philosophico lib. 1. disp. 2. n. 16. qui epigramma quoddam in eam artem
- 22 illic scripsit. * De Autore vero, quem Sacerdotem, credo per errorem, Digbæus
vocat, non satis certa omnia: nam ipse se *Barletservant* vocat. Quid autem mune-
- ris hoc sit, Nicolaus Antonius in *Bibliotheca sua Hispana* sub hujus viri nomine doce-
- at: *Foomes Paulus Bonet Arragonius Regi nostro a munere quodam, quod Burgundia*
domus vocabulo BARLETSEERVANT apud nos audit, & a tormentarie rei ministerio
(entratenido cerca de la persona del General de la Artilleria) magnoque Castelle Con-
nestabili a secretis. * Ante tamen Bonnetum PETRUS PONTIUS, Benedictinus-
- 23 Monachus, hanc artem exercuit, ut constat e Valesio *lib. de Sac. Philos. cap. 3.* *Petrus*
Pontius, inquit ille, *Monachus S. Benedicti, Amicus meus, natos surdos docebat*
loqui, non alia arte, quam docens primum scribere, res ipsas digito indicando, quæ chara-
cteribus illis significarentur; deinde ad motus lingue, qui characteribus responderent, pro-
vocando. Unde patet, pro informationis hujus fundamento scripturam fuisse ad-
- hibitam, quod in exemplo sui temporis etiam notarat Rudolphus Agricola.
- 24 * Meminit & ejusdem artis in Hispania inventæ Stephanus Roderic. Castrensis *Comm.*
in

in libr. Hippocratis de Aliment. Sect. 2. p. 247. ut mirer, Franciscum Lanam in *Prodromo all arte mæstra c. 4.* negare, quicquam de arte ista præceptis traditum, ut solus ille ac primus ea de re forte videatur cogitasse; ac aliqua præcepta, sed quæ exigua sunt & nullius momenti, suppeditasse. Pontius vero ille, quantum scitur, nihil edidit, ac videtur Bonnetus illam Pontii, qui ætate Valefi Anno 1590. vixit, artem hæcenus occultatam, suo tempore Anno 1620. publicasse. Ita enim Nicolaus Antonius loco supra citato: *Nempe mira hæc res, ut multi verba efferrent, in artem ivit apud nos. egregia industria viri perspicacissimi Petri Pontii, Benedictini Monachi, quam videtur Bonnetus publicasse.* Idem de eo testatur Nicolaus Antonius sub nomine Petri Pontii, ubi præterea Fr. Joannis de Castanniza Benedictini testimonium ex Historia de Vita S. Benedicti adducit, qui & ipse Dn. Gasparum de Gurrea, filium Gubernatoris Arragoniæ, discipulum ejus, hujus rei. testem affert. Legi quoque de eo potest Ambrosius Morales in *descriptione Hispaniæ fol. 38.* qui testatur, eum loqui docuisse fratres duos & sororem Castellæ Connestabilis, de quorum altero, Petro a Velasco nuncupato, mirum esse ait, quæ & quanta intra vigesimum ætatis annum, ad quam vixit ætatem, didicerit, quoniam ultra vernaculam suam linguam locutus fuerit, scripseritque Latinam fere absque solcecismo, quandoque & eleganter, tum etiam Græcos characteres scripserit. Adducit & Morales schedulam manu illius scriptam, qua respondet roganti per manualia signa de arte ista & forma, quam sibi adeo utilem expertus fuerat. Ex his, quæ adduximus, patet, Digbæum, cum Sacerdotis meminit, qui librum talem scripserit, Pontium intellexisse, cum ars ab illo profecta fuerit, quæ a Bonneto est publicata. * Hic vero iterum turbat 25 Nicolaus Antonius, qui immemor eorum, quæ de Petro Pontio dixerat, Emanuelem Ramiresium de Carrion, Prieguens Marchioni Hispanorum Magnati a secretis & a cura formandi eloquii, quia mutus natus erat, Inventorem vel Doctorem hujus artis facit. Ita enim de illo: *His apud nos artem invenit, aut certe solus exercuit ætate sua literas & aliqualem usum docendi mutos, quod quidem in eodem Marchione, atque item in D. Ludovico a Velasco, Fraxini Marchione, Connestabilis Castellæ fratre, & in aliis præstitit.* * Hoc vero ante de Petro Pontio dixerat, tum Nicolaus Antonius, tum 26 Ambrosius Morales, quod Petrum de Velasco fratrem Castellæ Connestabilis superioris sæculo in loquendo informaverit, cum Emanuel Ramirez de Carrion hoc sæculo vixerit, & post Bonnetum, qui Anno 1620. librum suum edidit, librum Hispanica lingua primum 1622. hinc 1629. publicavit cum hoc titulo: *Maravillas de naturaleza, en que se contienen dos mil secretos de cosas naturales.* Plane hæc inter se non conveniunt, neque expediri a me hic nodus potest. Ab isto sane Ramiresio scriptum fuisse de arte illa librum, non meminit Nicolaus Antonius, & tamen quasi subdubicans vel inventorem, vel certe solum hujus artis sua ætate Magistrum constituit; quæ manifeste cum ceteris pugnant. * Imo vero expressis verbis 27 legitur in judicio illo, quod Antonius Perez, Abbas Benedictinus, Bonneti libro præfigit, Petrum Pontium, Monachum Benedictinum, principium huic arti dedisse. Quare omnino illa, quæ de inventione Ramiresii ait, falsa sunt. * Nostro 28 quoque

quoque tempore Helmontius Filius in *Alphabeto suo vero Naturali Hebraico* quandam de surdi & muti in linguis informatione dissertationem instituit; sed horum aut-
 29 rum mentionem nullam fecit. * Testis est quoque Monconifius in *Itinerario suo Anglico* p. 50. se apud Wallisium vidisse nobilem Anglum mutum & surdum, qui Doctore illo tantum in legendo profecerit, ut librum Anglicum expedite legeret, atque jam tum alterum hoc exhibuisse specimen Wallisium, qui præterea exiguam illi differentiam in pronuntiatione τ̄ B & τ̄ P ostenderit, exilem scilicet nasi mo-
 30 tum, cum litera B pronuntiat. * Bonnetus ad certam artem regulas revocavit: nam in primo libro agit de literarum natura & varia apud varias gentes pronuncia-
 31 tione, quæ erudita sunt. * Sed tamen & ante illum de hoc argumento egerat Hieronymus Fabricius ab Aquapendente libro *de locutione ac ejus instrumentis*, Scaliger in libro *de causis Latine lingue*: post illum Mallincrolius *tractatu de libris*, & Petrus Montanus in singulari libro Belgico, sed erudito, *de arte pronuntiandi*, quo neminem hætenus accuratiorem vidi. Mihi quoque aliquando *de philosophia Alphabetaria*
 32 quædam scribere propositum fuit. * Libro secundo ad rem ipsam propius accedit, ac ostendit, quomodo murus figuram & pronuntiationem literariam per manua-
 lem demonstrationem & motum oris ac labiorum doceri possit: hinc procedit ad reliquas Grammaticæ partes, & orationis constructionem integram. Aliqua eti-
 33 am de cifris & lingua Græca adjecit. * Ego omnino suaderem, ut non Hispanicus tantum ille liber, sed & ceteri, qui in Anglica lingua scripti sunt in Latinam linguam conversi uno volumine colligerentur; non in mutorum tantum usum, sed & illorum, qui in aulis Principum, foro, atque adeo in omni vitæ genere versantes, musitantes etiam intelligere velint, atque secreta e longinquo rimari colloquia;
 34 cujus rei quantus usus esse possit, facile quivis intelligit. * Nos insigne hoc exemplum, quo exercitationis crebræ vis in intellectu augendo confirmatur, omittere nolimus, quo falsitas sententiæ Aristotelis ostendatur, qui libr. *de Hist. Animal.* 4. c. 9. furdos natos vocem quidem emittere ait, sed sermonem nullum: cui accedit etiam Scaliger in commentario, cum ait: *Arte & voluntate fit sermo, itaque docemur: Syrdi autem non docentur, ideo non loquuntur.* In Aristotelis quoque verbis arguatur, quod vocem emittere dicat. Male quoque Molinæus *Physic. lib. 8. c. 24.* judicat: *Cæcus natus potest per auditum erudiri; at quicumque est surdus a nativitate, est mutus & plane indisciplinabilis.* Et Aristoteles primo *Metaphysicorum* auditum disciplinæ sensum vocat, cum per visum, atque ut ita loquar, intuitive procedere posse videamus.

C A P. IV.

DE

SUBSIDIIS DIRIGENDI JUDICII.

§. 1. *Judicium ac memoria præcipua ingenii partes.* 2. *Memoria summa necessitas & utilitas.* 3. *Atamen memoria sine judicio manca & mutila.* 4. *Judicium sum-
 man*

nam omnibus disciplinis manum imponit. 5. In iudicio dirigendo præcipuum studium adhibendum est. 6. Logica dirigendo iudicio subsidia ministrat. 7. Illius usum multi parum curant. 8. Illius usus latius patet, quam vulgo creditur. 9. Logica est clavis reliquarum scientiarum. 10. Verulamius quatuor artes Logica subordinat. 11. Quarum posteriores e prioribus fluunt. 12. Quibus & Didactica est addenda. 13. Ars inventiva artium, & examinis seu iudicii principia sua e Logica deducit. 14. Que ex parte hæcenus neglecta. 15. Generalis inveniendi & ratiocinandi regula traditur. 16. Pueri in prima etate rerum ordinata cognitione imbuendi. 17. Bæcleri ea de re sententia: 18. Batei Janua. 19. Comenii Janua ad informandam iuventutem non recte adhibetur. 20. Ad periodorum cognitionem pueri mature ducendi. 21. Scioppi Mercurius bilinguis. 22. Schola latinitatis Gothæ edita. 23. Bæcleri desiderium. 24. Autores, qui de Polymathia scripsere, ad hanc rem inepti. 25. Mehovii propositum. 26. Mylai universitatis Historia. 27. Διευκρίσις generalis rerum. 28. Comenii orbis sensuualium pictus. 29. Quædam in illo desiderantur. 30. Sturmii & Joh. Benzii Loci. 31. H. Weitzii Via regia ad linguam Latinam. 32. Joh. Joachimi Beccheri Novum Organum laudatur. 33. Ejus usus in inventione ac meditatione. 34. Beccheri Methodus didactica. 35. Ejus methodi pars I. & II. edita. 36. Tertia lucem non vidit. 37. De eodem Becchero iudicium. 38. Schola Nature, Artis & Actionum humanarum, quomodo instituenda. 39. Quid per scholas istas intelligatur. 40. Beccheri Theatrum Nature & Artis. 41. Theatrum tale Principis sumtibus instruendum magno foret usui. 42. Methodus Mechanica practica. 43. Exercitationes Theatrica in iuventute non omittenda. 44. De Comenii Ludis Comicis quid sentiendum. 45. Verulamii de Theatrica actione iudicium.

DUæ sunt præcipuæ ingenii, ut ita dicam, partes, *iudicium & memoria*. * Hæc 1 quidem plurimum æstimatur, nec immerito, quod in omnibus disciplinis 2 maximus ejus usus sit: tot enim in singulis sunt præcepta, tot variæ res memoria comprehendendæ, sine quibus nihil omnino effici potest. Philosophus universam rerum naturam, tot corporum, tot artium nomenclaturas & regulas animo tenere debet; Theologus Veteris Novique Codicis libros, ac Patrum decreta; Jctus leges ac responsa veterum prudentum; Medicus herbarum, morborum, medicamentorum nomina in promptu habere debet: * Quæ omnia & 3 multa & magna esse, quidem fateor; verum nisi illa eximii iudicii vis comitatur, nulli humano generi usui illa omnia erunt. * Primum quidem memoria instruenda est variis in omni disciplina præceptis: ut ad usum illa transferamus, iudicio opus est. Quamdiu in Scholis jura legesque discimus, memoriæ illa res est; in foro ac per usum accedit iudicium. Morborum nomina & medicinas multi accurate satis cognoscunt ope memoriæ, iudicij multis annis & casibus subacti Medici demum fiunt. * Præcipuum ergo studium in JUDICIO DIRIGENDO adhiberi debet, videndumque, quæ ad illud firmandum SUBSIDIA advocari possint.

- 6 Perlustremus omnem illum Philosophiæ orbem, inveniemus illic disciplinam, quæ rationem ipsam in ordinem redigit, Logices vel Dialectices nomine salutaram. Quod si ergo verum est, in illis, quæ rationis sunt, occupari hanc disciplinam; præcipuam illam rationis partem, quæ in judicio consistit, omnia illa comprehendere debet, ac instrumenta omni scientiarum generi apta fabricare. Quare & merito *ὄργανον* & *τρόπος ἐπιστήμης* appellatur, & quanta fieri potest cura, non leviter ac perfunctorie disciplina illa excolenda est. * Verum, si quod res est, dicendum est, plerique ita in his studiis versantur, ut, cui fini inventa sint, parum curent. Nam contenti rerum & notionum summis generibus & Syllogismorum tenui artificio, parum de usu ipso solliciti sunt: ut

*Si quis emat citharas, emptas comportet in unum
Nec studio cithara, nec Muse deditus ulli.*

- 8 * Cum enim ad usum pertineat tota hæc disciplina, atque ideo instrumentum vocetur, longe major ejus usus est, latiusque se diffundit, quam multi opinantur: ut proinde in contemplatione hujus instrumenti subsistere ineptum sit, nisi & ipsi applicemus rebus, quibus applicari potest ac debet.
- 9 Quem usum cum multi viderent, ac a Philosophis vulgo negligi animadvertent, reperti fuerunt, qui singulares aliquas artes Inventivas, combinatorias, commententi sunt, qui cum his consiliis suis reprehendendi nullatenus sunt, nisi quod a Logices disciplina illa sua inventa sejuncta velint, quæ ex hoc tamen fonte unice oriuntur. Recte quidem Verulamius *libr. de Augm. Scientiarum V. cap. 1. Rationales scientiæ reliquarum omnium claves sunt. Et quemadmodum manus instrumentum instrumentorum, anima forma formarum; ita & illæ artes artium ponendæ sunt. Neque solum dirigunt, sed & roborant; sicut sagittandi usus & habitus non tantum facit, ut melius quis colineet, sed ut arcum tendat fortiorem.* * Artium Logicarum quatuor Verulamius facit, divisas ex finibus suis, in quos tendunt. Id enim agit homo in Rationalibus, ut aut inveniat, quod quæsierit, aut judicet, quod invenerit, aut retineat, quod judicaverit, aut tradat, quod retinuerit: totidem ergo artes constituit. *Artem Inquisitionis seu Inventionis; artem Examinis, seu judicii; artem Custodiæ, sive memoria; & artem Elocutionis, sive traditionis.* * Sed hæc posteriores quasi per consequentiam aliquam e prioribus procedunt, quatenus nimirum judicium conducit ad memoriam; nam & memoria per se inesse multis potest, & sine his adminiculis excoli; elocutio, etsi suis quibusdam præceptis contineatur, tamen referri etiam ad Logicam debet, quatenus bene ordinatis conceptibus formæ argumentorum, schematismi & verba ipsa subserviunt. * Addenda his est Didactica, aliqua doctrinæ de Methodo propago, quæ suo quodam peculiari modo & secundum sua principia consideranda est.
- 12 Inter has artes, quas vocat Verulamius rationales, artem inventivam, quatenus
ad

ad artem refertur, desiderari ait: *Inventiva*, inquit, *ars est, altera artium & scientiarum, altera argumentorum & sermonum*: hanc esse obviam ait, illam a nemine excultam. * Non nego quidem, sed id factum nescio per quam hominum illa studia ¹⁴ tractantium socordiam; quanquam & non pauci etiam barbara illa ætate fuerint, quibus his similia, quæ Verulamius proponit, in mentem venerunt. Ac sane principia eadem Dialectica ad tales conclusiones formandas deducere posse, quilibet videt. Deinde & ars illa iudicii & directionis sive examinis, qua de experimentorum ratione agitur, ex iisdem principiis promanat. Quanquam enim Verulamius speciales quosdam modos enarrat, quibus tale examen institui possit; possunt tamen omnes illi e doctrina causarum atque e Locis Dialecticis deduci, quod Topica illa particularia, quæ vocat, sive Articuli Inquisitionis satis ostendunt: in omnibus enim illis experimentorum inventionibus occulta quædam argumentandi ratio reconditur, ex aliquo Locorum Dialecticorum deprompta; qua de re pluribus nunc agere non possumus.

Generalis, in meditando ac inveniando & in omni ratiocinationis actu regula ¹⁵ est, quam & Spinoza in tractatu de *Emendatione Intellectus* posuit, ut rerum differentias, convenientias & oppugnantias recte colligamus, quo ideas nobis claras & distinctas formemus, & ex earum progressu, qui ab exiguis principiis ad majora se axiomata & conclusiones dilatat, quicquid argumento nostro conveniens est, deducamus. * Quare non male faciunt, qui jam in prima ætate pueros rerum cogni- ¹⁶ tione bene ordinata imbuendos iudicant, ut rerum universitatis ideæ illorum animis obversentur. * Præter alios præcipit hoc vir Clarissimus Bœclerus in *Differ- ¹⁷ tatione MSta de Studiis*, quæ amicæ opera ad manus meas pervenit, sed imperfecta, & intercedente viri Clarissimi obitu non absoluta. Ita ille: *nunc illud monebimus, mature seu post vulgares & primas literas perceptas dandam esse operam, ut ingenia ipsam rerum universitatem, quo fieri commodissime potest modo, cognitam & in obvio conspectu positam habeant. In hoc enim consilio facile omnes convenire & congruere videmus; quanquam viam ingrediuntur non unam. Dolendum sane est, non esse in hunc diem libellum, huic proposito idonea ratione inservientem. Annisi sunt complures viri eruditi Dialogis rem conficere; quibus ut alias suis non denegatur usus; ita ad hunc finem nondum profecerunt. Illud autem per se intelligitur, in libris, quibus universitas rerum queritur, rationem verborum & lingue eatenus habendam esse, ut e.g. in Latinis non nisi Latina & auctoritatem habentia, & sic in aliis linguis, adhibeantur.* * Hæc Bœclerus, qui ea occasione de Janua Comenii iudicium ¹⁸ suum interponit, atque ejus loco commendat *Batei Januam*, duodecim centuriis auctam.

• De Comenii *Janua* habendum est, illam plane e Scholis illis, ubi Latinitatis genuinæ, ut æquum est, cura habetur, eliminandam. Nam ut rerum aliqua notitia ex illa haberi possit; tamen exigua illa est, nec satis convenienti ordine, quod præcipuum ea in re est, proposita, & vocibus ac phrasibus barbaris passim scatens, quæ corrumpere bonam juventutis Latinitatem possint: quicquid etiam Apologia pro suæ *Januæ* Latinitate scripta contendat Comenius; nam & ipsa altera Apologia indigeret.

- 20 * Ne quid nunc dicam de eo, ad Latinitatem tales libros plane commendari non posse, quorum per mera axiomata proponuntur, in quibus nulla est periodica consequentia suis particulis connexa, cui mature adfuescere pueri debent. Ut cum in finem Sturmii sententias ex Autoribus secundum ordinem & quantitatem periodorum collegerit, quas ubi legerit didiceritque puer, & numeri & consecutionis idea in animo hærebit; quod magno postea ad numerosè scribendum subsidio erit; nam talia è veteribus disci Autoribus consultius est, qui concinniorum vocum
- 21 positum & accuratius aurium iudicium habuere. * Exhibuit etiam Scioppius *Mercurium bilinguem*, de cuius methodo ille in præfatione Grammaticæ & Mercu-
- 22 rii sui plenius agit. * Commendare etiam Bœclerus *Scholam Latinitatis Gotthæ editam* in hunc usum videtur; quæ, ut ille ait, *universitatem rerum cordato quodam iudicio ac contextu complectatur*. * Sed pleniorè tamen ille laborem & accuratiorè
- 23 desiderat, suadetque, ut e centonibus Ciceronianis tale Opus conficiatur, in memoriam sibi fortassis non revocans, quod Freigius in Ciceroniano suo aliqua ex parte effectum hoc dedit. * Garzoni tamen liber, cui Titulus: *Piazza universale*, qui ex Italico in Germanicum sermonem conversus est, & alii Miscelli Scriptores, *Alexander ab Alexandro, Cælius Rhodiginus*, ad hos usus non referendi; quemadmodum nec *Polydorus Virgilius libro de Inventoribus rerum*, quod Lambecio visum est.
- 25 * De defectu Institutionis in rerum cognitione etiam Mechovius in *Hermathene* sua conqueritur tract. 3. cap. 4. *Nescio, an deesse hic quærar juvenuti libellum de rerum natura, in quo ex optimis scriptoribus nonnihil de mundo, de cælo, de elementis & de ceteris rebus, quantum ad hanc ætatem satis foret, conscripta tenerentur, ne plane instar hospitis ac peregrini in hac patria sua tempus transigeret. Mibi id sapius in animo fuit, κοσμοπολιτας meos consulere, sed hora erit, ac tempus nec opinanti elabitur*. Unde tale aliquod Opusculum in animo habuisse virum doctissimum conjecerim, quale e centonibus veterum Scriptorum concinnandum suadebat Bœclerus, & quale ille specimen Ethicum in *Parænetice* sua, optimo
- 26 sane consilio, dedit. * Non venit etiam Bœclero in mentem *Christophorus Mylaus*, qui *Universitatis historiam* non contemnendo ordine & opera in lucem edidit.

- 27 Verum illa omnia majori apparatu instituuntur, quam in illa ætate necesse est. Sufficit generalis illa rerum διατύπωσις, per sola vocabula ac phrasæ argumento convenientes determinanda: cetera enim supplere docendo doctus magister potest:
- 28 * Quo consilio COMENIUS, quanquam Latinitate non satis castigata, prudentia tamen didactica minime destitutus, ut patet e vastis ab illo conscriptis Voluminibus, illum *Orbem suum sensualem pictum*, ut in ipsa inscriptione *Εαρεταριζες*, edidit. Res minime contemnenda: nam sic per imagines res ipsa oculis sistitur, & vocabula ac verba eo pertinentia eadem opera discuntur. * Sed mallet ego elegantioribus picturis talem libellum illustrari, atque omnia nitidius & accuratiori ordine ob oculos poni. Ordo enim præcipue hic attendendus; ponenda omnia connexa, affinia, contraria sub eadem serie, ut ea conjunctim memoriæ infigantur. Ita animo inhærebunt simul
- fontes

fontes illi, unde vel argumenta inveniri, vel sententiæ amplificari possint, eritque hoc quasi universale pro copia rerum & verborum instrumentum. * Hoc in animo olim habuit *Sturmius*, ejusque discipulus *Joh. Benzius*, qui omnem Latinitatem locis LXXVI. complexi sunt; secundum quem ordinem primo vocabula memoriæ imprimabant pueri, collectanea phrasium instituebant adultiores, ut in Latina & Græca lingua peculiaribus libris *Joannes Benzius* ostendit. Poterant & sententiæ ac theses, vel politicæ vel ethicæ, sub titulis eodem modo ordinatis colligi. Ita ad omnem palæstram dicendi differendique instructus fieret, qui huic viæ insisteret. Nam in methodo nihil magis turbat, quam varietas, ac constantia facit, ut firmiores omnia radices agant. * Huc quoque respexit *H. Weizius*, qui aliquot foliis *Viam Regiam ad linguam Latinam Hafniæ Anno 1661.* edidit. In cap. 1. de rebus agit, quas secundum classes suas, serie non male ordinata, divisit. Cap. 2. agit de modis rerum, quo omnia in ordinem redigit, quæ ad qualitatum, relationum &c. classes pertinent: Cap. 3. agit de motibus rerum, ubi actiones, passiones, durationes earum dispescit. Cap. 4. agit de actionibus hominis per certa objecta, diversos status, circumstantias variatis. Cap. 5. de modis motuum, actionum & passionum. Cap. 6. de circumstantiis rerum motus aut quietis. Cap. 7. de coherentiis rerum & actionum. Cap. 8. de multiplicatione rerum & verborum. Atque sic ille sub 500. generalibus titulis omnem vocabulorum, quibus res & actiones continentur, seriem non ineleganti ordine disposuit: quibus uti poterunt, qui vel meditantur aliquid, vel phraseologiam colligent, aut similia instituunt.

Simile consilium *Joh. Joachimus Beccherus* in *Novo Organo pro verborum copia in quavis materia expedite acquirenda* proposuit, Latina Germanicaque lingua nunc edito; in quo pars 1. rerum actiones & passionés, seu verba continet: pars 2. rerum prædicata & qualitates, seu adjectiva: pars 3. actionum & qualitatum circumstantias & modos, seu adverbia, præpositiones, conjunctiones & interjectiones: pars 4. habet sermonis subjecta, seu substantias. Singulas partes secundum 15. titulos generales physicos pro generalissima partium combinatione disponit. 1. Substantiam. 2. Qualitatem. 3. Quantitatem. 4. Locum. 5. Tempus. 6. Gustum. 7. Odorem. 8. Visum. 9. Auditum. 10. Tactum. 11. Potentiam agendi. 12. Voluntatem. 13. Rationem. 14. Virtutem & vitium. 15. Theologica & qualitates promiscuas. Singulos titulos iterum dividit, atque hac ratione Systema integrum omnium vocum, in lingua occurrentium, philosophica quadam ratione ordinatum extruit; * Quod non copiam tantum verborum, sed & meditationi ac inventioni rerum inservire potest. Est enim inventio nil aliud, quam ut meditando jungamus, quæ cum re conveniunt; sejungamus, quod repugnat: qui analogismus licet hic in vocibus disjunctis consistat, operatio intellectus & ratiocinatio facile sociabit, quæ de se prædicare vel simpliciter vel arguta & enthymematica oratione possunt. Ac profecto non omnino vana sunt, quæ ipse Autor in præfatione de hoc suo Organo prædicat: *Ut ad secundarium hujus Organi usum veniam, qui revera primarius est, & ipsum ἔργον dici possit, immensum*

mensum illum esse scias, & ita comparatum, ut infallibili articulatione & consequentia te ad tertiam connexionem deducat, quæ pariter in omnium rerum cogitationumque humanarum structuris locum obtinet, & ex cujus vero, claro & distincto intellectu totum humanae sapientiae lumen exurgit. * Proposuerat sibi Beccherus tribus libris succurrere juventutis informationi, & hoc suum consilium prolixè enarrat in *Methodo sua didactica & appendice ejus*, libris Germanica lingua editis. * Prima parte Methodi practicæ continebatur vocabulorum a primitivis ordinata deductio: cujus laboris etiam alios jam ante socios habuit. Pars secunda illo, quod jam recensemus, continetur Organo, habetque vocabula omnia sub illis, quos enarravimus, concordantiarum titulis, secundum significationes suas posita. * Tertia pars ab illo promissa, sed nunquam in lucem edita, dedisset nobis concordantiarum titulos de subjectis prædicatos, iisdemque alligatos & combinatos. Ita enim ipse: *In tertia parte combinabuntur notiones, prædicabunt omnes partes orationis & significationum tituli de se invicem: ita, ut omnium subjectorum naturam per quindecim titulos, e. g. quæ dura, quæ levia, quæ alba, quæ sonora omnia sint &c. in quo corpora conveniant, in quo averferentur, scias, ita rotam physicam practicam & omnes comparationes proprias habebis; ex quibus omnes definitiones & hypotheses omnium scientiarum fluunt.* Sed hujus partis tertiæ defectum nunc utcumque supplet pars secunda, quæ, ut diximus, ad hos usus ab homine mediocriter ingenioso commode adhiberi potest. * Fuit illi viro versatile ingenium, quod in omnia se diffunderet, ac singulari perspicacitate comprehenderet. Ideoque virorum doctorum consideratione digna sunt, quæ ille in *Methodo sua Didactica* proposuit; in qua multa reperiuntur, summo in re literaria usui futura. Plura etiam nos docuisset, si *Methodus ejus Gnostica de acuenda ratione & formando judicio*, quam promissit, in lucem prodiiisset. Sed de ejus *Methodo Didactica* nos infra plura dicemus: nunc tantum de Novo ejus Organo verba fecimus, quatenus illud directioni intellectus in apprehensione, collatione, illatione rerum, inservire possit. Neque enim hæctenus habemus, qui prædicata omnia accuratius ordine digesserit; ac profecto dolendum, tertia illa parte, qua applicationem prædicatorum ad subjecta docet, per ejus obitum nos fuisse fraudatos. Et ceteri illi libri, ut *Polybistor Jonstoni*, *Pexfelderi apparatus*, omnesque Nomenclatores & Januæ hunc usum nobis non præstant, quorum defectus accurate ille in *Methodo sua* denudavit. Multa quoque in Orbe isto Pictò Comenii non sine ratione improbat, etsi imaginum ille usus, qui ipsi non placet, non omnino est improbandus.

38 Sæpe ego in votis habui, ut *Schola quædam Naturæ, Artis & Actionum humana-*
 39 *rum* publica in juventute institueretur. * Per *Scholam Naturæ* intellectam velim Systema aliquod corporum naturalium bene ordinatum, ubi per vivam corporum demonstrationem & vocabula melius memoriæ inhærent, & ideæ de rebus intellectui sisterentur. Nulla enim efficacior ars mnemonica est, quam cum in rem præsentem veniunt discipuli. Per *Scholam Artis* intelligo omnia opificum & artificum instrumenta, quæ certis quibusdam receptaculis omnia asservantur, & pueris explica-

explicarentur. * Ac postea in easdem cogitationes dilapsum quoque Beccherum 40
deprehendi, qui in Methodo sua Didactica part. 2. circa finem Ideam aliquam *Thea-*
tri Naturæ & Artis proposuit, atque in epilogo Appendicis suæ inter alia talis Thea-
tri institutionem promissit. Sed amplissima illa promissa irrita fuere, neque talia
privatorum sumptibus effici possunt. * Id vero certum est, si Princeps aliquis 41
tale Theatrum instrueret; aut in Aeademiis, quemadmodum Bibliothecæ publicæ,
inveniretur, major confluxus Studiosorum has impensas facile resarciret: Immen-
sos enim fructus illa res præstaret, multisque laboribus, molestiis & impensis stu-
diosam juventutem sublevaret. Alios quoque etiam illiteratos curiosiores alliceret,
unde multis accessionibus tale Theatrum augeri possit, & tota rerum universitas in
unam domum compacta spectatoribus exhiberi. * Sed in mechanicis artibus con- 42
sultius fortassis esset ipsos adire opifices. Cum enim instrumentorum natura ex
usu ipso rectius discatur, ipsa illa applicationis *ἀντροψία* plus informabit. Promise-
rat & Beccherus *Methodum Mechanicam practicam*, qua ope decem Axiomatum Me-
chanicorum omnium opificiorum praxin docere velit, & brevi quidem tempore;
ita ut accuratius ipsis opificibus sciant, ac intra anni tempus multas artes mechani-
cas simul discant Studiosi; de quibus tamen nihil comparuit. Et talis Theatri in-
tuitu improbat Comenii Orbem Pictum Beccherus, qui tamen theatri hujus de-
fectu suum quoque usum habet.

Atque hæc Schola Naturæ & Artis intellectui perficiendo in scientiis & appre- 43
hensione ac dijudicatione inserviret. *Actionum humanarum Schola* ad prudentiam for-
mandam subsidia subministraret, eaque per actiones theatricas instituenda. Morosi
enim sunt & inepti homines, qui juventutem ab his exercitiis arcent, aut omnem
Theatri usum, cultioribus gentibus familiarem, e Republica tollunt. Ut in Repu-
blica Comædia schola populi est; ita in scholastica juventute Schola actionum per
theatricas actiones proponi potest. Longe firmiter hærent in animo exempla
virtutum per actionum simulacra proposita, atque illa ipsa actio characterum mo-
ralium & civilium lineamenta in animis teneræ juventutis ducet, ne postea in con-
versatione stipites sint, aut in alium sibi orbem delati videantur. Possent in his ordo
quidam observari, ut quæ Philosophiæ moralis & civilis præceptis velut theoretice
exhibentur; ex historia per actiones exemplares in theatro proponantur. * Co- 44
menius Philosophorum historiam hac ratione discipulis inculcari volebat: qui &
pro specimine Diogenem Cynicum in theatrum produxit. Idem quoque Januam
suam in ludos Comicos communicavit, merito hoc suo consilio explosus a Becche-
ro: nam in rerum apprehensione simplex & bene ordinata doctrina requiritur, ad
quam Comædia, quæ non nisi actiones repræsentare apta est, nihil plane per se con-
ferre potest. Quare prudentes Scholarchæ inter operas Scholasticas exercitatio-
nes illas theatricas non tantum non improbarunt, sed ipsi præceperunt. * Ipse 45
quoque Verulamius, vir autoritate sua & sapientia *Πολλῶν ἀνθρώπων ἄλλων*, cum in
libro de Augmentis scientiarum, de arte Pædagogica agit, actionem illam theatra-
lem *lib. 8. cap. 4.* vehementer commendat.

ARTE LULLIANA SIMILIBUSQUE INVENTIS.

- §. 1. Continuationis series. 2. Cardani ars Inventiva ex Logica petita. 3. Aristoteles usum Categoriarum primus ostendit. 4. Raimundi Lullii studia. 5. Lulliane artis inventio. 6. An ex Arabico libro illa descripta? 7. Petri Montui testimonium examinatur. 8. Verulamius eam artem contemnit. 9. Berneggeri, 10. Keckermanni, 11. Hamelii, 12. Sorelli iudicium. 13. Quenam arti isti objiciantur. 14. Autor artis hujus olim contemtor nunc mitius de ea judicat. 15. Potest ea in quibusdam emendari. 16. Respondetur ad objecta. 17. In quibus ars haec versatur. 18. Artis abusus non tollit usum genuinum. 19. Artem negligere magna quandoque ars est. 20. Loci Oratorii non raro Oratorem monent. 21. Suo exemplo id probat Autor. 22. Cardani monitum de inventione. 23. Typus artis Lullianae recensetur. 24. Consistit in circulis varie inter se conversis. 25. Autores, qui eam defenderunt ac Commentariis illustrarunt, recensentur, Alstedius, 26. Joh. de Riera, 27. Bernhardus de Lavinheta, 28. Paulus Scalichius, 29. Jordanus Brunus, 30. Petrus Gregorius Tholosanus, 31. Cornelius Agrippa, 32. Julius Pacius, 33. Claudius Clemens, 34. Sebastianus Izquierdo, 35. Petrus Hieronymus Sanchez de Lizaraco, 36. Aug. Nunnez Delgadillo, Petrus de Goevarra, 37. Jaimus Januarius, Franciscus Marzal, Petrus Cirvelo, 38. Nicolaus de Hauteville, Ivo Capuccinus, 39. Cornelius Gemma, Aegidius Moncurtius, Joh. Henricus Bisterfeldius, Petrus Morestellus; Christ. Kriegsmannus, 40. Joh. Henricus Alstedius, 41. Athanasius Kircherus, 42. Defectus Lullianae artis ab illo notati. 43. Caspar Knüttelius. 44. Varia praxes ab illo propositae. 45. Ejusdem Analogica. 46. Emanuelis Thesauri Index categoricus. 47. Defectus septem artis Lullianae notati. 48. Ars Lulliana a Kirchero emendata perfectior. 49. Knüttelii tabula combinatoria ejusque usus. 50. Ejusd. varie artes & arcana. 51. Jani Caecilii Frey Via ad artes. 52. Uldarici Staudigl Logica Practica. 53. Lulliana predicata quomodo ad predicamenta reduci possint. 54. Jordani Bruni Artificium perorandi commendatum. 55. Alstedii consilium de copia rerum & verborum. 56. Pluribus recensetur. 57. Nova Eloquentiae methodus Anonymi. 58. l' Oeuvre des Oeuvres de Jean Belot. 59. Vinc. Placcii Excerpta Rhetorica. 60. Ejus de inventioe oratoria iudicium. 61. Leibnizii Dissertatio de arte combinatoria laudatur & recensetur. 62. Breiffaci rota pro consilio militari. 63. Quirini Kuhlmanni ingenium jaetabundum. 64. Portentosa artes & libri a Kuhlmanno beneficio artis suae novae Combinatoriae elaborandi recensentur. 65. Idem Pandectarum juris civilis methodum artificiosam, subtilem, promittit. 66. Ejusd. de Kircheri Arte Combinatoria iudicium. 67. it. de arca artium Kircheriana. 68. Magna de rotis suis Combinatoriis

natoris jaçtat. 69. Arcanum Steganographicum rejicit. 70. sqq. Lexicon univ-
 sale harmonicum, & alia plura promittit. 78. De illis omnibus quid tandem judican-
 dum sit. 79. Lullianos terminos ut sibi quis familiares reddat, non dissuadetur.
 80. Francisci Pomey artificia Inventionum. 81. Alexandri Ficheti Consilium de arte
 Lulliana. 82. Quando illa utiliter adhibenda.

Diximus superiori capite multa de Logices ad judicium dirigendum subsidio,¹
 quodque ex ejus fontibus quidam generalem rerum διατύπωσιν pro usu tali
 moliti fuerint. Produximus e Verulamio, quæ ille de arte inventiva, tum
 argumentorum tum artium ipsarum, veræ Logices propagine, sed hæcenus
 desiderata, proposuit; * de qua tamen jam tum Cardanum animo quædam agitasse²
 accepimus: nam Fr. Bonneus in præfatione Tractatus de ratione docendi hæc habet:
*Non me fugit, Cardanum de artis cujuscumque inventionem, quam ille Logicam appellabat, gloria-
 tum sæpius fuisse, qua possent omnes artes jam inventæ addisci, ac nondum inventæ excogitari.*
 Ubi hæc jaçter Cardanus, equidem non memini. In libro unico de Secretis cap. 9.
 ubi plurimos secretorum libros recenset, secundum librum eorum agere ait de spe-
 cialibus modis libros conficiendi, & de propria cujusque disciplinæ Logica. *Con-
 fectus est, inquit, hic a me & vocatur Dialectica.* Ea, sed admodum brevis, extat in
 tomo I. Operum a Naudæo editorum. Agit hic quidem de inventionibus artium,
 & quidem ad ductum Galeni, qui de eodem argumento aliqua scripsit; sed exigua
 illa sunt. De libris conficiendis pauca quædam monet. Ostendit etiam, quomo-
 do e Logica orta sit ratio profirendi extemporanea, cujus exemplum ostendit in
 rextuum Hippocratis explicatione, gloriaturque, se hoc munus non solum recte,
 sed & cum non parva admiratione præstitisse. Concludit denique, nullam disci-
 plinam esse, quæ non ex communibus Dialectices præceptis tota possit resolvi, &
 quod multa ejus beneficio indagari secreta possint. *Liquet, inquit, ab hoc libro (Dia-
 lecticam intelligit) neque pauciora neque minus insignia responsa petere licere, quam a præ-
 stanti aliquo Demone. Nam homines ex sensibus, speciebus cognoscunt: Demones ex concur-
 su generalium affectuum, ut quod hoc tempore, loco, conditione, qualitate, ætate, temperatura,
 moribus, hæc contingunt, quæ nulli alii evenire poterunt. Unde secunda eorum cognitio. Sic
 & ex hac arte ad speciales substantias & individuas vocatas, tum effectus & eventus descende-
 re licebit.* Conjungi cum hoc ejus libro Tractatus ejus de Inventionem potest, qui in
 tom. 10. habetur.

Ad medirandi, differendi, amplificandi, usum jamdudum quidam aliqua exco-³
 gitarunt, quæ e Logicorum fontibus hausta; etsi ut novas aliqui artes proposuerunt.
 Fallor, an ipse Aristoteles occasionem illis inventis dederit, cum Rhetoricor. lib. 2.
 cap. 7. §. II. agit de amplificandi beneficio, cum ita ait: καὶ περὶ ἀπάσας τὰς κατηγο-
 ρίας ἀκεφάλους ἢ γὰρ χάρις ἐστὶν, ἢ ὅτι τοῦδ', ἢ τοσοῦδ', πότε, ἢ τοιοῦδ' ἢ πᾶ. Ac perlu-
 strande sunt animo omnes categoriæ: Spectatur enim beneficium re ipsa, magnitudine,
 qualitate, tempore, loco. Ex prædicamentorum enim fontibus illa διατύπωσις de-
 promi-

promitur. Quare non tam ipsius *Emanuelis Thesauri*, in libro suo Italica lingua scripto *Canocchiale Aristotelico, seu de ingeniosa elocutione*, inventum est rantopere illi depraedicatus Index Categoricalis, quam ipsius Aristotelis. De hoc praedicamentorum usu videatur Sturmius in libro *de resolvenda lingua Latina*, Jodocus Willichius libro *de copia verborum & rerum*, Winckelmannus in *Horto & arbore Philosophica* pag. 135. Sed de hoc Praedicamentorum usu in sequentibus plura.

- 4 Videbat hos defectus in indagazione rerum vir suo tempore ingeniosissimus variisque occultioribus scientiis magnum nomen promeritus RAIMUNDUS LULLIUS, e nobili apud Majoritanos familia oriundus: cumque philosophica studia eo tempore non adeo essent exulta, ac in Latina Graecaque lingua mera barbaries regnaret, magnam tamen ille rem ausus est, cum haec consilia animo agitarer, quae
- 5 nemini isto tempore facile in mentem venissent; * nam in eremum, ut ipse ait, secessit, ut eo melius his speculationibus vacaret, divinam etiam revelationem, ut premium rei conciliaret, jactans. * Quae etsi conficta videntur, non induci tamen possum, ut credam, quae e Petri Montui libro *de minus legis auctoritate lib. 5. cap. 5.* adducit Gabriel Naudaeus in *Apologia Hominum Magiae insimulatum cap. 14.* ex Arabe Abezebron manifesto plagio omnia cepisse Lullium: nam Naudaeus in Lullium eo in
- 7 loco praeter rationem iniquior est, ac alia manifesto falsa de illo refert. * Quid vero Petrum Montuum, ut haec scriberet, impulerit, ignoro. Nam hujus sententiae rationes nullas adductas video, neque unius viri fide recipi illa possunt, qui forte Arabica non legit vel intellexit, vel plane talia confinxit; cum & ipse Lullium totamque illam artem contemptui habeat. * Acerbior quoque in Lullium ejusque artem Verulamii censura est, qui *de Augm. Scientiar. lib. 6. cap. 2.* circa finem, vocat *Methodum Imposturae*, quae quibusdam ardelionibus procul dubio acceptissima fuerit. *Methodus*, inquit ille, *scientiae alicujus guttulas aspergit, ut quis sciolus specie nonnulla eruditionis ad ostentationem possit abuti. Talis typocosmia nihil aliud fuerit, quam vocabulorum artis cujusque massa & acervus ad hoc, ut, qui voces artis habeant in promptu, etiam artes ipsas perdidicisse existimentur. Hujus generis collectanea officinam referunt veteramentariam, ubi*
- 9 *praefegmina multa reperiuntur, sed nihil, quod alicujus sit pretii.* * Extat & proluxa in illam artem Berneggeri declamatio, *Oratione de paranda doctrinae modis illegitimis*, quae
- 10 est inter Orationes ejus secunda. * Parum quoque honorifice de eo judicat Keckermannus in *Pracognitis Logicis Tractat. 2.* ubi de variis suae & superiorum aetatum Scriptoribus Logices judicat, unde pleraque illa, quae aduersus eam artem dixerat Berneggerus, *ἀνορθοί*, quod in viro doctissimo miratus sum, descripsit.
- 11 * Hamelius in *lib. 3. de mente humana cap. 2. §. 3.* idem in illis locis Lullianis vitium agnoscit, quod in Dialecticis; quod fontes nimis generales praebent, in quos qui animum intendat, non corpori prospicere, ex Fabri judicio, ait, sed
- 12 abrupta quaedam, ut forte ad manum venere, jaculari. * Sorellus in libro *de perfectione hominis tractat. 4.* multa de hac arte, cujus ille summam recenset, sed simul demonstrare laborat, mancam eam esse & mutilam, neque illa, quae sibi propo-

proposuit, exhauriri omnia. * Quod si omnium istorum, quæ adversus illam ar- 13
tem dicuntur, summam colligas, ad hæc capita facile reducuntur. 1. Quod
omnium scientiarum principia misceantur, quæ ad illam generalitatem non possunt
reduci. 2. Quod loci communissimi sint, quorum non sit adæquatus in dicendo
usus; cum in qualibet oratione ea rem conficiant, quæ e propioribus argumentis
petuntur. 3. Quod ordo non sit accuratus, & in multis ille concinnior dari
possit.

Primum quidem non nego, fuisse & me inter illos quondam, qui hanc artem 14
contempserunt, ac pro levi & futili commento habuerunt. Verum cum postea
non spernendum ejus usum animadverterem, multosque, qui Lullianam artem in-
sectantur, de aliqua arte inventiva generali tamen sollicitos viderem, atque adeo
non tam rem ipsam, quam Lullium, contemnere, honestius de illa arte mihi judi-
candum duxi. Præsertim cum viri magni nominis, ac Philosophiæ etiam Peripa-
teticiæ addicti, non solum summe commendarent, sed etiam Commentariis uberri-
mis illustrarent. * Ac primum quidem non contendam cum aliquo super eo, an 15
non forte in quibusdam emendari illa Lulliana commenta possint, & accuratiore
ordine deduci: neque barbarum ejus dicendi genus negabo: non enim in elegan-
tioribus literis illi ultra ætatem suam sapere licuit. Quare & Scioppius libro de
stylo historico illum vocat *lutulentum & ineptum Scriptorem, sed tamen portentosi acu-
minis*. * Sed illa nunc seponenda sunt, neque, ubi de rebus ipsis agitur, attenden- 16
da. Ea vero, quæ adversus rem totam afferuntur, minime ejus momenti sunt, ut
illius inventi rationes evertant: nam principia scientiarum in unum quasi chaos
confundi, inepta querela est; quod fieri oportet, cum tale aliquod *ὑπερᾶν* generale
quæritur. Neque confunduntur illa; sed suis generalibus terminis satis distinguun-
tur. Atque ita fieri sane debet, si ad praxin descendit Logica, atque suum instru-
mentum ceteris scientiis applicabit. Non enim instrumentum a sua materia divelli
potest. Quare & nuper recentior aliquis Scriptor sub *Logices Practicæ* titulo hanc
artem proposuit. * Tota hæc ars versatur in Subjectorum & Prædicatorum con- 17
nexionem. Ut vero subjecta per omnes disciplinas, ita & prædicata per illas vaga-
ri debent. Interim tamen suas sibi res salvas habent ceteræ disciplinæ, quæ suis
quasi tribus distinctæ, *οικεία* retinent principia. Neque is hujus artis scopus est,
quem nonnulli, ac fortasse ipse Lullius, inepte jactat, quasi una illa Encyclopædia
omnium sit, illisque rejectis una hæc instar omnium esse possit: præcipuus enim
artis hujus usus in dicendo se exerit. * Esto & hoc, inepte in illius artis applicatione 18
versari nonnullos, qui communissimis & forte fortuna oblati utuntur, quod Ha-
melius aliique objiciunt, atque ita temerariam aliquam loquacitatem, non veram
eloquentiam formari; tamen nec hoc genuinum ejus artis usum tollit. Quemad-
modum neque Locorum Dialecticorum usus rejiciendus est, quod illis aliqui non
recte uti norint. Ipsa illa Enthymemata Rhetorica Aristotelis, quæ maxime *οικεία*
sunt, & magno numero ab illo proponuntur, nisi incidant in bene subactum judi-
cium, quod delectum in illis instituere novit, in futilem aliquam loquacitatem ce-
dent. Artifex vero ea, quæ rebus insunt, quæque *ὑπέροχοντα* causæ sunt, minime

- negligenda sibi & quam plenissime proponenda existimat. Iis nugatoribus, qui ad extemporalem loquacitatem bonis præceptis abutuntur, bonam mentem præcor. De cetero non aliter hæc doctrina comparata est, ac multæ aliæ. * Multa sunt, quæ ad artis regulas revocari posse, dubium nullum est: si tamen arti nimis inhæreas, insuavia omnia fient, & nonnunquam inepta. Argutiarum aliqua ars est; sed si secundum illam semper dirigantur, frigidus interdum videberis. Habet aliquid naturæ impetus impervestigabile, quod nescio quomodo ad regulas alligari se non patitur; ipsum tamen, etiamsi non observaveris, ad artis regulas quam optime factum deprehendetur. Sed natura ipsa quasi omni arte superior per exempla & specimina sua arti regulas subministrat. Prolixus est in hoc demonstrando Autor *artis cogitandi part. 3. cap. 17.* qui tamen ea re ad locorum vel Dialecticorum vel Lullianorum inutilitatem probandam abusus est. Etsi enim non semper ad tales locos recurrant Oratores, etsi quidam etiam inepte iis utantur; tamen in illis eloquentiæ perfectio efficit, ut non attendant; hi inscitia sua artis auctoritatem non evertunt. * Esto, non cogitare Oratorem de his locis, quemadmodum illi, qui ambulant, non solliciti sunt, quomodo motus in articulis exciteretur: est tamen sæpe, ubi locus Oratorem monet, si forte alicubi hæreat, ut in Bibliotheca plures secundum ordinem rerum dispositi Scriptores suggerunt, quæ sine hoc subsidio in mentem non venissent. Sed iudicij boni est feligere ex illo acervo, quæ sunt optima. * Sæpe hoc mihi evenit vel çarmen vel orationem scribenti, ut dum *ὀπιέροντα* ejus animo perpendo, infinita propemodum per omnes *κατηγοριῶν* & generalium attributorum classes eunti sub manu nascantur, unde paucissima in usus meos excerpo: plerumque tamen sine operosa cogitatione mentisque deductione illa mihi succurrunt, suntque in iis optima, quæ prima, & ingenii prævenientis *σοχασμῶ* citra notabilem locorum *ἀναγωγὴν* suggeruntur.
- 22 * Unde verum deprehendo, quod Cardanus libro *de Inventione* dicebat, inventionem potentia esse infinitam, actu finitam. Nam subsistendum in aliquo præcipuo est, ne infinite mens nostra vagetur, quod interdum statim illa occupat, interdum anxia indagine quærit ac investigat.

- 23 Typus hujus artis in eo consistit: Primum duos circulos subjectorum ponit Lullius, majorem & minorem. Ille continens & immobilis dicitur domicilium substantiarum, & generalia hæc subjecta ordinat, 1. *Deum.* 2. *Angelum.* 3. *Cælum.* 4. *Hominem.* 5. *Imaginativum.* 6. *Sensitivum.* 7. *Vegetativum.* 8. *Elementativum.* 9. *Instrumentativum.* Subjectum instrumentativum consideratur vel naturaliter, vel moraliter. Naturaliter consideratum habet in se novem prædicamenta accidentis: unde efficitur alter circulus subjectorum, minor contentus & interdum mobilis, sedes accidentium, in quo 1. *Quantitas.* 2. *Qualitas.* 3. *Relatio.* 4. *Actio.* 5. *Passio.* 6. *Habitus.* 7. *Situs.* 8. *Tempus.* 9. *Locus.* Instrumentum moraliter consideratum, prout conjunctum est vel cum virtute vel cum vitio, novem numerat virtutes totidemque vitia. His terminis *πάντα νοητὰ καὶ ὄντα* subsunt. Hos subjectorum circulos excipiunt circuli Prædicatorum. Prædicata vero vel sunt absoluta, vel respectiva. Illa sunt

sunt 1. Bonitas. 2. Magnitudo. 3. Duratio. 4. Potestas. 5. Appetitus. 6. Virtus. 7. Veritas. 8. Gloria. Habet vero hic circulus in pleno triangulum, in quo resident termini generaliores, *Essentia, Unitas, Perfectio*. Illis prædicatis generalibus specialia longo ordine, tam cognata, quam repugnantia subterni possunt, quæ leguntur apud Petrum Gregor. lib. 3. *Syntax. artis mirabilis, & Alstedium, in clave artis Lullianæ*. Respectiva prædicata sunt, 1. *Differentia*. 2. *Oppositio*. 3. *Concordantia*. 4. *Principium*. 5. *Medium*. 6. *Finis*. 7. *Majoritas*. 8. *Minoritas*. 9. *Equalitas*. Quæ & ipsa speciales terminos continent, quorum non contemnendus in amplificationibus usus est, qua de re suo loco. Additur circulus compositus ex quæstionum formis, quarum beneficio subjecta prædicatis suis copulantur, ut formari ex iis conclusiones possint; suntque hæc 1. *Utrum*, referens se ad Possibile. 2. *Quid*, ad Quidditatem. 3. *De quo*, ad materialitatem. 4. *Quare* ad Causalitatem. 5. *Quantum* ad Quantitatem. 6. *Quale* ad Qualitatem. 7. *Quando* ad Tempus. 8. *Ubi* ad Localitatem. 9. *Cum quo*, ad instrumentum vel modum. * Atque ex his circulis varie per rotas inter se conver-

24

sis omnia illa, quæ vel disputando vel dicendo quærimus, eruuntur: ut in ipsis illis Autoribus, qui artem Lullianam Commentariis illustrarunt, prolixius legi potest. Lullius ipse scripsit *Artem brevem & magnam Inventivam, Demonstrativam, Artem mixtionis principiorum*, librum de *Auditu Cabalístico, Arborem scientiæ*.

Non defuerunt inter Philosophos, qui artem illam ambabus, quod ajunt, manibus amplexi fuerunt, operososque in eam Commentarios scripserunt, non pauci tamen ut rem anxie & obscuræ diligentie damnarunt: e quibus Keckermannus supra nobis nominatus fuit, quem diligentissime refutavit Alstedius in *Clave Artis Lullianæ cap. 4*. * Extat & JOH. DE RIEKA Tractatus, in quo respondet omnibus, quæ hucusque objecta sunt doctrinæ Raimundi. Artis Lullianæ usum per omnia disciplinarum genera, Logicam, Rhetoricam, Physicam, Mathematicam, Mechanicam, Medicinam, Metaphysicam, Theologiam, Ethicam, Jurisprudentiam, barbara quidem dictione pro sui seculi genio, sed magna tamen cura, nec spernendo ingenii acumine, ostendit. * BERNHARDUS DE LAVINHETA, cujus Opera, rejectis illis, quæ ipsi aliena a scopo hoc videbantur, Coloniae Anno 1612. recudi fecit Joh. Henricus Alstedius. Varie autem a multis & interpolata & illustrata sunt illa Lulliana. * PAULUS SCALICHIUS DE LIKA Comes Hunnorum S. Theol. Doctor, ac postea Electoris Brandenburgici primarius Consiliarius, inter cetera Opera *Epistemonis Catholici libris* edidit: ubi libro 12. agit de *revolutione Alphabetaria sive perfectissima ad omne genus scientiarum methodo*; hanc quoque Lullianam doctrinam explicare laborat, sed plus intricare videtur, dum Cabalisticis subtilitatibus miscet, in terminis etiam reducibilibus eorumque oppositis discrepare a Lullio aliisque videtur. * JORDANUS BRUNUS Nolanus, vir ingeniosus, ut ex ejus libro de *Universo & Mundis* patet, & meliore fato dignus, aliqua ad hujus artis dilucidationem scripsit; quæ inter est ejus liber de *progressu & lampade venatoria Logicorum* Anno 1587. editus, & alius de *Specierum scrutinio & Lampade Combinatoria Lullii Doctoris Eremitæ omniscii prope-*

25

26

27

28

29

modumque divini, Pragæ 1588. editus: in cujus præfatione promittit, se propediem sub titulo *Lampadis Cabalisticæ* aliquid permagni momenti in lucem producturum, quod vir ille divinus sub inscriptionibus Auditus Cabalistici & Septemplex arboris
30 occuluerit & obfignarit: quod, an lucem viderit, ignoro. * PETRUS GREGORIUS THOLOSANUS JCrus & Academiæ Pontimuffanæ Professor, *Syntaxin artis mirabilis* ad Lullii methodum quidem scripsit, sed de arte ipsa nihil apud illum habe-
31 tur. * CORNELIUS AGRIPPA *Commentarios* uberrimos in eam artem scripsit, ita tamen, ut magis intricare videatur, & in libro *de vanitate scientiarum* eodem cum ce-
32 teris omnibus loco habeat. * JUL. PACIUS, optimus ille Organi Aristotelici editor, libris quatuor artem Lullianam emendavit, qui Valentia Anno 1618. in 8. editi
33 sunt. * CLAUDIUS CLEMENS, Burgundus, *Prodromum Scientiarum Artiumque liberalium scripsit, ad Peripatetica Scholæ & Cabalisticæ doctrinæ* (ut titulus habet) purissimos fontes revocatum, Venetiis Anno 1651. editum, qui tamen eo in libro intra Logicæ se terminos tenet. An illum Prodromum alii sint secuti, ignoro. Sed hac ratione tri-
34 carum nullus finis erit, si scholasticæ minutia cum Lullianis illis misceantur. * SEBASTIANUS IZQUIERDO *Pharum* quoque *Scientiarum*, vastum librum, edidit, in quo artis hujus campum latissimum ostendit, in quo *de combinatione* aliqua addidit,
35 quæ ingenio non destituuntur. * Ex Hispanis Anno 1613. & 1619. Turiasone in 4to. edidit PETRUS HIERONYMVS SANCHEZ DE LIZARACO, Arragonius, Decanus & Canonicus Ecclesiæ Turiasonenfis *Methodum generalem & admirabilem, ad omnes scientias facilius & citius addiscendas, in qua Raimundi Lullii ars brevis explicatur, & multis exemplis variisque questionibus ad praxin, quod nunquam factum legitur* (sic enim titulus habet) *apertissime reducitur*. Idem, teste Nicolao Antonio, *Artem magnam* similiter *explicatam*; aliosque plus, quam triginta diversarum rerum tractatus, prælo, quod propriis sumptibus domi instruxerat, propediem subjecturus erat; nisi mors
36 editioni curæque intercessisset. * Hispanica lingua de hac arte scripserunt *Augustinus Nunez Delgadillo, Petrus de Guevara, & Joannes Arce de Herrera* Apologiam pro
37 Raimundo scripsit. * *Jaimus Januarius* superiore seculo *Artem Artium Raimundi, & Franciscus Marzal Artem generalem illustratam, Petrus Cirvelo itidem Artem Raimundi* scripserunt. Raimundi Lullii libri ipsi cum Jordani Bruni, Agrippæ & Valerii de Va-
38 leriis *illustrationibus* junctim editi Argentorati in 8. 1617. * Gallica lingua hanc artem quoque proposuit *Nicolaus de Hauteville* libro, cui titulus: *Art de discourir*, Paris. in 12. Anno 1666. Extat & *Ivonis Capuccini*, Parisiensis, *Digestum Sapientiæ* tomis 3.
39 in folio. * Ab aliis laudatos libros, *Cornelii Gemmae Cyclognomica* tribus tomis Antv. 1659. edita; *Egidii Moncurtii* Typum omnium scientiarum in 8. Lugd. 1591. editum; *Bisterfeldii* Phosphorum Catholicum seu Epitomen artis meditandi; *Petri Morestalli* Encyclopædiam ad Artem magnam Lullii, Lugd. in 8. 1646. editam; *Christ. Kriegsmanni* Pantosophiæ sacro-prophanæ, a Raymundo Lullio in artem redactæ, ab ipso eliminatæ ac locupletatæ Tabulam, Spiraë in 8. 1671. editam; nec vidi, nec legi.
40 * *Alstedii* Clavem Artis Lullianæ & veræ Logices, Argent. 1610. in 8. editam, jam suora nominavi, qui magnus Lullii hyperaspistes est. Idem quoque *Criticum* scripsit

psit de *Harmonia Philosophiæ Aristotelicæ Lullianæ & Ramæ*; Herbornæ in 8. 1610. editum. * Saltavit & in hoc theatro ATHANASIVS KIRCHERVS, centum ille 41 doctor artium, qui *artem magnam sciendi seu combinatoriam* scripsit, Amstelodami 1669. in fol. editam. Opere hoc artem illam Lullianam reconcinnare voluit, quæ & inde *Kirchero-Lulliana* dicitur. * Defectus aliquos in illo emendare, no- 42 visque exemplis illustrare laborat, multa alia extemporaliis eloquentiæ & poëseos parandæ *τεχνήματα* venditans; qua de re etiam alii ante illum cogitarunt. Raro enim in via ab aliis non trita ambulat: sed hæc inepta sunt, & ad futilem ac inanem pompam commenta, de quibus nos suo loco. * Compendium 43 aliquod artis Lullio-Kircherianæ CASPAR KNITTELIVS e Soc. Jesu proposuit in libro, cui titulus: *Via Regia ad omnes scientias & artes, h. e. Ars Universalis scientiarum omnium artiumque arcana facilius penetrandi*. Liber Pragæ editus in 8. Anno 1682. & Anno 87. recusus. Multa in illo libro promittuntur singularia arcana. * Primum de arte combinatoria agit, monstratque, quoties inter se 44 numeri, literæ, res; propositiones combinari, & ipsarum combinationum combinationes inveniri possint: quod ille inventionis artificiosæ in scientiis humanis unicum instrumentum vocat. Hac arte omnes figuras earumque modos in Logica, omnes primarum qualitatum combinationes in physicis inventas ait. Eo beneficio Kircherus *Musarithmicam suam*, qua quilibet Musicæ imperitus ad componendi notitiam pervenire possit; item *Polygraphicam Universalem*, qua quis uno tantum idiomate instructus cum omnibus totius orbis nationibus literarum commercium instituere possit; tum *Arcam mathematicam*, qua imperitus ad quævis recondita mathematica respondere possit; deinde *Artificium linguarum, palmari arcula inclusum*, in quo omnes totius mundi linguæ ad unam reducuntur; nec non *Artificium rhetoricum & poeticum*, quo quisque etiam Oratoriæ & Pro- sodiæ rudis orationem & Carmina ex tempore scribere possit, & plurima alia, invenisse dicitur. Verum, quod ad linguarum artificium attinet, hujus inventi primus *Beccherus* autor fuit, qui ante Kircherum *Characterographiam Universalem* scripsit, ac artificium illud poeticum aliquis *Webbius*, Anglus, dudum ante Kircherum exposuit; de quo nos suo loco. * Agit porro de arte Analogica, quæ 45 sane non spernendum usum habet. Comprehenditur illa vero arte ea intellectus operatio, qua, quod Subjecto convenit uni, per analogiam tribuitur alteri, ac fundamentum omni inventioni argutæ subministrat. Izquierdo Translationem vocat. Ejus usus magnus in artibus ac experimentis inveniendis est; quod & Verulamius multis exemplis in *Novo suo Organo & libro de augmentis scientiarum* notavit. * Pro usu poëtico & oratorio in meditando & argutiis 46 adhiberi commodissime præcepta Emanuelis Thesauri possunt, ejusque Index Categoricalis. Agit de Hebræorum Cabala, ac Pythagoræorum prædicamentis, quæ ut obscura ac inutilia rejecit. * Hinc de Categoriarum seu Prædicamen- 47 torum & Locorum Dialecticorum usu agit, & ad artem Lullianam procedit, cujus defectus VII. notat 1. quod per unam literam plura significet Lullius

- (quod ego illum, nec sine ratione, consulto fecisse autumo) 2. quod memoria excellentissima illa vix teneri possint. 3. quod impossibile sit, in hac arte quidpiam præstare, nisi quis jam ante in scientiis versatus sit. (Et hoc ego non pro defectu habeo, sed pro necessario requisito præsuppono, ut ipse Autor in sequentibus p. 90. præsupponit: ad disputandi enim & dicendi finem illæ artes primario inventæ sunt) 4. quod ars Lulliana non demonstret, quot sint combinationes seu conjunctiones possibiles ex terminis datis; (quod ut supervacuum ego consulto prætermisisse puto)
- 48 5. quod non agat de quaternariis ac de quinariis combinandis. 6. quod non rejiciat combinationes inutiles. 7. quod stylus Lullii barbarus. * Tandem Artem Lullianam a Kircherio emendatam ut perfectiorem proponit. Illa vero consistit in eo emendatio, quod nova comminiscatur Alphabetæ, aliis literarum formis alioque ordine, quæ mihi res exigua videtur. Deinde terminos enumerat, ad prædicata tam absoluta quam respectiva, reducibiles: sed ad centum numerum non reduxit; quod tamen ante ipsum fecit *Petrus Gregorius Tholosanus*; qui sub unaquaque litera & cognata & repugnantia collocavit. Differit porro Knittelius de hujus artis usu, qui major sit in libris scribendis, quam in argumentatione subita inveniendâ, quæ multam exercitationem requirat; in probandis & oppugnandis quibuscunque propositionibus
- 49 quarumcunque scientiarum. * Subjungit Tabulam Combinatoriam, in qua per artem combinatoriam principia tam absoluta quam respectiva Lulliano-Kircheriana ita disponuntur, ut ea, quicquid in humanarum, divinarumque rerum scientia lateat absconditum, erui possit. Ejus usum per definitiones, divisiones, probationes, oppugnationes deducit, variisque exemplis, Theologicis, Juridicis, Medicis, Mathematicis, Chymicis, Metaphysicis; Politicis, Moralibus, Rhetoricis, Poëticis; Mechanicis illustrat. * Addit ultimo varias praxes & arcana, ut vocat, quomodo de quacunque re proposita statim librum concipere & in capita dividere, de quacunque re ex tempore differere, argumentari, librum facile memoria retinere, de quocunque themate orationem formare, orationem mentalem per horam, dies & septimanas protrahere, rem quamcumque describere; per apologos & fabulas proponere, Emblemata & Hieroglyphica inventre, cum Grammaticis primordiis philosophiæ naturalis & moralis mysteria addiscere, ingeniose ex libris furari, de quacunque re historias expedite scribere, adversaria de quacunque re facere, majorem librum expedite in compendium redigere, Locos Communes, tum pro differendo, tum pro memorando, quocunque proposito themate in corpore nostro velut stigmata circumferre, de quacunque materia consilia dare, omnes argutias ad unam regulam reducere, assumptum thema in infinitum multiplicare, ex falso rem demonstrare, quidlibet per quidlibet
- 51 probare, possimus. * Quædam ex illis arcanis jam tum JANVS CÆCILIVS FREY in *Via ad scientias, linguas, sermones extemporaneos nova & expeditissima*, libro Parisiis primo edito, & Jenæ ac Arnstadiæ recuso Anno 1674. docuit, qui & titulum libro Knitteliano commodasse videtur. Ejus tamen mentionem a Knittelio factam non
- 52 memini. * Superiore An. 1686. quidam UDALRICVS STAVDIGL, Benedictinus, Romæ edidit *Logicam Practicam*, quam & *Nobilium Logicam* vocat, seu omnium scientia-

scientiarum ac artium organum universale, cui in multis cum Knittelio convenit: nam & de arte combinatoria & arte Analogica agit, & præterea multa immiscet, quæ etiam a Knittelio adducuntur. Partes duas hujus sive Logicæ facit, primam Theoreticam, alteram Practicam. In prima de prædicabilibus, prædicamentis, eorumque tabulis & divisionibus; item de enunciationibus & syllogismo agit. Parte altera agit 1. de Quæstionibus, 2. de Methodo, 3. de Terminis Reducibilibus ad sua prædicamenta, 4. de Dialectica, 5. de arte Analogica, quam explicatius Knittelio proponere videtur: considerat enim Analogiam per comparisonem Substantiæ ad Substantiam, Substantiæ ad accidens, Accidentis ad Accidens. 6. de arte Combinatoria. In eo tamen differt hic a Knittelio, quod pleraque, quæ Knittelius ad Locos Lullianos, ille ad usitata illa Prædicamenta deducat, atque secundum eorum ordinem praxes suas instituat: quod feliciter sane illi succedit, & supra nos ex ipsius Aristotelis consilio commendavimus, & suo loco pluribus eorum usum ostendemus. * Ac possunt sane omnia illa prædicata Lulliana ad prædicamenta reduci, nisi quod in iis prædicamentis, ut in Qualitate, Actione & Relatione, quorum usus in dissertando latius patet, specialiores tituli ponantur; qui si per subdivisiones generalibus titulis suis subordinentur, eodem res redit.

Artem hanc Lullianam, quatenus ad Rhetoricam refertur, operosius, etsi ob-
 scuriusculè persecutus est, ac nova quædam amplificandæ orationis alphabeta invenit, JORDANUS BRUNUS ingenioso certe neque spernendo conatu, cujus non exiguus esse usus possit. Prodit libet hoc titulo: *Artificium perorandi* traditum a Jordano Bruno, Nolano Italo. * Edidit Alstedius Francofurti Ann. 1612. qui in
 Consilio suo de copia rerum & verborum, quod cum Sadileti (Alstedii) omnium Facultatum & Studiorum Censura Argentorati Ann. 1664. prodit; ubi de orationis variatione per Alphabetum Lullianum agit; Schematismum quoque Alphabetorum Jordani Brunni cum aliquot exemplis proponit. * Primum ille loca Enthymematum ad certa
 genera applicata ex Aristotele aliisque Rhetoribus, sed novo quodam modo interpolata, proponit. Parte secunda de copia verborum agit, illiusque artificium per sex Alphabetum tradit. *Primum continet terminos generales* sub locis 26. dispositos, quorum omnia propemodum referri possunt, quæ dici de re aliqua solent. *Secundum est Alphabetum Indumentorum*, quæ vocat Autor, quod non spectant ad orationis materiam, sed tantum ad externam formam. *Tertium est modorum*, qui sunt velut colores, quibus indumenta imbui & exornari possunt. Atque ista duo Alphabetum, secundum & tertium, combinantur. *Quartum est Complicationis*, quod certa quadam tabula combinatoria proponit, quæ notis per longitudinem & latitudinem ductis omnem variandi rationem ob oculos ponit: Alstedius se hanc variationis messem sæpe artonitum adspicere ait. Subjungit hic duo *Alphabetum Practicum*, quorum primum secundum suos locos & titulos contineat formulas oratorias, alterum contineat terminos accidentales, ut notas interjectionis, subjunctionis, graduationis, relationis, differentię, continuationis, quæ ex prædicatis Lullii absolutis & respectivis suppleri possunt. * Et hæc
 quidem

quidem Rhetorica praxis non est spernenda profecto, ac multum habet usum, & nova eloquentiæ methodo, Rhetoricam Aristotelicam & Lullianam complectenti, simulque scientiarum generale seminarium aperienti (ita enim titulus habet) ab Anonymo Parisiis Ann. 1663. in 12. editæ præferenda videtur: nam hic tantum præcepta Lulliana recoquuntur leviter mutata, & quasi in *συνόψεις* exhibentur, ipsa vero praxis & applicatio ad
 58 artem Rhetoricam omittitur. * Fuit & Gallus aliquis JEAN BELOT, qui in libro, cui titulus: *L'Oeuvre des Oeuvres ou le plus parfait des Sciences Steganographiques, Paulines, Arnedolles & Lullistes*, Lugduni An. 1654. in 8. edito, Dialecticum & Rhetoricum artificium secundum artem Lullianam, alia quadam ratione interpolatam, cum mirificis elogiis proposuit. Ejus beneficio ille orationes, conciones, citius quam pyrum vulpes comest, confici, confici, imo ex tempore haberi posse, gloriatur.
 59 * Ceterum argumentorum & enthymematum omnium, quibus ad disserendum uti possumus, fontes & locos felicissime atque uberrime digessit Vir Clariss. VINCENTIUS PLACCIUS in *Excerptis illis Rhetoricarum Accessionum*, integre olim edendarum, una perpetuaque *διασπράσεις* delineans, quicquid vel e locis Dialecticis ad Oratorem pertinet, vel Loci Communes & proprii Rhetorici Aristotelis, ac denique ipsa illa rerum series ac ingenium illi suggererunt: ut profecto merito gloriari possit, nihil apud ceteros inventionum fabros, quantum ad argumenta, novi esse, quod non suis illis axiomatibus contineatur: * Et recte sane judicat, cum ait, *ad scientias non tam multitudinem questionum aut probationum, quam soliditatem definitionum, accuratiorum divisionum & membrorum singulorum suis essentialibus & propriis attributis insigniendorum subordinationem justam requiri: e tanto vero numero inventorum (ut latitant multa) utilia seligere summa difficultatis rem fore, nisi peculiari arte utilia ab inutilibus secerantur.*

61 Sollicitum ea res quoque habuit virum ingeniosissimum & præ ceteris omnibus tam intricato negotio parem GOTHOFREDUM GUILIELMUM LEIBNIZIUM, qui in dissertatione *de arte combinatoria* Lipsi. Ann. 1666. in 4to edita, subtilissimas de hac arte observationes instituit. De arte Lulliana judicat p. 33. quod tota ejus methodus potius dirigatur ad artem ex tempore disserendi, quam plenam de re data scientiam consequendi. Defectus multos illi tum in terminorum numero, nominibus, combinationibus, ostendit; quorum medelam frustra a Kircherò speravit. Titulos subjectorum recte ordinatos ait. Laudat Joh. Henrici Bisterfeldi *Phosphorum Catholicum*, supra nobis memoratum; doletque ingeniosi viri Joh. Hospiniani Steinani Prof. Organi Basileensis, quem promiserat Libellum *de inveniendi. & judicandi facultatibus*, in quo emendationem doctrinæ Topicæ paraverat, locosque recensuerat 180. maximas 2796. insigni rei Logicæ damno interiisse. In arte combinatoria ejusque novis regulis ac præceptis inveniendis multum laborat, usumque complicationum ac transpositionum per univèrsam scientiarum orbem ostendit: nova quoque Artis Meditandi seu Logicæ Inventionis semina spargit. Nam in modis figurisque Syllogismi indagandis, discernendis, miram ille solertiam adhibuit. Inter alia quoque in Beccheri

Polygraphias artificio, supra nobis memorato, defectus notavit; hocque quondam ab Hispano illo, cujus meminit Digbæus *cap. 28. n. 8. de Nat. Cap.* & Caspar Schottus in *Technica Curiosa lib. 7.* consilium fuisse agitarum ait: qua de re tamen apud Digbæum nihil extat. * Elegans quoque est illud Dn. de Breiffac inventum, quod ex 62 Harsdærfferi *Supplementis Schwenterianis part. 2. sect. 10. prop. 25.* recenset, qui omnia, quæ in re bellica attendere bonus imperator debet, ita complexus est, ut novem rotis ex papyro concentricis & se invicem circumdantibus, promota quacunque leviter rota, nova quæstio novaque complexio prodeat.

Multa nova, mirabilia, stupenda nobis inventa promiserat QVIRINUS KUHL- 63
MANNUS, Juvenis ingeniosus, sed ἐν θεοῖς ζόμενος, & nescio quo impetu agitatus, mirificus rerum suarum præco: quæ e longe accuratiore, quam vel Lulliana, vel Kircheriana, methodo, ac divinitus inspirata, profluxisse venditat: & extant quoque *peculiares ejus ad Kircherum de nova illa arte combinatoria Epistola.* De Lullio tamen magnifice ille sentit. *Legimus, inquit, Lullium & relegimus, Lulliumque in ipso Lullio, raro in Lullistis legimus. Nec mirabamur, tam paucos Lullium vix ac ne vix quidem cepisse, multos etiam sanctissimum hominem severioribus obeliscis pupugisse, quia illius lectionem interpretationemque sine afflatu lumineque divino fuere aggressi.* * Ceterum in illis Epistolis mirifica 64
jactat, ac in *Prodromo Quinquennii sui mirabilis* hos librorum titulos enarrat, e quibus sunt: *Ars magna eloquentiæ soluta & ligata*, universali methodo ad omnes Europæ populos directa, quæ *capitis* loco Kircherianæ Combinatoriæ posset inservire; in qua innumerabilis & prope infinita verborum copia per lusum ingenii comparatur, ut quilibet de quavis re vel extemporalia carmina possit fundere, vel copiose, ornate, prompte ad stuporem usque differere: *Ars magna sciendi*, in qua methodo plane admiranda omnes scientiæ proponuntur, ut aliquis hoc unico scripto confusus de omnibus rebus differere possit; quod scriptum Artis Lullio-Kircherianæ *pedes* esse posset, & pro materia habebit Theologiam, Jurisprudentiam, Medicinam, Philosophiam, Philologiam cum artibus Mechanicis: *Ars magna scribendi*, qua docebitur scientias augendi, & methodus facilis librorum, inanium excessum, utilium defectum cognoscendi, illum vitandi, hunc emendandi, tanta perfectione, ut nullus mortalium librum edere posset, quem non ista ars scribendi comprehenderet; nec ullus hominum tam insulso judicio præditus sit, qui hac institutione libros doctos, novos, utiles, omni rerum scientia plenos, levissima opera edere non posset: *Ars magna linguæ discendi*, qua felicissima instituendi methodus in Tomis duobus docebitur: *Ars magna commentandi*, sive commentarius, omnibus Criticis palmam gloriæ præripiens; & ad omne genus scriptorum Romanorum perfectissimus; quod unicum opus tot mille Criticos Philologosque ad unitatem reducet: *Ars magna Critices*, viam accuratam ostendens de omnibus omnis generis Scripto-
ribus judicium formandi & firmandi: *Ars magna, seu Harmonia Adagiorum* omnium populorum, Ebræorum, Arabum, Græcorum, Latinorum, Anglorum, Italicorum, Hispanorum, Gallorum, Belgarum, Germanorum &c. universali methodo ad gloriam usum-
Tomus I. Z z que

que omnium gentium eruta: *Ars magna Historiæ specialis Hominis*, Status Politici, Ecclesiastici, Oeconomici Regnatoris. Tomus I. debet continere totius vitæ, h. e. ingressi, progressi, egressi Synopsin, arte universali elaboratam, omniumque vitarum & rerum gestarum suarum Scriptores & imagines Cæsarum, Regum, Electorum, Ducum, Principum, Pontificum, Cardinalium, Comitum, Baronum, Nobilium, togata sagataque historia illustrium, omnium populorum Europæorum, antiquorum, neotericorum, mortuorum, viventium, ordine Alphabeticò concinnatorum, cum tot specialibus indicibus, quot populi, si indices Ethico-Politico-Chronologicos excipias. In hoc autem Opere omnes Historici ad unitatem reducuntur. Tomus II. possidere debet compendium Eruditorum Europæorum, h. e. omnium Theologorum, Jctorum, Medicorum, Philosophorum, Philologorum, scriptis Græcis, Latinis, Germanicis, Italicis, Gallicis, Hispanicis, Belgicis, Anglicis, Hebraicis, &c. illustrium, antiquorum, neotericorum, orthodoxorum, mortuorum, viventium vitam, accurata brevitate narratam, libros & nominatos & judicatos, ordine etiam Alphabeticò. Indices adduntur juxta materias librorum, ut uno quasi oculo unusquisque perspicere possit, qua de materia quilibet scripserit. Mirandum etiam hoc est, quod alii magnis Voluminibus descripserunt, hoc unico indice longe perfectius hic absolvitur, & ad unitatem reducuntur Scriptores quales quales. Tomus III. enarrat nomina, inventa, Scriptores Artificum Opificumque, in universa historia scriptisque eruditi orbis notorum, neotericorum, antiquorum, omnium populorum, inventis egregiis ad generis humani salutem clarorum, methodo ante dicta. Promittit porro *Bibliothecam Bibliothecarum*, cui cedent omnes Bibliothecæ terrarum, cum omnes in unico Volumine comprehenduntur: Nam Scriptores Theologici, Juridici, Medici, Philosophici, Philologici omnium linguarum, gentium, populorum ex ingenti sua multitudine ad unitatem deperditam virtute methodi universalis reducuntur, generali dispositione: nec de Opere illo (inquit Autor hic) perficiendo desperassem, tanta judicii acrimonia a Deo instructus, nisi Omnipotens consummatione seculi laborem absumeret. Revocamus enim omne scibile ad corpus suum, singulis scientiis proprium, quod universali artificio tam concinne est conceptum, ut cunctos disciplinæ suæ Scriptores possideat, solis indicibus, nedum ipso opere, scriptoribus optimis præstans. Instruitur simul ex corporibus singularum scientiarum specialibus *corpus universale*, iterumque ex istis *corpus corporum Universalissimum*. Addit ad hujus libri commendationem: *Nullus nostratum esset tanta rectitudinis Philologus, Philosophus, Medicus, Jctus, Theologus, qui denegare auderet, quod innumera in hoc Corpore Corporum sibi ignorata non legisset; nec aliquid legisset antea, cujus copia hinc deesset. Et quanquam Corpus Corporum omnium eruditorum diligentiam provocaret, tanta tamen facilitatis esset, ut adolescentis judicii industriaque mediocris captus illud*

65 capit. * In Epistola I. ad Kircherum sub manu se habere dicit *Corpus Juris Civilis Romani*, cui restituet Pandectarum methodum, per tot secula deperditam, artificiosam, subtilem, simplicem, leges maxime illustrantem, & infinitas rixas exortas finientem. * In Epistola altera ad Kircherum ejus artem

66 com-

combinatoriam imperfectionis arguit: Si oretenus tecum agere possem de arte tua Combinatoria, ad oculum ostenderem, quæ tu nondum credis, in ea Lulliana doctrina contraria, imperfecta, nimis operosa, simulque tui amore paucis innuerem methodum facilem simplicemque, in qua si Combinatorium tuum volumen scripsisses, opera longe minore & artem disputatoriam, quam te præcipue intendisse perspicio, generalissime absolvises, & aliena industria mille volumina disputatoria ejusdem magnitudinis ex tua digesta materia elaboranda reliquisses, inventoris laude in millenis his operibus te manente. Nam cum arte magna universali ita comparatum est, ut cum numeris. Sicut enim ab unitate omnis numerus profuit, ipsaque omnium finis iterum existit; sic ab arte methodica centrali omnes ceteræ artes pendent, & iterum in matrem suam se filiae resolvunt. * De Arca Artium Kircheriana non ineptum fert judicium: Video, te 67 cistam consecisse, in varia receptacula distinctam, in qua omnium scientiarum rationes universales & demonstrativæ ad respondendum exhibentur. Verissimum est, puerum, impuberem, idiotamque cistæ tuæ assuetum, posse ex ista ad tot quæstiones respondere, ad quot responsiones suggeruntur. Hæc inventio prorsus ejusdem est notæ, cujus illa, qua Gallus quidam Parisiis Arithmeticam in una rota 37. circulis constante docuit, & Germanus quidam ad 644. quæstiones de distantia urbium inter se, una tabula juxta modum Pythagoreum respondit. Fateris enim ipse, hanc tuam methodum eodem modo, quo Polygraphia & Musurgia tua, constare, in quibus eandem inventionem deprehendo. Sed lusus est ingeniosus, Ingeniose Kirchere, non methodus, prima fronte aliquid promittens, in recessu nihil solvens. Sine cista enim puer nihil potest respondere, & in cista nihil præter verba intelligit; tot profert, quot audit, sine intellectu, ad instar psittaci; & de illo jure dicitur, quod Lacon de Philomela: Sunt verba, prætereaque nihil. Datur autem methodus tam facilis, tam simplex, tam expedita, cujus ope pueri, impuberes, idiota via facilissima in eruditos evadunt, h. e. in scientes, nunquam autem ingenio destituti in prudentes & sapientes. * Multa passim de Rotis suis Combinatoriis 68 jactat, quibus ordinatis unus homo millies mille, imo millies millies mille scribas vincat, qui tamen primarius rotarum scopus non est, sed grandior longe restat: nempe notitia providentiæ æternæ, orbisque terrarum motus. * De Arcano Steganographico Kircheri & Beccheri ita judicat: Omnes suo voto exciderunt, linguarum harmoniam naturalem minime attendentes, maximamque confusionem in linguas introducetes. Scias, vir sagacissime, lingue universali omne Alphabetum linguarum ex asse contrariari, ejusdemque farine esse proverbiales linguarumque propriissimas formulas. His de causis omnes Steganographi, Alphabeti ordinem servantes, proverbialesque dictiones novo artificio superare nescientes, littus arant, universali simplici harmonia amissa. * Hanc artificialem linguam, naturalem, universalem in Lexico Univer-70 sali Harmonico & Corpore Adagiorum Harmonico se traditurum promittit. * In Rhetoricis inaudita nobis narrat: Non pauca artificia Rhetorica deprehendi, a quibus tanta rerum copia dicens impletur, ut singulis diebus ex tempore Orationem realem, singulis diebus Solis propriam habere, & per aliquot mille annos, imo in infinitum sic posset

- continuare.* Artificium Poëticum Kircherianum, quod ille artificio Latinitatis Trithemiano suppar existimat, ego jam supra ab Anglo Webbio propositum demonstravi, recte contemnit: nam *in nullis se speciem, in omnibus rem querere* ait. * De Rhetorica sua variatione in Prôdromo ait: *O Tulli, Tulli: nullus Roscius gēstibus suis tecum certare ausus fuisset, si hanc varietatem sermonis calluisset: non ausus fuisset, si modo unicum nostrum Pinacem Naturalem seu Physicum tentasset.* Unde pater, eadem scilicet via, fortasse tamen accuratori, qua Emanuel Thefaurus, eum usum esse, indicē scil. Categoriō. De hac sua arte amplius ait: *Artem magnam nostram dicendi seu combinatoriam auspicamur, qua ad Eloquentiæ cognitionem brevi acquirendam methodus ostenditur; quod uti inventum novum est, ita quoque ejus subsidio instructus quilibet, de quavis re proposita, infinitis pene verborum combinationibus differere poterit. Kircheri Ars magna sciendi est Ars Artium; nostra Ars magna Dicendi Porta illius est. Quod viatori est Herma, scribe calamus, Geometra circulus, infanti serperastra; id toti Encyclopædiæ Polypædiæque circulo verborum Combinatio sive Ars nostra Dicendi. Video illam (nisi fallor) cum Vespasiano exclamare: ego Nilus sum,*
- 73 *haurite.* * Promittit Artem Apophthemagicam, in qua methodus quedam mirabilis ex Apophthegmatibus Imperatorum, Regum, Electorum, Principum, Comitum, Nobilium, & omnis generis ordinum Eruditorum eruenda, cujus ope homo Germanicæ
- 74 *linguæ solum peritus, de omni scibili copiose possit differere:* * Artem Tragicam, qua XII. Tragedias contineat, præcipuam Romanorum, Græcorum, Germanorum, Gallorum, Italarum, Anglorum, imo Ebraeorum &c. antiquitatem Ethicam Politicamque Aulicopracticam concludens; Græcos, Latinos, Belgicos, Italicos Gallicosque Poëtas Tragicos Germanorum lingua exprimens: in qua simul Tragica artificia, è centro Tragedia inventa, nunquam visa monstrantur. * Artem Comicam, qua XII. Comædias possideat, omnium gentium amœnitates, virtutes, deliciasque docens, qua Comædiam veram Germanicam admiranda methodo prima erit monstratura. * Artem magnam Poëticam, Verificatoriam, Rhythmicam, in qua porta ad Germanicam triplicem Poësin aperienda, multa nullia carminum genera docenda, epitheta plusquam 10000. Poëtica, virtute inventorum novorum Artis alphabetorum eruenda; verbo: in paucis quibusdam tabellis methodus demonstranda tantæ perfectitudinis, ut Teutonica lingua cum omnibus aliis non de copia solum, sed de ipso principatu elaborationis possit contendere
- 77 *facillime.* * Prætereo clavem ejus Æternitatis, Æviternitatis, Temporis, Tractatum de Homine Microcosmo, de Homine Deo, Homine Diabolo, Resurrectione e Natura demonstrata; Tractatum de illustribus seculi hujus Centumviris, Artem magnam Antiquitatis, omnes antiquitates omnium urbium, gentium, populorum universali methodo continentem: Tacitum Politicum, Theoretico-Practicum, nova, stupenda, inaudita methodo descriptum, cujus Tomus prior monita, posterior exempla
- 78 *contineat.* * An crediderit aliquis, unum hominem & quidem juvenem tot laboribus parem, si cetera omnia sibi satis constarent? Hactenus præter titulos illos nil videmus, qui ingenium quidem ostendunt; sed an eventus promissis respondere potuerit,

potuerit, *quid*igo. Multa sunt illic, quæ etiam aliis in mentem venerunt, ac humano etiam ingenio sibi relicto præstari possunt, quæ tamen ille quasi divinitus inspirata venditat. In arte illa Combinatoria & artificio Rhetorico an aliorum labores superarit, vix dixerim. Eosdem tamen fontes adire debuit, ac verum est de illis infinitis variationibus, plurimas illarum inanes esse, ac ad temerariam loquacitatem potius, quam ad veram eloquentiam ducere, nisi quis optimo consilio & iudicio moderetur, quod nullis comprehendi tabulis, etiam accuratissimis, & ἐν Διὸς δέλτων excerptis potest; sed suo quodam arcano ductu optima quæque & aptissima præcipit, ac argumento suo applicat. Quamcunque denique in partem verbes omnem illam artem Lullianam & Combinatoriam, nihil est, nisi Logices quædam propago, qua continetur ars differendi, seu inquirendi ac respondendi de rebus omnibus, quæ & Gassendi sententia est in libro de *Logicæ Origine & varietate cap. 8.* ubi omnem illam doctrinam Lullianam per compendium proponit, ac nihil in illa agnoscit, quod non etiam Logicæ tribui possit. * Verum cum usus ille sit multo 79 maximus, & ad inventionem & verborum & rerum hodegetæ instar esse possit, non dissuasero, ut familiares sibi terminos Lullianos quis reddat: non ut operosas secundum illam seriem dissertationes data opera instituat, sed ut in memoriam sibi revocet, si qua non statim occurrant: quemadmodum in Bucelleni officina *Epi-
thetorum*, vocabulorum sylva, sub pedibus Poëticis ordinata, non commodas tantum voces, sed & novas interdum per tacitam mentis combinationem meditationes suppeditat. * Ex iisdem Analogiæ & artis Combinatoriæ fontibus procedit 80 illud *Fr. Pomey* artificium in *Candidato suo Rhetorices*, quò ex forte fortuna objectis ac substantivis & adjectivis, laudem, vituperium significantibus, & medio modo se habentibus, argumenta educit.

Hoc quoque monitum non spernendum est. ALEXANDRI FICHETI, 81 qui in *arcana Studiorum methodo* cap. 5. hæc habet: *Utere etiam Lulliano secreto; omnia de omnibus dicito, communem locum habeto, quem mutato nomine omnibus ut coturnum tragicum aptes. Nature & Artis & Politicæ partes omnes ut speculum habe præ oculis, & materia, de qua differendum est, adscribe illa omnia. Ita fiet, ut locupletissima redundet oratio. Ita Oratores Græci in Panegyricis Deiparæ, crucis, jejunii & rerum aliarum elogia, definitiones conglobatas coacervant, celum, solem, lunam, astra, Paradisum, ignem, aërem, pluviam, manna, fontem, mare, terram, gemmam, aurum, arborum, phœnicem, Regnum, aulam, thronum, sceptrum, coronam, lucem, vexillum, aciem castrorum, arma, victoriam, thesaurum &c. vocitantes: percurrunt etates, puerorum, virorum, senum; status Regum, Sacerdotum, militum &c. provincias enumerant. Ita Iustitiam in celo, in terris, & ubique rimabatur orator Auspicalibus curiæ feriis. Ita Piseus in suis concionibus aliquid ex singulis disciplinis & linguis in prata sua ut rivos aquarum & salientes derivat. De qualibet virtute dicere licebit ea omnia, que supra dicta sunt, esse fontem bonorum, Regnam rerum, Solem orbis terrarum, virorum robur, ornamentum matronarum. De Rege dices eadem, Deum, Dei Vicarium in terris, basim & columnam status, caput, oculos & cor imperii &c. Sic enim etiam percurruntur partes*

partes humani corporis & templorum, ara, sacra, victima, &c. Varietate tamen erit utendum ut larva, ne ars pateat oculis: loci interni & externi, argumenta, refutationes, motus adhibendi erunt, & figurae; caeque industria magnum dicturis viae compendium erit complanatum: Cyprianus & Tertullianus oratione de patientia locos omnes percurrunt oratorios, efformantque in animis dicendi modum optimum. Præter has serua tibi arcanam artem; quam nulli pandas amulo: vendita & extolle more mysteriorum merces tuas; eas tamen ne vende, sed absconde & secretum prodere noli. Hæc Fichetus, qui Oratori, præsertim sacro, non malum hic consilium suppeditat. * Incredibile enim est, quanta incidere meditationum ac rerum varietas possit, si quis in Themate sacro & verbis Textus præcipue metaphoricis per artem illam analogicam procedat, quod felicissime sæpe a nobis tentatum est. Illud vero in his artibus quis dictum sibi velit, nullum earum usum fore, nisi sufficienti disciplinarum notitia instructus quis prius fuerit, & prompta Latinae linguæ facultate; quod & Alstedius in clave sua monuit his verbis: *nil emolumenti ad te redibit ex hac arte, nisi jam ante sis paulo versatus in studio linguæ Latine. Verba ex Lullio non addices, sed modum differendi. Diligenter igitur excole linguam Latinam, ut eleganti paraphrasi & periphrasi possis tegere barbariem terminorum Lullianorum.*

C A P. VI.

DE

M E M O R I Æ S U B S I D I I S.

- §. I. Memoria in omni vitæ genere usus excimius. 2. Illa vel est naturalis vel artificialis. 3. Memoria singularis exempla in Mazonio, puero Cantabrigiensi. 4. Phantasia admirabilis in puero Italo. 5. Ut & in infante 6. annorum. 6. Memoria artificialis primi natales à Græcis arcessendi sunt. 7. An Cicero illa usus fuerit 8. Talis memoria exempla memorabilia recensentur. 9. Insigne ejus exemplum refertur in puero Corsico. 10. Id quod ad Demonis suggestionem refert Voëtii. 11. Mnemonica Artis Lullianæ propago. 12. Jordani Bruni in hac arte libri obscuro & ænigmatici. 13. De libro, clavis magna dicto, judicium. 14. Obscuritas principiorum artis hujus, 15. E libris Jordani Bruni monstratur, maxime tractatu de arte memoriae. 17. Hujus partis primæ exemplum. 18. 19. Pars secunda recensetur. it. 20. pars tertia. it. 21. recensetur liber ejus de compositione imaginum, ubi novis tricis omnia permiscuntur. 22. Joannes Belot. 23. Ars hujus olim non nisi vivis præceptoribus tradita, ut tanto magis celaretur. 24. Rosseti liber. 25. sqq. Julii Camilli theatrum. 26. 30. Sturmii, 27. 32. Marafioti de eisdem judicibus. 28. Summis laudibus effert illud theatrum Riccius. 29. quod contra Lilius Gyraldus aspernatur. 31. multa cura in theatro fruendo adhibita, nec tamen perfici potuit. 33. Petri Ravematis, Rombergii, Ludovici Dulcis, Laurentii Gihelmi, Matheoli Perusini, Monlei, Bavelini, Alberti, Meyssoneri, Menzingeri libri 34. Alstedii hac de arte scripta. 35. de Azevedo, Gesualdi libri. 36. Hujus Corni

copie. 37. Pegelii artificium. 38. Schenckelii ars Mnemonica. 39. à Ravellino, 40. Curiot interpolata. 41. Joannis Austriaci, Marafoti, Spangenbergii, 42. Autoris Anonymi, 43. Adamii Bruxii libri. 44. In quo consistat ars Mnemonica. 45. Variæ variorum methodi recensentur. 46. Schenckelii novem lectiones hujus artis. 47. 48. In Philosophicis disciplinis rarior ejus usus. 48. Winckelmanni Logica Mnemonica improbat. 50. Königii Mnemonica Geographica per alex lusum rejicitur. 51. In iis, quæ ad phantasiam potius, quam ad judicium pertinent, ars hæc etiam in disciplinis Philosophicis adhibetur. 52. In Codicis sacri, 55. 56. librorum juris, 57. Medicina. 58. 59. historia & in ipsâ universali historia Mnemonices usus. 53. 55. 60. Joh. Bunonis, 54. 60. Winckelmanni, 56. ac aliorum in hoc genere labores. 60. Dieterici 61. & Heinlii Specimina Historico-Mnemonica. 62. Usus in linguis addiscendis contra Beccherum adstruitur. 63. Henrici Schevii imagines pro Hebræa & Græca lingua. 64. Ejusdem vocabularium mnemonicum in lingua Latina. 65. Schickhardi & Warmuthi Lexica Mnemonica pro Hebræa lingua. 66. Idem in aliis linguis fieri potest. 67. Rogeri Baconi triduana in linguis informatio. 68. De qua plura refert & judicat Anton. Wood. 69. Usus in orationibus recitandis. 70. Mnemonica non solum per imagines, sed & alia artificia expediri potest. 71. Expeditissime fit numerorum per verba & literas. 72. quod per exempla monstratur. 73. Qua inventione se jactat Winckelmann. 74. Varia artificia in Orationibus extemporalibus. 75. Quorum ratio exponitur à Jan. Cecil. Frey. 76. Aliud subsidium in casu necessitatis refertur. 77. Mnemonica Notaria Marcelli in Chronologicis, 78. 80. ejusque opera inedita. 79. Uppendorffii Schematismus Geographicus. 81. Ars notaria quid sit. 82. Tironis liber de signis. 83. Ars signorum & Character universalis Dalgarni, 81. Caramuelis, 84. Frischii, 85. Beccheri & Kircheri. 86. Wilkinsii. 87. Ars Tachygraphica. 88. Chartiludia Mnemonica. 89. De iis judicia Berneggeri. 90. Autoris. 91. Sorrelli. 92. Caramuelis informatio compendiaria in linguis, 93. 95. & ars Mnemonica. 94. Berneggeri de tali informatione judicium. 96. Moderatus Mnemonices usus laudatur. 97. Memoria naturalis exercitatione crebra acuitur. 98. Sinistra quorundam de hac arte judicia. 99. De Berneggeri orationibus judicium.

Memoriæ quanta in disciplinarum apprehensione vis sit, quantus in omni vitæ genere usus, nemo ignorat: illa enim promiconda omnis scientiæ est, ac nisi illa bene constituta sit, materiamque judicio subministret, quam subigat, dispenset, ordinet, sterilia omnia erunt & inania, cæteræque animi dotes claudicabunt. Qui civilibus ac divinis studiis, qui etiam naturalibus animum applicuere, memoria opus habent, ut totum illud disciplinarum vastissimarum latifundium animo comprehendant. * Illa vero duplex est, naturalis alia; alia artificialis. Quibusdam naturæ beneficio ea ad miraculum & stuporem promptissima obtrigit: cujus exempla multa, tam vetusta quam recentiora, a multis sunt notata. * E recentioribus.

- ribus memoratu dignissimum exemplum Mazonii est, cujus laudes in Latini *Epistolis part. 2.* a Camillo Palæotto exaggerantur: quanquam dubitat, utrum per naturam, an per artem, talis illi memoria obtigerit. *Quis est*, scribit ille in *Epistola ad Latinium*, *qui vel Etrusci poëtae Dantis vel Eurentis, quem vocant, Orlandi non pagellas modo, sed libros integros, memoriter repetentem audiat, non sumopere admiretur, illique primas ea in re non tribuat? idem is quoque facit in Virgilio, idem in Lucretio, idem aliis in gravissimis Latinis scriptoribus atque Poëtis, quorum nomen fere nunquam audivi.* - Ubinam igitur quæso sunt, qui hæc audeant, aut ab aliis audiant? * Ejusdem rei testis est Erythræus *Pinacoth. I. n. 38.* *Ad omnia*, inquit ille, *quæ ponerentur in percontando, homo abundanti doctrina copiose respondebat ex tempore, Gorgia Leontini more, non eadem elatione animi, qua ille; qui princeps ex omnibus, ut traditur, ausus est in conventu poscere, qua de re quisque vellet audire, sed ingenio studioque majore.* - Nullam enim rem defendit, quam non probarit; nullam oppugnavit, quam non everterit. Neque id incredibile videri debet in eo, cui nihil usquam consignatum est literis, quod non legisset; nihil legisset, quod comprehensum memoria non ~~potu~~ret, unde tanquam ex promptuario aliquo, cum esset opus, singula proferret, & suo quaque loco collocaret. Quamobrem fiebat, ut in disputationibus, cum autoritatibus decertandum esset, integras ex sanctorum Patrum, Platonis, Aristotelis, aliorumque doctorum hominum libris, paginas ita memoriter referret, ut ne unam quidam syllabam peccaret. Videmus in pueris interdum stupendæ memoriæ quasi præludia, ut in illo quadrimo Cantabrigiensi puero, de quo Arnoldus ad Richterum in *Epistolis Richterianis pag. 496.* scribit: *Cantabrigie in Collegio Regine quadrimum & vidi & audivi puerum, lotricis paupercula filium, qui confabulantium cum eo studiosorum opera centena aliquot vocabula Græca & casuum formationes prompta voce & alacri recitabat, breviores quasdam locutiones facile construebat.* * Simile exemplum in infante prodigiosæ phantasiæ narrat *Monconisus in Itinerario Italiae pag. 482.* Sex ille annos natus, qui nec legere nec scribere noverat, difficillimas Arithmeticæ artis regulas resolvere, etiam radicem quadratam & cubicam in ipso, quo illi proponebantur, momento extrahere poterat. Quod adeo prodigiosum a multis habitum fuit, ut in spiritus familiaris suspicionem nonnullis venerit.
- 6 Memoria naturali juvenandæ artificialis inventa est, ac, quantum constat, a Græcis primi ejus artis naturales arcessendi sunt. Simonides, Hippias, Metrodus, Theodestes, eam excoluere, ejusque vestigia apud Tullium quoque videmus, qua ille felicissime in Orationibus habendis usus est.
- 7 * Prolixe de arte ea *lib. 3. ac Herennii & lib. 2. de Orat.* agitur; meminitque aliorum fide Jacobus Lectius, Jctus cultissimus, in Oratione de Memoria, quæ est inter ejus Orationes uno volumine editas octava, extare apud Florentinos Ciceronis Opus, de memoria artificiali inscriptum, quod ipsi tamen fabulosum videtur. Exempla eorum, qui beneficio hujus artis prodigiosa memoriæ specimina exhibuerint, a testibus fide dignis narrantur.
- 8 * *Carneades* omnia, quæ legit, volumina, memoriter recitare potuit. Idem in versibus, quos semel audivit,

audivit, fecit *Theodectes*. *Julius Caesar* legere, audire, quaternas de rebus maximis epistolas dictare, quintam ipse scribere, ac si calamum poneret, septenas pariter dictitare solitus fuit. *Seneca* 2000. nomina semel audita e memoria reddere potuit. *D. Augustinus de Anima & ejus Orig. lib. 4. cap. 7.* insignem refert de quodam suo amico *Simplicio* historiam, qui quoscunque *Virgilii* versus interrogatus recitare potuit, ac integras *Ciceronis* Orationes. Amicus quidam *Francisci Petrarchæ* omnium, quæ legit & audivit, ita memor fuit, ut tempus & locum, quo illa legerit, vel audiverit, post multos annos significare potuerit. *Joannes Picus Mirandula* audita semel a recitante carmina & directo & retrogrado ordine recitare potuit. *Bernardus Lavinhera* refert, se quendam *JCtum* docuisse hanc artem, qua una nocte omnes rubricas decretalium memoriae mandaverit. * Id vero omnem fidem superat, quod de juvene quodam *Corfico* refert testis fide dignissimus & πολλῶν ἀντάξιος. ἄλλων *Muretus Variar. Lectio. lib. 3. cap. 1.* cui cum magnam vocabulorum copiam, significantium, nihil significantium, barbarorum, non coherentium, Marcus proposuisset, ut ille dictando, puer, qui illa excipiebat, scribendo fessus essent, juvenis vero unus alacer ac recens assidue plura, & vel 36000. posceret; ὁ δαιμόνιος ἐκείνος (hoc elogio illum ornat *Muretus*) fixo in terram vultu plane omnia eodem ordine, nusquam prope insistens, nusquam hæsitans, auditoribus stupentibus, reddidit: deinde ab ultimo incipiens sursum versus pervenit ad primum; rursus ita ut primum, tertium, quintum, ac sic deinceps omnia diceret, & quo quisque voluerat ordine, sine ullo errore omnia referret; atque hæc ita animo hæserunt, ut vel post annum ea recitare potuerit. Eam artem *Franciscus Molinus Patricius Venetus* ab eo didicit, qui intra sex septem dies nomina amplius quinquaginta sine ulla difficultate, aut eodem, aut quocunque alio libuisset, ordine recitavit. Addit *Muretus: hæc ego vix auderem literis prodere, mendacii suspicionem reverens, nisi res adhuc esset recens, & Nicolaum Lippomannum, Petri Alexandri filium, Lazarum Mocenicum, Francisci filium, Georgium Contarenum, Laurentii filium, Patricios Venetos optimos & nobilissimos adolescentes, aliosque præterea innumerabiles ejus rei testes haberem: a quibus, si mentirer, vanitatem meam coargui nollem.* * Voëtio plane non adstipulor, qui hæc ad *Dæmonis* suggestio- nem refert.

Quandoquidem ergo tot rebus & speciminibus ars illa nitatur, minime illa spernenda videtur, quicquid etiam alii, qui eam non intelligunt, judicent. * Habent illa artis *Lullianæ* quasi propago quædam, atque iisdem superstructa principiis creditur. Nam cum ordinem rerum præsupponat memoria, ars vero *Lulliana* de rebus omnibus ad certos ordines & classes redigendis sollicita sit, ea quasi per se ex iis consequi videtur, nisi quod alius applicandi modus forte adhibetur. Ipse *Lullius* expressis verbis hoc innuit, suntque qui vel puerum septennem ea methodo per omnia scientiarum adyta se circumducturum cum felicissimo successu promittunt, & quædam ejus rei laudari exempla solent: verum tantis nebulis omnem illam artem, quatenus ex *Lullio* deducitur, involvunt ejus magistri, ut nec *Oedi-*

- 12 pus ipse conjectando assequi possit. * JORDANUS BRUNUS, summi ac profundi ingenii Vir, peculiaribus libris multa de hac arte promittit. Edidit enim libros tres Francofurti An. 1591. in 8. de *Imaginum, Signorum; & Idearum compositione, ad omnia inventionum, dispositionum & memorie genera; &* Parisiis An. 1582. librum de *Umbris Idearum*, implicanti-
 13 bus artem quærendi, inveniendi, judicandi, ordinandi & applicandi ad internam scripturam, & non vulgares per memoriam operationes explicatis. * Refert vero in illis se ad alium librum, *Clavem* quam vocat *magnam*, quæ omnis inveniendi ratio contineatur; quæ an edita sit, ignoro. Sed forte & illa Clavis, si edita est, alia clave indigere videbitur; nam ita de ea ipse Jordanus ait: *qui ex Clavi magna poterit elicere, eliciat: non enim omnibus dabitur adire hanc Corinthum.* Ille vero se hanc artem ad summum perduxisse gradum venditat; nobis, inquit, ita *successisse præsumimus, ut quicquid ab antiquioribus hac de re fuit consideratum, præceptum & ordinatum (quatenus per eorum scripta, quæ ad nostras devenere manus, extat explicatum) non sit conveniens pars inventionis nostræ, quæ est inventio supra modum prægnans, cui appropriatus est liber Clavis magnæ.* Rationem addit: *nobis cum datum est illam invenisse & percipisse, nec locis materialibus (verificatis seu per sensus exteriores) ultra non indigimus, nec ordini locorum memorandorum ordinem adstrinximus; sed puro phantasia architecto innixi, ordini rerum memorandarum locorum ordinem adligavimus.* Idem in arte memoriæ, libro de *Umbris* addita, pag. 10. *Committe communia communibus: minus communia minus communibus; propria propriis; proprioribus atque propriissimis propria atque propriissima.* Hic habes considerandi locum, quo non modo ab omni oblivionis formidine exemptus fias; verum quoque ad perfectiores effigiandi & inscribendi usus, item in ordinando & methodum methodorum inveniundo promptior atque securior efficiaris. Et habes istud modo suo in radicibus primis Clavis magnæ. Idem pag. 33. *ibid. de Clave sua: Modorum quoque, quibus termini adjiciuntur, plurimi & innumeri tibi occurrere poterunt, dummodo fueris in agitatione Clavis magnæ peritus: illa quippe fons est omnium inventionum.*
- 14 Quod ad principia atinet, ea obscurissimis quibusdam notionibus ita involvuntur, ut meris in tenebris versari videatur; qui in illis methodi lucem quærit: pleraque enim allegorica, ac typici termini sunt, unde per longinquam hariolationem mens auctoris indagari debet, cum tamen nexus in illis nullus deprehendi possit ob defectum eorum, quæ viam apprehensioni & combinationi sternant, ordinem turbatum, & occultatas convenientiæ rationes. Quare in libro de *Compos. Imaginum* 2. c. 20. ita de se ait: *Nos quamvis non ita scribamus, ut ab omnibus & per omnia intelligi velimus, vel possimus etiam, nullus tamen est, cui (si attenta fide & fideli ad-erit attentione) juxta sufficientiam cujuscunque, in qua versatus est, disciplina plurimum juvare*
 15 *& aliqua placere forte non possumus.* * Triplex ille *Eus* constituit, *Metaphysicum, Physicum, Logicum.* In divinis seu metaphysicis est *Idea*; in naturalibus forma sive vestigium *Idearum*; in postnaturalibus ratio, quæ in primam atque secundam intentionem distinguitur, quam ille *Idearum* umbram appellat. In his umbris triginta intentiones quærit libro de *Umbris Idearum*, ac rotam constituit 30. elementis & signis

signis in circumferentia notatam, cujus centrum est terra, umbram conicam spargens. Hinc progreditur ad triginta Idearum conceptus, primo simpliciter, secundo cum intentionibus umbrarum complexe concipiendis. Illis subjungit rotam idealium intentionum, iisdem elementis ac signis notatam, cujus centrum est sol. Paucissima verba addit de complexione, quæ fit concursu primæ rotæ cum secunda. *Oportebit, ait, volentem per se ipsum artem generalem ad habitus intellectus, voluntatis & memoriæ captare (licet eam in presentiarum ad memoriæ perceptionem contrahamus) primo callere elementarium primum cum suis significationibus: secundo secundum: tertio secundum deducere per primum. Prima duo nos præstitimus: tertium ipsius industria committimus.* * Illis subnectit Artem memoriæ, qua applicatio & intentionis universalis contractio contineatur. * Verum illa axiomatibus proponitur adeo obscuris, ut ænigmata omnia esse videantur. Parte I. Axiomate XII. allegat librum Clavis magnæ, in quo habeantur duodecim Indumentorum subjecta; Species, Formæ, Simulacra, Imagines, Spectra, Exemplaria, Indicia, Signa, Notæ, Characteres & Sigilla; sed duodecimum omittit: in quibus omnibus parum ego discriminis deprehendo. * Parte II., agit de subjectis; ubi primum subjectum ex principiis Clavis magnæ constituit phantasticum chaos, quod se habere videatur tanquam nubes ab externis impulsâ ventis, quæ pro impulsuum differentiis atque rationibus, infinitas omnesque subire valeat specierum figuras; ita tamen, ut immaterialia subjecta non admittantur, de quibus se in arte artium & facultate facultatum acturum promittit. Agit porro de varietate subjectorum, eorum extensione, distantia (constipatio enim & confusio fugienda, ut in omni scriptura & signatura non literæ super literas, non sigilla super sigilla apponi debent) de subjectorum reperita excursionem, quomodo ex consuetudine habitus acquiratur; ut quemadmodum legentes & cytharizantes de literis & tactu chordarum non cogitant; ita sine magna animi intentione e characteribus illi impressis; qui artem hanc callent, memorare possint. Invenisse enim, ait, viam committendi singulis quibuscunque subjectis integros quosque terminos retinendos, & majora longeque plura, ut ex arcanis magnæ Clavis videri possit. Considerat in subjectis affectivitatem, facultatem scilicet efficiendi cum aliqua varietate, quæ vel ab externa vel interna causa venit, quæ per appositiâ subjecta exprimenda sit. Agit deinde de Adjectis, per quæ intelligit ea, quæ sunt subjecto sive physico, sive tecnico, sive phantastico apposita, ad aliquid per solertem cogitationis apparatus præsentando, effigiando, notando, vel indicando, ad picturæ scripturæque similitudinem exprimendam vel significandam. Figuram hic, sine tamen typo, designat verbis obscurissimis, de qua tamen miracula nos expectare jubet: *Excellentissima pleraque alia per hanc figuram pertractari possunt: sed minime hic locus est. Hoc unum dixerim, quod si attentius eam contemplantur cum rationibus hic explicitis, artem figurativam talem poteris adipisci, qualis non solum memoriæ, sed & ceteris omnibus animæ potentiis, mirum in modum subveniendo conferet.* Illa adjecta ulterius explicat, & per decem categoriâs deducit. * Succedit de Organo tractatio, qua modum exponit, quo anima utitur in recolligendis suis ideis, habetque multa abstrusa *Φιλοσοφούμενα*, ad actum imaginationis & memoriæ

- moriæ declarandum: ubi hoc notabile proponit, quod mora longior non faciat ad
 rei apprehensionem, sed formæ activitas; quæ, quo celerior est, eo magis apprehendere faciat rem sibi objectam. * Tertiâ parte considerat operandi formam, ubi
 20 suam præ antiquis praxin extollit. Duplicem autem habet praxin, verborum & rerum, quam per varias rotas mobiles ac immobiles proponit; quas nemo, ut nec ipse diffitetur, suo ductu intelligere poterit, nisi a vivo præceptore doctus.
- 21 Mire tamen hoc invento sibi plaudit. * Ex altero illo de Compositione Imaginum libro nulla huic inferri lux potest: nam novis illic tricis omnia permiscuntur. In prima ejus parte agit de Subjectorum variationibus, conditionibus, quibus subiecta parantur ac disponuntur: de atriis diversorum generum atque campis. Atria habet, secundum ordinem 24. literarum, viginti quatuor, (quæ alii loca appellant) singula atriorum nomina ab alphabeti litera in ordine incipiunt: ut Altare, Basilica, Carcer, Domus, Equuleus, Fons, Gladius &c. Habet duodecim Adcinentium Cubilia: habet 15. campos. Parte secunda enarrat imagines duodecim principum, qui rerum omnium secundi mediique sunt effectores. Tertiâ parte tractat de triginta sigillis. Verum hæc omnia labyrintho simillima videntur, unde sine Ariadnes filo te nunquam extricaveris; summo enim studio vir ille omnia implicuit & involvit; nos tamen recensere quædam, ex iis, etiam non satis intellecta, volumus, si qui sint, qui hæc *μετέωρα* captare, & in sensum ac ordinem redigere velint: qui si erui ex collatione librorum horum possent, improbus certe labor, nec tamen inutilis, subeundus esset. * Proponit & JOHANNES BELOT, Gallicus Autor, cujus in superiore capite mentionem fecimus, *artem ex Lullio memorativam*: sed & illa est manca & mutila, neque recte secundum certa principia ordinata videtur, quemadmodum Mnemonica illa Bruniana: satis enim patent ejus generalissima principia, sed quæ ex iis deducit, miris inter se nodis contorquentur.
- 23 Sed mittemus viam hanc confragosam & asperam, quam alii planiorem nec istis terminorum sentibus & scrupis oblitam, nobis sternunt. Diu hæc ars non nisi vivis præceptoribus tradita, nec certis comprehensâ regulis fuit, ne scilicet divulgato arcano illa vilesceret; vel ita involuta fuit, ut nullus inde fructus ad lectores promanaret. Non ignorarunt illam e Scholasticis multi. D. Thomas ea usus fuit. Sed plerique eam celarunt. Superiore seculo exeunte multi hujus artis præcepta in publicum ediderunt. * EXTAT COSMI ROSSETTI *Theſaurus artificiosoſe memoriae*, Venetiis A. 1574. in 4to editus. Præcipua vero ejus tractatio versatur in Locorum distributione, figuris rerum, applicatione figurarum ad memoranda, & memorandorum ad figuras. Locorum scilicet sollicita debet esse disquisitio, in quibus assumendis magna autorum est variatio; aliqui naturales, aliqui artificiales præferunt. Metrodorus ex antiquis in iis signis, per quæ sol permagat, trecentos sexaginta locos posuit, e quibus munimenta
- 25 memoriæ quærantur, & rerum imagines animis hominum inferantur. * JULIUS CAMILLUS non ad artem reminiscendi solum. sed & generalem usum locos univer-

universales commentus est. * Mentionem artis ejus reminiscendi facit Hieronymus 26
 Marafiotus in suo de arte Reminiscentiæ libro statim sub initium. Joannes Sturmius in
 libro de lingua Latina resolvende ratione de locis, in quos eam resolveret, sollicitus
 cap. I. de hoc Julio Camillo narrat, quod primus cæperit solvere linguam Lati-
 nam, eamque dividere partibus ipsius hominis: putavit enim, se in homine
 posse invenire omnem ordinem universitatis; & in dividendo homine dissolvere
 & dividere posse omnem copiam & varietatem vocabulorum: in hominis ossibus
 siquidem natura inveniatur terræ; in sanguine natura caloris & ignis; in spiritu
 aër; in urina aqua &c. Postea tamen ipse hanc rationem improbavit, & thea-
 trum instituit, quo universitas naturæ possit videri, digeri, distingui, cumulari.
 * Theatrum illud divisit septem Planetis. In Planetis observavit uniuscujusque 27
 proprietates, quod & fecisse Jordanum Brunum in libro de Compositionibus imagi-
 num videmus. Editus vero est liber illius de hac re lingua Italica, ut Sturmius lo-
 co citato testatur. * Immensæ illius laudes sunt apud Riccium in præfatione 28
 Apparatus Latine locutionis, qui suos defectus suppleri posse credidit hoc teatro,
 quod tum non editum erat. Id à Julio Camillo, inquit, Viri in hac una præci-
 piendi facultate facile principe cumulate absolutum expectare licebit, qui in suo teatro
 ita ad sua capita, vel unumquodque, quod homini in mentem dicere venire possit, ex or-
 dine digestum habet, ut inde vel infanti Latina oratio, in calammum scribenti, quam uber-
 rime constuere possit. Quod quidem divinum opus, ne aliquo maligno fato nobis interci-
 piatur (nam aliquot annos ad regiam voluntatem nobis proferri, æquo animo perferri
 potest) summis precibus à Dñs immortalibus contendendum est. * Sed tamen totum 29
 hoc divinum opus Lilius Gyraldus Dialog. 2. de Poëtis nostri temporis contra Ric-
 cii judicium aspernari audent: Fuit, inquit ille, Julius Camillus Forojulien-
 sis Poly-
 histor, qui in disciplinis novas quasdam methodos se invenisse gloriabatur, ut theatrum
 illud suum, quo miraculose conclusas disciplinas predicabat, ad ostentationem & questum
 potius, quam ad erudiendos credulos adolescentes: unde non modo ab amicis, sed & a
 principibus viris grandem pecuniam interdum extorquebat. Quare tacite pungit Ric-
 cium, virum alioquin Latine doctissimum, qui in epitaphio ipsi scripto voca-
 vit virum ad omnia scientiarum omnium sensa mirifice eruenda, & scientias ipsas in suum
 ordinem apte constituendas nature miræ factum, de Latinis literis imprimis optime meri-
 tum; cum tamen carmina ejus invitis Musis & Minerva composita Gyraldus,
 & recte quidem, judicer; * Sturmius vero optimi judicii in lingua Latina Ca- 30
 millum fuisse fateatur. * In hoc Opere versatus ille fuit annos quadraginta, 31
 nec profecit; nam tanquam mysterium quoddam celavit, ac tandem ab amicis
 ejus, non ab ipso, hæc edita est theatrica ratio. Illam exponere aliquatenus
 ipse Camillus in Carmine ad Petrum Bembum videtur, quod in delitiis Poëta-
 rum Italarum reperitur. Totam sibi displicuisse ait Sturmius, qui fatius puta-
 bat esse sequi ordinem naturæ, aliosque locos commentus est, ad quos ille linguæ
 Latine phrasas referret. * Verum Julius Camillus ad artem memoriæ simul re- 32
 spexit, ut expresse testatur Marafiotus. Julius Camillus, inquit, suæ arti reminiscendi

locum querens, delectabilem illam omnibus curiosis intellectibus theatri sui ideam reperit, quam pro universali loco memoriae habens particularibus distinguit mediis, variisque Deorum imaginibus exornavit, ut eo promptior memoria fieret, quo distinctior sit locorum & imaginum apparentia.

- 33 Non est exiguus eorum numerus, qui hanc artem præceptis suis illustrarunt: nam præter memoratos sunt PETRUS RAVENNAS, qui scripsit librum hoc titulo: *Phoenix seu introductio ad artificiosam memoriam comparandam*. Vincent. 4. 1600. & Colon. 8. 1608. editum. ROMBERGIUS in *Congestorio artificiosa memoriae*, cujus doctri- nam Ludovicus Dulcis sub forma Dialogi Italica lingua Venetiis in 8. 1562. edidit. Laurentius Gulielmus, Matheolus Perusinus, Franciscus Monleus in libris de arte Rhetorica, FRANC. MARTINUS RAVELIN in *Arte Memoriae exemplis aucta*, Franc. in 8. 1615. edita. JOAN. MICH. ALBERTI in *libro de omnibus ingeniis augenda memoria*, Bonon. 4. 1591. edito. MEYSSONERUS in *Pentagono Philosophico-Medico, sive Arte novae reminiscenciae*. Lugd. 4. 1629. edita. MENTZINGERUS in *præceptis de naturali*
- 34 *memoria confirmanda*, Argent. 1568. editis. * JOH. HENRICUS ALSTEDIUS tot artium & disciplinarum faber hanc quoque partem intactam non reliquit. Scripsit enim *Theatrum Scholasticum*, in quo cum aliis proponitur *Gymnasium Mnemonicum* de perfectione memoriae & reminiscenciae, Herbornæ in 8. 1610. editum. Scripsit & *Systema Mnemonicum*, Francof. 8. 1610. *Trigas Canonicas*, quarum 1. est *Artis Mnemologicae Explicatio*, Francof. 8. 1611. editas. * Extat Hispanica lingua scriptus liber D. JOANNIS VELASQUEZ de AZEVEDO *Phoenix de Minerva y arte de Memoria que ensenna sin maestro a prender y retener*, Madrit Art. 1620. 4. Italica lingua Patavii editus est F. PHILIPPI GESVALDI liber, cum titulo *Plutosofia*, qui plenius illam artem proponit, & eorum, qui ante se de hac arte scripserunt, methodum
- 36 examinat. * Idem in *Lectioe IX.* ubi agit de locis per *Circulationem*, qua intelligitur color Rhetoricus, singularem artem & methodum de multiplicandis conceptibus, sub titulo *Cornucopiae* promissit, quæ convenire cum totis illis combinatoriis Lullianis
- 37 videtur. * Promiserat & MAGNUS PEGELIUS, supra nobis laudatus, in illo suo *Thesauro rerum selectarum* pag. 115. *Efformationem perquam pusillam, quam dum certo modo apud te recondis, reddere sive repetere & sic meminisse potes summas rerum, quas seu legis, seu audis, seu animo intentus concipis, sic ut sine mora interjecta ulla e vestigio, vel quando velis & quidem ordine eodem tum &, ut velis, inverso seu retrogardo ordine easdem repetere valeas, etiamsi dicta rerum capita centena vel plura, eaque vel similia, vel utcumque diversa, suo ordine, quocumque oblata fuerint.* Quod an a ceteris Mnemonices docto-
- 38 ribus intactum fuerit artificium, dicere equidem non possum. * Prædierunt Lipsiæ & Francof. 1678. in 8. *variorum de arte memoria tractatus selecti*, quibus perspicua methodo doctrina illa traditur. In iis primo loco habetur *Gazophylacium artis memoriae*, illustratum per LAMBERTUM SCHENCKELIUM DUSIEVIUM: quod sub *Martini Sommeri* nomine Venetiis editum est. Et iste quidem Schenckelius artem hanc passim magno cum successu nec sine insigni suo lucro exer-
- cuit.

cuit. Edidit quidem nonnulla, verum omissione vocalium literarum præcipua artificia obscuravit, quæ tamen ab oculatis deprehendi facile potuerunt. Et extat. *Arn. Backhusii* quædam super illa Clavicula. * Eam quoque artem Schenckelianam ³⁹ *Fr. Martinus Ravellinus* explicatorem dedit, cujus jam supra mentionem fecimus, estque & illa Collectioni Lipsiensi addita. Sunt & libelli exigui, titulo *Schenckelii detecti & rediivi*, editi, quibus Methodus & Praxis Schenckeliana ostenditur. * Hanc Schenckelianam methodum, sed multis accessionibus auctam, Gallica lingua ⁴⁰ proposuit *Adrian. le Quirot*, sub titulo, *Magazin des sciences*; Paris. 1623. in 12. editam. Eiusdem *Schenckelii Methodus de Latina lingua intra 6. menses docenda*, edita est Argent. in 8. An. 1609. * Continentur in collectione illa Lipsiensi porro ⁴¹ JOHANNIS AUSTRIACI, tum & HIERONYMI MARAFIOTI libri optime ordinati, JOHANNIS SPANGENBERGII *Erotemata* etiam illic habentur, minime contemnenda, qui melioris intelligentiæ gratia in hanc methodum simpliciorē artem redegit. * Cæteris tamen omnibus, quos modo enumeravi, præferendus videtur ⁴² perspicuitate & methodo Anonymus scriptor in libro, cui titulus: *ars memoriae localis, plenius & luculentius exposita, quam antehac nunquam, una cum applicatione ejusdem ad singulas disciplinas & facultates*, Lipsiæ 1620. in 8vo edita, qui in Academia Lipsiensi hanc artem docuit, ut ex præfatione apparet, in qua Terrentium in eadem arte magistrum laudat, alterum ævi nostri Simonidem, quem Academia Lipsiensis non semel cum stupore audiverit, aliena, quantum vellet quis, recitantem ut sua. Adhibet in quibusdam locis notas & characteres græcos, ac verba trajecta; sed facile illa detegi possunt: & adjecta est quædam pro eorum explanatione clavicula. Ingenua ejus confessio hæc est: *neminem tam ineptum esse debere, ut ex hac arte sibi speret omnis scibilis notitiam: quod artis quidem respectu non impossibile esse judicat; sed vel negligentiam nostram, vel occasionem, vel vitæ brevitatem impedimento esse, quo minus ad omnium rerum cognitionem pervenire queamus; sufficere, hac arte sibi comparare posse disciplinarum necessariorum absolutissimam notitiam, non necessariorum superficialiam.* * Non parum lucis huic arti attulit ADAMUS BRUXIUS in ⁴³ *Simonide suo rediivo*, seu *Arte memoriae & oblivionis*, Lips. An. 1640. in 4to edita, tabulis comprehensa. Nam omnia figuranda, voces, sententias, tempora. ad certum ordinem revocat, certasque singulis quasi per indicem imagines adsignat, magno usui futuras, qui ad praxin hujus artis se applicabunt. Subjecit *Nomenclatorem Mnemonicum*, quem externa specie puerilem, magno tamen usui futurum dicit. Sed diffimulavit ejus usum, quem paulo sagacior facile deprehendet.

Tota artis hujus ratio in eo consistit, ut locorum, rerum formandarum, ima- ⁴⁴ ginum, connexionis, certa & bene ordinata methodus observetur. * In Locis ⁴⁵ dispendendis magna sollicitudine versantur multi. Loci sunt vel naturales, vel artificiales, de quibus eorumque conditionibus Roscellius, Ludovicus Dulcis multa tradiderunt; sed scrupulosa admodum, neque magno usui futura; in quibus examinandis operosus est *Philippus Geswaldus*, qui, me quidem iudice, omnium accuratissime

- rarissime hanc doctrinam persequitur. Multa enim contra Roscellium & alios de Locorum delectu non sine ratione disputat: locos imaginarios plane rejecit, Locorum etiam naturalium parciolem esse usum vult, sed artificiales omnibus praeferit. Multa hic de sensibilitate, immobilitate, invariabilitate, distinctiōne, numero, diversitate, lumine, quantitate, distantia, successione, solitudine, altitudine, situ, signatione numerica, proportione locorum, ordine motus, personis immobilibus in locis, de locis numerabilibus, locis directis & transversis, locis alternatis, locis in progressu, & regressu, locis per circulationem disquirat, de quibus aliis ne cogitatum quidem vidi. Multa quoque habet de Imaginibus, earumque collatione, rebusque per imagines collocandis. *Johannis Austriaci* quoque in iis laudanda est diligentia.
- 46 * *Schenckelius* novem lectionibus universam artem includebat. Prima erat in vocabulis apprehendendis, secunda in sententiis memoriae mandandis: tertia in librorum ac orationum summaris argumentis recensendis: quarta in vocabulorum non intellectuum apprehensione: quinta in Oratione memoriter recitanda, & ab auditore memoria excipienda: sexta in disputatione & Syllogismis proponendis: septima in collocatiōe librorum, citatiōe autorum, dictatione & scriptiōe diversarum literarum: octava applicatione artis ad omnes facultates: nona & ultima in regulis circa hanc artem in universum observandis. Sed omnia plenius ab Anonymo supra laudato explicantur.
- 47 De arte omni Mnemonica ita ego judico, in iis disciplinis, in quibus e bene ordinatis & connexis principiis omnia deducuntur, supervacuum esse ejus usum: qui enim hic imaginibus juvare velit memoriam, duplici onerabit conceptu, cum simplex cognitio e recte deductis principiis proveniens, per ipsum illum ordinem memoriae se ingerat. Per imagines autem verus rerum nexus confunditur, ac quasi nebulis quibusdam involvitur.
- 48 * Quare nullatenus probo *Stanislai Mink von Weinsheim*, vel, qui sub illo nomine latet, *Winkelmanni* institutum, qui *Logicam Mnemonicam sive memorativam* conscripsit Halae Saxonum Anno 1659. in 12. editam. Cum enim judicii vim potissimum talis disciplina requirat, neque ideo a pueris apprehendi satis possit, ejus per phantasiā novis imaginibus im-
- 49 praeognatam turbabuntur circuli. * Idem de Metaphysica, Physica, Ethica, Politica dico. Studia Mathematica, quoniam in figuris jam tum versantur, stultum esset novis onerare imaginibus: nam figurae ipsae in sensus incurrunt, &
- 50 imaginem intellectui sistunt. * Ineptum itaque est consilium *Königii*, qui *Geographiam* & quidem *Mathematicam* per alexae lusum pueris proponendam suavit, edito eum in usum cum operosis figuris libro, quem Imperatori magno apparatu inscripsit. Ipsae illae chartae Geographicae coloribus suis distinctae Mnemonicum artificium oculis exhibent, in quibus pueros septennes ita exercitatos vidi, ut objecta charta nominibus nuda, qualem *Joannes Strubius* in hunc finem edidit, sine ulla haesitatione loca urbium & regionum digitis signarent. De illis generalioribus imaginibus, quibus Europa virgini, draconi volanti, Africa leoni, Italia pedi &c. comparari solet, nunc non dicam: nam illae phantasiā juvant in regionum finibus

finibus imprimendis, ut stellæ in cælo per certas quasdam imagines signari solent. Neque de nominibus urbium dicam, quæ per imaginum figuras memoriæ commo-
dius insigi possunt. * Ceterum ad omnia, quæ in disciplinis occurrunt, quatenus
in facto consistunt, vel ad memoriæ & phantasiæ potius, quam ad iudicium, re-
feruntur, utiliter adhiberi imagines mnemonicæ possunt. § 1

Sic in facultatibus, quas vocant, Theologia, Jurisprudentia, Medicina, illæ
non spernendæ sunt. Cum enim Theologus in sacro Codice præcipue occupetur, ad
Historiam sacram & argumenta capitum memoriæ imprimenda non parum con-
ferent subsidia Mnemonica; * Cujus specimen eximium ostendit his studiis cele-
bratissimus JOHANNES BUNO libro Germanica lingua edito, Anno 1680.
sub titulo: *Bilder: Bibel.* * Ante illum WINCKELMANNUS generali
aliqua tabula ideam Veteris Novique Testamenti complexus est, libello Germa-
nico, Bremæ Anno 1679. edito, cui titulus *Sontags-Arbeit.* In illis tamen tabu-
lis, præcipue Bunonianis, forte nimiam imaginum constipationem & exilitatem
improbaveris. * Sed labore improbo, non in his tantum, sed & in aliis, vir opti-
mus defunctus est. In Jurisprudentia enim, ubi pleraque constant autoritate li-
brorum juris, similem ille laborem suscepit, quo per omnes juris Civilis, Canoni-
ci & Feudalis libros non solum titulos & eorum nexum, sed & singularum legum
& paragraphorum argumenta per imagines magna & sollicitissima cura expressit.
* Antea quoque Anonymus aliquis *Introductionem Mnemonicam*, cujus beneficio
rubricæ Institutionum & Pandectarum corporis Juris Civilis spatio brevissimi
temporis memoriæ mandari possint, sed sine loco impressionis & tempore ad-
dito, publicavit. Imagines hic satis eleganter depictæ & bene ordinatæ, sed ad
solos ille titulos tantum respexit, non habita numerorum ratione. Alius quoque
NICOLAUS BULACHERUS Lipsiæ tabulas Institutionum summaris ad-
ditis imaginibus mnemonicis edidit. Sed & ille imperfectus labor est. * In Me-
dicina etiam ad Nomenclaturam simplicium prædesse Ars Mnemonica posset. In
Historicis præcipue usus ejus artis se exerit. Habemus in illis Tabulas de IV.
Monarchiis, varie interpolatas & recostas. Quæ enim primum sine Autore cir-
cumferebantur, ab Henrico Schævio, Winckelmanno, Bunone reformatæ fuere. * Winckel-
manni extat *Cæsareologia* cum Tabula Mnemonica, qua Cæsarum nomina & tempora
exhibentur. * Bunone multa de rebus gestis adjecit, per omnes Monarchias &
regna, addita proluxa explicatione. Idem *Historiæ Universalis Ideam Mnemonicam*
alio labore per millenarios & secula deductam in juventuris usum edidit, conno-
tatis iis, quæ ad revolutiones & mutationes imperiorum & regnorum pertinent;
qui labor profecto laudem suam meretur. Usus vero hic est locis naturalibus,
non castris. Quæ cum in omnium manibus sint, illis immorari nolumus.
* Extat in historia artis Mnemonicæ specimen, a Johanne Theodoro Dieterico,
puero, undecimum agente annum, exhibitum, qui Historico-Chronologicam
seriem a Julio Cæsare usque ad regimen Ferdinandi III. memoriter in publico
confessu recitavit, ductu Winckelmanni, quod editum est Gieslæ Hassorum Anno

1653. Aliud specimen hujus artis e Schola *Bunonis* exhibitum narrat *Frommannus*
 61 *de Fascinatione lib. 3. part. 4. sect. 1. cap. 4.* * Tale specimen Historicum a conditu
 orbis usque ad excisionem Hierosolymorum, per Titum Vespasianum factam, in
 Academia Rostochienfi *Johannes Heintz*, Holmia Suecus, beneficio hujus artis, &
 ductu *Caspari Clofen*, qui & in præfat. ejus speciminis laudat *Petri Laurenbergii* in-
 stituciones Mnemonicas nondum editas, dedit, quod editum est Rostochii
 Anno 1660.

62 In Linguis addiscendis non contemnenda sunt Mnemonica subsidia. Beccherus
 quidem in Methodo sua didactica nullam hic Mnemonices rationem habet, ac
 laborem *Bunonis* aspernatur: putat enim, radicibus cognitis derivata facili nego-
 tio addisci posse, si literas initiales & terminationes, quis in ordinem redigat.
 Syntaxin quoque levi negotio in compendium reduci posse. Quod aliqua qui-
 dem ex parte verum est. Neque ego in Syntaxi, quæ ex naturali quadam combi-
 natione dependet, aut in derivatis, magnopere Mnemonica artificia quæsierim.
 Sed in radicibus tamen cujuscunque linguæ ediscendis illa usui esse possunt.
 63 * *Hebraicarum Radicum & Græcorum primitivorum seriem bene inventis & or-*
 dinatis imaginibus olim *Henricus Schævius*, meus quondam Præceptor, vir ingenio-
 sissimus, deduxit, quas etiamnum possidet *Egidius Neudorffus*, Scholæ Heidenfis
 64 in *Dithmarsia* Rector, verus e condiscipulatu amicus. * Idem *Schævius* in lin-
 gua Latina *Vocabularium mnemonicum* edidit, characteribus rubris nigris & mixtis
 distinctum pro trium generum cognitione. Alii aliis artificiis mnemonics extra
 65 imagines feliciter usi sunt. * Ita *Schickhardus* in Horologio Hebraico artificio al-
 lusionum usus est, ac Collega noster honoratissimus, *Matthias Warmuthus*, Hebrai-
 carum radicum Lexicon perpetuis allusionibus ex aliis linguis adornavit, quibus
 66 tirones cum optimo successu eas apprehendunt. * Idem in aliis Græca ac La-
 tina lingua fieri potest; & notavi ego voces e Germanica & vulgaribus linguis
 adeo Græcis & Latinis esse affines, ut facillimo negotio ex earum similitudine ad-
 disci possint. Quæ res non ludicrum tantum, sed & maxime serium usum ha-
 bet: nam illa affinitas e secretis, atque maxime philosophicis ac naturalibus, cau-
 67 sis orta est; de quo alio loco plura. * Incidit hic, quod *Antonius Wood* in
 Historia & Antiquitatibus Universitatis Oxoniensis, lib. 1. ad. Ann. 1292. memorat e
 MSro libro consummatissimi suo tempore philosophi *Rogeri Baconi*, quo Joannem
 Londinensem, discipulum suum, *Clementi IV.* commendat, qui hæc de
 se ipso narrat, quod, ex quo Alphabetum didicerit, annos quadraginta in scientiis
 linguisque acquirendis posuerit, totoque illo tempore, exceptis duobus quibusdam amicis,
 & labores infinitos exantlaverit, & impensas tamen haud minores fecerit: posset tamen
 quadrante vel ad summum dimidio anni virum sedulum & literarum tenacem tota
 sua eruditione imbueri; modo ipsi tabulas aliquot analyticas conficere liceret: quas
 discipulus ille suus & in initio sequeretur, & subinde consuleret. Imo in dubio non po-
 nebat, quin assidue diligentia viro præmonstraret, quæ ratione vel trium dierum spatio
 tam perfectam linguæ Hebraicæ cognitionem nancisceretur, ut exacte comprehenderet,
 quic-

quidquid sancti Patres virique olim sapientes in dilucidando sacro Textu scripserint, * Ad- 68
 dit Antonius Wood: adeo non Horologii Hebraei primus inventor Schickhardus. Por-
 ro autem & quicquid ad sacrum eundem textum emendandum pertinet, se promisit ostensu-
 rum. Quin etiam spondit, tres tantum se dies deponere ad aliquem in lingua Græca sic
 erudiendum, ut quæcunque non tantum de materia Theologica, sed & Philosophica
 conscripta sunt, clare innotescant. Prostatet in super, unica se hebdomada Geometriam,
 altera vero Arithmetica penitus aperturum. De iis promissis vero Autor ita ju-
 dicat: hæc an viis vulgaribus præstiturus esset, an vero methodo Trithemiana, hoc
 est, Steganographia & Polygraphia, neque mihi satis constat, neque ipse explicat Baconus.
 Forte & in hoc Baconus ad artem Mnemonicam respicit, quæ ista tempore in-
 ter mysteria custodiebatur. Quomodo linguæ vulgares facili via per Latinam
 addisci possint, monstrat Winckelmannus in Proteo suo, Oldenburg. 1657. lingua
 Germanica edito, pag. 121.

In Orationibus, quæ ad Principes & ad populum habentur, magno illa ars 69
 usus est. Sive enim memoriter a nobis aliqua recitanda sunt, adjumento erit
 in iis retinendis; sive respondendum ad illa sit, quæ alii proposuerunt, etiam hic
 illa locis & imaginibus suis, veluti quibusdam characteribus, succurret: quam
 ob causam Oratori Ecclesiastico & Civili vehementer prodesse poterit. Et sane
 obtineri potest continuo exercitio, ut in hac arte exercenda adeo promptus
 quis sit, ut perinde ipsi sit, an legat orationem, an e characteribus ac imaginibus
 animo impressis recitet. Quod in lectione literæ præstant de verbis, hoc in re-
 citatione imagines præstant de sensibus: una enim imagine integra periodus com-
 prehendi potest. Ergo quo quis felicior ac promptior in imaginibus concipiendis
 de re memoranda erit, (quod exercitio modico facile ab homine, qui ἐν Παν-
 τασίωτος est, impetrari potest) eo expeditius sine ulla hæsitazione, quasi ex charta
 legeret, recitabit.

Sunt præter imagines & loca, quæ aliquam curam & molestiam requirunt, 70
 alii quædam artificia Mnemonica non sane contemnenda: neque enim refert, utrum
 in imaginibus, an aliis characteribus, connexio illa rerum concipiatur. * Expeditis- 71
 sima est numerorum per literas exprimendorum ratio, quæ literæ verbo aliquo
 memoriali comprehendendi possunt, quod connexionem cum re, cujus reminiscencia
 quæritur, habeat; quod inventum centum boum mactatione dignum vocat Win-
 ckelmannus in suo Horto & Arbore Philosophiæ pag. 118. * Ira in Historicis solent an- 72
 ni mundi vel æræ Christianæ, vel ætatis Imperatorum, certo aliquo verbo memo-
 riali exprimi, quod valde commodum est. Ea ratione Henricus Schævius per apposi-
 nem verborum memorialium Titulos Digestorum & Codicis eorumque numerum
 memoriæ imprimit: ego illud in Institutionum & Decretalium titulis tentavi. Quis
 enim, cum audit titulum *Locati conducti*, non facile reminiscatur vocis *Pascha*? quia
 a Paschatis tempore illi contractus iniri solent. Et hic PS significat numerum li-
 bri, litera C numerum tituli. Titulo de termino moto jungitur vox SynCoPe.

73 Syncope de medio tollit, ita & lapis, qui terminum notat, de medio tollitur, & in illa voce literæ SN significant librum, literæ CP titulum. * Hac inventione adeo se felicem prædicat Winckelmannus, ut in hæc verba erumpat: *Maxime a te peto, ut si hoc omnium scientiarum secretum intellexeris, perpetuo serves occultum, nec mysterium tam mirandum transfundas in indignos. Porci enim non sunt unionibus exornandi, nec pretiosis onerandi margaritis.* Remittit quoque ad *Relationes suas ex Parnasso, de Arte Reminiscentiæ*, Gieslæ in 12. Anno 1661. editas, ubi plura de usu Alphabeti numerici habet. Aliam quoque & expeditiorem per literas numerandi rationem idem pag. 220. *Horti sui philosophici* proponit, de qua ita ille: *Modum habeo, quo numerum omnem sufficienter & literis paucis consignare potero & scribere; latent in singulis passibus plura mysteria, ut quanto ex his majora inveneris, tanto restent ampliora inveniendæ. Via paratur tibi incipienti, in qua proficenti non est difficile successu temporis invenire multa rara & maxima.* Non explicat vero ille, ad quos præterea usus numeri illi literarii applicari possint, quod forte sibi secretum servavit: Nisi forte etiam res illis numeris per hypothesin aliquam notatæ revocari simul in memoriam possint; quod forte in circulis illis Lullianis Subjectorum, Prædicatorum, Quæstionum, quæ novenario numero, ut numeri ipsi, comprehenduntur, observari posset. In lectione librorum, si paginas aut capita memoriæ imprimere velis, forte etiam usus illorum esse poterit. *Johannes Buno* in variis 4 quoque libris suis Mnemonicis feliciter talibus literis usus est. * In extemporalis Oratione memoriter recitanda literis & vocibus quasi signis & characteribus uti docet *Janus Cæcilius Frey* in *Via ad Scientias*. cap. 1. *Sume, inquit, tibi versus aliquos, aut orationem novissimam; v. g. versus Virgiliti: Arma virumque cano &c. vel aliquem psalmum notissimum, aut orationem Dominicam Pater noster &c. Jam igitur prima periodus incipiat a primo vocabulo Pater; secunda periodus a vocabulo noster; tertia a vocabulo qui es; quarta a voce in cælis & sic deinceps.* Oportet autem tales voces materie, de qua diciturus es, applicare, similitudine aliqua aut dissimilitudine instituta, v. g. sit loquendum de Pythagora, ita fieri potest: *Pater omnis sapientiæ humanæ & divinæ meritissimo jure censendus est Aristoteles. Noster Orbis nostraque monumenta, nostrique auctores hujus rei & veritatis amplum ubique dant testimonium, & referre facile foret. Qui es inter Græcos eloquentissimus estimatus Demosthenes, Isocrates, & tu, Marce Tulli, qui es disertissimus Romuli nepotum, annon ubique id fatemini? In cælis non tot micant stelle, quot honorificis testimoniis de Pythagora libri sunt referri. Quo facto impossibile est, humanitus loquendo, memoriam fallere, quamvis in longissima oratione. Imo brevissimo momento repeti potest longissima quamvis oratio.* Cap. 2. proponit literalem & syllabicam memoriam: *Vocabulum aliquod sige, aut potius vocabulum notum accipe, cujus literæ aut syllabæ tibi representent primas literas aut primas syllabas materie, quam proferre tibi constitutum est; v. g. sit mihi loquendum de Alexandro, Romulo, Mercurio, Orpheo, sumam hoc vocabulum armo. Ergo A significat Alexandrum, R. Romulum, & sic deinceps; vel sit mihi loquendum de Argonautis, de Mari, sumam hæc vocabulum, Arma. Itaque prima syllaba refert vocabulum primum, secunda secundum.* Idem 75 quoque a Schenckelio & aliis Mnemonicis Scriptoribus notatum vidi. * Quod
part.

part. II. cap. 9. Jan. Cecil. Frey proponit, præter reminiscentiam verborum, inventionis rationem exponit: nam quia perpetuus rerum analogismus est, ideo e certis cujusdam versus verbis meditata sua perpetua applicatione depromet ad dicendum plane imparatus. Ut de mente auctoris constet, locum totum apponam: Præceptum hoc apprimè utile concionatoribus, Advocatis aut aliis, quibus ex tempore aliqua habenda oratio, non præmeditatis: Et quo præcepto habitus admirabilis est jam regnanti summo Pontifici Religiosus quidam, a quo coram collegio Cardinalium concionaturus, in ipsa cathedra, petiit ut thema daret concionis; quo dato, ex tempore omnibus admirantibus concionatus est. Præceptum autem hoc est per dho instrumenta dialectica, scilicet similitudinem Et dissimilitudinem omnium rerum. Omnes enim res aliis sunt similes Et dissimiles propter analogiam. Itaque de quacunque re sive termino simplici sive propositione, discurrendum est, accipe aliquem versus notum, v. g. Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris Et c. Jam sit mihi discurrendum de Deo, de femina, de diabolo, de literis; statim, præsertim si aliquis habet aliquam cognitionem rerum, sese offerunt similia, v. g. per arma, graviora bella ferme sunt pro Religione Et Deo. Item maximo- rum bellorum cause fuerunt mulieres, ut Helena Et Penelope Et c. Jam similitudo est inter virum Et Deum. Servire enim Deo regnare est. Jam de feminis constat; vinum enim Et mulieres faciunt apostatari sapientes viros. Per cano, Musica, hymni Deo gratissimi. De femina, Sirenes quot Et quales deceperunt? Per Trojæ, Respublicas Et regna Deus aufert; debet pro libitu, ut Trojam, Babylonem. De femina, Helena, ruina Trojæ; Penelope Procorum Et c. Et sic ordine per omnia licet differere de omnibus. De- bent autem similitudines istæ considerari, quod Vetus Testamentum nil aliud sit, quam similitudo Et figura Novi: Et hodie sunt, qui totum Plinium in morali suunt. In hoc tota ars fuit Advocati illius ALARI: Et hodie ferme omnes conciones in istis consti-
stunt. * Novi, qui hoc artificio utantur, ut periodos periodis semper conne-
ctant, transitum commodum suppeditante ultima periodi voce, sive illa subje-
cti sive prædicati vicem subeat. Quoniam enim nulla vox est, quæ non alia
vel suo ambitu comprehendat, vel ab alio comprehendatur, sub notione ge-
neris, speciei, totius, partis, causæ, adjuncti &c. aut alio quodam modo affini-
tatem, similitudinem ac dissimilitudinem cum aliis habeat, facile ab aliquo ver-
borum promptu coagmentari periodi periodis possunt, atque ita quaecunque
orationis filum texti, modo id attendat talis Declamator, ut, quoad fieri possit,
enthymematicis transitionibus utatur, quæ ratiocinationis aliquam speciem præ
se ferant. Sed illa inter præstigias artis oratoricæ referenda, neque a viro cor-
dato adhibenda, nisi aliquo necessitatis casu.

Signis & characteribus quidam etiam feliciter utuntur in conceptibus ex-
primendis loco imaginum; cujus rei exemplum elegans nuper dedit in Chro-
nologicis ~~Marcellus~~, Parlamenti Parisiensis Advocatus. Edidit ille libellum exi-
guum, Amstelodami 1686. recusum, sed in quo multæ tamen historicæ noti-
tiæ per signa exponantur. Titulus est: *Tablettes Chronologiques*; in quibus a

- nativitate Christi ad nostra tempora per seriem seculorum Chronologia deducitur; ita ut quaelibet pagina seculum absolvat, eademque secundum regna listis distributa sit, cum numero annorum regiminis. Ab altera parte nomina secundum Alphabeti seriem posita, signis quibusdam notata sunt, quæ mortem naturalem vel violentam, potentiam, tyrannidem, imperii novi constitutionem, sapientiam, crudelitatem, fortitudinem, mollitiem, eruditionem &c. indicant; quæ omnia uno quasi intuitu patent. Eodem modo *Tabulas ille Chronologicas Ecclesiasticas* edidit Amsterodami Anno 87. recusas in 8. quibus ille notis, quarum numerus ultra 40. excurrit, significat valorem Conciliorum, eorum rejectionem, dignitates Cardinalitias, Archiepiscopatus &c. Fundatores Ordinum, Religiosos, Interpretes Scripturæ, Hæreticos, Prædicatores, Casuistas, Juris Canonici Scriptores, Historicos, Philosophos, Mathematicos, Oratores, Poëtas, Scriptores dubios &c. ut ita paucis pagellis multa omnino hoc Compendio comprehendat. Scripturæ
- 78 sunt illæ Tabulæ lingua Gallica. * Promisit & alia, quæ ad artis Mnemonicæ specimina referri possunt, *Tabulas scilicet Cosmographicas*, continentes descriptionem
- 79 nem exactam omnium mundi partium, cum particularibus illarum. * Aliquam hujus consilii partem jam tum ante executus est *Johannes Uppendorffius* in *Schematismo suo Geographico*, Rigæ edito, in quo certis signis sedes Imp. Regum, Electorum, Ducum, Archiepiscopatus, Academiae, Parlamenta, Urbes imperiales, Han-
- 80 featicæ, Emporia &c. notantur. * Promisit idem *Mundum Arithmeticum*, in quo triplex humano commodum proponitur. 1. *Literarum & vocum sua cuilibet auxiliante patria lingua terrarum ubique facilis & enucleata communitio.* (De illo invento jam tum *Beccherus* & *Kircherus* cogitarunt.) 2. *Ordo censendi populos, exercitus, uno regna, quantumvis numerosissima, brevi tempore.* 3. *Citata per æra decursiones, ab antiquis frustra vel levi commodo pro signis duntaxat militaribus tentata, nunc classiariorum ignium, tintinnabulorum & ceterorum id genus opera pro quolibet jussu, tam politico quam militari, perfecta.* Scribet Tractatum de similitudinibus, ex quibus efficiuntur notitia rerum. Quid sit illud, quo meminimus, & quam habeat vim? *Literarios Prodromos, sive jucundissimam memoria vel judicii, tam in pueris quam in adolescentibus; preparationem, lusibus & exercitiis juxta mentem D. Hieronymi in epistola ad Latam viduam illustratam.* Opus cum machinis. Gallica lingua promisit libros: *Amphitheatrum Principum*, in quo per machinas informatio magnatum proponitur: Tractatum de notis & figuris, qui reducuntur in quinarium, & quibus modo breviori, distinctiori, quam per literas, representari possunt omnes cogitationes, etiam arcana & abstractæ. Ubi in lucem illa mittentur, judi-
- 81 cari de illis poterit. * Talia artificia etiam si ad artem Mnemonicam referenda, tamen peculiari nomine *ars Notaria* vel *Notatoria* dici solet, qua per notas breves multa significantur. Apud Sinenses viget illa ars, qua verba & sensus uno aliquo caractere exprimuntur. Talem *Notariam artem* promisit *Caramuel a Lobkowitz*.
- 82 * Romanis quoque talis in usu ars fuit, qui per sigla sua dicentis verba assequi
- 83 poterant, extatque *Tironis* de signis illis liber. * Apud Anglos *GEORGIUS DALGARN* *Artem Signorum* scripsit, Londini An. 1661. editam, in qua characterem uni-

universalem, sive linguam Philosophicam, fundavit, qua homines diversissimorum idiomatum, spatio duarum septimanarum omnia animi sui sensa non minus intelligibiliter, sive scribendo sive loquendo, cum aliis communicare possint: praeterea etiam juvenes Philosophiae principia & veram Logicae praxin citius & facilius multo imbibere, quam ex vulgaribus Philosophorum scriptis. Adjecit & Lexicon Grammatico-Philosophicum una in tabula repraesentatum, quo Methodo Praedicamentali omnes res exhibentur cum adjectis vocibus & signis confictis. * Cum hac intentione convenire videtur *Ludovicæ illa Lingua*, quam auspiciis Po- 84
tentissimi Galliae Regis, Ludovici XIV. moliebatur JOACHIMUS FRISICHIUS, Gymnasii Rigenfis Professor, cujus ideam aliquot ille foliis Thorunii Anno 1681. edidit. Principia, ut ipse in titulo habet, e Theologia, Mathesi, ceteraque Philosophia; nec non arte mnemonica sunt petita, & in classes Entium distributa, non modo linguarum jam existentium voces in sua formalitate essentiali aut accidentaliter, proximaque cum rebus convenientia & differentia dijudicantur; sed & nova lingua naturalis, rationalis, universalis & quasi primæva omniumque facillima concinnatur. Sed huic labori fata intercessere. * Commune aliquod in omni 85
lingua literarum commercium per numeros instituit *Beccherus in suo charactere pro notitia linguarum universalium* Francof. Anno 1661. edito, & *Kircherus in sua Polygraphia*. * Multum huic studio laboris quoque impendit JOHANNES 86
WILCKINS in vasto libro, quem de *Reali Charactere & Philosophica lingua* Londini Anno 1668. in folio edidit. Magna ille cura rerum classes distribuit. Qua ratione etiam illis prodesse poterit, qui rerum illa ordinatione inventioni aliquod subsidium ex analogisino petunt. * Pertinent & ad hanc classem, qui *artem* 87
Tachygraphicam vel Brachygraphicam docuerunt, de qua aliquot libri apud Anglos & Belgas prodire.

Solent & a quibusdam commendari pro memoriae subsidio certa *Chartiludia*. 88
* Meminit Berneggerus *Orat. 2. de paranda doctrinae modis illegitimis* supra laudata, 89
alicujus *Chartiludii Logici*, ante centum annos suo tempore confecti. *Hujus farinae*, inquit, *videri queat Monachi cujusdam, Ordinis Minorum, Thomæ Murneri, Argentoratensis, Doctoris Theologiae, chartiludium, scriptum annis abhinc centum, & quod excurrit: cujus ope intra spatium unius mensis etiam indoctos ac rudes artis Logicae ad miraculum usque peritos effecisse se jaecat, ut suspicio suboriretur, aliquid magicarum artium intervenisse. Pollicitus etiam est, se daturum quatuor libros Institutionum Justinianearum in similem chartularum lusforiarum formam redactos. Quo preclaro munere an Studiosos Juris haecverit, mihi non constat; nec enim vidi. Logicum chartiludium, stoliditatem artis vanissime detestatus. Recte hac quidem in re Berneggerus judicat. * In- 90
epris talium mechanicorum inventorum in disciplinis usus est, praesertim in Logicis. Nullus enim rerum nexus est. In sententiis vel vocabulis aliquibus addiscendis, pueris forte utilia esse poterunt. Ergo non demum a Gallis haec chartiludia nostro tempore inventa, qualia ego *Geographica* vidi. * Illi enim 91
haec pro informatione Principum commendarunt, a quibus recte dissentit Sorrellus*

tellus in Scientia sua Universali Gallice scripta tractat, ultimo illius libri, cujus verba hic apponam: *On peut dire le mesme de quelques Methodes que l'on a trouuées pour reduire la Cosmographie, la Geographie, la Chronologie & l'Histoire, mesmes la Logique & autres Disciplines, en des jeux de Cartes. Si l'on se serroit seulement d'abord de ces sortes d'inventions, on ne seroit qu'embrouiller l'esprit des enfans; Lors que l'on voudroit apres les instruire tout de bon, ils croiroient toujours jouer, & parleroient plustost de Jeu que de Science. On ne sauroit aussi apprendre beaucoup de choses par une maniere si contrainte, d'autant qu'une Carte ne peut porter qu'un nom, & quelques qualitez sans rien approfondir davantage; D'ailleurs, il semble indigne de la majesté des Sciences de les traiter si bassement. Que si la methode en est estimée ingenieuse, & si elle sert de recreation ceux qui ont reçu d'autre part une instruction plus forte; il ne faut point esperer que ce soit de la fraye erudition procede.*

- 92 Multa quoque memoriae subsidia promittit JOANNES CARAMUEL LOBKOWITZ, mirificarum disciplinarum Architectus. Nam in Catalogo operum suorum, quem ipse publicavit, quique in Bibliotheca Scriptorum ordinis Cisterciensis reperitur pag. 179. ubi Grammaticam suam Latinam nominat, ait: *Puto formam totius Linguae Latinae a clari ingenii juvene posse hora intelligi, & mense addisci, si ista novae institutiones admittantur. Puto materiam felicius acquirendam, si etiam*
- 93 *ante tradetur. * Tradatur prius lingua materna ex arte & regulis, quam unusquisque addiscere posse videtur una hebdomade; & si hanc semel alte percalleat, poterit quodcumque aliud idioma acquirere uno aut altero mense. Haec ille quidem magno hiatu pro-*
- 94 *mittit, & supra Rogerus Baco non nisi triduum postulaverat. * Sed Berneggerus in laudata oratione fallacem hujus rei eventum notavit: Non ita multis abhinc annis talem quendam subita doctrina magistrum in hac urbe vixisse nosis, qui ut posset jejuna supplicium vitae tolerare, famemque solari suam, ausus est Graecae linguae unius alteriusque septimane spatio parandae notitiam pacto certo pretio promittere. Et invenit ille quidem aliquot adolescentes credulos, penesque dixero stultos, qui se ei dederunt in disciplinam & exploraturi, quid ferat hic dignum tanto promissor hiatu; quos postea tamen eminentis oculis, veluti corvos hiantes, egregie delusit, & cum carnem peterent, ne carnis quidem umbram*
- 95 *ostendit. * Idem tamen Caramuel de arte memoriae ita judicat eo in loco, quo novam se memoriae artem traditurum promittit: Puto artem memoriae altera indigere memoria; interim quid alii dixerunt & docuerunt, examino & methodum commodissimam trado, qua possit juvari memoria.*

- 96 Ut tandem hanc de Memoriae subsidiis tractationem concludamus, tenendum est, in rebus, quae ad memoriam proprie pertinent, historiis, factis, lectione librorum, orationum recitatione, insignem posse esse hujus artis usum (quam ob causam non inepte suadet Schefferus in Graphice pag. 23. pueros in pingendo mature erudiendos;), in disciplinis vero firmiorem ab ipso rerum nexu & ordine memoriam expectandam.
- 97 * Denique non desunt, qui etiam naturali memoriae plus virium accedere quotidiana exercitatione posse existimant, quemadmodum e palaestra semper habi-

habiliores pugiles recedunt; & continuo usu etiam membra novum robur acquirunt: præsertim si non obruatur confusa multorum lectione, quæ nulla certa post se ducit vestigia, & firmiora & altius imprimenda, si eadem semper ducuntur eodem tenore in disciplinis lineæ. Extrat ea de re parænesis umbratica in *Paganini Gaudentii Instar Academic. pag. 129.* cum epigrammare de Lulliana Memoriae arte contemnenda. * Legi & in illo argumento potest illa jam supra nobis memorata **JA-98** **COBI LECTII**, **J**Cti doctissimi, *de memoria Oratio*, qui etsi non hanc artem aspernatur, tamen in ea plus ostentationis, quam frugis, esse judicat: qua in sententia plane illi *ὁμόσημος* est in Oratione citata *Berneggerus*, ut ipsa ejus verba transcribar, scriniorum ejus hac quidem in parte compiler. * Sed ille has forsitan extempora-99 porales, & inter negotia deproperatas, Orationes typis non destinavit. Nam filius illas post mortem viri citra controversiam doctissimi, & qui magnum, dum viveret, Germaniæ ornamentum fuit, edidit.

C A P. VII

DE METHODIS VARIIS.

9. 1. methodus est genuina Logices propago. 2. vel generatim vel speciatim accipitur. 3. quid sit. 4. Oweni Guntheri Tractatus de Methodo laudantur; 5. qui post Aristotelem, 6. & Galenum eam doctrinam proposuit. 7. Methodi utilitas. 8. Methodus universalis. 9. Particularis. 10. Hac observata nullis opus est gnostologiis. &c. 11. Erhardi Weigeli *Analysis Aristotelica ex Euclide restituta* laudatur. 12. In illa novaturire quibusdam dicitur. 13. Aristotelis interpretes in hac arte tradendi seque-
gnes. 14. Aristotelis Analyticam male impugnat Nizolius. 15. Adversus quem disputatur. 16. Nizolii cum Majoragio contentio. 17. Ramus in Methodo Aristotelica novator. 18. Verulamii de illo judicium. 19. Ejus perpetuas dichotomias carpit. 20. Ramus multa debet Agricola & Ludovico Vivi. 21. Ejus methodum refutavit Digheus. 22. Cartesii doctrina de Methodo. 23. Ab Autore artis cogitandi in compendium redacta. 24. Peripatericorum in tractanda methodo incuria. 25. Autor Medicinæ mentis in hac doctrina laudatur. 26. Ejus liber recensetur. 27. Autor is mathematicis studiis se totum applicuit. 28. Algebrae studio primus in has cogitationes incidit. 29. Summa ejus doctrinæ capita recensentur. 30. 33. Artis inveniendi præcepta generalia. 31. Definitiones, 34. Axiomata, Theoremata quomodo formari debeant. 33. Imaginabilium, Mathematicorum, & Physicorum certæ classes, quorum rationes indagandæ. 35. 37. 38. 41. Impedimenta sex indaganda veritatis. 36. 199. quorum remedia simul docentur. 39. Baudelotii de Dairval liber de usu Peregrinationum. 40. Museum Italicum Joannis Mabillon & Michaëlis Germani laudantur. 43. Methodus veritates incognitas indagandi. 44. Artis inveniendi specialiora præcepta nondum edita. 45. Verulamii de Methodo cogitata.

46. *Varia Methodi distinctiones.* 47. *quæ parum utilitatis promittunt.* 48. *Methodus Exotrica & Acroamatica.* 49. *Pythagorica Methodus per numeros.* 50. *a Theodoto Ostio restaurata.* 51. *Chinensium methodus philosophandi per lineas,* 52. *quæ ex ipsis Confucii fontibus recensetur.* 53. *Eorum mirum acumen.* 54. *Philosophia eorum mysteria habet non omnibus intelligenda.* 55. *Methodus Cabalistica,* 56. *a multis delineata.* 57. *a Scalichio recocta.* 58. *Qua methodo multi egregie profecerunt.* 59. *Quatenus conveniat cum arte Lulliana.* 60. *Renaudotii Specimina.* 61. *Budæi iudicium de talibus methodis.* 62. *Scaligeri desiderium de barbarorum doctrina discenda.* 63. *Autores recentiores Cabalistici.* 64. 66. *Roberti Fluddii scripta.* 65. *& philosophandi ratio.* 67. *Methodi particulares.* 68. *Non nisi unam agnoscit Autor Medicina mentis.* 69. *quod re ipsa refellitur.* 70. *Autores, qui ἐγκυκλοπαιδείαν scripserunt.* 71. *Sorelli scientia universalis.* 72. *Martianus Capella.* 73. *Euphues.* 74. *Alstedius.* 75. *Iudicium de ejus ἐγκυκλοπαιδεία.* 76. *In Artibus Mechanicis ejus diligentia.* 77. *ut & Thevenoti,* 78. *Velschii.* 79. *Alstedii ἐγκυκλοπαιδεία Biblica.* 80. *Velschii Pædia in Cychisco.* 81. *J. Fortii Ringelbergii Encyclopædia.* 82. *Ejus vita mirabilis conditio.* 83. *Antonius Zara.* 84. *Vossii opus artium.* 85. *Havemannii Methodus.* 86. *Claude Fleury.* 87. 88. 89. 90. *Autores, qui de Methodo studiorum scripserunt, recensentur.* 91. *quid de illis statuendum sit.* 92. *Leichneri Apodictica Scholarum reformandarum ratio.* 93. *Baco Verulamius.* 94. *Bayeri Lux mentium.* 95. *Velschii Somnium Vindiciani.* 96. *Leibnitzii Methodus Jurisprudentiæ.* 97. *Anonymi desideria literaria.* 98. *Thomæ Broum Pseudodoxia Epidemica.* 99. *Schookii iudicium de Methodistis.* 100. *Universalis Methodus vix speranda.* 101. *Quædam data opera occultantur.* 102. *Sermones Exoterici & Acroamatici.* 103. *Octaviani Ferrarii liber de sermonibus Exotericis.* 104. *Pædèica quæ.* 105. *Ἐγκύκλια μαθηµατικά.* 106. *Ἀξιόβητα mathematica in omnibus observari nequit.* 107. *Qua tamen quidam felicissime in scriptis suis usi sunt.*

1 **D**E METHODO ipsa, genuina illa ac primaria Logices propagine, dici etiam
 2 hic quædam debebant: quoniam enim *Methodici* titulo totus ille liber in-
 scribitur, de methodo præcipue hic agi debere ratio ipsa dicitur. * De
 methodo itaque agi potest, quatenus generatim ea vox accipitur, atque
 universam illam inveniendi demonstrandique rationem significat, & quatenus illa
 3 omnibus applicari disciplinis ac meditationibus nostris potest; cujus propaginem
 esse diximus omnes illas artes, quas *Inventiarum* titulo aliqui salutant. * Est ve-
 4 ro *Methodus* nihil aliud, quam *Ordo*, quo ex principis ac nobis cognitis deducuntur in-
 cognita; sive id in ipsa scientiis sive in *Syllogismis* fiat. * **QUENUS GUNTHERUS**, Philosophiæ Aristotelicæ quondam in Academia Julia Professor, vir do-
 ctissimus, & cui multa se debere ait in præcognitis suis Logices Keckermannus,
Methodorum tractatus duos scripsit, continentes totius artis Logicæ medullam, facultatem
omnium scientiarum ac demonstrationum principia inveniendi, dijudicandique ratio-
nem,

nem, Helmstadii 1586. in 8. editos: qui mihi in hoc genere ita semper placuerunt, ut parum a novatoribus hac in re novi præstitum existimem, nisi quod applicatione ad Mathematica ac Physica exempla negotium hoc optime illustrarent. * Hæc est illa, quæ libris τῶν Ἀναλυτικῶν Aristotelis doctrinæ continetur; quorum duæ partes sunt. Priores duo Analyticorum libri docent ratiocinationis formas construere: Posteriores duo libri παιδείαν seu eruditionem complectuntur indagandi dijudicandique materias in singulis disciplinis. * Hanc scilicet partem Logices ἐρευνητικὴν & κριτικὴν ab usu non modo populari remotam, sed multis etiam parum erudite usurpata, suis Methodorum libris illustrare conatus est Guntherus, junctis illis, quæ apud Platonem & Galenum (cujus extat de optimo genere docendi liber) occurrunt. * De hac methodo Plato in Phædro & passim pluribus agit, eamque ut divinum inventum commendat: est enim intellectui, tam theoretico quam practico, instrumentum paratissimum, ut & acute intelligamus, & recte agamus; quare & per habitum organicum methodum definivit Guntherus. * Ille vero habitus methodicus vel in integra scientia tractanda, vel in aliqua ejus parte, exercetur. Methodum Universalem διδασκαλίαν vocavit Galenus, a quo tamen dissentit Guntherus: nam διδασκαλία ad unam aliquam tantum disciplinam pertinet; methodus autem est communis quedam scientiarum norma, nulli propriæ mancipata disciplinæ: cum non singularum disciplinarum ἐπίσημα cognoscat, sed ipsas scientias, quarum singulæ sua ἐπίσημα perspiciunt, dijudicet examinetque. * Methodi particulares pro ratione duorum summorum generum, Substantiæ & Accidentis, duo habent instrumenta, definitionem & demonstrationem. * Quibus parat, nullis nos opus habere vel Gnostologiis, vel Hexologiis & Intelligentiis, quas mustei illi disciplinarum fabri nobis extuderunt: nam sola Logices & methodi doctrina illud absolvitur, quod ad disciplinas ordinandas pertinet. * Hujus doctrinæ summum usum cum perpenderet ERHARDUS WEIGELIUS, Matheseos Professor in Academia Jenensi celebratissimus, vir ob egregia & singularia in arte sua inventa summam laudem promeritus, atque demonstrandi artem e Mathematicis principiis quasi e fundo aliquo peti debere recte judicaret, *Analysin Aristotelicam ex Euclide restitutam* scripsit, quæ genuinum sciendi modum & nativam restaurata philosophiæ faciem per omnes disciplinas ichnographice depingeret; editaque est Jenæ Anno 1658. * Eruditionem ille eximiam in doctissimo hoc Opere ostendit, non omnibus quidem forte probatus, quod in aliquibus vel rebus, vel terminis nonnullis novaturire videatur; sed ingenium tamen & ἀριστερίαν non vulgarem in Commentario illo deprehendas. * Hujus sui consilii rationes prolixius in Inscriptione libri ostendit, cum in tot Aristotelis Interpretibus & Scholasticis nihil plane inveniret, quod pulcherrimum ipsius opus Ἀναλυτικῶν recte explicaret, eorumque verum usum demonstraret. *Deprehendebam homines istos, inquit, tota die non nisi de mente Preceptoris, consiliorumque ipsius sensu ad ravam usque & nauseam decertare: alios hoc, alios istud suppeditare consilii: omnes tandem, vere quippe & prisca Architectonica (quam*

obscuris aliquantum regulis, observatione & resolutione Mathematicarum, quas ipsis videre non contigit, fundatis, Preceptor tradiderat) ignaros in solis liminibus & ~~superliminibus~~ conclavium hæere, eaque, nescio quo ruina metu, labore non necessario quidem, immenso tamen & tantum non Herculeo, statuminare operose satagentes: tectorio insuper gypsoque quam pulcherrime incrustantes: illigatisque emblematis, quam fieri posset, elegantissime convestientes, tempus omne consumere: subtractionibus interim intimioribus ob instaurationis & cultus defectum omnimode corrudentibus. Quos quidem hominum istorum errores, ut primum diu & diligenter attendens, ex mera vera & prisca Architectonica, quam a Mathematicis discendam Aristoteles non nesciebat, ignorantia, indeque regulis Aristotelicis non intellectis, sed pro placito uniuersusque peruersissime explicatis, ortum suum traxisse & originem deprehendi; ex eo nihil in optatis magi habui, quam videre tandem aliquando, qui omnimodam Philosophici istius ædifici ruinam præuenturus, Aristotelicam illam Architectonicam, hætenus satis peruersam, Mathematicarum machinarum inspectione & resolutione, quibus tota nititur, restitueret modumque postea, collapsam fere pretiosissimam structuram ab interitu vindicandi, exinde ostenderet.

- 14 Et hæc quidem, quæ de Methodo ac demonstrandi ratione ab Aristotele dicta sunt, satis sibi constant, ut mirer, quomodo NIZOLIUS in libris de rerum Principiis & vera ratione philosophandi omnem demonstrandi rationem, ab Aristotele luculenter adeo traditam, de medio tollere conatus fuerit. Extat enim libro quarto cap. 3. de falsa demonstratione & scientia Pseudophilosophorum, & simul de
- 15 inutili falsoque posteriorum Analyticorum libro. * Adversus illum peculiari opera se disputaturum promisit vir ingeniosissimus Leibnizius in præfatione, quam iteratæ libri Nizoliani editioni præmisit. Quanta illa sunt *παραδόξα*, quum uniuersalia in rerum natura negat? quibus sublatis, demonstrationis etiam magnam partem tolli necessum est. Quis ferret Logicam disciplinam Oratoriæ, Metaphy-
- 16 sicam Physicæ subordinari? quas separandas esse ratio ipsa dicitur. * Verum ille studio partium abreptus multa disputavit adversus ipsam veritatis rationem. per occasionem liris cum Majoragio institutæ. Cum enim Majoragius adversus Ciceronem quædam scripisset, Nizolium prolixam, sed acerbam, ad ipsum epistolam scripsit, quam in Bibliotheca Gudiana MStam, servari supra dixi. Ergo Majoragius duos Reprehensionum libros in Nizolium scripsit, qui hos de vera philosophandi ratione Nizolio extorserunt. Maluit Nizolitis elegantiorum aliquam philosophandi rationem, abjectis terminis philosophicis ac barbaris, quibus tamen major subest rerum expressio. * Et fuit in multis Nizolio *ὀμόψηφος* RAMUS, magnus in re Dialectica non tantum, sed & in omni Philosophiæ parte, Novator: novam etenim, ut in singulis disciplinis, ita uniuersam methodum instituit, * de quo tamen ita iudicat Verulamius de Augm. Scientiar. lib. 6. cap. 2. *Methodus veluti scientiarum architectura est. Atque hæc in parte melius meruit Ramus, in optimis illis regulis* (*καθόλου πρώτον, κατὰ παντός, κατ' αὐτό, &c.*) *renovandis, quam in unica sua Methodo & Dichotomiis obtrudendis.*

Veruntamen, nescio quo fato, fit, ut humanis (sicut sæpius fingunt Poëtæ) rebus pretiosissimis semper adhibeantur perniciosissimi quique custodes. Certe conatus Rami, circa illam propositionum lineam, coniecit eum in epitomas & scientiarum vada, auspicato & felicitis cuiusdam genii ductu processerit oportet, qui Axiomata scientiarum Convertibilia facere attentaverit, & non simul ea reddiderit Circularia, aut in semet recurrentia. Conatum nibilo secius Rami in hac parte utilem fuisse non inficiamur.

Ergo tamen, quæ bona in Ramo habentur, ab Aristotele potius transcripta, Verulamio iudice, quam ab ipso excogitata sunt. * Methodum quoque Ramæam perpetuis dichotomiis incedentem carpit ibidem 19 in initio capitis Verulamius: de unica Methodo & Dichotomiis nil attinet dicere: fuit enim nubecula quædam doctrinæ, quæ cito transit: res certe simul & levis & scientiis damnosissima. Etenim huiusmodi homines, cum methodi suæ legibus res torqueant, & quæcumque in dichotomias illas non apte cadunt, aut omittant, aut præter naturam inspectant, hoc efficiunt, ut quasi nuclei & grana scientiarum exilient, ipsi aridas tantum & desertas siliquas stringant. Itaque inania compendia parit hoc genus methodi, solida scientiarum destruit.

* De Ramo & Ramæorum doctrina legi Caselius potest in suo Nêw & Prodidaſcalo. 20 Ceterum ille jam tum Agricolæ & Ludovico Vivi suorum philosophematum originem in multis debuit, de quo nos alio loco plura.

* Methodum refu- 21 tavit duobus libris Everh. Digbeus Lond. 8. Ann. 1580. editis: qui & Theoriam Analyticam, viam ad Monarchiam scientiarum monstrantem Londin. in 4. Anno 1579. edidit.

Doctrinam de Methodo peculiari quadam cura sibi explicandam sumpsit 22

CARTESIUS, vir ad Philosophiam animo acerrimo instructus. Totam hanc artem ad quatuor Regulas vocavit, quæ tamen, si verum fateri velimus, Aristotelis jam tum præceptis continentur. * In compendium traxit Autor Artis Cogitandi par- 23 te quarta. Methodum duplicem facit: vel enim veritatem inquiri, estque Analy-
 sis, sive Methodus resolutionis, quæ dici poterat methodus inventionis: vel inventam docet, & est Synthesis, sive methodus compositionis, quæ & appellari potest methodus doctrinæ tradendæ. Integrum corpus scientiæ raro analytice tradi ait, cum Analysis in usu tantum sit ad quæstiones solvendas. Atque hic varia quæstionum exempla proponit, monstraturus, quomodo in his procedendum: quorum maximam partem excerptit e schedis MStis Cartesianis, quas a Dn. Clercelhero habuerant. Multa tum e mathematicis tum e physicis adducit pro illustratione huius doctrinæ, quæ tibi cum fructu legi possunt. * Nam ceteri Autores Peripa- 24
 terici, qui de methodo tractarunt, parci admodum sunt in exemplis distincte proponendis. Quoniam enim plerique ex illis mathematicæ artis & solidioris physicæ, & præcipue ἐμπειρίας naturalis rudes fuere, quæ firmiorem ἀποδείξεωv fundum huic doctrinæ subternunt, mirum videri non debet, si mutilam illam & in multis erroneam dederint. Ceterum nihil pene novi ab illis, qui tamen nova se dixisse putant, dictum est, quod non comoda deductione e principiis Aristotelicis arcessi possit.

- 25 Nuperrime eandem doctrinam Tschirnhausius, Academiae Scientiarum Parisiensis membrum, via, quoad fieri poterat; expedita & accurata proposuit, nisi quod veterum praecepta plane seponat, suumque omnino ductum sequatur: cuius tamen Regulae Generales & cum Cartesians & cum ipsis Aristotelicis, quas Guntherus expressit, in multis conveniunt. Libri titulus est: *Medicina mentis, sive tentamen geminae Logicae, in qua describitur de Methodo detegendi incognitas veritates.* Editus vero est Amstelodami 1687, ac Regi Galliae inscriptus.
- 26 * Prima parte agit de causis, quae nos in varios errores deducunt; quid proprie nos delectet & quam variae sint circa illa, quae delectant, deceptiones; quod sit omnium constantissima delectatio veritatis detectio, atque hujus via per nos ipsos indagari possit. Parte secunda artis inveniendi generalia praecepta proponit, quibus adjuti nunquam in falsa incidamus, sed potius veritatem semper certo assequamur; adeo, ut hisce mediis absque illo errore ulterius progredi possimus, continuo & quantum nobis libuerit, semper nova detegendo, si modo adfit animus & satis temporis nobis superfit ad nosmet ipsos ad id studium applicandos, idque exiguo labore. Excludit hic primo cognitionem illam, qualis ex Locis Communibus, arte Lulliana, Praedicamentis, Locis Topicis, Florilegiis, de re aliqua in pompam potius & admirationem ignorantium hauriri & proponi solet: qua nihil solidae veritatis indagabitur, sed millies ab aliis dicta recoquentur, variis etiam
- 27 dubiis & controversiis incerta. * Cum ergo solos Mathematicos nullas fovere controversias videret, aut eas, si quae exurgerent, statim componi hoc indicio judicabat, hos solos exoptatam methodum attingisse. Illis ergo studiis se applicuit, ut videret, unum idem mutatis mutandis in aliis possit obrineri; quod
- 28 ipsi felicissime successit. * Algebram igitur primum adiit, de qua ita: *cum ego, quam veteres Algebram, recentiores vero Analysin speciosam vocant, mihi comparassem, magna mea delectatione observabam, & quod ibi promittitur, non falso jactari, & revera plus in ea praestari, quam antehac ulla spe conceperam. Licet vero statim non potuerim perspicere, quomodo idem in omnibus aliis scientiis possit effici; quia tamen me hactenus praestantior latebat methodus, in hac ingenium meum colendo vehementer fui occupatus. Ubi eo denique progressus eram, ut quendam adverterem habitum, tam in solvendis iis difficultatibus ab aliis mihi propositis, quam praecipue in iis, quas mihi ipse formaveram, intimius secretam hujus methodi naturam perhistrando notavi, quicquid ignotum est eadem prorsus ratione non solum*
- 29 *in Mathematicis, sed & in omnibus aliis scientiis, posse detegi.* * Primo ergo ponit certitudinis humanae fundamentum illa, in quibus praecipue intellectu operatione manifestatur; nimirum quae a mente nostra statim sine contradictione (a cuius studio remotissimum jubet esse veritatis indagatorem) concipi possunt, et in toto parte sua majus esse, in circulo omnes radios absolute esse aequales &c. Inde infinitae aliae veritates educi possunt, ac vice versa sequitur, eas, quae concipi non possunt, falsa esse. Sed in fundamento illo recte ponendo, ne ab imaginatione decipiamur, praecipit: multa enim tantum imaginatione percipi ait, quorum tamen conceptus certus dari non possit, ut in sonis, coloribus, aqua, aere, metallis &c. Quare duo criteria discernendi intellectus & imaginationis com-

mendat. 1. Multa experientia & frequenti utriusque differentiam indagare, quod tamen difficile admodum est, nec a quolibet præstari potest. 2. Ut æqualitatem intelligendi respiciamus: nam quæ vere concipimus, ea etiam aliis, ut nobiscum concipere possint, explicare possumus, ut in demonstrationibus Mathematicis fieri videmus, quas omnes æque bene intelligunt; cum ea, quæ imaginatione percipiamus, variis varie, non æqualiter, percipiantur. Necessè proinde erit signa dari, quibus certiores fiamus, utrum rem concipiamus, an imaginemur: nam ex confusione duarum facultatum illarum maximi nascuntur errores. Format deinde sibi ipsi varias objectiones, quibus impugnari illa sua veritatis criteria possunt, ad quas operosè ac erudite respondet. * Hinc 30
disquirat, qua quis ratione semper absque errore possit progredi nova continuo detegendo: ubi primo omnes possibiles conceptus, quos mentem observare posse videmus, nobis magno acquirendos studio suadet: ex iis definitiones primum fabricandas docet, e definitionibus proprietates educit, quæ appellat Axiomata: ex definitionibus inter se omnibus modis junctis veritates derivatas extruit, quas Theoremata vocat. * Definitiones a nobis formari posse demonstrat, & ut 31
definitio aliqua bona sit, primum rei, quæ concipitur, formationis modum, quam generationem vocat, considerare nos jubet, atque ex ea definitionem adornare. Quod ut eo promptius fiat, tres Regulas generales ponit; quarum prima est de 32
rebus cogitatione ad sua summa genera deducendis, cum quibus cuncta entia diversam naturam, h. e. nihil commune ac diversam generationem habere observantur vel concipiuntur. * Constituit autem tria cogitationum genera circa Imagi- 33
nabilia, Mathematica, Physica, ad quas classes omnia entia reduci possint. Secunda regula est: omnibus ad ultima genere reductis observandum esse, vel ratione vel experientia, quæ in quolibet genere ea sint, quæ omnibus singularibus concipiendis semper adsint. Tertia regula est: omnes conceptus formatos sic esse ordinaros, ut sibi succedant juxta numerum, quo plura possibilia seu elementa succedere exposcunt. Prima elementa Imaginabilium, quæ sensu percipiuntur, constituit fluida & dura, Rationalium puncta, rectas atque curvas, Reali-
um, materiam, motum & quietem, sine quibus nihil amplius concipi possit. * Hinc ad Axiomata & Theoremata fabricanda procedit, ac magnam exemplo- 34
rum e Geometricis petitorum copiam subjungit, quibus præcepta ac regulas suas illustrat, adjectis nonnullis physicis demonstrationibus de Montibus ardentibus, quæ ex eodem fonte promanant, quam methodum ex Algebra primum deductam vehementer extollit. Hæc est, inquit, nec ulla alia existit methodus, quæ omnibus, qui Algebrae student, utuntur, & cujus ope talia solvuntur problemata, quæ cuivis humano ingenio indissolubilia primo intuitu videntur: proposito enim problemate, res integra quasi jam inventa ob oculos ponitur, ut ita clare appareat, quoniam res hic sibi invicem conjunguntur: harum naturæ seu definitiones vel jam notæ sunt, vel re ipsa exhibentur; deinde unaquæque diversarum naturarum scorsim expenditur; & per diversam equationem simplicissimis, quantum fieri potest, characteribus exprimitur, tantum si-
gule

- gule harum æquationum varie inter se tamdiu comparantur seu junguntur, donec unica inde oriatur æquatio, cui hæc natura quæ ante diversis æquationibus exprimebantur, inclusa, hoc est, omnes simul junctæ sint, & quæ proinde clare ostendit; quo pacto proposita quæstio sit solvenda. De hac Algebra speciosa Cartesius, Beaumontius, Vieta, Schootenius pluribus agunt. * Hinc procedit ad illam tractationem, qua ratione veritatis acquisitio exiguo labore perficiatur; quod ut fiat, omnia impedimenta primum removet, in quibus primum locum tenent errores, in quorum originem inquirat, ac quædam ejus rei in imaginabilibus, rationalibus, ac realibus enumerat. In realibus subtilissimos errores vocat, quando cum realibus Imaginabilia confunduntur, quod in principiis naturæ ponendis a subtilissimis nostri temporis Philosophis factum; atque inde varias enatas sectas, & multa dominari etiamnum præjudicia ostendit; * Quorum remedium quærit 1. in accurata operationum intellectus ab imaginationis operationibus distinctione. 2. In eo, ut intellectus in veritate investiganda adjuvetur ab imaginatione directa a bona indagandæ veritatis methodo. Insigne enim, & supra quam credi potest, utile adjumentum in indaganda veritate intellectui adferre ait imaginationem bene gubernatam. Adjumentum autem hoc esse 1. a vocibus. 2. a characteribus. 3. a motu. 4. ab externis experimentis. Hoc modo imaginationem hostem intellectus, & noxiam ei, conciliari posse contendit, ut impofterum ad eundem possit collineare scopum.
- 37 * Secundum impedimentum est, quod, quæ cognita sunt, non magnificiamus, nec attente meditemur; cujus remedia quoque proponit. Tertium impedimentum illi est, quod nimis ad utilitatem alicujus notitiæ respiciamus; contentos enim nos eo solo esse jubet, quod novam quandam veritatem detexerimus: nisi enim ira faceremus, viam ad utilissima quæque nobis oclusuros. Præclaris hic exemplis demonstrat exiguam naturæ potentiam, quæ in abstractione sua parum utilis videretur, in progressu & applicatione infiniti usus esse, quod pateat magnetis, vitri, nitri & sulphuris usu, quorum subjectorum varia applicatione stupendæ operationes successu temporis sint productæ. Quis enim credidisset, sola aciculæ magneticæ directione ad Septentrionem multorum aureorum milliones lucrari, orbem novum detegi potuisse? Ac talia infinita excogitari e levissimis & contemptis vulgo experimentis posse certum est. * Quartum impedimentum indispotionem nostri facit, qua non semper apti sumus ad veritatem inquirendam; cujus varia remedia recenset. Quintum impedimentum illi est eruendarum veritarum nimis longa series; cui remedium e partitione operis bonoque ordine & numero quærit. Ejus exempla recenset, & elegantissima dissertatione ostendit, quomodo imaginatio extendi possit, ut uno folio comprehendere possimus integro libro materiam præbitura. Imaginationem vero extendi conversatione cum doctis, & colloquiis mutuis, ubi rum omnia quæ inciderunt, statim consignanda sunt; lectione eorum, quæ in illo genere scripta sunt a viris doctis.
- 39 * Et sane quantum conversationi tum cum viris doctis, tum peregrinis, tribuendum sit, superiore libro singulari capite diximus, & singulari libro gallice scripto de l'utilité des voyages Baudelotius de Dairval, Paris. A. 1686. edito prolixè

prolixè declarat: ubi de usu & commodis peregrinationis in antiquitatum indagandorum studio multa differit, ac exempla varia novarum in iis observationum congerit. * Eandem operam in variis literariis monumentis per Italiam conqui- 40
rendis impenderunt *Joannes Mabillon & Michaël Germain*, Præsbyteri, qui illa libro
singulari, cui titulum *Musci Italici*, Paris. Ann. 1687. editi, fecerunt, collegerunt.
Hinc in formatione prudentis magistri, quomodo imaginatio nostra ab ipsa pueri-
tia augeatur, copiosa & erudita dissertatione exponit; qua de re in sequentibus
plura. * *Sextum* impedimentum ponit, quod commoditate sæpe destituamur ad 41
effectum deducendi ea, quæ ad executionem in veritatis acquisitione requiruntur,
certis vitæ negotiis adstricti. * Cui remedium hoc opponit, ut semper nostram 42
in studiis inclinationem sequamur, ita quicquid aggrediemur, facillimum fore, ac
multa nos effecturos ait. * Parte tertia de methodo detegendi incognitas verita- 43
tes agit, quam instituit 1. respectu nostri, si nostras inclinationes, ut jam ante di-
xit, sequamur. 2. respectu scientiarum, quarum cognitio magis necessaria est,
quam aliarum, quibus magis delectamur; ut studia mathematica, quorum cog-
nitione ad methodum discendam magis indigemus, licet aliis magis delectemur:
hæc enim viam omnibus ceteris sternunt. 3. respectu scientiæ, quæ summam de-
lectationem omnibus afferret, modo ipsis esset nota. Per quam Physicam intelli-
git, quam vocat scientiam universi accurata mathematicorum methodo a priori de-
monstratam, & evidentissimis experienciis ipsam imaginationem convincentibus a
posteriori roboratam. * Ita librum hunc suum concludit, & specialiora de arte in- 44
veniendi præcepta promittit, quæ ut in Incem vir ingeniosissimus proferat, vehe-
menter optamus.

In doctrina de methodo multa quoque magnus scientiarum amplificator 45
BACO VERULAMIUS invenisse sibi nova visus est; sed non satis illa distincta
atque ad bene ordinatas regulas revocata. Quare obscura pleraquæ sunt, & pla-
norem explicationem requirunt. * Distinguit ille *lib. 6. de augm. Scient. cap. 2.* Me- 46
thodum in initiativam & magistralem: illam dicit, quæ ipsa scientiarum mysteria
recludat & denudet; altera illi est, quæ uti iis docet, & ulteriorem progressum
sibi propositum habet, atque telam a priori traditam pertexendam docet. Vocat
eam Traditionem Lampadis, sive Methodum ad filios, quam eleganter his verbis
describit: *Artibus idem usu venit, quod plantis: si planta aliqua uti in animo habeas, de
radice quid fiat, nil refert; si vero transferre cupias in aliud solum, tutius est radicibus uti,
quam surculis. Sic traditio (quæ nunc in usu est) exhibet plane tanquam truncos (pul-
chros istos quidem) scientiarum, sed tamen absque radicibus, fabro lignario certe com-
modos, at plantatori inutiles. Quod si, discipline ut crescant, tibi cordi sit, de truncis mi-
nus sis sollicitus; ad id curam adhibe, ut radices illas etiam cum aliquantulo terræ adhe-
rentis extrahantur. Cujus quidem generis traditionis, Methodus Mathematicorum in eo
subjecto similitudinem quandam habet; generatim autem non video quid aut in usu sit,
aut quid quis inquisitioni ejus dederit operam; proinde etiam inter desiderata numera-
vimus.* Discrimen porro facit inter Traditionem per Aphorismos & Methodi-

cam. Illam laudat, quæ multa sæpe in recessu habeat: Aphorismi enim ex medullis & interioribus scientiarum conficiuntur, & magnam notitiam præsupponunt; nam abscinditur illustratio & excursio, deductio, connexio, varietas, exemplorum descriptio practicæ. Tradio Methodica sæpe specimen artis ostendit; sed si solvantur, segregentur & denudentur pleraque, ad nihilum recident. Narrat aliud methodi discrimen, cum scientiæ traduntur per assertiones adjectis probationibus, aut per quæstiones una cum determinationibus. Distinguit inter methodum universalem & particularem, subjectæ materiæ, quæ tractatur, accommodam. Nam ut Topicas particulares ad inveniendum excogitavit Verulamius, ita methodos particulares ad tradendum adhiberi vult. *Videmus enim, inquit, nimium generalia (nisi deducantur) parum informare; quin potius hominum practicoꝝ studio scientias exponere, cum nihilo magis ad Practicam faciant, quam Chorographia Ortelii universalis ad viam monstrandam, quæ Londino ducit Eboracum.* * Hæc quasi nova quædam de methodo proponit Verulamius, quæ ab aliis notata non fuerunt. Verum in iis non video, quid magnopere adjuvare vel docentes vel discentes possint: nihil enim hic ex stabilibus solidisque principiis deductum est.

48 Illud e veterum instituto commode notavit, esse quandam Methodum Exotericam & Acroamaticam, ut illi libros scripserint alios Exotericos, alios Acroamaticos. Acroamatica Methodus sive Ænigmatica veteribus in usu fuit, cum secretiora selectis autoribus proponerent. Illa Pythagoræ, illa veterum Cabalistarum, informandi ratio fuit, qui per numeros ac symbola occultarum scientiarum mysteria tradebant. * Quod Pythagoras numeris multas occultas doctrinas complexus fuerit, nunc eo minus dubitabimus, cum videamus hodie numerorum figuratorum beneficio intricatissima problemata solvi posse. Nihil enim refert, quibus 50 notis animi sensa explicentur, an literis, an aliis quibusdam characteribus. * Et fuit sane, teste Ghilino in *Theatro hominum literatorum* pag. 219. THEODOTUS OSIUS, qui librum scripsit, cui titulus: *Meditationes Rhythmicæ in duas partes distinctæ, quarum una theoreticam, altera practicam facultatis sciendi per numeros, sive restitutam Pythagoræorum doctrinam pollicetur*; qui an editus liber nunc sit, ignoro: nam ex præfatione libri ejusdem Autoris, qui inscribitur *Novarum opinionum & sententiarum Sylva*, quo multa continentur nova de rebus nonnullis & abstrusiora cogitata, apparet, tum, cum liber ille ederetur, nondum fuisse publicatum. In isto vero libro aliqua hujus commatis sæpe habentur, ut in capite 61. Autoris istius sensum & doctrinam Typographus in illa præfatione ad Lectorem pluribus exposuit: *Observabit lector, cum in his scrutinis non usum scholasticis argumentis, neque vulgariis rationibus, attamen nec etiam simpliciter opinatum fuisse, neque ex solo mentis discurrerentis impulsu sensisse, sed mathematicis aliquando, & sæpe metaphysicis argutis, quæ melius ad demonstrationes impellunt, si bene a sensibilibus abstracta transferantur ad intellectibilia sua. Ad quæ dedit animum diuturnum ferme & longi temporis studium, quo indulgens applicuit naturæ & proprietati numerorum abstractorum a corporibus, & qui solo intellectu percipiuntur.*

Quorum doctrinam habemus professos fuisse Pythagoræos, at non posteris tradidisse, sive exaliqua fama sua, sive potius veneratione doctrine, quam tanquam super humanitatem excellentem ab aliis humanitatis studiis censerent separandam. Quod tamen de hac rimatus autor scripturis consignavit, nondum prodiit in lucem; unde cum aliqua ab ipsa eruta legantur in hoc libro pro fulcro aliquot sensuum suorum, poterit lector vel eis fidem impartiri, vel praterire, judicio suo probare reprobareve, dum unicuique homini quodlibet sibi opinari licet.

Ab hac Pythagoræorum philosophandi ratione non aliena illa Chinesium 51 videtur, qui per lineas certo modo figuratas non physica tantum, sed & moralia; politica & omnium superstitionum artium principia, complexi sunt, certa & immota aliqua serie, in numeris tamen & proportionibus fundata. Proposuit illa MARTINUS MARTINIUS in *Historia Sinensi libro 1.* & nunc ex ipsis Confucii fontibus eam doctrinam in Europa jussu Regis Galliæ quatuor Societatis Jesu Patres Ann. 1687. publicarunt. Videatur *Confucii istius Proæmialis declaratio. Part. 1. paragraph. 6.* * Omnium rerum duplex materiale constituunt; Perfectum, 52 quod notant linea longa continua; Imperfectum, quod linea interrupta exprimitur, quæ ex Chao proveniunt, (agnoscere hic formam & materiam.) Hæc principiorum quasi duo maria in alia duo minora divisa cum eadem secretione, perfecti & imperfecti, quæ quasi quatuor elementa sunt. Ex his porro octo pari modo divisa exitere, octo abiere in sedecim, illa in 32. hæc in 64. & tandem in multa minuta quasi fluentia rivulosque, servata semper primæ divisionisque atque secretionis norma. Illa duo principia, quatuor imagines ex duobus principiis natae; octo figuræ ex quatuor imaginibus promanantes; 64. figuræ, quibus liber mutationum comprehenditur, illic in tabula exhibentur, adjectis nominibus subjectorum naturalium. In his figuris ac lineis ad Philosophicum sensum explicandis, mirum est, quam solertes sint Chinesium philosophi. Moralis illa atque politica explicatio Confucii, quam illic adducunt hujus libri concinnatores, plena profecto pulcherrimorum sensuum est, quæ perpetua serie ex illarum ductu ac nexu evolvitur. Imaginibus illi & numeris Πυθαγορικήν ante ipsum Pythagoram videntur. Mirum certe videri possit, quomodo in illas speculationes primi devenerint Chineses; nam Confucius, qui annos 551. ante Christum natum vixit, hæc ex antiquissimis Autoribus se consignasse scribit. In omni pene gente talia observes, cum rerum causas indagant, præcipue in Orientalibus, quibus omnis Philosophia ænigmatica est. Indagatione scilicet ducuntur ad nescio quæ abstracta, quæ vel per numeros vel figuras utcumque exprimunt. Cum enim videat mens humana, quædam esse illis corporeis altiora, ac potestates quasdam hæc inferiora sub se continentes, nihilque in natura norit magis abstractum a rebus, Spirituum vero nullam habeat notionem, ad numeros & figuras dilabitur, easque vel ut causas, vel ut signa quædam rerum archetypa pro veris causis venditat. In quibus omnibus non quidem adeo certi quid deprehendimus, ut pectus saturare possimus, aut aliqua super hoc fundamento extruere; sed arguunt tamen illud, ferri natura sua animos ad generales

- quosdam conceptus & naturas rerum spirituales seu æternas; quas etsi explicare conceptibus idoneis non possunt, sufficit tamen, eorum conceptuum umbras quasi
- 53 inhaerere menti. * Laudari certe ex eo Chinesium ingenia debent, qui dudum ante Pythagoram & Platonem nescio quid illi Philosophiæ simile animo speculati sunt. Pythagoræ enim & Platonici ab Ægyptiis, ut puto, edocti, ad efficientem causam potissimum respiciunt, & Physicam quandam Metaphysicam, ut Verulamius vocat, professi sunt. Si vero accuratius rem pensaverimus, non videntur hæc temeraria aliqua ratione, sed summo consilio, a principibus Chinesium philosophis excogitata. Vix enim in umbraticis illis conceptibus rectus observari ordo posset, ni clariore ideæ illos primum produxissent, ut pro signis & notis intervirent iis, qui ad occultam hanc Philosophiam admittendi aliquando erant.
- 54 * Occultiorum autem fuisse illis in physicis doctrinam, qualem Ægyptii olim professi sunt, ac mille fabulis involverunt, ut tot viri doctissimi & nuper Cl. Tullius luce meridiana clarius ostenderunt, totus ille istius philosophiæ nexus ostendit, in cuius explicatione mire se torquent, qui ad omnia alia dilabuntur, interpretes. Si enim illud universale principium, quod illi *Li* appellant, & de quo tam intricata illi proponunt, recte pensaveris, nil in illo aliud notatum observabis, quam illud universæ naturæ *πρωτον ενεργητικόν*, quod omnia mista solvit, vinculisque suis ligat; de quo tot miracula prædicant occultioris Physicæ magistri. Conferatur procemialis declaratio *partis secunde paragraph. 1.* libri citati, & miraberis, quam hæc cum Chymicorum doctrina conveniant. Illorum sensum non ceperunt, qui illa interpretati sunt. Est illud Chinesium *Li* nihil aliud, quam illa Cabalistarum linea viridis, quæ ubique gyrat. Fuisse vero apud illos Chemiæ scientiam vetustissimam notius est, quam ut in dubium vocari debeat.

- 55 Ad Ænigmaticam illam Methodum Cabalistarum Hebræorum doctrina referenda est, de qua nos *lib. 1. cap. 10.* De tali Methodo universali Cabalifica, qua *Picus Mirandula* usus sit, & ad fastigium scientiarum omnium pervenerit, multa quoque mirifica narrat *Fichetus* libro de arcana studiorum methodo pag. 27. *Hujus mysterii, inquit, ea vis est, quam in Cabal. triginta & quinquaginta portis intelligentiæ ex arcanis Hebræorum eruit Reuchlinus in scientiam rerum omnium & mundum doctrinarum universum quasi viva in tabella depictam subiciat oculis, ordine plane admirabili. Denique continet omnia, & singula, singulaque ut omnia & omnia ut singula ad amissim explicat, efformatque illum, quem desideramus hominem, ex omnibus conflatum compositumque disciplinis.* An ad illam methodum quoque respexerit Agrippa, an subtiliorem & diviniorem velit, & quæ ex assatu doctorum formare
- 56 possit, de qua nos *lib. 1. cap. 12. §. 3.* aliis coniciendum relinquo. * De Cabalæ veteri notissimi sunt præter ipsos Hebræos, *Reuchlinus, Jeanus Pictus, Hieronymus Torffius, Hottingeri*, aliorumque labores. *Gaffarellus* Indicem Codicum Historiæ Cabalisticorum, quibus usus est *Picus*, edidit
- 57 di reliquias se dare venditat *PAULUS SCALIGIUS* in *Epistolis* Cabalisticis libro

libro 12. qui inscribitur: de *Revolutione Alphabetaria, sive perfectissima ad omne genus scientiarum metodo*, quam ante 12. annos ad Carolum Austriae Archiducem scripserat, sed alia plane ratione institutam, ut conferenti patebit: etsi hanc posteriorem suam ipse, ut perspicaciorem priori praeferat in recentiori illa editione; in qua perpetuo dialogo omnia tractat, cum in priori per capita procedat, ac pluribus exemplis suam doctrinam illustret. * Hanc ille artem miris modis illic extollit: 58 laudat ibi Petrum Daguinum Mediatum, virum tota Italia celebratissimum, qui 37. aetatis anno, cum vix prima haussisset literarum elementa, septem tantum mensibus hujc artificio incumbens, omnibus doctissimis viris miraculo habitus sit; Jacobum Januarium, qui cum septem egisset lustra a literis penitus alienus, in tantum hac arte profecerit, ut nulli doctorum hominum sit postponendus. Laudat Ferdinandum Cordubam Hispanum, Raimundum de Sabunde, Jacobum Fabrum Stapulensem, Carolum Bovillum, qui omnes hac arte profecerint; Andream, Petrum, Jacobum, Fratres Canterios, qui unica cum sorore primi adhuc decennes in omni disciplinarum genere egregie disseruere; e quibus alter Cornelii Agrippae praceptor fuerit, cujus eruditionem nemo ignorat. * Hanc artem 59 corruptisse ille ait *Raimundum Lullium*, ab Hebraeis acceptam: quod si verum est, fortassis non de nihilo est, quod ab Arabibus eam descripsisse quidam opinati sunt, qua de re supra diximus. Hujus artis corruptae Lullianae imitatores omnes fuisse dicit, excepto Pico Mirandulano & Capnione Phorcensi, ex quorum monumentis se illam restauraturum promittit. *Nisi quisquam*, inquit, *inde jecerit fundamenta, frustra illa Lulliana dispositione laborabit; quam & nos ad Hebraicam veritatem dum enitemur ante lustra tria reducere: sicut etiam publicis typis Oporini excusa prostat: parum plus effecimus, quam vel Lullius ipse, vel Agrippa. Reliqui enim ut Lavinbeta & his similes nedom barbari vocibus, sed re ipsa quoque sunt: licet sua aetate summae admirationi fuerint, & aliquid in speciem praestiterint; sed quod ad solidam eruditionem pertinet, nihil in illis ingeniis deprehendes.* * Hujus artis procul dubio praecipis aliquis 60 *Theophrastus Renaudotius*, Medicinae Doctor in Gallia pueros instituit, ut intra annum & in Latina lingua & in artibus liberalibus ad omnium interrogata responderent, cujus rei historia exiguo libello cum ipso examinis actu ac subscriptione restium Anno 1636. publicata est. * De hac, utut secreta, sciendi & disserendi 61 *metodo, sive Lulliana, sive Cabalifica reformata*, ego tamen illud Budaei libro de Philologia fol. 63. dixerim: *artis ad naturam est quaedam imitatio, non equiparatio. Sunt enim longe uberiores verae naturae atque capaciores, quam loculatae illae sedes artificis inventionis, magisque est ars naturae felicitis & beatae accuratae adjutrix ad delectum, si quid hac in re mei iudicii est, quam ad copiam prolixa, suppeditatrix & magna.* Excitant illa Hebraeorum sacra, qui eas literas rectius intelligunt; certe plura in Cabalae mysteriis latent, quam sola illa Scalichio adeo celebrata methodus: rerum enim occultarum in iis thesauri sunt, unde in ceterarum gentium fundos tot rivi defluerunt. In Orientalibus superesse in hunc usque diem plura abstrusae sapientiae momenta, non ego dubitarim. Ad illa forte 62

respexit J. Cas. Scaliger, cum in Hippocrate suo pag. 403. querelam illam de suis studiis instituit:

*Plus pœnit me temporis, quod impendi
In Grammatistas & leves locutores,
Vanas poetarum atque perditas nugas,
Quam barbarorum que leguntur in libris.
Hæc est mearum tota summa summarum,
Stultum ac supinum, plumbei que delirii,
Rebus relictis consensescere in verbis.*

- 63 Hujus Cabalisticæ doctrinæ recentiores Scriptores aliquot in folio voluminibus collecti sunt; in quibus est Ricii de Agricultura cœlesti, Francisci Georgii Harmonia mundi, quibus multa e natura sonorum ad Philosophiam & Theologiam applicantur. Sed de iis verum est, quod Verulamius ait loco supra citato. Hoc Acroamaticum sive Enigmaticum docendi genus posterioribus temporibus debonestatum est a plurimis, qui eo tanquam lumine ambiguo & fallaci abusi sunt ad merces suas adulterinas extrudendas. Intentio autem ejus videtur, ut traditionis involucro vulgus, profanum licet, a secretis scientiarum sudmoveretur, atque illi tantum admitterentur, qui per manus Magistrorum parabolarum interpretationem nacti sint, aut proprii ingenii acuminis & subtilitate intra velum penetrare possint. Quandam ex Cabala Theo-philosophica mistam doctrinam profitentur, quæ e Paracelsi, Weigelii, Guthmanni, Bœhmii, Fratrum Rosæ Crucis schola scripta prodierunt. * Est his quoque annumerandus ROBERTUS FLUDDIUS, Anglus, mirabilis ingenii homo: multa enim e Cabalisticis, ex numerorum doctrina, Tetragrammati admirabili potestate, atque sacris literis, ad rem naturalem applicat, & sui
- 64 sensus quoddam Systema Phisicum ex illis conficit. * In mathematicis multa egregia invenit, in quibus admodum operosus fuit: nulla enim Matheseos pars est, quam ille non attigerit in libris suis, Mechanices peritissimus, superstitionas etiam artes diligenter excoluit, quarum hyperaspistes est, quas ipse etiam exercuit per omnia divinationum genera. E thermoscopio, seu vitro, ut vocat, Calendario omnium phænomenorum naturalium rationes, & totius mundi constitutionem, explicare laborat; quod instrumentum ex ipso Moyse deducere vult, aitque se invenisse illud in Codice quodam, ante 500. annos scripto, graphice delineatum. Spiritum huic vitro inclusum illi, qui mundi magna machina concluditur, proportionem respondere ait. Quare & omnes circulos cœlestes & plagas in illo præfiguratur. Ex eo quoque de natura morborum judicat: hominem enim ut microcosmum cum macrocosmo & hoc instrumento, ac spiritum vitro inclusum cum spiritu corporis nostri comparat. Hieroglyphicum morborum corporis & animi typum eo in instrumento ob oculos ponit: similiter & urinarum borealium & australium scalam in eo repræsentat, uroscopiam convertens in uranoscopiam. Quare mirabiles morborum definitiones extruit in libro suo de essentia Morbi. Morbi autem illi inter meteora referuntur, atque a ventis (quos Spiritus & Angelos facit) or-

tum habere tradit. Quam suam sententiam ut stabiliat, SS. literarum, Galeni & Hippocratis autoritate sæpe abutitur. Ratione itaque totius macrocosmi morbos dividit in empyreos, ætheræos, elementares, in plaga septentrionali procreatos, tenebrosos ex plaga occidentali ortos, præternaturales, æstuosos, ad plagam meridionalem spectantes. Causas morborum plerasque externas facit, a seminario meteororum & a victus ratione. Tu-mihi vide lepidum illud sanitatis munimentum, quod *libr. 4. Myster. Morbor.* extruit, ubi & dæmones morborum architectos una cum ipsis morbis depingit; quibus adjunguntur etiam Angeli *αλεξιμαχοι*, omnes nominibus suis appellati. * Scripsit etiam librum, cui titulus: *utriusque Cosmi, ma- 66 joris & minoris, Metaphysica, Physica & Technica*, ubi positus ob oculos schematibus ipsum opus creationis demonstrare laborat. Multa quoque de Musica mundana e Monochordi contemplatione philosophatur. De quibus omnibus alibi plura.

Sed mittamus illam methodum, quæ admirationi potius excitandæ, quam ve- 67 ritati inquirendæ infervit, ac procedamus ad methodos particulares scientiarum, in quibus non convenire posse earum doctores, mirum non est, cum in universali non convenient: qua semel recte stabilita, non multum erat de particularibus laborandum. * Certe Autor Medicinæ Mentis ut rem inutilem habet ipsarum scientia- 68 rum & methodorum multiplicationem; cujus hæc verba part. 2. p. 23. *Veri Philo- sphi Philosophia sive unicum studium est ars inveniendi. Si hæc, de quibus modo sum locutus, animadvertissent, simul vidissent non tot dari disciplinas, quot ipsi præstendo enu- merant, sed tantummodo unicam, unde omnia, quæ sciri datum est, derivantur; quæ est ars sæpius memorata, inveniendi per nos ipsos. Hanc qui sibi comparavit, omnes alias bonas scientias una cum ea sibi acquisivit, aut ea absque alterius adjumento semper sibi acquirendi potentiam habet: quin omnes utiles scientiæ, quæ ab aliis præter hanc statuuntur, non nisi hujus artis specimina sunt. Ab hac scientia vulgares philosophi longius remoti sunt, quam vulgus existimat. Qui de scientiarum vanitate scripserunt, non in eo errarunt, quod istorum philosophorum scientias ad catalogum vanarum sive inutilium relegarunt, sed in eo, quod ex mera ignorantia (uti perfacile quis videbit, modo eos autores vel paululum pertraxerit) omnes omnium philosophorum scientias sine ullo discrimine eadem censura notarunt. * Verum tantum abest, ut convenientia in methodis par- 69 ticularibus sit, ac eadem via omnes incedant, ut pene singuli sibi semitam sapiant, & quot capita, pene tot sensus sint, magno argumento, etiam illa ab Aristotele tradita analytica parum instructos esse plerosque. Non est hujus loci, omnes illos recensere Autores, qui diversa in disciplinis methodo usi sunt; de eo enim in *Polyhistoræ Philosophicæ* plenius agetur. * Quidam Encyclopædi- 70 am uero complexu & sub una quasi scientia generali tradiderunt, ut fecit SORELLUS in libro Gallica lingua scripto, cui titulum Scientiæ universalis (*Science universelle*) fecit. * Sub generali & corporalium & spiritualium rerum divisio- 71 ne omnem philosophiam comprehendit. In quatuor tomos dividit. In primo agit de Terrâ, Aqua, Aëre, Cælo & Astris: secundo de Meteoris, Lapidibus, Metallis,*

Metallis, Plantis, Animalibus, Anima hominis, Angelis & DEO: tertio de usu, melioratione, perfectione & imitatione rerum in mundo: quarto de usu idearum, quæ producunt scientias & artes, de linguis, scriptura, numeris. Addidit his refutationem errorum vulgarij tractatumque, in quo examen Encyclopædiarum instituit, sui que consilij rationes in concinnatione hujus scientiæ universalis exponit. Verum præcipuos aliquos tantum recenset, ac non paucos omittit. Sciagraphiam ac rationem sui Operis in sine Bibliothecæ Gallicæ tradit. Ceterum & alia, quæ pro subsidiis scientiæ universalis inservire possunt, in tractatu Gallico de perfectione hominis, quem in Germanicam linguam Baro de Stubenberg convertit, Noribergæ An. 72 1660. editum. * Sunt, qui sub schemate fabulæ amatoriæ universam philosophiam tractant, quod fecit *Martianus Capella libro de nuptiis Philologiae & Mercurii & septem artibus liberalibus*, in quem autorem Grotius annos 14. natus scripsit. * Non multum dissimilis argumenti est fabula illa, ab Anglo quodam inventa, & in linguam Belgicam translata, ac Amsterodami 1668. edita. Titulus est: *De vermaakelcke Historie Zee en landt-Reyze van Euphues, ofte een Ontleedinge des Vernisfs*. Proponitur hic sub specie Historiæ fictæ ratio conversandi ac educatio nobilitatis eruditæ methodusque studiorum instituendorum. Voluerunt illi Autores utile dulci miscere; cumque præcepta nuda severitate sua ingrata sint; hac nova specie vestita illa magis forte arridebunt. Verum ut illa *Sorelliana* methodus historica, ita hæc 74 Poëtica & comica est. * Scientias & disciplinas particulari methodo tractatas uno volumine congestit **JOH. HENRICUS ALSTEDIUS**. * Operosa fuit illius viri 75 diligentia, non tantum in consuetis disciplinis in compendium redigendis; sed etiam in novis inveniendis. Valde enim largus est in titulis novarum artium, quos effinxit interdum, ut nova res videretur, quæ in aliis disciplinis jam tum pertractata erat, pertractari & debebat. Nam si quis de partibus omnium disciplinarum singulares disciplinas conficere velit, ut faciunt ejus exemplo nunc multi, non dividere accurate & methodice, sed discerpere disciplinas videretur. In uno objecto multa nova formalia considerari possunt, neque statim nova inde disciplina formanda est. Arque hinc factum est, ut, cum Alstedius nimiam diligentiam affectaret, negligentior fieret. *Gatakerus in præfatione Cinni sui* parum magnifice de hoc Opere sentit. Neque ego suaserim inde quis Philosophiam discat: suam enim quandam methodum sequitur a publica & usitata diversam, & unius disciplinæ detrahit sæpe, ut eo locupletiores disciplinarum orbem habeat. Hinc quas succi 76 plenas habere poterat, reddit sua curatura junceas. * In nonnullis tamen laudanda ejus est diligentia, qui primus tentavit artes mechanicas ad sua redigere principia, & sub forma disciplinæ proponere; non plene quidem, prout rei conditio postulabat: sed laudabile tamen erat prima ejus rei lineamenta duxisse; quæ an recte ducta sint; nunc quidem non disputo. Solet per canones procedere. Istarum vero artium principia more mathematico essent proponenda. Sunt enim mathematicæ propagines; ac oprandum esset, ut aliquis emunctioris naris Philosophus, Physicus præcipue ac Mathematicus, hoc argumentum sibi sumeret tractandum;

dum; præter enim speculationem non pauci inde fructus redundarent in Rempublicam. * *Thevenotius* illud in animo habuit, qui ad hoc opus perficiendum 77 omnes super hoc argumento scriptos libros conquirit, ut superiore libro jam tum diximus, Architecturæ Navalis Specimen præclarum dedit *Witsenius*, qui vastum de ea arte volumen Belgica lingua scripsit. * *Velfchius* quoque digressiones 78 autumnales in officinas variorum Artificum, quibus nonnulla arcana illorum minusque cognita enarrantur, promiserat. * Ut ad Alstedium redeamus sæcundum 79 encyclopædias scriptorem, idem quoque *Encyclopædiam Biblicam* scripsit sub titulo: *Triumpho Biblici*, in quo omnium disciplinarum Systema e Sacra Scriptura concinnat. Qua ratione ego e libris Juris, aut ex Hippocrate & Galeno similem Encyclopædiam conficere velim. * *Velfchius* quoque *Pædiam in Cyclo* 80 *clopædiæ Alstedianæ* meditatus fuit, cujus consilium *Schræckius* in ejus vita fusius exponit: *Proficium maxime reputavit, si quis ejusmodi institutum, resectis inutilibus omnibus, & prolatis exscriptionibus omissis, prosequeretur. Orbique literato aliquando non latius diffusam èν κώλω πευδείων repræsentaret, sed nervosius contractam atque exasciatam exhiberet πευδείων èν κωιδίςκω, non tam nove, quam modeste inscriptam. Hinc ipse multa etiam hac de re meditari cæpit. Aliquando igitur hanc daturus erat, consilium in longe minori opere multo majus Alstediano sibi fuisse, ipso opere demonstraturus. Nec enim artes populares omittere animus erat, nec institutiones Grammatices omnium linguarum, maxime orientalium, Pangrammatices nomine eas complectens; Parotechnices quoque nomine artes omnino omnes comprehensurus, cum istarum omnium commoda, arcana & èν γυζειήσσει, quantum poterat, explorare conatus fuerit. Quibus etiam Emporeticen, Alhedio neglectam, aliasque similes, Politices non minus, quam Oeconomices soboles ac socias adungere constituerat; non minus etiam Stratioticen ejusque partes, & similes quasdam alias. Sed Opus hoc imperfectum reliquit. Keckermanni Encyclopædia majori ἀκριβεία scripra est. * JOACHIMUS FORTIUS 81 RINGELBERGIUS exiguo quodam libro Encyclopædiam complexus est, nec operosa methodo, sed potius èν συνόλεσσι omnia proposuit. Ingenium tamen illa sapiunt. Mathematicis studiis fuit addictus: nam tres libros Astrologicarum Institutionum scripsit. Tersam perspicuamque dictionem sectatur. Laudavit illum Erasmus singulari quodam epigrammate. * Mirabilis vitæ ejus conditio 82 fuit. Primum enim in aula Maximiliani pictorem, cælatorem ac calligraphum egit. Anno decimo septimo Lovanii linguæ Latinæ elementa discere cæpit, ac brevi multum profecit. Quæ ille in Encyclopædia sua de disciplinis attingit, pauca sunt; sed occurrunt tamen in illa brevitate observatu digna. Suave illi dicendi genus est, neque terminorum scabritie involutum. Vitam suam ipse descripsit in libro de ratione studii, qui *Cyclopædiæ* ejus Basil. Ann. 1541. in 8vo editæ annexus est; ac plurima rei literariæ suppeditat non spernenda consilia; etsi in nonnullis ea ridicula ac non imitanda, omnia ejus Opera edita sunt apud Sebastianum Gryphium, cum Encomiastica Hyperii oratione. Hunc librum ita amat Thomas Erpenius, teste *Vossio de scientiis Mathematicis cap. 36. §. 10.* ut recudi Tomus I. Eee cura-*

curaret Lugduni: huic enim libro ille adscribebat; se istos in literis fecisse pro-
 83 gressus. * Aliqui generatim tantum agunt de omnibus disciplinis, earum natu-
 ra, constitutione, ut fecit ANTONIUS ZARA in sua *Ingeniorum & scien-*
 84 *tiarum Anatomie*. * Tale fuit forassis Opus, quod meditabatur VOSSIUS,
 quodque in libro de *Theologia Gentili lib. 6. cap. 8.* ipse citat eo titulo: *opus artium,*
& Constitutio omnium artium & scientiarum; quod vel ineditum hactenus est, vel
 imperfectum ab Autore relictum. *Ἀποσπασμοί* eius videtur liber de *quatuor ar-*
tibus popularibus, Philologia & scientiis Mathematicis.

85 Ad hanc classem quoque pertinent illi Scriptores, qui consilia in singulis di-
 sciplinis addiscendis suppeditarunt. Fecit id HAVEMANNUS in *Methodo*
 86 sua, Hamburgi Ann. 1673. edita: * CLAUDE FLEURY in libro Gallice
 scripto, cui titulus: *Traité du Choix & la methode des etudes,* i. e. de selectu &
 87 methodo studiorum, Bruxellis Ann. 1687. edito. * Cererum Autorum, qui
 consilia & methodos pro instituendis studiis, vel generatim vel speciatim, scripse-
 re, vastus est numerus, quorum aliqui singularibus Voluminibus collecti, de qui-
 bus hoc libro cap. 2. egimus. Prodiere in Belgio quoque aliquot Voluminibus
 tales Dissertationes. Amsterodami Ann. 1645. prodiit libellus, ubi congeruntur
H. Grotii Epistola de hoc argumento ad Benjaminum Maurerium; Gabrielis Naudai Biblio-
graphia Politica & Syntagma de studio liberali; Clapmarii Nobilis Adolescentis Triennium;
Coleri de ordinando studio politico Epistola; Additamentum ex Job. Caselii Næw; Jacobi
Pocani Dissertatio de Studiis; Joachimi Fortii de ratione studii liber: Erasmi Roterodami
Tractatus ejusdem argumenti; Casparis Barclai Methodus studiorum præscripta Ducibus
Megapolensibus; Ejusdem Methodus Morum, præscripta Ducibus Lunenburgensibus; Thome
Campanella de libris propriis & recta ratione studendi Syntagma; Leonardus Aretinus de
studio & literis; Scioppii Consultationes de Scholarum & studiorum ratione; prudentia &
eloquentie paranda modis; Ludovici Crocii Instructio de ratione studii Theologici;
Joannis Loccenii de studio Juris Dissertatiuncula epistolica, cum excerpto ex Epistola Hu-
gonis Grotii; Johannis Heurnii de studio Medicinae bene instituendo Dissertatio; M.
Hortensii Dissertatio de studiis Mathematicis recte instituendis; Sebastiani Foxii Mbr-
selyi de studii philosophici ratione Epistola; Petri Angeli Bargai, quo ordine scriptorum
historia Romanae monumenta sint legenda, libellus; Joannis Caselii Epistola de studio
liberalis doctrine decente equestri loco natos, de peregrinatione nobili, de oratione civili
perspicua; Scioppii Diatribe de compendiosa & facili linguam Hebraeam condiscendi
ratione; Joannis Alberti Bannii Dissertatio epistolica de Musicae natura, origine, pro-
 88 *gressu & demique studio bene instituendo.* * Prodiit alter talium scriptorum to-
 mus Trajecti ad Rhenum Ann. 1658. in quo habentur *Gerh. Joh. Vossii Disserta-*
tio bipartita, cujus pars prior agit, quibus disciplinis perfecta vultus eruditio, altera,
quomodo variae disciplinae optime addiscuntur; ejusdem Introductio in Chronologium;
ejusdem Appendix de Imperiis, quae potissimum in historiis celebrantur; ejusdem de ra-
tione universam legendi Historiam Dissertatio; ejusdem de imitatione oratoria & poetica;

Lipſi de ratione legendi Hiſtoriam Epistoſa, de recitatione in conventu publico & privato, de notis & notariis veterum, inſtitutio epistoſica de diſtinctione & interpunctione, de bibliothecis libelli; Hermannii Vultei de ſtudio juris; Aegidii Mommerii de ratione legendi diſcendique jura; Jacobi Acontii de inveſtigandarum tradendarumque artium ac ſcientiarum methodo; Johannis Hoornbeckii brevis inſtitutio ſtudio Theologici; Henrici Morreife Diſſertatio de Manuſductione ſtudioſi juris per Academiam & Rempubicam; Joannis de Raci Diſſertatio de ſubſidiis, gradibus ac vitiiſ notitiæ vulgaris in natura contemplatione & officio Philoſophi circa eandem; Regula Vitæ Sapientis, Harmonicæ, tranquille, actuoſæ, negotiis obruta, liberaliter otioſæ, peregrinantis denique. * Sunt & Diſſertationes aliorum in hoc to- 89 mo, quæ jam in Amſtelodamenſi habentur, quibus denuo recensendis ſuperſedeo. Collegit & Heideggerus hujus generis libellos nonnullos, libro Tiguri Ann. 1670. edito; in quo Henrici Bullingeri de ratione ſtudioſorum; J. Jacobi Breitingeri Hypomnemata ſubitanea; Franciſci Junii F. F. Paraneſis; Henrici Bullingeri Inſtitutio pro peregrinaturis. Cetera, quæ hic habentur, ab aliis jam in cenſum relata ſunt. * Verum longe plures illis addi poſſunt, e quibus præcipui, 90 prout memoriæ illi ſuccurrunt, a me conſignabuntur. Amphiloſchii Epistoſa græca de ſtudiis recte formandis, cum notis Joach. Zehneri; Alſtedii Cynofura Studioſorum; Caſelii Academicus, Neos, Propoliticus, Rhetor; & plures alii; Aradius de ſtudio lingue Latine; Ruperti Methodus ſtudio Philologici; Mitternachts Pædia; Pomarii Conſiliarius Scholaſticus; Hyperii de ratione ſtudio Theologici; L. Kepleri Methodus conciliandarum ſectarum Medicarum; Veridici de Juſtiniano Ratio corporis juris reconcinnandi; Leibnizii Methodus nova, Jurisprudentiæ; Scheurlii Statua Mercurialis; Budæus de ſtudio literarum commode inſtituendo; Blemertii de Nobiliſ Inſtitutione; Joach. Paſtorii Pa-laſtra Nobiliſ; Schefferus de Nobiliſ informatione; Blumii Orator reformatus de Elo-quentiæ in Scholis reſtauratione; Bæcleri Manuſductio ad autores claſſicos, Germanica lingua; Bonneus de ratione diſcendi; Burenii de ſtatu Scholæ philoſophicæ in Academia Roſtôchiænſi; Bodini Methodus Hiſtoriarum; Reineccii Methodus legendi Hiſtoricos; Heneli Statua Mercurialis ad Jurisprudentiam; Hobokenius de Politices ſtudio; Kilembergii ſtatua Mercurialis Theologica; Goclenii Praxis Artium generalis; Latomi de trium linguarum & ſtudio Theologici ratione; Puteanus de Collegio trilingui; Nunneſius de ſtudio Philoſophico; Oſiander de ſtudiis inſtituendis; Puteani Methodus literarum; Friſchlini Methodus inſtitutionis pueriliſ; Dreſſerus de ordine diſcendi; Ernſtii Methodus docendi juris; Fabricii Meditationes circa ſcientiarum ideam atque principia; Freigii Pedagogus; Fungerus de puerorum diſciplina; Gallicii Oratio de doctrinæ ſuco; Auſonius de ſtudiis, cum commentario Minois; Mureti Inſtitutio pueriliſ; Philippi Cattieri Exercitationes de ſtudiis; Gribaldi Methodus ſtudenti in jure; Academicus Somnians Lepidi Philalethæ Samionis Utopienſis Satyra in perverſam ſtudenti methodum An. 1659. in 12. edita; Miſonis Erythrai Ludicra & Satyrica, quæ ad ſtudia literarum atque literatos maxime ſpectant, excitandiſ ingeniis, eruendiſ juventuti, Salisburgi Ann. 1687. in 12. edita. Rolandus Mareſus in ſuis Epistoſis, ac præcipue lib. 2. ep. 30. Cornucopiæ quoddam talium conſilio- rum exhibet. Promiſit etiam Ferretus, qui Myſam Lapidarium ſcripſit, tales epistoſas conſultationibus literariis referat. Infinita hic adduci poſſent ejus generis. Sed de iis

91 suo loco plura, cum ad ipsas disciplinas perventum est. * Hic quoque illud verum est, multos esse consiliarios & parum consilii; atque a pluribus coquis raro ad palatum cibos apparari. In tot viis difficile est veram invenire semitam, dum
 92 suo quisque sensu abundat. * Proposuerat ante multos annos vir doctus, ac Professor in Academia Erfurtenfi clarissimus, *Eckhardus Leichnerus de Apodictica Scholarum reformatione* consilia, singulari eam in rem edito libro. Sed nihil tamen ef-
 93 factum est. * Huc quoque pertinent, qui argumenta scientiarum varia proposuerunt; in quibus primum locum merito occupat magnus ille *Baco Verulamius*, qui inter Anglos primus signum sustulit ad amplificandos scientiarum terminos; cujus postea vestigia secuti sunt, & hodie quoque sequuntur, tot in Anglia viri docti, qui in Physices & Matheos studio illustrando omni conatu conspirant.
 94 * Ex mente Verulamii quædam in sua Universali Methodo instituire voluit *Johannes Beyerus* libro, cui titulus; *Filum Labyrinthi vel Cynosura, sive Lux mentium universalis, cognoscendis, expendendis & communicandis universis rebus accensa*, Cassoviæ in Hungaria 1663. edito. Verum obscurat potius Verulamii sensus omnemque philoso-
 95 phiam, quam ut lumen aliquod accendat. * *Velschius* etiam noster multa talia in animo habuit: cujus extat *Somnium Vindiciani sive Desiderata Medicina*, Augustæ Vindelicorum An. 1676. edita, ubi multa proponuntur, quibus non Medicinam tantum, sed & omnem rem literariam augere voluit. Magna sane ejus obitu jactura
 96 facta est. * *Leibnizius* in sua *Jurisprudentiæ Methodo* consilia, quibus augeri disciplinæ.
 97 possint, suppeditavit. * Est & *Anonymus*, qui libellum *desideriis literariis* plenum
 98 publicavit. * Qui de erroribus & defectibus in doctrinis agunt, etiam huc referendi: ad viam enim ipsam iter sternunt, qui de via deflectere docent. Ut sunt, qui de corruptis artibus, quemadmodum *Vives*, egerunt; aut de erroribus vulgi scripserunt, ut *Thomas Broun* in sua *Pseudodoxia Epidemica*, quo titulo ille librum Anglica lingua scripsit, in Belgicam linguam conversum hoc titulo: *van de allgemene dwaelingen des volcks*; sed nunc ille auctior Anglica lingua prodiiit. Multa sunt in illo libro notatu dignissima. Aliqui per Lexica universam philosophiam tradunt, Hippolyti lacera potius membra, quam integrum corpus, exhibitori, ad quæ sedibus suis restituenda *Æsculapio* aliquo opus sit.

99 Inter tot tamen methodos semper nova desideratur methodus. Adeo nunquam nobis satisfacimus; ac justa sane est *Martini Schockii* in præfatione libri de *Scepticismo* querela: *Non insicias eundem, multos occurrere viros egregios, quos satendum est, in ordinanda sive universali, sive particulari methodo, plurima cum ratione monuisse; que si observarentur, & labor compendiosior redderetur, nec periculum foret a variis erroribus, quos veritatis insignibus velatos, vix ipsi senes exuere possint, quod a teneris eos imbiberint, diuque in sinu suo quam arctissime foverint; sed dum adversa fronte inter se concurrunt, & unusquisque ex asse sue methodo, licet aliorum quoque observationibus substructa, omnem laudem & gloriam vindicare contendit, ultra methodum vix proceditur, disciplineque non solum sperato destituuntur ornamento, sed ipsi quoque discipuli in vestibulo solo detinentur. Laudare possem ultra viginti viros celeberrimos, qui intra seculum varia evulgarunt scripta,*
 aut

aut de perficiendis disciplinis, aut de augmento earundem; qui tamen parum aut nihil in unaquaque disciplina pro illius perfectione præstiterunt. * Et sane fieri vix posse videtur, 100

ut ea in re convenire possint sapientes: nam ex quo sapientia præceptis tradi cœpit, studio quædam obscurata sunt, ne paterent omnibus arcana; neque etiamnum utile est, omnia in vulgus ferri scientiarum mysteria. * Quare nec consultum 101

est, nec fieri poterit, ut una aliqua clara & distincta methodo omnia proponantur. * Ex hac diversa docendi ratione diversi libri apud veteres orti sunt, quo- 102

rum aliqui exoterici, mathematici, hypomnematici & usuales: aliqui exoterici, acroamatici. Lectiones exotericæ publice instituebantur: acroamaticæ paucis eisque dignis auditoribus habebantur. * Videndus est de illa re Octavianus Ferrarius 103

in libro de Sermonibus Exotericis, ac in libro de Disciplina Encyclico: quos e Bibliotheca Goldasti Francofurti recudi fecit Goclenius Ann. 1606, cui præfixa est elegans Goldasti epistola de Cryptica veterum Philosophorum disciplina. * Multa hic de παιδεία 104

Ferrarius, quam ille singularem vult esse vel facultatem vel habitum, qua quis recte de rebus omnibusque scientiis judicat. Definit enim per experientiam;

atque ille παιδείαν habere dicitur, qui in rerum tractatione diutina exercitatus collecta ad usum principia scientiis atque artibus cunctis suppeditat, simulque illa esse cognoscit, ac analytica scientia instructo, velut minister ejus offert. Verum in illis

de παιδεία & disciplina Encyclico a Ferrario dissentit Goldastus: * neque enim 105

per disciplinam Encyclion ἐγκυκλοπαιδείαν intelligit Goldastus, qui περὶ ἐγκυκλοπαιδείας singularem librum moliebat, in quo probare voluit, ἐγκύκλια veteribus μαθήματα proprie dicta, quibus primum etiam pueri informabantur: mathematicæ enim artes populares erant, atque iis primum instituebantur ingenui pueri, neque ad acroamaticos sermones admittebantur, qui in his rudes erant. Quod quidem in nostris Scholis quoque fieri deberet: illæ enim quasi ansæ Philosophiæ sunt, ac mirifice acuunt ingenium. Non potest etiam eam ob causam Methodus aliqua universalis institui, quod omnium rerum, imaginabilium præsertim, accurata non possit dari scientia, ac multa in problematica incertitudine subsistant, etiam in naturalibus. * Quare si vel maxime velis mathematica incedere ἀκριβεία, non 106

licebit in omnibus. Hac ergo parte succumbimus, ac fit sæpe, ut illa methodi ἀκριβεία confisi temere de rebus, quas non apprehendimus, judicemus, eaque ut ficta & falsa repudiemus. * Borellus in libro de motu animalium aliisque scriptis 107

felicitissime mathematica methodo in veritates inquisivit. Etiam Spinoza hujus methodi fucō Ethicam suam profanam incrustavit, cui eadem methodo a Blienburgo responsum est.

VARIIS IN DOCTRINA PARANDA COMPENDIIS.

- J.* 1. Methodorum scriptores quidam recensentur, & quidem Aristotelici. 2. Scherbius, Neldelius, Zeidlerus. 3. Alii via mathematica incedunt. 4. 7. de quibus judicium 5. Thoma Angli Euclides Metaphysicus. 6. Malebranchii liber de inquirenda veritate. 8. Hobbesius in plerisque cum Aristotelis doctrina consentit. 9. Compendia & præcepta quaedam studiorum e Ficheto & Fortio proposita. 10. Nossè facultates omnes, unam profiteri. 11. Certum sibi scopum præfigi debere. 12. Incertus Ficheti scopus non est scopus. 13. Triplex scopus a Fortio constituitur. 14. Amandos esse labores, luxum contemnendum. 15. Opes contemnendas. 16. Affectandas laudes. 17. Peritiam legendo, audiendo, docendo, scribendo comparandam. 18. Solitariam lectionem improbat Fortius. 19. Peritia per Anagnostas paranda. 20. Lectionis præcepta e Bacone Verulamio 21. & e Ficheto. 22. In libris vastis sufficit summariorum lectio, quæ capitibus præmitti solent. 23. Libri dogmatici summo cum studio legendi. 24. Periti doctrinarum Professores audiendi & percontationibus crebris utendum. 25. Viva vocis magna commoda. 26. In prælectionibus publicis minus assiduum suum Tironem vult esse Fortius, sed minus recte. 27. Docendi occasiones semper querende. 28. Quomodo docendum. 29. Quæ ejus utilitas. 30. Præcepta in scribendo observanda, e Fortio & Ficheto. 31. Remedia pro tædio pellendo. 36. 37. Peregrinationes. 32. 33. sqq. Fortii consilia quaedam *περὶ ἀποδοξίας*. 38. Cultus eloquentia in scribendo adhibendus. 39. Extemporales impetus non negligendi. 36. 40. sqq. Exercitia corporis aliaque consilia *περὶ ἀποδοξίας* Fortii. 43. de quibus ipse Fortius judicium profert. 34. 41. Consilia studiorum variant ratione personarum & finium. 45. Piccolomini liber de institutione hominis nobilis. 47. seq. it. libri ejusdem argumenti. 50. Nimia festinatio in studiis vitanda. 51. Petavii Oratio in hoc argumento commendatur. 52. Sorellus eandem festinationem damnat. 53. 54. Præcocium ingeniorum exempla recensentur. 54. Raro illa felicia. 56. & prudentibus viris merito suspecta. 57. Ingenia talia lente tractanda, nec obruenda. 58. Feliciores *ὁ ψυχαιδής*.

De methodo superiore capite egimus, de qua multa dicenda superessent. Multos de ea recte ordinanda sollicitissimos vidimus, sed nemo tamen hactenus ad illorum monita respexit. Qui Aristotelis doctrinam sequuntur, ita eam amplexantur, ut neminem ex alia tribu vel hincere adversus illam patiantur: * Quam præter illos, quos supra enumeravimus, Altorffini quondam, & in his Scherbius in variis scriptis, præcipue *Dissertatione adversus Ramiffas*; apud Liptien-

Lipſienſes *Neldelius* libro de *Uſu organi Ariſtotelis*; & hodie quoque *Regiomontani*, & ex illis *Zeidlerus* ſingulari libro, cui titulus, *Analysis Poſterior, ſive de variis ſciendi generibus & mediis eo perveniendi, Regiomonti An. 1675. edito*, plane ad mentem Magiſtri ſui expoſuerunt. * Qui via Mathematica incedunt; ita ſuo ſenſu ducuntur, ut 3
Ariſtotelicam illam in conſilium admittere nolint; cum tamen id potius agendam, ut utraque methodus, quæ convenire debent, ſi quid veri habent, in conſonantiam reducatur. Sed utrobique forte peccatur. * Hi, qui mathematica via unice 4
incedunt, ad ſenſuum evidentiam omnia redigunt & mechanicam quandam certitudinem, cui ita indulgent, ut in iis, quæ ſenſibus nulla ratione ſubjacent, ne latum quidem unguem ab illa ſibi diſcedendum exiſtiment, ſimiles, ut opinor, illis, qui rerum menſuras confundunt. Imponit tamen hæc ſpecies ſæpe incautis imaginaria quadam certitudine; & fallit pede regula varo, ut in *Ethices* illo *Fabro* videmus. * Qui ſimilem methodum in rebus notionalibus & ſpiritualibus ſequitur 5
Thomas Anglus, ex *Albiis Eaſt Saxonum*, libro, cui titulus: *Euclides Metaphyſicus*, *Londini An. 1658. edito*, vix ſua omnibus probaverit, etſi in præfatione ejus libri de triumphata Principiorum Sapientiæ ignorantia tropæa ſe moliri jaçtet. * No- 6
viſſime quoque *Malebranchius* in libris de *inquirenda veritate* prolixè mathematicam hanc methodum commendat, ac operoſe ſatis *Carteſianam* de methodo doctrinam cum *Ariſtotelica* confert; nam parte ſecunda lib. 6. ubi *Carteſianas* regulas propoſuerat, aliquot capitibus demonſtrare laborat, *Ariſtolelem in Phyſicis ſuis nihil demonſtraſſe, cum nullam harum Regularum partem obſervavit.* - Ipſe quoque *Arithmeticam* & *Algebram* duas conſtituit ſcientias, quæ ſint fundamenta ceterarum omnium. Non credam, inquit, eſſe quicquam utile, quodque accurate ab hominibus ſciri poſſit, ad cujus cognitionem *Arithmetica & Algebra* ope pervenire non poſſunt. * Ego 7
certe miror, qui factum, ut *Lyncei* iſti homines ſua iſta methodo velut divina aliqua virgula ſecreta veterum, nemini in dubium vocanda, non penetraverint; cum tamen veteres illi *Philoſophi* ſuis ſuffulti principiis, quæ in analogiſinis potius & conjecturis interdum ſubiſtebant, tam prodigioſa extuderint, in quibus hodieque ſtupemus; ac vel ignorantiam noſtram proſitemur, vel, quia nihil ſcire ſine hac methodo nos poſſe credimus, iſta pervicacia armati pro mendaciis ac fabulis habemus. * *Hobbeſius* tamen in ſua *Computatione* ſeu *Logica* cap. 6. methodum il- 8
lam mathematicam omnibus non convenire judicat, & in plerisque cum *Ariſtolelis* doctrina conſentit.

Subjungo nunc, quæ aliqui ſpeciatiſſime conſilia in ſtudiis ac doctrinis diſcendis 9
tradidere, quæ hic quoque referri debent. Qualia præcepta etſi magno numero dari poſſunt, & inprimis e *Viris virorum doctorum* formari: nam ut regulæ exempla producunt, ita ab exemplis regulæ peti poſſunt: etſi quoque in libro primo, ubi de *converſatione eruditæ* agimus, non pauca adduximus, & ex ipſo ſtudiorum ſcopo conſilia variant; tamen illa, quæ nunc occurrunt, præcipue ex *J. Fortio Ringelbergio & Alexandro Ficheto*, quorum ille in libro de *ratione ſtudiorum*, hic in *arcana ſtudio-*

- 10 *studiorum methodo.* quædam notavit, apponemus. * Primum Ficheti præceptum est: *Nosse Facultates omnes, unam profiteri:* vir enim eruditus, qui ex omnibus artibus existit, nulla in re hospes esse debet. Uni tamen & propriæ incumbendum est Facultati; de reliquis, quod in rem nostram facit, delibandum. Qui simul & intempestive adoriuntur omnia, Ardeliones vocantur, risuque & sibilo excipiuntur: qui propositum mutant, quotidie tirones sunt, nunquam magistri. *Summus non erit,* inquit Fortius, *qui non ex unaquaque disciplina decerpserit, quod ad scopum suum conferat. Id citra laborem effeceris, si nihil attigeris, nisi locos communes;* de quibus, cum dabitur occasio, libellam conscribemus. * Secundum, quod primo loco J. Fortio ponitur, est: *Certum sibi scopum præfigi debere.* Nam pauci complectuntur animo bonarum artium curricula omnia: amici hic in consilium adhibendi, ingenium nostrum explorandum, quid valeant humeri, quid ferre recusent: periti Magistri consulendi sunt: difficultas, diuturnitas studiorum expendenda: humaniorum literarum & philosophiæ loci communes, & classis
- 12 *corum autorum lectio nunquam omittenda.* * Incertus scopus, quem Fichetus hic nominat, non est scopus; atque ut ad illum nulla linea tendit, ita nulla
- 13 *consilia pro illo suppeditari possunt.* * Triplicem scopum constituit Fortius. Nam vel in tertiis, vel in secundis, vel in primis consistere cupimus. Erecta ingenia semper sibi summum locum præfigunt. *Humilis, pavidus & abjectus est animi,* inquit Fortius, *mediocrem esse velle. Equidem me in mille partes discerpi malim (dis-*
- 14 *percam si secus loquor ac sentio) quam remittere animum ad summa evadendi.* * Tertium est J. Fortii: *Amandos semper labores & contemni luxum debere.* Non potest esse magnū, quod sine pulvere & sudore continget; neque unquam desperandum. * Idem Fortius inter regulas suas etiam hanc ponit: *Opes debere contemni: nihil enim videtur,* inquit, *accommodatius, nihil magis necessarium penuria, cujus beneficio omnes artes inventa sunt: equidem eo ingenio sum, semper sui & semper ero, ut summam inopiam, quam summas opes malim. Metuerem enim, ne pernicioseca mentem occuparet meam.* Sed hoc inter cetera ejus paradoxa referendum.
- 16 * Quartum est: *Affectandas esse studioso laudes.* Nihil enim potest eruditio sine laudum cupiditate; laudum cupiditas sine eruditione. Alterum alterius præsidio
- 17 *semper innititur.* * Quintum est: *Peritia comparetur legendo, audiendo, docendo, scribendo.* In singulis multa specialia observanda. * Solitariam lectionem omnino damnat Fortius: *Ea maximum,* inquit, *fastidium affert & vehementer obtundit ingenii vires. Si autorem legere libeat, cum alio id fieri velim. Mirabile enim ex alterius præsentia oritur iudicium. Adeo ut si adsit quispiam tanquam apertis oculis res ipsas introspicere te; si nemo, somnariæ duntaxat existimes. Ad hæc cum proferenda sunt studia, caligant in luce & omnia nova offendant, ut qui soli didicerunt, quod inter multos faciendum*
- 19 *est.* * Fichetus hic inter arcana divitibus commendat, ut aliorum oculis legant, alienis manibus scribant, alienis studiis proficiant, Anagnostas habeant, qui Autores indicent, compendio referant verbo vel scripto, quicquid est in optimis libris scitu dignum, audiri jucundum, æstimatione pretiosum. *Hæc arte,* inquit, *quamplurimi hodie paucis*
- nummis

nummis & sportulis exhauriant omnes virorum doctissimorum Bibliothecas. Paupertas eruditissima divitum auro sustentata; studet illis, scribit illis, suas illis refundit opes inestimabili fenore, & majori eos solatio remuneratur, maxime cum gratis pro optimatibus elaborat lucubrationes, quod Religiosorum eruditorum est negotium perpetuum. Hic modus affinis est Regum felicitati, qui ad mensam inter epularum illecebras pascuntur esca doctrinarum, & in ipsa lectuli quiete, auditione rerum optimarum acquiescunt. Hanc etiam industriam magna ex parte imitantur, qui collata cum aliis studiorum opera spolia dividunt militiae: juvant enim sese mutuo eruditi, & doctus doctum acuit, commilitique jura tuenda putat. Simili arte nundinantur ingressum Bibliothecarum alii, librariorum officinas frequentes adeunt, indices eorum percurrunt, & Gesneri & aliorum Dictionarium scriptorum: scruta librorum scrutantur & coemunt. Bibliothecas hominum doctorum licitantur. De Papyrii Massoni Museo quanta & quam pretiosa venerint, scio. Haec sunt lucrosissima omnium vici sine, nostra maxime tempestate, cum apud Bibliopolas summa est veterum eruditorumque autorum inopia, omnibus lucro inbiantibus, & vulgares duntaxat libros, qui usu teruntur & consuetudine quotidiana, excudentibus. * Baco Verulamius Sermone fideli 48, illa non contemnenda praecepta suppeditat. Temporis nimium in lectione & studiis terere, speciosa quaedam foecordia est; iisdem ad ornatum mollius abuti affectatio mera est, quae se ipsam prodat. Libros non legas animo contradicendi & disputationum praeliis concertandi; neque rursus omnia pro concessis accipiendi, aut in verba auctoris jurandi; neque denique in sermonibus te venditandi; sed ut addiscas, ponderes, & judicio tuo aliquatenus utaris. Sicut libri, quos leviter tantum degustare convenit; sunt quos deglutire, cursimque legere oportet; sunt denique, sed pauci admodum, quos ruminare & digerere par est, hoc est, libri quidam per partes tantum inspiciendi; alii perlegendi quidem, sed non multum temporis in iisdem evolvendis infumendum; alii autem pauci diligenter evolvendi, & adhibita attentione singulari. Invenies etiam libros haud paucos, quos per alios & vicaria opera legere sufficiat, eorumque compendia tantum desumere. Verum hoc fieri nolim, praeterquam in argumentis humilioribus, & auctoribus minoris pretii. Lectio copiosum reddit & bene instructum; Disputationes & colloquia promptum & facilem; scriptio autem & Notarum collectio perfecta in animo imprimat, & altius figit. Itaque si quis in notando segnis sit aut fastidiosus, memoria illi opus est bona: si Colloquii se non exercent, requiritur ei ingenium promptum; sin in legendo parcus sit, hoc solum relinquatur, ut artificio quodam utatur, quo videatur ea scire, quae nescit. Historiarum lectio prudentes efficit; Poetarum ingeniosos, artes Mathematicae subtilitatem donant; Naturalis Philosophia judicium profundum parit; Moralis gravitatem quandam morum conciliat; Dialectica & Rhetorica pugnacem reddunt & ad contentiones alacrem; abeunt (ut ait ille) studia in mores. Quin & vix occurrit in intellectu impedimentum aliquod instum, aut naturale, quod non studio quopiam idoneo emendari & edolari possit. * Ad lectionis commodum haec Ficheti praecepta inserviunt. Multum legamus, non multa. Festinemus lente: obrui-

tur enim memoria multitudinc, festinatione iudicium ingeniumque corrumpitur. Convivas imitemur oportet, qui cibus non ingurgitant sese, quos non concoquerent, sed sedata fame & lento dente vescuntur, eaque mensura & modo, ut digerere & in succum suum demutare queant dapes illatas. Valebit hoc, si ea legamus, in quibus magna attentione opus: utpote disciplinarum scriptores, quorum argumenta connexa sunt, qui fundamenti loco subternendi ceteris sunt. * Alioquin in libris vastis, quales scribere Jcti solent, Historicis & similis generis summariorum lectio, quæ præmitti capitibus solent, sufficiet. Multa enim in illis sunt aliena, quæ sine dispendio prætermitti possunt. * Pertinet ad tales quoque libros dogmaticos & cum cultu scriptos hoc præceptum Ficheti: *Non est interrumpenda lectio notis exscribendis, sed ad finem a capite ad calcem pertexenda atque regustanda denuo, ut ars dicendi iudiciumque combibatur, tum notæ per otium signis positæ indicatæ excerpentur. Bis & ter quod pulchrum est, imo libri præcipui terendi & præ manibus habendi sunt semper: eam ob rem ille ut Amasium suum circumferebat Homerum semper, Hesiodum alius, hic Tullii familiares Epistolas.* Quare in omnibus fontes querendi sunt, qui enim fontes invenit, multum & multa legit, cum principis insunt omnia: qui rivulis irretitur, licet multis, legendo multa parum aut nihil legit; mea aeterna erunt, agebat ille apud Valerium Maximum, tua horaria. Fontes autem dicuntur autores scientiarum, & in facultatibus principes: Rivuli interpretes, Analectæ, Murileguli, Minorum gentium libri. Fons eloquentiæ Cicero, Historia Lælius, Poëscos Homerus, & magna ingenia fontibus capiuntur, mediocria rivulis. De illis quoque libris verum hoc est Ficheti præceptum: sic legendi libri, quasi non simus amplius lecturi, sic hauriendæ in scholis sententiæ, quasi repetituri non simus: sic de fonte aureo & torrente hauriendum, quasi deinceps haurire non liceat. Ita fiet, ut accuratissime studia obeamus: etsi enim nonnulla crebro retractanda sint, quæ in usum veniunt occupationum, omnia tamen repetenda non sunt. Accidit sæpe, ut quædam studia Genio nostro adversentur, quibus tamen necessario vacandum est. In his utiliter suadet Baco Verulamius sermone fideli 36. *In studiis quicquid a natura alienum repereris, stata tempora tibi præfigas ad ejusdem exercitationes & meditationes. Sin autem cum Genio tuo convenerit, de statis horis ne sis sollicitus: cogitationes enim tuæ sponte illuc convolabunt, prout negotia & cetera studia permittent.*

24 In audiendo & percontando diligentissimum vult esse suum tironem Fortius. *Accedant, inquit, ad Professore, interrogent libere, sed paucis quæstionem absolvant: nam mora viris doctis semper infesta est. Si is dedignabitur respondere, currendum ad alios. Nihil refert, quisnam ille sit, cujus ope opes nostræ augeantur.* Fioravantus in libro Italica lingua scripto *Deilo Specchio di scientia universale lib. 3. cap. 20*, ad discenda omnia hoc secretum, quod ipse summum habet, præscribit, ut Virogum doctorum conversationem quaeramus, atque in omnibus negativam sententiam arripiamus, ita hac occasione a viris doctis elici omnem doctrinam sine nostro labore posse. Quod tamen non ubique, nec apud omnes bene procedit. Plerumque contradictionibus

nibus offenditur animus. Quare nisi certa moderatione id fiat, non probaverim. * Fichetus docet cap. 10. audiendos sæpe esse viros doctos, de pulpito 25 dicentes. Uno, inquit, momento temporis effundunt in suum nostrum, quod longissimo plurimorum annorum labore coacervarunt, atque hoc nullo nostro labore magnaque cum animi nostri voluptate contingit. Velint, nolint, cum videri docti appetant, sua prodant arcana omnia necessum est, quæ etiam necessitas, ut Tantali saxum, nobis incumbit: itaque mutui fures doctrinarum sumus, dum audimus & spectamus invicem: sunt enim oculi & aures scientiarum omnium administri & proxenetæ. Est & aliud commodum in lucro reponendum maximo, quod ex hominum erudita lectionis ore audiuntur autorum citationes ignotorum, & discuntur pretiosa rerum reconditarum nomina. Idem iudicium de consuetudine & conversatione doctissimorum esto. Eadem enim ab illis elicia familiaritate & arte blandissime suffuraberis, eadem disces & forte docebis. Mutua enim hæc est inter eruditos & ingenuos opera, nam callidi nostra furantur, & sua non deprimunt, absit supercilium vincendique studium ab hujusmodi familiaritate, adsit discendi docendique benevola modestia, quam in Nepotiano dilaudat Hieronymus, quamque in veterum libris exploratam habemus atque perspectam. * In audiendis prælectionibus 26 publicis non usque adeo assiduam suam vult esse tironem Fortius, meo quidem iudicio minus recte: nam si Doctores in illa arte excellunt, quam profiterentur, viva voce plus docebunt, quam e multis libris capias. * In docendo 27 maximum profectus præsidium, nec immerito, collocat Fortius: Simul atque (inquit) in literarum iudicio promoveris nonnihil, enitere, ut per totum diem, si fieri possit, doceas; ea doce, quæ noveris, si non omnia nosti. Sedulo curandum, ut vel prece vel pretio habeas unum, cui ea, quæ velis, possis recitare. Si pro horis singulis exiguam pecuniam dederis auditori, atque hoc modo quatuor aut quinque aureos expenderis, tantum comperies te profecisse tum in literis, tum in forma docendi, ut vel palam ea audeas profiteri. * Porro nunquam docendi munus etiam ab imparato omittendum suadet: 28 Relicta ostentandi libidine quoquo modo affectum te esse senseris, sive per totam noctem vigilaris, sive altior cogitatio te impedierit, ad exercitium velut ad messem currito. In prælegendo omnem superstitionem vitandam suadet. Si quis locus occurrat obscurus, eum intactum potius relinquere suadet. Nam e prælectione magis fructum, quam gloriam quærendam esse iudicat. Sæpe mihi, ut hoc meo firmem exemplo, cum ad docendum maxime imparatus accessi, in extemporali prælectione necessitas ipsa extudit, quæ longa meditatione non incidissent. A docendo omnem abesse vult invidiam. Si literatus me invisat, inquit, non occultabo ea, quæ assidua peperit consuetudo: verum ultro ipsa prodam tradamque alteri ferrum, quò me superare possit, si velit. Sic enim aliis indicando sæpe studii modum ipse meliorem semper inveniam, quem exercitatio illa suggeret docenti. Quod Fortii consilium non erga omnes æque laudandum: dissimulanda enim aliqua erga illos esse, qui ingenuitate nostra, abuti volent, ipsæ communis prudentiæ regulæ dictabunt. In docendo omnes cavillationes & sophismata abesse jubet, quæ charrarum lusibus comparat, in quibus omnia

29 ficta sunt. * Suadet porro, ut etiam pueri ea, quæ didicere, statim doceant alios, proposito singulis mensibus aut præmio aut honore aliquo illi, qui vicisset; quod in declamando suaserat Fabius. Sic enim uberio rem relatu ros fructum, & juventuti rectius consultum fore existimat. Novi ego, qui in numerosa prole rem optimo cum successu ita instituerunt, ut natu majores minores semper docerent; qua mutua æmulatione excitati fratres feliciter in studiis progressi sunt. Fichetus quoque inter arcana sua etiam τὴν διδασκαλίαν commendat. *Ad comparandam, inquit, solidam doctrinam via trivissima certissimaque est docere. Signum enim scientis est posse docere, imo & gradus ad scientiam firmissimus.* Fortius magni faciebat hoc docendi exercitium: *Hoc exercitio miram tibi rerum copiam comparaveris. Ubi decies rem eandem docueris, plus te senties profecisse, quam si fugiens lucem magno te domi labore confecisses.* Per singulos dies duodecim docere horis solebam; præterque ipsas semel interim declamare, vel de Deo, vel de mundo, aut thematibus aliis exercitationis causa. Nonnulli insanire me vociferabantur, sed utinam sic ab ineunte etate contigisset insanire. Tanti ego facultatem istam facio, ut malim iudicium adolescentis, qui perpetuo docuisset, etiam res humillimas, quam ejus, qui solitaria domi lectione aures optimos perlegisset. *Multa sæpe legi, sed mensis unius intercapedo memoriam ita deleverat omnem, ut vix dum scirem, quos legissem.* At quæ alios docui, ea tam mihi perspecta sunt, quam corporis mēbra ipsa. *Ea non aliter, quam solis splendorem ante oculos hæcere sentio.* Horum cognitionem firmam esse, certam esse, frugemque proferre amplissimam, experimento comperi. Horum memoriam vix morte credam extingui posse. *Quoties me (idem in Annotationibus ait) insanum vocarunt, cum per integrum mensem quotidie docerem ab ortu solis ad occasum? quoties dixerunt fieri non posse, quin ante finem mensis inter labores exspirarem? fatigor quidem, id non nego, etiam pene usque ad spiritus defectio nem; sed fatigatio ea dulcis est.*

30 In scribendo tum Fortius, tum Fichetus utilia præcepta suppeditarunt. Ille scribendo omnem operam impendere jubet, cetera omnia floccipendere: *Ubi perveneris ad provectiora, puta te tantum profecisse, quantum quotidie scripseris. Etiam si natura facundus es, dedita opera loquaris in composita.* Nam fere fit, ut, qui loquuntur accurate, minus erudite scribant. *Dum enim rerum illarum voluptate afficiuntur, imperfectiores oportet sint in altero.* Nemo pari cura res duas unquam tractaverit. *Nulla prælectio mihi tanti est, ut cogitationis aliquid illi velim tribuere.* Id namque me a scopo meo averteret. *Ea solum profero, quæ primum veniunt in mentem, quæ exercitatio longa mihi comparavit.* Et si loquendum esset cum viris summis, etiam in cætu maximo, ne verbum quidem unum præmeditarer, tam libens inepte, quam apte sententiam exprimerem. *Quod si res majorem curam postularret, talem rem, talem cætum, veluti pestem, fugerem, ac stili amorem continerem in pectore.* Certe neminem unquam vidi (nisi me memoria fallat) docte scribentem, cui valde in promptu fuit colloquendi differendique ratio. * In scribendo tædium hac ratione evitare docet: *Statue ac voce voluntate firma, te eo die non cænaturum, quo non tot paginas, non tot versus,*

versus, ut decreveras, scripseris. Quod si acciderit delinquere, tu tibi ignoscere noli, volo, cœna careas. Abstinerere a cibo non parum quandoque ad corporis valetudinem facit, & alacriorem reddit animum. * Si librum editurus es, hoc consilium sup-³² peditat. Dic chalcographis, parent sese, librum te dare velle excudendum, etiamsi ne paginam quidem paraveris. Tum facile totam voluminis speciem animo concipere, inde singulas partes leviter in comœdiarum argumenti modum describere, denique quotidie, quantum illis satis erit, absolvere poteris. Cum sic inceperis aliquid, perficere debes, velis, nolis. Id ego in omnibus pene libris feci, ac etiam in isto. Quod consilium auctoris non sane in omnibus, quæ scribimus, plâceret. Quædam levi negotio etiam ab otiosis scribi possunt; quædam attentiorẽ meditationem requirunt, qualia sunt dogmatica, in quibus certa principia ponenda, & e principiis multa deducenda sunt. Ac ipse Fortius non tanquam præceptum, sed tanquam consilium commendat: nam in sequentibus ita: Non displicet editionem præmi, quò commendatior liber exeat. Mora tamen aliquid habet incommodi. Hominem facit tranquillum, desidem, otiosum, ignavum, somnolentum. Et nescio quam adferat superstitionem, dum dissimulat quædam, dum rogari vult, ut librum emittat. Quare animus, qui grassari velit, nusquam patiens moræ sit. Sæpe etiam accidit, ut ipse notavit Fortius, quod ad stylum aptiores simus, ac omnia nobis sponte profuant; sæpe non nisi labore atque longa cogitatione quicquam possumus comparare. Unde aliqui minus recte colligunt, non esse ejusdem Auctoris, quæ non pari cura perscripta sunt. * Idem ne noctis quidem tempus a scribendo vacuum esse vult: Noctu ad manum tabulas ceratas vel lapideas habe, aut membranas, quas ossibus adustis in usum eum preparant. In his somno intermisso notare poteris, quæ libebit ac luce diurna melioribus typis rescribere. Easdem tecum circumfer semper, ut cum in mentem aut venusta verborum connexio, aut rerum observatio ulla incidit, scribere ipsam in iis queas. Bonam partem libri hujus in tenebris scripsi, quando somnus me ob calculi dolorem reliquerat, idque cum Sol adversa nobis figeret vestigia nocte vagante in medio cœlo. Quod Fortius hic præcipit, jamdudum, antequam Fortiana illa legerem, feci. Multa ego carmina in tenebris, cum somnus me destitueret, palimpsesto illevis, quæ insequenti die elaboravi. Diligenter notari quoque vult Fortius, quod per singulos dies profeceris, ejusque suadet ephemeridas institundas. * In his tamen omnibus pro ratione ætatis ac ingeniorum temperies quæ-³⁴ dam adhibenda est. Ratio in his habenda est, ut præcipit Fichetus, nationum & ætatum: alia Gallis, alia Italis, Hispanis, Germanis sunt ingenia; alia juvenum & senum vires, alia pericula. Alii diutius studendo, meditandoque perdurare possunt, alii non item: temperamentum quoque expendendum. Biliofi alacriores promptioresque sunt; sed difficilius & laboriosius student. Pituita qui concreti sunt, tardiores sunt, at non ita fatigantur. Melancholici obstinatiorẽ laborando habentur. Sanguinei mediũ sunt. Illorum omnium caloribus æstivis pomeridianis periculosa est contentio. Est quædam in studiis literarum ingluviẽ & avaritia, quæ nocet animo, non concoquenti, sicut cibus avidius ingestus stomacho. Ne

- mibi sis *Hellio* librorum, sed *Amicus*. Modus ergo adhibendus est; qui rebus omnibus est salutaris. Illi enim diutius & felicius student, qui valent diutius. Valent autem illi diutius, qui studiis moderantur sapientius; qui autem effrenata sciendi cupiditate procurunt immoderate, auferrique se sinunt, in ipso limite corruunt, ut *Claudii cantherius*,
 35 fractis momento corporis & animi viribus. * Temporis quoque ratio habenda. Illud nempe, quod est ab otio, a recreatione diuturniore, a deambulatione & corporis exercitatione ludicra proximum, maxime opportunum est. Dicit enim vix potest, quantos animus, corporis motu concitatus, impetus habeat, ait *Plinius Junior*, quanto cursu
 36 calamus suat, otii intercapedine recreatus. * Ut gratiora illa studiorum intervalla sint, duo remedia præscribit *Fortius*: Alterum ut bene nutrias corpus, ambules, ludas, conviveris, corpus vino impleas, ac aliis modis recrees mentem. Idcirco nonnulli ante concionem integros vini cantharos spiritu uno exhauriunt. Alterum, ut multum dormias. Incredibile enim, quantum lucis, quantum alacritatis, res ea adferat animo. In hunc finem subinde quoque locum mutandum esse suadet *Fortius*: Mea sententia senis fere mensibus aut singulis annis urbem queres aliam. Curas omnes, quæ hunc impedire morem possint, abdicabis. Equidem infelicissimos voco, semperque vocabo, dies illos, quibus usquam ultra mensem defederim. Quod si profecturos metus inanis periculorum terreat, cum *Cesare* dicant: nunc te, *Fortuna*, sequamur. Peregrinatio præcipue confert ad exercitationem. Postquam enim in una urbe continua lectione eos, qui te audiunt, fatigaveris, transire licebit in aliam, ubi rursus novos habiturus sis. Sunt præterea res complures, tum in campis, quos peragramus, tum in civitatibus, ad quas venimus, quæ nos impellunt ad altiora. Nam animus & varietate mire excitatur, & sæpenumero rerum conspectu novarum permotus efficit ea, quæ domi nunquam agitasset. Quod tamen consilium omnibus placere ad omnem studiorum rationem non poterit. Est enim, ubi continuæ locorum mutationes studia potius turbant,
 37 quam juvant. * Cui jungendum etiam hoc *παιδαγωγόν* est de libris, quos secum vehere debeat *Studiofus*: Qui alium petere locum decrevit, & longam ingredi viam, libros secum conferat solum, in quibus diligenter res aliquas notaverit. Quod si in volumine duæ tantum tresve pagine notatæ sint, eas e libro eximat, reliquum vendat. Nec sit adeo sordidus, ut exigua jactura rei conatum remoretur. Cogitet semper, si ad summa pervenerit, non defuturas opes. — Superiore anno *Basileam* profecturus e novo opere *Plinii secundum* librum a me notatum excidebam, ut mecum ferrem. Amicus interveniens me mentis esse parum sane opinabatur. Sic tractavi libros complures, semperque faciam, cum id postularit occasio. Tametsi mihi essent novi codices *Cicero-*
 38 nis, *Platonis*, *Demosthenis*, grandi comparati ære, omnes tamen paginas erumperem, in quibus scitu dignum aliquid scripsissem, quando esset proficiscendum. Et hac quidem ratione vere Excerpta adornarent studiosi: quæ mihi tamen displiceret. * Quibus animus non est, ut scribant, suadet *Fortius*, ut polite loqui discant: Discant hi, quemadmodum res omnes memorare eleganter possint. Illorum tamen gloria, inquit, a nostra laude distat, quantum momentum ab æternitate. Præcipue vero in inscriptione
 eloquen-

eloquentiæ curam adhiberi vult: *Adhæc do operam, inquit, ut numerorum gratia sit, sive contentus cohercat, aut per omnes periodi partes, si tersus quicquam scribere coner, aut saltem in fine.* Ubi oratio desinet, quero spondeos, trocheos, epitritos quartos, *παισιώνας* secundos, tertiosve; sed per vicissitudinem. Postrema cura est, ne multi sint fines sententiarum, qui pedes eosdem habeant. Insuave enim quiddam, periodos tres seu quatuor eundem habere *παισιώνας*, epitritum, aut aliam quempiam orationis exitum.

In petum contentu omnem propemodum elegantiam pono. Sed maxima hic varietas exquiritur. Quocirca majorem multo tum laudem tum occasionem ostentanda doctrinæ consequeris, si ita occulto nexu orationem vinxeris, quam si scripseris carmen. Illic namque varietatem, qua ipsa inprimis natura gaudet; heic unum duntaxat florum genus proferre potes. Numeros equidem vitam vocaverim orationis; quod haud obscure apparebit, si sententiam numerosam solveris iisdem servatis ac transpositis verbis.

Quippe quæ ante efficax erat, ea soluta ridicula videbitur. Quamobrem in omni opere prima curarum esse debet, ut res sive membra cohercant; proxima, ut verba seu modulatio numerorum. In libris excudendis, inquit ille, cum speciosum aliquem vocum contextum, aut verba duo ornata invenio; letitia exulto majore, quam si aureum reperissem. Tum mirus splendor pectus illustrat, hac ἀμύγητος vivimus, hoc dulci gaudio mens tranquilla fruitur. Ea mihi sententia est, atque uti spero, ad vitæ exitum permanebit, ut pro singulis vocibus nitidis, significantibus, appositis, singulos recipere aureos nolim, etiam si summa me premeret inopia. Malo dictionem esse decoram, aut voces duas commissas apte, aut splendide dictum aliquid in opusculis meis, quam aureum in manibus.

* In scribendo duplicem quoque modum tradebat Quinti-
39

lianus: aut enim profunduntur impetu subito omnia, ut occurrunt, ac deinde feceruntur & limantur accurata diligentia; qui modus est eorum, qui prompto & celeri sunt ingenio; nam alioqui, dum moratur mens in elaborando, cogitationes optimæ prætervolant: aut nihil chartæ committitur, nisi diu expensum; quæ ratio morosior est ac tardiorum ingeniorum. In his prior illa ratio mihi placet, quam ego plerumque sequi soleo.

Quæ subito ingenii calore inciderunt, quæcunque illa demum fuerint; sive argumenta sive ornamenta rerum, in carminibus hemistichia, sine modo ac ordine, modo ad rem faciant, diligenter chartis consignare soleo. Hinc commodiori tempore elaboratio eas meditationes perficit, quæ nisi notatæ primum fuissent, periissent omnes, e quibus δεινέται Θεοτίδες plura animo suggerunt.

* Ad conservationem sanitatis, quo eo melius studiis vacare possis, *παρα- 40*
δεξωρέται quædam Fortii consilia sunt; e quibus illud de exercendo corpore: Longa quies enervat corpus, & calculum parit; ideo præcepere, ut studiosi quandoque areum globum manus agitent, torquantque ad fatigationem. Verum hoc exercitium nonnihil aufert temporis. Modum igitur alium excogitavi. In vestibis interioribus aliquando confuso plumbum dissectum in minutas lamias tanti ponderis, ut utraque manu universam levare molem vix possim. Has induo mane, has robur corporis commode sustentat. Caveo tamen, ne inferior spine pars plus equo prematur. Id facio ad octo fere dies, donec estu laboris nimium membra accendantur. Sed pondus dictum sensim augetur ac minuitur:

Repen-

- Repentina namque mutatio ledere non parum naturam solet. Milonem sequor, qui quotidie vitulum ferre solitus, tandem gestavit taurum. Hac ratione tempore eodem
- 41 & scribo & firmo valetudinem. * Ne nimio fomno indulgeat, saxa seu ligna per transversum lateri supponit. Ea namque principio non senties, & post horas aliquot duritie magis, quam prius, premente membra sponte excitaberis.
- 42 * Illud quoque in conversatione morosum nunc videri possit, cum temporis parsimoniam hac ratione habendam scribit: si qui ad te accesserint, qui res vanas, quæ nihil ad artes facere videntur, proferant; fugè repente ad studia tua. Satius est, ut illi tuam mirentur impudentiam, quam tibi pereat tempus. Illud enim vitium aut alter, hoc tota sentiat posteritas. Quot volumina possent scribi intra horas illas, quæ per annum pereunt? cui simile illud est: accitus ad convivium, ubi fore putabis eos, quorum audire nugas deberes, ne accedas. Satius esset corporis membrum
- 43 amittere, quam cogitationem per horas duas tam inanibus fabulis impediri. * Hæc vir ille pluraque alia in discendo docendoque compendia suppeditavit, de quibus ipse ita iudicavit: scio me scripsisse in hoc libro multa, quæ otiosorum hominum fabulas non effugient: nec me scripsisse pœnitet. Nam parvipendo iudicium eorum, quibus diversum institutum est, hoc est, qui decreverunt lente omnia aggredi, quæ ad mentis decorem faciunt, ac vigilantius querere, quæ ad corpus pertinent. Pleraque ex illis non sunt spernenda, e quibus, quæ commoda videbuntur, in usum nostrum vertemus.
- 44 Magnus hic nobis panderetur campus, si doctrinæ & methodi consilia pro ratione personarum, & scopo eorum, qui studiis incumbunt, expendere vellemus. Si quis reipublicæ aliquando habenas tractabit, is ad suum finem omnia diriget, ac cuilibet sua facile prudentia dictabit, quos intra limites continere se debeat. Secerni hic debent τὰ ὑπερβολικά a supervacuis, rerum momenta ab ornatu & cultu, & hujus in pompam & decorem sui ostentationem multa assumi debent. Sapienter Baco Verulamius sermone fideli 52. Non volitabit alicujus fama per ora virum, neque bene alata erit sine plumis alicujus ostentationis: in actionibus magnis ingenia jactabunda vivacius negotia impellunt. In Ducibus & viris militaribus gloriosum esse non inutile est, Jactantia instar vernicis videtur esse, quæ ligna non solum splendere facit, verum etiam durare.
- 45 * In hunc scopum integri a multis libri scripti sunt, e quibus nominabo nunc Alexandri Piccolomini librum Italica lingua, della Institutione di tutta la vita de l'huomo nato nobile & in Citta libera, in gratiam Alexandri Colombini scriptum, & loco muneris Lustrici donatum, editumque Venet. An. 1552. in 8. Hic e Peripatetica & Platonica Philosophia traduntur omnia, quæ in Moralibus, Politicis, Oeconomicis ad felicitatem viri nobilis faciunt: de exercitiis quoque corporis recte instituendis instituitur dissertatio, deque ceteris disciplinis omnibus, quatenus illis uti Juvenes nobiles debent. A tertio ad quartum ætatis annum in matris sinu puerum nobilem bonis moribus, pietate & linguæ rudimentis imbui jubet, a quinto ad decimum institutione grammatica & humanioribus literis; a decimo ad

ad decimum quartum Dialectica, Rhetorica, Poëtica, Pictura, exercitiis musicis & corporis informari vult, meo quidem iudicio immature nimis. Non enim illa ætas Dialectices & Rhetorices capax est. Post annum decimum quartum ad mathematica studia nobilem suam ablegat, quorum vel ante Rhetoricam & Dialecticam puerile ingenium capax esse potest. Hinc illi torum illum Ethices & Politices campum aperit. * Verum in iis ad ingenia respiciendum est: neque enim, 46 ut non omnis fert omnia tellus, ita quodlibet ingenium, qua quis requirat ætate, his vel illis studiis aptum est. * Conferri cum his Piccolominianis possunt, quæ 47 *Bloemertius* in libro de Nobilis informatione, *Pastorius* in palæstra Nobilium, & *Schefferus* in libello de Informatione Nobilis, consilia suppeditarunt; de quibus *capite de Padagogia regia* pluribus agemus. * Ducis belli studia alia ratione debent esse 48 comparata. In his utilissima consilia subministrat *Gabriel Naudæus*, cujus extat eruditissimum Syntagma de studio militari, Romæ in 4to An. 1637. editum, & Illustrissimo Juveni Ludovico ex Comitibus Guidiis a Balneo inscriptum. Nullam scientiarum parrem, quæ quidem prodesse Duci militari poterat, intactam in accuratissimo Opere reliquit; pulcherrimis præterea digressionibus commentationem hanc ornans. * Diriguntur etiam ad usum Ecclesiasticum ac Academicum studia. 49 In singulis ratio peculiaris habenda est: præferendæ enim hic disciplinæ huic scopo inservientes ceteris. In feminis quoque aliam studiorum rationem quæsi-
rim, quam in viris, si forte & illæ studiis animum excolere vellent.

In omni tamen studiorum genere velocitas & nimia festinatio vitanda est, 50 quicquid etiam quibusdam volaticis ingeniis videatur. Canes festinantes, ut in veteri verbo est, cæcos pariunt catulos, nihilque solidi in scientiis disci potest, ubi omnia superficialia opera tractantur. Nisi forte quis ad pompam uti studiorum quorundam simulacris malit, ut solent quidam genere nobiles, qui ad summa in Republica munia gerenda non satis apti, solis titulorum phaleris existimationem apud plebem sustentant. * Legenda est super hoc argumentò elegans, omni- 51 bus eloquentiæ luminibus picta, *Dionysii Petavii* de discendi ratione, oratio, quæ inter ceteras ejus nona est, ubi *Crassi* dictum lib. 3. de Oratore: *Nisi quod quicque cito potuerit, nunquam omnino posse perdiscere*, solidissimis optimisque rationibus refutat. Omnem ergo ille præcipitatem discendi rationem, ut studiorum pestem, a bonarum mentium officinis eliminat. Stultum enim esse ostendit, cum in corporis illis exercitiis non nisi diuturnitate temporis ac multò usu proficiamus, in literarum studiis, ac operosissima eloquentiæ doctrina, subito nos velle uno quasi spiritu haurire omnia, cui totam vitam optimi quoque Oratores impenderunt. * *Sorellus* itidem in scientia sua Universalis circa finem singulari capite de 52 magna & perfecta methodo agit; ubi omnem illam docendi rationem, quæ exiguo tempore fit, damnat, enumeratque varia exempla talis institutionis, quæ male cesserunt. Ac sane rarissime adeo felicibus esse ingeniis licet, ut exiguo tempore, ac prima statim ætate, multa magnaque comprehendant. * Fuere interdum 53 singulari quodam fato ad res magnas destinati, qui mature admirabilia in literis

specimina dederunt. (a) Talia in *Torquato Tasso, Mazonio*, exempla recenset *Erythræus*. Nostro seculo *Grotium & Heinsium* habuimus, in ipsa puerili ætate & libris & carminibus editis celebres. Prodigio similia sunt, quæ de *Marta Marchina*, virgine Neapolitana, pene infante, memorat *Erythræus, Pinac. III. n. 75*, quæ a nemine, nisi fortassis divinitus, edocta egregie Græcam, Latinam & Hebraicam linguam noverat, tum Philosophicis; Philologicis ac liberalibus omnibus disciplinis non leviter erat, sed literate perita; deinde Epigrammata Græca, sed Latina imprimis, eleganter arguteque conclusa fundebat ex tempore. Singulare quoque de *Jacobo Martino Modonesio* exemplum ibi memoratur, qui septennis puer a *Joh. Bapt. Mezzetto* Servira omnibus scientiis imbutus, adversus omnes accurate disputare potuit. * Sed infelix hujus rei eventus fuit, testaturque *Athanasius Kircherus in Epistola ad Quirinum Kublmannum*, Modonesium illum ab omni postea ingenio destitutum, stupidumque & nulli rei aptum fuisse. Quod & *Jacobo Marchiseto* Pisarenfi contigit, qui tredecim annos natus totam Aristotelis Philosophiam complexus est, ut omnes in examen provocare ausus sit, postea illam admirabilem ingenii vim amisit; epistolis tamen scribendis a Pontifice admotus: de quo videatur *Erythræus Pinacoth. I. n. 72*. De omnibus Romanis ingeniis judicat Favoritus in *Virginii Cæsarini* vita, quæ inter Poëmata septem illustrium Poëtarum habetur, illa prima ætate statim sapere, sed raro esse vitalia, ac a vigore illa concidere. Multa ejus generis exempla collegit *Balthasar Bonifacius in Historia ludicra lib. 19. c. 10*. qui talia etiam apud veteres non rara fuisse ostendit. * Recentiora multa exempla collegit *Colomesius* in notis ad *Quintiliani Institutiones*, quæ in *Opusculis* ejus *literariis* habentur, *proœmio lib. 6.* ad illa verba, quibus filii sui decennis, jam præclara ingenii specimina edentis, obitum deplorat, non *fosculus fuit, ut prior, sed jam decimum ætatis ingressus annum deformatos fructus ostenderat*. In his sunt *Plinius Junior*, qui decimo quarto anno Tragediam Græcam scripsit; *Avicenna*, qui decennis literas humaniores calluisse, & totam *Encyclopædiam* ante annum ætatis decimum octavum absolvisse dicitur; *Philippus Beroaldus*, qui adhuc puer *Servii* in *Virgilium* errores profecutus est; *Ludovicus Stella* quindecim annorum adolescens, qui *Aureliæ Lucianum, Aristophanem, Theodori Gazæ Grammaticam* frequentissimo auditorio explicuit, cujus memoria a *Joachimo Fortio* literarum monumentis est consignata; *Nicolaus Borbonius*, qui *Ferrariam* carmen scripsit anno decimo quarto; *Stephanus Boëtianus*, qui de servitute voluntaria anno decimo sexto scripsit; *Aldus Manutius*, *Pauli filius*, qui anno decimo quarto commentarium de *Orthographia* scripsit;

Clau.

(a) Ingeniorum præcocium Historiam diligentissime omnium Gallico sermone est persecutus *Adr. Bailetus*, *Biblioth. Lamionianæ Præfectus*, in *Tractatu*, *Parisiis A. 1688.* in 12. edito, *des Enfants devenus celebres par leurs études, ou par leurs écrits*; cui *Appendix* etiam peculiaris *περὶ τῶν ἐψυμωθῶν* (*les Esprits rarifiés*) est adjecta. Utriusque (*Libri* pariter atque *Appendicis*) *Supplementum* promittit *Sebast. Kortholtus*, *Pœleos Professor Kiloniensis*.

Claudius Salmafius, qui Nilium & Barlaamum de primatu Papæ recensuit ac emendavit nondum quatuordecim annos natus, (cujus laboris ne senem quidem pœnituit) & anno ætatis decimo quinto *Florum* cum notis edidit. Plura exempla recensent *Tiraquellus* in *Operis de nobilitate & Jure primogenitorum* pag. 435. 448.* *Leo Allatius* in *Apibus Urbanis* pag. 144. & seqq. * Sed prudentibus viris semper prodigiosa illa præcocium ingeniorum maturitas suspecta, quæ succo tandem suo destituta extinguitur. *Quintilianus* eodem, quem supra laudavimus, loco filii sui exemplo testatur, quod observatum sit *celerius occidere festinatam maturitatem, & esse nescio quam, quæ spes tantas decerpit, invidiam, ne videlicet ultra, quam homini datum est, nostra provehantur.* Ipse *Aristoteles* in *Rhetoricis* ex veteri Poëta reprehendere videtur magistros nimis anxios & sedulos, qui pueros nituntur triduo Philosophos efficere. * Ego cum ingeniis istis præcocius lente festinandum, neque obruenda doctrinæ mole, suaderem, etiam si illi sustinendæ pares forte viderentur. Et sane, quod *Erythræus* quoque *Pinacoth. III. n. 36.* notat, sæpe acerrimis ingeniis deest idonea informatio ac opes ad doctrinam parandam necessariæ. Nec desunt, qui Magistrorum etiam industriam vincant, ac per ludum & jocum plus præstent, quam summa alii diligentia; quale exemplum in *Carolo a Serva* notavit *Erythræus Pinacoth. I. n. 88.* * Ex adverso fuerit *ἰσχυροὶ*, qui ceteris omnibus superiores summam ac immortalem gloriam sunt consecuti, ut *Jul. C. Scaliger* ac *Isaacus Casaubonus*, qui sera sua studia cum *Danielis Heinsii* præmaturis confert *Epistola 198.* felicitatem *Danielis Heinsii* adolescentis, cum ad *Casaubonum* literas has scriberet, prædicans. Sane, inquit, cum ea ætate essem, qua te nunc esse ex magni *Scaligeri* literis conjicio, bonorum autorum nomina paucis admodum exceptis, ne fando quidem audiveram unquam. Legimus senes ipsos feliciores sæpe pueris progressus in studiis fecisse. Exemplum ejus rei dedit *Bonciarius*, qui patrem suum, septimum & quadragesimum annum agentem, hominem illiteratum, nisi quod legere scribereque sciret, semestri spatio linguam Latinam docuit, ut in ordinem Patrum Societatis Jesu sacerdotis munere functurus cooptaretur, ad quam sine linguæ Latinæ peritia, nullus ipsi accessus fuisset. Methodum, qua usus est, describit *Dominicus Passioneus Epistola ad Scipionem Barnabeum*, quæ inter *Bonciarii* epistolas reperitur pag. 396. Videatur & *Erythræus Pinacoth. I. n. 53.*

C A P. IX.

D E

METHODO IN LINGVIS, LATINA
PRÆCIPUE ET GRÆCA, DISCENDIS
TENENDA.

- §. 1. *Lingua, scientiarum vehicula, ante omnia addiscende.* 2. *sqq. Lingua Latina an e conversatione & usu disci possit?* 3. *Roberti Gentilis, pueri septennis, exemplum, qui anno ætatis undecimo lectiones Virgilianas edidit.* 5. *Ejus liber de methodo brevi.*

brevi. 6. Sermo Latinus per colloquia non satis purus obtinetur. 7. Itatorum superstitiosa in loquendo abstinentia. 8. Et in scribendo industria. 9. quæ morosa industria reprobatur. 10. Montanus a prima infantia linguam Latinam ex usu didicit. 11. Memorabile exemplum pueri quadrimi, 12. 17. seqq. ejusque historia prolixius recensetur, 13. 18. cum commodis hujus novæ methodi. 14. 16. Et incommodis vulgaris illius. 15. Multa, nondum inventa, difficilia; inventa facillima videntur. 19. Respondetur contrariis. 20. Grammatices præcepta non minus difficilia, quam ulla alia scientia. 21. Methodus hæc nova cogitanda relinquitur. 22. Civitas aliqua Latina an institui possit? 23. quod affirmatur. 24. ejusque institutio præscribitur. 25. Obstantibus respondetur. 26. Magni Pegelii consilium de Schola pro linguis erigenda. 27. An naturali dispositione ad repentinam linguarum notitiam detur aditus. 28. Historia e Mottaæ Vayero de Gallo aliquo, qui dormiens linguas omnes loquebatur, quarum ipse erat ignarissimus. 29. Via per institutionem brevis esse debet. 30. Ficteti consilium. 31. Beccheri compendium. 32. Autoris Medicinæ Mentis consilium pro linguis ad discendis affertur. 33. Beccheri Compendia Grammatica, 34. Kuhlmanni, 35. Rosii methodus a Mormio proposita. 36. Schenckelii liber. 37. 38. Tuningii Et Grunandi exemplum de lingua Latina intra sex menses discenda. 39. Sorrelli iniquum judicium de Montani informatione, 40. quod refellitur. 41. Methodus le Maire, qui Hebræam, Græcam Et Latinam puerum octennem eodem tempore docuit, 42. qua via inceserit. 43. Sorello eam improbanti occurritur. 44. Tanaquilis Fabri methodus, qua filium suum a 10. ad 14. annum in Græca Et Latina lingua informavit, 45. Calligraphia an puer necessario instruendus, 46. Illa methodus per aliquot paginas late recensetur. 47. Homeri lectio cur puerili ætati præ ceteris conveniat, 48. comica studia pueris non negligenda, 49. Virgilinus cur Homero sit difficilior, 50. Livii Historia pro pueris difficilior. 51. Tanaqu. Fabri filia doctissima. 52. filius 14. annorum autoribus optimis legendis occupatus. 53. seqq. censura methodi a Tan. Fabro in informando adhibite. 55. Poëtarum lectio suadetur. 56. Periodica connexio pueris antè omnia inculcanda, 57. Gnoma morales. 58. Stylus sedulo formandus, 59. Plauti fabulæ a puero nondum legenda.

1. **P**rima, quæ disci debent, linguæ sunt, scientiarum vehicula, in quibus multum temporis consumimus, antequam eo perfectionis perveniamus, ut nostro Marte quicquam agere possimus. Vernaculæ sine magno negotio addisci possunt, modo parentes, præceptores, famuli, & alii, cum quibus conversamur, incorrupte loquantur. * Quod si Græca ac Latina lingua eâ etiamnum methodo addisci possent, non tanto nunc apparatu opus esset, citiusque ad ipsas disciplinas transire possemus. Quam ob causam in eam cogitationem multi venerunt, ut linguam Latinam e conversatione cum Latine loquentibus potius, quam e Grammaticis præceptis & lectione, addiscendam suaserint. * Ejus experimenrum in filio Roberto pater

pater *Albericus Gentilis* cepit, qui septennis puer Latine, Gallice, Anglicęque locutus dicitur; quod pater illum non nisi Latino, mater Gallico, qui ei proprius erat, & Anglicano sermone (Oxonii enim vivebat) familia reliqua uteretur. * Nondum octavum attigit annum, cum Virgilium illi pater prælegeret; ut patet 4 ex Commentariis, quos *lectionum Virgilianarum* titulo filius sub ingressu undecimi anni edidit. Ut felicior ergo fuerit Tanaq. Fabri filio, de quo postea dicemus, qui 14. demum anno Græcæ ac Latinæ linguæ autores optime intelligere potuit. * Vidi ab ipso illo *Roberto* titulum libri Anglica lingua scripti super hoc argumeto, in Bibliothecæ Oxoniensis catalogo extantis, qui ita habet: *Roberti Gentilis le chemin abrégé or à Methode for attaining of sciences in a short time, i. e. Via brevis, sive Methodus brevi tempore discendi scientias, Londin. 1654. in 8vo.* Sed hactenus librum ipsum videre mihi non licuit. Et fateor sane, patris tam docti colloquiis proficere quadantenus in lingua Latina potuisse puerum. * Ceterum colloquia cum iis, 6 qui linguam Latinam accuratissime loqui nequeunt, magis turbant sermonem Latinum, quam juvant; * ut & Itali nonnulli de industria sermonibus Latinis, etiam 7 cum viris doctis, abstinendum existiment, ne dictio aliquid ex idiotismo trahat, quem in colloquiis viri etiam docti vix evitant, licet eleganter alias scribant. * Quam ob causam Scioppius Manutio insultat, qui quadrimestre tempus in una 8 epistola scribenda exegerit. Ac vidi sane viri alicujus celebris (nec gentem nunc nec nomen viri memorabo) *ἀντιόχεια* epistolæ in Bibliotheca Gudiana, qui mirabili & anxia diligentia eam scripserat; nam 4. vel 5. chartæ folia in forma majore compegerat, singulis paginis tres quatuorve ad summum periodos inscripserat, spatio interlineari amplissimo; singulis pene verbis & phrasibus variationes superscripserat, atque ipsa loca, unde illæ desumptæ, notaverat; neque illas tantum, sed & positus & juncturas verborum, adverbiorum, epithetorum, synonymorum e Nizoliano Lexico adjecerat; numero quoque & pedibus clausularum connotatis. Hanc ille rationem in singulis periodis ad finem usque tenuerat, atque in hoc labore 4. menses exegerat. Inceperat enim (quod manu sua annotaverat) corrigere has literas die 6. Aprilis, finierat Kal. Augusti, Anno 1596. * Non 9 probarim ego morosam adeo & scrupulosam diligentiam; etsi hoc exemplo ostendi possit, quanta accuratatione usi sint viri docti in sermone Latino & puro acquirendi. Sed ita potissima vitæ pars in sola linguæ Latinæ cognitione elaboretur.

Non omittenda hic videbantur memorabilia eorum exempla, qui a prima 10 infantia solo usu & colloquio mirabilem loquendi Latine promptitudinem nacti fuerunt. In his est *Montanus*, vir apud Gallos celebratissimus, qui in dissertationibus (*Essays*) quas Gallica lingua scripsit, *lib. 1. cap. 25.* suo hoc exemplo probat. Verba ejus in Latinum conversa ita habent: *Pater meus in disciplinam me dedit Germano homini in Gallica lingua rudi, sed in Latina versatissimo, cujus ille operam amplissimo stipendio conduxit. Hærebam illi semper in amplexibus, aderantque alii etiam pueri linguæ Latinæ non ignari. Nihil in adibus nisi Latinum audiebatur; non mater,*


non famuli nisi Latinis verbis, quae e conversatione ceperant, ad me presentem utebantur: unde & mater & famuli tantum in lingua Latina proficere, ut mea verba intelligerent, & in rebus quotidianis mecum sermones breviores instituere possent. Sex annos natus eram, cum de Gallica lingua nil amplius, quam de Persica aut Arabica scirem, atque ita sine Grammatica, sine praeceptis, & plagosa institutione Latinam linguam didici, ut tantum scirem, quantum ipsi in illa lingua Pedagogi, qui me miscere suis discipulis non poterant. Nam cum ceteris discipulis thema daretur in linguam Latinam convertendum, mihi dabatur Latinum, barbarissimis & solæcismis defædatur, quod ego in elegantiorum sermonem converterem. Nicolaus Gruchius, qui de Comitibus Romanorum scripsit, Gulielmus Gerentus, qui commentatus est in Aristotelem, Buchananus Poëta Scotus, Antonius Muretus, praeceptores mei domestici, saepe ad me dicebant, me lingua Latina in prima etate puerili adeo prompte locutum, ut mecum confabulari vix auderent. Buchananus de Institutione puerorum se aliquid scripturum susceperat, qua in re meo potissimum exemplo uti se velle significabat.

- 11 Aliud exemplum ante hos 19. annos Parisiis Regi ipsi propositum fuit, quod fidem superare videtur; sed tamen tot testibus confirmatum dubitare de rei veritate nos non finit. Erat infans 4. annorum, qui adeo expedite loquebatur Latinam linguam, ut Regi omnibusque prodigio propemodum fuerit. Illam intra duos annos, ex quo a matris uberibus primum amotus fuit, apprehenderat. Nullum committebat errorem vel in flexione, vel in Syntaxi, adeo ut quosdam de industria solæcizantes correxerit. Cum aliqui dicerent: *Ubi ibis a prandio?* ille emendavit: *Quo ibis.* Aliis dicentibus, *conscendere in equo;* ille regessit: *conscendere in equum.*
- 12 * Ejus historiae relatio, cum ratione istius informationis, singulari libello Gallica lingua tradita est, atque ex ea in Anglicam conversa prodit Londini Ann. 1669. hoc titulo: *An Examen of the Way of teaching the latin tongue to little children by use alone, London. 1669. in 12.* Operæ pretium profecto est, ejus libri summam hoc in loco recensere, cum libellus illè forte in paucorum manibus sit. Pater hujus infantis duos habuit amicos, Latine accurate doctos, quibus in hac informatione usus est, quorum præcipua cura fuit, ut, quæ cum puer fabularentur, selecta essent, tum qua voces, tum qua argumenta, eosque reprehenderent, qui minus recte loquerentur; adeo ut non tam promiscua collocutio, quam methodus colloquendi, illi intellectum habiliorum redderet, quam alias est in pueris ejus ætatis; poterat enim puer apte de rebus plurimis judicare, atque eandem rem variatis verbis & phrasibus efferre. Cum aliqui illum, qui equis præest, *Agasonem* vocarent, ille *Equisonem* substituit. Hanc informandi methodum Autor ejus libelli, quicumque ille est, antiquam & infallibilem esse ostendit, miraturque non imitari hoc exemplum etiam alios.
- 13 * Omnes vernaculas, & exoticas linguas usu continuo ad summam perfectionem perducimus, quare & lingua Latina idem fieri posse recte existimat, neque ad hanc requiri ingenia ceteris excellentiora, sed judicium etiam e conversatione cum magistris Latine loquentibus acui. Duo huic similia exempla adducit puerorum eodem modo informatorum, in quibus nihil

nihil puerile deprehensum fuit, exceptis motibus & gesticulationibus, quæ ab illa ætate separari nequeunt. * Præterea metus ille, quo cohibentur in ludis pueri, & impedita illa naturæ libertas multum detrahunt solertiæ naturali, quæ hac ratione magis excitatur. * Multa quidem dubia circa hanc rem moveri posse fatetur Auctor; verum multa ille ait difficilia videri, quæ nondum inventa sunt; inventa vero facillima videri, quod exemplo Typographiæ, acus magneticæ, & circulationis sanguinis probat. Linguae Latinae autem tantam esse utilitatem, ut quævis difficultates superandæ sint, quo hunc finem tam cito assequamur. * Prolixè ostendit e defectibus communis illius methodi in lingua Latina discenda, in qua tantum temporis verbis impendendum, quo ad disciplinas ipsas expeditius iri possit, utilitates hujus viæ brevioris. Primum, inquit, a 6 vel 7 anno ad 17 vel 18 in collegio detinetur puer, intra quod tempus quot ambagibus circumducitur? discendæ omnes inflexiones, accidentia vocum, connexio sententiarum, distinguendæ significationes, proprietates, Syntaxeos regulæ: quæ omnia rædióssima pueris sunt, & pœnas scholasticas provocant, quibus efferatur animus, & ad odium literarum inducitur. Hic Declinationum, Conjugationum, personarum, articulorum, Heteroclitorum, Constructionum perplexitates notandæ sunt, quibus, velut equuleis & fideiculis torquetur illorum animus. Qui in scribendo, vertendo, phrasæologiis, exercitiis Rhetoricis labores suscipiendi? posset compendium per lectiones quidem institui, ut non sit opus prolixitate illa regularum; sed in loquendo & scribendo deficiet, atque tum ad priorem viam recurrendum est. Quod si ad Philosophicas disciplinas admoventur, pene nitorem linguae Latinae dediscunt. Ideoque exigua quædam & imperfecta summo labore & impensis in scholis discuntur, ne quid de temporis irreparabili jactura dicamus; cum altera illa methodo omnia simul comprehendi possint. * Accuratius ergo in illam novam methodum inquirat. Infans 22. mensium erat, cum primum informationi illi traderetur. Pauca illa vocabula vernacula, quæ a nutrice & matre hæserant, statim oblivioni tradita fuere. Iisdem magistris alius datus 31. mensium, qui multa jam vernacula loquebatur, intra 2. vel 3. hebdomadas omnia abolita, eorumque loco tantum de Latina lingua intra mensem hauserat, quantum de vernacula antea sciret. Ex iis pueris major natu ceterorum quasi magister est. Famuli quoque tantum de lingua Latina sciunt, quantum opus est ad quotidiana illa exprimenda. Atque ita Latinam præ vernacula didicerunt: quam methodum Quintilianus quoque Romanos secutos testatur, qui primum Græcâ, tum Latina lingua pueros informarunt. Facile autem posse pueros plures linguas simul sine confusione discere; quod exemplo Constantinopolitanorum & Brabantorum probat, constatque e superiore exemplo Roberti Gentilis. Quare & pueri jam vernaculam loquentes e conversatione cum Latine loquentibus facilius, quam per præcepta, Latinam discere possunt. Hanc viam facillimam esse ostendit Auctor cap. 6. Quoniam enim de discenda lingua ne cogitant quidem, ideoque eo facilius discunt, & expeditius ludis jocisque illa inculcatur, summa cum jucunditate, citra Orbiliæ alicujus plagas, procul ab omni metu & dolore, qui affectus puero-

puerorum animos dejiciunt, & serviles reddunt ex ingenuis, neque pravorum affectuum, iræ, indignationis semina insperguntur, quæ cum magistrorum ferulis implantari solent. Nunquam enim pœnæ in pueros statui debent, nisi ob actiones honestati & justitiæ repugnantes; quam ob causam eo attentiores in conversatione tam innoxia & humanissima erunt pueri. Neque opus est, nobis ipsis necessitatem castigandi hac via imponere; ob negligentiam, cujus pœnæ in communi methodo interdum vix evitari possunt. Seligenda sunt in colloquiis non serâ tantum, sed & maxime ludicra, in quibus nil agunt vulgares Scholæ. Argumenta quoque de artibus, de historiis variisque rebus immiscenda sunt, in quæ quotidiano sermone non facile deducimur. Atque hinc occasiones de industria captandæ & sapienti consilio dirigendæ. Cap. 7. agit de brevitate hujus methodi, qua intra novem annorum spatium pleraque disci possint, particularibus artium & scientiarum exceptis, cum vulgari via ne unam quidem Latinam linguam eo temporis spatio discamus. Per usum ergo, ut cap. 8. fusius deducit, accuratior, quam per præcepta & regulas cognitio habetur, constructiones, proprietates verborum simul apprehenduntur; copia, promptitudo loquendi acquiritur, quam vix tota vita vulgari illa nobis paramus. Major quoque linguæ ipsius extensio est: nam plura in familiari colloquio incidunt, de quibus silent libri & Scholæ. Ad lectionem quoque longè paratior accedet, ut itaque e lectione postea supplere possit, quæ in conversatione defecerunt. Puer ex illis nova methodo institutis sexto ætatis anno Phædri fabulas intellexit, quas alii vix duodecimo intelligerent. Quare omne illud tempus, quod alii Grammaticæ impendunt & versionibus, ille impendere lectioni potest, Autores omnes quatuor annis citius leget, decem annis citius intelliget, & duplo longius tempus illis, quam alii faciunt, qui sero ad bonos Autores accedunt, infumere poterit. Fieri denique non potest, quin habitus ille a prima nativitate per 8. & 9. annos continuatus alterum superet, qui a 14. & 15. anno incipit, & per tres quatuorve annos tantum continuatur, & accessione Rhetoricæ & Philosophiæ vel interrumpitur, vel constringitur. Quod si vero illis loquendi Latine necessitatem impones, crucem illis figere videberis; inviti enim ad loquelam Latinam adigentur, eamque multis solcecismis corrumpent, ut itaque omne hoc scholasticum exercitium non linguæ, sed scriptioni, inservire videatur.

18 * Hujus utilitatis secundum hanc novam methodum hæc propro confectaria educit. I. Professionis selectum instituendum: capacitas enim filiorum, inclinationes ex ipsâ illa matura repræsentatione artium & principiorum rectius dijudicantur, tum a parentibus, tum ab ipsis filiis, unde magna in societatem civilem commoda promanant. Artes denique ipsæ melius excoluntur, si illæ a non invitis suscipiantur, & facile ad summam perfectionem deduci possunt. II. Bonorum morum perfectionem. Illa enim e matura illa per lectionem bonorum Autorum & artium informatione speranda, cum ceteroquin vel ineptiis vel voluptatibus tempus transigatur, si extra parentum consuetudinem alibi illi educentur. Hæc enim informatio parentum inspectioni & obedientiæ illos magis adstringet, neque facile contagium e conversatione malorum in prima pueritia trahent.



In firmitate ætate positi, & rectiore habitu adversus malitiam armati ipsi pravae mores faciles emendabunt.

Non omittit idem Autor incommoda, quæ comitari hanc methodum videntur sed quæ leviuscula sunt. - 1. Quod matres a consuetudine filiorum per aliquot annos removeantur. 2. Quod peregrinam linguam rectius norint ipsa vernacula. 3. Quod tempus a 7. usque ad 16. annum vacuum sterile ac otiosum videatur. Sed facile illa removet obstacula Autor. Primum vix attendendum est. Quæ enim mater duorum annorum jactura nolit totius vitæ commoda redimere? Secundum facile tollitur: nam vernacula lingua, postquam Latinam didicerit puer, se ipsam non advertendo ingerit. Tertium plane ridiculum est. Quæ enim causa otiosum intra illud tempus esse jubeat puerum? quot sunt Autores, Historici, Oratores, Poætæ, in quibus legendis occupabitur ejus industria. Mathematicæ multæ artes etiam in illa pueritia recte addisci possent, ac aliæ etiam scientiæ, quæ de re fusc Autor noster agit cap. 11. * Ostendit enim, Grammatices præcepta, quæ primum proponi solent, æque difficilia esse, quam ullam aliam vel artem vel scientiam. Qua ille sententia plane non fallitur. Abstractiones in Grammaticis æque sunt, ut in Metaphysicis. Infinitivum importat abstractionem ab omnibus personis. Modi, Casus etiam sub abstractione & quasi in idea aliqua intelligendi. Regula aliqua Syntaxeos plus difficultatis interdum habet, quam Theorema Mathematicum. Genealogiæ Principum eadem facilitate addiscuntur, quam derivationes nominum. Porro sunt & Mechanicæ artes, quarum principia nosse valde acuit puerorum ingenium, quarum demonstrationes jam supra inter consilia acuendi ingenii proposui. * Neque enim inepte Socrates judicavit, cum solos artifices & mechanicos, ut Hortulanos, Textores, Statuarios, Pictores, Pistores, Piscatores, Tinctores &c. veram rerum cognitionem habere dixit: hi enim homines Philosophiæ fundamenta jaciunt.

Ille ex autore hoc anonymo copiosius adducere volui. Res enim attenta consideratione ac imitatione digna est. Ac velint ipse Autor esse iis, qui de emendanda juventutis informatione curas suscipiunt, ut serio de hac methodo cogitent. * Non inepte Autor ille Regi Galliæ suadet, ut talem aliquam Civitatem Latinam instruat, qua sola conversatione Latinam linguam doceantur pueri; fore hanc curam tanto Rege dignam, atque inter cetera magna opera forte primo loco ponendam, & facili negotio opus hoc conficiendum. * Ego sane ipsi plane ad stipulor, & credo, intra 20. annos extrui talem societatem posse, qua omnes etiam opifices Latine loquantur. * Seligantur ad hoc opus 6. vel 7. homines, accuratam linguæ Latinae notitiam habentes, in quibus tamen si quid forte desideraveris, lectio autorum facile postea emendabit leves defectus; illi hac methodo informant pauperum hominum liberos utriusque sexus aliquo numero. Hi postea lingua Latina firmati opificium aliquod discant, qui locum huic exercitio destinatum incolant; ita fiet, ut brevi tempore talis societas adornetur. * Facile qui-

vis intelliget, sumptus hos immensa utilitate ita refarciri posse, ut maximo etiam lucro esse queant. Possent & a privatis locupletioribus, qui magnam saepe pecuniae vim in ludicra & voluptuaria impendunt, collatis impensis res illa institui. Possent & Graeca, & quaevis alia, lingua una cum Latina eadem ratione addisci: Non enim confunduntur pueri pluribus linguis, ut jam ante aliquot exemplis ostensum est. Fortassis Scholarum pretium quibusdam vilescere videretur. Sed quid tum postea? Illae pro artibus & disciplinis fatis, quod agant, habebunt. Sed vix erunt, qui ad haec consilia respiciant: ac miror sane Regem Galliae, qui quam facillime haec effecta daret, ea de re non cogitasse, praesertim cum tam luculento exemplo incitaretur.

26 Non facile dixerim, an huc forte etiam respexerit Magnus Pegelius, cujus saepe mentionem fecimus, qui in *Thesouro rerum selectarum* statim in principio novam Scholarum institutionem proponit. Ejus designationem hic adducere non inconueniens erit. *Schola sive docendi & discendi ratio puerilis, qua juniores imprimis & alii quicumque, etiam adultiores, linguas quascunque, Latinam, Graecam, Hebraicam, & quasvis alias, hodie in mundo usurpatas, seu populares & vernaculas, imo binas vel ternas simul, & quantum rerum humanarum fert conditio, integre addiscunt; sic, ut linguis hujusmodi & audita & lecta mox & plene percipiant, & quicquid obvenit seu conceptum fuerit, expedite eloquantur. Id quod communiter haecenus, praesertim in Graeca & Hebraea lingua, cum aliis, tum ipsis etiam haec docentibus, & in hisce consenscentibus denegatum fuit; qui quasi scribendo tantum hinc inde haec compilant, & sic solum aliquem undique tandem efformant. Qua item ratione rerum omnis generis, in Philosophicis & Politicis occurrentium, optimarum & selectarum, earum praesertim, quae usui communi sine futilibus & phantasticis figmentis sunt accommodatae, & scientia, & prudentia, & usus acquiritur. Idque cum linguis, sive dum de rebus hisce sermo confertur, eodem plane & modo & tempore. Insuper hinc vita communis, affectio & animus hominis, & interea dum sic discit & deinceps, suavior, moderatior, & ad omnia quaeunque obeunda habilior & excitatior redditur. Praeterea ad perspicuam, claram & expeditam rerum undecunque occurrentium Emunciationem, ad Affabilitatem & ad corporis totius & vultus convenientes, & rebus quibuscunque ex proposito accommodatis, gestus & mores, quotidiana auditione, intuitu & usu proprio discentes perducuntur. Quin etiam praeter verba in sese ipsa, & in sese compositiones eorum seu locutiones sive phrasas, rerum quoque undecunque cognitarum seu oblatarum justam conceptionem seu apprehensionem, sive recordationem & convenientem applicationem, seu ad se distributionem, sive ut res aptae ordine suo & debito animo occurrant, & hinc extemporali oratione proferantur (idem de descriptione, ut par est, accipe) suppeditat, adeoque hoc modo propositionum plurimum & sic orationis totius conformationem clarigitur. Et haec quidem, ut cetera omnia, sine praescriptionibus & regulis seu Grammaticis seu Dialecticis seu Rhetoricis prohibitis ullis, sine perniciose, & contra orationis & veritatis finem fictitia extensione, circumductione, affectatione, pompa, suco &c. ex naturali & rebus quibusvis*

bus dato accommodato usu certo & insigni, omnia tam magnatibus, quam inferioribus quibuscunque, ex voto convenientia. Ex quibus etiam quot numero sunt, ique indolis præclara, & ad summa adeoque ad omnia quasi nati, qui Latinam, & hinc ea quoque, qua hanc comitantur, non sine gravamine & hinc inde quandoque desiderio & affectione discunt: idque ex maceratione dicta, quam ingenia eximia multa non ferunt. Et hoc totum tempore brevi & sine molestia, adeoque cum docentium pristinorum etiam, si sic vere velint, & discipulorum singulari delectatione, & varia subinde recreatione, ex singulari hic primum aperto, monstrato & convicto usu, & mediis hinc natis & hic præscriptis consimilibus; sine ullis Grammaticis aut aliis huiusmodi ab autoribus & scriptoribus effectis, peregrinis, coactis, molestis, moratoris hucusque introductis regulis, præceptis, hinc inde circumductionibus & solitariis quasi tormentis. Unde simul iudicii & rationis communis usu posthabito, singularis quedam imaginatio, persuasio & animi phantasia exoritur. Modus quoque singularis & perinde facilis, quo legere bene & scribere commode tirones & alii discunt: item ut ex ipsa lectione seu mox ex literarum aspectu linguam quamcunque vel ex usu præcente, vel, ut cupis, veterum hætenus latente more, pronunciare & consimiliter consuescant. Quomodo & syllabarum quarumcunque quantitas dicta, etiam earum, qua regulis vel autoritate tantum patent, ex ipsa & pronuntiatione & scriptione mox & per sese cognoscitur. Qua prolatione non adhibita & exaudita, quantitas quoque talis in vanum hætenus usurpata fuit. Uti alias etiam, & quomodocunque eadem momenti est minoris. Possunt item suo quodam hinc modo alii quicumque homines, linguam aliquam ignorantes, cujuscunque ætatis fuerint, quibus ministri vel unici seu hominis cujusvis linguam talem ignotam cum alia vernacula seu cognita una quacunque promte eloquentis conversatio assidua vel crebra contingere potest: etiam extra hunc scholasticum conventum, & apud suos & ubique terrarum, & inter negotia, linguam quamcunque sine omni impedimento & molestia, tantum ex aliquo alias parvi æstimato, attamen singulari usu, & jam prima vice discendo inchoare, & tempore exiguo intellectum & usum mediocriter inibi acquirere, & sic vitæ prioris neglectum parte non contemnenda restituere. Unde & urbes quedam, eaque imprimis alias minus potentes, incolis, adificiis, mercimoniis, questu & alimentis augmentum capere, & celebritatem acquirere poterunt. Imo & hinc hominum congregatio & cohabitatio, adeoque urbis novæ & Reipub. primordia constitui & sensim perfici valebunt. Magis minusve, ut plura & perfectiora media oblata & in surpata seu impensa fuerint. Additur hisce contrariorum pro larva veterana undecunque conquistorum demonstrativa, item refutatio. Licet ex veritate seu re ipsa tradita & in se præsertim confirmata, fucus pristinus quoque se ipsum omnino detegat & palpandum offerat.

Proposivimus hætenus linguarum cognitionem via conversationis parandam; 27
cui jam subnectimus alteram illam institutionis viam; neque enim credibile est,
via aliqua extraordinaria derepente alicui linguæ intelligentiam oriri posse, nisi
modo forte miraculoso, qualem nemo sibi nunc facile promittere poterit. Nisi
forte etiam naturali aliqua dispositione ad linguarum notitiam repentinam ali-
quos ferri posse credamus, quod de quibusdam maniacis affirmare non veretur

28 *Huartus*, qui linguam incognitam neque antea notam loquuntur, cujus ille exempla aliqua, & *Pomponatius* in libro *de incantationibus* adducit, qui astrorum dispositionem hic quoque in subsidium vocat. * Non possum hoc loco præterire infigne ac memorabile exemplum hominis Galli, cujus mentionem facit *Mottaus Vayerus* tomo 2. *Operum Gallicorum*, epist. 61. p. 657. qui quacunque lingua interrogatus, eadem in somnis respondere potuit, cum præter Gallicam non nisi rudem Italicae & Hispanicae notitiam haberet. Vocabatur is *le Fevre*, habitabatque Rotomagi. Vino adusto aut Hippocratico plenus felicius in linguis per somnum loquendis fuit, quam alias. Fuit qui illum appellavit Candanensi lingua, cui eadem ille respondit. Alius Anglico sermone aggressus est, & eodem respondere audivit. Fuit qui Tupinambarum voces, quas in itinerario legerat, recitabat, cum ille peregrinas voces regereret, quas aditans forte nauta Tupinambicas esse intellexit. Recitavit aliqua Græca verba ex oratione Dominica, Thema naralium. Præfecto navis in somno clara voce designavit prædixitque morte violenta obiturum, quod caput Algol in ascendente haberet, qui & postea duello periiit. Vigilans ille dormire videbatur, nam obtusi aliquid & stupidi præ se ferebat, cum dormiens multo alacrior ac vigilantior videretur. Cum evigilaret, nihil de actis suis reminisci poterat, nisi quod ex intenso capitis dolore ipse iudicaret, multis se quæstionibus & responsionibus vexatum fuisse. Monstruosum hoc omnino videtur ac altioris indaginis. Sollicitissimus illo loco in causis hujus rei indagandis est Vayerus. Sed non solvit omnes nodos, neque nos hic iis recensendis immorabimur.

29 Ad viam Institutionis in Linguis procedimus. Eam oportet esse quam brevissimam. Non enim probo illos, qui multitudine Regularum & Exceptionum onerant animos juveniles. * Verum ego deprehendo, quod Fichetus in
30 Arcana sua Methodo cap. 12. monere voluit: *Unum admoneo in linguis perdiscendis, quas eruditas vocamus, Hebraicis, Arabicis, Græcis, omissis trivis minutarum observationum, tribus lectionibus tradenda legendi, declinandi atque conjugandi principia; quartam, rationem investigandi Thematibus ac Radicibus: tum ad legendos & interpretandos autores progrediendum & componendum; hoc probavi in viris ingeniosis: pueri diuturniore paulo indigent labore & studio. Vernacule porro linguæ, Italica, Hispanica, Germanica, Anglica, usu & similitudine cum Latina & Gallica percipiuntur, & lectione ac versionibus, ut vocant, columus hinc inde oppositis. Quanti porro sit linguarum peritia, pretio ipsarum scientiarum pensandum est & fama doctrina.* Plerique nunc ita linguas tractant, non ut linguam doceant, sed ut Grammaticos faciant, quæ res omnium absurdissima est.
31 * *Beccherus* in suo *Opere didactico* magnum se compendium docuisse nos existimat, quod via derivationis pueros magnam vocabulorum copiam discere posse ostenderit; cum ego tamen hoc, ut supervacuum, seponendum esse existimem. Hoc labore annos ille transigit. Hæc sua sponte in legendis Autoribus occurrunt citra ullam memoriæ fatigationem. Pauca sunt vocabula, quorum usus in sermo-

sermone civili est, cetera quis curet? Artium scilicet & Opificiorum vocabula, quæ in ipsa Roma vix omnes noverunt. Varie in addiscendis linguis peccatur: quidam nimium superstitiosi & operosi sunt in regulis & præceptis; quidam exiguo tempore addisci posse volunt. E quibus tamen hi ceteris tolerabilius peccant. * Auctor Medicinæ mentis *part. 2. p. 192.* recte de linguis addiscendis judi- 32
cat. Etsi ea, quæ de compositione sermonis dicit, cum moderatione quadam intelligenda sint; e quo locum paulo prolixiorem adducam, cum hoc argumen-
tum optime illustret. *Tres dantur in qualibet lingua perfectionis gradus. Horum pri-
mus est linguam tantum intelligere, non item loqui posse, id quod in quavis lingua omnium fa-
cillime contingit. Etenim videmus peregrinantes incolas ejus regionis, quam adveniunt, multo
citius posse intelligere, quam eos alloqui. Secundus est præter intelligentiam loquentium aut
librorum omnia etiam ordinaria sine hæsitatione posse eloqui, & hic gradus priore est diffici-
lior. Tertius est difficillimus, ut eadem lingua de quavis materia exacte & quodcumque li-
buerit, differere, scriptumque possit componere. Cum itaque semper a facillimis sit exordien-
dum, non satis quis poterit mirari, quare contra manifestam rationem vulgo a re difficillima,
hoc est, ab ultimo gradu in puerorum institutione initium fiat. Est autem hujus rei ratio in
promptu: quia omnes consuetudine ducimur, non sana ratione, & commissos in hac re erro-
res, utut quis palparit, vix tamen emendarit. Præceptor quippe hac ratione superfedere
multo labore potest, nec aliud facit, quam ut exercitia Latine reddenda discipulo proponat, re-
liquum quod est temporis ipse in otio transigit, sudante interim discipulo sibi soli relicto, sese-
que in omnem misere torquente formam; ubi e contrario secundum methodum a me hic tra-
dendam discipulo parum, præceptori multum, imo omnis fere incumbat labor: qua methodo si
vulgares uterentur pedagogi, non tam multos simul discipulos, ut jam sit, præ nimio labore
possent informare. Veruntamen quia in his ad puerorum utilitatem tantum est respicien-
dum, ultimi autem duo gradus seu utilitates in tradenda quavis lingua, videlicet ut sciamus
aut ore aut scripto omnia animi sensa cum aliis communicare, multo difficilium acquiruntur,
nec tantum semper, quantum primus gradus, habent usum, imo si vel maxime eos tibi red-
dideris familiares, temporis tamen tractu, ni exercitium quasi continuum adsit, abeunt in ob-
livionem. Acquiruntur vero multo facilius primus gradus seu utilitas bonos intelligendi au-
tores, continuum semper habet usum, nec adeo oblivioni est obnoxius; quin & hoc acquisito
gradu, reliqui duo multo etiam faciliori negotio obtineri poterunt. Neminem sane credo
existimare, me hic sanæ rationi contraria tradere, licet consuetudini quam maxime adverse-
tur, me primum solum hic amplecti gradum. Si vero non aliis tibi fuerit scopus, quam
ut puer autores e. g. Latinos quosvis discat intelligere, eo eum licebit hac, quam traditurus
sum, methodo adeo facile pervenire, ac tam brevi, ut, licet a decimo aut duodecimo ætatis
anno demum fecerit discendi initium, id non impediturum sit, quo minus sat adhuc temporis
superfit ad æque magnos deinceps, ac quivis alius, qui vulgari ducitur via, progressus facien-
dos in studiis, nec dicam majores. Etenim hic non erit necesse, ut puer multas Gramma-
ticas regulas magno labore ediscat tediosissimas, & ne quidem bene intellectas, ullamque syn-
taxin, quæ tam subito oblivioni ac memoriæ traditur; nec quoque, si ita placet, necesse erit,*

ut ulla vocabula technica, quæ monstra pueris videntur, in rationem veniant: sed sola hic post necessariam lectionem requiretur declinatio & conjugatio cum verborum copia. Ne vero hic denuo multasingas difficultates, hæ declinationes & conjugationes juxta ordinem traditum a puero, ut vulgo fit, memoria non sunt mandanda, sed primo, tantum scriptura consignanda, tum plurima vocabula, ad se in illa scriptura exercendum, sæpe secundum hunc ordinem varianda erunt; si denique satis tibi in hisce exercitatus videbitur, extra ordinem varie interrogando discipulum, & quidem vernacule, efficiendum est, ut tandem latine absque una hesitatione respondere sciat, aut vice versa, si tu Latine quaesiveris, ipse vernacule respondeat: id quod breviori, ac quis opinatus fuerit, tempore obtinetur. Sono enim sæpe audito, quia sic per responsonem certi in nostra imaginatione motus frequenter se invicem subsequuntur, puero adeo, continuata aliquantulum hac repetitione, facilia evadunt, ut, in ipso præter attentionem rogato, isti fere motus tandem excitentur, & ita levissimo negotio respondere sciat. Sed hoc ipsum, si magna ideo facilitate, majori certe quam vulgo utilitate efficitur; quandoquidem vocabulorum variationes non occurrunt in libris secundum ordinem regularum Grammaticarum; unde fit, ut pueri grammatico ordini assueti soleant hic herere; id quod in hac nostra methodo non accidit, qua, turbato quomodo libet ordine, æque prompte respondere didicerint. Verum hæc levia sunt. Maxima tibi forte videbitur difficultas, unde haurienda sit vocabulorum copia? forte ex Lexico, Janua quadam linguarum, similibusque libris? verum, quia multa hic sæpe discuntur vocabula, quæ tam parum ex usu sunt, ut, priusquam aliquando in autorum lectione occurrunt, eorum aliquoties potuerimus oblivisci, colliges facile, hæc magno tædio, exiguoque e contrario fructu perdisci. Dices forte, quia is, qui multa fuerit lectionis, suspicari facile potest, an aliquod occurrens vocabulum multi fuerit usus nec ne; indicem idcirco multorum vocabulorum ei fore tali percurrendum cautela, ut puero ediscenda seligat vocabula, quæ judicavit frequentioris esse usus, reliquis posthabitis. Consilium utique bonum, quod etiam, si sequentia addideris, suum poterit habere usum: quin ausim spondere, tam pauca numero tunc collectum iri vocabula, ad multos autores intelligendos sufficientia, ut si primum hæc alicui narraveris, vix tibi hæc in re fidem sit adhibiturus. Verum hic communicabo una cum tota procedendi methodo, quod magis profuerit, ut puer quorvis Auctores Latinos brevi intelligere discat. Sumatur liber, quem aut puer jam tum satis in vernacula lingua cognoverit, aut talia continuerit, quibus eum quam maxime delectari sciveris; in hujus libri qualibet parte explicanda operam dabis, ut omnia in eo occurrentia vocabula, te continuo rogante, ipso autem respondente, memoria mandet: secundo, jubeas eadem vocabula omnia ipsum declinare vel conjugare, extra ordinem; ut supra docui, ipsum indefinenter interrogando: tertio, his peractis, ipsi ipsum explices textum. Non video, quid hic obset, quin, si vel stupidissimus fuerit, longe minori opus habeat labore ad interpretationem Latinorum autorum addiscendam, quam si aliquid ex vernaculo in Latinum transferat sermonem, vel, ut fieri vulgo solet, componat. Quanto autem hæc omnia successu, si sæpe diu continuentur, quantaque porro fiant utilitate, facile tibi apparebit; quia hæc ita continuando per totos autorum tractatus plurima vocabula sæpissime repetuntur. Continuato aliquantisper hoc negotio, sensus etiam trium quatuorve vocabulorum detectus faciet, ut reliquorum sensum

sensum facile divinet. Si tandem multum hoc continuetur exercitium, quæ ratio loquendi apud Latinos sit consuetæ, quæve inusitata, quidque bonam sapiat latinitatem & quid non, multaque ejusmodi alia, vel ex ipso phrasum audito sono levi negotio dijudicabitur. Memini equidem, me vidisse puerum annorum circiter decem, qui duorum annorum spatio omnes Latinos autores vulgatos bene intelligendi sibi habitum compararat, tantum inde, quod varios autores interpretandi consuetudinem sibi habuit commendatam: quanquam, ut hoc efficeret, multa ipsi erant imprimenda haudquaquam necessaria. Quid itaque hic sperandum sit, ipse judicaveris. Ubi autem eum eo perduxeris, ut libros vulgares Latinos absque ulla difficultate capiat, nec non, secundum ea, quæ supra dicta sunt, ardorem in ipso excitaveris varios evolendi libros, eos ipsi exhibendo, ostendet tibi luculenter experientia, quam incredibiles brevi in linguae notitia progressus sit facturus; adeo ut, siquidem e re sua fuerit, ac postulaverit necessitas, ut sibi acquirat reliquos duos gradus circa perfectionem in ea lingua, facili quoque conatu eo pertingere queat; tum demum fuerit operæ pretium bonam, si placuerit, Grammaticam nec non aliquem in Latina lingua exercitissimum adhibere, quocum de rebus variis frequenter & doctè sermones habeat, arreptoque calamo de rebus diversimodè se scribendo exercere; aliaque compluria exercitia: hæc ille sibi acquirat minore difficultate, quam alii in scholis, sed equali perfectione. Hæc ergo ad bene intelligendum, quæ adminicula, ut imaginatio circa veri & falsi notiones quam latissime extendatur, quo difficultatem habeat minorem, sufficiant.

* Proponit etiam Beccherus quædam Grammatices & Syntaxeos compendia, quæ 33 Praxi Didacticæ suæ subnectit; ubi sub typis Declinationum & Conjugationum regularium & irregularium, regularum variarum molestiam evitat; quæ de re etiam Autor Medicinæ Mentis loco citato. * *Quirinus Kuhlmannus* quoque inter 34 summa sua arcana divinitus inspirata methodum hanc novam Grammaticam refert, quæ plane cum Beccheriana convenit. Ita enim ille in Epistola de arte Combinatoria pag. 22. Si puerum docerem Grammaticam, uno opere cum Declinationibus Conjugationibusque docerem illum casuum, numerorum, temporum, personarum applicationem simplicissimam ad omnia, hæctenus maximos viros latentem. Sed non latere etiam alios admirabile hoc secretum, sex annis ante hanc Epistolam Kuhlmanni editam Beccherus in Methodo sua didactica ostendit.

* *Mormius* quoque in Arcanis Col- 35 legi sui Rosiani singularem in linguarum cognitione informationem memorat p. 68. Rosius, Doctor noster, condolens arumnis & impensis, quas faciunt parentes, qui filios suos Latinis literis imbuendos tradunt; sudoribus item, quibus juvenes pluribus annis anhelant, unica linguae hujus gratia, tum & adultis, qui propter diuturnitatem & difficultatem a tanto gentium vinculo arcentur; excogitavit methodum familiarissimam & facilem, qua ad summum anni spatio Latinam linguam intelligere & eloqui quilibet possit, cujuscunque sit status, ætatis & conditionis. Imò si quis diligentius incumbat, mense sexto re desiderata patietur. Regula ad id sunt faciles intellectu, & ita nobiles, ut etiam linguae cujuscunque vernacule rationes & proprietates edoceant. Nostri vero discipuli cum aliis, qui vulgari methodo dant operam, disputando congregari amant; qui

quī cum hanc methodum ignorent, nostri vero norint utramque, ut nil perfectius desiderari queat, ad singula illi obmutescunt. Hac etiam methodo omnes alia lingua doceri possent, si nobis vacaret eam illis accommodare. • Regulae enim illae ex natura omnium linguarum & proportione secreta, qua omnes inter se conferuntur, sunt eruta. De hoc arcano librum conscripsimus, cum tabulis, rem ad oculos demonstrantibus, quem amici in lucem edi saepius petunt: verum haec temporum malignitas periculum est ne solidam literarum culturam minus digne sit habitura. * De lingua Latina intra sex menses docenda Schenckelius ille Mnemonices Magister singularem librum scripsit. * Exat quoque Jani Rutgersii Epigramma inter Poëmata ejus in Gerhardum Tuningium, qui sex mensibus accuratissime linguam Latinam didicerit, unoque triennio totum studiorum cursum absolverit. * Geinandi quoque pueri singulare exemplum est, de quo Grotius in Poëmatibus, pag. 196.

*Linguas in ipsis doctus incunabulis
Quas poscit usus, exuisti infantiam,
Reptasti ad artes inde properatus puer,
Et imbibisti, quicquid est sapientiae,
Cum lacte primo.*

Invidendum est elogium, quod ipsi tribuit p. 184, atque his verbis concludit:

*Inferiora tuis Epiniicia sume tropaeis,
Nam qui digna daret, ipse, sed unus, eras,
Artifices nasci tecum non possumus omnes:
Hoc est Naturae se superantis opus.*

39 * SORELLUS libro de *Scientia Universali*, capite de *perfecta methodo tom. 4. p. 539.* non multum favet methodis illis, quibus infantes celerem Latinae linguae cognitionem acquirunt, etsi non negat, compendia quaedam adhiberi posse. Quare Montani illam informationem elevare videtur, quod ipse Montanus non multum se ex ea fructum habuisse queratur, loco supra citato: quodque linguae vernaculae usus plus ad vitam civilem conferat. Methodum illam porro ait potius Ludimagistro formando inservire, quam homini eleganti, & ad vitae civilis usum admovendo. * Sed frivolum hoc esse judicium quis non videt? nam quod Montanus postea in Collegiis corruptam sibi latiniratem primam puriorem queritur, hominum indoctorum colloquiis factum est. Quod si prudens illa manu ductio Parentis semper adfuisset, & conversatio hominum literatorum, aut ipse in legendis Autoribus sedulus fuisset, non amississet illam elegantiore latiniratem: fuere & alii, qui plures eodem tempore linguas docere voluerunt, per subsidium unius linguae generalis, cui quasi inaedificarent ceteras,

ceteras, cujus rei autorem nominat aliquem *des Vallées*. Sed parum ait hoc consilio effectum fuisse. * Fuit & alius *le Maire*, qui re ipsa præstitit, quod alter ille pro-41 miserat. Informavit enim infantem octo vel novem annorum, ut Hebraicam, Græcam & Latinam mediocriter sciret. Poterat enim vertere in eas linguas the- mata proposita, & libros oblatos in vulgarem linguam transferre. * Processit 42 autem illa methodo, ut simul cum lectione Autorum præcepta Grammaticæ tra- deret, præmia proponendo pro certo vocabulorum numero, quæ e lectione me- moriæ infixerat. * Improbat hanc docendi linguas methodum sine ulla ratione 43 Sorellus. Est enim illa primæ illi, quæ per consuetudinem & conversationem in- stituitur, similis, & post illam præcipuo loco habenda. Quod enim objicit Sorel- lus, facile oblivioni tradi posse, quæ hac ratione docentur, nullius momenti est. De eo viderint, qui informationi præsumunt; viderit ipse puer, & continuo exercitio fa- cultatem illam alat & sustentet. Deinde, quod ad ceteras artes & scientias quasi stupidus visus sit puer, ut idem objicit, non tam methodo huic, quam inhabilitati peculiari tribuendum est. Nulla enim causa in illa methodo est, quæ talem effe- ctum producere possit. Voluit ille ludum aperire, sed non paucioribus, quam 50. discipulis, quorum singuli mille libras Gallicas pro Minervali darent; vel pau- cioribus etiam, si pretium, quod pro 50. posceret, solverent. Verum cum nemo inventus sit, qui summam illam impendere voluerit, irriti hi conatus fuere,

Illuſtre exemplum similis pene informationis in lingua Græca & Latina, ac 44 in præcipuis ejus linguæ Autoribus prælegendis dedit *Tanaquil Faber*, qui filium suum ab anno 10. ad 14. quo ille immatura morte sibi ereptus, utraque lingua plene expo- livit, ut cum viris certare posset. Edidit Gallica lingua hanc methodum suam exi- guo libello, cui titulus: *Methodo pour commencer les humanités Grecques & Latines à Saumur 1672. in 12.* Ipse in epistola ad illustrissimum Virum de *Morangy* Consiliar. Regium de hac sua methodo testatur. *Hoc certe liquido affirmem, intra pauculorum annorum spatium ita institui & informari posse, ut, qui via pervulgata deducti fuerint, pue- rulos dicas, illos autem viros esse, & ad splendorem literarum natos dejeres.* Eo magis autem prodesse hæc methodus aliis poterit, cum non inanem ideam Autor ille ex- hibuerit, sed ipsa illa praxi deduxerit, ut eo major fides historiam recitanti, quam consilium suppeditanti, haberi debeat. Scripserat ille jam Anno 1652. ad *Claudium Sarravianum* epistolam, qua de pueris humanioribus literis imbuendis agit, quæ Operi Epistolarum Sarraviano additur; sed tum, cum ille hæc scriberet, ejus experimentum nondum in filio fecerat, quanquam in Autorum prælectione specimen amicis dederat nondum προπαιδεία necessaria instructis. Qua de causa magna hujus sui consilii fiducia scribit: *Tam id equidem scio perfici posse, quam me scio vivere.* Optimam in lin- guis & rebus ipsis informationem in accurata veterum Autorum lectione collocat. Dum enim alii alius hoc negotium repetentes πλατωνικώτεροι θεωροῦσιν, dum de- lectum ingeniorum haberi vellent a principibus, qui non sunt ea sapientia instru- cti, aut veterum temporum mores & disciplinam reduci, aut novos quosdam cælo

lapfos Doctores dari, tempus & ætas labitur, atque iis studiis tenera ingenia mancipari queritur, quibus infusa barbaries hominum animis implantatur. Sed absque veterum Autorum lectione Faber suos malit liberos opiliones esse & merum rus, quam iis dare literis operam, quas hodie doceri videmus. In Autorum ergo lectione prima & linguæ utriusque & philosophiæ vestigia ponere jubet, Methodum vero, quam præscribit, paucorum ait hominum esse & eorum præcipue, qui opibus idoneis instructi. Conduci peritorum Magistrorum operam; & in Scholas forte induci autoritate Magistratus talem methodum posse existimat. * Hanc methodum consilio viri alicujus illustris publico hoc libello exposuit Faber, unde nos pleraque excerpta hic dabimus, cum non sit in omnium manibus, isque non exiguo multis esse usui possit.

Primum filium suum ante decimum ætatis annum non nisi legendo & pingendis literis dare operam voluit; neque calligraphiam multum quæsit, quoniam illa, si a teneris ingeniis affectatur, sollicitos magis quam incitatos ostendat, neglectior vero scriptura plus ardoris & phantasiæ arguat; quo quidem iudicio ab Huarto discedit, qui calligraphiam ad vim imaginationis nimiam referebat, quam ille a puero abesse volebat. Ante sextum annum frustraneam in scribendo operam impendi iudicat; primum, ut legat accurate, curandum est. * Decimo anno (Pater autem duodecimo demum anno rudimentis studiorum admotus est) Latinae linguæ elementa ingressus est, statimque cum Latinis nominibus Græca quoque legere incepit, quem laborem per quinque dies continuavit, ob illas, quas vocant, in Græca lingua abbreviaturas. Eum in finem illi magnum Alphabetum Roberti Stephani dedit, unde singulis diebus paginam descripsit, ac postea, cum ab hac opera cessaret, singulis tum hebdomadibus, quæ semel didicerat, repetiit. In Latina lingua ita rem instituit. Descripsit illi primum Nomina, Pronomina, Verba, Præpositiones, & magnum numerum Adverbiorum, una cum eorum significationibus, charta grandiuscula in 4to complicata. Et sic ille omnes Grammatices libellos adornari velle, cum imaginativam puerorum vim & memoriam adjuvent. Paradigmata quoque non in alteram lineam, si fieri possit, trahi volebat. Quare & Autorum editiones majusculas, grandiore typo impressas, minutis illis præfert, seque ex illis citius centum, quam ex his sexaginta, versus memoriæ mandare eodem temporis spatio potuisse testatur.

Ante nomina ipsa clare & accurate explicabat rationem Generis, Casus, Numeri & Declinationis, quæ repetenda ipsi crebro fuere, ita tamen, ut paucis verbis ad interrogata responderet. Damnat enim magistrorum morem, qui multa ac inordinata loquacitate aures & animos puerorum obtundunt. Idem in Pronominibus & Verbis fecit, atque ei sedulo inculcavit, si primum verbum accurate sciret, etiam reliqua intra 5. dies non ignoraturum, quod & res ipsa comprobavit. Ne vero, dum Verba tractat, memoriam fugiant Nomina, singulis diebus illa, cum cubitum it, ac lecto surgit, repetenda. Ex omnibus vero Orationis partibus mobilibus nulla difficilius est, quam Verbum. Ideoque diutius se in his, quam in Nominibus tenere voluit,

luit, usque dum accurate ad has quæstiunculas responderet: quid est *audire*? quid Gallice significat? *audire*, an non pluribus locis reperitur? quid *amatum iri* &c. In singulis Conjugationibus tria paradigmata dari vult, ut Activum *amo*, Passivum *amor*, Deponens *contemplor*. Nam deponentia quodammodo turbabunt, antequam continuo exercitio usum & differentiam deprehendar. Et hoc quidem modo plus effici una hebdomade posse, Faber ait, quam ab aliis quatuor mensibus.

Mense uno & dimidio exacto, singulis diebus tres quatuorve lineas Latina lingua exhibuit, e. g. *Neque enim datum est cuilibet homini, imperare cupiditatibus suis, & virtutum Christianarum exempla constanter sequi.* Ex his bene instructus responderet: *Datum est*, est præteritum passivum neutrum; *cuilibet* est dativus singularis pronominis compositi; & sic in ceteris: in Verbis numeros, tempora, modos; in nominibus casus nominavit, etsi Syntaxeos nondum peritus. Objicit hic sibi Faber, puerum, qui vocum significationem non nosset, in flexionibus illarum hæsitaturum: cui vero illè experientiam contrariam opponit: hic enim non agi ait, nisi de terminationibus Nominum & Verborum, quod accurate memoria comprehensurus sit puer, si recte interrogationes durante illo Declinationum & Conjugationum cursu instituantur. Ejusdem rei se in Græca lingua periculum ait fecisse: cum enim eam doceret aliquando adolescentem, perfecte illam didicisse, licet significationem ignoraverit; quæsitum enim, utrum nomen, an verbum; cujus casus nomen; cujus modi, temporis, verbum sit, in nullo errasse. Idem in Hebræa, Italica, Hispanica & omnibus linguis fieri posse, neque quenquam linguarum informationem hactenus recte instituisse existimat.

Interea ne rædium, ut aliquando fieri solet, suboriretur puero, fabulas de Diis Deabusque gentilium narravit, totaque hebdomade in his narratiunculis detinuit; quæ ita oblectarunt pueri animum, ut quatuor integras horas de die interdum impenderit: quas poltridie mane repetens firmiter memoriæ inhæsisse Pater comperit: quoniam enim ludicra in his multa sunt, ea per se tenacius hæserunt, ut postea *Æneida*, *Metamorphosium* libros, & *Iliada* perlegenti illa denuo explicanda non fuerint.

In Conjugationibus satis exercitato doctrinam Præteritorum e Grammatica altera Vossii, quæ in imagine significationes cujusque verbi cum casu, quem regit, adscriptas habet, proposuit. Omisit hic composita, exceptis iis, quorum significatio remotior erat; quod multum temporis & laboris imminuit. Paululum ultra mensem durabat hoc exercitium, & interrogabat puerum simul de regimine Verborum, cum de Præteritis & Supinis illum interrogaret, magno sane emolumento: nam ea ratione ne advertens quidem prolixam & difficilem Grammatices partem didicit, Syntaxin scilicet, quæ vehementer fatigare solet puerorum animos. Quare nec tempus illi peculiare destinavit. Et quoniam magna verborum copia in lingua Latina est, quorum significatio cum Gallica lingua convenit, in his leviter, in ceteris accuratius versatus est. Quo consilio numerum Verborum

quarta parte, magno informationis compendio, imminuit. Præterea singulis diebus, cum cubitum iret, has interrogatiunculas suas repetiit: quod ille vehementer ad memoriam exercendam omniaque firmiter illi imprimenda commendat. Miscerent illis laudes & blandimenta, quæ animum pueri erigebant, ut ad quævis subeunda promptissimus esset.

His Grammaticæ rudimentis noluit praxin & ipsam compositionem subungere. Absurdum enim existimat a compositione initium in lingua addiscenda facere. Cum enim tres gradus linguæ constituat, primum intelligere, secundum componere, tertium loqui, quos gradus etiam natura ipsa seruet; eam nos sequi debere existimat. Quemadmodum enim ad ædificium exstruendum materia indigemus, sine qua nec ipse Archimedes quicquam effecerit: ita verbis eorumque sensu nos primum vult esse instructos. Ad lectionem ergo puerum suum ducit, proponendo ipsi librum, cujus dictio & facilis & perspicua sit, materia historica vel fabulosa. Ubi usus illum paululum firmaverit, in vernaculam linguam convertere jubet, quam primum ipsi magister suppeditet puram & simplicem, sine ullis circumlocutionibus, quæ pueri intellectum turbant. Initium hic factum parvis lineis, quæ singulis diebus augebantur; talique progressu plus præstatur tribus mensibus, quam tribus annis vulgari via; quod sua experientia didicisse Faber fatetur.

Seligi ergo vult primo librum, cujus constructio sit facilis, minime implicata & figurata, voces & meditationes non abstrusæ, argumenta fabulosa vel historica. Moralibus enim meditationibus fatigari pueros, neque illis delectari existimat. Phædri fabulas difficiliore pro tironibus habet. Quoniam vero non sit talis historicus, qui respondeat primo puerorum captui, duo vel tria capita historica e *S. Johanne* secundum versionem vulgatam, quæ summe simplex est, ut omnis Syrorum & ceterorum Orientalium stilus, atque ideo huic scopo maxime conveniens, delegit: cum præterea notitiam argumenti e lectione quatuor Evangelistarum in Gallica lingua haberet. Quæ singulis diebus lecta fuerunt (fuerunt autem paucissima) accurate fuerunt explicata, & vespertino ac matutino tempore repetita, singulisque novis lectionibus initium ab illa, quæ præcesserat, captum fuit. Ita intra quindecim dies, singulis diebus duas minutas in duodecimo paginas prælegendas, tria capita absolvit.

Hæc inter, ut ad ulteriorem Autorum cognitionem puerum manuduceret, mappas illi Geographicas explicuit, sine quibus Historici intelligi non possunt. Hic primum docuit situm partium principalium, plagarum & ventorum nomina in lingua Latina, hinc partes Europæ antiquæ, nihil de urbibus, fluviis & montibus moneans. Montravit promontoria, sinus, fræta & similia. Montravit postea partes Europæ antiquæ secundum quatuor plagas. Quærebat de situ Hispaniæ, Galliæ, Germaniæ, Italiæ. Ubi erraverat, in mappa errores ostendebat: qui labor adeo bene successit, ut in charta inani notare situs locorum potuerit. Europæ subjungebat Asiam & Africam notando tantum loca generaliora.

Postea

Postea Eutropium legendum dedit; & primum quidem exiguam Epistolam ad Imperatorem Valentem, & primam libri periodum: quæ, etsi initio difficiliora visa sunt, iterata lectione & vespertina ac matutina repetitione firmas in animo radices egerunt. Interposuit his rudem cognitionem mapparum Italiae, Græciæ & Siciliae; ut sciret tantum præcipuos populos, urbes, fontes, montes &c. Sed repetita Eutropii lectione monstravit Hetruriam & Latium antiquum Ortelii & circuitum maris Mediterranei, ab Aegypto ad Pontum Euxinum &c. Quæ tenuis cognitio Geographica vehementer postea profuit Historicis, Homerum, Virgilium explicanti. Hoc institutum, ut sane æquum est, mirifice Faber commendat.

Eutropio subjunxit Aurelii Victoris libellum de libris illustribus, ejusdem cum Eutropio argumenti, sed styli cultioris; quem exiguo tempore absolvit. Commendat ejus usum Faber pro adolescentibus, sed seriem temporum a magistro vult ostendi, quo quisque tempore vixerit. Laudat sententiam Scaligeri, qui minutos illos Historicos plus utilitatis ad historiam Reipublicæ, quam majores illos, afferre judicavit. Hinc Justinum aggressus est, qui valde placuit puero ob magnam eventuum varietatem & novitatem argumenti; in quo ille tres de die paginas editionis Elzevirianæ absolvit, præteritis locis difficilioribus e. g. de antiquitate Scytharum & Aegyptiorum, de Sicilia, orationem Mithridatis, quæ postea ramen reassumpsit. Adhibita fuere semper in subsidium mappæ Geographicæ. Hanc Justinii lectionem ter magna cum voluptate absolvit.

His hætenus ita absolutis, ad Græcam linguam accessit, cujus Grammaticam eadem ratione, ut antea Latinam, concepit. Habebantur in illa tantum paradigmata simplicia Nominum & Verborum, & copia Adverbiorum usitatorum cum numeris; qui primo omnium in lingua aliqua addisci debent: quod & antea in lingua Latina factum. His enim non recte apprehensis, semper in Versionibus ad Dictionaria cum magno dispendio temporis recurrendum est. Addidit exiguum diagramma Præpositionum, cum earum regimine & significationibus communioribus, ceteris ad usum ipsum rejectis: quam Præpositionum doctrinam eo diligentius in lingua Græca, quam Latina excolendam vult Faber, quod majoris in ea usus sit. Solet enim verbum ex hac vel illa Præpositione compositum tres diversos interdum regere casus, & diversas habere significationes. Hoc diagramma spatio sex horarum didicit, sed ne oblivisceretur, quotidie repetendum fuit. Docuit hinc Nomina, Pronomina, & primum Verbum viva voce, ac relegendo repetere jussit, usque dum perfecte sciret. Ad primæ Conjugationis normam & ceteras flectere docuit, ita, ut singulis diebus novam proponeret, ad primam applicando, & per cognitionem, quam de figurativis habebat, exercendo. Atque ita methodo facillima sex conjugationes ad unam reduci posse ostendebat. Hinc processit ad Verba circumflexa, quæ non alia ratione conjugari monstravit, quam ultimum illud Verbum. Excepto enim Indicativo in quovis modo, non habere nisi unum tempus, quod contractionem recipiat. Quod ut verum esse ostenderet, conjugare jussit verbum *φίλεω*

sine contractionē, & applicare ad verbum *τύπλω*: quod optime, etsi primum quibusdam in locis hæreret, successit. Sollicitissimus fuit in explicanda proprietate novem *mutarum*, quæ suis conversionibus & mutationibus omne in Etymologia & Conjugatione Græcæ linguæ punctum ferunt. Ad hæc quoniam pauci attendant, hinc fieri judicat Faber tam paucos esse, qui genium admirabilis hujus linguæ recte intelligant. Multum etiam in augmentis puerum suum exercuit.

Restabant jam Verba in *Mi*, quæ negotium faceßere videbantur, neque sine causa. Hanc terminationem, ut plures alias, e Scythica lingua descendere observat Faber; cujus rei veritas e Scholiastis, qui supersint, pateat. Ille hæc Verba a sexta Conjugatione descendere ostendit, quodque Perfectum, Plusquamperfectum, Aoristus primus & Futurum eadem ratione conjunguntur. Tria ergo tempora restant in Indicativo, scilicet Præfens, Imperfectum & Aoristus secundus. Jam Imperfectum & Aoristus secundus eandem terminationem & flexionem habent. De tribus temporibus non nisi duo supersunt, quæ facilis sunt Conjugationis; præterquam quod Aoristi passivi Verborum Barytonorum omnem illam difficultatem tollant. Probat hoc exemplo verbi *τίθημι*; non enim nisi figurativam vel terminationem cujuscunque Aoristi respicere nos jubet. Quando enim Aorist. 2. Passiv. ica conjugatur, *ἐτύπην, ἐτύπης, ἐτύπη*, annon eadem ratione in primo verbo Anomalo, Aoristus 2. Indicativ. conjugatur *ἔθην, ἔθης, ἔθη*; & in secundo verbo *ἔσην, ἔσης, ἔση*; & in tertio *ἔδων, ἔδως, ἔδω*. Nulla hic mutatio nisi figurativæ. In quarto *ἔφον, ἔφους, ἔφου* eadem ratio conjugationis est, quæ in primo; nisi quod figurativa quartæ Conjugationis appareat loco figurativæ primi Verbi. Quæ cum non ita distincte & secundum analogiam vulgo doceantur, frustra hæc memoriæ incutari queritur Faber. Cum hæc memoria firmiter teneret filius, in diversis reduplicacionis generibus exercuit; vespertino ac matutino tempore verba in *Mi* & contracta, omnemque Grammaticam repetiit, quæ adeo ad unguem norat omnia, ut sæpe inter lusum cantillando illa profunderet. Oblectabat se puer sono linguæ Græcæ, quem ille suaviolem in hac, quam in Latina lingua jam tum ea ætate sentiebat. Quod pueri judicium miratus Pater, confirmavit ejus sententiam. Non est, inquit ille, in Græca lingua *vel strat, vel crat, vel quit, vel brant, vel trant, vel mit, vel put, vel git*, quæ terminationes in verbis Latinis occurrunt. Hoc quoque utiliter instituit Faber, ut filius omnia genera Verborum sine augmentis conjugaret, quo mature disceret, non esse illa ad Verbi tempora noscenda necessaria: sufficere enim hanc notitiam, qualis sit figurativa Futuri & Præteriti. Fecit vero hoc eam ob causam, quod Poëtæ augmenta plerumque rejiciant, quorum lectio morari postea potuisset puerum, Verba ipsi nova fuissent visa, ni satis mature Conjugatione tali huic rei adsuevisset. Hinc olim Græcis Verbis augmenta defuisse Faber existimat.

Magno ducebatur desiderio legendi puer Græcos Autores. Pater, ut exploraret ejus profectus, librum Græcum inpressum ostendit, cujus ne unicam quidem vocem

voĉem intellexit, nisi quod ad has interrogaciones: *Esne hoc nomen, verbum? quis casus? quod tempus?* mediocriter respondit. Interea Ovidii Metamorphoseon librum, ut fabulis recrearet, ostendit, seque prælecturum promisit; postquam Græcum S. Marthæi Evangelium inceperit. Qua spe ille animatus, in Græcis lectionibus diligentior se præstitit. Pater primum pauca proposuit, ac Verba difficiliora ad marginem notare iussit, statimque Metamorphoses incepit, quarum liber primus & secundus difficiliore ob argumenti gravitatem illi visi sunt. Sed, cum ad illa, quæ captui ejus accommodatiora erant, accederet, adeo lectione Metamorphoseon delectari visus est, ut illis absolutis, novos sibi Metamorphoseon libros posceret. Cui Pater: faciemus ex uno repetendo duos, quod ipsi statim placuit. Interim Matthæum & Marcum in Græca lingua levi opera percurrit, simul Latinæ linguæ fundamenta repetens. Hæc lectio Evangelistarum adeo bene cessit puero, ut, cum non difficilis visâ sit, ad alia alacrior redderetur. A Verborum conjugationibus repetendis nunquam tamen cessavit, adeo ut tædium puero e frequenti repetitione rerum, quas optime nosset, suboriretur. Postea S. Lucam, & S. Johannem opinione celerius absolvit.

Hic absolutis, Dialectorum doctrinam proposuit, ita ut ad duas reduceret, Jonicam & Doricam: cum plerumque horrere hanc doctrinam soleant tirones ob prolixitatem. Sed facilem illam fore promittit, si quis recte rem instituat: ceteris enim Grammaticis rudimentis cognitis, non multum hanc doctrinam pueros turbaturam judicat. Ut hoc filio ob oculos poneret, declinare iussit Nomina Græca secundum duas Dialectos, & ad marginem Nominis notavit casus dialecti capaces. Idem in Verbis fecit; atque hoc exercitium per sex dies repetendo semper continuavit, nam torum hoc Dialectorum negotium pro nuda repetitione habet; quæ varietas non tam molesta, quam grata puero visâ est. Satiatatem in omni informatione fugiendam jubet Faber, atque hoc magnum arcanum commendat, ut varietate tædium fallamus.

Dum his intentus erat puer, aliquas Æsopi fabulas Græcas interposuit, repetitis semper Dialectis; quarum praxin ut ostenderet, duo exigua poemata Græca, alterum de pugna murium & ranarum, alterum de Leandri amoribus, explicuit. Fabulas & historias modo, quam potuit, ridiculo exposuit, ut ei firmiter in memoria hærent. In Mappa Hællæspontum ac urbes Sestum & Abydum ostendit, ac interea Metamorphoseon libros levi percussatione iterum absolvit. Postea Homeri Iliada puero non sine Autoris elogio, quod semper fecit, proposuit. * Hic Faber *παράδειγμα* 47 *ἔξω*, sed rem observatione dignissimam, commendat, Homeri lectionem puerili etati præ ceteris convenire. Provocat ad suam experientiam & virorum illustrium exempla. Ipse anno ætatis 14. Homerum legere incepit, cum anno duodecimo primum Musæ nomen declinare incepisset. Josephus Scaliger studium Græcæ linguæ in Homero & tribus Tragicis Poëtis incepit. Idem fecere antiqui Græci: se tamen deo a Novo Testamento initium fecisse ait, quod Communis Grammaticæ lineamenta primum sibi ducenda videbantur, antequam ad Poëtas accederet, quæ in antiſuis cum materno lacte imbibebantur. Rationes, quare Homerum vel Historicis vel

Oratoribus præferat, has affert: profaicos sermonum circuitus vastiores esse pro pueris, multas esse in illis inversiones, trajectiones, hyperbata, verba a suo regimine nimis remota, adeo ut, quanquam pueri omnem periodi compositionem intelligant, hic tamen se expedire nequeant. Multa quidem in Homero sublimia, sed compositionem facilem ac perspicuam, & rationem ejus concipiendi maxime naturæ conformem. His addit alias rationes, non minoris momenti, 1. quod Homerus quasi Commentarii instar sit pro omnibus Poëtis, Oratoribus, Philosophis, Epicuro excepto, 2. quod ex illo verum particularum usum, unde elegantissima Hellenismi pars dependet, discere possimus, in quibus regnat Homerus; nisi forte Herodotum illi jungere velimus. Ejus rei rationem discere nos jubet e Rhetore Cassio Longino. Præterea puer citius versus Homëri 50. memoria tenebit, quam 15. lineas elegantis orationis Profaicæ. Ac si versus bene memoriæ mandaverit, non facile animo illi excident: mensuræ enim & numerorum ratio voces semper in memoriâ revocabit, quæ sine labore insigni puerorum animis ultro se ingerit. Ego, inquit Faber, una hora citius 100. versus Homëri memoria comprehendam sine hæsitacione, quam sex majores periodos Ciceronis, quin alicubi impingam. Hanc Homëri Iliada usque ad 12. librum continuavit, ac interea, ne exercitium Latinum deesset, Sallustium explicuit, in quo primo bellum Jugurthinum præ Catilinario, nec sine causa, placuit.

Duodecimo Iliados libro absoluto satietas puerum ejus ceperat; ideoque statim pater: quiescat ille per quinque hebdomadas, postea ejus nova cupido incesset; ac Phædri fabulas prælegit magna cum pueri voluptate. Vehementer delectabatur legatione canum ceterisque fabulis. Et hoc Phædro quasi viam illi sternere voluit ad Terentium; cum in tota Latinitate non sit Autor, qui cum Terentio comparari rectius possit, quam Phædrus. Ne Græcam linguam negligeret, pri-
48 mam Aristophanis Comcediam, locis quibusdam omiſſis, exposuit. * Hujus lectionis magnam voluptatem cepit puer, ut semper illam reposceret, cumque in ea esset, sibi in theatro inter histriones versari videretur. Comcediæ, ludiones, histriones mirifice acuiunt puerorum ingenium, multasque ideas amœnas phantasiæ sistunt. Non tollendæ a studiis sunt amœnitates, alioquin ipse eorum amor peribit.

Jam libros Æneidos Virgilianæ illi ostendit, argumenta singulorum librorum strictim prius enarrans, & in mappa Geographica Æneæ iter ostendens. Adjunxit etiam mappam Italiæ antiquæ, repetiitque Eutropium & Victorem usque ad Tiberium, quoniam nominum multorum 6. Æneidos mentio recurrit. Quæ cum quasi per ludum jocumque fierent, & Aristophanis Fabula Plutus absoluta, Fabulam Nubes
49 incepit, omnemque Theatri veteris faciem illi ante oculos posuit. * Hinc ad Virgiliti Æneida accessit, quæ puero longè difficilior Iliade visa est; nam versus Homërici fluere ipsi naturali quadam facilitate præ Virgilianis videbantur. Quod pueri judicium pater miratus, exhortabatur tamen illum ad lectionem Virgilianæ Æneidos, cujus versus duriores tantum ob duritiem lingæ Latinæ viderentur. In prælectione ipsa se notaturum loca promisit, quæ magis minusve placerent, unde postea ipse

ipse iudicium formaret, quare Virgilius difficilior videretur. Post lectam Aristophanis Comœdiam Nomina & Verba Græca secundum Dialectos repetiit: qua repetitione semper opus esse ait, ne memoria excidant, quæ semel didicimus. Inter hæc Iliada Homeri ad librum vigesimum sine ulla notabili difficultate continuavit.

Varietatis gratia Terentii Fabulas his subjunxit, omissis Prologis, qui difficiliores sunt; & paulisper sepositis Græcis Autoribus, ut adeo brevi temporis spatio absolverit Terentium & Amphitruonem Plauti: ex qua una Comœdia plus se voluptatis, quam ex omnibus Terentii, accepisse ajebat. Brevem quoque Chronologiam a Trojæ expugnatione ad finem Imperii Tiberiani in ejus usum delineavit, unde quæstiunculas minutas ad Eutropium & Justinum ipse formavit, paterque illi proposuit: e. g. *Quot anni intercedunt inter Darium & pugnam Marathoniam, usque ad natum Christum? quot a pugna navali Salaminia ad Alexandrum? quot ab Epaminonda ad Jul. Cæsarem?* Præ ceteris memoriam illi fixam esse voluit in sexta Olympiade & Urbe condita, primo, secundo, tertio bello Punico, tribus magnis bellis Civilibus, Nativitate Christi. Proposuit seriem Regum Persicorum & Ægyptiorum, cujus magnum in Historia usum esse ait.

Voluit his subnectere Livii Historiam, quem in finem illi ostendit Chartam 50 urbis Romæ, a Pyrrho Ligorio delineatam; sed autorem hunc difficiliorem pro pueris deprehendit: periodos enim habere longiores, quam ut duabus absolvi respirationibus possint; quarum se non exiguum numerum notasse ait, & gigantes præ ceteris periodis nominat. Quare post absolutum tertium primæ decadis librum, hoc Autore relicto, ad Iliada Homeri se recepit, quam puer expeditissime sine ulla remora intelligere potuit. In tota hac informandi ratione facetias & ridicula quædam insperfit, quod optimum ille deprehendit, pro tædio evitando, animo alacri conservando, & memoria firmanda. Verum, cum in eo esset, ut Iliada repeteret, & quatuor ultimos Æneidos libros, qui faciliores visi sunt, absolveret, immaturo obitu circa annum 14. patri ereptus elegantissimus puer fuit; *cujus jacturam filia, quam reliquit T. Faber doctissima, Commentariis in bonos 51 Autores editis celebris, supplevit. Pater vero hoc filio affectus sui & præclaræ iadolis monumentum extare voluit, quod exemplo etiam aliis esse possit. * Ac sane 52 memorabile est, puerum 14. annorum bis absolvisse Iliada, Æneida Virgilii, Terentium, Metamorphoses Ovidii, Salustium, primam Comœdiam Plauti, primam & secundam Aristophanis, tres primos libros Livii, præter Eutropium, Aurelium Victorem, Justinum, Fabulas Æsopi, quinque libros Novi Testamenti. Quid non his fundamentis superstrui potuisset usque ad annum ætatis vigesimum? quare miseram bonæ juventutis fortem deplorat Faber, quæ ineptorum magistrorum culpa plerumque perditur, bestias potius quam homines disciplina sua efficientium. Primum Magistrum requirit doctum; neque id tantum, sed & qui paterno affectu amet discipulum, omniaque accurate exigat, procul ab omni fastu, tædio, iracundia,

dia, quæ omnia corrumpunt, remorus, non plagosus, non molestus, sed patientissimus, & humanitate pueros & quasi quibusdam deliciis in officio retinens.

- Mihi ab hoc loco non alienum visum est, si insigne hoc specimen, quod feliciter in rem ipsam deductum est, fusius hic exponerem: nam qui consilia scholastica alias suppeditant, magno se offerunt numero. Sed intra ideam plerique subsistunt. Hic vivo exemplo plus docetur. * Non miror, præstare hoc in puero decenni patrem potuisse, & credo sane, vel citius hoc fieri potuisse. Bene successit illa informatio, quia pater fuit, qui serio atque ex animo omnia egit, qui ipsius urgere continuis exhortationibus potuit, qualem operam a conductis magistris nunquam expectes. Unus fuit, atque in unum omnem suam industriam convertit. * In methodo nihil magnopere desidero, nisi quod omnem ab hac ætate praxin in componendo sermone cessare voluit, cujus leve exercitium, & velu *προγύμνασμα*, tam in prosa, quam in ligata, instituendum arbitror. Pro lectione prima vulgatæ versionis Latinæ Biblicæ ego elegerim minuta quædam Colloquia qualia a multis scripta habemus: est enim Vulgatæ dictio quodammodo a genio emendatæ latinitatæ alienior. * Poëtarum lectionem ceteris Autoribus præferendam non improbo, quin potius multis ex causis suadeo, præcipue quod animus sublimiore quodam spiritu exciteretur, & numerofo dicendi generi mature adfuescat, & concinnitati sermonis hæc lectio viam sternat. * Velim tamen a sermone soluto enthymematico & periodico non omnino arceri tironem. Non parum in illo situm est, ut mature consecutionem periodicam per particulas causales, conditionales, exceptivas, adversariivas &c. cognoscat. In quem usum breviores Epistolas Ciceronis; & maxime familiares selegit *Sturmius*, item sententias secundum diversitatem periodorum ordinatas. Alia est sermonis in Historia ordinatio, quæ perpetua narratione, & quasi per membra fusius decurrit. * Neque ego generas morales breves & alicujus momenti in hoc primo studiorum curriculo damnaverim. Hærent animo earum rerum ideæ, etsi non satis illa ætate intellectæ. Deinde pro Justino, quanquam in historia elegans compendium præstat, malim alium auræ ætatis Scriptorem, Cornelium Nepotem. Satis mature historia distinetur. * Ad styli formationem major opera infumenda est. Habet illa Romana auræ ætatis dictio aliquid singulare in vocum delectu, postu, concinnitate, significatione phrasum, cum alii Autores a Romana illa puritate multum discedant. Et me quidem iudice præstat e lectione optimæ dictionis prima ducere lineamenta sermonis, quam e variarum ætatum mixtura pravo illum succo imbuiere, non facile postea eluendo. Hærent animo ac recurrunt primi illi Autorum circuitus formulæ, particularum nexus, ac postea non animadvertentibus se ingerunt. Faber vero, ut videtur, literatorem potius e filio, quam Oratorem ad puræ antiquitatis gustum, formare voluit. Ac videmus sane plerisque Criticis, quo doctiores illi sunt, inesse peculiarem aliquam dictionis ideam, quam non e genio Classicorum Autorum, sed eorum, in quorum lectione frequentes sunt, vel a quorum lectione recentes venerunt, ipsi sibi formant. Nimirum si in Eloquentia formanda, quod fieri
prima

prima debet ætate, a Cicerone paucisque aliis discefferis, turbabuntur omnia. * Quare nec Plauti fabulas miscerem cum ceteris illa ætate, quod fecit Faber, etsi 59 puero illæ præ Terentianis placuere, cum a civili & usitato sermone longius discedat ejus dictio, neque pueri satis distinguere Comici ac ridiculi sermonis ideam norint, quam præ ceteris affectavit Plautus; ne quid de Archaïsmis & confictis phrasibus dicam. Quanquam enim optimæ notæ latinitas in illo sit, magno tamen cum judicio, cujus capax tenera ætas nondum est, legi debet. Si sermonem purum & aureum velis, omne subæratum removeas necesse est, usque dum maturioris ætatis usuque firmatæ judicio sequiorum ætatum scripta secure tractari possint. Præterea labore continuo tenerum pueri ingenium nimis obrutum videtur, quod ipsi exitio fuisse crediderim. Etsi enim omnia per ludum jocumque agantur, tamen cum semper in cogitationibus imperatis detinetur animus puerilis, labefactare teneros spiritus illa assiduitas cum violentia quadam conjuncta videtur; qui ex intervallo, quo sibi relinquuntur, majores imperus resumunt.

CAP. X.

DE CURRICULO SCHOLASTICO.

- §. I. In privata institutione nonnunquam felicior via, 2. in scholis publicis securior illa est. 3. Precocium ingeniorum, privata informatione educatorum, scapuli. 4. Philautia scilicet, 5. & voluptates. 6. Cur communi potius via cum aliis incendum sit. 7. Scholastica informationi magna cura a magistratu debet impendi. 8. Defectus in illo. 9. Maxime in ingeniorum censura. 10. Curriculi scholastici tempora varia. 11. Ramus nimis angustum constituit. 12. Michaelis Neandri consilium enarratur, 13. & de eo judicium interponitur. 14. 16. Jeremia Hölzlini Hexaëtia scholastica recensentur, 15. & in uno male sentire ostenditur; 17. ejus consilium private informationi aptius videtur. 18, 20. Sturmii Methodus scholastica proponitur & laudatur. 19. Breves & argutas styli sententias is recte improbat. 21. Ejusdem Sturmii epistola classica plenius hanc deducunt, 22. Cum qua conspirat Castelliana, 23. que methodus proponitur, 24. qua Logices studium ad Academicas rejicitur. 25. Nicod. Frischlini consilium 6 annos prescribit. 26. Caspar Scioppius quatitor. 27. id quod, præsertim in pueris, vix procedit. 28. Wolffgangi Raticii methodus non omnino improbanda, 29. que recensetur, 30. & contra objectiones defenditur. 31. Latinitas & Januis ac Portulis male formatur, 32. que nec emendatæ in scholis admittendæ sunt. 33. Vogelii Ephemerides lingue Latine rejiciuntur. 34. Clenardi singularis quedam methodus exponitur. 35. festiva ejus docendi ratio describitur. 35, 36. ejusd. epistole utilissima. 37. Ad grammaticam informationem prudentia opus est. 38. Rhenii labores scholastici utiles, 39. Beccheri methodus in puerorum informatione prima non suadenda. 40. Consultius medium indicatur. 41. Wendelini institutum. 42. Beccheriana praxis insufficientis.

- ciens. 43. Mechovii curriculum scholasticum laudatur. 44. Antescholarum informatio. 45. Scholasticorum institutio. 46. Lenta ad Academias festinatio suadetur. 47. Uberior docendi methodus e libris desuper scriptis investiganda. 48. Monita quaedam compendio propomuntur.

In privata institutione felicius quidem citiusque omnia procedunt ad præcocem aliquam maturitatem; quemadmodum arbores, quas singulari cura ab aëris injuria custodire ac curare cultura nostra solemus, ceteras, quæ e communi fundo succum trahunt, tempore vincunt. * Sed securior in scholis bene institutis via est, in quibus etsi tardiores sint progressus, firmiora tamen illic ponuntur vestigia, & cum ipso judicio practico, quod cum annis accrescit, quasi solidatur doctrina. * Rara est præcocium ingeniorum felicitas, geminique scopuli sunt, ad quos naufragium facere solent, capitales scilicet animi corporisque pestes: illa phylauria; hæc voluptates. * Debet cupidine laudis accendi animus puerilis; sed oritur hinc quaedam primum ambitio, quæ extinguenda non est, nisi a cursu ipso revocare properantes velimus. Sed succedit hinc contemptus aliorum, quos in fra se positos vident, & vana quaedam persuasio, qua se plus præstare posse, quam per ætatem licet, existimant. Linguis, historiis, scientiis ad miraculum excol multi possunt, judicio tamen practico, quod demum ab annis & usu venit, destituuntur. Hinc fit, ut sibi sapere contenti seniorum monita negligant, neque fructum ex conversatione erudita, qui maximus est, reportent. * Ab altera parte voluptatum stimuli illos sollicitant, ad quas eo ingeniosiores, quo doctiores sunt, undè facile in ignaviam & socordiam prolapsi, a pristina illa virtute degenerare videntur, ut a tessudinibus sæpe ipsæ aquilæ vincantur. Qui in his vel per naturam ductum modum tenere norunt, aut prudentis magistri monita sequuntur, illi ac maxima eluctari possunt.

6 Verum cum paucorum tantum, quos æquus amavit Jupiter, illa fortuna sit communi potius via ad studia cum aliis contendamus. Nam & in societate puerili & juvenili semina quaedam sparguntur officiorum civilium, quorum in Republica olim usus erit. Quis non hic præcepta suppeditavit? Quis non novam aliquam methodum confinxit? Aut potius in devia abduxit: nam non tam multis ducibus, quam peritis & prudentibus, hic utendum est. * Quemadmodum vero, ut Republicæ perennes sint, vel prudente Legislatore formari debent, vel salutaribus legibus conservari; ita in Schola instituenda optimis peritissimisque Censoribus opus est. Non sufficit, idoneos admovere juventuti Magistros, sed constitui debent, qui totius rei scholasticæ curam habeant, idonei Ephori; in quibus plerumque peccatur: * Solet enim hæc cura Sacri Ordinis viris demandari, qui non omnes æque iis sunt doctrinis exculiti, ut de re scholastica recte statuere possint. Etsi enim pietatis præcipua quidem ratio habenda est, tamen & linguæ, & artes, quæ in Scholis tractari debent, non minori cura excolendæ sunt. * De Censura ingeniorum nihil dicam: vix enim a nostri sæculi moribus impetrari illa potest:

est: quanquam multæ sunt virorum gravissimorum de hoc defectu querelæ, multorum desiderii illud quærat. Videatur Calixtus Oratione de recta juventutis institutione, & Præceptorum officio, Mechovius Hermat. cap. i. tract. 3. n. 13. Legi quoque ea de re potest Jeremias Höltzlin, Holsatus; (b) doctissimus ille Apollonii Commentator, in eleganti dissertatione, cui titulus *Hexartica Scholastica*, Dortmundæ Ann. 1625. impressa, ubi curam hanc Republica dignam esse ostendit, & emendationem Scholarum serio operat.

Curriculum Scholasticum non æquis intervallis definitur. Ac sunt sane ejus laxiores & ampliores termini constituendi, quoniam ingeniorum non est æqualis conditio. Tempora ergo ita ponenda sunt, ut tardiora ingenia cum ceteris eodem studio ad metam pertingere possint. Sunt, qui nimis ampla spatia; sunt, qui breviter nimis & angusta præscribunt. * RAMUS, Freigio teste, Philosophiam cum 11 Eloquentia ita conjungendam censuit, ut, cum puerum septimo anno acceperit, anno decimo quinto ætatis perfectus Philosophus sit, & jam aptus ad Rempublicam: quod nec privata nec publica informatione effici potest. Etsi enim id scientiis addiscendis tempus sufficere videatur in ingenio excellentiore, non erit tamen ad Rempublicam & publicam functionem aptus, judicio practico, quod in illam ætatem non cadit, destitutus, nisi forte in speciem & pompam aliqua suscipiantur. Quod si enim moralis & civilis doctrinæ non est idoneus auditor juvenis, e sententia Aristotelis, quomodo ille in vita exercebit?

MICHAEL NEANDER, vir doctissimus, & multæ in informanda juventute 12 præceptor, Germanica lingua consilium de informanda juventute edidit, Islebii Anno 1583. in octavo editum, in quo ille monstrat, quomodo puer a sexto ætatis anno ad 18. pietate, lingua Latina, Græca, Hebraica, Artibus & universa Philosophia institui possit. A sexto anno usque ad initium noni puerum exerceri vult legendo in utraque lingua, Germanica & Latina: cui usui adhibendum suadet Compendium Grammaticæ Philippi, ut simul cum literis ejus libri usum familiarem sibi faciat. Anno nono ad Compendium Grammaticæ & regularum ac exemplorum explicationem manuduci, in vocabulis sententiisque brevibus de virtutibus & moribus, dictis scripturæ, ediscendis exerceri vult, interjectis aliquot pro Musica & Calligraphia horis. Decimo anno Melanchthonis Grammaticam parvam una cum Syntaxi puero explicat, in Declinationibus, Conjugationibus, formationibus, casuum, temporum, per continuas interrogationes ac responsiones exercet, expositionem locutionum Latinarum & formularum orditur, quas e Cicerone, Plauto & Terentio in hunc usum collegit, quibus erudita lingua Latina, adeoque omnia argumenta, de

Kkk 3

quibus

(b) Jeremias Höltzlinus (qui Alumnorum initio in Acad. Altorfina Noricorum fuit Ephorus, hinc Gymn. Ambergensis Conrector, Hammonensis autem, & Scholæ postea in Batavia Bredanæ, Rector, tandem vero Linguae Græcæ Professioni Leidæ An. 1632. aditus, illic An. 1641. decessit) patriam agnovit, non Holsatiam, uti h. l. traditur, sed Civitatem Noribergensem. V. Ant. Thyffii Or. Fun. illi habitam, Franc. Martinii Epistolæ p. 31. & Wittenii T. I. Diar. Biogr. ad An. 1641.

quibus in communi hominum vita sermo institui solet, non spernendo invento continentur, ac seorsim a Neandro editæ sunt: atque ex iis, ubi memoriæ mandavit, Thematata pro versione proponit. Et Grammatica & Nomenclatore repetitiones crebras instituit, & hanc telam undecimo quoque anno pertexit: Duodecimo anno Autores Latinos, Ciceronem, Terentium, Virgilium, Ovidium illi exponit, hinc phrasium sententiarumque excerpta colligere jubet, & ad Profodiam & versus scribendos manuducit. Tribus sequentibus annis Græcæ linguæ rudimenta & Autores prioribus jungit, eadem fere methodo procedendo, ut in lingua Latina: cui fini etiam locutiones Græcas eodem quoque ordine, secundum tria causarum genera ut in lingua Latina, collegit, aliumque libellum de re poetica Græcorum, ad exercitationes poeticas in Græca lingua instituendas edidit. Anno 16. Hebrææ linguæ rudimenta superioribus addit, & demum 17. & 18. anno per Dialectices, Rhetorices, Physices, Chronologia, Ethices, Geographiæ compendia circumducit, atque ita ad Academiæ illum suum discipulum ablegat. * Qua in methodo tempora, quæ studio Grammatico impenduntur, nimis protrahuntur, antequam ad lectionem Autorum admittatur puer; nam ex usu & lectione suppleri defectus Grammatices majori cum fructu possunt. Deinde in exercitationibus Rhetoricis parcior est, quam velim: cui plus ego temporis impendendum existima-
verim.

14 JEREMIAS HOLTZLIN, cujus supra mentio facta est, curriculum paululum angustius discipulo suo definivit, sex scilicet annos, a septimo ætatis anno usque ad decimum tertium, unde & *Hexattia Scholica* inscripsit. Ac quoniam tota informatio tribus actibus continetur, quorum primo via ad Grammaticam munitur secundo ipsa Grammatica cum orationis illius Autoribus traditur; tertio his Græci sermonis, nec non Dialecticæ & Rhetorices studium adjungitur; idcirco de his ipsis ordine agit, præmittens tres quasi canones generales, quorum primus est, In tradendis artibus progressum esse instituendum a facilioribus & notioribus, ita ut semper priora posterioribus faciem præferant: Secundus est, Plus diligentia & temporis conferendum ad finem, quam ad ea, quæ ad finem: Tertius, Cum finis sit mensura eorum, quæ ad finem, quicquid ad eum non pertinet, omittendum esse. Posterius vero cum priore comparatum semper finis rationem induere, atque ita non solum artes totas aliis esse *ὑπερτιμὰς*, ut tradidit Aristoteles, sed artium etiam partes aliis inservire, & proinde alias quodammodo *ὑπερτιμὰς* alias *ἀρχιτεκτονικὰς* esse. Primum ergo hic diligentiam in syllabis recte colligendis impendi, ac simul ad pingendas literas pueros manuduci vult: Calligraphiam enim vehementer laudat. Grammaticam succinctam & semitariam adhibendam primum judicat, & abstinendum a Grammaticis definitionibus & regulis intricatioribus, quarum sensum non capiunt pueri; rem ipsam quam simplicissime proponendam; Latina, quæ non intelligant pueri, non discenda, nec ipsa quidem præcepta Grammatica, nec Syntaxin, cujus regulæ per numeros distinctæ. Verionis materiam ex probato Autore pro exemplo regulis applicandam suade
Hi

His jam præmunitis ad ipsam Grammaticam, qui secundus totius *περὶ μὲν ἐπέων* actus est, progreditur: in qua tamen nimis scrupulosum tironem suum esse vetat; ita ut ex usu potius & lectione sibi Grammaticas observationes formet, quam e Grammaticis Autores explicet. *Utile, inquit, est, sibi Grammaticam coagmentare hunc in modum. Prima illa rudimenta jam apprehensa in libro hos ad usus quæsitò per intervalla & late diducantur: tituli exceptionum, heteroclisarum, ellipsion, figurarum, ordinibus a magistro monstratis disponantur, & postea depromptis ex autore ad declarandum sumpto exemplis compleantur. Quod ubi fiet, multo minore cum tadio ars ista a quocumque non tam discetur, quam invenietur, & perbrevis temporis spatio res Grammatica feliciter parabitur, & firmius tenebitur; ejusque fructus cumulator ipso in opere capietur. Nec adeo referet omnia ibi exempla, aut aliqua reponat: quod e nonnullis positis reliqua facile possint estimari.* Phrasologias ab aliis concinnatas non multum ad usum puerorum commendat, utut bonas, & a viris doctis congestas. Cum enim formulæ & phrasæ illic infinitæ ponantur, quæ tamen plerumque *κατὰ τὴν* dicuntur, & consideratione seu *ἕξει* certa; non posse a pueris earum usum dijudicari. Quare phrasæ & formulas ex iis, quos legit, Autoribus colligendas potius suadet, quam ut alieno labore collectis utatur. * In quibus Autoribus Plaurum Ciceroni prætulisse miror, nam Rami erroribus etiam hac in re male adstipulatur, ac plane inepte judicat, cum Ciceronis quam Plauti scripta faciliore eum latinitatis jactura aboleri posse existimat. Neque enim latinitas tam e vocabulis, quorum amplior sèges in Plauto est, quam ex decente illo & civili cultu censenda. - Cum hoc labore aliquid Ovidiani carminis jungendum esse existimat. * Tertio actu, qui Græcæ linguæ & Dialectices Rhetoricesque cognitione illi absolvitur, similiter Græcam Grammaticam rudem & inchoatam primum requirit, quam altera excipit postea plenior. Eam duplicem quoque ille habet, unam profaicam, alteram metricam. Illa communem linguam traderet, hæc dialectos, quibus poetæ utuntur, de quibus multa immiscet erudita: fuit enim Græcæ literaturæ peritissimus, ut Commentario in Apollonium ostendit. Quæ de Dialecticis porro apud illum habentur, Rami Scholam sapiunt, cujus ille partibus addictior fuit. In Rhetoricis variationem per figuras & Aphthoniana progymnasmatata commendat; atque ita discipulum suum anno decimo tertio ad *ἐγκυκλοπαιδείαν* totam aliasque scientias ablegat.

Verum præstat, ut jam ante dixi, in Scholis publicis non tam breve spatium præstitueret, quo pertingere omnes scopum sibi præfixum possint: nam Höltzlini consilium privatæ, quam publicæ informationi, aptius videtur. * In tota hac Scholarum Oeconomia adornanda miram industriam, ut jam supra diximus, JOHANNES STURMIUS ostendit, cujus consiliis pleræque per Germaniam Scholæ imitaturæ. Scripsit is primo librum de *Ludo literario recte aperiendo*, quo generatim de scholastica egit, & in certos ordines labores scholasticos distinguit. Incipit a postremo ordine, qui ipsi notus est. Ad illum sub quintum sextumve annum duci jubet puerulum, ut legere scribereque discat, breviori Catechismo, flexionibus nominum &

verborum exerceatur, & breviores Ciceronis Epistolas, ad Terentiam & Tiromem, exponere incipiat. Quod uno anno melioris ingenii puerum absolvere posse existimat: de quo tamen ego dubitaverim. In ordine octavo, anno scilicet septimo, primis sex mensibus tradit duabus quotidie horis Grammaticam breviorē, & reliquum temporis duas itidem horas, Eclogis Virgilio & Epistolis Ciceronis tribuit. Dissolvere jubet Epistolas, flectere ac variare verba singula, eaque rursus conjungere. Rationem construendæ orationis in posteriores sex menses differt, jungendo Epistolas Ciceronis & Virgilio Eclogas, ut alternatim hæ tractentur, & quatuor horæ lectionibus de die impendantur. Proponere tum Magistrum jubet sententias Germanica lingua, quas puer formis Latinis commutat: carminum quoque modulationem, sed exercitio potius quam regulis, suscipiendam suadet. In septimo ordine anno octavo & singula prioris anni acta semper repetenda, & versuum modos & syllabarum quantitates perdiscendas monet; cui una de die hora suffecerit. Ciceronis libris *de Amicitia & senectute* aliam horam tribuit. Terentiam *Æneidi* Virgilianæ, vel Catullianis & Tibullianis carminibus castioribus in hunc usum selectis. Quartam horam stylo, propositis ex explicatis Ciceronis locis thematibus, & versibus in ordinem redigendis assignat. Interim & memoriam exercere, & semel memoriæ mandata reperere jubet. Atque ita tribus annis, consequi posse putat puerum, ut Latinæ atque dilucidæ orationis præcepta teneat. In sexto ordine anno scilicet nono vel decimo præcepta primum in memoriam revocanda, quam tradenda nova. Hic horam unam destinat *Æneidos* & Catullianorum Horatianorumque carminum lectioni; secundam explicationi insignium locorum communium, argumentationum, periodorum bene ordinarum, figurarum exemplorum, e Cicerone depromptorum, quæ memoriæ etiam mandanda, 19 & ad imitationem proponenda, tribuit. * Nam breves illas & argutas sententias ideo damnat, quod memoriam vastent, aciem styli distrahant, sæpeque illæ in-
20 pre scriptis interponantur. Quod sapienter sane ab illo monitum est. * Ex Terentio postea & Plauto, interposita his Cæsaris historia, qui quotidiani sermonis verbis historiam conscribere maluit, quædam proponit. Tertia hora iterare jubet, & ad stylum accommodare, quod est utilius; sive in prosa, sive in carmine hoc fiat. Quartam horam emendationi compositionis tribuit. In Ordine quinto, Anno vel 10. vel 11. sex primis mensibus semel quotidie ex Græcæ linguæ præceptis Grammaticis quid proponere jubet: sequentibus tribus mensibus paucas facilesque *Æsopi* fabellas Græcas; & postremo trimestri *Demosthenis* Orationes *Olynthiacas*. Secunda hora in *Officiis* Ciceronis, si priores libri sunt superiore anno absoluti, versabitur. Tertia vel *Georgica* Virgilio, vel *Oratio* aliqua Ciceronis explicabitur. Quarta scripturæ & compositioni relinquitur, ita tamen, ut libri de ornamentis orationis scripti, quæ e Ciceronis libris *Rhetoricis* sunt petenda, conjungantur. De *Elocutione* enim prius, quam de *inventione* laborandum. Verborum copia tum comparanda, & sententiarum formulæ cumulandæ. In ordine quarto anno vel 11. vel 12. informationis quinto horis duabus alternatim cum Cicerone *Demosthenem*, cum *Virgilio* *Homerum* jungit. Tertiam primis sex mensibus Grammaticæ

maticæ Græcæ impendit. Quarta cum styli exercitiis præcepta Herenniana & partitiones Ciceronis jungit. Nequæ sine ratione Ciceronis libros ceteris compendiariis libellis præfert. Addit illis Salustium & Plaurum, ubi tempus supererit. Atque hic prolixè de ratione resolvendi orationes, & colligendis phrasibus agit; quâ de re singularem quoque librum conscripsit, & nos alibi plenius. Interferit etiam quædam de commentationibus, quibus aduescere pueros mature vult. Argumentum illis ad narrandum, aut probandum, aut amplificandum proponit, spatium dat, eadem hora, qua docendum erat, ad cogitandum, ut, quod antea scriptum adferre consueverant, id jam meditatione atque cogitatione comprehensum pronuncient. Quod exercitium sane præclarum est, & promptitudinem aliquam in dicendo & cogitando efficit, magno postea utui futurum, ubi ad rem ipsam & negotia vitæ civilis ventum est. In Ordine tertio, Anno vel 12. vel 13. præcepta Rhetoricæ Dialecticis jungenda suadet, Ciceronis Topicæ & Aristotelis Dialecticæ, Demosthenis & Æschinis adversarias orationes explicandas; Commentationes continuandas, & partes integras, sumpto ad cogitandum tempore, oratione Latina memoriter dilatanda, tum scilicet, cum domo reversi fuerint. Ad Livium etiam nunc progredi in Historiis vult. In Ordine secundo, Anno 13. vel 14. Demosthenis orationem pro Cresiphonte explicari, dialecticæ præcepta ex Aristotele continuari, eademque hora dialogum e Platone & Cicerone velut in exemplum proponi suadet. Partitionibus Oratoriis scribendo & commentando insistendum, & ad firmiter iudicium omnia exigenda. In Ordine primo, anno scilicet 14. vel 15. viam ad primas artes maximasque disciplinas aperit adolescentibus, repetitis tamen prioribus, atque sic bene præparatos ad Academica studia transmittit. * Explicatius singula postea deducit in *Epistolis illis Classicis*, quas ad lingu- 21
 • lorum Ordinum vel Curiarum præfectos scripsit, additis tum novis præceptionibus, tum exemplis. Multa hic de ordine, in vocabulis discendis servando, de volumine sententiarum, per periodos digestarum, de Ephemeridibus faciendis, de modo explicandi epistolas Ciceronis, de formulis sententiarum pro stylo exercendo, de carminum, exemplorum volumine, & pluribus aliis utilia monentur. Præxim' ulteriorem in *Schola Laringana exhibet*. Quæ omnia egregia sunt, optimoque consilio instituta.

Sturmianis consiliis merito accenseri debent Caseliana. Nam in variis scriptis 22
 rem scholasticam Caselius, quæ potuit diligentia, emendandam ornandamque suscepit. Extat ejus libellus similis cum Sturmiano tituli *de ludo literario rectè aperiendo*, in quo pleraque cum Sturmianis conveniunt, nisi quod Sturmius majori *disputatione* in operarum scholasticarum partionibus usus sit. * Primum in infantibus pro- 23
 • nunciationem literarum & calligraphiam majori, quam fieri solet, cura tractandam suadet. Grammaticam ille simplicem, quæ in solis nominum & verborum inflexionibus & exiguis regulis syntacticis consistat, requirit, cetera ab usu & lectione discenda suadet, adhibitis tum in consilium uberioribus commentariis Grammaticis. Interpretationem planam & perspicuam præscribit, sermone Germanico Latino,
 Tomus I. LII pro

pro puerorum capacitate, citra commentariorum prolixitatem, quos tamen veteres & novos perspectos Magister ipse habeat. In interpretatione moralia immisceri vult, ut eorum idea animis teneris mature hæreat; quam ad rem Terentium ac præcipue Horarium laudat. A Cicerone prima sermonis lineamenta potius, quam a quopiam alio ducenda præcipit; a loquendo tamen abstinere tirones jubet, ne purum sermonem corrumpant. Sermones quosdam & Dialogos, sed ductu præceptoris, Latina lingua instituendos; Declamationes intempestivas fugiendas suadet. Carminum modulatio ex usu potius & lectione, quam præceptis operosis, illo iudice, discitur. Ad Græcam linguam hinc tironem suum vocat, electione potius, quam præceptis multis, hauriendam. Scriptionem non suadet, ob magistrorum imperitiam & nullum ejus linguæ usum publicum: tanti enim non esse, ut quis impuro sermone Græco scribere discat, cum de puro desperandum sit.

24* Hebræam ad Academiæ rejicit, Logices & Dialectices præcepta vel ad Academiæ differt, vel summa tantum eorum rudimenta proponi vult. Neque enim in hoc suo ludo Disputatores vel Sophistas formabit discipulos, neque vitio hoc magistris vertendum esse judicat, si non magnam Logices scientiam habeant, quæ maturius iudicium requirat. Eventurum, ut vel, quæ prima jacta sunt in his fundamenta, hinc in Academiis sint adjicienda, & majore molestia dediscenda, vel nunc humanitatis studia seignius tractentur. In Rhetoricis compendia primum proponit, & ex Aphthonii progymnasmatibus aliquid. In Musicis exerceri pueros vult; in Mathematicis quoque quibusdam, ut Arithmetica & Geometria, prima statim ætate, etiam lingua Germanica, si haberi possit, qui pueros illa doceat. Nam his studiis quoque apud veteres pueri exercebantur.

25 Est & NICODEMI FRISCHLINI consilium non spernendum de ratione instituendi puerum ab anno ætatis sexto & septimo ad annum usque decimum quartum; ita ut præter duas aut tres maternas linguas etiam Latinam discat recte loqui & scribere, Græcam vero mediocriter intelligere: insuperque rudimenta Dialecticæ & Rhetoricæ ad usum scribendi conferre, & primo quidem anno puerum docet, ut recte literas legat & pingat; secundo initia Etymologiæ, & e suo Nomenclatore usitatiora nomina non solum inflectere, sed etiam intelligere, & præcipuas loquendi formulas docet, simulque ad Syntaxin præparat. Tertio & quarto anno reliqua Etymologiæ præcepta & præcipuas regulas Syntaxeos, una cum Declinationibus & Conjugationibus Græcis simplicioribus tradit, usum quoque mediocrem Latinæ linguæ e Dialogis sacris & selectioribus epistolis Ciceronis comparandum docet. Quinto anno reliqua præcepta Latinæ, & præcipua Græcæ Syntaxeos (quæ conjungi semper ob affinitatem vult) tradit, una cum reliquis Declinationibus & Conjugationibus Græcis, & ex brevissimis Prosdia regulis carmen retexere docet, & insuper ex Cicerone & Terentio laudabile scriptum conficere. Sexto anno præter exercitationem Græcæ & Latinæ linguæ ad rudimenta Dialecticæ & Rhetoricæ manuducit, & ad perfectam istarum artium cognitionem præparat. Quæ Frischliana informandi ratio cum Hölzlini methodo quodam-

quodammodo convenire videtur, qui & ipse sex annis scholastica absolvit studia.

Minori annorum numero CASPAR SCIOPIUS contentus est. Is enim in 26 *Consult. 3. de Scholar. & Studiorum ratione* quatuor tantum annos requirit, quibus non modo Latinam linguam probe intelligant, & cum Grammaticæ regulis, tum doctorum consuetudini congruenter Latine scribant, sed etiam Logicam, Rhetoricam, Physicam, Metaphysicam, hoc amplius autem Ethicæ & Politicæ elementa addiscant; sic, ut idonei sint, qui Professoribus Academicis, Philosophiam, Theologiam, Jurisprudentiam & Medicinam docentibus, multo, quam alii, melius & fructuosius operam dare possint. * Verum ista in hominē provectoris ætatis 27 vel saltem adolescente effici quodammodo posse non negaverim; in pueris, quorum ingenium iis studiis aptum non est, ut fieri possit, vix concesserim. Ut enim in linguis forte compendia quædam cum pueris institui possint, in scientiis vero maturiore iudicio opus est; præsertim in Ethicis & Politicis, quorum idoneos auditores esse juvenes negavit Aristoteles.

In lingua Latina addiscenda compendiosiore sibi viam invenisse visus est 28 WOLFFGANGUS RATICHUS, quæ non contemnenda quidem videtur, modo ejus peritiæ & patientiæ Præceptorem quis nancisci possit, quam ille requirit. * Primum vernaculam aliquam linguam præsupponit, qua animi sui sensa commo- 29 de exprimere puer possit, hinc in lingua Latina puerum informaturus literas docet tum scriptione, tum viva voce, earumque potestatem explicat, prononciationemque exprimit, earum postea connexionem & Syllabificationem tum viva voce, tum scripto ostendit: quibus peractis, statim in manum Autorem idoneum sumit, sed unicum, e. g. Terentii Comædias. Ab initio 4. vel 5. lectionibus voce tardissima & quasi semifracta discipulo præit, qui oculis & animo præeuntem sequitur, atque ita inconcinna prononciatio silentio devitatur, donec crebra Præceptoris iteratione concinna reddatur. Nam Præceptore absente omnis privata repetitio discipuli interdicta est. Postmodum ipsa prælectio hac methodo procedit, ut 1. summa futuræ lectionis luculenter lingua notiori proponatur. 2. Lectio sequatur distincta & perspicua, probe observatis commatis & punctis. 3. Expositio seu interpretatio ipsius textus. 4. Textus relectio & reperita interpretatio. Terentii sex sunt Comædiæ: singulis hebdomadibus unam Præceptor absolvit, singulis diebus, imo singulis unius diei horis Actum totum, ut fabulæ tractatus cohæreat, & intellectui listatur. Præceptor primo legit periodum integram, deinde commata istius periodi denuo legit, & Germanice interpretatur, ad sensum solum, non ad constructionem respiciens, atque ita ad finem Actus. Quæ prima Terentii prælectio nihil aliud præstat, quam ut discipulus 1. Latine legere discat, 2. summam & sensum totius Autoris imbibat. Atque ita sex hebdomadibus rotus Terentius absolvitur, bis terve in una hora uno Actu reperito, & die Saturni, pluribus horis, tota Comædia. Nihil vero hætenus de Grammatica discipulus audivit. Alteris sex hebdomadibus Terentius denuo ab initio ad finem eodem modo

exponitur; sed circa finem matutinæ assumit Præceptor libellum Paradigmatum, & primo ad Conjugationes se confert, prælegit Conjugationem primam activam, una cum interpretatione singularum personarum sæpissime, sequentibus diebus ceteras Conjugationes, depromptis ex Autore exemplis, quæ similiter flectit, addita singulis Germanica significatione. Tum passivæ Conjugationes præleguntur ea cautela, ut passiva non ex analogia formentur, sed e solo Autore petantur. Hinc prælegit paradigmata Declinationum per intervalla secundum earum ordinem, exempla ex Autore adduntur ad singulas Declinationes, prout se obtulerint, circa interpretationem casuum Germanicam. Interim ad finem tendentibus hebdomadibus, discipulos tentat Præceptor, num in Conjugationibus & Declinationibus prompti sint? respondebit vero discipulus omnia e libro. Tertia vice aliis sex hebdomadibus, dum Terentium repetit eodem modo horis matutinis, pomeridianis Grammaticam proponit, exemplis ex Autore desumptis, ita tamen, ut ad Syntaxin nondum accedat. Dehinc applicationem præceptorum Grammaticæ hoc modo instituit. Hora prima diei scenam unam Terentii integram exponit, sparsim faciliora nomina & verba explicat. In ceteris horis scena examinatur accuratius, quoad Verba solum, diductis exemplis per Verbi accidentia: ubi discipuli ipsi libros Grammaticos una cum Præceptore inspiciunt. Altera die sequens scena hoc modo examinatur, quoad Nomina observato ordine Substantivorum & Adjectivorum. Tertia die Pronomina, inde Adverbia &c. cum suis accidentibus, ut Grammatici vocant. Hinc Præceptor incipit conjungere Verba & Nomina, & integras phrasas ex Autore deducit per Conjugationes, Substantiva cum Substantivis, Adjectiva cum Substantivis &c. ut, *Facio illi injuriam, facis illi injuriam, facit illi injuriam &c.* idque exercitium per aliquot hebdomadas continuatur. Hac ratione Comædia una intra mensem circiter absolvitur, ut hora matutina Autoris textus exponatur, in ceteris Grammatica potissimum tractentur. In tali exercitio Declinandi & Conjugandi detinet discipulum usque ad quartum mensem, a tempore tertium inchoati Terentii, seu inchoatæ Grammaticæ in ceteris quoque Comædiis. Tum ad genuinam vocum significationem, speciem & figuram deducitur, ad Præterita & Supina &c. exceptiones in Grammaticis. Postquam jam Erymologiam universam cum præcipuis exceptionibus tenet, ad Syntaxin accedit, quæ ipsi jam quasi sponte fluit e copia vocum, phrasum, scientia flectendi, conjugandi, declinandi, derivandi, componendi. Tum jubetur ipse discipulus Terentium legere & interpretari; auscultante Præceptore & monente, si quid erraverit; tum e Latina in Germanicam transferre, atque ita totum in succum & sanguinem convertere. Quod intra anni spatium commode effici posse, Autor ille testatur.

- 30 Sed erunt fortassis, qui leve quid existimabunt, intra anni tempus eo usque in Latina lingua progredi: præsertim cum Scioppius in *Præfat. Grammaticæ Philosophicæ* tantum post Nominum Verborumque declinationes memoriæ mandatas, se e quotidiana Latine loquentium consuetudine, sex mensium intervallo profecisse dicat,

dicat, ut, quicquid usus ejus ætatis posceret, enunciaverit; cum hi Terentiani auditores Latine tamen loqui toto anno non didicerint. Qui hoc objiciunt, meminerint, plus esse in quotidianis colloquiis ad linguam discendam efficaciam, quam in quacunque informatione alia: secundas tamen a prima hac maximeque naturali methodo tenet illa, quæ e lectione Autorum procedit. Et in Raticiana tamen illa methodo, primis illis lineamentis bene e Terentio ductis, juncta simul arte Grammatica, facillimus deinde ad cetera progressus fuit. * Illi certe longe præferenda est, quæ vel e Janua Comenii, Patrum Hibernorum, Mercurio Scioppi, Portulis, Atriis simile quid promittit. Nihil solidi e scopis illis dissolutis discitur, in quibus nulla est compositio, plena barbarismis omnia. Sermoni studendum est, qui non meris enunciationibus, sed nexu periodico decurrere debet: qui, etsi a puero primum non capitur, per consuetudinem tamen animo auribusque inhæret. E sermone ergo simplici quidem, sed recte suis particulis juncto, potius nomina verbaque discenda sunt, si illa sic nuda pueris proponere nolumus, quod prima ætate sufficere possit. * Quacunque ergo ratione emendentur vel Comenii vel alterius Januæ (nam in illius Januæ multa talia emendari voluit Vir Cl. & amicus noster optimus J. P. Titius) non possum a me impetrare, ut earum usum in Scholis probare possim. Quorsum enim opus, ad lacunas confugere, cum purissimos habeamus fontes? Si vocabulorum res agitur, illorum cognitio vel ultro e lectione nobis occurrer, ut non sit magnopere de iis laborandum. Denique ut vel culinæ, vel opificiorum gratia ista faragine pueros maceremus, nulla nos necessitas jubet. Talius rarus in sermone civili usus est. Legatur tamen ea de re Vir Clariss. J. P. Titius in *Dissertatione de Admuniculis Linguae Latinae prima*, ubi Historia libellorum didacticorum Comenii plenior proponitur, & operose de eorum usu & correctione agitur. * Nihil meliores illis Januis sunt *Ephemerides lingue Latinae* ab EZECHIELE VOGELIO, Pædagogii Göttingensis Con-Rectore, scriptæ, quibus unius anni spatio, duabus singulorum dierum professorum horis, totam linguam Latinam, omniaque ejus vocabula docere vult. Constant vero Ephemerides variis sententiis, vel confictis, vel a veteribus Autoribus peritis, secundum dierum & alphabeti ordinem, observata nescio qua inepta alliteratione in vocibus. Has memoriæ mandare pueros jubet, ex iis Grammaticam & Syntaxin disci, themata Latine scribendi conformari, ex iis colloquia institui vult. Verum non opus est, ut labori inutiles immoremur. Legatur prolixa earum Ephemeridum didactica, Lipsi. Anno 1621. edita.

Simile quidpiam Ephemeridibus illis ante ipsum commentus videtur CLE-
 NARDUS, ad cujus ego imitationem Vogelium instituisse suas existimo, sed longe
 dissimili profecto ingenii acumine, induitria & judicio. Ille pueros analphabe-
 ros, postquam primo literas ostendit, & publica voce pronunciavit, omnia docet,
 minutis dialogis, sed Latina Lingua factis, quibus Grammatica, & quæcunque
 alia quotidiana, argumenta comprehendit, sententias etiam & adagia, secundum
 Alphabetum ordinata, vocis alicujus occasione, quæ legat semper relegatque puer.

Ille tamen, quod mireris, ipse Grammatica rudimenta non nisi Latina lingua proponit, unde quotidiano isto sono & Grammaticam, & linguam ipsam discunt. 35 pueri. * Instituit ille aliquando ludum talem Braccaræ, quem ipse festive, ut valde facetæ sunt omnes ejus Epistolæ, describit. Non, puto, ingratum Lectoribus erit, si quædam de illis, sunt enim rariores hæ Epistolæ, adducam. Ita vero ille lib. 2. sub finem prolixæ illius & elegantissimæ Epistolæ, quam ad Christianos de professione Arabica militiaque constituenda adversus Mahometum scripsit: *Periculum facturus de ingenio puerorum, civium aliquot liberos publico dono docere cepi, tam experte lingua Latine, ut ante eum diem ne literam quidem audissent. Et prima statim hora, cum res jam vulgata fuisset, concurrerant complurimi, commoti, ut sit, novitate, adeo, ut, crescente indies multitudine, locus auditores non caperet. Nulla enim ætas novo Gymnasio desiderabatur, & omne genus mortalium confluebat. Non deerant, qui vix annum quintum agerent, non sacerdotes, non servi etiam Æthiopes, & quidem natu grandes. Quin & parentes una ludum frequentabant cum filiis, nec minus præceptorum morem gerebant, quam obedienter discipuli. Cumque solus versarer in tam disparibus ingeniis, & apud rudes ne verbulum quidem sonarem nisi Latinum, sic sensim assiduo usu processit negotium, ut intra paucos menses, & loquentem satis omnes intelligerent, & minimi etiam utcumque Latine balbutirent, cum vix nossent Alphabetum. Neque enim tenellam ætatem eo traherem, quod aliquid haberet molestiæ, nec per antiphrasin interpretabar ludum, sed revera ludebam in Scholis. Erant mihi servuli tres; quos supra nominavi, non sane periti Grammaticæ, verum domestica consuetudine tantum consecuti, ut me perciperent, quicquid dicerem, & contra Latine responderent, licet identidem peccantes in Priscianum. Hos in ludum productos dialogos agere jussi, spectantibus discipulis, & cum eis multis de rebus sermonem miscbam, attentissimum auditorio, adeo miraculi loco fuit, quod Æthiopes loquerentur Latine. Heus Dento, inquam, salta: mox unum atque alterum edebat saltum, ridentibus spectatoribus. Tu Nigrine, repe nobis per pavimentum: sine mora quadrupedem agebat, magis etiam in cachinnos solutis, quotquot aderant. Carbo jussus currere cursum statim expediebat. Si & alia multa non tam voce docebam, quam gestu, ut per jocum vocabula puerorum unum mos subirent; minimaque cura fuit, ut initio canones objicerem Grammaticos, rem non satis amenam: sed omnem adhibebam artem, ut quemadmodum mercatores in variis regionibus usu perdiscunt idiomata, sic in tanta frequentia omnibus in locis streperent voce Latina. Quin & illud piaculum erat, primis diebus quippiam scribere, sed oculis in præceptorem intentis, aures assuescebant audiendis vocibus. Et si quando sese offerret vententia, vel adagium, pauculis verbis comprehensum, per discipulos in orbem ibat, & tota Schola jaçtatur, velut manus manum fricat, me interim rem gestu declarante. Nam & hoc decretum erat, non solenni pompa docere, & aliquid meditatum afferre; sed quicquid obiter ac primum occurrebat, de eo fabulabar. Si quem conspicerem insigni naso, ridendo & contrectando naso fungebar docentis officio, & obiter mungebat Denti nares. Inde jussi adferre candelam, & tu Nigrine, inquam, munge candelam: quam imprudens extingueret, irato vultu objurgantis speciem præbebam, & simul videbant, qui*

1 esset candelam accendere, quid extinguere: hinc labimur ad servum, & candelas servacas, inde ad ceram, ceram, elychnium, & cetera que oculis arbitrari poterant, ut utar verbo Gelliano. Dum sic nugamur, & quamvis sermocinandi ansam temere raperemus, sepe numero sine omni tadio tres horæ nobis imprudentibus abibant, cum summa puerorum voluptate. Quibus factum est, ut a parentibus pueri contineri non possent, quin summo diluculo pergerent ad Scholas, velut gestientes audire præceptorem: adeo ut horam quandoque unam antevertent, & noctu nihil aliud somniarent, quam comedias nostras scholasticas. Postquam sermo Latinus familiarior factus, tandem instillavit Grammaticam, nominumque Declinationes majusculis characteribus in parietibus suspendit; e quibus, qui nosset scribere, describerent, diligenter cavens, ne cuiquam codex typis excusus esset, ut eo accuratius memoriæ imprimerent. * Deficit hic quidem Epistola, & editor Cluvius notat, morte præventum non absolvisse: verum tota illa praxis Grammatica prolixè satis recensetur eodem libro secundo, Epistola prolixa ad Joannem Vascum scripta pag. 187. Edit. Hanovianæ. Declinationes & Conjugationes docet, antequam vel terminationes nominum & verborum, vel casus & tempora nominat; quæ postea eo firmiter inhærent. Nihil de Passivis & Deponentibus agit, nisi omnibus activis Conjugationibus absolutis. Procedunt hæc omnia per dialogos, quibus quotidiana Grammaticis miscentur. Sententiis potius ex bonis Autoribus, quam aliis exemplis, illustrari vult: quod consilium feliciter executus est in Grammatica sua Latina Cl. Büchnerus. Verum ea plenius ex ipsa Epistola haurientur, quæ profecto lectu digna est; ac vidi in Catalogis vel hanc Clenardi Epistolam, vel aliam de hoc argumento dissertationem seorsim editam. * Certum est, esse quandam in illa re ἐμπειρίαν, & quandam etiam in ipsa praxi Grammaticæ informationis prudentiam, ad quam non omnes apti sunt. Quare non spernendi sunt Autores, qui in his minutis laborarunt; quales quidem multos habemus: sed non omnes thyrsigeri Bacchi sunt, omnes laurigeri Phœbi. * Superiorum temporum memoria JOHANNES RHENIUS variis libellis non male de re Scholastica meritis fuit, cujus *Padagogia seu Methodus Institutionis puerilis* consilia non pauca exhibet.

Qui novam methodum, de qua nos quoque supra, excogitavit JOH. JOACHIMUS BECCHERUS, ab isto invento suo non tam amplos sperare fructus potest. Etsi enim ingenium illi non deest, & ad linguæ notitiam grammaticam, ac dissertationes extemporales instituendas, non inutilis labor est, Latine tamen, nec Grammaticæ solum, sed & eleganter, dicere scribereque cupientibus parum proderit. Non juvena sola verborum & rerum copia, nisi adsit prudentia, quæ delectum instituere doceat, quod ex ista vocabulorum farragine, utut belle ordinata, non facile disci potest, nisi mature ex Autoribus idoneis illam facultatem hauriamus. Quin potius dato pignore certare ausim, puerum methodo Beccheriana informatum, totum ficcum & enervum in omni compositione sua fore, plusque ex illo invento utilitatis ad viros vel juvenes jam tum omni genere scholasticarum exercitationum subactos perventurum, quam pueros

- pueros hac primum arte erudiendos. Vocabula per derivationem & terminationes disci citius posse, uti Beccherus vult, nemo quidem negaverit. Sed ego potius Oratorem, quam Grammaticum formare malim. * Consultius ergo erit, Vocabula sub locis generalibus, quales *Benzius* præscribit, disposita secundum cognationem, differentiam, contrarietatem, adjuncta &c. puerum discere, magno postea usui in amplificatione futura, ubi quædam scribenda sunt: ductu tamen antiqui
- 40 Auctoris. * Ersi enim hunc usum in phrasibus bonis, alphabetico ordine congestis, quærat *MARC. FRID. WENDELINUS* in memoria *Rudolphi filii*, neque ejus causæ nullæ sint; tamen a boni Auctoris verbis bene ordinatis solidiora ejus rei ponuntur fundamenta. Ex ipsis tamen vocabulis & phrasibus facilius ego rem illam, quam e clavibus & januis confici posse, *Wendelino* libens concesserim. Neque male judicat *Wendelinus*, cum ait: *Vocabulorum sylvam citius ego, totam memoriam & ingenii mediocris adolescentulo me, impressurum puto singulari quodam puerili, & penè ridiculo, memoria adminiculo (quod velim prodidisset), quam clavis integra partem mediam assiduo sçloque interpretationis labore. Ausim, deposito pignore cum quovis contendere, & hoc addo, vocabulorum notitiam è Lexico paratam longè certiorè & expeditiorè fore, altera, quam assiduâ clavis dederit interpretatio.* * Et nihil sane *Beccheriana Praxis* Anni secundi & tertii in opere isto tironem juvabit, conjuncturum isto suo artificio nomina & verba, quæ Latinæ linguæ indoli refragantur: quod e sola & assidua Auctorum antiquorum lectione & imitatione demum observandum est; ne quid de numero & concinno positu dicam, qui aliunde, quam ex iisdem fontibus, disci non potest.

- 43 Amplius studiis Scholasticis spatium indulfit vir, dum viveret, harum rerum peritissimus optimusque *Mercuriorum* sculptor, *MECHOVIUS*. Nam in doctissima sua *Hermathena tractat. 3. cap. 2. 3. 4. 5.* hoc argumentum copiosissime tractavit, ut nil quicquam addi posse videatur. Primos ille septem annos Antescholanis concedit, qui intra contubernium parentum educati nondum ad publicas scholas accedunt; Scholasticis toros 14. annos, ut itaque ante annum 21. e Scholis non exeant, suæ sententiæ suffragantem laudans *Sturmium*, qui tanten anno 15. scholastica studia absolvit, & altero loco sub illo annorum numero
- 44 Academia forte studia comprehendit. * In Antescholanorum informatione veterum mores a nostris discrepant; quibus, cum in linguis non multam laborandum, statim ad rerum cognitionem convertere se potuerunt. De his multa *Quintilianus*, qui ne infantiam quidem ipsam cessare a literis vult. Nostri in formanda voce, legendo, scribendo, primis pietatis rudimentis, vocabulis *Donati*, quæ vocant, tirociniis tempus hoc consumunt, quibus recte quidem *Mechovius* Tabulas Geographicas jungi posse existimat. *Vossius* Historiam sacram & civilem per imagines illis quoque inculcari suadet. * In Scholasticis primum septennium in *παιδεία τῶν ἐγκυκλίων* & in *ταῖς λογικαῖς τέχναις*, alterum in humanitatibus, *Dialecticæ* studio ac initiis *Philosophiæ* transigi vult. Hic primum de *Grammaticæ* informationis ratione tenenda, de exercitiis *Grammaticis*, de Græcæ linguæ

linguæ rudimentis, Musica, Geographia, Poëtica, Historia universali, Chronologia, quantum satis est, posteribus annis discenda præcipit. In altero septennio Grammaticæ elegantioris cultum, Terentii & Epistolarum Ciceronis lectionem, exercitia tam Latina quam Græca ex Autoribus optimis, Latinis & Græcis, Poëtarum non lectionem solum, sed & imitationem accuratiorem, per varias metaphrases aliaque exercitia, Eloquentiæ themata ad orationum Ciceronis ductum adoranda, Historiæ plenioris studium, Mathematicarum disciplinarum elementa, denique Dialecticam compendiarium commendat; atque sic e ludo suo emancipatum Academiae tradit. * Quam bene cum Republica ageretur, si lentis illis modestisque gradibus primum ad Academias, & ab illis ad cathedras, tribunalia & sub-

46

sellia procederemus. Sed volatica hodie omnia sunt & superficialia, cum plurima pars juvenum solam ostentare speciem, quam solidam præstare eruditionem, malit; Quo fit, ut propediem barbaries omnia occupet, & ubique improbitas & ignorantia triumphet.

47

Si quis in his rebus paululum curiosior est, is ceteros, qui super hoc argumento scripti sunt, libros adeat, diligenterque, in quibus convenient vel discrepent, notet. Sua enim cuique inventa & cogitata sunt: quæ inter se comparata, utilitatem non exiguam afferent. Legi possunt, quæ aliquot tomis cum Sturmianis illis junctim prodierunt, aliaque seorsim editi, de quibus jam supra plura diximus. Hic de studiorum non solum, sed & morum regimine, de legibus scholasticæ societatis, pluribusque aliis explicite agitur, quæ ab instituto nostro sunt aliena. Eorum quasi compendium Mechovius in libro supra laudato exhibet. * Nos summa quædam hujus tractationis capituli velut in compendio sub finem proponemus, quæ in scholastica informatione commodius instituenda attendi merentur. 1. Compendia lectionis & scriptionis uno labore conjungenda, ut utilia, cum legimus, simul scribamus. 2. Grammaticæ rudimenta brevissime proponenda. Ea Edmund. Richerius in *Obstetric. Animorum c. 3. n. 8.* sex mensium spatio a pueris percipi posse affirmat, qui & *Grammaticam Obstetricæam* scripsit, cujus tantum titulum in Catalogis hæctenus legi, ipsam vero non vidi. Grammaticæ Philosophicæ, (quicquid Scioppius magno hiatu de illis promittat) a Scholis omnino proscribendæ. 3. Latinæ linguæ Græca statim in primordiis jungenda, quod facili negotio fieri potest, & in hunc finem unam pro utraque lingua Grammaticam Cl. Dn. Bütnerus scripturus est. 4. In tenerrima ætate Mathematicarum quarundam disciplinarum prima lineamenta magna utilitate duci possunt, ut Arithmetices, Geometriæ, Picturæ, Geographiæ. 5. Absit ab omni proposito præcipitantia. Quæ hic peccantur, ea multo temporis dispendio postea luuntur. Multa citius ad scopum pervenissent, si tardius incedere voluissent. 6. Quamprimum orationis solutæ exiguam facultatem habuerit puer, Poëtas legat, carmina memoriæ mander: magnum hoc ad ingenii exaltationem, ad concinnitatem in sermone omni soluto adjumentum est. 7. Sententiæ partim periodicæ, partim breves & acutæ, secundum virtutum capita memoriæ mendantur, uti & dicta præcipua biblica secundum locorum ordinem. 8. Omnia nova merito debent esse suspecta: varietas

48

confusionem, simplicitas constantiam studiorum parit. 9. Qui sublimes scientias pueris proponunt, ante solidam linguarum cognitionem, cum ratione ipsa insanunt, illosque insanire docent. Qui in Scholis incipiunt fieri magistri, in Academiis denuo fiunt pueri, & postea ad omnes res inepti. 10. Locutionem, Declamationes extemporales, ut pestem puræ latinæ fugiant: Illa tamen cum peritis, & qui emendare e vestigio errores velint, institui potest. 11. Qui pro antiquis Autoribus recentiores vel religionis vel alius causæ prætextu substituunt, intempestiva pietate puerorum studia corrumpunt: quo nomine religiosulos & semidoctos Scholarum Inspectores Jacobus Martini reprehendit. Legendus super hoc argumento præ ceteris Mechovius in Antiph. 12. Qui Disputationes tiro- num instituunt, eos Caselius facere acies gruum & pygmæorum instruere, minus- que sapere, quam qui historiam somniorum conscribere jubent, iudicat; Hofman- nus, Medicus Altorffinus, ludum impudentiæ vocat, in quo ad duritiem frontis erudiantur adolescentes. 13. Præceptores etiam in prima infantia optimi deligan- tur: non eruditi solum, sed & optimo iudicio practico præditi, cujus prima linea- menta impressa per totam vitam discipulum comitabuntur, plusque exiguo tempo- re sub magistro tali proficiet puer, quam cum a stulto homine, utut non indocto, pravos mores induet, tota vita vix exuendos. Plura hic de Exercitationibus Scho- lasticis dici possent: sed illa suo loco reservamus.

CAP. XI.

DE CURRICULO ACADEMICO.

- §. I. 5. seq. *Academiæ accessurus doctrinam moresque idoneos afferat.* 2. *Consura- morum Academicorum a nonnullis acerbior instituitur.* 3. *Iis respondetur.* 4. *Lineamenta in prima officina male ducta, vix in altera rectius formantur.* 6. *Quod iis remedium.* 7. *Scholastica studia in Academiis non deserenda, sed per- ficienda.* 8. *Cujus rei utilitas indicatur* 9. *Græca Latinaque lingue studium summe necessarium,* 10. *pene in Academiis elanguit.* 11. *Eloquentia fere negli- gitur.* 12. *Logica doctrina præ ceteris commendatur.* 13. *Analytica & Hermeneu- tica utilitas.* 14. *Ars hermeneutica nondum satis exculta.* 15. *Disputationes ti- ronum non permittende.* 16. *Caseli sententia.* 17. *Arithmetica & Geometria di- ligenter excolenda.* 18. *Historica cognitionis utilitas.* 19. *Hec studia, utpote fun- damenta; præprimis tractanda.* 20. *Pansophia titulo instituta compendia ad soli- dam doctrinam noxia.* 21. *Crudis studii imbuti maximo cum damno Ecclesiis & Rebus præficiuntur.* 22. *Honorum Academicorum gradus in indignos colla- ti.* 23. *Studii προαγωγικῆς μοῆς imbutus expeditius in reliquis progreditur.* 24. *Juvenes docendo se ipsos informant.* 25. *Non cuivis tamen permittendum, ut doceat.* 26. *Φιλωνικά in Academiis noxia* 27. *& omni ratione prohibenda* 28. *Peripatetica philosophia termini merito moveri prohibentur.*

E Scholis in Academias tironem nostrum, velut in alterum orbem, deducimus. Misere jam cum illo agitur, nisi doctrinam illo ordine dignam morresque idoneos afferat. Hic enim prima & ingenii & iudicii ipsi experimta capienda, quibus ubi succubuerit, & fortuna & salus ejus periclitabitur. * Non desunt, qui integris libris malos, qui in Academiis vigent, juvenum mores acerbius infectantur. * Horum ego censuram equidem non reprehendo: sunt enim eorum querelæ verissimæ, & quotidiana experientia confirmantur. Verum meminerint tamen illi, non generari in Academia prava mores, sed propagari. Si in puerorum recta educatione domi officium facerent Parentes, in Republica Magistratus, in Scholis Magistri; non esset forte, quare Academias accusaremus. * Nunc vero, cum e prima officina, tum qua eruditionem tum qua mores, mala lineamenta ducta sunt, an sperari potest, ut ex altera officina novi & rectius formati Mercurii prodeant? præsertim cum libertas, quam durioribus coercere legibus non licet, nec expedit, plenius aliquod bonæ mentis arbitrium requirat. Valet hic, si usquam, illud Lucretii:

*- - - in fabrica si falsa est regula prima,
Normaque si fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua si ex parte claudicat bilum:
Omnia mendose fieri, atque obstipa necessum est,
Prava, cubantia, prona, supina atque absona recta.
Jam ruere ut quedam videantur velle, ruantque
Prodita iudiciis fallacibus omnia primis.*

Multo rectius ergo sibi suisque consulunt, qui vel domi suæ sub bono magistro, vel in Scholis publicis bene institutis ad eos ætatis annos adolefcentes derinent, ut & eruditione & iudicio firmati, non facile vel pravis malorum suggestionibus vel sua ignavia se abduci patiantur. Nisi forte iis sint opibus instructi Parentes, ut prudentis ephori uti opera possint. Quo ii, qui excellentioris ingenii sunt (ii enim ad lapsus proni) maxime indigere videntur.

Adeat ergo Academiam Adolefcens, sed tum demum, ubi studium Scholasticum feliciter emensus fuerit. Nisi enim hæc studia in Academiam intulerit, rudis hinc stipesque redibit, quibuscunque etiam phaleris titulisque ornatus. Nam sane, qui

Olim truncus erat ficulnus, inutile lignum,

nunc non repente fiet Mercurius. * Et vero ipsa studia scholastica ne nunc quidem seponere debet, sed summa perficere diligentia, cum iis per totam vitam præfidiis quocunque in genere niri possit. Nemo enim unquam fuit, quem his studiis operam dedisse pœnituerit; plures fuere, qui neglectum eorum nimis se-ro doluerunt. * Ac videmus sane omnes illos, qui philosophiæ humanitatisque studia in Facultates intulerunt, maximos fecisse in iis progressus atque primas occupasse, cum eorum rudes ne quidem in tertiis subsisterent. Est quoque per se stultum

ad metam tendere sine via, quam illa studia currenti substernunt: neque quicquam sani verique vel in Jurisprudencia, vel in Medicina, addo & in Theologia, quatenus rationi subjicitur, sciri potest, nisi ex iis fontibus, e quibus illi rivi defluunt, hauriamus.

- 9 Primum quidem Græcæ Latinæque linguæ diligentior cultura, sine quibus muta ac elinguis pene est omnis doctrina, cum primo anno institui in Academiis deberet, nemo est, vel paucissimi, qui ad eas respiciant. Et his tamen fulcris niti,
- 10 his quasi pedibus ingredi, plus dicam, his alis volare debemus. * Querebatur jam suo tempore *Johannes Caselius*, magnus in solida doctrina suo tempore Hercules, de hac in Academiis socordia & negligentia: nam in eleganti illo libello, qui *Νέος καὶ Προδιδάσκυλλος* ab illo inscribitur, narrat, quomodo se Juvenc in Wirtembergensi Academia *Vitus Vinsemius*, *Georgius Cracovius*, *Philippus Melanchthon*; in Lipsiensi *Joachimus Camerarius*, *Gregorius Bersmannus* Historicos ac Poëtas Græcos magna ingenii ubertate interpretati fuerint. Viveret ille & veniret nunc in Germaniæ Academiis, & in Græca lingua plerosque obmutuisse, in Latina balbutire, se-
- 11 culine dicam an magistrorum vitio, deprehenderet. * Donarem Græcam; sed in Latina lingua & eloquentia tantam passim regnare ignorantiam, quis non indignetur? & vero omnis illa Eloquentiæ facultas saltem ex Latinis Autoribus, si Græcos fastidias, haurienda est. Quid enim vel Germanica lingua loquerur Orator facer? quid in subfelliis Senator? in aulis Legatus? nisi eloquentiæ lineamenta ex optimo magistro disertissimo illo Romuli nepotum duxerit. Consultus aliquando, qua via ad eloquentiam sacram iretur; rectius respondi, si quis Ciceronis Orationes legeret relegeretque sæpius: illi me albis dentibus riserunt, ut indigna & absurda locutum; Sed viri docti satis intelligunt, quid ego senserim: non posse scilicet artificia etiam in Oratione sacra melius, quam e summo in eloquentia magistro disci. Nunc vero, ut quisque sibi sapit, ita sibi loquitur, non Auditori; qui, ut in Satyra Horatiana Drusonis debitor,

Porrecto jugulo historias captivus ut audit.

- Quod alumno suo nutricula vover, & sapere & fari recte, qua sentiat, id alu-
- 12 mno quoque Academico nostro nos voveamus. * Quomodo fieri recte debeat vidimus: nunc etiam ut sapere discat monemus. Ad sapientiam vero omnem viam sternit τῶν λογικῶν doctrina, quæ τρόπος ἐπισήμης dicitur & ἔργον, sine qua minus efficere possumus, quam sine malleo & incude faber ferrarius, sine amussi & norma architectus, sine ferra & dolabra scriniarius, sine penicillo pictor. Ideo scilicet in Academiis vivimus, ideo studiis incumbimus, ut rationem excolamus: & rationis tamen ac ratiocinationis artem plerique aspernantur: quo quid stultius fingi possit non video. Fundum bene subactum volumus, semina illi inspergemus, neque vomere & aratro, neque marculo usuri. Nil sciri in scientiis solidi potest, nisi hac duce, digitumque intendente. Hæc illa divina virgula est, quæ thesauros scientiarum indagat; hac bolide profundum doctrinæ Oceanum exploramus: hac acu magnetica incognitas ἐγκυκλοπαιδείας terras venamur.

Late

Late patet divinæ hujus scientiæ usus; neque categoriarum numero, vel nuda syllogismorum fabrica rantum definitur. Sine illa enervis omnis oratio, veritatis lux in opaco est, scientiarum definitiones claudicant, methodus omnis a via regia aberrat. Sæpius supra dixi, & nunc repetens iterum iterumque monebo, non esse superficialiam huic disciplinæ operam impendendam. * Neque sententiæ 13 meæ refragabitur, qui perpendet, quanta Analytica, quanta Hermeneutica utilitas sit, quæ geminæ Logicæ propagines per omnem disciplinarum fundum grassantur, & individuæ scientiis omnibus comites adhærent; in quibus hodieque, quæ desiderant, docti habent. * Nam ars Hermeneutica, quam singulari libro 14 se deducturum promiserat *Comringius*, & ante illum *Caselius* in libro supra laudato, nondum exculpta est. Neuter vero promissa sua explevit. *Caselius* in *Néω* suo quidem se testatur jam dudum ΕΡΜΗΝΕΥΤΗΝ suum animo designasse, ac debere juventæ, qui alios erudiet, alios confirmabit. Sed ejus nec vola nec vestigium in Catalogis Operum Caselianorum vel editorum vel ineditorum reperitur.

Ne vero quis existimet, dum Logicam adeo Tironi Academico commendo, 15 me illum in Cathedras novum Sophistam detrudere, qui perverso nunc in Academicis more, prius de rebus disputationes miseras & jejunas instituat, quarum ille ignarissimus est. Pestis illa juventutis est, & tamen ille mos nunc ita invaluit, ut suum officium facere non credantur Doctores, nisi disputatiunculis nugatoriis omnia subsellia perstrepant. Sunt, qui loco lectionum, quibus principia ipsa explicari debebant, disputationes instituant inter tirones, ridiculo profecto ac inutili consilio. * Qui mihi fidem non habebunt, habeant *Caselio*, præclaro his 16 in-rebus judici. Ita ille in suo *Néω κει Προδιδασκαλίω*: *Hoc studium divinum*. (Logicum intelligit) magna diligentia colendum judico; nec minus vero privatim, quam publice: sed disputationes tironum non minus mihi ridicule sunt, quam instructa acies gruum & Pygmaeorum, de qua Poëta fabulantur; ac male novitiis consulunt, qui eos in acie disputationum collocant, quasi egregia facinora designaturos; qui nec clypeum tenere, nec hastam vibrare, ac ne pedibus quidem firmiter consistere valeant; quin ii disputationum spectatores, disputantium auditores frustra fere, opinor, sint. Ut sine materia & instrumento ne tugurium edifices, ita sine doctrina & certo de rebus conferendi modo eruditum sermonem nullum instituas, atque institutum ab aliis ne quidem satis intelligas. Non est enim, ut vel in sutoria puer momento magistrum æquet: nec hic ferat illum sibi obloquentem in arte tam vili: quin dicto sibi audientem esse jubet; interrogandi forte ei potestatem faciat, si humanior sit. In paulo honestioribus diu docent; diu exercent alumnos; nec iis judicii partes infimas permittunt. Sunt profecto adolescentum opiniones nihil aliud, quam vigilantium somnia. Res enim ipsas nec oculis nec animo viderunt; mens in ea ætate imbecilla, usus rerum nullus. Hoc igitur efficitur, ut ab initio de rebus non cognitis, nulla explorata ratione controversantes, ad veritatem nunquam perveniant; sed vel semper, quicquid sit, de quo agitur, animo hæreant, & a quovis facile huc illuc, non jam rationibus, sed verborum flabellis, impellantur, aut opiniones, vel ab aliis acceptas, vel a se excogitatas, ita mordicus teneant, ut nullis rationibus, quantumvis certis & evidentibus, ab iis se dimoveri patiantur, sed valeant etiam volubilitate

linguae tueri. Dum enim non tacent, etiamsi ad rem nihil dicant, se superiores esse & ipsi existimant, & habent sui similes, qui assentiantur.

17 Debet & inter studia *παρὰσκευασμοῖ* suis mathematicis nonnullis disciplinis locus assignari, præcipue Arithmeticæ & Geometriæ, quæ ingenium ita acuiunt, ut cos ferrum: Logicæ doctrinæ vel ideo subsidio est, quod ars demonstrandi nullis aliis exemplis quam geometricis plenius declarari atque ob oculos poni possit. Animum quoque in rebus apprehendendis certiore via ducit, ut non facile ad falsa declinet. Sunt enim in multis rebus nescio quomodo *ἀπράσδευτοι* & *ἀναιτίοι*, qui plane *ἀγνομήτεροι* sunt, ut pueriles sæpe errores & cuius palpatibiles prodant. Quantam hæc studia efficaciam in ingeniis excitandis habeant, testatur Caselius in libro modo laudato: *vidi, inquit, quos stupidos diceres, tanquam e profunda voragine emerisse, præsidio Geometriæ.* Numeris quantum tribuerint veteres, nemini incognitum est, & eo in loco pluribus persequitur Caselius.

18 Historiæ tanta ad omnem doctrinam utilitas est, ut sine illa nihil plane effici possit. Ejus plenior cognitio habenda est, non tantum illius, quæ Politicæ fundamenta subternit, sed & illius, quæ ad Theologiam, & ad omnes scientias manuducit. Historiæ omnia pene debemus, quæ sciri possunt: nam qui *ἰσοπέμνεα* cuiuscunque doctrinæ accurate novit, plus omnibus in illa magistris sapit. Ea de re pluribus egimus *lib. 1.* ubi *de fructu Historiæ literariæ* differuimus. * In his se disciplinis exerceant juvenes, his illi studiis incumbant, atque ita incumbant, ut ex earum fontibus non tanquam canes e Nilo hausisse videantur. Et illæ quidem omnibus, ad quodcunque se vitæ genus verterint, exhauriendæ sunt. Qui Theologiæ, qui Jurisprudentiæ, qui Medicinæ operam daturi sunt, præter hæc, in Metaphysicis, Ethicis & Politicis, Phycis, non levi industria versari debent; sunt enim illæ, quasi radices, e quibus ceteræ propullulant, ac in ramos fructusque diffunduntur. Est vero in illa palæstra aliquot annos sudandum, donec firmo latere laceatque validis in majori te theatro athletam sistere possis.

20 Non possum probare illum, qui passim in Academiis viget, morem, quo tres quatuorve disciplinæ intra anni tempus levi aliqua percursatione absolvuntur, specioso *Pansophiæ* titulo. In quibus suscepta tumultuaria opera sufficere videtur ad Facultates, ad quas illico transitus fit. Et hi quidem omnino præmeditati ad eas accedere sibi videntur, satis se jam Philosophiæ præsidii instructos rati, cum aliquot in singulis disciplinis vocabula memoria comprehenderint. * Nam sunt, qui & hanc operam nimis sibi molestam aspernantur, & statim supervacaneo hoc ac inutuli studio relicto ad metam properant, ne quid temporis sibi pereat, vel cathedram sacram vel Reipublicæ subsellia occupaturis. Quo fit, ut, cum imperiti vel semidocti ubique primas teneant, vere doctis ac prudentibus vix in tertiis subsistere liceat, aut illi æternum exulare jubeantur. Quid hinc Scholis, quid Ecclesiis, quid Aulis expectandum sit, facile prudentes intel-

Intelligunt; nam barbaries tandem, exclusa in perpetuum vera sapientia dominabitur.

Paulatim etiam in hos mores publica & regia via itur, dum honorum gradus, quondam adeo sancte habiti, & in eos tantum collati, quos ardens ad ætheream virtus evexerat, nunc quibusvis, qui vix prioribus labris degustarunt doctrinam, quam profitentur, ut has ostentent ad populum phaleras, suspenduntur. De Gallicarum Academiarum moribus vide, quæ Menagius scribat epistola illa, quam Amcenitatibus suis Juris præmisit: *Bene hodie, inquit ille, cum Jurisprudencia ageretur, sejus studio triennium, ut ætate Cajacii, impenderetur. Sed, ô tempora! o mores! non triennium, non trimestre tempus, vix triduum et impenditur. Citatis equis uno die urbem Aureliam petunt Juris Candidati: altero, Licentiatas, quod vocant, ibi gradum sumunt: tertio, Juris Consulti Lutetiam redeunt; ut, quod joco olim de se Marcus Tullius, triduo se Juris consultos profiteri serio velle videantur: Advocati quarto die sunt: quinto, venia ætatis à principe impetrata, (qua indulgentia nihil perniciosius esse contendo) Judices sine legitimo examine facti, de fortunis, de vitis hominum judicant. Reipublica tam noxium morem à Petro Seguero, Francie Cancellario, Guillelmo Lamoniæ Senatus Principe, Dionysio Talonio, Achille Harleo, Hieronymo Bignonio, Regiis Triumviris, pro eo, quò in Rempublicam flagrant, amore, brevi emendatum iri speramus, quotquot sumus, qui notitiam boni & æqui profitemur. Imo emendare jam cœperunt; Audio enim Principis decreto & consulto Senatus statutum nuper fuisse, ne quis in posterum ad Licentiatas gradum, sine quo nemo Advocatus fieri potest, certe non debet, pervenire possit: nisi qui annum integrum in Academia celebri Juris studio posuerit: utque nemo, nisi qui quadriennium in foro versatus, vocatus scripto javerit Clientes, (est enim Ordo Advocatorum seminarium omnium Magistratum) Judicum consortio adjungatur.*

Bene fecerit Tiro noster, si alia ac securiori via inceserit, si studia illa *παιδαγωγία* majore diligentia tractaverit: in quibus & ipsis sæpe inveniet, quod vitæ civili magis idoneum reddat, & expeditius ad gloriam, honores, nominisque immortalitatem iter sternat: ad Facultates vero se applicans dimidium facti, qui tam bene cœperit habebit; cumque alii in luto pulvereque repent, hi alis per sublimem ferri videbuntur. De Doctorum officiis hic solliciti non erimus. Si præficiuntur muneri Professorio viri omni doctrina instructi, omnibusque eo nomine spectati fati, illi videbunt, ne quid detrimenti capiat res literaria. Quæ sint in Academiis professiones constituendæ, quid in singulis publice privatimque docendum, de eo prolixè egit Joannes Sturmus in *Epistolis suis Academicis*, quas Classicis suis subjunxit. Sed in illis & locorum & auditorum ratio habenda est.

Non parum & hoc in Academiis viventi proderit, quod & Fortius Ringelbergius præcipit, ut, qui aliquos in disciplina progressus fecerit, alios suorum commilitonum hac parte philosophiæ minus exercitatorum, erudiat, numerato etiam pretio, ut habeat, quibus prælegere possit. Oratores, Historicos, Poëtas, (Caselii idem

idem hoc consilium est) vicissim legant, ita ut qui quo die interpretis munus gerat, 25
 meditatus accedat, ceteri ejus diligentia erudiantur. * Sapienter tamen idem ad-
 dit: *Hic adolescentulos moneo, ut non temere, nec de aequalium puerili suasio aut insusurra-
 tione, sed de consilio docti viri audiant, quem audituri cunq̄ue sunt.* Si qui ab iis, quæ pu-
 blice docentur, abhorrentia, sive cum iis pugnantia promittunt, ad eos ne se applicent, ac per-
 plexis & insulsis opinionibus, quam veritate inveni, & apud imperitos videri, quam esse, do-
 cti malint. Hoc enim agunt Sophistæ, ut ex inanibus doctrinæ umbris & sapientes videan-
 26 tur, & compendius suis consulant. * Id vero eo diligentius cavendum est, quo
 proniores in Φιλονικίαν esse juvenes solent, qui sola novitatis specie inducti nu-
 bem pro Junone sæpe amplectuntur. Quanta e talium magistrorum, quanta e
 studiosorum Φιλονικίæ mala in Ecclesiam, Rempublicam totamque rem literariam
 incommoda promanarint sæpe, dici vix potest. Vide *Voglerum in Dissertatione de*
 27 *studiorum hodiernis corruptelis.* * Quare mihi potius placeret, salutaribus legibus
 huic obviam ire licentiæ, omnemque illam novaturiendi libidinem ense refecare,
 ne pars sincera in eundem pruritum trahatur. Convenit enim doctoribus pru-
 dentibus, ut omnes in partes vigilantes oculos circumferant, ne quid stolidioris vel
 pestiferæ doctrinæ serpat ac paulatim animos inficiat; neque Magistratus hic ces-
 28 sare officium debet. * Non male suis rebus quædam Academiæ consuluerunt,
 quæ veteres Peripateticæ Philosophiæ terminos movere prudenti instituto pro-
 hibuerunt. Quod etsi quibusdam asperum nimis & durum videtur, qui libera-
 rem philosophicam semper crepant, sciant tamen illi, publicam philosophandi for-
 mam necessario tenendam esse, quæ in præcipuis partibus ita ab Aristotele adapta-
 ta est in Logicis, Ethicis, Politicis, Rhetoricis, ut non facile emendari possit. Ne
 quidem in Phisicis principiis ejus doctrinam publicam repudiandam existimem,
 suppleendam, tamen novis illis inventis, cumque iis quodammodo conformandam:
 quod feliciter a nonnullis tentatum est.

CAP. XII.

DE PÆDAGOGIA REGIA.

- §. I. *Methodus Principis informandi à vulgari differt.* 2. *In quem finem Principis*
studia dirigenda. 3. *In principe etiam doctrina requiritur.* 4. *Autores, qui*
de principum institutione scripserunt. 5. *Mores præ ceteris in principe spectari*
debent. 6. *Ipsi etiam in puerili ætate virtutes instillandæ.* 7. *Consilium Auto-*
ris Anonymi Galli. 8. *Ephori prudentes seligendi.* 9. *Ingenia principum con-*
siderandæ. 10. *Lingua ex usu & conversatione discendæ.* 11. *An linguæ &*
scientiæ simul discendæ. 12. *Grammaticis minutis non est macerandus Princeps.*
 13. *Ab Autorum interpretatione abesse quoque debent Grammaticorum trica.*
 14. *Fabule Æsopica, sententiæ, adagia politici usus proponenda.* 15. *Styli exer-*
 16. *citium in moralibus & historicis occupetur.* 16. *Historici prælegendi.* 17. *Po-*
 17. *litu.*

litica ex illis diligenter notanda. 18. Difficilioræ prætereunda. 19. Historia patria iis jungenda. 20. Sententiæ Politicæ Lipsianæ commendantur. 21. Chronologia. 22. Methodus in disciplinis Theoreticis per compendia instituenda. 23. Quod si velit, per ampliora spatia duci potest. 24. Inter mathematica potissimum militaria & navalia inculcanda. 25. In Physicis à Museis & Gazophylaciis informandus. 26. Naturalium secretorum scientia Principem maxime ornat, 27. imò ad prudentiam civilem faciem accendit. 28. In Præcticis disciplinis quæ ratio tenenda. 29. Nec Poëtarum, Comicorum lectio Principi negligenda. 30. Theologia, in quantum ad fidem necessaria, addiscenda. 31. Subsidia à conversatione, 32. Anagnostis. 33. Bibliothecis. 34. Nobilium Pædagogia operosior esse debet, quam Principum. 35. nec milites literarum expertes esse decet.

A Communi didactica sejungenda est illa, quæ cum Principibus instituitur. Nam, cum illi, qui studiis operam dant, singuli certos sibi fines propósitos habeant, ita in Principibus maxime ille spectandus, qui studia omnia eo dirigere debent, ut populo suo bene imperent, ut suam non solum salutem, sed & populi curent & attendant. * Cum ergo privati eas studiorum partes sectantur, quibus sibi bene sit, & se in statu privato felices fore existimant, Principes ἀρχιτεκτονικὸν illud, quod in sapientia omni est, & ἡγεμονικὸν sibi servare debent, quo illi omnia, etiam civium studia, in Reipublicæ bonum ordinent. * Ideoque ita omnibus imbutus esse literis debet Princeps, ut non quidem ad omnes minutias descendat, ut illi faciunt, qui hæc in Republica particularia tractanda suscipiunt; sed generatim tamen atque univèrse de iis judicare, & ex sapientiorum ingenio illa ordinare possit. Inepti sunt & stolidi, qui infra Principis dignitatem esse existimant, linguis & disciplinis applicare animum; ii enim non Principes se formare meminerunt. Si qui sunt in Republica cives ceteris & doctiores & moratiores, ut esse sane debent; nam incondita turba regitur a prudentioribus; omnium & prudentissimum, & si fieri potest, doctissimum esse Principem, qui ceteris etiam doctioribus & melioribus imperet, necesse est: si non in minutissimis doctrinarum partibus, saltem in eo, quod ad ἡγεμονικὸν propius pertinet. Graviter in illorum opinionem invehitur, qui a Principibus abesse omnem doctrinam volunt, Castellius in ea epistola, quam Cyri pædiæ Xenophonis subjunxit.

Magnus est eorum numerus, qui de Principe instituendo scripserunt, tam inter veteres, quam inter recentiores, quorum plerique mutuo se exscribunt. Xenophonis Cyri pædia nemini ignota est, & Plutarchi libelli de eo argumento. E recentioribus multi sunt, qui dum de institutione Principum agerent, omnia pene Philosophiæ moralis & civilis præcepta in eo argumento exhausterunt. CONRADI HERESBACHII extat liber de educandis erudiendisque principum liberis, Francof. ad Moen. 1592 editus; quem Joannes Sturmus in libello de Educatione principis ad Illustrissimum Principem Guilielmum, Ducem Juliacensem scripto a pietate, prudentia, do-

strina commendat. Erat vero illi Principi a Consiliis Heresbachius. MARCI-ANTONII de Principum doctrina extant libri novem, sub forma dialogi scripti, Francofurti, recensente Zacharia Palthemio, Anno 1603. editi. ELASMI quoque ROTERODAMI ea de re extat epistola: Caselii etiam Oratio Xenophontis Cyripædiæ a se editæ addita. Sunt porro HIER. CAGNOLI liber de recta Principis Institutione, Colon. 1577. in octavo editus; FARNESII *Diphthera Jovis*, seu de antiqua principis gloria & institutione libri tres, Mediolani Ann. 1607. in 4. editi: HEROALDUS de Institutione Principis, Paris. Anno 1617. MARNIXII de eodem argumento libellus: LEONIS BACOVII *Delphinus* seu de prima Principis institutione, Paris. 1671. in 4to editi. - Est & Regum Principumque Institutio ab incerto autore Gentis Suericæ; ante secula non nulla Suetico sermone conscripta, quam ex mandato Illustrissimi Regii Cancellarii Comitis Magni Gabrielis de la Gardie in sermonem Latinum convertit, notisque accessoriis illustravit Johannes Schefferus, editurque Holmiæ Svecorum Ann. 1669. in folio. Plerique tamen & pene omnes ad mores potius hic, quam ad doctrinam, respiciunt, de qua nos hoc loco potius sumus solliciti.

5 Negari id quidem nequit, esse in Principum disciplinâ præ ceteris omnibus mores & officia consideranda, & iudicium practicum omni cura excutendum: Hoc enim illi, qui imperio præest, præcipue exercendum. Debet tamen & intellectus perfici bonis literis, quarum usus & existimatio in Republica a Principis iudicio practico dependere debet. * Earum cognitio præcedere in ætate Principis puerili debet; ut semper fieri æquum est. Major tamen in virtutum lineamentis mature duccendis etiam hic diligentia impendi debet & potest: Etsi enim privatæ fortis homines talia ad maturiorem ætatem referunt, Principes tamen, qui in juventute sæpe Reipublicæ clavo admoventur, earum simulacra animo infixâ habere debent; qui quanquam per ætatem absolutam moralium cognitionem habere vix possint, eorum tamen semina e conversatione Virorum sapientum in tenerrima etiam ætate non infeliciter sparguntur. * Operosus est in ejus rei declaratione Anonymus quidam Gallus, qui elegantem scripsit hoc titulo librum, Amstelodami apud Danielum Elzevirium Ann. 1679. in 8. editum, de l'education des enfans & particulièrement de celle des princes où il est montré de quelle importance sont les sept premières années de la vie. Toto libro nihil aliud agit, quam ut monstrer, quomodo singulæ virtutes implantari animis tenellis possint, præsertim iis, qui opera sapientum uti possunt; quod felicius in principibus, quam in privatæ fortis hominibus, fieri potest. In illa enim ætate, ait, exiguo labore spiritus imbecilles flecti posse, vel per metum levis pœnæ, vel per spem exiguæ & innocuæ voluptatis. Pudor, metus, curiositas, credulitas quatuor illi ansæ sunt, quibus animi ipsorum tenelli prensari, & ad certum finem duci possint. De singulis ille multa utilia præcepit, quæ velim ego Principum informatoribus vel informatricibus (nam & graves matronæ in illa ætate plus viris possunt) esse commendatissima.

8 Ur ad doctrinam veniamus, eam ego Principis dignitati & genio attemperandam omnino svaserim. Præcipua hic cura est in viro & doctrina & virtutibus etiam

etiam civilibus ornatissimo, teneræ Principum ætati præficiendo: nisi forte alium informationi, alium moribus Parentes præfectum velint. Sed tamen & in illo, qui studiis præest, omnia illa morum requisita abesse minime debent: amice enim illa conspirant, & mutuas sibi operas tradunt. Characterem talis Ephori optime describit *Joannes Schefferus* in libello de *Genrosi nobilitate informatione literaria*. * Diligentissime hic discernenda sunt Principum ingenia, sintne *Φεγνιολ*, tardiora vel obstinata. Singulorum indoli attemperandæ sunt doctrinæ methodi. Pernicia enim & agilia summaria cognitione per intervalla sine morosa assiduitate informanda & velut in cursu per lusum jocumque propellenda sunt; tardiora & moderatiora planiore via per doctrinarum adyta circumduci possunt, ita tamen, ut tædium omne evitetur.

Primum est linguarum studium. Hic si velint Principes, cum deesse illis opes & subsidia non possint, compendiosiore via, quam private sortis homines procedere possunt. Conversatio & colloquia crebra hic facile, quam velint linguam quam commodissime illis instillaverint. *Equidem, inquit J. Pastorius in Pa-
lestra Nobilium cap. 2. quod de collegiis, in quibus domestici omnes non alia lingua, quam
Latina uterentur, & ego alibi, & alii ante me monuere, id a nemine citius, quam a nobili-
bus (quanto magis a Principibus?) dari posset effectui: quippe qui facillime omnium
sumptum eum facere ac sustinere queant. Et miror de tali instituto in locis ad rem eam
oportunitis non cogitari diligentius, neque inter tot viros magnificos & ad pia alioquin ope-
ra propensos, reperiri aliquos, qui tate velut Latium extra Italiam fundare, si non pro
vulgo, saltem pro nobilibus pueris aggrediantur.* Differuimus ea de re supra *Cap. 9.*
e mente Gallici auctoris prolixius. Nunc vero ubi illa desunt subsidia, vulgari via etiam Principibus incedendum est: qua vix tamen tantum proficiunt, ut vel loqui vel scribere expedite Latinam linguam possint. Neque ego id valde requiram, cum & temporis multum hic impendendum sit, & Principi sufficere possit, si linguam accurate intelligat, quod multa Auctorum lectione impetrari facile potest. Nam styli exercitio, ut quis emendate scribat, triplo majus tempus impendi debet, quam si sola linguæ intelligentia quis esse contentus velit.

Fortassis & hic audiendos quis existimet, qui linguam & scientiam simul disci volunt, quo sibi invento plaudere præ aliis *Comenius* visus est: Compendia enim, si usquam, in Principibus sectari volent, non per multas ambages circumducendis. Verum *Comeniana* illa methodus non præstat, quæ illa magno hiatu promittit. Mallém ego in nudis nominibus & verbis, secundum ordinem rerum dispositis, quamcunque *διετύπωσιν*, qualem *Beccherus* instituit, quam istam *Comenianam* faraginem: etsi illo consilio parum in tenera illa ætate proficeretur. * Nugantur, qui per chartularum lusum, vel bella grammaticalia regularum *Syntacticarum* usum efformari posse credunt, nam laborem potius duplicant, animosque novis imaginibus onerant. Non alia, quam per usum, lectionem, & colloquia, compendia linguæ etiam hic haberi possunt. Grammaticis enim præceptis qui macerare Principem velit,

alias in tēnere ista ætate inutilibus, næ is delirus esset: neque enim Grammaticus • Principe formandus est, satis & absque minutis regularum, etiam ipsa in lingua doctum & disertum. Linguae vulgares, Gallica, Italica, per lusum jocumque sola disci conversatione Magistrorum possunt.

- 13 In Autorum lectione ac interpretatione, sed eorum, qui Principi conveniunt, multum poni diligentiae debet. Procul hinc esse debent Grammaticorum & Criticorum trica. Ne in puerili quidem ætate negligenda sunt, quae virtutem prudentiamque augere possunt. * Seligendae e. g. sunt fabellae Aesopicae, Apologi civilis usus, quales multi sunt, eorumque usus in vita civili declarandus. Jungi possunt Adagia πολιτικώτερα, Emblemata, Symbola, Sententiae breves & acutae, quorum omnium exempla quaedam collegit, & velut in gustum dedit Joachimus
- 14 Pastorius in sua *Palæstra Nobilium cap. 5. 6.* * Si styli exercitium placuerit, moralia, civilia argumenta & historica, quibus προκλήμιν aliquid subsit, seligenda. Si epistolas malis, fingantur occasiones scribendi super negotio aliquo morali vel civili. Continua earum rerum tractatio, accedente splendore illo externo, animos puerorum etiam in sublimem quandam statum extollit, ut ideas sibi earum rerum formare incipiant, quae in humiliore fortuna constitutis, & angustia rerum
- 15 pressis, non facile etiam per operosa praecepta se ingerunt. * Historici omne punctum ferant, praecipue illi, qui Principum ac Imperatorum vitas scripsere, ac
- 16 Reipublicae Romanae originem & progressum. * In his Praeceptoris industria omnes se in partes versabit, ut illud, quod vere πολιτικόν est, ex iis exprimat,
- 17 Principique instillet. * Si quae non satis plana videntur & obscura, neque valde ad rem pertinent, ea praeterire secure potest. *Memini, inquit Sturmius, me hoc consilium dedisse meis, ut in hujusmodi scopulis facerent, quod boni aratores in semente & messe faciunt, qui spineta & radices arborum altas, & saxa praecepta, arando & metendo praeteriunt, si impensa fructum superet: sic etiam illi notent ea loca, quae utiliter in praesenti cognosci non possunt. Veruntamen ut illi, quae cum emolumento possunt, saxa everrunt, & truncatas arbores effodiunt, & spinas evellunt; sic etiam illis opera pretium est in iis sententiis subsistere, quae intelligi possunt, etiamsi sint difficiles, & si absque iis lumen ceterorum obscuretur.* Monstravit Böclerus in peculiari dissertatione, cui titulus:
- 18 *Historia Schola Principum*, quanta ejus doctrinae utilitas sit. * His demum Historiae patriae accuratior notitia subjungi deberet, omnisque domestici status rationes & arcana, accrescente ingenio & judicio, explicatius proponi. Romani quondam etiam in Senatum pueros induxerunt, ut quasi in rem praesentem venirent,
- 19 & ipsam rerum civilium scenam intuerentur. * Politicorum praeceptis, nisi generalissimis, macerari illum nolim. Firmius haeret, jucundiorque est, quae in Historia invenitur verius, quam discitur, civilis prudentia. Non displicebunt etiam hic sententiae, e bonis Autoribus excerptae, & ordine systematico nexae, quales dedit in aureo Politices suae Opere Lipsius, in quod, ut hoc *ὡς ἐν παραδόω* memorem, Böcleri utilissimas notas e privatis ejus praelectionibus collectas, publico Orbis Literati bono non invidet Illustrissimi Comitis RANZOVII Consiliarius,
- Nobiliss.

Nobiliss. Dn. Frisius, qui suo consilio prima latinitatis lineamenta a juniori Comite Friderico b. m. feliciter ex iis sententiis ducta restatur, ut has postea sententias firmiter memoriæ infixas habuerit. * Chronologia Historiæ brevior adnecti debet, 21 eaque duplex, quarum altera sub titulis seculorum & annorum præcipuas Rerumpubl. mutationes signet; altera sub titulo Rerumpublicarum annos mutationum notet. Quibus jungi quoque Geographicarum tabularum explanatio debet.

In scientiis & disciplinis non omnia cum pulvisculo converrenda sunt. Ne- 22 que enim ad minutias singulas, in quibus Professores earum satis, quod agant, habent, descendendum est. Seligenda sunt compendia breviora, quale fortassis non spernendum est, quod *Joachimus Fortius Ringelbergius* dedit: nam mira brevitate multa complexus est, nec fordido sermone: continuus enim ille sermo hic magis arriserit, quam schematici tabularum, quibus res minutatim discerpuntur. * Quod 23 si vero ingenio præditi sint Principes, eamque adhibere diligentiam velint, circumducantur per ampliora scientiarum spatia. Neque enim dedecori illis erit ad fundum usque haurire omnia, modo in uno studio immodici intemperantesque non fuerint. Abstrusior eruditio non obtundit civilem prudentiam, ut multi existimant. Ac fuere olim & nostro tempore Principes eruditissimi, qui felicissime imperarunt: fuere, qui pro usu Principum singulas pene disciplinas in compendium traxerint, ut *Mottaus Vayerus* & *Philippus Labbeus*, quorum extant, Geographia, Logica, Rhetorica, Physica &c. Principum, de quibus viderint, quibus ea conferendi orium est. * Mathematicas disciplinas ita tractari velim, ut nullius rudis sit; mili- 24 tarem vero accuratius intelligat, & navalem: magnus enim earum usus in Republica est. * Physicam potius ex ipsa natura, quam e libris, discat. Si Musea & 25 Gazophylacia rariorum naturalium, naturali ferie ordinatorum, illi exhibeantur, si domus illi Salomonica, qualem optabat *Verulamius in sua Atlantide*, exstrui possit, ut ille rariora naturæ & artis contemplari queat, hic sub unum conspectum reduci possit tota rerum natura; Qua de re etiam nos supra diximus. * Nihil magis 26 ornât Principem, addo & venerabilem facit, quam ista studia, præsertim, si & naturæ quædam secreta teneat. Ea olim Regum cura fuit, qui arcanissima naturæ sibi servarunt, neque in vulgus elabi passi sunt. De Chinesium Regibus notum est, quam illi Astrologiæ cognitionem affectent, quasi & Rex, qui insigni orbis parti præest, conscios quoque universi istius regiminis esse debeat. Taceo de utilitatibus, quæ ex istis studiis in Rempublicam ratione redituum e commerciis, ex opificiis, e fodinis & similibus promanant. * Potest & ipsa naturalium rerum 27 cognitio ad prudentiam civilem facem accendere, si earum imagines ad politicam transferantur; quod sagaci doctori facillimum erit. Ejus pulcherrimam ideam subministravit *Joach. Pastorius libri sæpius laudati cap. 26.* & totum illud agit in sua Philosophia Chinesium celebratissimus Philosophus Confucius, quæ nunc Regis Galliæ jussu in lucem edita est. Elegantissima plane illa sunt & perpetua allegoria Physica Principia civili doctrinæ hic accommodantur, ut jam supra quoque diximus.

- 28 In Practicis habitare totus debet. Moralis philosophia potius per exempla, quam subtilia præcepta inculcanda est: nam qui illam sub castelli specie repræsentavit, inque eo munimenta singula virtutum nomine signavit, contrario vitorum castello oppugnata, nescio quam scenicam doctrinæ speciem ostendere voluit, quæ mihi sane probari non potest. Videatur de ea *Sorellus in scientia Universalis Tom. 4. cap. ultimo.* In Politicis Loci Communes, qui apud historicos occurrunt illustriores, qualesque notavit Pastorius *cap. 15.* proponi, vel ad exercitia Rhetorica, si eo usque descendere velit Princeps, vel ad lectiones possunt. Nam excerpata
- 29 minutiora Principi non conveniunt. * Lectionem Poëtarum, Comicarum, Tragicorum, Satyricorum, Principi quoque commendat Caselius. In his vitæ omnis character ob oculos ponitur, & plenior quædam vel Ethica vel Politica, quam in Chryssippi & Crantoris præceptis, continetur. Corporis exercitia, quia ad rem
- 30 literariam non pertinent, mittimus. Illa non segniter Principi tractanda. * Quæ ad Theologiam pertinent, ita sunt exhibenda, ut, quantum illi satis ad salutem, fidem ac civilem directionem sit, norit. Recte enim Caselius: *ut exquisita lingue ratio ad Grammaticum, ut Cause forenses ad Jurisconsultum: ita quæ in Ecclesia moventur*
- 31 *de religione, ad Collegia Sacerdotum referenda sunt.* * Denique in tot viris doctis, quorum consortio pro lubitu uti potest, scientias vivas habet Princeps. Horum ex conversatione plus, quam multa lectione, discitur. Non parum etiam hoc juvabit, si ejusdem disciplinæ socios excellentis ingenii pueros habeat, quorum exemplo ille incitetur, ac simul erudiat.
- 32 Multa præterea Principibus subsidia sunt ad scientias & bonas artes, modo ipsi intelligant, & opibus suis parare sibi longe meliores thesauros non omittant. Possunt illi Anagnostas alere, quorum oculis legant, quorum manibus excerpant,
- 33 quorum ore quotidie sine molestia sua & labore erudiantur. * Quantum denique commodi capient e Bibliotheca, quam sapientis viri consilio adornare possunt instructissimam? hic intra museum suum compingere possunt omnem orbis doctrinam, & quid singulis seculis in literis omnibusque disciplinis præfatur fit, recognoscere. Qui per hæc subsidia Principem circumduxerit magister, plus illum brevi tempore docuerit, quam multis annis e quotidianis capere lectionibus possit. Verum in illis est, & si quis recte usi noverit, amplissimum compendium, quod & brevitate sua placere, & vastitate saturare possit. Recte Schefferus in libello de Informatione Nobilis p. 24. *Scire, inquit, unde quid peti debeat, cum inquirendum est, ejusque ratio perspicenda, est pene dimidium ipsius didicisse.* Imo plus, quam dimidium & totum ego dixerim: nam cum felicitatis ejus participes esse nequeant tenuioris conditionis homines, illis, quæ a magistris didicere, contenti esse debent, & hi, qui Bibliothecarum fontes adire possunt, ab ipsis magistrorum magistris omnium seculorum disciplinam haurire possunt.

- 34 Qui e Nobilium ordine literis operam dant, siquidem ex illis se commendare Principi & Reip. velint; ultra privatorum diligentiam procedere debent. Et si enim
- in

in Principe modica interdum doctrina sufficere videtur, horum tamen industria supplere debet, quod illic deficit. Cum privati iis se disciplinis mancipant, quibus vitam sustentent, hi complecti omnes debent, ut de iis judicare saltem possint, cum idonei sint muneribus homines præficiendi. Juris scientia accuratior in illis requiritur, quam in Principe quis non adeo desideraverit. Architectonicam denique, Politices scientiam rotam in usus suos verterint necesse est. Et hæc tamen studia, quibus Reip. prodesse possunt, intra nobile illud triennium facile absolvent, quod illis Joannes Sturmius in libro *de Nobilitate literata* ad Werteros fratres præscripsit. Ac mihi sane Principum subfelliis dignus videbitur, quique in Reip. gubernaculis secundas teneat, si hoc ille curriculum bene confecerit. Ab illis sejungendi sunt omnes, qui studiis in speciem & pompam abutuntur, & si inter imperitos docti tueri nomen possint, satis se officio suo functos existimant; quales ad summa in Republica munera sustinenda inepti sunt. * Ne milites quidem carere literarum 35 præfidiis velim; Mathematicis enim ac Historicis studiis militaris peritia vere perficitur, de quo doctissimus *Naudæus* in libro *de Studio militari* omnino legendus est.

C A P. XIII.

DE EXERCITATIONIBUS IN SOLUTA ORATIONE INSTITUENDIS.

- §. I. *Exercitatio ad scriptionem necessaria est.* 2. *Compositio sermonis Latini non differenda ad maturiorem etatem.* 3. *Quinam ex eo defectus oriuntur.* 4. *Exercitia per gradus in pueris instituenda.* 5. *Periodica junctura statim pueris inculcanda.* 6. *Versionis reciproce utilitas.* 7. *Themata versionum per imitationem puerilem primum e Cicerone & Terentio depromenda.* 8. *Edisci etiam classici Auctores nonnulli debent.* 9. *Bœcleri consilium pro instituenda pueritia expenditur.* 10. *Exercitationes ab illo instituta non probantur.* 11. *Autorum varii generis & etatis mixtura stylum turbat.* 12. *Themata Historica & Epistolaria primum suppedianda pro formanda utraque periodo, narrativa & Enthymematica.* 13. *Imitationis maximus usus & precipuus.* 14. 16. *Qui de ea scripserint.* 15. *Sturmii ceteris præfertur.* 17. *Aschamus exemplorum copiam in imitatione docenda desideravit.* 18. *Ejusdem Aschami liber, titulo: Præceptor, Anglica lingua scriptus, laudatur.* 19. *J. C. Scaligeri opus de Exemplis Eloquentiæ.* 20. *Rapini Comparationes.* 21. *Smidenstæts Observationes Oratoriæ.* 22. *Nostra exempla quare addita sint.* 23. *Non contemnenda talia, & ut minutia scholasticæ rejicienda.* 24. *Studium imitationis male plerumque negligitur.* 25. *Imitationis ratio, qua in re consistat.* 26. *Manutiana imitatio.* 27. *Contra Aschamum defenditur.* 28. *Ex consilio Hermogenis per ἡρώεω μὲν & πρὸς δὴ ψῖν instituenda.* 29. *Variationes per figuras Rhetoricas.*

- 1 **P**arum consiliis omnibus efficitur, nisi ad rem ipsam accedamus, & fabricando fabri fieri discamus. Exercitatio omne in stylo punctum feret. Nisi manum admoveamus operi, mentem in partes omnes versemus, & ad certum quoddam exemplar sermonem nostrum exigamus, nunquam vel ad mediocre loquendi genus perveniemus. Quemadmodum pictores primum rudia lineamenta signant, & imagines ante oculos habent, quas intueantur, & earum ductu suas formant, hinc corpora ipsa sibi delineanda proponunt, ac coloribus ornant; ita orationi post prima illa Grammatices lineamenta plenior quidam habitus ex
- 2 optimo aliquo Autore circumponendus. * Non desunt, qui omnem compositionem sermonis Latini in puero damnant, & ad maturiores annos seponunt; quibus ego nunquam assentire potui: * Eveniet enim, ut, quod primis annis neglexerit, sero discant, & vel viri titubent. Cum enim jam tum accurate Autores intelligunt discipuli, nescio quæ socordia & ignavia imitationem corrumpit. Nam altera parte tarditas quædam detinet & fastidium ex mora illa, quam intellectus in compositione habere debet, cui gratior accedit e lectione novorum Autorum oblectatio; altera parte, dum rigor exigentis magistri abest, remissio quædam obstat. Ac novi sane Viros in omnium Autorum lectione, in disciplinis omnibus versatissimos, cum ad scriptionem ventum est, asperos, hiulcos, omnique elegantia destitutos. Adeo etiam in compositione a teneris assuescere multum est.
- 4 * Frustra hic aliqui imbecille puerorum iudicium causantur, compositionem, quæ sine iudicio institui nequeat, natura ipsa intelligentia posteriorem esse. Nam sane non statim ad Epistolas vel Orationes scribendas accedimus. Per gradus procedendum est. Primum per simplices propositiones Regulis Syntacticis accommodandas, ut in Tirocinio suo fecit Rhenius. - Ubi lectione firmatus puer est, quis tam stupidus esset, ut non unam alteramque periodum suis membris & particulis nexam capere possit, præsertim si e phrasibus Epistolæ Ciceroniæ simplicioris formetur. * Nam periodicam illam juncturam etiam pueris, quæ primum fieri potest, inculcandam cum Sturmio ob eximium ejus usum suaserim. Et hinc sane fieri existimo, quod e multis etiam doctissimorum Virorum scriptis absit vera vocum & periodorum concinnitas, quoniam nulla illi rei cura mature satis impenditur. Hæret vero in teneris animis illa a prudente ac perito doctore sæpius ostensa atque repetita concinnitas.
- 6 Primum tamen inter hæc exercitamenta locum tenet versio e Latina in vulgarem linguam, atque ubi maturius iudicium est, reciproco labore in Latinam linguam repetita conversio. Præterquam enim, quod in memoriam ipsa Autoris verba revo- cat, diversitatem utriusque linguæ evidentius ob oculos ponit, & ad concinnum verborum positum Romanis atque Latinis auribus familiarem manu ducit. Sed tamen aliquo iudicio opus hic est, ac difficilior labor ille est, quam si periodos aliquas Germanicas in Latinam linguam tiro converterit. * Versionem Thematis Germanici in Latinam ego pro lubitu non instituendam suaserim. Non probo illos, qui Historias quascunque vertendas proponunt, inter quos est, qui universalem aliquam historiam,

historiam, per certas pericopas distinctam, phrasibus in margine adjectis, huic fini publicavit. Nunquam aliquod Thema derur, nisi quod e quadam Ciceronis epistola, vel Terentii scena, per imitationem confictum. Imitatio illa prima puerilis vel Epistolam vel Historiolam fingat, e phrasibus Ciceronianis vel Terentianis totam concinnatam: cujus exempla suppeditavit Schorus in aureolo suo libello de *Methodo docende discendeque Latina & Græca lingue*; cujus vestigia Magistrum nostrum sequi velim; eo enim modo phrasēs in usum converti primum debent. * Suadet Marefius *Epistola Philologica 29. lib. 2.* ediscendos Autores Classicos nonnullos, Terentium, aliqua Ciceronis. Nam, inquit, si exempli causa quinque aut sex Ciceronis libros firmiter in mente habeant, nullibi in eo deinceps hærebunt: raroque quid in Latinis scriptoribus occurret, quod non intelligant; nec forte quicquam erit, quod Latino sermone pure & eleganter exprimere non possint. De quo postremo tamen, si usus & exercitium non accesserit, ego dubitaverim. Autor est Sturmius in libro de *Exercitationibus Rhetoricis*, ut Ciceronis Orationes per discipulos dividantur, publice e cathedra memoriter recitentur. Ita aliquos memoria comprehensuros, aliquos ex ipsa recitatione & continua auditione fructum ex omnibus illis Orationibus habituros.

Scriptit post multos alios, quos supra laudavimus, Germanica lingua consilium de Institutione puerorum vir nunquam satis laudatus, & maximum Germaniæ nostræ decus, BOECLERUS, quod editum est Argentorati Ann. 1679. in 12. & sequente anno 1680. alius liber ibidem editus est, cum titulo: *Minerva Tirocinium, sive Praxis Bæcleriana Institutionis*. Multi in his libellis de Autorum explicatione, interpretatione, Regulis Grammaticis, elegantius, deteguntur vulgarium Magistrorum errores. Comeniana quoque sub examen vocantur, ac merito e Scholis relegantur. * Verum in styli exercitiis ipsi assentire non possum. Quæ ille vult ex Historia desumi, collatis semper ejusdem historiæ apud ceteros Autores, Historicos, Oratores, Poëtas, aurei, argentei, ænei sæculi parallelis, quæ tiro noster legat, & e quibus orationem variet. * Ego vero malim purissimos, & nulla sæculi sui labe infectos, ut nihil de varia orationis forma dicam, in usum adhiberi; ne quid e posteriorum temporum scoreis purioris latinitatis auro adhæreat: cur enim tot Autores miseret puer? an ad orationis copiam? ea aliunde, quam ex illa Autorum mistura purior haberi potest, & potius ex uno, quam e multis quærenda. An forte ob historiæ notitiam? illa vero hic non valde attendenda videtur. Minuta enim omnia sunt & discerpta. Neque velim ego in prima ætate Historiam cum Latinitatis dispendio disci, cujus potior tunc ratio habenda est. Nam

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem

Testa diu,

neque ulla arte postea eluentur sordes, quas semel oratio contraxit. Non dicam de varietate numeri, periodorum, positu verborum, quæ & ratione Autorum,

characteris & ætatum vehementer discrepant; in qua positus tiro, quid sequi, quid fugere debeat, omnino ignorat, & inæqualem stylum, asperum, confragosum formabit. Quantum in dictione ipsa discriminis sit, facile discerni potest, si quis inter se contulerit. Lege apud Virgilium historiam de Trojæ ἀλώσει. Hinc si quis Petronii, non multum ætate minoris, de eadem historia jambos jungi atque in unum chaos confundi imitatione posse existimaverit, næ ille vehementer fallerur: etsi non deerit forte, cui Petroniana fatis pulchra & minimè contemnenda videbuntur. Sed aliter judicabit, cui naris non obesa est, si legerit, quæ doctissima illa censione sua in iis notavit elegantis ingenii Vir, Jacobus Tollius, *Cap. 3. Fortuitorum Criticorum.*

12 Argumenta ergo pro Thematibus seligi velim, non ex scientiis & Historicis, ut vult Sorellus; nisi forte imitatio quædam e Ciceronis libris Philosophicis, aut e Cæsaris ac Nepotis historiis instituat, sed præcipue ex Epistolis Ciceronis similes fingendo, ita tamen, ut & Themata Historica vel potius narrativa eis jungi velim. Discat formare Tiro periodum, qualis in narratione adhiberi solet, & Enthymematicam, quali in Epistola & Oratione utimur: hæc enim præcipua sunt, in quibus dicitio exercenda; decurrit enim vel per narrationes Oratio, ut in stylo Historico; vel per enthymemata, ut in Epistola & in elaborata Oratione. Habet illa narrantis dicitio suos quosdam particularum nexus, membrorum locationem & proportionem, sermonem pendulum, a reliqua oratione distinctum. Oratoria per particulas illativas, conditionales, exceptivas, adversativas semper in orbem redit, & magis se succi plenam & copiosam ostendit. Utriusque dictionis exemplar in antiquis Autoribus quærendum.

13 Omne ergo punctum, me quidem judice, in exercitatione omni Rhetorica feret IMITATIO, sive illa Puerilis sit, sive Virilis & Oratoria. Quicquid sapimus, quicquid discimus, quicquid agimus, omne ab imitatione est, & excellens sibi archetypum proponit. Quidni ergo & in Oratione formanda eadem methodo ducamur? * De Imitatione multa sunt Rhetorum præcepta, sed non tam idoneis exemplis omnia exhausta. E veteribus Dion. Halicarnassæus præclara de imitatione Historica scripsit; pollicitus etiam quædam de Oratoria & Demosthenica, quæ per injuriam temporis interciderunt. * Sed inter recentiores nemo est JOHANNI STURMIO, peritissimo Rhetori, præferendus. Multa ille variis in libris: *Exercitationibus Rhetoricis: De amissa ratione discendi: Nobilitate literata, totoque libro de hoc argumento docet, quæ aurea & egregia tota sunt, omnibusque eloquentiæ cultoribus nocturna diurna que manu versanda.* * Ex Italis, sed illo longe inferiores, multi hoc argumentum sibi quoque tractandum sumserunt, e quibus præ ceteris Bartholomæus Riccius eminet. Sunt aliòquin Cæli Calcagnini, Gilberti Cognati, Foxii, Gyraldi, Joh. Pici Mirandulani, Petri Bembi, Jacobi Omphalii, Joannis Sambuci, Gerardi Joannis Vossii, de eadem argumento libri: de Terentiana imitatione Michaël Ferrerus; de Ciceroniana Stephanus Doléus, Henricus Farnesius; Andreas Schottus in Tullianis *Questionibus*, Christophorus

phorus Mylaus, Laur. Palmureus, & nostro tempore Cl. Sagittarius scripserunt. Sed nostri instituti ratio non patitur, ut hic praecepta cumulemus, quorum copia forte laboramus. * Plus in exemplis est, sine quibus omnia languent, nihilque proficiamus. Quam ob causam ROGERUS ASCHAMUS, Reginae Elisabethae a secretis, magnus Sturmii amicus, & pene solus in gente Angla Ciceroniani gustus, in Epistola ad Sturmium, quae inter Marebianas appendices pag. 589. habetur, de exemplorum defectu in omni illa praeceptorum sylva conqueritur; qui locus, ut hic legatur, dignus est. *Docere perspicue & perfecte, qua ratione Cicero vel Demosthenem vel Platonem imitatur, singularis, satior, doctrinae, summi iudicii & rara laudis existit. Sed haec laus. adhuc praeceptionis tota propria est. Aliud volo; plus requiro. Opifex nobis & Architectus opus est, qui separata conjungere, rudia perpolire, & totum opus construere artificiosa ratione noverit. Et illud, mea certe opinione, hoc modo. Hinc Demosthenis locum, illius Ciceronis produci cupio. Tum, digito Artificis, me primum duci volo ad ea, quae in utroque sunt aut eadem aut simillima: Deinde, quae sunt in hoc addita, & quo consilio, tum, quae sunt commutata, & quo, ac quam vario artificio, sed id in verborum delectu sive in sententiarum forma, sive in membrorum circumductione, sive in argumentorum ratione consistat. Nec uno aut altero exemplo contentus ero. Numeris multa, genere varia, ex Platone, ex Isocrate, ex Demosthene, & ex Aristotele in libris Rhetoricis, exempla expeto. Patior praeceptorem parcum esse in praeceptorum traditione, modo liberalem se & largum in exemplorum non solum productione, quod laboris est & diligentiae, verum etiam tractatione, quod est doctrinae & iudicii, ostendat. Horum volumen, illorum paginam ipsam requiro. Nec mihi molestum erit, si eadem via & ratione Caesarem cum Xenophonte, Salustium cum Thucydide, Livium cum Polybio, Virgilium cum Homero, Horatium cum Pindaro, & Senecam etiam cum Sophocle & Euripide conjungat: nisi forsitan satius erit facere, quod hi prudenter faciunt, qui perfecte scribere volunt: haerent enim hi, & desigunt se totos in uno, & eo perfectissimo exemplo, nec se vel distrahi ad varia, vel deduci ad deteriora exempla libenter patiuntur. Tamen si carmen pangere vellem, nihil Virgilio divinius, nihil Horatio doctius, nihil possum proponere. Sed ad dicendi facultatem ipsum Ciceronem, si non solum, certe potissimum volo. Et dari mihi exemplum cupio, Ciceronem Imitatorem, non Imitatorem Ciceronis. Equidem amplector unice Ciceronis imitationem; sed eam dico & primam ordine, & praecipuam dignitate, qua Cicero ipse Graecos, non qua Lactantius olim, Omphalius nuper, aut qua multo feliciter quidam Itali, Galli, Lusitani & Angli Ciceronem sunt secuti. Nam quisquis fuerit non solum diligens, sed etiam cum peritus doctus, tum prudens iudicio observator, quibus vestigiis institit, & quos gradus facit ipse Cicero, dum Graecos sequitur: assequitur aut praecurrit, & scienter animadvertit, quibus in locis, & qua ratione hic noster ipsis Graecis plerumque par, saepissime superior evadit, is demum tuto & recta via ad imitandum ipsum Ciceronem perveniet. Qui enim intelligenter videt, quomodo Cicero secutus est alios, perspiciet illos longe felicissime, quomodo ipse Cicero sit sequendus. Haec ad Sturmium tum Aschamus scripserat, sed nondum editus erat integer Sturmii de Imitatione liber, in quo ille magnam undique exemplorum farraginem congerit. * Fortassis & ipse in libro, Anglica lingua scripto, pluri-*

bus exemplis illam de Imitatione doctrinam persecutus est. Titulus libri ita habet in Catalogo Bibliothecæ Oxoniensis mihi lectus (nam librum ipsum non vidi) *The Schoolmaster, or the plain Way of teaching children to understand the Latin tongue. Lond. 1571.* Ille vero a Sturmio subsidia expectat pro hoc libro suo. Ita enim scribit in supra laudata Epistola: *Mitte igitur, & quam primum mitte, ut Præceptor meus, qui nunc est fere nudus & plane deformis, istinc aliquem elegantiores mutuans amictum, nonnihil cultius vestitus, & inde superbior factus, in lucem audacius prodeat.* * Superesset nobis *Opus de Exemplis Eloquentiæ J. C. Scaligeri*, in quo ille Autores Latinos cum Græcis contulit, quodque ipsi a Pædagogio Petrocorio subreptum est; ut ipse Scaliger in Epistola ad Boëtium libro commentarii in *Histor. Animal. Aristotelis præfixa*, queritur; minus nunc in illa re laborarem. * Nisi forte quis nunc *Rupinum in Comparationibus suis* aliqua ex parte hoc confecisse existimet. Sed ille generali quadam censione contentus, ad singularia non adeo descendit. * Memini & videre me in nescio quo librorum Catalogo notas *HARTVIGI SMIDENSTÆTHI Observationes Oratorias ad Ciceronis dilatatam copiam refertas, & exemplis adjectis imitationi in dicendi usum utrumque notatas, Helmstadii Ann. 1594. in 4. editas*; sed librum ipsum non vidi. Autor ille magni suo tempore nominis, & ab Henrico Meibomio eleganti encomiastico carmine ornatus. * Quam exemplorum utilitatem cum & ipse viderem, pro juventutis studiis eorum aliquam farraginem huic capiti subjungere volui: quæ, etsi non veræ, sed mea sunt, neque ego ut omnibus numeris absoluta vendito (sunt enim quædam ex illis data occasione sine operosa meditatione, ac interdum extemporali labore, a me ad calamum dictata) non erit tamen, ut puto, tironibus inutilis opera, quibus potissimum toto hoc opere meo inservire volui. * Quod si forte erunt, qui has minurias conemendas existimaverint, illi sciant, nihil minutum aut leve esse, quod cum juventutis commodo conjunctum est. *Erasmus* (at quantum vir!) qui cavillatorum voculas, ob scholasticos labores *μικρόλογον* vocantium, effugere non potuit, illorum judicium vilipendebat. Ego quoque utilitatem, quæcunque etiam sit, omni pompæ vanæque gloriæ præferendam, ac illam præcipue sectandam mihi proposui.

24 * Sæpe ego vicem juventutis dolere soleo, quæ in his primordiis destitui a magistris solet. In Scholis rari sunt præceptores, qui veram imitandi rationem ipsi didicerunt. In Academia plerumque illa studia spernuntur, tum à Studiosis, qui ad alia properantes studia illa, ut minutiora, fastidiunt. Non raro etiam ipsi Doctores talia despiciant habent. Cum Autores linguæ Latinæ eduntur, variæ lectiones, rituum antiquorum observationes, emendationes vocum utramque implent paginam. Pulchra hæc quidem omnia, neque reprehendenda, si illud *μικρὸν ἀγαν* observetur. Sed orationis & carminis artificium, imitationes veterum, in quibus ego præcipuam Critices partem consistere puto, nemo respicit, plerique alto supercilio, ut res scholasticas & ad pueros ablegandas, aspernantur. Sturmii, Erythræi aliorumque utilissimi in Ciceronis Orationes Commentarii vel ignorantur vel contemnuntur. Quo fit, ut pauci e Criticis veram Romani genii eloquentiam in oratione exprimant. Nam & glossematibus interspersum, & diversarum ætatum

ætatum phrasi commistum, & tum doctrina ipsa, tum ejus mensura varium & inæqualem stylium in plerisque deprehendes.

Consistit imitandi ratio non in eo, ut consuantur passim e Cicerone sententia, quod Itali nonnulli κοκκόηλοι fecere; sed ut similitudine aliqua omnis Auctoris dictionem, formam, phrasin, sententiam, numeros exprimas; quæ non nisi a perfecto Oratore demum præstari possunt. Nobis hic suffecerit, si dictionem aliqua ratione expresserimus. * Primum inter imitandi exercitia hoc nobis est, si periodos dilatare membrorum & variatione sententiarum, figurarum quoque adjectione, in aliam formam compegerimus; quam imitandi rationem Manutius securus, eos in oratione Latina prægressus fecit, ut ab hac una exercitatione omnem sibi eloquentiam profluxisse fateatur. Ita vero ille lib. 1. ep. 4. *Exquisite sententias de Cicerone excerptas, aut de Terentio, tacitus in animo versabam, eas ornabam verbis quam poteram lectissimis, ut quasi vestitu orationis mutato, cum eadem essent, alia tamen viderentur. Erat non dissimilis in verborum figuris commentatio. Si quas notaveram illustriores, ad alias scientias ita traducebam, ut interdum eandem locutionem ad res prope innumerabiles accommodans, quasi ex una cera plures imagines, nec tamen ejusdem generis, effingerem. In hac exercitatione quantum esset, utinam aut mature cognovissem, aut sero cognitum avidèque arreptum vis occupationum non extorsisset. Equidem, si quis me neget in scribendo quicquam esse, non pugnabo: sed si quid sum, ab hac una esse contendam.* * Non video causam, quare Aischamus eam Manutii rationem in Epistola supra laudata infectetur; hac enim ratione Imitatio institui præcipue debet: ac sane juvenis, qui hac via ductus fuerit, ad ceteras quoque orationis virtutes exprimendas non ineptus invenietur. Neque sane in multorum præceptorum subtilitate illa res consistit; continua exercitatio, quæ periti doctoris auspiciis instituitur, omnia efficit. Non nego quidem, neque negaverit forte ipse Manutius, plura esse in imitatione attendenda, verum non omnia simul disci possunt, sed per gradus eundem. Primum certa signare vestigia discimus; hinc quomodo decore eamus; postea quomodo saltemus. Si quis ad Manutii sensum variare primum sententias didicit, cetera accrescente judicio & continuata lectione ultro sequentur. * Inter vere res Hermogenes hunc modum præscripsit, ut 1. per χωρισμόν sive separationem, 2. per πρόσληψιν seu assumptionem procedamus. Per χωρισμόν periodum in aliquot sententias dividemus, has sententias deinde per πρόσληψιν augebimus. Unaquæque sententia constat subjecto & prædicato: subjectum est vel totum vel pars, vel genus, vel species; ex assumptione ergo generis augebimus speciem, totius partem, & vice versa. Prædicatum vel actionem vel passionem notat. Actio habet causas vel efficientes, vel instrumentales, vel adjuncta, vel effecta. Passio itidem suos modos & circumstantias. Amplificari ergo tota Oratio varie potest ex assumptione generis ad speciem, totius ad partem, finiti ad infinitum, confusi ad distinctum, antecedentis ad consequens, e propositionum conditionalium, comparatarum, crypticarum, in plures simplices resolutione &c. de quibus singulis plenius lib. V. dicetur. Horum exempla non pauca *Cap. sequenti* adducuntur plane eo modo

modo instituta, ut volebat Manutius, & Quintilianus *lib. 16. cap. 5.* ut item Hermogenes, & ex Hermogene Sturmius præscripsit. * Quoniam etiam sententiarum variae figurationes sunt & *χηματισμοί*, ideo sententiam Ciceronianam per illas figuras, quales Emanuel Thesaurus, ordinem rerum secutus, in Operè suo *de ingeniosa elocutione cap. 5. pag. 190.* designavit, expressam dedimus: quem ordinem nunc sequi maluimus, etiamsi nec ille usque adeo placeat, neque a quoquam hactenus recte sint e mentis apprehensione & motibus, unde deduci debent, deductæ. Adjicimus & enthymematicæ dilatationis exemplum, quæ a prioribus parum differt, nisi quod Rhetorum artificia pressius sequatur. Plures alias Exercitationis species *Schefferus in Gymnasio Styli* enumeravit, quas vel ad Rhetoricam tractationem remittimus, vel hic etiam prætereundas duximus, utpote quæ ex hoc fonte deriventur. De Commentatione, necessaria quoque exercitatione, jam supra diximus.

C A P. XIV.

E X E M P L A I M I T A T I O N U M .

§. I. *Exempla imitationum apponuntur.* 2. *Et quidem dilatationis periodicae Innum ex ep. Cic. II. lib. 5. ad Fam. periodo prima.* 3. *quæ in propositiones resolvitur,* 4. *& deducitur.* 5. *II. ex ep. 4. lib. 6. ad Fam. per. ult.* 6. *quæ resolvitur,* 7. *& deducitur.* 8. *III. ex epist. 21. lib. 10. Fam. in fin.* 9. *IO. quæ resolvitur & deducitur.* 10. *II. 12. 13. ex epist. 29. lib. 10. init. quæ resolvitur & deducitur.* 14. *V. formulæ ex ep. 17. lib. 12. Fam.* 15. *quæ decies variatur.* 16. *VI. formulæ ex ep. 8. lib. 1. Fam.* 17. *per 77. figuras oratorias variatæ.* 18. *VII. ep. 17. lib. 11.* 19. *quæ per periodos amplificatur.* 20. *VIII. dilatationis periodicae ex ep. 3. lib. 10. Fam.* 21. 22. *IX. it. X. imitationis compendiosa.* 23. *XI. dilatationis enthymematicæ, ex ep. 3. lib. 13. Fam.* 24. *cujus argumenta recensentur,* 25. *& dilatatio subnectitur.* 26. *suadetur exercitium ligatam orationem in sermonem solutum convertendi,* 27. *cujus exemplum XII. datur ex epist. 9. lib. 1. Horatii.*

I **Q**uoniam superiore capite §. 22. **E X E M P L A I M I T A T I O N U M** nos duros promisimus, ideo illa hic apponere voluimus, quæ vel discipulis, vel etiam Magistris speciminis loco esse possint, quo in illa palæstra modo exerceri debeant. Ego certe, quoties privatis illa exercitia Scholis institui, magnum ex iis fructum deprehendi.

2 **Exemplum dilatationis periodicae I. ex periodo 1. Ep. 2. lib. 5. Fam. Cic.**

Grata tibi esse officia mea non miror: cognovi enim te gratissimum omnium: idque nunquam desisti prædicare, nec enim mihi gratiam modo habuisti, verum

rum etiam cumulatissime retulisti. Quamobrem reliquis tuis rebus omnibus parime studio erga te & eadem voluntate cognosces. * Resolvitur in has propositiones. 1. Grata tibi fuerunt officia mea. 2. Id ego non miror. 3. Es enim homo gratus. 4. Quod multis rebus cognovi. 5. Illud semper prædicavi. 6. Non enim tantam gratiam habuisti. 7. Sed & retulisti. 8. Invenies me eundem erga te. 9. In officiis atque rebus omnibus.

Deductio. 1. Tam effusa in me tua est humanitas, longeque excelsior, quam in te mea, ut omnia, quæ a me proficiuntur officia, utut parva sint & exigua, non modo verbis in majus extollas, sed omni genere officiorum non exaquare tantum, sed omni opera superare contendas.

2. Tu quidem illud solenne tuum servas, qui, quos induisti a tenera ætate ab optimis Doctoribus mores, ita semper excoluisti, ut nunquam ab illis descisceres: quominus mirum mihi visum est nunc, cum plane non expectarem, & nulla mea in te tanti essent merita, tantum gratiarum reponi.

3. Tantum apud te grati animi fidelis memoria valet, ut vitam tibi ipsam acerbam putes, ipsi pietate, comitate, fide studiisque omnibus erga amicos, notos, ignotos illustraveris.

4. Annales quosdam virtutum rerumque tuarum texere mihi vidèrer, si, quæ tu dedisti grati animi documenta maxima, percensere numerando velim: nam profecto infinitum hoc esset, neque exigua posset epistola comprehendere.

5. Nulla mihi dies abit, quin ob oculos illa mihi versentur, in animis hæreant; idque beneficiorum tuorum memoria efficit, ut cum te in oculis etiam absentem feram, illa mihi semper in ore sint & sermonibus, & erga omnes illa deprædicem & extollam.

6. Longe tu semper abisti ab illorum moribus, qui cum opere ipso strigosi sunt & parci, verbis tamen copiosi gratias, quas re ipsa non præstant, lingua semper circumferunt, vel etiam emittant illas & silentio sepultas conservant.

7. Tantum vero abest, ut in amicorum officiis quicquam tibi existimes dissimulandum, ut potius non verbis tantum illa omnia mirifice omnes & augeas, sed pro plumbeis & æneis beneficiis plusquam Diomedæa permutacione aurea reponas.

8. Quæ tua tam præciosa & aurea beneficia si ferrea fronte exciperem, homo essem omnium ignarissimus & ingratus. Ego vero illa non solum libere agnosco & deprædico, sed &, quoad ejus fieri potest, paria paribus respondebo.

9. Quare ne minimam quidem causam & occasionem prætermittam, qua tibi inserviam, omnemque vel officii umbram & speciem, quæ mihi ostenditur, arripiam: imo omnia, quæ in potestate mea sunt, & me ipsum cum omnibus, quæ a me proficisci possunt, officiis, studiis, beneficiis tibi tradam.

Exemplum II. ex periodo ultima Epistolæ 4. libri 6. Fam.

Verba sic habent; ego, quæ te velle, quæque ad te & ad tuos pertinere arbitror, omnia studiose diligenterque curabo: quæ cum faciam, benevolentiam tuam erga

- 6 erga me imitabor, merita non assequar. * Periodus hæc in sequentes propositiones resolvi potest. 1. Ego omnia studiose diligenterque curabo. 2. Quæ te velle intellexero. 3. Quæ ad te & tuos pertinere arbitrabor. 4. Quod cum facio, parum tamen mihi fecisse videor. 5. Nam benevolentiam tuam tantum imitor. 6. Merita non assequor.

7 Deductio I. *Cum tot obsidearis negotiis, ut earum te pene moles opprimat, me autem strenua nunc exerceat inertia, nihil tam grave arduumque mihi erit, quod tua causa non confecturus sim, qui otia negotiaque mea tuis utilitatibus postpono.*

2. *Quicquid enim tu voles, legis mihi instar erit, qui omnes tuos nutus observo: quicquid me rogabis, imperatum mihi existimabo: quicquid jusseris, velut ex Apollinis tripodæ prolatum oraculum venerabor.*

3. *Nihil erit, quod ego in tuam gratiam non suscepturus sum: nulle me revocabunt molestiæ, - - neque fervidus æstus Dimoveat studio, neque hiems, ignis, mare, ferrum: Nil obstat mihi, dummodo tuis commodis inserviam, & ex mea opera tu aliquem fructum percipiscas.*

4. *Quæ etsi omni conatu agam, etsi Herculeas tibi labores impendam, tanti tamen illi mihi non erunt, ut illis virtuti tuæ satisfactum existimem.*

5. *Quoties enim tuum intueor exemplum (ejus autem species quotidie mihi ob oculos versatur) toties in me omnem illam facultatem exstinguit; ut, dum te in officiorum certamine superior esse laboro, vix paribus assequi passibus præeuntem possim.*

6. *Quare te potius a tergo sequar, tuisque vestigiis insistam, cui umbra hæc Amici circumducenda est: beneficiorum enim tuorum luce mea exigua officia ita absorbentur, ut non nisi vel umbris vel obscuris coloribus illustrari a me possint.*

Exemplum III. ex fine Epist. 21. lib. 10. ad Fam.

Verba Autoris sunt: Meam dignitatem commendatam habeas rogo. Concupiscere me nihil oportet: habeo te & amantissimum mei, & quod optavi, summæ autoritatis. Tu videris, quantum & quando tuum munus apud me velis esse.

- 9 * Resolvuntur hæc in has propositiones: 1. Meam dignitatem tibi commendatam habeas, rogo. 2. Nihil ego nimium desidero. 3. Tu es mei amantissimus. 4. Tu es summæ autoritatis. 5. Quod, ego semper optavi. 6. Quantum mihi inservire possis & quando. 7. Hoc tuæ prudentiæ committo.

10 Deductio I. (1) *Ea inter nos semper viguit, quæ ab incuntibus annis excrevit amicitia, ut subrustici pudoris sit, si in te rogando cunctari velim. Meam enim dignitatem cum tibi commendatum ivero, tu timidiusculum me & in amicitia nimium verecundum reprehendere jure possis.*

(2) *Id tamen nunc facio; & quoniam mos ita rogandi est, te rogo, ut, quæ ad honorem ac fortunam meam tuedam pertinent, tibi cura cordique esse patiaris.*

II. (1) *Non ego ex illis sum, qui & multa & vehementer desiderant, ut facere pueri*

pueri & muliercula solent, qui rerum obtinendarum cupiditate ita flagrant, ut nullum sibi modum finemque statuunt.

(2.) Ego vero ita cupio, ut non insaniam; neque quicquam ambitiosus facere consuevi, ut voti mei compos fiam; nihil a te, quam quod communia amicitiae jura postulant, requiro.

III. (1) Jam dudum illam tibi legem ipsi dixisti, ut in amore non solum amicis respondeas, sed etiam desideria illorum antevertas.

(2) Etsi enim multi sunt, quibus ego utor familiariter; etsi non desunt, qui officia mihi sua & studia non sine pompa & apparatu obtrudunt; nemo tamen unus est, qui te affectu vincat; adeo omnibus tu palmam praeripis, ut de principatu certamen quoddam iniisse videaris.

IV. (1) Nec tantum inane amicitiae nomen mihi ostendis, sed magnum illi auctoritas tua robur circumponit; quaecum illa munita est, omnia mea causa perfrumpit obstacula, ut nihil in fortunis negotiisque meis curandis impersium & inexpugnabile esse videatur.

(2) Pendet ab ore & consiliis tuis Senatus, omnes te venerantur & suspiciunt; officii te sibi conciliant, ut in omnium, superiorum, mediorum, inferiorum animis regnum aliquod tibi extruxeris.

V. (1) Quam in possessionem cum te ipsum jam dudum virtute, prudentia, affabilitate miseris, ita coenit, & evenisse gaudeo, ut semper animo meo praeripi.

(2) Qua ut diuturna tibi sint propriaque bona, eo nunc magis omnibus votis exopto, quo majores ex illis amicitiae fructus persentisco.

VI. (1) Itaque tui arbitrii res erit (tibi enim me totum & trado & debeo) quid velis possive in me meisque fortunis augendis, quam ego ut voluntate & propensione mihi addictum, ita facultate sua omnia exhausturum confido.

(2) Nulla in re tibi molestus ero, neque tempora modosque praesigam; quod importuni facere flagitatores solent; a quorum ego moribus plane abhorreo.

VII. (1) Ego modestia tibi mea probari malo, quam obtundendo injucundus videri; ut gratiam favoreque tuum, ne in fastidium degeneret, integrum conservem.

(2) Meum est providere, ne imprudentia mea prudentiam tuam, quam in rebus meis semper ostendisti, intervertam, plus enim tu mihi sapis atque prospicis, quam ego ipse intelligo aut a me poterat expectari.

Exemplum XV. ex initio epist. 29. ad fam.

11

De meo studio erga salutem & incolumitatem tuam, credo te cognoscere ex literis tuorum, quibus me cumularissime fatisfecisse certo scio: nec his concedo, quanquam sunt singulari in te benevolentia, ut te salvum malint, quam ego.

* Resolvitur in has propositiones. 1. Vehementer faveo saluti incolumitatique tuae. 2. Id cognosces ex literis amicorum. 3. Illi contenti erunt meis erga te officiis.

cis. 4. Illi quidem vehementer tibi favent. 5. Sed ego operam dabo, ut illos studiis meis vincam.

13 **Deductio 1.** Adeo mihi salus tua semper cordi fuit, ut in rebus atque negotiis tuis curandis hanc mihi legem dixerim, ne qua in re vel segris vel minus officiosus viderer.

2. Quae cum mea quotidiana studia fuerint, semper enim tu in animo habuisti, semper tua mihi imago ob oculos versari visa est, non desuisse existimo quotidianos observatores, amicos tuos, qui haec ad te accurate perscriberent.

3. Ideoque vel illorum testimonio vincam, qui de officiis meis testari possunt; atque, ut puto, etiam volent; nam & illorum utilitatibus non modo non desui, sed & omnino eorum causa, quae potui, feci: tam officiis operosus, quam opere officiosus.

4. Certum est, te illos habere tibi amicos, quos meritis reddidisti tibi obnoxios, quis enim tam vecordis esset animi, quis adeo bonae mentis bonique sensus expertus, ut beneficia sibi praestita non agnoscat, ea apud alios commemoret, atque suis compensare allaboret.

5. (1) Verum sint illi amici tui; praedicent illi te, atque in caelum efferant: officiis te prosequantur, colant, observent; ut illi te unum sibi vindicent, non patiar, nam descendam cum illis in pulchrum de principatu inter amicos tuos certamen; qui (quae Dei Termini formula fuit) nemini concedo. (2) Non ego quidem fidem illorum in dubium voco: quam enim verbis promittunt, credere nolle summa esset dissidentia. Ego tamen re ipsa praestabo verborum parcum quidem, sed opere effusum, ut majores meos in salute tua curanda conatus, quam illorum, deprehendas.

14

Exemplum V.

Formula Ciceronis haec est ex epist. 17. lib. 12. F. Grata vehementer est memoria nostri tua, quam literis significasti; quam ut conserves, non quod de tua constantia dubitem, sed quia mos est ita rogandi, rogo.

15 **Variatio 1.** Nihil est nostri memoria jucundius, quam literae tuae nuper mihi declararunt; illam ut propriam perpetuamque esse velis, penitus te rogo, non quod de voluntate constantiaque tua dubitandum mihi esse existimem, sed quia solenne illud nostrum in Epistolis servandum est.

Variatio 2. Invaluit illa increbuitque scribendi consuetudo, ut amicis nostrae memoriam ubique cantemus: hunc itaque morem potius securus, a te contendo, ut, qui fuisti, noster esse velis; non ut fidem tuam ac amorem, quem literis tuis mihi representatum esse gaudeo, inexploratum aut incognitum mihi credam.

Variatio 3. Multum te ob literas tuas amo, quibus te nominis mei cupidissimum studiosissimumque cognovi: hunc ut animum mihi serves, a te majorem in modum peto; non quod te tam volaticum mobilemque in affectibus esse existimem, sed quoniam ille mos est, ut mutuis verborum lenociniis, qui literas scribunt, se invitent.

Variatio

Variatio 4. Eo libentius tuas complexus sum literas, quo illæ in memoria nostri pleniores uberioresque fuere. Huic amori tuo ut constantiam adderes, rogarem, si ullam in te inconstantiam dissimilitudinemque rerum & consiliorum unquam deprehenderem. Hanc cum de te vel cogitasse piaculum foret, quo verborum tamen pompæ satisfiat, ut me porro ames, rogatum volo.

Variatio 5. Magna affectus tui vis ex epistola tua elucet; multa illic est nostri memoria, ut nihil fieri potuerit honoratius, nihil mihi acciderit jucundius. Non levi fortassis te affecerim injuria, si rogarim, ut in isto amore perseveres: levitatem enim in te amantissimo mei viro accusari viderer. Rogo te tamen, atque ideo rogo, ne quicquam ab amore consueto alienum admisisse videar.

Variatio 6. Mirificam e literis tuis accepi voluptatem, quod in memoria tua penitus nomen nostrum infedissem intelligam. Nihil igitur tota cogitatione mea vehementiusque optaverim, quam ut, qualem te hactenus ostendisti, semper nobis præstes, & amori nostro infenescas. Quo etsi te arguere, ut vagum instabilemque videar, tu tamen benignius amicorum vota interpretaberis, qui in isto literarum commercio ambitiosius in officiis se provocare consueverunt.

Variatio 7. O nos felices, qui literis tuis non solum honorati, sed studiis officisque tuis ornati sumus! quod si ad hunc officiorum cumulum perennitas accesserit, omnia a te habebō: sed parum circumspecte habiturum me dico, qui jamdudum in plenissimam animi tui possessionem missus, nunquam, nisi temeritatis te accusem, inde ejici possim. Dabis tamen veniam, si ex more literarum iterumque te, ut in amore perseveres, rogaverim. Paulo enim meticulosior & λογολαίδαλος amor esse solet.

Variatio 8. Si quid rerum mearum gratum mihi unquam fuit, ut ἔπαινος ἡδύς ἐν ἀκρομαί esse solet, nihil sane magis me movit, quam honorifica ista nostri memoria, quæ in literis tuis paginam utramque facit. Quid mihi optabilius, quid suavius, quam ut firmissimam hanc habeam tuam benevolentiam. Rogarem te, ut hanc mihi serves, nisi levitatis suspitione tam præclaram opinionem tuam ferirem. Quoniam vero vulgo ita fieri solet, ut, qui officiis certant, etiam verborum prodigi esse soleant, te, ut favere mihi porro velis, non rogo solum, verum etiam obsecro.

Variatio 9. Vide, quanta in te sit suavitas, qui non literas tantum humanissimas mihi dedisti, sed tot laudibus præterea ignobile nomen nostrum cumulas, ut mihi nunc ipsi placere incipiam, postquam apud te tam gratiosum me esse intelligo. Serva mihi hunc animum sacrum integrumque, vir maxime. Sed parum ego catus orator ad te venio, qui, cum ita rogo, læsæ amicitiae reus videri poteram, dum suspitioni levitatis aut inconstantiae locum apud me reliquum esse ostendo. Eris tu, vel non rogatus, noster. Neque tamen has preces nostras, si te rogavero, in sinistram partem rapies: facio enim, quod ii, qui amicitias ambiunt, facere solent, ut precibus verbisque obrundant, studiisque omnibus amorem eblandiantur.

Variatio 10. Non mediocrem animo voluptatem cepi, cum tuæ legi, tot amicitiae tuæ cumulatæ documentis. Quam his favoris tui tropæis triumpho? Rogarem

te denuo, ne hunc favorem nostri ulla obliterari oblivione finas, neque te aliorum insinuationes mihi auferant, si propensissimam voluntatem tuam ulla dissidentis specie tentare fas videretur. Scio, me memorem monere & currenti calcare addere; nam vel suspiciones meas tuis officiis vinces: oro tamen, ut amare nos pergas, potius ut officioso meo pudori consulam, quam ut fidem tuam ulla suspicione aspergam.

Exemplum VI. Variatio Formulæ per Figuras.

Formula Ciceronis hæc est ep. 8. lib. 1. ad Familiares: Tu velim tibi ita persuadeas, nullam rem esse vel minimam, quæ ad te pertineat, quæ mihi non charior sit, quam meæ res omnes.

1. *Est Cognitio.* Quod rerum tuarum major mihi cura sit, quam mearum, id tibi puto certis speciminibus esse cognitissimum. Dubitare certe te nunquam sinam.

2. *Ignoratio.* Quanti tibi mea fides sit, ignoro equidem. Eam mihi esse scias velim, ut vehementius de salute tua laborem, quam mea.

3. *Ostensio.* En dextram cum hoc calamo! en fidem cum hoc animo, qui non tam suus, quam tuus! & quem nullæ tangunt curæ, nisi tuæ.

4. *Narratio.* Quid alii de fide sua tibi narrent aut jactent, parum tu ad animum revoca. Id scio, surdis sæpe narrari fabulas, cum amicorum fidem imploramus. At hæc ego tibi narro, non fabulas, sed amici oracula: nihil mihi amicitia tua esse jucundius, qui fortunas tuas inter meas reputo: salute tua meam contineri existimo, cujus ego majorem, quam meæ ipsius, rationem sum habiturus.

5. *Didascalica.* Qui nihil nescis, id unum a me docebere, vel reclamantibus Philosophorum Scholis, ne numero quidem differre amicos, ac nos præcipue; cum te in mei velut possessionem dudum vocaverim. Quicquid tu volueris, id ita volo, ut nec mea voluisse cupidius; quicquid jusseris, ita exequar, ut nec mea exequi promptius possim.

6. *Affirmatio.* Crede mihi, nihil est, quod tua causa non velim. Vel me ipsum, si jusseris, odero, ut amem tua.

7. *Negatio.* Nunquam fiet, ut a meo animo tuus vel latum unguem dimoveatur. Pereant, qui inter nos divortium volunt. An unquam per me desertæ jacuerunt res tuæ? nunquam. Citius mihi oculos, os, manus negaverim, quam ut illos ad nutus tuos cæcutire, hoc ad jussa tua obmutescere, hæc tibi compressas atque desides esse patiar, qui tuo spiritu magis vivo, quam meo; tuis oculis magis mihi prospicio, quam meis; tuo ab ore pendeo; tuis manibus fulcior atque sustentor.

8. *Ironia.* Qui suis utilitatibus ducuntur, suis in rebus gerendis, opibus corradendis, centimanu Briarei in aliorum auxiliis vix Scaevolæ, eos amicos appelles, iis committas, si quid recte curatum velis. Sint procul a nobis istæ virtutum & amicitie pestes! me nihil eorum metues. Patet tibi cum animo fides, hominis magis tibi, quam sibi obnoxii; magis tuis rebus, quam suis rebus invigilantis.

9. *Reticentia.* De rebus tuis angeris? Me vide; in me recipio. Sipienti satis.

10. *Præteritio.* Non dicam jam, quanta in me tua semper fuerint merita: vivunt tamen illa, ob oculos versantur, manibus palpantur, aures vellicant, animo insident, ut mearum citius rerum, adeoque mei ipsius, quam tui tuarumque rerum, me capiat oblivio.

11. *Fusurandum.* Ne vivam, nisi vivo tuus. Hos ego oculos tango, quibus te fero. Hanc ego dextram testor, fidei meæ pignus, nihil me omisurum diligentia, in rebus, quæ ad te pertinent, vel cum dispendio mearum, recte curandis.

12. *Testatio.* Quid tui causa fecerim, tuæ magis deprædicant, quam testantur literæ. Quid porro facturum sim, faxo, ut re potius ipsa, quam meo tibi testimonio constet. Ubi enim in rem præsentem venero, ita ad ea, quæ sunt e re tua, animum advertam, ac si nullo in momento res meas sim positurus.

13. *Animadversio seu Epitasis.* Accedam ad res tuas curandas. Nam meæ sunt: meæ sunt, quia tuæ. Tu amicum me habeas, sed inertem, sed suarum rerum satagenrem, sed amici rebus securum? Adeone tua tibi vel diffidentia vel modestia imponit, ut fidei amici nihil committas, nullum humeris onus ejus imponas?

14. *Parentthesis.* Si me amas, (amas autem, quam qui maxime) non committes, ut ab alio (alii enim alia magis & sua, quam tua curabunt) res tuæ curentur; qui non ut alias (nihil enim inter amicos alienum est) sed ut meas, & plus quam meas, planeque ut tuas curabo.

15. *Correctio.* Tantum mihi non est a rebus meis otii, aliena ut curem; sed curo tamen tua. Imo hæc non sunt aliena, sed mea. Sed ego illa curo, plus quam mea, quò tu plus oculis istis ac me ipso mihi charior.

16. *Repetitio.* Quoties tuas mihi literas mittis, toties præconis cujusdam voces audire videor, qui mihi suum *hoc age*, inculcet. *Hoc scilicet age*, non quod tuum est, sed amici tui negotium. Quod ideo magis tuum est, quia non est tuum, sed amici negotium.

17. *Admiratio.* Papæ quam tu mirabilis homo! novum hoc mihi monstrum est; nova in amico, in familiari, verecundia, tam intempestiva modestia. Non audes in me rejicere tua negotia, cui nihil magis est in votis, quam tua ut impleat vota, & in tuis sua.

18. *Exclamatio.* O fortunatum illum felicemque diem, quo negotiorum tuorum me facis participem. Jam demum te vere amo, quia te me amare video, ut fidei meæ aliquod specimen requiras, quam ita tibi totam cum animo ipso addico, ut nec ipse in aliquam ejus partem admitti velim.

19. *Exaggeratio.* Quis credat, tanti tibi nomen meum esse, ut negotio tuo arduo conficiendo homuncionem hunc præficere non dedigneris. Ego vero tanti beneficii memor, omnem ei rei curam, operam, diligentiam, nervos, vires, vitam spiritumque ipsum impendam.

20. *Extenuatio.* Res tuas bene ut curem, rogas. Quam hoc rogare ridiculum est. Hominem tui amantissimum studiosissimumque, qui qua polles autoritate, imperare potes, quo flagras amore, debes. Jube, impera, tuus sum, mancuppium tibi jure acquisitus; quanquam & tuæ mihi preces, quemadmodum magnatum, sunt imperia. Nunc cum me rogas, currentem incitas; qui, tui ut maximam habeo reverentiam, ita majorem rerum tuarum curam gero, quam mearum.

21. *Memoratio.* Memorem moneas, amice. Et nunc hærent mihi in animo tua jussa, ac, dum ipse mei memor ero, hærebunt. Citius enim mei ipsius, quam tui tuarumve rerum, quas diligentissime curabo, mihi oblitio obrepet.

22. *Præfagatio.* Quæ mihi in mandatis dedisti, ea, qua debeo, fide exsequor: & jam nescio, quid mihi animus præfagit boni, ut quamprimum ad vota tua, imo supra illa, expediantur. In me, quod accedas mihi velim, mora non erit ulla: id enim prædico tibi, habiturum te quidem aliquos, qui res tuas ea, qua suas, diligentia, neminem, qui majori quam suis impendit, curaturus sit.

23. *Dubitatio.* Tene audiam potius, an me, dubito. Tu rebus tuis recte curandis me præficere vel non vis, vel non audes. Ego vero volo, & si me audis, tibi, ut mihi, quæ vis, imperes, impero. Res enim tuas diligentius, quam meas, curabo. Amici non sumus, si tu, an imperes ego, an faciam, dubitemus. Neque tu fidem meam in dubium, scio, vocabis, nec tuam ego fiduciam.

24. *Inquisitio.* Nunc ego quæro abs te, quare alii potius, quam mihi res tuas curandas commiseris: quando me vel infidum vel negligentem in rebus tuis inveneris, qui plerumque a meis, quam a tuis, sum omissior. Justas certe conquerendi adversus te causas habeo. Actio constituetur. Tu mihi & reus & judex eris, nisi te ipsum condemnaveris, cave ne te condemnem. Centum enim epistolarum numerum solves, antequam te absolvam.

25. *Interrogatio.* Ain vero? Non te mihi gravem fore tuis negotiis? An hæc amico, an te, an me dignæ voces sunt? qua tu mihi fronte id occinis? quo animo? an mea tibi fides suspecta? an tua ego unquam segnus curavi? an meæ sunt tot occupationes, ut tuis excludar? fuitne semper major apud me in tuis, quam in meis rebus, sollicitudo? quis obsequio, officii, industria promptior? responde, si vir es; defende te, si amicus.

26. *Responsio.* Visne ut in me negotii hujus moles recumbat? En Atlantem, qui ferat animo intrepido, nec latere infirmo. Vis hominem industrium, diligentem? En tibi, qui tua omnia ita geret, gubernabit, ut nihil a te ipso amplius expectes.

27. *Interpretatio.* Amicus tuus sum, id est, res tua. Utere illa, prout libet; verbo innue, occultos interpretabor sensus. Optimus amicus amici interpret est, i. e. omnia quæ vult, ille voler alter. Manus alter alteri commodabit; ora, animos, res amici curabit, plus quam suas.

28. *Occupatio.* Ergone nullum fuit e tot negotiis, quæ inter amicos quasi dividis, cui me admoveres. Jam scio, iterum veterem mihi cantilenam occines: Tor nego-

negotiis circumfideris, ac pene opprimeris, ac nova quæris. Nolo tua facilitate abuti, nolo publicis detrahi, quæ meis impendis, tempora. Tu vero aufer mihi istas excusatiunculas. Non ita aulæ fervio, ut inservire amicis vel nolim, vel non possim. Totas citius dies, omnes, quæ supersunt, horas, omnia momenta aulæ & mihi eripiam, ut tibi tuisque rebus impendam. Aulam denique res suas sibi habere malim, quam, ut a tuarum mihi rerum cura sit discedendum.

29. *Fictio.* Quod rerum tuarum curam mihi imponis, gaudeo: committe huic homini omnia. Finge ex tuo ingenio promptum, alacrem, officiosum. Argum me finge, qui centenis oculis invigilet. Briareum finge, qui centum manus ad opus tuum adferat: non fallam spes tuas & vota, mea etiam vota meumque genium fraudaturus, ut tua impleam desideria, tuæ me accommodem voluntati. Finge denique novam aliquam mei in Te *μεταμυθεωσιν*: sic idem tecum & plus, quam tu ipse, & cupiam & exequar.

30. *Imaginatio.* Jam videor mihi te videre morosum, meditabundum, circumspicientem omnes angulos, circumcurfantem omnes plateas, prestantem amicos, quos in negotio tuo expediendo consulas. Ad me non respicis. Quin dic, quid velis. Illud mihi Pythagoreum: *ἀντὸς ἐφα*, tibi erit *ἀντὸς ἐπιόνσε*. Ni enim ego, quicquid tu dixeris, ira effectum dederim, ut ipse non possis accuratius, omnem apud te fidem decoxero.

31. *Expressio.* Ego tuas res non curem? plus quam meas. Si Jovis quadrigas inscenderis; aut Diogenis accenderis lucernam, parem in alio fidem frustra quæras. Manibus pedibusque saxum hoc tuum volvo. Si mihi centum linguæ essent, centies hæc tibi inculcarem; nihil esse, quod non tui causa cupiam. Si centimanus essem Briareus, vel centies effecta darem, quæ semel tu facta cupis.

32. *Profopoeia.* Si charta hæc consiliorum meorum particeps loqui tecum posset, quæ vellem, candorem tibi nostrum vel ipso colore suo confessa desideria nostra panderet, quibus in obsequia tua rapimur. Si ipsa fides hæc scriberet, me, puto, rebus tuis unica commendaret.

33. *Apostrophe.* Agite ergo. Ite literæ nostræ ad virum nostri amantissimum. Ite atque hæc ei in aurem: heus tu, si quid curatum velis, huic homini curandum da.

34. *Ratiocinatio.* Nulla mei tibi cura est. Quid ita? rogas? quia nullam mihi vis esse tui tuarumque rerum curam. Ego vero rogo te non solum: sed & pro jure meo contendo, ut in earum partem me admitras. Debes enim, quia amicus: velle debes, quia fidei meæ certus. Ejus, puto, non pauca habes specimina. Quid enim? Annon semper ita curavi res tuas, ut nec tu ipse diligentius?

35. *Conclusio.* Amicus meus es. Ergo fac, ut te videam, non nomine, sed opere ipso talem. Feci, inquires, juvi, quibus potui, re, opera, consilio. Sed tuo bono, mutuus amicorum amor est. Ergo & reciproca sunt officia. Nisi enim respon-

spondere officiis me velis (cupio certè, quam qui maxime) cum omnia mei causa agis, nihil agis, ac ipso beneficio es ingratus.

36. *Epiphonema.* Cum in omnibus & consilia & operam tuam requiro, ita omnia agis mea, ut nec ipse diligentiam meam requiram. Ego vero cum tui causa omnia agere velim, ne minima quidem in re nostrum desideras officium. Ista quidem vis, aut, ut mollius dicam, fraus est. Heu quam est miserum, ita vivere, ut, si vel maxime nolis, vivas tamen ingratus! quam est hoc in amicitia ambrosiosum! addo, quam callidum! ut solus bene mereri videaris, amici excludere officia.

37. *Compendium.* Nihil est, quod tibi tuarumque rerum commodo impendere nolim: nihil adeo mihi dulce est & suave, quorum ego iacturam non facere malim, quam ut tuæ amicitia per negligentiam meam vim inferam. Plenum tibi in operas, res, consilia, fortunas, salutem, vitam denique meam, jus transcribo, atque ut paucis multa dicam, tibi toti me totum.

38. *Perplexitas.* Quid agam? hinc animum timor distrahie: hinc amor: illic mea etiam commoda. Hujus ego Jovis in me fulmina temere concitare nolim. Te ut iratum mihi habeam! sancta amicitia lex prohibet. Commoda mea ut negligam! amici, uxor, liberi intercedunt. Quid velim ego nolimve, nescio. At certe tui causa vel cum salutis meæ dispendio velle omnia debeo.

39. *Approbatio.* Hem istud est amicum esse! O factum bene! Beasti me tuis literis, quibus rerum tuarum curam mihi imponis. Jam re amicum esse sentio, tuque me eum esse, faxo sentias, cui statutum est omnia ferre atque pati, quam ut in te aut in fortunas tuas iniquius aliquid constitutur.

40. *Imperium.* Hoc tibi edico, severitate plus quam prætoria, ne cuiquam alii, quam mihi res tuas commendes. Eam tibi legem jus amicitia ponit, sanctum, inviolabile; ut parendi mihi necessitatem imposuit, plus in rebus tuis, meis laboraturo.

41. *Admonitio.* Quidvis impera. Dictum factum. Visne, curem res tuas? meæ erunt.

Unum illud repetens, iterumque iterumque monebo,
ne mihi magis, quam tibi ipsi diffidas.

42. *Obsequium.* Non ero, ut ille in fabula ad mandata claudus, cæcus, mutus, mancus, debilis. Quæ enim apud Maronem ventorum Deus, mihi tibi liceat, non fumos vel ventos vendenti.

*Tuus est, o Amice, quid optes,
Explorare labor, mihi jussa capessere fas est.*

43. *Blanditia.* Nunc amo te, anime mi, ocelle jucundissime, cum in negotiorum tuorum consortium me admittis, qui tuis immori malim; quam meis immorari.

44. *Salutatio.* Salvere mihi vel centies, quæ salvum mihi nunciastis amicum nostrique memorem: ut vos exosculor! ut lego lubens! nihil enim ista memoria

moria mihi accidit suavius: præsertim, cum ea obsequiis officiisque mutuis fovetur. Quæcunque etiam iussa feratis, ferre, mea semper reportaturæ obsequia.

45. *Apprecatio.* Dii te ament, amicorum optime, pro amore in me tuo. Jam enim (quod bonum faustumque tibi mihi que sit) totum expedivi negotium: tam bene processisse primum hujus amicitiaæ specimen, tui causâ gaudeo, mei causâ triumpho, qui omnia moliturus sum, ne pœnitere te amicitiaæ meæ possit.

46. *Veneratio.* Gravisimum est, quod fidei meæ commisisti, negotium, ac periculosa plenum opus aleæ: videbo tamen, ut illis difficultatibus te eripiam, nulla etiam supplicia formidaturus. Deum veneror, ne tam præclaram bene de te merendi occasionem mihi e manibus elabi sinam.

47. *Abominatio.* O factum male! Annon pluris tibi sum quam homo ille mercenarius, cujus tu fidei res tam arduas commisisti? Aufer lucellum illi, & abierit fides, quæ non excedit loculorum amplitudinem. Certiora a me, quam ab illo homine, rei tuæ præsidia expectare potuisses, debuisses. Ut tuas enim erigerem res, vel meas paterer desertas.

48. *Objurgatio.* Verberavi te hæctenus cogitationis tacito duntaxat convitio, nunc te palam objurgo, Euclionem temporum, prædonem literarium, helluonem librorum, amicitiaæ desertorem, causæ tuæ proditorem: qui in tam arduo tuo negotio non tantum tibi otii sumis, ut amico res tuas commendes, qui certe diligentius quam suas, aut tu ipse tuas, gesturus esset. Dicam ego hanc tuam vel socordiam, vel superbiam, vel astutiam? nam certe vel salutis tuæ curam abjecisti, vel me huic rei ineptrum existimas, vel denique hoc tam pertinaci silentio artes quasdam, quibus dissui amicitia solet, alere mihi videris. Vel mores tuos muta, vel amici nomen abjice.

49. *Irrisio.* Vis scire, quid agam? albis, quod ajunt, dentibus te rideo, qui dignum abstulisti diffidentiaæ tuæ præmium: cum amicum haberes, cui secure crederes omnia, quæsiivisti alios, quorum vel malitia, vel negligentia res in summum discrimen tuæ deductæ. Nunc, cum nemini obtrudi possunt, ad me itur.

Disce fidem nostram, monite, & non temere Amicos.

I nunc, & impone illis negotia, qui tam pulchre tibi imponunt.

50. *Execratio.* Male sit morbo illi, qui me hæctenus rebus & meis & tuis subtraxit. Nunc postquam ille a me recessit, ad me redeo, & ad te, & ad tua negotia, quantus sum, omni fide, officio, servitio, tuus.

51. *Optatio.* Ea erit unquam

Ille dies, mihi cum liceat tua noscere iussa!

Totos ego menses compressis manibus sedeo, totos ego annos expecto, nec quicquam in literis tuis comparer, in quo fidem periclitari velis, quam tibi propriam perpetuamque spondet amicus.

52. *Vocatio.* Ubi jam sunt illi Aræalogi, philosopha sua sententia, ignava opera? jam veniant, & viros se præsentent, verbis adeo splendidi. Nunc illi delirescunt,

scunt, nec quisquam eorum domi est. Tu, si sapias, veteribus amicis, quorum tibi spectata fides est, utere. Inter eos me habes semper tuum, & ὄργανον ἐμψυχον. In tua sum potestate, & quæ de tuis in mea esse vis, in tua esse non desinent.

53. *Votum.* Si quid habes, in quo amici fidem requiris; en! tuus sum; ad aram enim fidei me tibi nunc sisto. Tibi victimam me voveo: tibi me totum omniaque mea confecro.

54. *Obsecratio.* Non desinam te fatigare precibus, ut mea tandem utaris amicitia, nisi ipse habeas inutilem: qua ne me afficias injuria, tibi supplico. Quanquam vulgus, ut vetus habet verbum, amicitias utilitate probet; vinculo tamen aliquo amicitia illæ contineri debent, ne collabascant.

55. *Commendatio.* Qui multos commendare tibi soleo, nova apud te commendatione ipse egere mihi videor. Adeo enim oblitus mei es, ut operam nostram nulla in re desiderare videaris; cum nullis libentius quam tuis rebus curam intendam.

56. *Concessio.* Scribe modo: tuis ego desideriis subscribam. Nihil ita meæ potestatis erit, ut non ipse velim tuæ. Omnibus, quibus poterò, officiis tibi commodaturus.

57. *Gratiarum Actio.* Gratias tibi ago, quod magno me beaveris beneficio. Quod enim majus contingere amico beneficium possit, quam ad officia beneficiaque invitari? utinam eorum aliquam partem implere possim, quæ ad Te ornandum pertinent.

58. *Recusatio.* Odi aulicos illos verborum apparatus, quibus adversus amicum uteris. Annon nosti Græcum illud: ἀπλὸς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ. Nolo blanditias, iussa volo; quæ, quo severiora, eo mihi blandiora: quo tu me minus rogas, eo promptiora tibi mea erunt officia.

59. *Exultatio.* Cum mea diligentia effectum tibi viderem, quod tu efflagitabas cupidissime, exultare lætitia & triumphare gaudio cœpi. Et hunc ego a negotiis tuis fructum primus capio, primum hœc mihi quod sit gaudium, tuum vero secundum. Quam effectui meo prerogativam non invidabis, ut, qui studio ac efficiendi desiderio me ipsum & industriam præveni, tua quoque gaudia prævenirem.

60. *Factantia.* Nunc ego de rebus tuis bene à me gestis gaudeo: hanc enim mihi gloriolam in hoc amicitia certamine vindico; nulli fide, diligentia concessurus. Tu modo cave, ne tua vel dissidentia vel socordia gloriæ huic nostræ quicquam detrahat; quam ita custodire cupio, ut, si idem mecum velis, res tuæ jaceant nunquam.

61. *Gratulatio.* Jam licet acclamem tibi feliciter & mihi, de feliciter expedito negotio; nec potes tam tibi ipsi, aut alii tibi ita gratulari, ut ego mihi gratulor; atque in sinu de hac felicitate tua, quæ & mea est, gaudeo. Nihil enim mihi gratius unquam accidet, quam si per meam operam grati aliquid tibi accidere possit.

62. *Plausus.* Plaude, jam peracta tua est fabula. Ego Roscius in hac scena personam tuam perbelle tractavi. Successit e voto res. Quid vis amplius? tibi plaudo,
& mihi

& mihi plaudo

domi, simulac nimos contemplor in arca,

quos tibi industria mea extorsit. Plura tui causa, si velles, vellem.

63. *Igulatio.* Heu mihi! Adeone me a bona fortuna derelictum, ut tui causa efficere nihil valeam, qui velim omnia. Non equidem omnia possumus omnes, in aulis praefertim, in quibus ab unius Jovis nutu pendent omnia. Sed & hic interdum Semideis & Diis Tutelaribus & Saryris aliquid licet.

64. *Exprobratio.* Satisne tibi causae esse ingrato putas, quod omne inter nos amicitiae commercium sublatum velis. Nam certe amicitiam sustulisse mihi videris, qui fomenta ejus tollis, ac ista mutuum officiorum solatia. Quanam haec sarietas est? Quod fastidium te a nobis abalienavit? Omnes alii etiam, quos non satis nosti, a Te habent, quod agant; ego nihil, qui & animo tibi sum conjunctissimus, & rerum tuarum gerendarum cupidissimus.

65. *Penitentia.* Jam pene promissorum meorum me poenitet, cum tam segniter res tuae mihi procedant; non mea quidem, sed unius moratoris culpa. Haec mihi pene quotidiana sunt supplicia. Ipsa itaque necessitas mihi manum injecit. Ubi removero haec obstacula, ita res expeditas dabo, ut nec me poenitere laboris, & hujus ipsius tædii possit, nec te meae amicitiae.

66. *Spes.* Bene te sperare jubeo: in portu enim tua causa navigat, jamque ad optatum finem res omnes spectant. Jam gaudeo impletas Tibi esse a me spes tuas, quas de me conceperis. Atque ut ita semper speres, rogo. Ego illud operam dabo, ne spes tuas fides nostra destituat.

67. *Desperatio.* Quanta spe decidi; actum de amicitia nostra est! animam agit, nisi tu succurras. Ne quid enim dissimulem, non mediocriter animi angor, quod ab alio quam a me, cujus tamen fidei olim credebam omnia, negotia tua velis curari. Ego vero ad insaniam cupio. Tu vide, ne hoc mœrore & desiderio contabescam. Jam istae res meae mihi fordent, ipse mihi displiceo, cum displicere tibi studia mea video.

68. *Timor.* Metue, o bone, quem non metuis. Habemus interdum amicos, qui blandi sunt oris, amari vero pectoris. Ego profecto non parum tibi tuaeque causae metuo, qui parum adeo tibi ipsi metuis. Mira alacritate omnia observo, omnia etiam tuca timentis. Notae enim mihi sunt hominum insidiae. Atqui ita spero, lento & suspensio gradu ipsam causae arcem invadam.

69. *Verecundia.* Pudore confectus pene sum, cum a rerum tuarum cura exclusum me esse sentio, quem unum atque unicum amicum appellare toties consuevisti; qui tuis rebus eam, semper adhibuit diligentiam, quam non adhiberet vel suis vel aliorum negotiis. Nunc itaque verecundia deterritus, pluribus te verbis non rogabo, ut quicquam mihi oneris imponas: metuo enim, ne si repulsam feram, secundo pudori animus ipse succumbat.

70. *Audacia.* Magnum in me facinus tui causa suscepi: jacta jam est alea.

Atque utinam videre posses, quo vultu, qua confidentia, quibus cervicibus, quo spiritu, negotia tua subeam. Nulli cedere paratus, nec ipsos equuleos formidaturus, ut rem tuam tibi conficiam, quæ meis omnibus meaque salute mihi est charior.

71. *Impudentia.* Jam ergo os ferreum & perfrictam tibi frontem opponam, qui nullis moveri precibus potes. Ingeram me negotiis tuis vel te invito. Velis, nolis, morem te mihi gerere oportet, homini, qui eadem, qua hæc a te audacia petit, (animos enim addit amicitia) effecta daturus est. Si me importunius hæc flagitare miraberis, cogita non erubescere amici literas.

72. *Excandescencia.* Totus in fermento sum, neque cui succenseam scio. Non mihi: nihil enim eorum, quæ ad rerum tuarum curam spectant, e manibus dimitto. Indignor tamen, ac propemodum ringor, me nihil adeo promovere. An itaque cum fato meo exoptulem? Sed & hoc stultum est, & homine prudenti indignum tibi videbitur. Ego potius impatienti desiderio tempus illud, quo tua mihi votâ implere liceat, expectabo.

73. *Mina.* Quæ (malim!) ista cunctatio? Hæc tua mihi verba aures circumsonant: vae illi, qui has mihi moras nectit, & cujus ego culpa istam apud te suspicionem incurro: si non fecero ignavo huic homini mala aliquo pacto, me esse dico ignavissimum. Habebis etiam in me vel Fabium aliquem, qui cunctando etiam res tuas sit restitutus.

74. *Nemesis.* Non ergo impune tibi abiit ista nunc injuria. Jam par ego pari. Tu me a tuis exclusisti negotiis, ego te a meis. Jam disce imposterum, suo pretio amici aestimare fidem.

75. *Miseratio.* Miseret me tui, qui adeo cum difficultatibus rerum tuarum conflictaris, nec ex iis eluctari angustiis potes. Ergone amici tui ita tibi excidit memoria, ut in earum partem eum admittere nolis, qui ea fide tua curat, ut fidelius non possit sua?

76. *Confessio.* Nullæ mihi magis curæ, quam res tuæ, sunt. Ea enim me, fateor, ambitione teneri, ut inter amicos tuos, & qui plurimum tui causa cupiunt, principatum quandam affectem.

77. *Deprecatio.* Parce, precor, o Amice: satis pœnarum jam luimus. Citius enim aqua & igni mihi interdixeris, quam officiorum communioni, quæ ex amicitia oritur; sine qua vel ipsa mihi vita acerba est.

Certum est in sylvis inter spelæa ferarum

Malle pati,

quam iis carere utilitatibus, quas tua mihi parit amicitia, quæque in eo præcipue consistunt, si tibi ulla ratione utilis esse obsequio ac opera mea possim. Quam in re omnem pono diligentiam.

Deit occasio, qua dignam meritis tuis gratiam referrem, pudor me, neque, ut arbitror, reprehendendus, deterret, ne novis tibi molestisque literis aures obtundam.

2. *Quibus me beneficiis ornarit, quibus laudibus corroborarit Agapetus, tibi non est incognitum: omnes certe ut virum bonum integrumque mirabili benevolentia prosequuntur.*

3. *Hic vacuam Senatoriam dignitatem ambit; quo in proposito, si quis auram illi aliquam afflare poterit, id effecerit, ut in portu salus ejus navigatura sit; ipseque summum hoc beneficium interpretabitur.*

4. *Jam ante perpensum & exploratum habeo, neminem fore ex amplissimo vestro ordine, qui plus ad illam juvandum facultatis, ad ornandum auctoritatis, ad negotium consiciendum voluntatis, allaturus sit, quam Tu, qui in Senatu regnas, omniumque consiliorum princeps es & architectus; atque præterea hominem ita complecteris, ut vel sponte ceteris, qui valde petituriunt, prensatoribus anteponas.*

5. *Ideoque de manu, ut ajunt, in manum tibi trado hominem, rogoque, ut eum, quibus potes modis, ornas ac tuearis: qua ex re magnam perpetuamque voluptatem me capturum, jicias velim.*

6. *Præterea non mihi tantum id gratum, sed & Reip. rationibus accommodatum esse non ignoras, neque tibi quicquam majori fructui gloriæque esse poterit, quam, si de una, quæ ajunt, fidelia duos parietes dealbaveris: commodi publici servantissimus, & amicorum non incuriosus. Vale!*

Amplificatio prioris exempli.

Periodus I.

1. *Tantis ego a Te beneficiis ornatus auctusque sum, ut nulla mihi dies eorum memoriam extinguere possit, nullo quantocunque officio vel partem tuorum meritorum assequi me posse confidam.*

2. *Nam quanquam diu multumque in omnes occasiones intentus, omnibus votis quæsierim, qua in re parem, non dicam, gratiam tibi referrem, sed gratum saltem animum & beneficii memorem ostenderem; de spe tamen illa conatuque adhuc sum depulsus.*

3. *Itaque tot meritis tuis obrutus, tot nominibus tibi obstrictus, verecunde dubitanterque tibi scribo, cum grave sit viro prudenti, novum nomen facere, qui in veteri pene conturbet.*

4. *Perfricabo tamen frontem, neque nunc humanitate tua abuti grave mihi erit, postquam semel verecundiæ fines sum transgressus.*

II.

1. *Non, ut arbitror, animo tuo excidit, cui nihil mearum rerum ignotum est, & cujus in sinu omnia deponere consuevi: quibus me beneficiis ornarit Agapetus, quibus præfidiis, consiliis, opibus, cum fortunæ iniquitate colluctanti subvenerit, quam fidenti animo partes ille meas semper susceperit.*

2. Accedit commune omnium hominum suffragium, qui ut integritate spectatum, civilis officii non ignarum, notæque & expertæ fidei hominem, in cœlum laudibus extollunt, omnibusque in exemplum proponunt.

III.

1. Senatoris locum fato affinis tui non ita pridem vacuum cum multi affectent, nemo unquam; me quidem iudice, est præter Agapetum, qui in locum demortui surrogari mereatur.

2. In amplissimum hunc ordinem ut cooptetur ille, cupiditate ardet incredibili; etsi nihil ambitiosius more præfatorum facturus sit, qui satis in virtute sua præsidii ad Spartam illam ornandam se habere existimet; nisi forte futuri sint, qui modestiam ejus suam putarint occasionem.

3. Quare amicis illi opus est, qui dextram porrigant, qui suis nervis rem agant, suis consiliis viam muniant, ut totum ex sententia ejus negotium conficiatur.

4. Quod nisi fiat, ne ille cum omni solertia sua jaceat vereor, & nunc quidem illa sine exitu deliberatio futura sit.

5. Qua in re si juvare ipsum, ut sane potes, volueris, omni observantia, omnibusque officiis te prosequetur, & ut parem referre gratiam possit, omni conatu enitetur.

IV.

1. Nam si per ordinem vestrum oculos circumfero, singulorumque rationes, & consilia perpendo, Tu solus eris, qui & me & illius cogitationes officiis vicerit, atque adeo omne desiderium nostrum exhauferit.

2. Novi enim tuum ingenium, qui, quicquid facere statuisti, prolixè cumulateque facis, proque amicis omni contentione tibi dimicandum existimas.

3. Multum præterea in Senatu nomen tuum est, qui omnia prudentia tua gubernas & moderaris, ut gravius futurum sit verbum tuum ad illam rem unum, quam aliorum sexcenta;

4. Nec metus nobis ullus erit, ne æmulorum auferant consilia: amas enim hominem, atque ita amas, ut omnia, dummodo cupiditati illius satisfacias, sis postpositurus.

V.

1. Quare, etsi in hoc negotio apud Te, virum prudentissimum, proficere possumus suadendo, gratia tamen nunc conrendimus & rogando, ut Agapeti nostri causam omnem suscipias, & ad eam voluntatem, qua ipsi cupis, mea quoque commendatione tantus cumulus accedat, quantum me abs te amari mihi perspectum exploratumque est.

2. Sic enim tibi persuadeas velim, si ex nostra sententia rem confeceris, omnium tuorum officiorum, quæ & multa & magna sunt, unum hoc optimum maximumque me existimaturum.

VI.

VI.

1. Verum de me, et tibi videbitur; tacita enim hæc relinquam; tamen officium necessitudinis minime videtur repudiandum.

2. Neque enim in Reip. negotiis amicitiae jura vel plane abjicienda, vel dissimulanda sunt: neque omnino peccabimus, si utriusque rationes, cum a decore & honestate non discedunt, cum doli utilitatisque nostrae abest suspicio, conjunctas habeamus.

3. Magni vero hoc ad Remp. interest, si ad gravissima consilia hoc præcipue tempore accesserit, & amplissimo ordini adjungatur homo non opibus tantum & amicitiiis florens, sed peritia & usu rerum insigni ad omnia instructus, ut qui in quascunque partes versatus semper *τεργάγωγος* sibi que similis existat.

4. Non dissimulabo & illud, quam ob privatas rationes te in eo esse consilio expediat, qui publicam utilitatem, cum opportunissima se tibi jam occasio præbeat, in tuum commodum convertes.

5. Magnus quoque ad honorem gloriâque tuam cumulus accedet, quem omnes Republicæ bono invigilantem, de salute civium sollicitissimum, in oculis ferent, & in cælum laudibus extollent.

6. Quare e manibus tibi tam splendidam occasionem labi non patieris: in quamcunque enim partem agitaveris negotium, omnes viri, amici boni, addo & Senatoris números implebis. Senatus in te fidem & honestatem, Agapetus noster favorem, ego amorem, omnes in Te officium studiumque prædicabimus.

Exemplum VIII. ex epist. 3. lib. 10. ad Famil.

1. Et si rarus ad nos hospes venit Agapetus, ita tamen attemperare hodie venit, ut quasi Deus e machina advolasse videretur. Magnæ mihi voluptati fuit, variis de rebus miscuisse sermones, qui ne momentum quidem horæ perire mihi passus sum, quo non ab ore ejus pependerim. Erat enim vel eam ob causam jucundior hæc confabulatio; quod consilia, animum, mores atque adeo vultum mihi tuum in suavissimis sermonibus suis quodammodo repræsentaret: nam vel ex oculis ejus legere poteram, quæ literis committere non es ausus.

2. Mirifice ille mihi tuam in re bellica peritiam singularem prædicavit, quæ quotidie magis enitescit, & nunc majoribus quasi theatris proponitur. Nihil dicam de justitia tua, qua provinciam tuam gubernas, sagacissimus consiliorum omnium moderator, in qua ille efferenda copiosus & frequens fuit. In rebus vero gerendis neminem te consideriorem, & ad omnia momenta circumspectissimum, & præsentis animo esse affirmabat. Accedunt virtutibus tuis tam variis rot rerum experimentis spectatis mira consuetudinis suavitas, facillimi mores, aditus molles, minime triste ingenium, quo quasi coagulo & vinculo familiaritates contrahuntur & retinentur. Quæ ut ille in cælum extollebat laudibus, ita e conversatione frequenti mihi non ignota, adhæc commemorabat mihi inusitatam tuam liberalitatem, qui non, ut quidam solent, inanibus te promissis amicos tuos tractare sed re ipsa juvare dicebat, tum demum, ubi omne ad rem auxilium emortuum est, vel sola oratione beneficus. Li-

benter

benter amplector tales amicos, apud quos si nomen nostrum in gratia sit, in cœli mihi versari videor.

3. Quod vinculum, quæ res deest nostræ conjunctioni? nam a pueris & a majoribus verustus amor, consuetudo, studia paria, excreverunt, & quantum memoria præterita reperere possum, mutuis semper officiis parentes, filii, affines, cognati, certavimus. Te jam inde a puero delegi, quem amarem, quem in sinu foverem, omnibusque deliciis provocarem, & coaluit cum ipsis annis nostra familiaritas; ut ab ætate, ita a virtute quotidiana sumens incrementa, cum studio meo, tum iudicio tuo confirmata.

4. Hinc est, quod mirabiliter tibi favemus, te tua virtute frui cupimus, dignitatis tuæ amplificatores. Cujus eo majorem rationem habere debemus, quo arctior mei tuique honoris est conjunctio, ut de salute meâ sollicitus mihi esse videar, cum in tua laboro.

5. Vide vero, quantum tibi decoris, quantum dignitatis adjunxeris, qui summis ornatus honoribus in illud ascendisti fastigium, quo abjecti aliorum animi non pertingunt. Ipsa tibi virtus hanc gloriæ viam patefecit, illa facem prætulit, illa signum sustulit, illa solida honoribus tuis fundamenta subjecit. Comitata vero res tuas est inusitata quædam felicitas, & quædam commoditas, prosperitasque vitæ. Nam cum omnibus opibus circumflueres, facile molestias omnes avertisti, contentiones malevolorum superasti, ut nullæ jam amplius tempestates tibi sint metuendæ. Atque illa omnia consecutus primo ætatis tuæ gradu, eaque adolescens ornamenta habuisti, quæ viri demum magnis laboribus molitionibusque vel eblandiri solent, vel extorquere. Expugnasti æmulatorum machinationes, quas vel ingenii tui acie prævisas summovisti, vel animi tui constantia oppressisti.

6. Nihil equidem cognitione complecti possum, quod tuæ dignitati accedere possit, nisi unum illud, quo per omnium annalium memoriam triumphare poteris, ac immortalem tibi lauream suspendere. Vides misera hæc & calamitosa Reip. tempora, quibus jam aliquot procellis submersa pene fuit. Illi te totum impende, ruituram & propemodum jacentem erige, libertatem extinctam in vitam revoca, cives sibi ipsis redde, consiliis, ope, omnibus illis præfidiis, quæ vel prudentia tibi suggestit, vel fortuna commodavit. Nam si quis mihi rerum illarum sensus est, hanc ego palæstram nulli, nisi tibi, designare possum, in qua ingenii robor exerceas. Hanc viam ut infeas, ipsa te Reip. luctuosa facies invitare videtur: ipse suadeo, horror, impello, vel socius, vel minister consiliorum tuorum futurus; ne sit, quo mihi diffidas. Cujus tantum abest ut causam vel suspicionem habeas, ut de nullius hominis amore certior esse possis: qui, ut tua causa omnia cupio & volo, ita Reip. causa, cum in tuam incidit, cupere & velle debeo: ut itaque causam communem habere videamur.

7. Solet tibi etiamnum, ut puto, in mentem venire illius temporis (neque enim ulla te præteritarum rerum cepit oblivio) cum occultæ quædam de te jactarentur voculæ, ad temporum genium & indolem composuisse te mores animique sententiam,

faciam, & timidiorem in nutibus aliorum observandis fuisse: ac pene mihi persuasum fuisset, quod populi rumore spargebatur, nisi Te animumque tuum & mores rectius novissem, ut rumorem hunc, qui jam per se raucus factus est, contempnendum arbitrer. Multa sæpe silentio transmittimus & dissimulamus, autoritate & potentia æmuloꝝum territi ac suppressi, cum alia omnia intus sentiamus, neque in publicum consilia nostra proferamus, ne quid dissensione nostra & immaturo conatu turbetur, quod idoneo tempore prolatum rem feliciter ad exitum perducet. Idem te fecisse nulla dubitandi causa est, præsertim cum posteriorum temporum eventis mihi constet, non fuisse illum animi tui sensum, quem frons, vultus, verba atque externa illa species tua, præ se ferebat.

8. Quandoquidem vero facta nunc est aliqua rerum commutatio, nihilque jam obstat, quo minus publicæ tuæ voces audiantur, illaque in luce omnium proponantur, quæ missitanda tibi antea fuerunt, nunc, vel me non monente, quæ tua prudentia est, intelligis, quid tuorum sit nervorum, quidve tua autoritate accedere rebus nostris momenti possit. Qui aliorum vereri iudicia antea debebas, & timidiuscule in nonnullorum voluntatibus hærebas, nunc non singula digitis dimetiri opus habes, cum tuum ad arbitrium ceteri libentissime omnia conferant, dissensionesque malevolorum obmutescant. Expectat te celsissima dignitatis sedes, qui ad consulatum propediem vocaberis. Vivis in illa ætate, quæ vires, nervos, efficacitatem, animum vigilem & ad omnia momenta circumspicere commodare rebus gerendis potest. Tanta præterea sunt in te naturæ & doctrinæ præsidia, tanta virtutis ornamenta, ut nemo lingua, nemo manu pronatior in senatu habeatur, & ad eloquentiam tuam Respublica tota quasi attonita videatur. Circumspice Senatam omnem, & quam habemus Reipublicæ speciem, animis oculisque versa, nemo est, qui ruenti libertati lacertos lateraque supponat: unus solus inventus es, in cuius prudentia positas omnes nostras spes habemus.

9. Quare nisi in te ipsum velis esse injurius, tuamque dignitatem vilipendere, quæ ut recte factorum comes a viris bonis repudianda non est, & cuius amor honestis ingenitis animis esse solet: illa tibi cura nunc unice suscipienda est, ut gloria tibi cumulatione veniat, omniumque annalium memoria celebretur.

10. Ac sane, si quid ego recte iudico, nulla tibi firmiora esse possunt ad famam parandam subsidia, hoc tempore, quo Resp. undique tempestatibus obsessa præsens expectat naufragium, quam si tu peritus gubernator a scopulis, syrtibus in quietum libertatis portum deduxeris.

11. Scribo hæc ad Te, sed verecunde & dubitanter: vehementer enim animi pendebam, utrum has ad te literas darem, an has cogitationes meas in obscuritate & silentio reponerem. Sed vicit tandem atque expugnavit titubantem animum amor, quem Reip. quem tibi ipsi debeo: cuius geminis incitatus stimulis, nihil habeo, quod excusem. Neque enim, qua es humanitate, in sinistram partem intertraheris, quæ bono a me animo scripta vel res ipsa testari potest. Tantum autem abest, ut pædagogiam in te exercere animum induxerim, quasi meo tibi consilio demum discendum, quid ex re tua sit, ut a te sapientiæ prudentiæque moni-

ra ipse expectem, tuæque sententiæ (neque enim diversa a me sentire potes) subscribam.

12. In eodem prudentiæ civilis ludo instituti sumus, atque eo uterque consilia nostra dirigimus, ut salus populi suprema Reip. lex, ejusque gloria & libertas integra sit & illibata. Finem itaque scribendi faciam, ne, quæ epistola mihi scribi cepta est, in librum exire videatur.

13. Tu vero ita existimes velim, solo amore, non inani aliqua in rebus civilibus ~~composita~~ me inductum hæc scribere. Interea persuasissimum habe, nullam in animum altius curam descensuram, quam quæ in salutem dignitatemque tuam impenditur. Quantum enim me ipsam diligo, tantum in te adhibeo diligentiae, qui pro amici rebus tanquam meis, omni, non modo contentione, sed & dimicatione, elaborabo.

21

Exemplum IX. ex Epistola 74. lib. 13. Cic. ad Fam.

Non puto te fugere, quæ & præsens tecum egerim, & per literas de Lucii Oppii familiaris mei & L. Egnatii negotiis. Et novi sane tuum in me amorem & observantiam, ut non facile crediderim, te rerum mearum & amicorum oblivisci velle, nisi & mei ipsius obliviscaris. Ne vero ipse & literis in te parcior, & in causis amicorum segnior videri possim, iterum de amicorum salute ago per literas; quorum tu causam agas, etiam atque etiam rogo; cavebisque, quantum in te erit, ne mihi iterata hac commendatione acta sint agenda. De L. Egnatii negotiis imprimis velim cogites: nosti enim, quanti hominem amem, quanta sit nostra familiaritas; ut vel eo solo, si me ames, ad desideria mea implenda potius debeasque permoveri. Puta, eundem esse eum, qui petit, & eum, pro quo petit: nec tam illi tu hoc officium crede, quam mihi, exhibiturum; qui in re mea non magis laborarem, dum laboro in re amici, quæ etiam est e re mea. Fac ergo, ne inter solos nos dispareat amor noster & illaudato perimatur silentio, quod profecto fiet, nisi etiam aliis amoris nostri constantia summusque animorum consensus innotescat. Sic ergo L. Egnatius quoque inter illos, qui e facili tuo assensu cognoscat, quanti tu me aestimes: ne ille dubitet, se à me aestimari. Triplicem itaque amicitiam uno quasi solidabis & conservabis officio, tuam erga me, meam erga te, tuam atque meam erga L. Egnatium. Vide, ne tam splendidam bene merendi occasionem præmittas; quod te vehementer rogo.

22

Exemplum X. ex epist. 75. lib. ejusdem.

Perscripsi ante hos octo dies ad te de negotio amici, quod multis tibi nominibus tibi commendatum: quamvis propter silentium hætenus tuum vix, quid sperare habeam, constet. Peccare in amicitiam nostram quodammodo viderer, si bis perirem a te, qui vel ad nutum solebas esse promptus. Cum vero sciam, tantis te digni fieri implicarique negotiis, ut facile non quidem amicitiae officia, sed illorum maturatio-

occasionem, memoriae possint subripere, iterum mitto has meas, quae aurem tibi vellicent; praesertim cum C. Aviani Flacci amor me ad scribendum adegerit, cujus causa nihil non tentaverim, & mehercule debeo. Quod si in memoriam haec tibi revocare attinet, quae nescire te recens tempus non finit, nosti quid praesens ego non solum tecum egerim, sed & quam tu mihi humanissime responderis. Nec poteram facile credere, abiisse tibi ex animo argumentum Epistolae, quam de eo accurate scripseram. Sed putavi tamen, me ejus commodis non vigilaturum, si aliquam scribendi occasionem praemitterem; frequentiam literarum vocans in subsidium commendationis. Non poteram deesse amico, cujus preces mihi sunt imperia: quamvis in suspicionem me a te adduci posse videar, quasi in dubium vocem eam, quam semper haecenus tam erga me, quam erga alios, exhibuisti, constantiam. Ignoscat tamen, si desideris amici occupatus, vehementius flagirem: quae & semper aequissima esse credidi, & tibi non ingrara.

Exemplum XI. Dilatationis enthymematicae ex Ep. 3.

23

lib. 13. ad Fam.

In hac multa enthymemata & argumenta coarctantur, ob quae commendari debeat Fufius Memmio. Epistola ita habet: *A. Fufium, unum ex meis intimis, observantissimum studiosissimumque nostri, eruditum hominem & summa humanitate tuaque amicitia dignissimum, velim ita tractes, ut mihi coram recepisti. Tam mihi gratum id erit, quam quod gratissimum. Ipsum praeterea summo officio & summa observantia tibi in perpetuum devinxeris.*

Habet illa Epistola octo argumenta, duo a persona Ciceronis, duo a persona 24 Fufii, quatuor a persona Memmii desumpta. Illa si singula Syllogistica forma proponantur, magnus apparatus argumentorum nascetur: si per suas partes, quas Rhetores tradunt, dilaterur, longe major apparatus erit. Primum argumentum est, quod sit unus ex intimis Ciceronis. Hinc talis Syllogismus: quicumque ex intimis meis est, illum praeter ceteris debeo commendare. Atqui Fufius &c. E. Majori propositioni potest addi alia ratio; nam amicorum commoda sunt mutua. Minori addatur ratio per comparationem: nemo est inter amicos meos, cui plus fidam. Illustratur alia similitudine vel proverbio. Conclusio hic omitti potest, & ceteris omnibus argumentis subjici. Alterum argumentum est: qui studiosissimus nostri est, debet commendari, &c. Majoris ratio est: amor enim amorem provocat. Minoris: nullum officium, quod amicus amico praestare potuit, praetermisit. Addi potest illustrationis loco enumeratio. Tertium a persona Fufii; qui eruditus est, debet commendari. Majoris ratio est: eruditio enim omnium bonorum complexum habet, & per se jucunda est & honor illi deberur. Minoris ratio addi potest, quia omnibus eruditus se talem probavit. Quartum est: qui summe humanus est, commendari meretur: Majoris ratio haec: humanitas enim vinculum est, quo homines inter se colligantur. Minoris: quod plurimos viros insignes sibi hac ratione devinxerit. Sequuntur argumenta a persona Memmii. Quintum est: qui amicitia tua dignus est, ille debet tibi commendari. Ratio Maj. defectum enim inter amicos habes. Min.

Virtutes enim in illo sunt, quæ tibi in pretio, honestas & fides. Sextum est: qui promissit, se amicum suscepturum, ille servare debet. Majoris ratio; nam in eo versatur boni viri & amici fides. Minor: nosti, quid nuper inter nos de illo actum fuerit. Septimum argumentum: quodcumque gratum amico amicus esse novit, præstare debet. Atqui Memmiam sibi Fufium habere commendatum, gratum est Ciceroni amico, E. Majoris ratio hæc est a contrario: Si ignotos nobis conciliamus quacumque re, multo magis amicorum benevolentia conservanda est. Minoris ratio: nisi id gratum esset, non tam operose tantoque studio id a te contenderem. Octavum argumentum: qui novum amicum sibi parare potest, occasionem non debet præmittere. Majoris ratio: aucto amicorum numero, fortunam nostram augemus; nihil est ad vitam suaviter ducendam commodius: oblata occasio arripienda est. Illustrerur simili: nemo thesaurum sibi sponte oblaturum respuit. Minoris ratio: ipse ambit; ego illi me proxenitam fore pollicitus sui. Nos exemplum dilatacionis ex hac epistola proponemus.

Esti non temere amicorum negotia turbare soleo, nunc tamen hanc mihi epistolam imperavit amor, quem virorum optimo, uni ex meis intimis, debeo, qui me parario tuam se exorare posse amicitiam sperat. Et sunt sane multa, quæ me inducunt, ut hoc ipsi officium denegandum non esse existimem. Nam cum mea causa ipsi cupio, tum tua; neque ipsius virtutis contemptum habenda est, quæ vel majoribus theatris proponenda videbatur. Ac primo quidem ipso intimo amico fruor, quales tenerime amare solemus, inter quos præ ceteris mutua illa florere debent officia. Unus inter omnes amicos meos est, quem consiliorum socium omnique cogitatione conjunctum habeo. Ac nosti, etiam inter anteos valere, quod vulgato verbo dicitur: multos esse laurigeros, paucos Phæbos: multos thyrsegeros, paucos Bacchantes. Multos quidem habui & nunc habeo, qui mecum loquuntur suavissime, quotidianè a me salutem deponunt, verbis magnifici, lingua factiosi, inertes opera: neminem unquam, qui majori me observatione coluit, plusque beneficiorum in me cumulavit. Cui sane nisi memorem animum præstitero (provocat enim amorem amor, & trahuntur beneficia beneficiis) ingrati me hominum ac inofficiosum omnes, tuque ipse, cum tibi illa non sint incognita, dixeris. Eorum non meo solum nomine ejusque in me meritis vestram mereri amicitiam volo. Satis in ipso virtutum est, quibus omnium hominum sibi favorem facile attraxerit. Nihil ipso fieri potest eruditius. Literis omnibus artibusque est instructus, quibus & per se honos debetur, & omnium honorum complexus ac consociatio continetur. Omnibus sane viris doctis dudum se talem probavit, qualem mea tibi commendatione ornatam propono. Si suavitatem nosset hominis summamque humanitatem (quo nullum efficacius in hominum conciliatione vinculum est) nullam ad custodienda vitæ civilis munia præsidium paratius, rueres in amplexus hominis, qui omnes sibi cives officii, obsequii, studii mirifice devinxit. Amabis itaque hunc hominem, quem amare dignum sue virtutes declarant, quem tuæ sibi conciliare laborent. Si enim consilia tua sequi vis in delectu, quem inter amicos constituere soles, nemo erit tuis moribus accommodatior, & te ipsum tuasque virtutes, & quicquid tibi charum amplumque est, summam denique honestatem & fidem, qua nihil acceptius in amicitia est, in ipso deprehendes. Meministi ipse, quas inter nos sermones de illo miscuorimus; quæ tu ipse r.

Sollicitus fueris. Nihil vero tu etiam primoribus labris polliceri soles, quin promisso fidem subdas. Neque inter illos es, qui amicorum de amicis spernere judicia solent: tuorum etiam voluntati obsequi honestas interdum jubet, si illi non honesta tantum, sed & utilia suaserint. Non ignoras, quam in prensandis ignotorum hominum amicitiiis seduli esse aliqui soleant & ambitiosi. Quo minus dubito, aequè te sollicitum fore, cum in mea conservanda, tum in illius, qui favorem tuum ambit, benevolentia arripienda, ut ille in tua sibi gratia paranda summo-pere laborat. Nisi enim hoc mihi gratum esset, nisi ille tanto amicitia tuae desiderio flagra-ret; non ego tam operose id a te contenderem, nec ille tam sollicitè & quasi cum convicio commendationem sui flagitaret. Denique si nihil te movet, illud moveat, quod amicum tibi novum paras, etiam antiquis illis antiquiorem tibi futurum. Nos vero, quam amicorum accessionibus fortunas etiam nostras augere soleamus, quam nihil sit ad vitam suaviter ducen-dam commodius, si amicis, quasi fulcris quibusdam & praesidiis, res nostras muniamus. Quo te beatum fore minime dubito, si occasionem, quae tibi me paratio offertur, ut thesaurum, divina virgula oblatum, accipere non detrectaveris.

Exemplum XII. quo e ligato in sermonem solutum convertitur
Epistola.

26

Est & hoc dignum tirone exercitium, ut poëticam orationem vinculis solvat, & ad orationis liberæ habitum efformet. Facillime hoc fit in Epistolis Horatianis, quæ versu quidem scriptæ, ita tamen, ut sermonibus videantur propiores. Si enim periodos aliter formes, atque illa immutes, quæ quodammodo numerum & dictionem poëticam sapiunt, nullo negotio elegantem Epistolam in soluta lingua conficies: cui usui accommodatius erit, si aliquando formulas ex Cicerone parallelas congeras, quibus sensum eorum, quæ in Ciceronis Epistolis occurrunt, eleganter varies. Idem quoque tentare poteris in Ovidianis Epistolis, quæ plus habent poëtica, formularum tamen elegantia etiam cum Cicerone certant: quem parallelismum notavit *Henricus Stephani in Dissert. de Vario Epistolarum genere.* Ac possunt tales formulæ ex Epistolis poëticis inter reliqua etiam colligi, usui futuræ illi, qui cum iudicio & delectu illis utetur. In Horatianis Epistolis præire nobis potest Lubinus, qui perpetuam paraphrasin in Horatii Poëmata edidit. Sed is, quia sensus verborum investigat, multa que circumscribere opus habet, quoniam paraphrasin est, & commentarii vice fungitur, non eam habet sermonis compositionem, quæ convenit Epistolæ. * Nos exemplum proponemus ex *Epist. 9. lib. 1.* quæ est commendatoria, sed quæ mira brevitate omnia ista comprehendit enthymemata, quæ poterant afferri ad aliquem commendandum, quem potius coacti, quam sponte, commendamus.

27

Quanti tu me facias, Claudi Nero, Septimius unus intelligit. Vehementer enim rogavit, precibusque suis quasi coëgit, ut commendare se tibi ac tradere vellem, hominem nec ingenio tuo, nec domo tua, qui optimos eligere soles, indignum. Nam quoniam me propiori tibi junctum amicitia senset, facile quid apud te efficere valeam, ac me ipso qui-

dem novit accuratius. Multa quidem causabar; sed cum verendum mihi esset, ne data mihi opera extenuare amicitiam nostram putaret, tui favoris meaque potentiae dissimulatorem, aut utilitatum amici incuriosum, ut sequi meas rectius possem, atque ita apud amicum in culpam incurrerem; perfricare frontem apud te malui, urbanorum more hominum, per impudentiam extorquens a te, quod modestia vel non poteram, vel non audebam. Quod si apud te violatae modestiae, amici causa, reus non tamen vituperor, rogatum te peramanter velim, ut in domesticorum tuorum numerum hominem bonum tibi que, ut spero, ad omnia obsequia promptissimum recipere ne dedigneris.

CAP. XV.

SYLLOGE EXEMPLORVM,

Strictiore imitatione ex Epistolis Ciceronis, quas Melchior Junius secundum omnia genera collegit, expressorum.

- §. I. *Exempla imitationis strictioris ex Epistolis Ciceronianis, & quidem commendatoria.*
 2. cum alia ejus argumenti. 3. eadem variata. 4. 5. duae aliae ejus argumenti.
 6. 7. cum responsorius. 8. 9. petitoria. 10. eadem variata.
 11. cum responsoria. 12. adhortatoria. 13. & responsoria. 14. 15. suatoria cum responsione.
 16. 17. consultatoria cum respons. 18. 19. officiosa cum respons.
 20. 21. conciliatoria cum respons. 22. consolatoria. 23. eadem amplius deducta.
 24. 25. alia cum responsione. 26. gratulatoria.
 27. 28. 29. eadem variata cum respons. 30. 31. eucharistica cum respons.
 32. laudatoria. 33. reprehensoria. 34. 35. exposulatoria cum respons.
 36. 37. querula cum respons. 38. 39. nunciatoria cum respons. 40. imitatio quomodo instituenda.
 41. est triplex. 42. puerilis imitationis ratio.
 43. phrasium collectio. 44. earumque connexio juncto exemplo.

Epistola Commendatoria ex Epist. 9. lib. 6.

Nihil potest Agapeto nostro fieri jucundius, nihil nostri amantius. Quare ab ineunte aetate illum omnibus horis in oculis fero, complexu teneo, non ipsius tantum, sed & patris favore officisque ad hominem illum arctius mihi jungendum incitatus. Mira in illo est eloquentiae vis; abundat praeterea doctrinae incredibili varietate & copia; ut non tam mea commendatione, quam suis niti virtutibus possis, ac animis non irrepere tantum, sed & blanditiis studiisque suis rapere posse videatur. Nihil ergo attinet, argumenta circumspicere

Vere sollicitus, quibus favore tuo dignum esse ostendam. Plenam, ut puto, apud te merebitur fides nostra de illo homine, non opinio, sed existimatio: cui accedit imposita mihi quædam necessitas, ut ipsi bene cupere debeam, & res ejus, quoad fieri potest, ornare, ac salutem ejus tueri. Idem tibi apud omnes animus & eadem voluntas, qui amore tuo semper complecti soles notæ & expertæ fidei homines, artibus variis instructos, & ad Reip: munia tractanda adhibere. Quo magis etiam hunc Agapetum nostrum inter clientes tuos numerabis, qui non suis solum moribus suisque virtutibus commendatur, sed nostro præterea suffragio adjutus, apud te aliquo numero & loco haberi meretur. Curabis igitur hoc negotium, non ut alienum, sed ut meum, itaque tuum, quoniam ut mihi te cupere non ignoro, ita ejus hominis causa omnia, quæ potes, (potes autem omnia) te velle confido. De tuis omnibus officiis id mihi gratissimum fore credas velim, cui officia mea studiaque ad omnes bene merendi occasiones intenta, ipseque me, quantus quantus sum, & omnia mea obsequia commendo. Vale.

Alia commendatoria ex Epistola 16. lib. II Cic. ad Famil.

Adco te quidem impeditum tenent civilia officia, perpetuisque clientum incurvationibus, studiis, sermonibusque obsideris, ut non nisi per cuniculos obrepere tibi audeat hæc Epistola. Quare negotium hoc dedi fratri meo, ut molles aditus & mollia sancti tempora observans, attemperate tibi traderet has literas. Quemadmodum enim salutatores crebri & importuni obrubare solent; ira Epistolæ, non loco redditæ, vires, oculos, voluntatemque hominum occupatorum violant. Si vero ab rebus tuis gravissimis tantum est otii tibi, ut Epistolam hanc legere non dedigneris, si frater meus te nunc inficientem & vacuum deprehendit, facile me animum tuum expugnaturum confido. Agapetus noster sacro ordini initiari cupit, & Spartam Sacerdotis ambit; in ejus consuetudinem me penitus immerfi, non blanditiis assentationibusque illectus, sed virtute, doctrina, optimisque moribus. Quare illum in familiarissimis meis esse volui, ac multos jam eorum annos. Nihil ergo mirum, si ejus causa & cupio & volo, quem existimationis meæ studiosissimum cupidissimumque esse scio. Illud etiam me non parum commovet, quod homo ad omnia officia factus, difficillimo plane rerum nostrarum statu, eis sibi me beneficiis obstrinxit, ut, nisi apud me, grati animi & fidelis memoria superesset, *ἀρχαίσις* mihi crimen subeundum sit, quod ego toto animo detestor & abhorreo. Quæ, cum in civium nostrorum sermonibus ac mentibus hæreant, an unquam ex animo meo discedat illorum memoria? ita ergo existimes velim, me perere munus sacrum. Quanquam enim Agapetum nostrum virtus sua commendat, & divinæ humanæque scientiæ cognitio profundior, tamen, quasi hæc non ita essent, meo potissimum impulsu, hoc negotium gerendum suscepi; ut si forsasse ipsi non est, a mea procuratione aliquod causæ æquissimæ accedat momentum. Firmiter enim mihi persuadeo, habituras apud te aliquid ponderis preces meas: quanquam ratum pensumque nihil habes, nisi quod justum

justum sanctumque est. Id tamen magis nunc curabis, cum a me tibi commenda-
ri videas: quem ut inter amicos tuos repones, ita desideria explere, quoad pote-
ris, non gravaberis. Quoniam ergo in senatu & populo regnas, operam dabis, ut
illorum plurimos Agapeto nostro conficias. Loquaciores, quam velim, sunt literæ
meæ; ut solent esse, quæ in desideria & affectus se diffundunt. Finem igitur scri-
bendi faciam, ubi hoc unum tibi ingessero, de innumerabilibus tuis in me officiis
nullum mihi unquam fore gratius. Vale.

Eadem variata.

3 Cum tu semper sis occupatissimus, diesque omnes & horas in Reip. negotia
impendas, in Reipublicæ commoda peccare videbor, si te gravioribus intentum re-
bus literis meis avocare ausus fuerim. Ideo in mandatis illi dedi, qui has tibi tradi-
turus est literas, ne te ex improvise aggrediatur, sed mollia fandi tempora dispiciat,
quibus te & alloquatur, & literas legendas exhibeat. Si enim recte te novi, non
committes, ut conqueri de studiis officiisque tuis amici possint, qui totus ad officia
factus, nulla in re illorum desiderii deesse soles. Non fallar ergo spe & opinione
mea, si literas meas attente perlegeris, atque omnia illa, quæ a te peto, facillime im-
petraturum me confido. Spartam Sacerdotis ambit atque petit noster. Habes
rem totam, quæ me ad scribendum impulit, cujus mihi causæ nec levæ, nec pauca
sunt. Non ignoras ipse, quam sanctum amici nomen sit, cujus causâ cupere ves-
leque omnia debemus, quæ quidem nostræ facultatis sunt. Fuit mihi vero cum
hoc homine atque per longum usum quasi inveterata amicitia atque familiaritas, in
injuriam ille gravem interpretari possit, si in re, quæ maxime ad illum pertinet,
destituerem. Conversatio mihi cum illo pene quotidiana est, qua ita oblector,
ut omne mihi tempus acerbum existinem, quod sine illo transigendum est. Non
artinet nunc memorare, quam ille in rebus meis curandis, ornandis ac juvandis,
fuerit sollicitus, ut beneficiis ejus obstrictus, atque illi propemodum obnoxius
vivam. Quæ me causâ præ ceteris omnibus impellit, ut, quibus possum officiis,
ipsi voluntatem meam declarem, ne tantorum beneficiorum memoriam plane exuif-
se videar, ac ingratorum hominum numero, qui recte de rebus judicant, me ad-
scribant. Tu ergo Tibi non rem ipsam tantum, non Agapetum nostrum, sed &
me ipsum Tibi propone, quasi ipse Spartam illam ambirem, reque ut mei causâ sol-
licitus sis, rogarem. Nam, quanquam Agapetus noster aliena commendatione
non indiget, is ornatus virtutibus, quæ omnium facile ferire oculos possunt, quæ-
que a nemine ignorantur; tamen, ut nunc sunt tempora, quibus ipsa quoque
probitas Patrono indiget, ego omnem rem auspiciis meis agendam esse decrevi.
Quod si ergo meus Tibi amor cordi est, de quo ego quoque minime dubitandum
esse existimo, illum nunc erga me affectum ostende, ut desiderio Agapeti per tuum
& auxilium & consilium satisfiat. Quod si te ea in re difficilem non præbueris,
omnemque tuam industriam, fidem, curam in hoc negotio recte curando impen-
deris,

desis non Agapetum tantum æternum tibi devincies; sed & illam, quæ inter nos est, amicitiam novo quasi fulcimento firmabis.

Alia commendatoria, ex Epist. 17. lib. 13. qua Principi erudito
4
Studiofus ad munus Scholasticum ab Academia
commendatur.

Philomusum optimæ indolis, præclaræ spei, singularis industriæ juvenem, sinu nostro fovimus, atque omni opera nostra, monitis, consiliis, præceptis ita percoluimus & expolivimus, ut neque nos laboris nostri, neque illum pœnitere fructuum possit, quos ex conversatione ac familiaritate nostra percepit. Quare multis, quos Academia hæc alit, civibus unum hunc designavimus, quem amore nostro complecteremur, & consiliis commendationeque nostra ornaremus. Itaque cum spes illum teneret, fore, ut & apud Te, Princeps Serenissime, aliquo numero esset, si nobis in pretio fuisse intelligeres, sinceris virtutum in officina nostra educatarum testibus, ad Te viam affectavit, & Tua motus clementia & suo ductus consilio, quod ipsi probatur maxime; cum nobis non displicere intelligeret; qui ita ipsi cupimus, ut rem literariam in patria ab ipsius eruditione ornari magis cupiamus. Non ergo sollicitius argumenta circumspiciamus, quæ apud Te in gratiam illum ponant, cum ipsum per tot annos spectata probitas & eruditio ostendat omnibus, neque Virtus ejus tam sit obscura, ut nostra illa declaratione demum illucescat. Non ipsi hederam suspendimus, non laudibus illum cumulamus, quod assentatorum est, aut qui gratiam aliquam blanditiis suis aucupari volunt: sed, quod virorum bonorum est, & a nobis requiri poterat, vitæ eruditionisque luculentissimum ipsi testimonium perhibemus: quo plus apud Te, prudentissimum rerum æstimatorem, perficiet, quam elogiorum emendicatis lenociniis. Cupit ille palæstræ Scholasticæ admoveri, non impar huic congressui Achilles: imo si rem recte putare velimus, πολλῶν ἀντιζήσιος ἄλλων suam ipse causam aget suis virtutibus. Quam nos de eo opinionem habemus, quod judicium, his literis testamur. Non ille majora viribus affectat, magna in illo ingenii vis, lacertos affert & latera, jam pridem ad hoc studiorum genus præparata. Tu vero, Princeps maxime, pro ingenii tui perspicacitate summa ita hæc definies, ut non tam nostro, quam tuo steteris judicio videaris: qui, quod in Principe rarum est, penetrare ista animi tui solertia potes. Cui si ille causam suam probaverit (probaturum autem auguramur) nullam ille vel rigidissimi censoris de se sententiam subterfugiet.

Alia commendatoria ex lib. 2. Epistola 6. 5

• Nondum constante fama atque omnium sermone celebratum erat, te iter tuum ad urbem directurum, cum negotium villico dedi, ut has ad te perferret literas: sed tamen, cum propius te abesse ab urbe non incertis rumoribus spargeretur, comper-

tum vero haberem, dudum te commovisse Asia, tantæ mihi molis res illa visa est, ut præmature factum dici non posset, si literæ ad te mitterentur, quas primo quoque tempore mitti rei necessitas efflagitabat, & ipse vehementer cupiebam. Quod si mea in te studia ac officia eo loco numeroque habentur, quo tu semper habes; soles enim summis ad cælum efferre laudibus, quæ ego vix humi repere contendo, pudentius a te, si quæ magna negotia deposcenda essent, aliquid per literas flagirarem. Perinde commode enim accidit illis, ac non parum sollicitos habet, qui eos, ad quos scribunt, a se beneficiis affectos existimant. Armatae enim illæ preces sunt, & qui ita petunt, vim potius inferre modestiæ ac pudori alterius, quam precario, & leniter, & bonis verbis petere videntur. Nam remunerationem officiorum exspectant, & merita meritis compensari volunt. Quoniam vero beneficia in me tua nemini sunt obscura, adeoque in ipsa luce in oculis omnium versantur, estque liberalis ingenii, illi, cui accepta multa fers, ferre plura, non habui ambiguum, a te per literas contendere, in quo omnia experiri necessitas quædam cogit. Maxime quidem illustria atque insignia tua sunt merita, quibus a te devinctus ornatusque immoderata quadam profusione sum: quo enim non studio magnificentiæ prolaberis supra fortis tuæ mensuram? sic tamen mea fert opinio, superari me beneficiis tuis, utut innumerabilibus, utut amplissimis, non posse, humerosque nostros oneri tuo ferendo pares futuros. Sed non parum certe facultate mea confusus, omnia favoris tui argumenta in me cumulari patior, quorum velut semina voluntas mea concipiat, largiore aliquando proventu refundenda. Quocumque me animo & cogitatione converto, Reipublicæ nostræ mecum commentor statum: & quoniam instat consulatus mutatio, in eam deductus sum cogitaripnem, neminem dignius, quam Milonem, Remp. sustinere posse. Existimo enim, nullam meam operam esse tantam, quæ ipsi non debeat impendi, aliquam etiam pieratis rationem habendam esse. Nemo unus est, qui vehementius de eo laborer, aut honori ejus inserviat magis, quam ego; neque unquam mihi pensi quicquam erit, quam si toto pectore ad illum ornandum incumbere possim. Magni enim tum ad decus, tum ad fortunas meas, interest. Hujus tamen totius negotii conditor, ut intelligo, esse poteris, modo id præstare in animum induxeris. Quoniam enim unus illa potes, in te omnes nostras spes habemus; neque quenquam ministrum, socium, adiutorem habebimus. Multa se nobis dant ad manum argumenta, quæ quasi prora sunt & puppis spei nostræ obtinendæ. Firmissima benevolentia bonorum hominum muniti sumus, in quorum animos influxit, me ex Tribunatu illi januam quasi parefaciente; ut spero, te habere cognitum. Non desunt nobis benignitates plebis, in quam ille se pene totum profudit, benigno alloquio, comitate, invitando, beneficiisque, quos poterat, sibi conciliando. Habet juvenes genere nobiles, ingenio promptos, gratia florentissimos, sibi devinctos. In omni enim officiorum genere eminet ac præfulget in ipso decori ac honesti dignitas. Adest ipsi præter aliorum parata mea quoque suffragatio: nec deerunt forte, qui autoritatem meam sequentur. Quanquam enim ipse habeo exiguam efficiendi facultatem; tamen, quia optima at-

que.

que æquissima suadeo, & publicæ rationes postulant, ut quædam necessitas rei sit imposita, credo omnes libenter sententiam meam amplexuros. Deest consiliorum nostrorum architectus quidam & machinator, quem te designavimus, in quo quasi prærogativam suffragiorum omnem esse existimavimus. Nemo unus est, qui tecum æquari conferrique possit, ut in te quasi corpus unum & consilium totius Senatus esse videatur. Quod si memoria hæc referenda gratia jucunda est, si me bonum, sapientem, & civilis officii non ignarum, atque ex eo dignum judicas, apud quem beneficium ponas, justam rem & facile oratam a te esse volo, ut hac me sollicitudine liberares, hujus gloriæ cupidum foveas atque sustentens, & conspiratione consentique tuo ad eum decorandum incumbas. De ipso amico affirmate tibi promitto, si ad ejus amicitiam aggregare te dignatus fueris, non temere habiturum, in quo major eniteat virtus, modestia, æquitas, altitudo animi, quique honoris tui studiosior cupidiorque futurus sit. In me vero non parum honorum cumulaveris, ut tum demum cognitissimum habiturus sim, eundem te fuisse in laude mea proroganda & extendenda, qui fueris in salute conservanda. Ego nisi testatum tibi scivissem, cum has ad te literas darem, quam maximis beneficii vinculis obstrictus Miloni sim, quam mihi omnes machinæ sint adhibendæ, quam mihi præfulcienda atque præmunienda sint amico studia, quam omni opera, cura, diligentia in hoc incumbendum sit; crebrioribus te literis appellassem. Nunc tibi negotium omne & totum hunc hominem trado de manu in manum, omniaque, quæ nobis chara atque ampla sunt, in fidem & patrocinium tuum collata volo. Unum hoc tibi declaro, si a tua virtute perfectum hoc sit negotium, majoribus beneficii vinculis tibi quam Miloni, obstrictus ero. Non enim mihi tam incolumitas mea ac salutis conservatio cordi est, quam me referendæ gratiæ voluntas delectat; cujus mihi gratia æstimatio animo residet. Cujus ut voti compos fiam, tu ex omnibus unus facile præstabis. Vale.

Responsoria ad commendatoriam Studiosi ex Ep. II. lib. 5.

6

Mirificus tu semper officiorum meorum præco es, atque in ipsis ornandis adeo effusus, ut jam placere mihi ista incipiant, postquam tua interpretatione studioque semper fiunt ampliora. Itaque nihil miror, pro nuperrimo beneficio meo, quantum illud etiam est, tantum mihi gratiarum reponi. Gratissimum enim te semper fuisse comperi, eamque animi virtutem, quam tu cumulatissime semper præstitisti, quibus possum, laudibus efferre non desistam. Ferream mihi frontem oportet esse, nisi amoris illius stimulis moverer, animumque in te pronum summisque studiis propensum ostenderem. Quod ut faciam, nullam patiar elabi e manibus occasionem, omnes ipse circumspiciam. Quare τῶν ἀμφοῖν amplexus fui, quod mihi suppeditasti bene de amico tuo merendi documentum. Vix degustaveram literas tuas, ac statim misi ad hominem, si quid esset, qua in re commodare ipsi possem, nihil me omisurum in rebus ipsius & negotiis tractandis; sed omnem industriam, omnes animi vires impensurum. Quare ad ipsum scribas velim, moneasque, ut ille mihi

adfit frequens saluator, sollicitet, interpellet, nullamque rem adeo gravem existimet, quam ego non ipsius causa confecturus sim, si virium illa mearum sit & facultatis. Voluntatem certe meam semper sibi habebit obnoxiam: neque enim mihi quicquam gratius esse poterit, quam si (quod vulgari verbo ajunt) de una fidelia duos possim dealbare parietes, uno scilicet officio & novum parare, & veterem confirmare amicum. Vale.

7 Responsorialia ad Commendatoriam, sub primarii Senatoris persona, modeste se excusantis, quod in petitione magistratus juvare illum nequeat, ex Ep. 2. lib. 10. ad Famil.

Male sit morbo illi, qui me lecto affixum tenuit, prohibuitque, ne in Senatum venirem, cum tua ageretur causa: cui ego me totum impendere ut voluerim, ita non licuisse, ægre fero: neque tam male habuit ipse morbus meus, quam quod fegnior nunc in amici negotiis tractandis videor. Neque sane res vel me præfente omnino confecta fuisset: scis enim, quam suspectæ æmulis voces meæ, quam illi mea judicia non tacite tantum convellant, ac libidine quadam in transversum rapti, vim veritatis negligant; modo in alia omnia abeant, & ægre mihi faciant, cujus honestior videri poterat oratio. Nemo secum reputat, quid tua vel aliorum virtus mereatur; vel favoribus omnia patent vel nummis; virtus omnis post favorem & nummos est. Et religio mihi forte fuisset, tot hominum perverse sentientium judicio te exponere; a quibus si repulsus fuisses, existimationi tuæ labes meo jumento adducta fuisset. Vitio itaque mihi non vertes, si in tua re expediunda omnia adjecerim consilia, vel ad publica consilia vocatus. Si quæ res sunt privatæ, quibus operam meam destinasti, impera quidvis, in tua me potestate fore confirmo. Neque in publicis tibi unquam deero, modo ipse non turbem negotium, cujus conficiendi securior per alios via est: ad tuam enim utilitatem omnia refero, eoque consilia mea dirigo, ne salutis tuæ obsistant, cum tu profutura existimas, de mea vel dignitate vel commodo parum sollicitus. Rectius itaque, me judice, facies, si cogitationem omnem de Sparta hac obtinenda abjeceris, & in aliam, quæ ultro tibi offertur, animum tuum converteris. Vale.

8 Petitoria, qua a Patrono commendationem petimus ad Principem, pro Sparta aliqua obtinenda, ex Ep. 30. lib. 7.

Ut nullam diem sine linea abire Apelles volebat; ita tu nullum sine literis perscriptis tabellarium. Multæ inter nos magnæque intercedunt officiorum rationes, quas nunquam adeo accurate subduxeris, quin potissima in acceptis meis referre sit necesse: quibus ego solvendis si par non sum, addico me tibi ex ære tuo mancipium, quo utaris fruarisque, prout commodum tibi visum fuerit. Tui enim beneficii res est, quod aliquo loco sumus, quod in luce hominum sermonibusque

ver-

versamur. Quod placere viris doctis, & quidem eorum principibus possumus, a tua autoritate procedit. Quando ergo nos semel reddidisti tibi obnoxios, adde superioribus tuis beneficiis unum hoc maximumque, ut tua commendatione innotescamus Viro illi magno, quem omnes suspiciunt, admirantur, in cælum evehunt laudibus, si qua tibi ulla homuncionis hujus cura est. Hac me ambitione laborare non diffiteor, ut Viro illi placere incredibiliter cupiam. Quæ si in me non reprehendenda est penitus, tu facies commendatione tua, ut voto hoc nostro fruamur, qui & apud illum in gratiam me ponere potes, & quod ab amico sperare licet, cupis. Nullum mihi beneficio tuo majus obtingere potest, gratulabimurque nobis, si per te impetraverimus, quod tam anxie a nobis quæsitum est. Dabimus vicissim operam, ne in ingratum hominem tot merita tua collata esse videantur.

Alia petitoria, ex Epist. 20. lib. 15. qua quis Amicum,
per Galliam & Italiam peregrinantem, petit,
ut sæpius scribat.

Et si juxta cum ignarissimis scio, quo in loco te deprehensuræ sint meæ literæ, jam κοσμοπολίτην, totoque cælo, totque terris a me disjunctum, dedi tamen Agapeto nostro, ut non illas tantum tibi afferret, sed & librum, quem nuper in lucem misimus. Quod si ergo ipsi tam felici esse licet, ut in te incidat, habe hoc amoris nostri monumentum, lege, cense, & quid tibi super hoc argumento videbitur, rescribe. Tuas enim literas, ut diurnam explere sitim cupiens, exspecto, quas cum tibi promiseris frequentissimas, adeo malum nunc nomen es, ut totus obmutescas. Sunt vero causæ & graves & multæ, quæ te potius ad scribendum lacestant, quam me, qui excusatus ero, si frequentius etiam scribenti tardius respondeam. Nusquam tu certo loco consistis, atque eo, quorsum te impellunt vel repentina vota & desideria, vel occasiones temporum & locorum, itinera tua dirigis; cum hic ego patriæ, domui, imo parietibus affixus & libris, exspectare semper possim, unde tuæ ad me advoleat literæ. Quod si hoc tibi contemnendum videtur, tantine apud te patriæ amor est & cognatorum tuorum, ut eorum memoria tibi obversetur animo, ut aurem vellicet; de quibus omnibus certior fieri non nisi literis meis potes? accedunt denique tua negotia, quæ fidei meæ commendasti: de iis certe explorare te convenit, utrum feliciter curentur, an sægnius expediantur, si molestum tibi est, novis exterarum rerum deliciis animum earum cupidissimum pascere. Quod facere tamen solent amici, tam exiguo certe officio non difficiles futuri, ut necessariorum integram sibi amicitiam conservent. Illud movere te quoque poterat, nos tui studiosissimos tuæ salutis causâ angî, ne te forte aliqua, ut fieri solet in itinere, pericula circumveniant, aut ex incommodis cæli peregrini valetudo tua aliquid detrimenti capiat. Qua ut nos sollicitudine liberes, tibi omnino danda est opera. Quare si nos amas, scribe, & ita scribe, ut literas a te habeamus non jejunas ac strigolâs, sed frequentissimas, & rerum novarum plenissimas: quas si præces nostras aspernaris, etiam cum convicio pro jure meo & necessitudine nostra efflagito.

Eadem Epistola variata.

Quæ ego nuper edidi Schediasmata, ad te jam recta tendunt, ipsa in via, antequam Lutetiam devenies, deprehensura, quod non crediderim, nimis festines. Nactus hominem idoneum, cui recte dare poteram, volui te quoque participem rerum mearum facere, si quid in illis esset, quod tibi non ingratum, vel quo alios mihi conciliare amicos posses. Fateor enim, hac me duci gloria, ut tenentur plerique, qui in literario hoc pulvere desudant, ut innotescere cupiam Viris doctis, quod fieri nunc te paratio potest, qui in Galliis, velut in patentissimo totius orbis literati theatro nunc versaris; sed illa rerum mearum cura levior est, quam ut earum gratia te interpellem: majus est, quod nunc excruciat sollicitumque habet, tui scilicet desiderium, cujus igniculi tantum abest ut absentia tua sint extincti, ut porius in flammam erumpant, tuique memorem semper animum consumant, nisi literis tuis subinde refocilletur: quas frequentiores ad me ut mitras, peto. Multæ etenim causæ sunt, quæ ad scribendum te impellere debent, meque excusent, si paulatim ab hoc officio sim remissior. Tu itinera semper lenta & minuta conficis, incertumque est, in ista percursatione terrarum, ubi literæ te mææ sint deprehensuræ. Ne iraque inanis mihi labor sumendus sit, rectius facies, si de rerum tuarum statu me feceris certior, quocumque in loco vixeris. Neque enim fallere possunt tabellarii, ac tenet me mira rerum novarum cupiditas, cum tibi quotidie se offerant, tam in re civili, quam in literaria, quæ scire mea interfit. Sunt præterea multa alia, quæ domi tibi præstare possum officia, quibus cum ego occupor, ita urgeo, ut parum mihi ad literas scribendas temporis superfit; quod deesse tibi in istis peregrinationibus nequit. Quid enim facilius, quid honestius, quam otia sua amicis impendere, quæ ne quidem laboriosa tibi esse possunt, etiam cum integros epistolarum libros ad me miseris. Ut enim indefesso nunquam deest discendi argumentum, ita scribendi occasio nunquam potest esse injucunda. Nunc hæc primo ex te cupio cognoscere, quid novi moliat Rex Galliarum, quorsum fulmina sua missurus sit ille Jupiter. Nos enim, qui procul ab hoc Jove sumus, non procul sumus ab ejus fulmine. Tu certe, qui propior es, minus pertimescis. Quod si quæ alia sunt, quæ ad Remp. pertinent, scribe, ut, quo statu nos simus, quid metuere, quid sperare habeamus, existimare possimus. Tuæ mihi literæ erunt pro oraculis, & in illorum fide acquiescam. Vale, tuumque amorem nobis integrum conserva.

11. Responsorialia ad petitoriam amici, qui opem nostram atque auxilium imploraverat in lite de honore suo cum aliquo suscepta,
ex Ep. 6. lib. II.

Venit ad nos Agapetus noster, homo diligentissimus tuique studiosissimus ac tuas mihi literas obtulit, quibus negotium tuum forensè mihi commendas, opemque meam ea in re sollicitas. Arripui ego hanc bene merendi de te occasionem
amb-

ambabus, quod ajunt, manibus. Neque enim quicquam gratius accidere potest, quam si rebus tuis utilem præstare operam possim; quas ita ad me pertinere persuadeas tibi velim, quam si meum in illis commodum unice versetur. Ideoque cum causas haberem & graves & multas, ne in Senatum venirem, cum tua causa disceptaretur: scis enim, quæ mihi cum nonnullis adversaria sit: tamen mutavi consilium, cum tua causa quidvis me cupere & debere fas esset, ne per meam absentiam tuæ existimationi periculum aliquod excitaretur, si in lite tua dirimenda aliquid temere cupideque a nonnullis decerneretur. Nosti enim, quanta sit animorum immoderatio apud homines, qui vel jura sibi esse nata negant, vel eorum rudes sunt & ignari; quo hominum genere nihil est injustius. Mature ergo, & veluti *Θεός ἀπὸ μηχανῆς* consiliis quorundam interveni, tuisque partibus adjunxi homines prudentissimos tuique amantes: quorum solertia factum est, ut in causa hac superior esses. Verum nolo hæc tibi in os ingerere, aut mea prædicare beneficia: ipse, qui literas tuas reddidit Agapetus, cum viderit, quæ tua causa egerim, omnia narrabit. Neque deerunt alii tibi amici, qui hæc ad te perscribant. Illud exploratum habeas velim, me totum in tua potestate esse, omniaque facere, & porro facturum, quæ ad decus & fortunas tuas augendas pertinere intellexero. Quo studio, etsi plures tibi habes addictos, id tamen operam dabo, ut summum & dignitatis & gratiæ inter amicos tuos tenere gradum possim. Vale.

Adhortatoria, qua aliquis ex Ordinibus Status Belgici Collegam
 horratur ad Remp. mascule defendendam, ex Ep. 3. lib. 10. cujus
 fusior amplificatio cap. 14. n. 20. data est.

Nullæ me magis recreant deliciæ, quam tuæ literæ; quæ rarius ad nos veniunt, cum mitti subinde soleant. Forsitan in luto hærent cum suis tabellariis, quo viæ omnes nunc pene intercluduntur; vel naufragio terrestri perierunt, immisso omnibus campis Neptuno. Quare me vehementer tua causa sollicitum opportune refocillarunt sermones, quos cum Arnolde ad nos revertente de te habui, & plurimos & pergratos. Prædicabamus uterque virtutes tuas, quibus nihil potest fieri præclarior; prudentiam per omnia rerum momenta diffusam, suavitatem tuam incredibilem, quæ tamen a gravissimis moribus non deflecteret, quodque omnium mihi gratissimum est, amicitiam tuam jam ab inente ætate tot experimentis spectatam, tot testibus confirmatam. Quibus de causis nisi tibi cuperem, bipedum essem perditissimus, ab omni bona mente honestatisque studio derelictus. Amor ergo meus impulit, ut ad te scriberem; & quoniam omnia summa tum opibus, tum prudentia in Rep. complecteris, animum tibi meum declarare volui, cum ipse tibi & per te Reipubl. bene prospectum vellem. Sic enim existimo, neque me faller, ut arbitror, opinio, eodem abs te animo, quo abs me profecta sunt, accipi debere, neque ob summam virtutem æquitatemque tuam vel suspicari finistram mentem possum. Vides, quid afflictæ patriæ tempora requirant, quæ illi spes, quæ res, quam
 miseræ

miseræ sint, quem illa velut e machina Deum expectet. Tu vero vivis publico bono, in te ora convertunt omnes, in te velut in anchora sacra confidunt; nec puto, falli illos opinione sua, modo tu præstes, ne spe sua dejiciantur. Nosti optime, quid hæctenus in tuam virtutem injurii rnmusculorum sparserint nebulones nonnulli, quasi scilicet negligentius salutem publicam tractaveris, parumque pensi habueris, an staret caderetve Resp. Illis ego os, quoties tulit occasio, obturavi; neque persuadere mihi possum, in re vel minima fuisse abs te peccatum, qui animum habes ad temporum & fortunæ fulmina jamdudum obfirmatum; aut si quicquam remissius egisti, servasse te puto vires integras & latera Reip. ruinam minitanti, alio tempore magis profutura. Nunc ergo cum in illum statum res nostræ sint deductæ, ut spei vix locus relictus sit, foris nos vellicante Gallo, domi insidias fruentibus Catilinis, animum tuum extende, exprome istorum consiliorum thesauros, atque in id curam cogitationemque impende, qua arte averti a Rep. extrema possint pericula. Hæc tibi, ut est ad Reip. salutem honestissima, ita unica ad tuam gloriam, via. Nisi publico amore ductus hæc scriberem, vix excusari posset mea audacia. Nunc vero cum his stimulis agitatum me ipse sentire possis; da operam, ut iidem a tuo ingenio profecti te fortius incendant stimuli; quo dignitatem, quæ per se summa est, tam præclara occasione ad posteror, & ultra omnia secula extollas. Vale.

13

Responsoriam ad priorem epistolam, ex Ep. 4. lib. 10.

Ita plane est, ut scribis; viæ omnes interclusæ sunt, neque quisquam ad vos excurrere tabellarius per has viarum molestias potest, quo factum est, ut fileat inter nos literarum commercium, quod nullo tempore mihi tecum potest esse ingratum. Nihil enim profecto est, quod tui causa subire nolim: patent tibi mea officia, totus ego tuus sum, & in tui amorem tot me impellunt causæ, ut vel sine literis tuis nominis tui memoria mihi semper in animo hæreat, imo plane ob oculos merita tua versentur. De mea itaque fide ne dubites, rogo, qui in te colendo patriam mihi constituerim sanctitatem: parebo tuis consiliis, quæ ut sunt prudentiæ plenissima, ita affectum tuum omnibus numeris absolutum testantur. In utroque te admittor; qui, ut amorem mihi tuum declarares, prudentissimo consilio subvenisti; ut prudentiam ostenderes, bonæ voluntatis quasi nuntio atque interprete usus fuisti. A me ipso, imo a bona mente abirem, si tuis ego monitis locum non relinquerem; ideoque vel sola voluntatis tuæ declaratio animum nutantem confirmaret. At vero nihil dubito, nulla in re hæreo, eodem spes vota que mea collineant, quo tu respiciendum esse putasti. Quid autem esset, cujus gratia ab hoc proposito me paterer dimoveri? dudum ego tot fortunæ beneficiis maectatus, cujus ego favorem ambiam? cujus lucrifera spes me illiciat? qui cum semper mihi honorem propositum habuerim, unum hoc bonæ famæ beneficium rebus meis addi posse sperem. Quicquid itaque meis movere potero viribus, id ut Reip. bono fiat, omnem operam curamque impendam. Scis, quanta sit sensuum & animorum nostrorum conspiratio: nam vel absentem videre mihi

mibi videor, ac audire salutaria instillantem præcepta, quæ quidem adeo tenaciter animo meo insident, ut in tuis totus habitare consiliis videar. Insanæ plebis rumusculos, non est, ut cures; non norunt illi, quid intus geratur, & secundum speciem rerum judicant, earum vero abditas causas non perrumpunt. Videbis aliquando, me rem omnem ita gessisse, ut non sit, de quo reprehendere me jure possis. Ego certe nihil impensius cupio, quam ut tibi Virisque bonis mea placeant studia; placebunt autem, si Reip. illa sunt salutaria, & mihi ipsi non ingloria, qui post Reip. bona meo & amicorum honori secundas tribui. Vale.

Suasoria ad aliquem Reip. causa absentem, ut reditum in patriam maturet, Epist. 10. lib. 4.

14

Quandoquidem apud nos silent omnia, dum ubique regnat armorum strepitus, atque adeo omnibus bonis hominibus obturatum os est, quas a me literis expectes, nisi miseriarum plenas, & quotidianæ calamitatis commemoratione querulas? Sed ne has quidem opus esset scribere, cum propediem oculatum te hujus scenæ spectatorem fore inaudivimus. Quoniam vero ad te noster proficiscitur Theophilus, non sine literis meis dimittere volui, ut has tanquam monitricas haberes, quæ de reditu in patriam maturando injicere cogitationes possent. Nemo in tota urbe est, qui desiderium tui amplius ferat: implorat opem tuam ipsa Resp. atque ipsa hæc Senatus subsellia alta voce te inclamare videntur. Venies ergo, si me amas, si Rempublicam, si patriam non odisti, quæ tuo nunc indiget consilio: neque obicis tibi poni ab amicis potius patieris aut a negotiis non adeo necessariis; plura sunt domi custodienda, quam foris recuperanda. Non desunt forte hic, qui oculos tuos non ferunt, qui tamen absentiam in suum vertunt commodum. Non est, ut illorum suspitionibus & cavillationibus movearis. Tu potius id age, quod agendum tibi esse, ipsa honestas, ipsa officii ratio clamat. Quod si & rei familiaris curam non abjecisti omnem, etiam illa te movere poterit, & domum pertrahere. Ego certe mearum partium esse ratus sum, ut tibi statum nostrum proponerem, ut consilia ipse cum nobis capias, quid afflictis his temporibus nobis omnibus sit agendum. Vale inquit, & si potes, advola.

Responsorialia ad Suasoriam de reditu, ex Ep. 4. lib. II.

15

Frustra sim, si, quod alii facere solent, facatis verborum lenociniis tua in me officia collaudem: faciant, qui per cuniculos & blandimenta favorem tuum ambiunt. Res ipsa cerre loquitur, quo me amore semper complexus fueris, quæ propria tibi perpetuaque fuerint adversus me studia. Imo, si recte te novi, ingrata auribus tuis accidit illa beneficiorum tuorum commemoratio: quæ etsi sunt cumulatissima, & mihi quotidie ante oculos versantur, tu tamen regi illa mavis, quam in publicum produci. Ostendisti sane non ita pridem singularem in me monendo affectum, pro salute mea excubans, etiam cum ipse non animadverto, & negotiis peregrinis

immergor. Suades reditum in patriam iis argumentis, a quibus discrepare mea consilia neutriquam poterunt. Certe si aliter sentirem, reprimere me tua admonitio deberet; si dubitarem, hortatio impellere. Tu scilicet unus es, qui mihi cupiat, unice inter tot meos propinquos & necessarios, qui vix ad animum admittunt mea negotia, suisque potius commodis intenti, a me meisque fortunis oculos deiciunt. Rata profecto illa fidei & benevolentiae exempla sunt, eoque gratiore animo recolenda. Nihil itaque cunctatus, arripui monitu tuo itineris consilia, & quam primum caelo ficiore viae complanabustrur, hinc discedam, propediem, ut spero, vos firmos valentesque visurus. Me interim, usque dum veniam, meritorum ac virtutum tuarum pascet memoria; quas, ut animo meo propositas semper habeo, ita tacitus nunc quidem veneror; sed dabitur, quod spero, aliquando occasio, qua affectum tibi meum fortunae felicitatisque tuae firmitissimum declarem.

16 Consultatoria, qua consilium damus amico, quid tempore belli in summa rerum perturbatione faciendum: ex Epist. 14, lib. 14. Cic. ad Famil.

Tot tantisque documentis animus tibi constat meus, ut nulla in re dubitare de fide ac amore meo possis; neque enim mihi tam ipsa salus cordi est, quam mihi est vestra, hoc praecipue tempore, quo summa vobis imminet atque extrema pericula. Increbescit de adventante exercitu fama, eaque vobis non obscure minatur. Ac vereor sane, ne superveniat vobis illa tempestas, velut ex improvise fulmina in caput vestrum excussura: circumspicietis, si sapitis, effugia, ut elabi aliquo commode possitis; nisi intercludant vos atque circumveniant, quod vereor, difficultates, quales metuere omnes possimus. Quo in statu res vestrae sint, ipsi, ut opinor, non ignoratis, & hostis fortasse melius, quam vos ipsi, novit. Facile enim vel e sinu vestro vobis fieri possunt insidiae, jugulum libertatis vestrae petiturae. Quam gravia illa pericula viris honestis sint futura, facile vos ipsi intelligitis. Quis enim modus adsit hostili furori, per omnia impune grassanti, atque interneconem ipsam intentanti? in ipso vestigio capienda vobis non solum sunt consilia, sed & in effectum deducenda. Si quid mearum opum rerumque est, quibus indigetis, nihil in me patiar desiderari. Quod si mature effugere hanc procellam animus est, mecum esse bellissime potestis, & securo in loco spectare strepitus & turbas ferocientis militis. Sin locum tenere & exspectare fortunam vestram animus, id operam date, ut illum praesentem semper habeatis, & ad quoscunque casus obfirmatum. Erunt, qui consilio suo etiam vos juvent, cognati mei, habetis etiam fortis vestrae socios, viros graves, omnique rerum palestra exercitatos: ad hos respicite, & quomocunque res ceciderint, virtutem constantiamque vobis dignam ostendite. Vale.

Respon-

Retpontoria ad Consultatoriam, ex Epist. 2. lib. 4.

17

Ut nunquam mihi tuæ literæ sunt ingratae, ita difficillimo hoc tempore, ut diurnam explere sitim cupienti, venerunt. Verebar enim, ne rebus tuis jam fluctuantibus animo concideres, & quid consilii tibi capiendum sit, ignorares. Dum de his cogitamus, mutuosque cum amicis sermones cædimus, tanquam lupus in fabula venit epistola tua, quæ te in his difficultatibus lupum tenere auribus nunciabat. A me itaque consilium experis? sed quod? nam & me ipsa mens in his turbis destituit, atque omnia etiam pejora veretur. Certe vel cum gladiatoribus in arena illud capere vix licet: major enim & propior vis mali est, quam ut locum relinquat humanæ prudentiæ. Quod enim illis contingit, qui medio in mari ac immani & subita procella deprehensi, non velum mature complicare aut ventis subducere possunt; non clavum alio flectere; sed irruente aquarum & turbinum impetu in naufragium præcipitantur: idem nobis in hac calamitate evenire videmus. Sola itaque in Deo & in animo forti spes posita erit; vel si in fuga præsidium esse potest, e vestigio vobis discedendum est & evolandum in loca vicina & munita. Quod etsi sine magna bonorum jactura non fit, tamen nihili hæc habenda sunt; & in lucro deputandum, si vitam, si salutem, si conjugem liberosque salvos exportare possis. Noli itaque morasnectere, sed id primum tibi nunc esse puta, abire in tempore. Si quid officiis meis, consiliis, opibus, re denique ipsa juvare poterò, id ab amico exspectes velim. Vale.

Officiosa ex Epistola 29. lib. 10. Cic. ad Famil.

18

Cum de fortunæ tuæ iniquitate ad me perlatum esset, Amice suavissime, ita tuo ego malo percussus fui, ut meo non potuerim magis moveri. Sumpsi itaque in manus calamum, & has amoris mei testes literas ad te exaravi, quibus animum tuæ salutis cupidissimum tibi declararem, & me non secundis tantum rebus tuis; sed & adversis, & pene everfis, amicum ostenderem. Nihil mihi erit tam carum e fortunæ beneficiis, quin partiri illud cum amico in extrema necessitate velim: depromentur tuæ salutis omnia, erogabuntur pecuniæ, quot quantasque jusseris; quicquid literis, officiis, studiis denique meis, commendatione apud alios amicos, efficere poterò, id in tui gratiam a me fiet omnino. Nam etsi non desunt, qui de officiorum gloria mecum contendunt: habuisti enim (an nunc habeas, ipse noveris) amicos & plurimos & necessitate tibi conjunctos; me tamen hac laborare laudabili ambitione credas velim, ut in iis appetam principatum, neque a quoquam me vinci patiar, ad utriusque fortunæ vultus idem semper & *τετραγυωτος*. Quam animi constantiam si exspectare etiam ab aliis potes, ut solent pauci admodum esse fortunæ iniquioris comites; in hac tamen calamitate felicem te prædicabo, qui, opibus ereptis, quas largior fortunæ manus tribuerat, in amicorum præsidio nunc potes confidere, & in sinu eorum conquietescere. Me certe quam cumulatissime amici partes implerurum, neque unquam a veteri illo animo, quem adversus te tuosque habui, discessurum promitto. Vale.

Responsoria ad Officiosam, ex lib. 10. Epist. II.

Obruor tuorum officiorum cumulo, ut, quid primum postremumve laudem, non inveniam. Singulis enim me reddidisti tibi obnoxium, atque ita tuum, ut & possessione & usu tibi videar mancipandus. Falleris, si gratias a me expectas; tanta enim tua sunt beneficia, ut me elinguem reddant, & in eorum cogitatione tantum, cum verba mihi hæcant, defixum. Quid enim ad beneficium tuum hoc addi potest? cum enim a me fugerent amici, trepidarent omnes, qui mihi erant conjunctissimi, tu solus te salutem meam impendisti, & cum timide in medium consulerent nonnulli, tu tamen in me juvando principatum tenuisti. De fortunis, de vita, de dignitate mea decernendum erat, iis tuo beneficio fruor intactis atque intemeratis. Intervenisti enim, ut e machina Deus, eo tempore, quo minime expectabam, eo loco, quo tua autoritas unico mihi fuit præsidio. Quæ si mecum reputo omnia, parum ego fecisse videbor, si vel vitam ipsam pro te profudero. Nihil est meorum officiorum, quanta etiam illa sint, quibus ullam meritorum tuorum partem mihi videar assecutus. De eo sane animi angor, vivendum atque moriendum mihi esse ingrato. Tu vero, quæ tua benignitas est, animum hunc potius nostrum respicies, quam ullam bene de te merendi facultatem, divini in eo Numinis bonitatem imitatus, cum ita omnes virtutibus tuis supergrediaris, ut tenuibus etiam officiis solaque virtutum tuarum memoria & prædicatione tibi satisfactum putes. Vale.

Conciliatoria, ex Epist. 17. lib. 6. Cic. ad Famil.

Nulla mihi dies abit, quin de te cogitem: ita animum meum occupasti nominis tui memoria, ut tum demum suaviter me vivere putem, si tuam mihi obversetur imago, ut summe humani, ita summe docti hominis, & paterna etiam necessitudine mihi conjuncti. Sed ego propioribus malo causis tuam ambire amicitiam & favorem, quam longinquis illis, & quæ mihi cum pluribus esse possunt communes. Scilicet ut præstantissima forma per se allicit amatores, & sui venerationem incutit omnibus, ita pulcherrima illa virtutum tuarum imago facile in animo meo quotidianas illas formas delet; certe non tam efficaciter illæ me movent. Accedo itaque ad te, quasi Herculis cujusdam Gallici catenis raptus, atque tuis me tibi compedibus obstrictum sisto, te tuaque consilia, quo me traxeris, secururum. Quod si & illam, quæ tibi cum parente intercessit, conjunctionem aliquo habere loco velis, etiam hæc te causa impellet, ut & filium in ejusdem amicitie hæreditatem admittas. Hac itaque fretus fiducia te mihi patronum delegi, imo in te colendo patriam mihi constitui sanctitarem: tibi res meas dirigendas ornandasque trado; tibi, ut studia mea consiliis juves, ut cursum exitumque illorum designes, supplico. Qua in animi fluctuatione si tu tanquam beneficium fidus mihi affulseris, portum ac metam votorum meorum mihi videor assecutus. Ac videor mihi videre tempus, quo in hoc virtutis & bonarum artium certamine, te hortatore, triumphos agam. Totus interim ego

ego tuus ero, & si quid ab homuncione hoc proficisci officiorum potest, tuo nomini tuæque gloriæ omne consecrabitur. Vale.

Responsorum ad Conciliatoriam, Epist. 18. lib. 6.

21

Mirifice gratulatus mihi fui, cum tuas legerem literas, de accessione amici, qui mea, qualia etiam sunt, provocare officia voluit. Non est, crede mihi, tam gratum, insigni aliquo augeri thesauro, quam si amicum inveniam novum. Sed quid dico novum? cum inter veteres cenferi mereatur, cujus a parente ad nos quasi per manus tradita familiaritas est. Enimvero commode tu mihi in memoriam revocas paternam illam necessitudinem, qua me nunc etiam post fata parentis obstrictum esse sentio, ut in amicitiam tuam sponte me immergere velim, si tu in mea arripienda esses seignior. Excute itaque omnem animo trepidationem, & qualem ipse sine esse vis, talem habe, meisque officiis arbitrato tuo utere, si qua in re tibi illa profutura esse existimes. Verum ut tu largior es facultatis meæ interpret (meo enim me pede metior, & quam parum in iis rebus possim, quarum expectis a me consilia, novi optime,) ita tamen operam dabo, ne te spes illa frustretur; saltem aliquo officiorum proventu, si tam fecundam tibi messem promittere non possum. Rogo te interim, ut hunc mihi animum conserves, & amorem illum, cujus igniculos resuscitasti, nullo tempore extinguere patiaris. Vale.

Consolatoria in adversa fortuna atque exilio, ex Ep. 18. lib. 5. Cic. ad Famil.

22

Si quis unquam ex amicorum calamitatibus doloris mihi sensus fuit coortus, est sane maximus, quem ex incommodo tuo, quod a pessimorum hominum insidiis tibi illatum est, perentisco. Quare cum hoc malo te quasi subito fulmine consternatum existimarem, mearum esse partium duxi, ut vel literis meis erigerem animum tuum, & si possem, re ipsa juvarem; etsi ipse eo loco sum, ut aliorum indigere potius consolatione videar, quem amicorum suorum calamitates æque suæ affligunt. Verum ut virtutis & sapientiæ præsidia in omnibus meis casibus rubor animo meo subjecerunt, ita tu quoque nunc locum illis relinques, & ad hæc fortunæ tela te Achillem quasi πένονπλον ostendes, vel Antæi instar e casu ipso novas vires resumes. Quid enim est, quod te angere magnopere possit? qui meminisse potes & sane debes, hominem te esse natum, eaque conditione vivere, ut fortunæ vicissitudines, quas in hac vita sustinemus, subterfugere non possis. Imo, si recte rem putare velis, non est, quod fortunæ magnopere succenseas, quæ plura in te bona largissima manu cumulavit, ut levioe hoc malo illorum redimere invidiam posse videaris. Cum enim plerumque aliorum exemplo vel felices nos faciamus, vel infelices (nam felicitate illa, quam animo suo possidet sapiens, nemo est contentus) ab utraque parte ejusdem vitæ fortunæque homines circumspice: & te præ ceteris illis ornatum commodis videbis, qualia ne votis quidem suis homines tibi similes promittere sibi potuerunt. Florent illa virtutum

tutum tuarum præmia, & ita quidem florent, ut fructus earum nulla tibi invidia eripiat, nulla temporum calamitas intervertat. Hac itaque parte securus, si jacturam tuam bonorum tuorum cumulo appenderis, ut illis supra omnes te constitutum, ita hac omnibus te inferiorem esse deprehendes. Percense enim modo animo, quot quantæque strages nobilissimorum hominum in Republica fuerint, quam illi vita, fama, salute, fortunis omnibus everfi, ne minimam quidem, si vita ipsis salva est, spem sibi reliquam sentiant. Rempublicam ipsam vide, nihil profecto est in illa, quod tenere bonos homines tuique similes possit; omnia flagitiis & sceleribus sunt oppressa; animam agit libertas, judicia & leges corrumpuntur; ipsa denique Salus morientem civitatem servare non potest. Quid ergo est, quod te hic teneat? an quod cadaveri ejus velis immori, & communi cum vectoribus ejusdem navis perire naufragio? Itaque felicem te, qui ex illorum hominum consortio abis, non tam ab ipsis relegatus, quam ipsos a te, quod Diogenes faciebat, relegans. Vivere igitur tibi potes, & ad te bonamque mentem redire, postquam ab illis discesseris. Venies & ad nos tui amantissimos, omnibusque officiis, omni necessitudine conjunctos; quorum hospitiiis, amplexibus, animis gratisimus hospes excipieris; quorum quotidiana colloquia facile omnem, quam animo concepisti, ægritudinem tibi abstergent. Denique & solari in hac calamitate te possunt honesta hominum iudicia, qui injuriam tibi factam norunt non solum, sed & suis sententiis damnarunt. Ne quid de iis dicam, qui solam potentioris tui hostis auctoritatem secuti, eam, quam ore protulerunt, sententiam toto animo & pectore execrantur, eam publice contrariaque sententia damnaturi; si, quod vere sentiunt, impune etiam in judicio efferre possint. Quare ne te vel relinquere alios, vel desertum ab amicis putes, quorum ut aliqui clam tibi favent, ita multi palam tuas partes sequuntur; me habebis, quem semper habuisti, omni officio, ope, operaque tuum, qui te semper & observet & colat & diligit. Vale.

Eadem Epistola amplius deducta.

Quemadmodum aliorum morbis difficulter medentur, qui ipsi totius corporis doloribus oppressi sunt; ita parum mihi considerate agere videor, qui te ~~exigere~~ afflictum & excitare abjectum cupio, cui ipsi optandum erat mali sui levamentum. Acerbissimum enim dolorem hausi ex tuo incommodo, tuique causa intimis sensibus angor. Tu tamen mihi ita hæres in medullis, ita te fero oculis, ut, quicquid est in pectore meo reliquum consilii & opis, id omne tibi cupiam impendi. Singulari itaque studio a te contendo, ut te ipsum adhorteris & indures, ac dolori tuo manum injicias, ne ille te virum, & quidem sapientem virum, prosternat. Nosti vetus illud, homines nos esse, & nihil humani a nobis alienum. Quod si te parum consolatur, vide in quo motu temporum, quanta in conversione rerum & perturbatione versetur, qui non modo succum omnem & sanguinem amisimus, sed etiam colorem & speciem pristinam civitatis. Quasi recte apud animum reputaveris, moderatiore animo malum tuum feres, & molestias parvas ac leves facilesque toleranter experieris. Plura vir-

virtutis & industriæ ornamenta in te sunt : elucet vel ceteris extinctis sola tuâ sanctitas & prudentia : habes, quæ quidem in homine dicuntur bona, parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias. His tuis tam excellentibus bonis gaudere jure potes, quæ in unum collata sunt. Et nunc te mordet, unico & levissimo bono fraudari, & in tanta rerum omnium spoliatione levi aliqua deminutione multari. Quod quantaque tuo labore quæsita & collecta sunt? quæ tua virtute perfecta? quibus tu ornamentis præfidiisque redundas? ut vel in invidia atque odio apud nobilissimos homines tui novi hominis virtus & industria videatur. Cum illi vel in ipso gloriæ portu naufragium fecerint, tu exiguam accepisti injuriam & pene nullam, qui hanc rei familiaris lacunam facile explebis. Tua respicis quidem mala, & tantum privata: nec vides, quæ nobis imminet, publica. Quanta rerum nostrarum varietas atroci hoc & difficili Reip. tempore! ut nemo propemodum conjectando assequi possit, qui cursus rerum, qui exitus futurus sit. Quam invalidum est legum auxilium? quo prolapsa illarum sanctionibus custodita disciplina? Rogantur novæ, rumpentur rogatæ; judiciis iniquis exforbetur sanguis civium; quos non iniquæ litium procellæ pervertunt, quibus sæpe ab his in majores plagas incidendum est? his tam malis temporibus & moribus, annon secundas atque prolixas ejus res dicemus, qui minimo cum damno ex illa Rep. evolaverit. Tu vero, qui & ipse præfidia tibi genueris, optimos liberos, fortunarum tuarum participes: qui nos plurimosque alios ad tuam amicitiam aggregavisti, omnes amore ac officiis flagrantissimos, qui consuetudine quotidiana, familiaritate, aditu, congressione nostra fruaris, seria jocosque nobiscum celebres, his opibus quasi per ludum & per negligentiam hunc casum tuum sustentabis. Nosti ipse, quam sint multi, iique optimi viri, qui judicium de te latum, non cogitationis tantum tacito convicio verberent, sed & magna vocis libertate perstringant. Ac nosti, quæ sit quorundam animi infractio & demissio simili nutu ac renutu unius potentioris hominis voto respondentium: quanta fuerit in hac ipsa tua causa honestorum hominum dubitatio, hæsitatio, tractusque verborum. In quæ omnia ubi considerationem intenderis, non turbulente, sed silentio ferre has plagas debes. Me quidem certe tuarum actionum, sententiarum, voluntatum, rerum denique omnium socium comitemque habebis, & illud profecto, mihi te neque cariorem neque jucundiorum quenquam esse, cognosces.

Alia Consolatoria ex Epist. 14. lib. 5.

24

Nihil ad me literarum hætenus datum fuisse miror equidem, cum te frequentem in hoc officio invenerimus semper; nisi forte in museum tuum te abdidisti, atque ibi Musis vacans, aliquid literis mandas, quod nomini tuo immortalitatem pariat, & doctis sit in pretio. Quod si ita est, vehementer laudo consilium, quod his fontibus extinguere dolorem tuum velis, quos sapientia ipsa tibi propinat. Sin, quod vereor, loloris te vehementia ab hominum consuetudine avocet, luctui tuo quasi immoriturum, ex lege familiaritatis nostræ acerbam in te sententiam pronuncio, ut qui magna

te,

te, magna alios, injuria afficias, cum te Reipublicæ, cum te amicorum utilitatibus subtrahis; quibus, nisi fallor, plus debemus, quam ut nos ipsos inutiliter affligamus. Ego vero non solum sapientiam, sed & prudentiam tuam, hic testem voco, an causa tibi sit idonea, ob quam angaris animo, teque perpetuis lacrymis & doloribus excrucies. Tu scilicet, qui abdita philosophorum arcana perrupisti, non senties, non intelliges, quod quilibet in populo; atque te ipsum vivus vidensque conficies? quam aliqui in te pertinaciam; qui gravius quid dicent, furorem interpretabuntur. Quis enim ad te fructus, quæ utilitas ex hoc mœrore promanat? an, quod morbos in caput tuum laceffis? an, quod fata tua præcipias ipse & præcipites? an, quod tu intra parietes compressis sedes manibus, lacrymis & vigiliis te maceras, gemitibus & suspiriis omnem vitalem succum exhauris, reipublicæ caveatur, ne derrimentum capiat? an amicis consulitur, spem atque præsidia in te ponentibus? an demique tibi ipsi ex ægritudine salus, e dolore gaudium, e sollicitudine quies, e desperatione spes exspectanda? O vero te miserum! imo bismiserum, qui ipsum te vis esse miserum, & ipsas miseriarum tuarum causas adeo perditæ amas. Scilicet ut tu dispellas, novam, quemadmodum Cæcias, malorum nubem attrahis: & erat tamen prudentis animi, omnes illos evitare scopulos, quibus naufragium tuæ salutis sis facturus. Quare, si rationes non admittis, & has surdo narramus fabulas, saltem nos audi tui amantissimos; quos dolor tuus ita affligit, ut suo non possint vehementius affligi: vel precibus nostris te expugnari patere, ut ad consuetudinem nostram te recipere, atque ex illa lenire dolorem, velis. Non equidem te his præceptionibus meis velut in ordinem redigere laboro, aut pædagogiam aliquam in te exercebo. Si tibi studia nostra ingrata fuerint, quantum tamen in me est, monere te volui, atque a quotidiano luctu avertere: duo enim sunt, quæ me in diversam partem trahunt; quorum alterum hoc est, ut rationibus nostris tuam voluntatem adjungas; alterum, ut nulla re tibi molestus esse velim. Vale.

25

Responsorialia ad Consolatoriam ex Ep. 15. lib. 5.

Nihil nisi amorem tuæ spirant literæ: adeo, ut in fronte animum geris, ita in his affectum tuum prolixè exponis: de quo mihi gratulor quidem, sed ut ad animum admittam, a me vix impetrare possim, istis doloribus afflictus, ut nulla mei erigendi spes speresse videatur; tuque qui amici quidem partes agis, planeque tuas, frustra omnino labores. Quid enim in hac calamitate, quæ subito nec opinantem oppressit, in qua nec consilii locus est, nec spei, faciendum existimas? ad amicos ut fugiam, suades? sed quos? quam enim rarum hoc miseris nomen est! Neque enim nescire potes indolem hominum, qui rebus nostris secundis secundos se ostendunt, adversis se averrunt, & quasi contagio quodam infectos fugiunt. Pauci fuerunt, & tu forte solus, qui malis nostris indoluisse visus es, eo majoris mihi nunc æstimandus, quò te promptiorem propioremque mihi in his angustiis ostendis. Unum hoc est, quod animum mihi prostratum refocillat, tuque mihi totus theatrum es in urbem fugienti, in qua inter turbas & negotia forensia multa quidem, quæ turbant, nihil, quod delectare possit.

possit, deprehendo. Accedit temporum summa iniquitas, quæ, cum virtute nostra stare poteramus, suo quodam turbine in casum rapiunt, & communi ruina involvunt. Omnia enim sunt indies graviora & acerbiora expectanda. Ad literas me ablegas & studia, ut in iis consenscam, & in earum sinu has molestias deponam. Magnifica quidem hæc & honesta est oratio. Sed vellem ego hic te videre Hectorem & Achillem, qui tam forti animo sit, ut hoc præsidio munitus, ferre hos insultus æquo animo possit. Vellem, qui os philosophum sonas, etiam pectus hoc nobis præstare possit; qui homines sumus, & miseriarum sensum exuere non possumus. Nam ut illam e Stoa sapientiam profiteamur, a nobis non impetramus, cujus magistri sua ipsi doctrina in ruborem dati in mediis suppliciiis atque in equuleo ipso se felices gloriantur. Omnes scilicet extra necessitatis tela constituti mirifice animosi sunt, & generosum illud pectus ostentant, trepidaturi, ubi calamitatum moles oppresserit. Sustineo tamen me, ut possum, studiorum consuetudine, ut, cum ab aliis contemplationibus animus avocatur, paulatim memoriam malorum deponat. Quare ut frequentiora nobis sint & quotidiana illa subsidia, te mihi præsentem velim, ut mutuis confabulationibus sequirem ad arripienda hæc levamenta animum excitem, & minus me miserum esse credam, quo magis cogitationum frequentia animum meum obtundo, & ad malorum sensum callum illi obduco. Venies itaque ad nos dudum desideratus hospes; imo in hoc ludo ad constantiam patientiamque novus quasi doctor, cujus ab ore & præceptis pendeam, & illa, quæ nunc animum meum excruciant, dediscam. Vale.

Gratulatoria de Consulatu, ex Epist. 8. lib. 15.

26

Etsi, quæ a te veniunt literæ, semper mihi sunt exoptatissimæ; nuper tamen me mirifice delectarunt, & magnam mihi lætitiâ attulerunt, quod summis te in Rep. honoribus ornatum esse intelligam. Quoniam itaque etiam ad meam utilitatem pertinere existimo, si qua nova salutis dignitatisque tuæ lux effulserit, affectus gaudii in hanc epistolam erupit, qua tibi de honoribus tuis gratularer, quos proprios perpetuosque tibi & Reip. salutare esse volo. Ingratissimus essem omnium, nisi & me istius tui gaudii sensus percuteret, quem ego in oculis tui semper, in quo ego colendo patriam constitui sanctitatem: cujus ego beneficiis propemodum obrutus vivo, ut nullam meritorum partem mihi videar assécutus; si vel vitam pro salute tua profudero. Accedit parentis tui voluntas in me propensissima, qui in me ornando, & adversus omnes fortunæ insultus tuendo, nullam unquam occasionem prætermisit. Quæ cum animo reputo, totum me vobis debitorem profiteor, & quoad spiritum duxero, profitebor. Quare cum hæc mihi quasi hæreditaria a vobis bona sint & perpetua, ineptus ego sum, qui officiosis vos precibus obrundam, & ad nova officia invitem. Quod enim semper fecisti, ne nunc quidem, istis honoribus auctus, facere intermitteres; qui non es inter illos, qui ad fortunæ secundioris vultus frontem suam fingunt, & in inferiore loco positos despiciunt. Imo, si te recte novi, ea animi tui honestas, ea generositas est, ut honores tui vel eo nomine

mine tibi gratiores existant, quod novam bene merendi de amicis occasionem nactus, me quoque & ornandum & juvandum animo promptissimo suscepturus sis. Vale.

27

Eadem Epistola variata.

Etsi quotidiana mihi de te est cogitatio, nihilque rebus tuis gratius; majore tamen non facile lætitia elatus fui, quam cum primum in Rep. locum nuper tibi oblatum rumore publico intelligenrem. Quare statim exarsit mihi animus, & aurem amor ipse vellicavit, ut ad te scriberem, & eum, quem in sinu meo foveo, affectum, quia coram non licet, eminus & per epistolam declararem. Neque enim aliter fieri æquum erat, præferim, cum te amarim semper, & nunc etiam in illa honoris accessione te mihi omni officiorum genere, observantia, studio prosequendum existimem. Non excidit animo superiorum temporum memoria, cum ego adversa cum fortuna conflictatus, tuam tanquam Herculis alicujus opem sensi, qui mihi præsidio esset, & ab omni injuria defenderet: nam de secundis meis rebus non dicam, quibus etiam alii promptos facilesque amicos habuere. Accedunt a Patre tuo tot tantaque beneficia, quorum etiam nomine ego tibi obstrictus sum, arque æternum me tibi obnoxium profitebor. Totum me ergo tibi trado, tuis tuorumque vinculis tibi obligatum; neque quoad vivam, ab isto quasi mancipii jure, quod tibi in me acquisitum est, discedam. Nunc tantum a te etiam atque etiam contendo, ne in illo honoris fastigio constitutus, me clientem tuum averseris: sed majorem in me ornando tuendoque operam ostendas, quo major tibi bene de me merendi occasio nunc subministratur.

28

Responsoria ad gratulatoriam de dignitate recuperata, ex

Epist. 14. lib. 4.

Venerunt ad me literæ tuæ humanitatis tuæ amorisque plenissimæ, quibus de honoribus in me collatis gratulabaris, omniaque fausta & felicia apprecatus, iis me laudibus ornasti, quas ego si agnoscerem, nimis de me magnifice sentirem. Ego vero voluntatis tuæ in me declarationem omni elogio potiorē habeo, cum amici partes impleas; nam cetera etiam assentatoribus tecum poterunt esse communia; a quorum specie tantum tu abes, ut tibi in laudibus meis largiori credere malim, quam te in aliquod fucatæ amicitiae crimen adducere. Gratias itaque tibi ago, quales ab amico expectaveris; animo quidem prompto, sed non satis sereno, si ad horum temporum difficultatem respexerim. Dubitare enim profecto possis, utrum consolandi argumentis animum sub onere labantem erigere, an gratulationibus, velut magnum aliquod bonum adeptō, applaudere æquius videatur. Quæ enim in publicis his calamitatibus animo quies, dignitati autoritas, fortunæ constantia expectanda? ubi omnia ad casum spectant, & nulli quidem sunt, qui ruentem hanc molem sustentant, tibicines, nulla securitatis publicæ præsidia, omnia infidiis, dolis circumveniuntur. Itaque gaudio parum afficior, quod merus iste temperat, qui

Spem

Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

Dabo tamen operam, ut mihi adversus fortunæ insultus præsidia circumponam, ut dignitatem hanc, qua possum arte & virtute, sustentem. Ego vero tuum, quo me profecutus es, officium agnosco, atque eo nomine me obstrictum tibi sentio: & si quid hoc tempore studio operaque mea prodesse tibi poterō, nihil earum rerum omittam, quæ ad te juvandum ornandumque pertinere videbuntur. Vale.

Responsio ad gratulatoriam de novis nuptiis, ex eadem Epistola. 29

Intervenit nuptiis meis, velut capta ad festum, tua epistola, qua amores meos feliciter evenire vis, votisque uberrimis profeceris. Itaque feliciores fortioresque amores meos esse necesse est, tui accessione amoris votisque munitos. Nam certe parum hoc tempore in amoribus gratum est, quo nihil nisi cædes, rapinas, bella, calamitas publica ostendit. Quam jucundos ergo Veneris amplexus putas, cum mala nos undique incurruat. Scilicet nunc res domestica curanda est & firmanda, cum Resp. ruiam minatur. Novus ego ad hanc navem vector accessi, quam tempestates undique circumstant, cui in proximo est naufragium. Hæc cum animo meo revolve, pene est, ut ipse meam damnem stultitiam, meque in publico malo delicias sectaturum, & ne solus peream, uxorem tanquam alteram fato victimam oblatum. Verum sumere ex ipsa audacia animos oportet, & ferream non solum frontem, sed & caraphractum pectus seculo ostendere; cui etiam hæc est *una salus misero-nullam sperare salutem*. Ego amori tuo torum me trado, tuo hoc officio factorum acerbiter solaturus; meis autem studiis, obsequiis, officiis omnibus, voluntatem in te propensissimam testaturus. Vale.

Eucharistica, ad aliquem, qui commendatos a nobis benigne tractaverat, ex Ep. 12. lib. 13. 30

Cum multa sunt argumenta, quibus propensissimam tuam erga me voluntatem collegi; tum illud præcipue est, quod Agaperum nostrum, quem tibi literis meis commendaveram, omni officiorum genere es profecutus. Neque enim is solum mirifice humanitatem tum laudat; sed & alii commemorant, quibus & tu & ille usus est familiariter. Quanta vero ipse voluptate perfusus fuerim, non satis literis exprimere possum; cum hominem illum ob virtutem & optimos mores tenerrime amem, atque ita amem, ut e necessariis meis vix aliquem ardentius amare possim. Nolo hic beneficiis tuis, quæ in ipso mihi præstita sunt, novos e verborum & gratiarum pigmentis colores quærere, ne quid auribus dare & blanditiis quibusdam assentari tibi videar; id tantum te rogo, ut affectu isto, quo ipsum amplecti cepisti, porro amplecti velis; non quod dubitem, te hoc, me non rogante, facturum; sed quod ita rogare moris sit; & ego amico, quacunque re possum, gratificari velim,

si non re ipsa, saltem verbis, officiis & omni genere humanitatis: Nulla res magis vel me, vel illum, tibi reddere poterit obnoxium, exiguæ quidem facultatis, sed maximæ optimæque voluntatis homines; ad imperia, imo ad nutus tuos advolatu-
ros.

31 **Responsoria ad gratiarum-actorem, ex Epist. 19. lib. 10.
sub persona Patroni ad Studiosum.**

Adeo sunt exigua mea in te beneficia, ut magnificam illam gratiarum actionem non mereantur; tamen, quando ita voluisti, ut extaret hæc voluntatis tuæ erga me declaratio; vel ideo gratum mihi hoc tuum fuit officium, quod amoris tui non esset evidentius argumentum. Accessit novum huic affectui tuo argumentum, ea, quam nomini meo inscripsisti, dissertatione, docta sane & eleganti: qua ut ingenii tui promptitudinem ostendisti, ita & aliis significare voluisti, quanti me faceres, & quo loco haberes. Quare meæ potius partes sunt, ut gratias tibi largiore manu meriar, novisque officiis, cum vetera nomina jamdudum tibi expuncta, obnoxius tibi fiam. Id sane operam dabo, ut nihil in me patiar desiderari eorum, quæ ad te juvandum ornandumque pertinere videbuntur. Fallam interim oria mea tuæ Dissertationis assidua lectione, atque ita fallam, ut plus ab illa ingenio meo contemplationis relinquatur. Quandoquidem igitur tam bene tibi tempora in studiis posita apparet, omnes tuos nervos, spiritus, operam diligentiamque omnem in hæc impendes, ut digna laborum tuorum præmia aliquando reportes, & Reipublicæ administrandæ promptiorem aliquando manum adhibere possis. Vale.

32 **Laudatoria ex Epist. 15. lib. II.**

Nihil me magis hoc tempore delectat, quam quod tuis nonnunquam literis animum pascō, quæ nuper opportunæ venerunt, & quid in literis nunc moliaris novi, significarunt. Quid ego hic in te laudem? an officium? an propensam in me voluntatem? an divinum tuum ingenium, quod tot novas erudito orbi delicias exrūdit? an denique ipsos illos ingenii fetus, assiduo labore perpolitos, quos, ut Phidiæ signum, statim, ubi aspexerint, probant viri docti? quare nihil jam amplius, quod scribam, est, nisi ut currenti stimulos novos addam, teque horrer, ut orbem eruditum porro scriptis tuis doctissimis beare velis; quos ita avidè expectant omnes, ut qui diurnam explere sitim cupiunt. Vale & nos ama.

33 **Reprehensoria ex Epist. 17. lib. 16. Cic. ad Famil.**

Vix oculis meis credere potui, cum in tua, quam mihi inscriperas, dissertatione aliqua offenderem, quæ non e tuo promptuario, sed aliunde, desumpta videbantur. Laudo quidem officium, atque eo me nomine tibi obstrictum esse profiteor; verum, ut dicam, quod res est, non placuerunt mihi plumæ illæ, quibus te corniculam Æsopicam ostendisti: ideoque non parum tibi succenseo, qui in partem hujus prædæ

prædæ me quoque vocare voluisti, cum nominis mei titulum non tuo, sed alieno, fundo præfigis. Et nosse vero, liberales non esse, qui de alieno largiuntur: quid vero putas ad hæc dicturos, ubi viderint, homines doctiores, & in literis bene exercitatos, qui hic nasum rhinocerotis habent, & vel e longinquo Caci raptoris vestigia odorantur? quare te etiam atque etiam hortor, ut, si qua tibi supersunt hujus scripti exemplaria, in publicum evolare non finas, ne dedecus tuum, quocunque illæ tandem chartæ pervenerint, circumferant. Non succensebis amico bene monenti, ut qui tuum honorem ad se quoque pertinere putat, eoque labefactaro, ut sua quadam injuria afficitur. Tu interim & studia tua omniaque negotia ita tractes velim, ne quid valerudo tua detrimenti capiat. Vale.

Expostulatoria ex Epist. 5. lib. 5. Cic. ad Famil.

34.

Etsi nihil ad te literarum dare constitueram, a quo bene longo tempore nihil ad me perscriptum fuit, precibus tamen Agapeti nostri permotus fui, ut literas has ad te mitterem, ejusque negotium tibi commendarem: si fortassis, cum non mea, sed aliorum causa, scribo, aliquas a te literas exculpere possim, quarum adeo parcus es: nescio, utrum scribendi tædio, an mei odio. Illud certe vix crediderim, cum quotidianum te in literis ad alios scribendis esse sciam; in dandis recipiendisque salutationibus solennem; etiam, cum nihil opus est, pollicentem, imo obtrudentem officia. Hoc itaque potius videtur, simultatibus te, nescio quibus, inductum, abalienasse a me animam. Accepi enim, nescio quibus rumusculis occultis, te famam meam laceßere conviciis, & quibus potes artibus, luminibus meis obstruere. Quod, ut improbum non solum est & hominis parum officiosi, ita *ἀχαριστος* quoque notam tibi inurit. Quid? an jam adeo priorum temporum oblitus es? cum a meo consilio, ore, præceptis, penderes totus, eaque haberes ad studia adjumenta, absque quibus si fuisset, nunc non haberes tela, quæ in me jaceres, meo mihi exitio excitatus. Quod si harum rerum memoriam deposuisti, saltem id animo reputa, ut hæc omnia non essent, qua fronte ausus sis laceßere senem juvenis, præceptorem discipulus, civem civis. Quam insignis impudentiæ notam si non agnoscis, frons tibi omnis perit, & cum fronte bona mens, quarum mutua esse solet conspiratio. Has ut devorarem & concoquerem injurias, a me impetrare non potui, neque certe silere ad illas debui, ne musitando cresceret injuria. Reliquum ergo est, ut rescindam potius, quam dissuam amicitiam, semper, ut video, infidias mihi structuram. Ut tamen satisfacerem roganti amico, causam ejus tibi commendare volui, ut si non amicitia mea inductus, saltem honestate impulsus id facias, quod æquitatis ratio & bonæ leges abs te requirunt. Vale.

Responsorialia ad expostulatoriam, ex Ep. 28. lib. 7.

35

Scripsisti ad me literas; quid dico literas? quot verba, tot convicia: nihil enim ad illam acerbiteriam addi potest, qua me non innocentem modo, sed & bene

de te merentem, excipere non es veritus. Enimvero mitius tractari debebam, & ca æquitatis lege, quam tu tibi ipsi simili in casu dixeris. Quis enim probet, damnari aliquem inauditum? læsæ amicitiae sententiam pronunciarî in hominem, qui se nunquam vel dicto vel facto gravem fuisse, meminisse potest? Rogari prius debebam, neque tam facile aures falsis rumoribus fuissent accommodandæ; quibus qui duci se patitur, impingit, ubi minime cogitat. Si tu hic esses, tantum abest, ut reprehenderes levitatem vel perfidiam, ut potius industriam & fidem & studia mea laudares, quæ tibi etiam ignoranti & non advertenti sancte a me custodita fuerunt. Ejus rei documentum non contemnendum est, quod, cum famam tuam roderent clandestini hostes, ego solus te defendendum susceperim, tacentibus illis, quos tu primicerios tuos salutas. Esi vero de te querendi causæ sunt & justæ & graves, homini tam atroci injuria affecto, eam tamen ad animum nunc admittere nolui, vel hoc ipso amicitiae meæ constantiam restaturus, quæ te etiam vacillante persistat, & tibi etiam renuncianti & repugnanti fidem suam factam rectam integraque officia conferret. Cum enim sciam, animi vehementiam semper esse cum amicitia conjunctam, & quo flagrantior ea sit, eo magis suspicionibus & rumusculis esse obnoxiam, in benigniorem partem ego animum tuum interpretabor, atque id ipsum vehementiæ amoris adscribam, quod inconsulto illo calore peccatum est. Quo magis me spes illa tenet, fore, ut sopito hoc frigusculo, ad ferventiora redituri simus officia. Nosti enim verus illud Comici: *amantium ira amoris est redintegratio*. Quare etiam atque etiam te rogo, ut hanc animo tuo suspicionem ejicias, ne tibi ab illis, qui divortium inter nos volunt, imponi patiaris. Altioribus fixa radicibus nostra consuetudo est, quam ut levibus illis susurris & volaticis conjectiunculis extirpetur. Ero semper, quem habuisti, amicus tetragonus; neque ab officio meo dejiciam oculos, si tu veri amici partes non deposueris. Vale.

Querula, ex Epist. 16. lib. 14. Cic. ad Famil.

Scribo ad te literas; non quod causas scribendi habeam, sed ne literarum illud commercium, quod inter nos mutuum est, rumpere primus, aut officiorum cursum sufflaminare videar. Familiarius itaque, ut solent amici, inter nos confabulanti de rebus, quæ quidem ad te parum pertinere videntur, nisi forte amici etiam negotia tibi non negligenda esse duxeris. Non ignoras, quantis a me beneficiis ornatus sit Agaperus noster, quam illi ope, consilio, studio operaque profuerim semper; & ille tamen animum suum, quem mihi toties professus est obnoxium, ita exiit, ut, conversa in hostilitatem amicitia, hostium meorum partibus se adjunxerit, & multa nefaria consilia machinatus fuerit. Ne quid de conviciis dicam, quæ in me effudit, & quorum ego commemoratione tibi molestiam creare, mihi dolorem refricare, nolo. Hæc tamen in sinum tuum effundere volui, tum ut meo exemplo cautior diffidere amicis discas, tum ut in hoc malo levamen aliquod tuo consilio præstes. Non soleo facile vel de fortuna meâ, vel amicis, conqueri, mea forte meoque fato contentus;

reatus: verum tanta est hujus injuriæ indignitas, ut animum meum exulceratum nihil mitigare possit. Cui enim jam fidas? cui animum tuum committas? si, quos in animo atque in oculis ferebas, amici fidem omnem suam decoxerint. Ad te itaque confugio, quem præsentem in me animo semper fuisse novi, ejurata Agapeti amicitia; tibi que omnia mea studia, & quicquid unquam mihi dulce est, consecrabo. Vale.

Responsoria ad Querulam, ex Ep. 25. lib. 7.

37

Nihil est, quod magis animum recreat difficillimis his temporibus, quam tuarum suavitas literarum: quæ, ut officiis sunt plenissimæ, ut rerum, quæ geruntur, memoriam mihi exhibent; ita nullo non tempore possunt mihi esse gratæ. Utinam his paribus officiis respondere possem: sed nihil est, quod tua notitia dignum sit. Celare te tamen, amicem, non possum, quæ mihi nuper cum Agapeto contentio orta sit, quem ex amico mihi inimicum reddidi, quod pecuniam reposerem, quam ipsi mutuo dederam. Nam cum tricas e tricis neceret, diesque solutioni constitutos semper falleret, pulsandus tandem actione apud judicem mihi fuit, ne ære meo existerem eo tempore, quo maxima me urgebat necessitas, & a me solvenda erat summa pecuniæ non exigua. Rupto itaque amicitiae nostræ vinculo, calumniis & conviciis incessit non immeritum tantum, sed & bene hactenus de ipso merentem. Vides quæ ab amicis exspectandæ sint gratiæ. Quos enim beneficiis tibi reddidisti obstrictos, eosdem tibi inimicos & hostes paras. Neque sane ipsi virtio vertentem has in solvendo debito tricas, si ipsum egestate pressum in angustias aliquas redactum iri nossem: nam florere ipsum opibus & pecunia, exploratissimum habeo; ut itaque fraudulentus ejus animus ubique perluceat. Quare cum videam, malo consilio ipsum exuisse amici animum, & omni se adversus me armasse nequitia, dignis hominem hunc excipiam modis, atque ita tractabo, ut & mihi satis domi consilii adversus homines scelestos esse sentiat. Has apud te querelas depromere atque in sinum tuum effundere volui; si fortassis, quæ autoritas tua est, argumentis expugnare animum hunc fraudulentum possis, & bonis verbis eo inducere, ne turpem hanc maculam homini suo inari patiatur. Fortassis enim, si amici non habet, sui tamen rationem habiturus est. Vale.

Nunciatoria de adventu ex Epist. 23. lib. 9.

38

Cum multæ solent esse scribendi causæ, tum præcipue una novitatis princeps & palmaria multis est; quod in amicorum literis narrationes rerum novarum potius quam alia argumeta, respiciant. Quæ verò exspectes ab amico veteri, nisi vetera, mores antiquos, præscam fidem, quæ apud novarurientes antiquos raro esse solet. Hac parte tibi spectari maxime cupio; & nisi me omnia fallunt, tot annis jam spectatus fui; & nihil tu forte ipse hoc novi anni tempore, quo mala nostra tot quotidie nova nascuntur, a veteri amico exspectaveris. Illud tamen novi narro tibi, me intra octo proximos dies iter ad vos meditari, quod εὐαγγελίον tibi fore, minime dubito.

Jam

Jam enim videre mihi videor, qua fronte excepturus sis, quo ore, quibus amplexibus hominem tui amantissimum. Integram hebdomadem destinavi tuis colloquiis. Vivemus itaque una, confabulabimur, non tam cibus corpus, quam deliciis literariis animum, refocillaturi. Placuit enim maturare iter, quod in vernum tempus differre cogitaveram, cum te pedibus laborare intelligerem; si fortassis dulci illo Musarum balsamo, e confabulationibus nostris stillante, mitigari doloris tui acerbitas possit. Exspecta itaque hospitem, & cum ipso facietas omnes, jocos, veneres, lepores. Nam Saturnalia apud te agere, & urbanitates meas deponere constitui. Tu interim omnem operam dabis, ut pedes paulatim tibi officium facere discant, ac animo præsentiore esse possis. Vale.

39

Responsoria ad nunciatoriam de adventu ex lib. 16.

Epist. 12.

Magnopere me tuæ exhilararunt literæ, variis molestiis & ægritudinibus ex temporum nostrorum difficultate conflctantem; Oportune enim adventum tuum mihi significabant; quod mihi tam gratum fuit *εὐαγγέλιον*,

*Quale sopor fessis in gramine; quale per æstum
Dulcis aquæ saliente sitim restringere rivo.*

Sed nolim tamen, ut mei causa te in valetudinis periculum conjicias atroci hac hyeme, quæ & exstinxit multos per sævitiam frigoris, & ad gravissimos morbos fomitem subministravit. Sed tamen & ab instituto tuo revocare te nolo, ne videar renuere hospitem jucundissimum, cujus ego saluti ut consultum cupiam, amor impellit, qui in varias partes nunc discinditur. Idem enim & jungi tecum, & a te disjungi cupit. Quod si vincere hujus tempestatis sævitiam idoneo vestium apparatu potes; si valetudinis constantia permiserit; tantum abest, ut dissuadere tibi her velim, ut & alas tibi aptari, & Cyllaros & Pegasus curru tuo jungi cupiam, quo ad nos advoles potius, quam adrepas. Vide itaque, ne in via diutius hæreas, sed alternata corporis recreatione frigoris viam infringas. Sat cito ad nos veneris, si firmus valensque veneris. Reviviscent tuo aspectu Musæ nostræ, quæ jam totæ obmutuerunt & obtorpuerunt, novos a te spiritus resumpturi. Animus certe noster, qui prostratus est & jacet penitus, tuis ita erigetur colloquiis, ut molestiarum & tædiorum memoriam saltem illo, quo nobis ades, tempore; sit depositurus. Interim quotidie pueri mei ante portas erunt, ut tuum mihi adventum nuncient.

40

Hæc sunt, quæ in juventutis usum hic producere volui, ut his exemplis viam sibi sternerent. Ut ad eum modum imitatio instituat, apparatu aliquo & copia verborum opus est. Non enim hic tam Ciceronis verba & periodi, quam ipsa enthy

41

*memata, attenduntur. * Triplex ergo imitatio est: 1. puerilis, qua e phrasibus Autoris Classici fermo compingitur. 2. Amplificatoria, qua periodi ex Autore Classico in multas diffunduntur, eodem argumento retento. 3. Oratoria, qua variato ar*

gumen

gumento eadem enthymemata aliis verbis ac periodis efferuntur. Ejus exempla in hac Sylloge exhibentur. * In prima illa multum curæ industriæque infundendum est. Etsi enim puerilis illa dicitur, virum tamen maturo judicio requirit, qui dextra applicatione phrasas omnes in bene compositum sermonem compingere noris; qualis sub epistolæ forma quam commodissime institui potest. Ego ante multos annos pro usu isto omnes Terentianas elegantias, quæ in Comcediis ejus habentur, epistolis complexus fui, quibus in exercenda juventute feliciter quidam usi sunt. Sed perierunt mihi chartæ, ab aliquo subreptæ. Neque sane indignus viro docto labor esset, ac optime de juventute mereretur, si quis talia Themata Epistolaria concinnaret: neque tamen nullum ingenium & judicium in eo requiritur. Hæc lingua Germanica proponi possent, ut in Latinam convertantur. * Ad eundem modum olim ego e phrasium libellis epistolas pro tali usu concinnavi. Verum cum Phrasas illæ solutæ & vagæ sint, neque verborum cursu connexæ, non habebunt illum ex eo labore fructum pueri, quem e verbis ac phrasibus recte ordinatis habere possunt. * Ejus tamen exemplum hic apponam epistolam exprobratoriam, e phrasibus illis extantioribus, quæ in primis septem foliis Medullæ Latinitatis Wendelini habentur, concinnatam: *Quanquam abalienandus tibi plane jure amicorum videar, volens tamen ego nunquam ab eo jure abii, vel abibo. Abhorret & animus & auris tua a nobis; sed fac tamen, ne abhorreat a fide & a vero: Tantum enim abest, ut ego aliquid amicitia tua indignum admiserim, ut potius absit ab hoc omnis mea culpa & nunquam me abduci ad hoc crimen passus sim, vel levissimis malevolorum hominum rumusculis. Et qui tu abis ad istas ineptias & suspiciones illas, ab recenti memoria presentissimi amoris, quem paucis abhinc diebus a me tibi exhibitum esse ignorare non potes, dum a me integram illam summam persolvi, quam a te debueras. Jam & in mores tuos abit alter ille tuus, qui nescio quid mali de me suspicatur, & quaedam mei causa tentavit; sed cui non tam impune absunt omnia. Adeo parum literarium ab eo vidi, ut, qui paucorum dierum iter ab illo absum, longe gentium abesse videar. Hoc ego quidem audacter affirmo, quandoquidem illi plurimum abest de exacta prudentia, multum illi (absit verbo invidia) ad amicitiam nostram contulisse. Nunc quidem ingratus ille se ex conspectu meo abdit, & plane illi animus abest, me vel coram, vel per literas, compellandi. Nec tu a levitate ejus multum aberrasse videris. Aut redite uterque ad frugem, & bonam mentem, aut valete, & res vestras vobis habete.* Eodem modo particularum A, AB, AD usum e foro Romano, & Turfellini de particulis libro, proluxa aliqua & certi argumenti epistola ostendi. Sed in istis aliquid inviti & subornati esse, nec evitari posse, quivis facile videt.

C A P. XVI.

DE

EXERCITATIONIBUS IN ORATIONE
LIGATA INSTITUENDIS.

- §. I. Discrimen ligatæ orationis & solutæ. 2. quorum in ligata oratione ratio habenda sit.
3. Habent singula carminum genera speciem suam rationem. 4. Præceptis poetici

Tomus I.

X X X

non

- non nimis immorandum. 5. Usus hic omnia docet. 6. Commentariū in poëticam Aristotelis proluxi plus turbant, quam juvant. 7. Imitatio anima poëtor. 8. Imitatio duplex. 9. Altera in poëmate ad rerum & actionum naturam exprimendo; 10. altera in poëmatis scriptiōne. 11. De ultima hic agimus. 12. quomodo ista instituenda. 13. Prima exercitatio est Metaphrasis: - 14. altera imitatio per dilatationem, variationem, & contractionem similitum locorum. 15. Virgilius quos Poëtas imitatus sit. 16. Reliqui Virgiliū imitantur. 17. Exemplum elegans Virgiliandū imitationis e Catullo; 18. quæ per singulas partes ostenditur. 19. Catullum tamen Virgilius elegantia superavit. 20. Aliud exemplum Horatianæ imitationis e Virgilio in Epod. 2. de laudibus vite rusticæ. 21. Ple-nior ejus imitatio in paraphrasi Jacobi Wallii. * 22. Ostenduntur fontes dilatationis poëticæ. 23. Ejusdem ep. Ode Metaphrasis nostra Elegiaca. 24. sqq. & alia quædam Metaphrascon nostrarum exempla. 29. Imitationis crebra utilitas. 30. In inventionibus sit imitatio cauta. 31. Exempla Epigrammatum, alterius e Mureti quodam a Niendalio, 32. alterius e Martiali a nobis per eandem imitationis rationem dilatati. 33. Descriptiones dilatatae. 34. Exemplum ex Ovidio. 35. Praxis conscribendi carminis per sententias & lemmata, figuris, expolitionibus ornanda. 36. Hac methodo alicujus Poëtae carmen est resolvendum & imitandum. 37. Habent & antiqui Poëtae suos nexos, 38. qui adeo morose haud examinandi. 39. Ecloga I. Virgilii in suas sententias & ornamenta resoluta. 40. Carmen II. lib. 1. Sylvarum Statii de Equo Domitiani: resolutum. 41. De Ovidii poëmatibus judicium. 42. Horatii Ode a Partbeno resoluta. 43. Ode Cominiana ad Ducem Condaum de Lactis usu doctōrōs exhibetur.

1 **H**abitus Orationis ligatæ a soluta in omnibus diversus est, dictione, compo-
 2 sitione, periodo, numeris, inventionē. * Habenda est Epithetorum, cere-
 3 rorumque ornamentorum, comparationum, exemplorum, fabularum, icono-
 graphiarum, ratio. * Et in ipsis Poëmatibus suo singulari quodam ge-
 nio singula carminum genera constant, tam ratione dictionis, quam ratione numeri
 & periodi. In Hexametro carmine alia ratio & compositio est Eclogæ, alia Saty-
 ræ, alia Heroici generis sive Epopœiæ. Et in ipsa Epopœia quantum a Virgilio,
 poëtarum Heroicorum principe, differunt Statius, Claudianus, Lucanus. Habet
 suas Elegia, suas Epigramma, elegantias: de quibus multa dici possunt, & suo
 loco dicentur. Sed nos nunc hoc loco tantum progymnasmata illa poëtica pro-
 ducemus, rationem monstraturi, qua se in optimo ac divino plane studio tyrones
 exercent.

4 Quandoquidem vero is, qui carmen scripturus est, apparatu aliquo opus ha-
 bet, præsupponimus hic prima rudimenta prosodiæ, mediocrem linguæ Latinæ cul-
 tum. Institutiones poëticas non pauci scripsere, in quibus tamen cum judicio versandum
 est, ne ingenium vel præceptorum subtilitate exennemus, vel eorum mole obruamus.

Utra-

Utraque ratione obtunditur ingenium, & ad exercitium ineptum redditur; & novi ego plures, qui in arte hac excelluerunt, lectione potius Poëtarum & exercitio eo pervenisse, quo prolixis præceptis tardius pervenitur. * Præcipuum in illo negotium versatur, si quis, præsuppositis Rhetoricæ & Profodiæ adminiculis, id quod in carmine ejusque generibus artificium latet, multa observatione didicerit: quod peritus Magister longe expeditius exemplo præstabit, quam multis præceptis. * E veteribus Aristoteles est, ut Philosophiæ omnis, ita hujus quoque magister: sed dolendum, ejus *de Poëtica librum* non pervenisse ad nos integrum: quæ illic habentur, ad Dramaticam poësin tantum pertinent, utpote quæ cum Epica seu Heroica principem locum obtinet: consistit enim in imitatione actionum. Reliqua Poëmatia breviora sua quædam singularia præcepta habent, quæ fundamentum tamen in illa prima habent. Quamvis enim Colossus Rhodius majori apparatu & accuratiorè *συνεργεία* partium spectatur; tamen & minora sigilla sua proportione gaudent; estque etiam in minuto carmine sua quædam imitatio, tum morum, tum affectuum, aliarumque rerum, quæ sunt cum actionibus hominis connexæ. In Aristotelis Poëticam Commentatores habemus bene multos, e quibus Heinsum nostro usui seponerem. Ceteri Commentatores non tam Poëtæ, quam Rhetores, in carmine scribendo sunt, id est, nimia & anxia Aristotelicorum præceptorum explicatione animos lectorum fatigant.

Imitatio universæ Poëseos quasi anima est. * Consideratur autem illa duplici ratione: primum, quatenus illa ad exemplum rerum & actionum instituenda est; secundo, quatenus ad exemplum alicujus Poëtæ componi debet. * Priori modo considerata versatur ἐν τῷ φυσικῷ & ἠθικῷ actionum exprimendo; * posteriori modo ad generales illas imitationis, tam oratoricæ, quam poëticæ, leges dirigitur, quæ in ipso poëtandi exercitio consistit. Primus imitandi modus proponit perfectissimam imitandi ideam, in ipsa rerum natura formatam; alter præceptoris & poëmatum veterum exemplo agere nos jubet. * De hoc itaque posteriore modo tantum agemus: ille enim præmitti debet, cujus beneficio primum illum & præcipuum imitandi modum obrinemus. * Non debet vero hæc imitatio ita institui, ut versus hinc illinc e Poëtis congestos, quasi per centonem quandam, consuamus. Illud enim non est imitari, sed furari; nisi quis ingenii causâ data opera tales centones e Poëtis conficiat, ut fecit Ausonius in *centone suo Nuptiali*, & Dan. Heinsius in aliquo *centone*, in *Baudium* conscripto; quales & collegit singulari libro Henr. Meibomius. Si quis vero tales versus undique compingat, & sic se Imitatorem præstet, a plagii crimine liberari non potest. Imitationem puerilem, quæ in concinnatione phrasium & versuum, prima compositione consistit, nunc seponimus: nihil enim illa artis habet. Quæ cum artificio instituitur, eosdem fontes agnoscit, quos Oratoria. * Primum hic exercitium est Metaphrasis, carminis ex uno genere in aliud traductio; sed cum libertate aliqua evagandi. Tales Metaphrases aliquot Odarum Horatianarum in Elegias concinnavit ediditque Henricus Meibomius, ac nos infra aliquot earum exempla dabimus. * Plenior illa imitatio non aliter instituitur, quam Oratoria,

per χωρισμὸν & per πρόσληψιν; qua de re jam supra diximus. Χωρισμὸς est, cum una periodus in plures secatur. Πρόσληψις sive Assumptio dicitur, cum assumuntur ad genus species, ad totum partes, ad actionem causæ & circumstantiæ, ad distinctum indistincta, ad definitum indefinita, & vice versa. Si quis illa duo bene cum judicio usurpare norit in oratione, qua soluta, qua ligata, bonus imitator erit, & talis quidem, ut deprehendi vix possit. Harum imitationum omnia exempla conge-

15 renda sunt, inprimis ex antiquis: nam antiqui eadem via processerunt. * Virgilius in Eclogis Theocritum imitatus est, in Georgicis Hesiodum, in libris Æneidos Homerum, imo ipsos illos Latinos, qui ante se scripserant, Ennium, Lucretium, Catullum: quos omnes tamen ita imitatus est, ut omnes superaret. Imitationes Græcas singulari libro congeffit Fulvius Urfinus, & eleganti commentario Germanus Valens Guellius, qui Antverpiæ in fol. prodiit, ubi diligenter notat loca e Græcis

16 transumpta. * Ut Virgilius antiquiores, ita Virgilium recentiores imitati sunt. Ceteri enim omnes, Horatius, Statius, Claudianus, Virgilium imitantur, ita tamen, ut, quod Virgilius fecerat, non superent Autorem suum, sed longe ab ipso superentur. Quod *Alexander Rossæus in Virgilio suo Triumphante* aliquatenus ob oculos posuit.

17 Illustre Virgilianæ imitationis exemplum est in loco illo libro IV. Æneidos a versu 305. ubi interjectis aliquot dialogicis locum apud Catullum de Ariadna a Theseo deserta, qui invenitur in *Epithalamio Pelei & Thetidos*, omnem transtulit, ita ut Enthymemata, sententias & figuras, ordinem quoque, verba & periodos mutaret. Querela Didonis ab Ænea desertæ plane conveniebat cum hoc argumento; & eleganter eam imitationem delineavit *Bartholomæus Riccius lib. II. de Imitat. pag. 42. sqq.*

18 * Ariadna apud Catull. statim ab effectu iracundiæ incipit, v. 132.

*Siccine me patriis abductam, perfide, ab oris,
Perfide, deserto liquisti in littore, Theseu!*

Répondet versus Virgilianus 305. 306. Ariadne huic indignationi insistit, v. 135. ad 140. Virgilius paucioribus versibus idem objicit Æneæ v. 307. 308. Addit autem Dido argumentum a periculo. Virgilius v. 9. 10. addit argumentum a loco incerto, quo perventurus sit v. 311. 312. 313. Quæ argumenta a Catullo omis-
sa sunt, quoniam non conveniebant. Dido apud Virgil. rursus se ad preces & lacrymas convertit & cum Ariadna pactos Hymenæos objicit, Dido per eos ipsos Æneam rogat, ac horum voluptate eum artificiose tentat. Meritum quoque objicit, quæ pleraque apud Catullum; quanquam non illo ordinè, v. 314. 315. Sequitur apud Catull. Locis communis de perfidia virorum, v. 141. ad 146. quem locum communem brevi sententia complexus est Virgilius loco alio, v. 373. Nusquam tuta fides &c. Post perfidiam objectam ingratum suum accusat, & nominatim præstita officia exprobrat Catull. v. 147. ad 157. Id quoque Virgilius expressit, v. 373. ad 375. Ariadna fratris mortem, quam amatoris se maluisse dicit, ac pro tanta in eum fide relictam se esse feris avibusque dilacerandam queritur: Dido Nomadum Regum Libycæ ac Tyriæ gentis in se odium, deinde pudicitiae violatum nomen, postremo mortem ipsam objicit v. 320. ad 323. Apud Catullum

lum Ariadna Theseo objicit crudeles natales v. 152. ad 155. idem imitatur Virgilius v. 365. 366. 367. Hactenus per negationem processit Virgilius, cum Catullus per interrogationes. Jam etiam interrogationibus utitur Virgilius v. 368. 369. 370. Apud Catullum Ariadne conqueritur, suum jam longe fugam arripuisse, v. 165. 166. Idem facit apud Virg. Dido, v. 582. 583. Apud Catull. Ariadne oporat nunquam advenisse Thesea. v. 167. ad 172. Dido id ipsum imitatur v. 657. 658. Catullus Ariadnam desperandam inducit v. 172. ad 183. Didonem etiam Virgilius v. 534. ad 547. Catullus tandem Ariadnam ad diras & execrationes perducit, v. 184. ad 197. Hunc locum Virgilius copiosissime ac splendidissime imitatus est, Apostrophen faciens ad Solem & Hecaten.

Patet ex illis, quæ adduximus, qualis Virgilio in imitando fuerit ratio. Adeo 19 presso enim pede fecurus est Catullum, ut harum literarum imperitum esse oporteat, qui hæc non sentiat. Mutavit interim ordinem, quem Catullus observavit, & dialogicis cum Anna sorore interjectis fufius traxit orationem Didonis. In historia quoque recensenda longior est Virgilius; sed ita ille expressit Catullum, ut, qui Catulliana post hæc Virgiliana leget, jam non inveniat, quod ipsi magnopere placeat. Ille enim adjectione figurarum vivacium, argumentorum patheticorum, dictione quoque ipsa, quæ horridior paulum est apud Catullum, adeo omnes numeros absolvit, ut vix ab humano ingenio aliquid addi posse videatur.

Aliud illustre imitationis exemplum, quo Horatius Virgilium expressit, notavit Bernardinus P. ~~P~~ *benius* in eleganti libro Italica lingua scripto *De la Imitatione Poëtica lib. 1. pag. 18. sqq.* ubi monstrat, quomodo Horatius jam dilatarit, jam contraxerit Virgilit locum *Georg. II. libro extremo in Epod. 2. de laudibus vitæ rusticæ.* Quod exemplum idem Autor repetit in elegantissimo *Commentario suo super Horatium*, illo loco, quo nemo accuratius ostendit artificium Poëticum. Initium plane idem est Virgilius:

*O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agrícolas!*

Horatius: *Beatus ille, qui procul negotiis &c.*

Virgilius significaturus, solutos esse omni cupiditate, omni ambitione, omni metu & periculo, agricolas, sic scripsit:

*- - - quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem victum justissima tellus.*

& inferius:

*Illum non populi fascēs, non purpura Regum
Flexit, & infidos agitans discordia fratres, &c.*

His addantur illa:

*- - - - - nec ferrea jura,
Insanumque forum aut populi tabularia vidit.*

*Sollicitent alii remis freta cœca, riantque
In ferrum, penetrant aulas & limina regum.*

Hos versus brevius ita extulit Horatius:

*Non excitatur classico miles truci,
Nec horret iratum mare,
Forumque vitat, & superba civium
Potentiorum limina.*

Sequitur apud Horatium:

*Ergo aut adulta vitium propagine, usque:
Aut tondet infirmas oves.*

Locus hic amplior est, quam Virgilio, eoque felicior. Virgilius unicum tantum artificium rustici meminit, cum dicitur illi:

Agricola incurvo terram molitus aratro.

Horatius dilatatione hic usus est per enumerationem. Sequitur apud Horat.

*Vel tum decorum mitibus pomis caput
Autumnus arvis extulit,
Ut gaudet insitiva decerpens pyra
Certantem & uvam purpurea.*

Virgilius sic:

*Et varios ponit fetus autumnus, & alte
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.*

Quod Virgilius contraxerat, Horatius ad species deduxit. Pergit Horatius:

*Qua muneretur te, Priape, & te pater
Sylvane, tutor finium*

quod prius ita Virgilius dixerat:

*Fortunatus & ille, Deos qui novit agrestes,
Panaque, Sylvanumque senem, Nymphasque sorores*

Virgilius porro:

*Spelunca, vivique lacus, aut frigida Tempe,
Mugitusque boum, mollesque sub arbore somni.*

Illa verba eleganter Horatius illustravit dilatatione sententiarum & membrorum:

*Libet jacere, modo sub antiqua ilice, usque
Somnos quod invitet leves.*

Virgil. *Venit hiems, teritur Sicyonia bacca trapetis.*

Vid. Horat. illo loco: *Aut cum tonantis annus hibernus Jovis.*

& quæ sequuntur, usque ad illa verba: *Fucunda captant præmia.*

Confer illa cum loco Virgilio, ubi describit opera hiberna rusticorum:

*Sed tamen & quernas glandes tum stringere tempus,
Et lauri baccas, oleamque, cruentaque myrta,
Tum gruibus pedicas & retia ponere cervis,
Auritosque sequi leperes, tum figere damas &c.*

Apud Virgil. hæc porro habentur :

Interea pendent dulces circum oscula nati.

Casta pudicitiam servat domus.

Hæc splendidissime dilatavit Horat. his versibus :

Quod si pudica mulier in partem juvet, &c.

Reperiuntur in Virgil. & illi versus :

Hanc olim veteres vitam coluere Sabini,

Hanc Remus & frater. Additque postea :

Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

Quo respexit Horat. in secundo illo versu suo :

Ut prisca gens mortalium.

Si quis jam conferat paraphrases illas soluti sermonis hujus loci apud *Frischlinum*, cujus extant in Virgilium paraphrases; & *Lubinum*, cujus extant in Horat. paraphrases, videbit varietatem dilatationum. * Nos hic aliud exemplum paraphraseos poëticæ ejusdem Odæ Horatianæ dabimus, quæ insignis admodum est, ex *Jac. Wallii*, Poëtae nitidissimi, Poëmatibus, ex qua patebit mira illa fecunditas locorum ex adjunctis, genere & specie, ex toto & partibus, quibus præ ceteris utuntur Poëtae, ut multis exemplis demonstravit *Bern. Parthenius* in libro suo *de imitatione Poëtica*. Primus versus apud Horat. est :

Beatus ille, qui procul negotiis

Ut prisca gens mortalium.

Vide, quam eleganter primum illum versum Wallius ampliavit ex loco generis & speciei, adjectis poëticis. Secundum autem versum in parenthesi positum, rejicit ad alium locum. Sic vero ille :

Felix sorte sua, quem non ignava sequentem

Quia rus patrium dulci complectitur umbra.

E 2 commatibus facit 2 periodos, additione prædicatorum,

Longe illi curæ insomnes comitumque laborum

Invisæ facies, quæ multa & magna moventem

Huc celerem atque illuc rapiant, perque ardua versent.

Horatius: Paterna rura bobus exercet suis.

Dilatât hæc verba Wallius per *εξεγρηστικον* & descriptionem ex adjunctis, & per divisionem verborum, & additionem novorum prædicatorum.

Ipse sibi semper vacat, aggrediturque, quod instat,

Arvaque, quæ quondam proavi non magna tenebant,

Exercet, patiens operum, armentoque quotannis

Sortitus subolem, fortissima corpora, tauros

Inde legit, quos dehinc domitos assuescere cogat

Servitio, & terram impresso proscindere aratro,

Solutus omni scœnore.

Dilatât hæc verba Wallius per partitionem illarum rerum, quæ ad fœnus spectant, & per comparationem cum fœnore rustico.

*Non pretio nummos redimit pretiove redemptos
Occupat & fœnus tabulis subducit avaris;
Fœnus amat, quod sponte sua iustissima tellus
Et gravide pecudes & messis reddit & arbor.*

Nunc adjicit dilatationem secundi versus per exergasiam & descriptionem ex adjunctis, & dilatationem periodicam.

*Sic olim, ut perhibent, cum fraudum ignara vigeret
Simplicitas, neque fastus adhuc aurique cupido
Improba criminibus nomen posuisset honestum,
Innocue vixere animæ, parvoque beata.
Nec excitatur classico miles truci.*

Hæc Wallius dilatât per augmentum sententiarum, addita figura comparationis, dilatatione periodica & descriptione ex adjunctis:

*Quid refert, alius thalamo sublimis eburno,
Ille thoro, cui sponda salix aut fissile robur,
Componat caput? heic mulcet resicit que jacentem
Alta quies lecto non ubrumpenda saligno.
Quippe ubi nec prima nec seræ tempora noctis
Distinguunt litui, rumpuntque silentia cantu.
Nec horret iratum mare.*

Wallius hæc iterum periodice dilatât, subjectum & prædicatum novè adjunctis illustrando, additis ex loco causarum sideribus, tempestatem cientibus.

*Non si discordes miscent freta fervida venti,
Æquoreos horret fremitus, humilisque pavensque
Numina conclamat, ne quid nimbosus Orion,
Ne quid atrox peccet Boreas, laceræque carinæ
Addat opus pelago.
Forumque vitat.*

Prolixe hæc verba dilatât Wallius per enumerationem rerum forensium:

*- - - Vitat forâ, vitat & æstus
Undantis populi: nec quid tabularia, nec quid
Jura ferant, meminit. Non illum aurora morantem,
Quæ se non alibi, primumque ostendit Eoum
Pulchrior, ad lites clamosæque jurgia cogit:
Nec jam defessus longas evolvere causas
Orando ingrator queritur se condere soles.
- - - & superba civium
Potentiorum limina.*

Wallius hæc dilatat 1. per fig. Permissiois & comparationem aulicorum, quorum officia prolixè ab adjunctis describit, & comparat cum scopulis marinis.

*Sollicitent votis alii invidiosa potentum
Arbitria: obsideant aditus, atque alta superbis
Atria porticibus, certatimque oscula pugnent
Præripere, & primas Dominis jam mane recenti
Dicere blanditias. Hæc ille Capharea saxa,
Has prudens metuit Symplegades, & sibi fasces
Ac trabeas sinit emeritum exorare clientem,
Semotus longe populo & & civilibus undis.*

Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos.

Wallius hæc dilatat præmittendo generales sententias & confusas: unde procedit ad distinctam de laboribus circa vites, quam dilatatione circumstantiarum & adjunctorum describit:

*Ergo illum aprici colles campique feraces
Curarum expertem accipiunt. Hic imperat arvis
Ipse suis, terrasque docet parere volentes,
Nec regum, sua regna videns, suspirat honores.
Nunc vites serit, & verni cum palmitibus ætas
Prima vires, tenerum virgis furcaque bicorni
Tollit humo: dein & validi propagine fetus
Populeas late stirpes ulmosque maritat.*

Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges.

Wallius hæc dilatat per διάλυσιν verborum in integras sententias converforum:

*Nunc illum procul umbrosa sub fronde morantur
Secessus pulchri nemorum, vallesque reductæ
Favonorum domus. His pingues errare juvencas
Prospectat: longe resonant mugitibus agri
Pascuaque & noti gregibus sitientibus amnes
Inutilesque falce remos amputans
Feliciores inserit.*

Mire hæc dilatat & exornat Wallius ex loco adjunctorum & consequentium in varia membra illa partiendo & elegantibus metaphoris illustrando.

*Venerit insitio; juvat hunc, juvat arboris illum
Felicis fruticem peregrino includere ligno:
Finduntur nodi; ressecantur, inutile pondus,
Silvestres rami: ramus felicior alter*

*Inferitur: surgunt udo nova germina ligno;
Mirantur platani malos; mirantur & ulmi
Ignotas glaucas; & non gentilibus ornus
Sic curvata pyris, nec sese agnoscat in illis.*

*Aut pressa puris mella condit amphoris,
Aut tondet infirmas oves.*

Dilatata hæc Wallius per simplicem exergasiam, additione quarundam circumstantiarum:

*Nunc apibus setis cellas distent aque melle
Hórrea rimatus populat, purisque recondit
Aurea dona cadis: nunc mollis veller a lanæ
Infirmo pecori frondente sub ilice tondet.*

*Vel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus arvis extulit,
Ut gaudet insitiva decerpens pyra
Certantem & uvam purpuream.*

Dilatata hæc Walli sententiarum augmento, epithetis & periphrastica dictione poetica.

*Inde, ubi formosum pomis & mitibus uvis
Frugifer autumnus flavis caput extulit arvis,
Quam juvat, hic atque hic, ut se mahusve pyrusve
Obtulit, & pomis oculos dextramque legentis
Prima vocat, fetæ gravidos adducere ramos,
Felices ramos, quos ipse molefcere nuper
Et genus invitis docuit committere truncis:
Quam juvat & plenis pendentem vitibus uvam
Carpere, certantem Tyrios antequam rubores.*

*Qua muneretur te Priape, & te pater
Sylvane, tutor finium.*

Late hæc explicat Wallius, addendo sententias ætiologicas, & numerando officia rustica, quæ beneficio Numinum rusticorum bene cesserunt. Describit & ritum ipsum.

*Dum tibi, quod fruges & munera divitis horti
Serraris, futum custos aviumque Priape,
Primitias fert in calathis, falcique saligne
Pampineam circum intexit, sua vota, coronam,
Teque vocat, Sylvane pater: tibi pinguis culta
Tuta refert, tibi depulsos à messibus apros
Es morsus pecorum, aversumque à palmitè caprum.*

*Libet jacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine.*

Dila-

Dilatata hæc multiplicando sententias & periodos, incipiens figura occupationis, cui responderet. Describit æstum Solis a conjunctis Solis sideribus, addendo epitheta sua & adjuncta nova cumulando.

*Fortè aliquis Soles, dum nulla hic porticus Arcton
Excipit & Borcam, sub iniqui sidere cancri
Ardentes metuat. Sed enim nisi nuda per agros
Corpora messorum sudore fluctia cernas,
Ignores prope, quid rapidi vis ignea Phœbi,
Quid Leo, quid Cephæus sticensque canicula possit,
Nunc juvat æstivos ortus vitare sub alta
Ilice, nunc viridi submittere corpus in herba,
Quæ ripe & ripis nata frondentibus umbra
Æstibus & medio suadent decedere Soli.*

*Labuntur altis interim ripis aquæ,
Queruntur in silvis aves,
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves.*

Hæc simplici conversione metrica & membrorum multiplicatione dilatata.

*Interea gelidi fugiunt per gramina rivi,
Arboribusque vagantur aves: nemus omne querelis
Personat, irriguo qua fans argenteus agro
Labitur attritos inter levis unda lapillos
Obstrepit, & dulces invitat murmure somnos.*

*Aut cum tonantis annus hybernus Jovis
Imbres nivesque comparat:
Aut trudit acres hinc & hinc multa cane
Apros in obstantes plagas.*

Hæc mirifice explanat per prolixam venationis *διάρθρωσιν*, cui mixtæ descriptiones elegantissimæ ex adjunctis apri & canum, coloribus Virgilianis illustrata: enumerantur antecedentia, conjuncta & consequentia venationis; quæ cum non attigerit Horatius, magna cum voluptate leguntur.

*At cum jam pluvia & nivibus canaque poëna
Frigidus hibernum contristat Iuppiter annum,
Quæ non aucupus, quæ non venatibus illic
Gaudia proveniant? altis de montibus actus
Fertur aper, frustra ille annos setasque comantes
Arrigit, & spumis albat ferventibus ora,
Fulmineumque genus, non certi cedere, quanquam
Nunc hos obliquo, nunc illos dissipat ictu.*

Tantus amor præda est, & sævi gloria morsus,
 Nec minus & cursu juvenes jaculisque fatigant
 Setigerum; hortantur sese & latrantibus addunt.
 Cum clamore animos; dum tandem in retia trudent
 Freudentem & teretos nodos differre parantem;
 Accurrit victor, splendentique ilia ferro
 Transadigit: lato sequitur de vulnere sanguis,
 Procumbitque ferox, & adhuc in morte minax sus.

Aut amite levi rara tendit retia
 Turdis edacibus dolos.

Amplificat hæc verba Wallius per descriptionem hujus venationis uberiores: Instrumenta enim, & quæ cum illis conjuncta sunt, ad extensionem sententiarum, adducit.

Forſitan & tutas placeat levioribus ire
 In prædas ſudis: venit hinc quoque grata voluptas,
 Ex facili capienda: plagas & retia levi
 Diſtendit furca, turdosque invitât edaces
 Callidus & ſparſis incautos fallit olivis.

Pavidumque leporem, & advenam laqueo gruem
 Jucunda captat præmia.
 Quis non malarum, quas amor curas habet,
 Hæc inter obliviscitur?

Extendit illa Wallius per *Ægyptiacæ* poëticam, & enumerationem curarum, quas simpliciter & indistincte hic ponit Horatius.

Aut pavidum sequitur leporem, laqueoque tenaci
 Strymoniam captat volucem, jucunda laboris
 Præmia. Quis non hæc inter, quocumque malorum
 Secum amor infelix trahit, invidiamque metumque
 Et spes ambiguas, & quas pudor ipse repulsas
 Ingeminat curas, & nunquam longa fruunt
 Gaudia, nubiferis tradit diffundere ventis?

Quod si pudica mulier in partem juvens
 Domum atque dulces liberos,
 Sabina qualis aut perusta Solibus
 Pernicis uxor Appuli;
 Sacrum vetustis exstruat lignis focum,
 Lassi sub adventum viri;
 Claudensque textis cratibus lætum pecus,
 Distenta siccet ubera:

Et horna dulci vina promens dolio,
Dapēs inemptas apparet.

Hæc Wallius per simplicem conversionem metricam, uno vel altero epitheto addito, dilatat:

*Quid si contigerit priscis quoque moribus uxor,
Quæ castum seruet thalamum, quæ remque domumque
In partem iuuet, & dulces educere natos?
Qualis erat Tatio, quondam regnante Sabina,
Duratas callosa manus, aut Appula mater
Sole rubens. Quid si posito cum fessus aratro
Vir redit, illa focum lignis & cortice sicco
Exstruat, ac lento textis de vimine septis
Includat letum pecus & turgentia siccet
Ubera? Si, quinquam calices & pocula ponat
Fagina, vina ferat, quæ dulci condita leuit
Ipsa cado, mensisque dapēs apponat inemptas
Delicias faciles.*

Non me Lucrina iuuerint conchylia
Magisque rhombus aut scari.
Si quos Eois intonara fluctibus
Hyems ad hoc vertat mare.

Dilatât hæc Wallius per figuram Permissionis & additionem epithetorum aliorumque verborum, vel actiones vel adjuncta significantium.

*Non me tum regia, non me
Regum epula teneant, per me conchylia testis
Tuta suis saxo maneat affixa Lucrino;
Per me securus Calabro natet equore rhombus,
Et sine fraude scarus depastus ruminet herbas.
Si quem forte procul fluctu tumefactus Eoo
Adria jactatum nostris acceperit undis,
Aut Tyrrhena fremens ad littora verterit Euris.*

Non Afra avis descendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus
Iucundior, quam lecta de pinguiſſimis
Oliua ramis arborum,
Aut herba lapathi prata amanti, & gravi
Malvæ salubres corpori,
Vel agna festis cæsa terminalibus,
Vel hædus ereptus lupo.

Dilatatur hæc Wallius per immutationem membrorum, additionem verborum, epithetorum, descriptionem Terminalium, sed succinctam:

*Non mihi tum Libyæ, non mollis Ionia pictus
Mittat aves: tantum glauco mihi Palladis arbor
Canescat fetu, pinguesque ministres olivas,
Obvia me lapathi prato gaudentis aperto
Herba juvet, matvæque leves gravibusque salubres
Corporibus, vel qua lactens cadit hostia festo,
Terminæ sancte, tuo, cum te vicinia supplex
Defixum colit, & sero fraudente coronat;
Aut mea, quod satis est, hilaret convivium cans
Præda excussa lupo, villis stillantibus, hædus.*

Has inter epulas ut juvat pastas oves
Videre properantes domum!

Dilatantur hæc per descriptionem ex adjunctis.

*Ut juvat has epulas inter spectare bidentes
Cum sese e pastu referunt! ut cruribus ægre
Ubera circumcunt! ut multo lacte gravata
Ad mulètram injussa veniunt, gaudentque levari*

Videre fessos vomerem inversum boves
Collo trahentes languido.

Dilatatur per simplicem conversionem metricam & immutationem verborum.

*Ut juvat ex agro rodentes spectare juvencos
Longorum fessos operum & grave robur aratri
Vomere suspensò attrita cervice trahentes.*

Positosque vernas, ditis examien domus,
Circum renidentes Lares.

Iterum hæc dilatatur simplici conversione metrica.

*Ut juvat & vernas numerosa examina villa
Lucentes ignes circum letosque penates
Aspicere agresti curantes corpora mensa.*

Hæc ubi locutus fecundator Alphius
Jamjam fururus rusticus,
Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærit Calendis ponere.

Eleganter hæc dilatat Wall. descriptionibus luculentis, enumeratione partium & adjunctorum (1) circa scenus, omnemque rem collybisticam, (2) circa agriculturam, variaque ejus officia & instrumenta.

*Dixerat hæc dives positus in fenore nummis
Alphius, atque aliud meditans, & totus in illo
Dammabat tabulas, loculos dammabat & aurum
Innocui raris sero intellecta voluptas.
Una est ante oculos, una suspirat in illa.
Nunc placet arborum cultus, nunc cultus habendus
Impensus pecori: subeunt modo seruida pleno
Mussa lacu, modo qui pomis exuberat annus,
Et modo delectant saltus venatibus apti:
Omnia persuadent curas mutare priores,
Jamque empturus agros exacta relegerat æra
Idibus. At (victrix adeo natura recurrit)
Hæc eadem lucro seruat ponitque Calendis,
Protinus agrorum oblitus vitæque beata.*

Atque hoc illustre est exemplum paraphræos poëticæ. * Ex quo patet 22
mira fecunditas locorum, quæ sunt e conjunctis, adjunctis, antecedentibus, consequentibus, toto, partibus, genere & speciebus, indefiniti & definiti. Quibus omnibus si quis jungat phrasin elegantem poëticam, metaphoras vivaces, poëtissimos, fabularum allusiones, nunquam in talibus argumentis sterilibus deprehenderur. Et hoc sibi exercitium continuum quis velit, si in carmine proficere velit; imo & ad solutam orationem labor iste proderit, modo quis differentiam poëticæ & oratoricæ dictionis probe observet. Plura sunt exempla apud eundem Auctorem tam nitarum paraphrasium. Reperiuntur & apud *Car. de la Rue*, Poëtam Gallum, inter *Idyllia* ejus paraphræses plane his similes, ac elegantissimæ omnino, quales in exemplum poni debent Poëtices tironibus.

Subjungemus huic paraphrasi longiori strictiorem nostram, qua eandem in 23
Elegiam transfudimus.

*Felix, o nimium felix, quicumque relicta
Urbe procul curis tempora liber agit;
Quique vetustorum lato de more Quiritum
Exercet bobus rura paterna suis.
Qui sibi non magnas injusto fenore querit
Ipse, nec immenso fenore limat opes.
Non illi dulces rumpent fera classica somnos,
Incitent nullos tympana rauca metus.
Non ligno vitam committet nauta doloso,
Non stebit raptas naufragus, orbis, oper.*

Ille fori strepitus, tricas & jurga vitat.
 Patriciæ appendix nec stat, & umbra domus.
 Ille vel attondet vitim, fugitque putando:
 Cui tenerum fulcit populus alba latus.
 Ille ex arboribus ramos sine lege fluentes
 Amputat, & ramos inserit ille novos.
 Jam videt erranteis subducta in valle juvencas,
 Atque suum gaudet non numerare pecus:
 Jam legit æerii mellis cœlestia dona,
 Quæ sibi non-emptas condat ille dapes;
 Aut sevo ut nudos à frigore protegat artus,
 Mollia lanigera vellera tondet ovis,
 Aut ubi maturis præcinctus tempora pomis
 Autumnus gravidis jam caput addit agris;
 Letus adoptivis carpit nova munera ramis,
 Inque manus cupidas pensilis uva venit.
 Uva venit, Tyrio que non concesserit ostro,
 Hellepontiaco munus itura Deo,
 Hæc nisi Sylvano gratus donaria servet,
 In patrii fines quod vigilavit agri.
 Ille modo antiqua recubat sub tegmine fagi,
 Et modo gramineo sternitur ille toro.
 Interea placidis strepuerunt fontibus unde:
 Plurima per sylvas carmina fundit avis.
 Hæc querulo mentes mulcentque foventque susurro,
 Et faciles somnos garrula suadet avis.
 Hinc ubi jam nivibus piger horret & imbribus annus
 Et resides stringit frigore Caurus aquas.
 Jam populatorem per sylvas excipit aprum,
 Seu malit positis illaqueare plagis;
 Aut turdis levi rara amite retia tendit,
 (Hos bonus ille dolos insidiasque struit.)
 Aut abit in lepores felix prædator inermes,
 Aut mensis captat præmia grata grues.
 Non illum dura friguscula conjugis angunt;
 Non animum curæ, quas amor abdit, edunt.
 Ille suæ queritur sylvis & fontibus iras
 Conjugis & mala dat cuncta ferenda notis.
 Quod si casta domum bene quæ curaverit uxor,
 Quæ famulos, socii, quæ sacra jura tori:
 Appula ceu rapidis excocta à Solibus uxor,
 Quale decus duro, fusca Sabina viro,

Ligna foci subdat claro lucentibus igne,
 Solamen fesso, cum redit ille, viro.
 Et letum includens lento de vimine textis
 Cratibus exoneret sedula lacte pecus:
 Hornaque vina cado dulcissima munera promens,
 Ponat, quos dederant rura benigna, cibos.
 Non Lacrina mihi placeant conchyliâ, rhombi,
 Non venient mensis fercula lauta scari.
 Si quos, Eois cum fese fluctibus effert,
 Ad mare Tyrrhenum turbida vertat hiems.
 Non ego barbaricis implevero viscera ferclis,
 Et peregrina meam pascat Orexin quis.
 Felices oleâ si detur carpere fructus,
 Et succos baccis elicuisse novos:
 Si doceant molles ventrem mitescere malva,
 Si lapathum mensis prata dedere meis.
 Me juvet esca, lupi raptus de faucibus hœdus,
 Agnaque, quæ festo, Termine, casa tuo:
 Interea reduces, epulis dum pascitur illis,
 Ubera balatu plena queruntur oves.
 Et tardos inversa sequuntur aratra juvencos,
 Pabula cum lassî notaque tecta petunt.
 Rustica lucentes famulantum turba coronat,
 Appendix regni non inbonora, focos.
 Alpius hæc reputans, felicia prædicat arva
 Praque suis grati fenora ruris amat.
 Jamque suburbanos urbi præponit agellos,
 Hos ut emat, relegens Idibus æra novis.
 Illa sed extinguunt vementes vota calenda,
 Alpius ad tabulas, lucraque nota redit.

Huic Metaphrasi nostræ alia Metaphrasium nostrarum subjiciemus exempla,

24

Ex Horatii Oda I. lib. I.

Mæcenas, prisco qui Regum sanguine natus,
 Præsidium Musis dulce decusque meis.
 Sunt, quis pulverei vident certamina Circi,
 Ut virides palmæ, cœcæ pulchra ferant,
 Hunc si Romulidæ multis insignibus oruent,
 Non pascant tituli, & nomina vana juvent.
 Illum secundis si messibus horrea rumpant,
 Et patrios nitido vomere findat agros.

Quicquid agas, studiis nunquam dimoveris istis.
 Attalicas quanquam sis dare promptus opes,
 Navibus ut vasti pavidus fecet aquora ponti,
 Committens dubiis lucra ferenda notis:
 Per mare velivolum placida cum navigat aura,
 Tum sibi mercator plaudit opesque parat.
 Sed cum tempestas, se toto turbida caelo
 Explicat, inque undis fracta carina natat,
 Tedia cum sibeunt vita non vana prioris,
 Quasitus pelago spernit & odit opes,
 Rura beata vocat, felices rure colonos;
 Si dederis illi littus, arare velit.
 Cumque silent venti, discussaque nubila caelo,
 Mox quassas reficit sedulus ille rates,
 Fortune veteres animo censusque recurrunr,
 Et miser esse nequit, pauperiemque pati.
 Est, qui nec veteris contemnit pocula vini,
 Atque dies multos sepe bibendo trahit:
 Seu viridi patula sedeat sub tegmine fagi,
 Seu penes irriguas ille recumbat aquas.
 Multos castra juvant, & caeci praelia Martis,
 Arma, enses, litui, tympana, pila, tubæ;
 Bella illis animos & caedes pectora pascunt,
 Queis matres teneræ, queis dolere mirus.
 Pervolatat sylvas venator & horrida tesqua,
 Non inbibent noctes, frigora, turbo, nives.
 Seu ille cripedi cava tendat retia cervo:
 Seu populatorem sternat anhelus aprum.
 Me miscent superis doctorum premia lauris,
 Et nemora & nympha me Satyrique juvant.
 His ego commistus vulgi commercia sperno,
 Dum mihi Castalidum sacra foresque patent.
 Si mihi se faciles Clio, Polyhymnia prebent,
 Arguteque dabunt carpere fila lyræ.
 Si tu me Lyricis Mæccenas vatibus addis;
 Tunc ego me regem, tunc vocitabo Jovem.

Ex Oſ. XXII. lib. I.

Cui pietas cordi est, qui crimine liber ab omni
 Vivit, & est recti justitiæque tenax;

Non

Non sicas metuet, non vincula, tehu, cavallas,
 Non quia se saluum casside praestet, eget.
 Seu adeat positos calidis sub solibus Indos,
 Seu per Barbaricas transeat ille plagas.
 Nam mihi dum sylvam nuper percurro Sabinam,
 Otia dum sector, dum Lalagenque cano;
 Occurrit lupus, & tamen hic me fugit inermem,
 Cui clypeum probitas, cui dabant arma fides:
 Quale nec in sylvis tellus alit Appula monstrum,
 Monstrorum genitrix, quale nec Afra dedit.
 Excipiat rigido tellus subjecta Bootæ,
 Quam Sole aversam nix glaciesve regit.
 Mittar ad exustos vicinis solibus agror,
 Latus ego Lalagen semper amabo meam.

Ex Od. XIV. Lib. II.

Posthume, precipiti labuntur tempora cursu,
 Nec pietas magis his injicit ulla moram.
 Non si Plutonem tauris placare trecentis,
 Non auri dare si multa talenta velis.
 Essores rigidum: nos Styx atra hauriet omnes,
 Quicumque hic annos ducimus atque dies,
 Imperitet populis, terram proscindat aratro,
 Conduntur tumulo sarcula, sceptrâ pari.
 Ut late quatiat magnus sua sceptrâ Tyrannus;
 Hæc quoque falce sua mors furibunda metet.
 Manibus & telis sit Rex, sit milite tutus,
 Hunc ex insidiis mors galeatâ petet.
 Frustra vesanis tergum subduxerit armis,
 Qui prociis à belli fudmine cautus agit;
 Frustra pestiferis autumnus terreat auras;
 Frustra est, qui timida Nerea monte fugit.
 Omnibus est adeunda palus Acherontis opaci,
 Et Plutonia nos regna domusque vocant.
 Grata tibi telhus linguenda torique pudici,
 Non conjux posthac basta læta feret.
 Quos colis, ex hortis cupressus odorâ sequetur,
 Funeris appendix sola futura tui.
 Que tu centenis servaras clavibus, hæres
 Dignior expanso guttore vino bibet.

Ex Od. II. lib. I. Carm.

Optima Leuconœ ne sit tibi discere cura,
 Quem tibi Dii finem, quem dederintque mihi:
 Vivere nam Priami liceat, vel Nestoris annos,
 An extrema tibi nunc oriatur hiems.
 Ne tu Chaldaea queras oracula sortis,
 Ne tu fatidicas inspice stulta rotas:
 Oblêtes animum, nec dulcia vina relinquo,
 Deliciis ventrem pasce animumque novis.
 Nam quoque dum loquimur, nos invita fugerit etas,
 Ne tibi sit cura crastina, serâ dies.

Ex Od. II. lib. II. Carm. Horat.

Eucio si fueris, si munificentia desit,
 Nullus ab argento splendor honosque tuo est.
 Munificus vivet longos Proculejus in annos,
 In fratres cunctas qui pius hausit opes.
 Latius & regnes, auri si nulla cupido est;
 Si non immodicas quæris anhelus opes;
 Quam si tu Lybicas conjungas Gadibus oras
 Subsistat & arbitrio Penus uterque tuo.
 Ipse sibi indulgens paulatim augetur hydrops,
 Ni fugiat morbi causa, nec ipse fugit.
 Dissidet à populo virtus magnumque Phraaten,
 Felicem solio cum sedet, esse vetat.
 Hæc vulgi plausus & inania schemata temnit;
 Non illi phalææ, non placuere togæ.
 Hæc fasces, regnum diademaque deseret uni,
 Qui magnas magno pectore spernit opes.

Hæ imitationes, ut in majoribus carminibus, ita & in carminum partibus locum habent, & in carminum variis generibus. Ita ex Oda facies Elegiam, ex Elegia Odam, ex brevi aliquo sententioso carmine integram vel Odam, vel Elegiam. Ut si forte ex Catonis Distichis brevibus Odas morales conficias, vel Elegias per *χωρισμὸν* & *πρόσληψιν* dilataris sententiis. Quale exercitii genus continuum & quotidianum esse debet illi, qui ad aliquam in carmine gloriam adspirat. Ubi imitationibus multis te exercueris, jam liberiori uti calamo poteris in Odis & Elegiis, fumendo theses, quas ductu quidem argumentorum Oratoriorum tractabis, sed modo tamen poetico & singulari quodam ornatu, quem semper carmen præ oratione soluta requirit; de quo postea dicemus. * Procedit illa imitatio etiam in ipsis inventionibus; ubi tamen cum modestia & judicio versandum est, ne quid aliis

aliis sublegere videamur. Possunt enim inventiones ex aliis facile excogitari, manuducente nos quadam vel metaphora, vel sententia.

Exemplum talis imitationis in Epigrammate invenias apud *Laurentium Niendalium* in Poëmatibus suis. Scripserat Muretus in Poëmatibus suis juvenilibus hoc Epigramma:

*Sutor es & pistox, Ianius, lenoque coquusque
Mercatorque bonus, causidicusque bonus.
Te tamen in tota non est mendicior urbe,
Nec quem paupertas arctius ægra premat.
Dic ægedum, qui sit (num res est mira, Corelli),
Cum tot res facias, rem facere ut nequeas.*

Retinuit Niendalius, dissimulato tamen autore, inventionem & vim acuminis; sed antecedens seu protasin hujus Epigrammatis Niendalius per *περίστροφῆν* multarum specierum dilatat, ut pene nimius illa in re sit.

*Nosti blandifona Philerge canna,
Incautas trahere in plagas volucres:
Nosti squammigeros aculeatis
Hamis fallere, cassibusque pisces.
Nosti pinsere, navigare nosti;
Nosti pingere, literasque nosti.
Nosti, quod nova nupta cum marito
Novit, cum thalamum subit pudicum:
Nosti, quod meretrix torum relinquens,
Vino pelliculam replere adusto,
Nosti cudere, sarcinare nosti;
Nosti suaviloquum sonare cæmen;
Nosti suavisonos ferire nervos.
Nosti ducere, precipiente chorda,
Mortis ad numerum lyre canentis;
Nosti texere tela sportulasque,
Et pellucida flare vitra nosti.
Nosti concoquere optimum metallum,
Nosti concoquere optimum Falernum.
Nosti, cum moritur vel hic vel ille,
Præconis vice unus indicare.
Mentiri quoque, si quid illud artis,
Unus præ reliquis, Philerge, nosti.
Es custos ovium boumque custos,
Es tonsor bonus, & mator Machaon.*

Merca-

*Mercator bonus es, bonusque sutor,
 Patronus bonus es, bonusque tutor.
 Et totis agis hoc & hoc diebus.
 Si desit, quod agas, Philerge, nobis.
 In toto tamen oppido, Philerge;
 Non mendacior ullus est Philergo;
 Nemo pauperior, Philerge, quam tu,
 Quid dicam? Magis hoc magisque miror,
 Cum tot res facias, Philerge, semper,
 Rem tamen facias, Philerge, nunquam.*

- 32 Eadem ratione, si quis Epigramma illud breve Martialis: *Omnia Castor emis: Sic fiet, ut omnia vendas*, in Epigramma circumscriptum mutare velit, hoc modo instituet, ut Antecedens: *Omnia Castor emis*, per figuram enumerationis dilatarit:

*Quid non Castor emis? talenta fundis,
 Ut possis tibi comparare fundos,
 Villas, pradia, vineas & hortos.
 Percursas fora, mundinas, tabernas.
 Et merces Tyriasque Cypriasque,
 Et quod venerat ultimis ab Indis,
 Presenti licitaris usque nummo:
 Mercaris tabulas, specilla, gemmas,
 Sculpta Phidiaco sigilla celo,
 Poela murrhina, vina digna poclis,
 Aulea Attalico superba cultu.
 Nil tibi satis est: sed hinc ubi omnes
 Exhausti loculosque zonulasque,
 Quid nunc Castor ages? inepte Castor?
 Emisti omnia, Castor, empta vendas.*

Ira Consequens, in quo acumen consistit, eleganter Antecedens prolixius deductum terminabit, dum lectoris animus, per ambages illas suspensus, inexpectato brevi acumine vehementer delectatur.

- 33 Inter exercitia Metaphrasium ac Paraphrasium, aliarumque imitationum referri possunt etiam descriptiones variæ, Temporum, Locorum, ut Veris, Æstatis, Sylvarum, Montium, Iconographiæ; item comparationes, quæ inter ornamenta carminum sunt. Hic ad ductum veterum se exercent tyro, jam contrahendo, jam dilatando. * Sic apud Ovid. *lib. 1. Fastor. à vers. 152. ad v. 156.* describitur Ver. Id imitatione per 12. versus ira extendes.

*Hac est, qua variis de floribus induit æstas,
 Incipiunt menses ire diesque novi.*

*Protrudit gemmas vitis rediiva tumentis,
Spondens Lenæi munera magna Patris
Arboribus redeunt, volucrum solatia, frondes,
Quas rigidi excussit tristior aura Jovis;
Fecundos nunc Terra sinus Naturaque solvit,
Et teneris sese frugibus ornat ager.
Tum letus fervet genialibus ignibus ær,
Plurima quem variis cantibus implet avis,
Hinc agni saliant, saliant per prata juvenci,
Et pullis misti rura vagantur equi.*

Ex illis, quæ prolixè adduximus, facile patet, quæ in conscribendo carmine 35
praxis institui possit. Prout jam igitur varia carminum genera sunt, ita varie in-
stituenda inventio, dispositio & elocutio. Integri Poëmatis Epici dispositio ele-
ganter a Mambruno in *Epopœia*, & Masenio in *Palestra Eloquentiæ ligatæ* præfigurata est;
qui de eo legi possunt. Nos huic rei hic immorandum non putamus, cum nemo
facile integra poëmata scripturus sit. Quare in minora illa carmina potius indu-
striam nostram convertemus. Et in Heroico genere habemus primo Eclogas,
deinde carmina encomiastica, minora; in varias occasiones concepta. Quod ad
Eclogas attinet, etiam illæ super certo argumento generis Demonstrativi scriptæ.
Nam vel gratulamur in illis, vel dolemus, vel simile quidpiam facimus, interve-
niente Dialogismo, qui pro ratione personarum colloquentium institui debet. Ar-
gumenta vero in illis debent esse humilia, rustica, pastoritia & per allegorias tales
ad argumentum princeps applicata. Id tamen probe notandum est, formulas col-
loquentium poëticas singulari studio notari debere. Quæ in re præire possunt illæ
Locorum Communium dialogisticorum ideæ, quas suppeditavit *Stavckius*, *Isagogæ*
sue Epistolice adjectas. Quæ autem subsunt sententiæ, quasi per lemmata notari
possunt. Illa lemmata amplificantur poëticis formulis, comparisonibus, descri-
ptionibus, &c. Ita tamen, ut pro ratione poëmatis in omnibus serveretur modus.

• In reliquis carminibus eodem more procedes. In his argumentorum Rhetori-
corum loci sunt manifestiores, ut in equo Domitiani, quem *Stadius* laudat, & in plu-
ribus aliis. Plerumque enim Demonstrativo generi subjiciuntur Eucharistica, Sote-
ria, Epinicia, Propemptica, Valedictoria, Salutatoria, Prosphonetica &c. in quibus
unde argumenta primaria defumantur, Rhetorici libri suppeditant. In his delectus
instituendus est, & argumenta vestienda ornatu poëtico. Si quis autem earmen cu-
juscunque generis scribere velit, hanc sequatur methodum, ut, ubi necessaria argu-
menta circumspexerit, totum illum sermonem nudum & enthymematicum, resolvat
in sententias breves, seu lemmata, quarum sententiarum in prolixiore carmine
forte 20. vel 30. erunt. Has sententias enthymematice vel syllogistice se exhiben-
tes, connectat certis quibusdam figuris, formulis, Poëtis utilitatis; amplificet, illu-
stret

stret vel per expolitiones, vel per assumptiones, finiti ad infinitum, partium ad totum, specierum ad genus, distincti ad confusum, causarum ad effecta, adjunctorum ad subjecta & vice versa: vel per comparationes & exempla fabulosa. Huic methodo si quis insistat, facili negotio carmen concinnabit. Hac methodo, quam ipsi antiqui Rhetores suppeditarunt, plerumque ipse usus fui; & vidi postea eandem institutam a *Bernb. Parthenio* in Comment. Horatiano, ubi per omnes odas Horatianas ostendit primo sententias carminis, & deinde ornamenta Rhetorica & Poëtica.

- 36 Ut carmen ea ratione scribere discas, exemplum tibi præfigas alterius cujusdam Poëtæ, vel antiqui, vel recentioris, notesque, qua ratione ille in scribendo carmine versatus fuerit. Resolve in sententias, atque illis sententiis ornamenta subijce: ita statim prodibit carminis artificium, & facile animadvertes ingenium Poëtæ. Ubi hiant illa, neque satis sibi respondent, ut sit in indoctorum hominum
- 37 carminibus, contemnere tale carmen potes. * Sed habent tamen antiqui etiam & optimæ notæ Poëtæ suas *παραβόλεις* & digressiones, quæ ita interdum a proposito discedunt, ut non revertantur: qui tamen eam ob causam reprehendendi non
- 38 sunt. * Non enim adeo morose ad Rhetorices leges Poëtarum libertas adstringitur. Sed tamen & in ipsis Episodiis quædam est concinnitas & quoddam, ut ita dicam, temperamentum poëticum, quod facile hanc *αμειδιότητα* excusat. Et est in minoribus poematibus major interdum Episodiorum licentia, quam in majoribus. Quoniam majora poemata perfectius aliquod systema habent, quam minora; & in perfectiore systemate, si quid excedat, facilius observetur, quam in minori aliquo carmine. Quemadmodum in homine perfectæ staturæ defectus magis in oculos incurrunt, quam in nano aut pygmæo: ideoque Episodia majori modestia in illo carminis genere adhibenda sunt. Ur illa res clarior sit, exempla quædam subijciemus.

- 39 Laudaturus erat Augustum Virgilius ob agrum, bello amissum, ejus beneficio redditum. Ergo duos de sorte sua colloquentes inducit. E quibus infelicio sic orditur. *Melib. Tu Tityre in securo latoque otio vivis.* (Illustratur exergalia & adjunctis otiosorum hominum rusticorum, & *συγκρίσει* suæ sortis) *Tit. Hæc ego otia Principi debeo.* (Illustratur perpetua allegoria & applicatione rituum sacrificii ad cultum Principis. Gratiarum actio per ritus illos sacros, quibus Dii coluntur, explicatur.) *Melib. Non invidéo. Ego vero deteriore loco sum, cujus tristitia ego omnia habui.* Amplificatur per hypotyposin suæ sortis, quæ consistit in damno agrorum & pecorum. Adjiciuntur omnia per enumerationem. Id enim familiare rusticis & simplicibus hominibus esse solet. *Quis est ille Deus, qui tot otia tibi fecit simpliciter: quo transitus fit ad cetera.* *Tit. Roma præclarissima urbs est.* (Non directe responderetur statim ad quæstionem, & narratio quasi e longinquo incipit. Laudatur Roma per comparationes rusticas & per figuram correctionis & contentionis cum Mantua) *Mel. Quid in Romam?* (per simplicem quæstionem.) *Tit. Spes libertatis me eo vocavit, quam sperare alibi non licebat, etsi plurima ejus causa tentavi* (Tres senten-

sententiæ amplificatur 1. per Chronographiam & enumerationem circumstantiarum, enumerantur enim rustica opera; quæ libertatis gratia fecerant.) *Mel. Mirabar ego, cum tui desiderium hic omnes teneret.* (Illustratur hoc desiderium per enumerationem votorum, & per figuram imaginis. *Tit. Eundum mihi illic fuit &c. Vidi illic juvenem &c. Ille libertatem, ille agros reddidit.* (Prima sententiæ amplificatur per interrogationem & responsionem, & per illustrem Metaphoram, a cultu divino petitam. Secunda iterum illustratur de aliquo adjuncto & Metaphora, a cultu divino petita. Tertia illustratur per ἐξεργασίαν, a rebus & operibus rusticis petitam.) *Melib. Contentus esse potes hac fortuna! etsi inculta omnia. Tuam illic felicitatem expectes.* (Tres sententiæ iterum illustrantur. Prima simpliciter proponitur. Secunda per descriptionem illustratur. Tertia itidem per descriptionem & per enumerationem deliciarum rusticarum.) *Tit. Nunquam memoria excidet hoc beneficium.* (Illustratur per figuram τῆ ἀδυνατίης.) *Melib. Mihi desperandum est, Abeundum hinc mihi nunquam redituro. Alius hac occupabit.* (Tres sententiæ illustrantur. Prima per enumerationem locorum, secunda per ἀπορίαν sub forma quæstionis propositam, tertia per quæstiones abruptas & exclamationes, per figuras, ironias. Inferre nunc *Melib. &c. per Apostrophên ad capellas suas.) Tit. Mane-mecum hæc nocte. Habeo poma. Jam vesperascit.* (Illustrantur hæc sententiæ per descriptionem ulteriorem ex adjunctis & Chronographiam.)

Secundum exemplum, e *Statii Carm. u. Lib. i. Sylv.* quod est encomiasticum in 40
Equum Domitiani,

Equum hunc Poëta laudat 1. a causa efficiente. Unde hæc moles in forum venit? amplificatur per enumerationem variorum operum, quæ sub figura dubitationis & interrogationis proponitur: an e cælo venit? an e siculis caminis? an manu Palladis perfectum, per contentionem cum aliis operibus: ubi notentur formulæ connectendi: nunc, age fama prior miretur &c. Hunc non cepisset; ipse nec Æneas &c. Adde quod ille nocens. Martem non amplior portat. Nec veris majora putes: adduntur variæ exergasiæ & aliquæ hypotyposes, sed breviores. Laudat 2. hunc equum ab adjuncto circumstantiarum, & loci, & a quatuor positionibus. Hinc limina pandit Tiberius; cum quo Domitianum comparat, ita ut hunc illi præferat & tu mitior illo. A latere Julia templa. Hinc regia Pauli. A tergo templum concordia. Amplificantur hæc expolitionibus & prosopographiis brevioribus. Connexio membri: par operi sedes. Laudat 3. ab adjuncto proprio, equite scilicet, quem describit per partes. (1) a facie & capite: Ipse autem puero celsum caput & tribuit capiti itatua, quæ alias ipsi imperatori tribuenda. (2) a manibus, ubi describuntur adjuncta manus, imago scilicet Palladis. (3) a pectore & latere gladioque ad latus pendente, quem comparat cum gladio Orionis. Ubi semper itatua tribuit, quæ attribuenda personæ. Laudat 4. equum a forma externa. Amplificatur per descriptionem partium, & ab effectu vel accidentalibus consequentibus, contentione cum aliis instituta.

pes &c. Perpetuæ hic sunt Metaphoræ κατ' ἐνέργειαν. Tribuuntur enim statuae, quæ tribuenda alias animal. Laudat 5. à subiecto, scilicet solo; amplificat variis fictionibus & hypotyposis ac comparationibus cum aliis fundamentis, quæ majora opera portant. Laudat 6. à celeritate operis perfecti, per fictionem genii quasi cooperantis, & descriptionem istius laboris per adjuncta. Connexio: nec longæ traxere moræ. 7. Ornat Prosopœia totum hoc carmen. Introducit enim loci custodem statuam & equitem alloquentem. Consideratur hic triplicis temporis circumstantia; (1) *Præsentis*. Ipse loci custos extulit caput, & hæc inquit. Amplificantur hæc sententiæ per πρόσληψιν variarum circumstantiarum & variarum actionum. (2) *Præteriti temporis*: si te nostra tulissent secula. Amplificatur autem comparatione dissimilium. Comparat enim hunc equum cum equo Alexandri M. Descriptiones ornant sententias. (3) *Futuri temporis*. Opus hoc perpetuum erit. Amplificat hoc per enumerationem earum rerum, quæ aliquid destruere solent, & quidem per ἄριστον: non hyemes, non ventos, non fulmina horret, non æstatem. Amplificat deinde per θέρων; certabit cum Roma de perpetuitate. Ornat itidem per fictionem novam Deorum & fratrum cælo labentium, quæ huic imagini miscebant oscula. 8. *Claudat voto per Apostrophem* ad ipsum Domitianum. Amplificat hoc comparatione & inductione artificium, quæ ipsum vel fingere vel pingere vellent, aut quæ ipsi templa erigere cuperent. Vive diu, & nostræ pietatis cultus non sperne, per Exergasias & PeriphraSES.

His exemplis insistere possumus in ceteris quoque carminum generibus.

41 Nam & Elegiæ & Odæ eodem modo ordinari possunt. * Quod si quis jam Ovidii Elegias, imprimis Heroidum Epistolas præ manibus sumat, & in suas sententias atque ornamenta resolvat, statim artificium deprehendet, quod in illis summum est. Ovidius enim, ut erat cultissimo ingenio, ita nihil quicquam omisit in ornando carmine, Elegia præsertim; adeo, ut quibusdam nimius videretur, qui declamatorias in illo argutias notarunt. Sed non est, ut illorum iudicia moremur.

42 In Lyrico carmine eandem rationem sequi possumus. Nam, si Horatium nobis præfigamus, singulas Odas eadem methodo resolvit *Parthenius*. Si enim e.g. primam Odam resolveris, his sententiis continetur: quidam agonibus Olympicis student: quidam agriculturæ operam impendunt: quidam navigationibus & mercaturæ student: quidam voluptuariam vitam sequuntur: aliqui militia, alii venationibus se exercent. Ego vero poëtica studia amo, quæ me celebrem reddent. Singulæ sententiæ ornantur variis descriptionibus, Metaphoris poëticis, Epithetis inignibus, assumptionibus ad adjunctis, enumerationibus partium; atque ita tota hujus Odæ compages absolvitur, ac videtur Horatius totam hanc Odam per imitationem desumpsisse a Virgilio, cujus sunt hi versus lib. 2. Georg.

Sollicitant alii remis fracta ceca &c.

Exemplum

- Exemplum nobis erit elegans illa Oda, quæ reperitur apud *Cominium*, Poëtam 43
 • Gallum, ad Principem Condæum, lacte victitantem. Hac Oda Poëta elegantissimus Principi gratulatur de lactis cibo, illudque consilium laudat; variisque exemplis, fabulosis præcipue, ostendit, lac esse Heroum cibum. Pulcherrimæ in illo sunt descriptiones & ornamenta e fabulis: comprehendi potest his sententiis. 1. Ne pudeat lacte vesci (per amplificationem a contrario & exergasiam.)

*Ne sit pudori lacte regales mero
 Mutare, Borboni, dapes;
 Luxu & remoto, pellere innocentibus
 Sitim famemque poculis.*

2. Ille fuit cibus aurei seculi, (dilatatur per descriptionem prolixiorē a variis adjunctis, quæ respondent simplici cibo ab effectis.)

*Haud alius olim, Rege Saturno, cibus
 Heroas aluit, & Deos:
 Cum pura adhuc, recensque ab auctoris mane
 Natura nesciret dolum:
 Rivisque latice candido manantibus
 Curam & labores mergeret.
 Tunc illa lacti-concolor proles suo,
 Agitabat ævum letius,
 Nec quid senectus, quidve lautitiæ comes
 Foret podagra, noverat;*

3. Tunc Jupiter ubera capellæ junxit, eamque cælo transfudit (per Phrasæologiam elegantiorē.)

*Tunc & capellæ plena siccantem ubera
 Tellus adoravit Jovem:
 Qui, ne sibi unquam tam bonus deesset liquor,
 Nutricem Olympo transfudit.*

4. Apollo pastor factus, ut lacte vesceretur (per Phrasæologiam & *αἰτιολογίαν*.)

*Apollo dulci rore cum cuperet frui,
 Servavit Admeti boves:
 Mammasque crebro suxit, ambrosiæ ut vetus
 Abstergeret fastidium.*

5. Hercules lac bibens cælo viam lacteam fudit, (per Phrasæologiam & descriptionem viæ lacteæ breviorē.)

*Hoc ipse madidus nectare Alcmenæ puæ
 Nova fecit orbi sidera:*

*Quot ab ore gutta, dum bibit, defluerunt ;
Tot iere per caelum facos.*

6. Qui lacte vescuntur, fortes sunt. Transitus fit per prolepsin, dilatatur per Phraséologiam ex effectis synonymicam.)

*Languere inerti, ne tamen crede otio,
Queis molle placuit poculum
Lac auget animos. Inde magnorum venit
Effector operum spiritus,
Puroque bilis igne, cognata & ferens
Superas ad arces pectora
Aethereus ardor.*

7. Constat hoc exemplo Herculis, Davidis (per descriptiones prosographicas & amplificationes actionum a circumstantiis.)

*sic feros idem Hercules
Lactantis in matris sinu
Elisit angues: seque consiliis Deum
Patrioque deberi polo
Jam tum probavit. Sed quid exemplis fidem
De fabulosis quarimus?
Ephratensis ille pastor, immanes manu
Cui lusus ursos frangere;
Cui saepe presso gutture horrendum fremens
Succubuit in sylvis leo;
Virtutis unde robur indomita hauserat,
Et cor pavere nescium?
Per sola patrios rura sectantem greges
Succo fovebat vivo,
Expers aratri vitula, & infestis lupos
Lacessere audax cornibus,
Hinc funda victrix, & Palaestinus caput
Suo ense truncatus gigas:*

8. Tua facta testantur, a lacte magnos tibi triumphos excitatos. (Hic se totum effundit Poëta, & per enumerationem prælia & res gestas Ducis Condæi recenset additis descriptionibus præliorum a variis adjunctis. Adduntur epitheta Hyperbolica. Comparatio cum leonis carulo.

*Tibi ipse testes, Borboni, an lac Martios
Restinguat ignes prælore.
Dicat Batavo mutuum in cladem & probrum.
Male fœderatus Celtiber;*

Epulisque

*Epulisque opimis frustra, & ardenti mero
 Germanus iram fuscitans.
 Valles Senesi strage cumularunt sua,
 Vinoque rubrum & sanguine
 Auxere Sabini. Pinguia obsecras adhuc
 Pascent volucres corpora,
 Seu cum Lybisse matris expressum bibit
 Manna furorem turgida
 In Billa catulis fertur, & fevos boium
 Tristisque custodum nece
 Exercet unguis.*

9. Tibi bibito lacte, vigor redit. (Simpliciter.)

*efficaci poculo
 Ad arma sic vigor redit,
 Nevia & juventus.*

10. Nuperi triumphi te juvenem ostenderunt. (per brevem descriptionem.)

*Te quidem nuper tribus
 Cum vidit auctum laureis,
 Hostesque trepido fugere cogentem gradu,
 Afsatia juvenem credidit.*

11. Nunc tuo exemplo lac Heroum cibum facis (per Synonymiam phrasium.)

*Nunc ergo dum te rore vitali fovet,
 Viresque seffas recreat,
 Lacte vicissim reddis antiquum decus,
 Meritosque honores asseris
 Nam jure dici meruit Heroum cibus:
 Quando ipse fecisti tuum.*

12. Jam Galli omnes lac vino præferent. (per Synonymiam phrasium, & allusiones ad nomen & insignia.)


*Jam Gallus ornatis, nomni fovens suo,
 Præ delicato nectare
 Fastidiosus dispuet fuetas dapes,
 Sprentique dona Liberi.
 Jam rursus imbre lota divino, novum
 Trahent mtorem titia.*

13. Felix illa juvenca, quæ liquorem hunc regali alumno fundit. (Hic singulari artificio Poëta Apostrophæ facit ad juvencam, comparando illam cum Io, & spondendo illi sidera, quæ omnia Poërisimum sapiunt. Talia enim mirifice ornant carmen, & colores poëticos addunt. Descriptiones breviores illustrant sententias.)

*At tu liquores quæ gravi nunquam ubere
 Summittere almos desinis,
 Juvenca felix! si potest quicquam meum
 Sponderè carmen, & potest;
 Non fabulosas clara Grajùm versibus
 Io tibi se præferet:
 Ex homine quanquam facta bos, Dea ex bove
 Templo renugit aureo;
 Populosque blanda voce poscentes opem
 Oraculis conterruit.
 Dicere quondam nobiles inter feras
 Tenere Olympi pascua:
 Vernosque cornu ducere aurato dies,
 Tauri marita incidi.
 Interea olentes perge regali memor
 Herbas alumno carpere:
 Præstesque Francis, lactea ut serus via
 Condæus ad superos eat.*

His sententiis elegans illa Oda comprehendi potest. Quæ ad ornatum pertinent seorsim observentur: elegantes phrasæ, significantia epitheta, variationes pulchræ. Vel unum lactis nomen sæpe *περὶ Πρωτότης*. Jam enim vocat pocula innocentia, laticem candidum, bonum liquorem, dulcem rorem, nectar, molle poculum, succum vividum, rorem vitalem, delicatum nectar, imbrem divinum, liquores almos. Metaphoræ illustriores, fictiones, comparationes notari iidem debent. Quod si in reliquis Poëmatibus majoribus concinnandis eadem ratione usus fueris, facili negotio ad carmen scribendum te præparabis. Exemplis enim aliorum nos ipsos instruimus.





POLYHISTORIS LITERARII

LIB. III.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΟΣ.

CAP. I.

DE EXCERPENDI RATIONE.

- §. 1. *Excerpēdi necessitas.* 2. *Illā male a nonnullis impugnatur.* 3. *Exempla Platonis & Thami Aegyptiorum Regis.* 4. *Sacchini liber de ratione libros legendi laudatur.* 5. *Ob abusum aliquem non tollendus excerpēdi usus.* 6. *Excerpēdi omissio viris doctis deplorata.* 7. *Excerpēdi utilitas.* 8. *Autores aliquot de Excerpēdi ratione recensentur.* 9. *Drexelius.* 10. *Philomusus.* 11. *Sturmius, Benzius.* 12. *Fogelius in Lexico Homonymorum,* 13. *Udenius,* 14. *Schraderus,* 15. *Keckermannus, Bonneus.* 16. *Excerpta usui & scopo nostro accommodanda.* 17. *Vincentii Placcii liber de arte Excerpēdi laudatur.* 18. *Ejus machina sermii literati.* 19. *Modus in Excerpēdo non usque adeo operosus esse debet.* 20. *Excerpta minus necessaria per amantiores potius instituenda.* 21. *Autor excerpēdi studium neglectum dolet.* 22. *Adversaria de omnibus rebus, quae legimus, videmus, audimus, cogitamus, paranda.* 23. *Sarpui,* 24. *Wetschii,* 25. *Tschirnhausii ea methodus.* 26. *Sacchini libri gemini Excceptorum.* 27. *Adversariorum magnus usus.*

Postquam superiori libro, cui METHODICI titulum fecimus, multa de methodo in studiis diximus, huic librum tertium, quem ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΟΝ inscripsimus, nunc subjungimus; qui cum eo connexus videtur, in quo de RATIONE EXCERPENDI, tum in Eloquētia, tum in disciplinis, agemus: In illa enim quāsi quaedam praeparatio ad doctrinam consistit. Ut qui domum exstructurus est, lignis & lapidibus opus habet: ita qui egregium aliquid in quocunque doctrinae genere comatur, silvam prius congerere debet ad opus suum idoneam.

Quor-

Quorsum enim multa legere proderit, nisi cum fructu legantur, & in usus nostris, velur in horrea quædam, seponantur? quemadmodum scilicet bonus Pater familias prompruaria habet, e quibus familiam sustentat; Ita vir doctus suas quasdam opes congerit, quibus bonam mentem alat, ac famam sibi excitet. * Nolo hic de necessitate excerpenti multa præfari: sunt enim, qui de eo copiose satis disputant adversus illos, qui excerpenti studium ut supervacaneum & molestum rejiciunt, minime hac in re audiendos. Non desunt, qui, quod de literarum inventionem in universum judicarunt, etiam ad excerpenti rationem applicent. * Plato jam tum in Phædro disputavit, plus detrimenti adferre sapientiæ libros, quam præfidii. Nam cum literarum inventor *Theuth* Ægyptiorum Regi *Thamo* inventum illud memoriæ & sapientiæ remedium esse prædicaret, Regem contra dixisse narrat, potius oblivionem allaturas propter negligentiam recordandi. *Quippe qui, inquit, externis confisi literarum monumentis res ipsas intus animo non revolvunt: quamobrem non memoriæ, sed monitionis remedium invenisti: Sapientiæ quoque opinionem potius, quam veritatem discipulis tradis.* Nam cum multa absque Præceptoris doctrina perlegerint, multarum rerum periti vulgo, cum ignari sint, videbuntur. *Consuetudine quoque molestiores erunt, utpote qui non sapientiâ ipsa sint præditi, sed opinione sapientiæ subornati.* * Et hæc tria incommoda nunc quoque, inventa Typographia, Sacchinus in eleganti libro de ratione libris legendi cum profectu cap. 10. passim in re literaria dominari judicat. Plerique omnes, inquit, ut quicquid in adversaria retulerunt, ommissa cura sunt, segniusque animo tanquam ipsi jam tenerent, quod commiserunt membranis: ac non potius ea re scrinia illorum quam ingenia docta videri possent. *Quin etiam cum doctrina ex eo bonorum sit genere, quæ nec amitti nec auferri possunt, nihil proclivius factum est, quam ut ejusmodi commentaria igne, aquis, furto, ab tincis & blattis aliisque casibus pereant.* * Hæc quidem non omnino falso dicuntur, sed quia non solum Excerpta, sed omnem rem literariam & librorum usum tollunt, qui ira judicant, potius ad majorem utilitatem ea in re respiciendum est, quam ad eos, qui hominum inventis per socordiam suam non recte utuntur.

6 Fateor multos etiam sine excerptis Viros non doctos solum, sed & ferme insignes fuisse; quos tamen in juventute negligentiores fuisse, in sera ætate impense penituit. *Johannes Sturmius*, qui in libro de linguæ Latine resolvendæ ratione adeo operose colligendi modum in phraseologia describit, de se ipso ait: *Sed ego non feci, & dolet me non fecisse, atque utinam monitus fuisset a Præceptoribus, ut hoc facerem, utihor vobis esse possem hoc tempore, quam sum.* Idem vel in senectute ad huic excerpenti laborem paratum ipse ait, ommissis gravioribus, si socios ejus laboris natura possit. Quare juventutem magnopere hortatur, ut mature isti operi se accingant. *Quod nos, inquit, senes tota nostra ætate assecuti non sumus: vos paucissimorum annorum labore, & labore facilissimo, vobis comparabitur.* *Casaubonus* quoque in Epistola 309. ea de re queritur: *Dolet mihi, quod multa legerim in nostra bibliotheca, quæ jam pridem in adversaria mea non retuli.* * Excerpti studium ex adverso multa sunt, quæ suadent. Provocat enim legentium attentionem excerpenti

pendi industria; ipsa illa scriptio intelligentiam juvat, & quod præcipuum est, certissimæ hoc oblivionis remedium est.

De Excerpti ratione non pauci scripsere, tam generatim, quam speciatim, 8
 de quibus dicas, illis pene, quot capita, tot esse sensus. * Notissimus est DRE- 9
 XELI liber, cui titulus: *Aurifodina artium & scientiarum*, in quo multa proponit
 excerpti consilia, sed quæ multis non placuerunt, ob eorum multitudinem & dis-
 tractionem. Plerique omnes, qui de methodo studiorum agunt, aliquid de excer-
 pendi ratione immiscent; quorum omnia consilia enumerare quid attinet? Genera-
 rim aliqua FRANCISCUS SACCHINUS in libro supra laudato tradit. * Extat cu- 10
 jusdam PHILOMUSI e Soc. Jesu libellus, cui titulus: *Industria excerpti brevis, faci-
 lis, amena, a multis impedimentis, quibus adhuc tenebatur, exsoluta, Constantia Ann.
 1684. editus.* Ille geminos libros facit Locorum & Adversariorum, atque adeo
 omnia cujuscunque farinæ miscet; quod mihi omnino displicet. Cur enim Phra-
 seologica, Sententiosa, Oratoria, Physica, misceantur, atque in unum cumulum
 confundantur? quam molestum erit, in isto singula acervo quærere? neque
 enim compendium illa methodus præstat; sed potius turbat. Quibus arctæ res in
 eruditione sunt, illi de singulis pauca congerunt. Quibus vero magnæ opes sunt,
 illi, nisi per suas sedes distincta singula habeant, non in bene ordinata penu, sed in
 chao quodam, versantur. * Alii ordinem rerum in verbis & rebus sectantur, 11
 alii eo ordine, quo, quicquid illis occurrit, in commentarios suos referunt, qui ta-
 men indices benè dispositos illi subjiciunt. Ordinem rerum secutus est Sturmius, &
 ex ejus consilio Benzius, suntque eorum *διὰ τὴν πρῶσιν* ea de re editæ; quæ fateor in-
 signem utilitatem in amplificando & in argumentis præstant, dum omnia inter se
 connexa, quasi sub unum obtutum cadunt. Sed tamen & molesta sunt vacua illa
 chartarum spatia, quæ evitari non possunt. * Commendavit & nuper ad me- 12
 rhodum generalem Locorum Communium Martini Fogelii Lexicon Homonymorum,
 qui illud edidit, Cl. Joannes Vegetius, optime de Viro optimo meritis & meritorus,
 si cetera ejus inedita in lucem protraheret. * Scripsit & ante aliquot annos UDE- 13
 NIUS Germanica lingua librum, cui titulus: *Excerpti ratio nova, Northuse Anno
 1681. in 4. editum*: qui tamen præcipue ad Locos Communes in orationibus sacris
 concinnandis consilia suppeditat, non utique spernenda: sequitur enim viri Clarif-
 simi Chr. Schraderi methodum. * Ille commentario in Rhet. Aristot. de excerpti- 14
 di ratione quædam se editurum pollicitus est, & circumferuntur quædam ejus de hoc
 argumento privatis Scholis propõsita, quæ ante obitum, ut audio, optimus senex per-
 fecit, ut typis promulgari possint. Ceterum minimè eam probat methodum, qua
 uno in libro omnia confunduntur. * Scripsit & KECKERMANNUS de Locis Com- 15
 munitibus faciendis *Consilium Logicum*. Legi etiam BONNÆUS libro *de Ratione di-
 scendit p. 129.* potest, qui facit Locos communes 1. *Theorematicos*, qui secundum or-
 dinem disciplinarum instituuntur. 2. *Historicos*, ubi sunt Prosopographici, Topo-
 graphici, Mythologici, rituales, rerum gestarum, loci morales exemplorum. 3. *Lo-*
 Tomus I. B b bb cor

- 16 *cos glossematicos pro linguis.* Sed iis recensendis non immorabimur: * Nos potius rationem, quæ nobis commodissima in plerisque disciplinis videbitur, hic proponemus. Qui eis utetur in quantum suo scopo commodum videbitur, sibi applicabit: quilibet enim e fine sibi proposito, ut omnium studiorum methodum, ita excerptendi rationem metiri debet. Quemadmodum enim non eadem vel vestis vel domus mensura omnibus convenit, sed secundum vitæ conditionem, fortunarum amplitudinem vel tenuitatem, adornari solet; ita Excerptorum planè dispar ratio & forma est. * Edidit superiori anno Vir Clarissimus, VINCENTIUS PLACCIVS *de arte excerptendi librum lingularem*, quo ille summa diligentia omnes, qui de hoc argumento scripsere, Auctores, omnes excerptendi formas & modos, singulorumque commoda, incommoda & præcepta, recenset. Multa hic de Excerptendi ratione per Lemmata, per Schedas, de Excerptis Methodicis, Alphabeticis, commentariis, Adversariis, Socialibus, de libris Excerptorum laxiori compage
- 17 *ordinandis.* * Proponit & *sectione X.* peculiare cujusdam Anonymi *Scrini literati* inventum, a se vero multis modis emendatum, cujus ope quam commodissime institui cujuscunque generis excerpta possint. Prolixe illam machinam ejusque apparatus illic descripsit, additis iconibus & exemplis; quæ singula legere in libro isto possunt rerum illarum curiosi, atque inde suo usui accommodare. Non enim eadem omnibus convenire Excerptendi rationem, non eadem Excerpta, ipse agnoscit vir clarissimus *libri sui cap. I. §. 9.* * Nos de Excerptorum forma usque adeo hic solliciti non sumus, quin potius existimamus, eum, cui thesaurum & opes colligendi facultas non defuerit, loculos facile inventurum, quibus reponat. Ita enim instituere excerpta tyronem meum velim, ut non multum sibi negotii anxia & scrupulosa diligentia facessat, porius vero ad utilitatem rerum, quam methodi subtilitatem, respiciat. Parum refert, quo loco, quo ordine arma quis posita habeat, modo in promptu sint, cum ad pugnam ventum est. Et accidit plerumque, ut, quemadmodum illi, qui in nummis opibusque congerendis nimis sunt studiosi, raro iis recte uti norint, ita qui Excerptis nimis insudant, omniaque illis scrinia plena habent, cum quid in medium proferendum est, jejuni & steriles evadant, ac ingenio suo, quod sui nunquam juris & arbitrii est, semper diffidant.
- 20 * Quare ego excerptendi laborem, qui & rædiosus est, ac ingenium fatigat, in rebus non admodum necessariis per amanuenses institui malim: nam & hic jucundius e consilio Martialis erit, si & in literis nobis sit *Res non parva labore, sed relicta*
- 21 *vel per homines nostros nostris auspiciis nobis acquisita.* * Ego certe Excerptis congerendis non multum operæ me impendisse fateor, etsi aliorum diligentiam laudo, meaque in his negligentia succensio; magno tamen in lucro reputaturus, si aliorum mihi opera uti concessum fuerit. Nunc ego memoria promiconda contentus scribo multa, quæ fallat quidem nonnunquam, & res suas reperenti raro respondeat, plerumque tamen, cum argumenti occasio sollicitat, ultro offerat, & quasi ex capsula depromat. Sed nos ad excerptendi rationem redimus.

Utilissimum est, non tantum sub Locis Excerpta dirigere, sed & Adversaria²² quaedam conficere, in quibus congeramus, quicquid unquam cogitatum a nobis est, in lectione Autorum, aut in quotidiana meditatione: deinde quicquid vel vidimus, aut ab aliis nobis narratum est. Non credat quis, quot ex illo fructus redundare possint. * Fecit id Vir maximus, PAULUS SARPUS: quarum no-²³ tarum integra restare volumina testatur in ejus via Fulgentius p. 134. 135. 136. edit. Gallie. Illis nihil acutius & eruditius fingi posse ait. * Idem fecit & πολυμο-²⁴ δεσμος ille WELSHIUS, ut in Vita ejus refert Schröckius p. 61. n. 27. * Ex his²⁵ cogitatis velut ideis quibusdam integri postea libri gignuntur; Id quoque experientia sua testatur Tschirnhauß. in Medicina part. p. 2. 176. Quia raro ob tot hujus vite impedimenta est possibile, ut semper sat temporis habeamus rem quandam accurata, ut decet, metodo tractandi, utilissimum, quod hic facere possumus, est, ut, si bonæ nobis cogitationes suggerantur, (id quod non raro præter spem in media cum aliis conversatione, dum ne quidem de veritatis acquisitione cogitamus, accidet) singulis eas diebus, coque, quo in eas incidimus, ordine conscribamus. Hoc ego dum feci, observavi, me sic brevi tempore sat multas observationes, quæ mihi fundamento fuerunt ad multa ex iis utilia derivanda, sic concessisse, quæ alias memoria dubio procul excidissent; quin non potui relegendo recordari, me eorum, quæ consignaveram, cogitationes unquam habuisse.

Idem quoque suavit SACCHINUS in libr. supr. laudato cap. 3. ut gemini libri²⁶ conficiantur, alter Adversariorum generalis, quo, ut lectio quodque subministrat, omnia colligenda sunt; alter secundum ordinem titulorum congestus. Quemadmodum negotiatores geminos habent libros, pusillum unum, alterum grandem: illum adversaria aut ephemeridem, hunc calendarium & codicem dixeris. In eum singulorum dierum rationes accepti expensive tumultuarie referunt, nempe serie illa, quam obtulit usus: in hunc transferunt inde disponuntque certa in loca, quæ conservata volunt. Hujus sui instituti rationem hanc habet: Priorem librum, inquit, confici volo, in quem continentur, ut occurrunt, quæ ex quopiam opere seliguntur, notentur, quia magna est oblectatio, atque opportunitas, si uno quasi contuitu, quæ in uno quopiam libro sunt egregia recognoscas. Id autem fieri non poterit, si in ordinem, non lectionis, sed rerum, excerpta dispenses: Sparsa enim erunt in plurima capita, quæ magnum insulsisque negotium sit singula perscrutari. Deinde ille contuitus, quo consequenter excerpta recognoscuntur, operis totius memoriam refricat. Præterea multa offeruntur legenti egregia, quæ certum in caput nullo modo, aut agre, possis referre: quæ tamen in adversariis nullo labore consignabuntur, nec magno opere, cum voluntas feret, inveniuntur. Itaque prior hic labor id genus adversaria conficiendi mea sententia multum voluptatis habet, multumque commoditatis: neque ullius tædiæ declinandus est metu. Altera autem opera disponendi in sua loca, & capita, quæ ad eandem rem faciunt, manifestum pretium habet: Namque sub titulo (exempli gratia) Anicitie, Prudentie, Timoris, ac rerum hujusmodi, tam multa brevi videbis coacervata ex operibus, quæ legeris, ut ipsemet mireris. Hæc ille, cujus minime spernenda consilia sunt, idemque Sturmius in libro de linguæ Latinæ resolvendæ ratione

27 probat. * Et sane, quod ad Adversaria attinet, ea magis, quam ceteri Excerptorum libri, sunt necessaria. Novi enim Viros doctos, præclarorum autores librorum, qui nullis aliis libris, quam temere congestis Adversariis usi fuerunt, quæ semper secum etiam in itineribus habuerunt, & in iis obvia quæque statim consignarunt.

C A P. II.

DE EXCERPTIS PHRASEOLOGICIS.

- §. 1. *Excerptis Verborum cura præcipua impendenda.* . 2. *In oratione tria attendenda, ut sit pura, ornata, copiosa.* 3. *Excerpta secundum hanc distinctionem institui debent.* 4. *Willichii methodus colligendi secundum ordinem categoriarum.* 5. *Quibus difficultatibus prematur.* 6. *Exemplum excerptorum Willichianorum.* 7. *Sturmii methodus illi præfertur.* 8. *Julii Camilli consilium de Locis inutile.* 9. *Loca quatuor generalissima excerptorum.* 10. *Excerpta non ab uno, sed a multis eadem methodo instituenda.* 11. *Locorum Sturmianorum & Lullianorum aliqua convenientia.* 12. *Lulliani loci Ficheto laudati.* 13. *Beccheri excerptendi institutum.* 14. 15. *Benzii, Sturmii consilia secutus, in Græcis & Latinis vocibus laudatur.* 16. *Ejus dispositio locorum in Latinis.* 17. *Magnum copiae subsidium a Methodo Sturmiana.* 18. *Particularum separata Excerpta & Rhetorica.* 19. *Rhetorica collectanea.* 20. *Encyclopædia Philologica Placcii laudatur.* 21. *Divisio operis diversarum rerum phrasés a diversis colligenda.* 22. *Donii Hermathene laudatur,* 23. *quanquam in illa omnium coaservatio incommoda sit.* 24. *Suadetur index & ordo alphabeticus.* 25. *Schönslederi & Benzii collectanea conjungenda.* 26. *Accurata titulorum divisio non parum saepe incommodi habet.* 27. *Præstat quandoque titulos suo arbitrio disponere.* 28. *Basilii Fabri Sorani phraseologica collectio- nes laudantur.* 29. *Unus potius autor excerptendus & familiaris reddendus est.* 30. *Tituli in Fabri collectis non satis accurati.* 31. *Præ aliis Schönslederi apparatus commendatur.* 32. *Quintiliani sententia reprehenditur,* 33. *& objectis respondetur.* 34. *Ful. Pollucis diligentia laudatur.* 35. *Vocum delectus origo est eloquentia.*

1 **P**rima Excerptorum cura in oratione versatur, quorum eo major habenda ratio est, quo magis nitidæ orationis cultus viro docto necessarius est. Multa enim sunt & varia & minuta, ad quæ attendere debent, qui orationis nitore student, singularibusque observationibus, quæ & iudicio & longo usu demum instituuntur, addisci debent: cum excerpta rerum & scientiarum faciliori negotio, vel ex methodo singularum disciplinarum, vel nostro arbitrio, adornari possunt. 2 sint. * Sunt vero in Oratione tria, ad quæ respicere debemus; primum ut *pura*, 3 deinde ut *ornata*, hinc ut *copiosa* sit. * Puritas ergo dictionis primum locum occu-

docet. Hanc ut obtineamus, variis opus erit Excerptis, Grammaticis & Lexicis. Suadet VIVES libro *de Adolescentum institutione* confectionem talium librorum, sed non distincte satis eo in argumento versatur. * Proposuit JODOCUS 4 WILLICHIUS in libro *de verborum copia comparanda* modum, quo nomina sub titulis communibus colligenda sint, exemplis de veste, toga, horto, vinea, in medium allatis. Nam sub Titulo *vestis* primum omnes phrasés, quæ huic subjecto conveniunt, recenset, subjungi vult deinde derivata & composita. Hinc ad species vestium, ex natione, ex colore, a materia, descendit. Deinde ad vestes, ratione formæ consideratas, procedit, & sic in ceteris. Sed ille modus a vulgata Lexicorum ratione non differt, nisi quod classibus suis singula distinguuntur, quod non æque illi faciunt. Hinc vero verba pro categoriarum ordine disponere docet, qua de re ipsum audire juvat: *Prima ratio hæc esto, quam docendi gratia prædicamentalem appellare visum est. Et sicut locupletiores arcas cistulis aut marsupiiis refertas in promptu retinent, ut ex horum singulis alia atque alia numismata aut depromant aut recondant: Ita studiosi adolescentuli vel in dicendo vel in scribendo, cum usus poscet, locos suos in manibus teneant, quos ex prædicamentis certius petent, quam aliunde, cum sint omnium rerum & vocabulorum, quæ istarum signa sunt, veluti promptuaria, & certa spatia sic designent, ut sub singulis plerisque locis justum intervallum intersit, & eum servabunt ordinem. Primo adsit ejus nativa significatio seorsum posita. Deinde formula dicendi substituatur ea diligentia, ut verba nunc cum nominibus constructa puris, nunc cum impuris, hoc est, quibus præpositio aut adverbium, aut dictio una aliqua accessit, integra subnotentur, juxta cum Autoris libro, pagina & interdum versu: postea idem faciendum est in translata significatione, & hanc subinde variare nemo addubitabit: utrobique autem derivata & composita juxta cum agnatis & synonymis adscribenda sunt.* * Subjungit hinc abacum substantiarum, sed methodo non bene satis ordinata. Neque illa disponendi ratio omnia colligenda ita comprehendet, ut facile postea inveniantur, nisi longinquis subdivisionibus tituli deducantur; unde labor inquirendi augebitur, & in collocando tyro per varia notionum genera distrahetur. Quod si sub titulis istis generalissimis omnia sine discrimine ponantur, quam in vasta ille sylva errabit! * Rectius hæc intelligentur, si exemplo aliquo Willichii hæc sententia illustretur. Assumit ille duas ex *Oratione Ciceronis pro Archia* periodos resolvendas. In prima ita rem instituit: *Ingenium est in Substantia.* Phrasis: si quid in me est ingenii; item: sentio, quam exiguum sit ingenium. *Exercitatio est in Actione.* Phrasis: si qua sit exercitatio dicendi. Item: In exercitatione dicendi me non inficior mediocriter esse versatum. *Ratio est in Qualitate;* phrasis: si hujusce rei ratio profecta sit. Item: si ea ab optimarum artium studiis & disciplina profecta sit. Item: ab eadem ratione nunquam abhorruit. *Tempus in Quando;* phrasis: ab exercitatione nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruisse. *Fructus in Qualitate;* Phrasis: eorum omnium fructum vel in prunis Licinius a me reperere prope suo jure debet. *Reperere in Actione est;* phrasis: reperere ab aliquo fructum jure suo. Satis vel ex unica hac periodo consilii ejus ratio patet, sed nemo non videt, hanc colligendi rationem molestam & tædiosam

futuram, nisi aliis classibus & distinctionibus multitudini verborum, sub adeo paucis titulis locandorum, subveniatur. Exemplum ejus plenius suppeditare possit Emanuelis Thesauri Index Categoricalis, de quo & libro 2. actum est & infra pluribus ageretur. * Expeditionem vero viam optimam illi dicendi magister, STURMIUS, ingressus est. Nam vigesimo post anno in Academia Argentineni linguæ Latine resolvendæ methodum tradidit, quam Joannes Lobartus, Borussia, postea in lucem Argentorati Anno 1581. edidit. Ipse tamen ante annos 36. cum Argentinam primum venerat, in libro de amissa dicendi ratione lib. 1. cap. 11. hujus methodi mentionem fecerat, & specimine aliquo e Ciceronis oratione Quintiana, sed rudiori & imperfecto, usum ejus ostenderat. Ut ego suspicer, Jodocum Willichium, qui anno 1550. librum suum de rerum & verborum copia comparanda edidit, hoc exemplo incitatum fuisse. * Sturmium vero JULIUS CAMILLUS, de quo libro secundo c. 6. §. 25. seqq. a nobis dictum est, excitaverat. Ejus vero consilia quia magis acuta erant, quam fructuosa, rejecit Sturmius, & rerum ordinem secutus commodius rem omnem proposuit. * Inventit itaque quatuor loca generalissima, 1. τὰ δὲ αἰα. 2. τὰ φυσικά. 3. τὰ τεχνικά. 4. τὰ ἀνθρώπινα. Singula subdividit naturali sua serie & ordine, quem Dialectica suppeditat, ita ut ordinem prædicamentorum in iis attendat, saltem quinque priorum. Quantitas, qualitas, relatio, actio potissimum circumstantiis res omnes definiunt. * Talia excerpta suadet Sturmius a multis instituenda uno tempore. Si enim doctiores acciperent singulos auctores & singulas orationes, & eas resolverent diversas, non easdem, insignem ille copiam in integro biennio comportari posse existimat. * Habet illa methodus aliquid Lullianæ arti simile, quæ omnem universitatis rerum notitiam una connexionione proponi vult, usui futuram, ut in differendo & philosophando, ita & in colligendo. * ALEXANDER FICHETUS certe, cujus libro secundo mentionem fecimus in arcana sua Studiorum methodo in appendic. capituli 3. Lullianis insistere locis jubet, ac Ideam locorum communium, quam methodo suæ subjunxit, ad has rationes ordinavit. Insigni hanc methodum præterea elogio ornat. Hujus mysterii, inquit, ea vis est quam in Kabala triginta & quinquaginta portis intelligentiæ ex Arcanis Hebraeorum eruit Reuchlinus, ut scientiam rerum omnium & mundum doctrinarum universum, quasi viva in tabella depictum, subjiciat oculis ordine plane admirabili: denique continet omnia & singula, singulaque ut omnia, & omnia ut singula ad amissum explicat, efformatque illum, quem desideramus, hominem, ex omnibus conflatum compositum disciplinis, quem Orator optabat, quem Tacitus indicat, quem describit Quintilianus. Ac certe verum est, quadantenus convenire Lulliana hæc loca, quæ illis tamen, ut ego puto, accuratiora; cum prædicata distinctiore ordine proponant.

13 * BECCHERUS quoque in novo suo organo id egit, ut titulis generalissimis verba omnia disponderet, usui in collectione & amplificatione futura, de quo lib. 1. c. 4. n. 32.

14 * Sturmii consilia, quod ego sciam, nemo secutus est, aut eum in se laborem suscepit, præter JOANNEM BENZIUM, qui discipulus Sturmii fuit, ejusque luculentum specimen dedit in Thesauro Elocutionis Oratoriae Græco-Latino

Basilicæ Ann. 1581. in folio edito, quo præstantissimos Græciæ Oratores resolvit: quod sane opus omnibus in Græca eloquentia collectaneis præferendum est. * Idem quoque in Latina lingua simile quid tenuit, sed compendium tantum ab illo habemus, vel sic tamen magno usui futurum. Quem si ille laborem ad exemplum Græcæ linguæ instituisse, adductis integris auctorum sententiis, & apposito loco, haberemus profecto in illo genere Opus elaboratissimum. Nunc rudimento illo contenti sumus, quod Argentorati Anno 1596. sub titulo *compendii Thesauri Latinitatis puræ* in 8. prodiit. * Loci omnes LXXVI. sunt, sub quibus ille rotam linguam Latinam, ut ante linguam Græcam, disposuit, vocabula quoque simplicia eo ordine pueris ediscenda antea in lucem miserat. Ipsos quoque locos, nudos scilicet titulos, in usum excerpta colligentium Argentorati Anno 1588. in 12. edidit. In singulis locis ita rem instituit, ut primo ponat nomina Substantiva cum Synonymis, tam simplicibus quam metaphoricis, his subjungat adjuncta sive epitheta, quæ pleraque ad prædicamentum quantitatis vel qualitatis pertinent: hæc excipiunt Actiones, quæ phrasas continent. Hinc sequuntur Personæ cum Synonymis: hinc adverbia; quibus singulis sua quoque subjiciuntur Adjuncta & Actiones. Hinc eodem modo procedit ad cognata, affirmata, contraria. In Thesaurio Græco præter hæc addit σύνδερα sive conjuncta, & sententias, quas παραδείγματα vocat. Exemplo esto *Locus 47. Fortitudinis.* Hic primo loco est substantivum cum Synonymis. *Fortitudo, Virtus, Animus, Magnanimitas, Strenuitas, Vires, Robur, Nervus.* Subjiciuntur Adjuncta & Actiones. Hinc sequitur persona cum Synonymis, *Fortis, Vir, Virilis, Animosus, Magnanimus, Fidens, Strenuus, Vehemens, Acer, Alacer, Magnus, Altus, Gelsus, Excelsus, Erectus, Validus, Robustus, Nervosus.* Subjiciuntur & hic Adjuncta & Actiones. Sequuntur jam porro *Audacia, Ignavia, Securitas, Periculum, Otium, Labor, Celeritas, Tarditas, Patientia, Impatientia, Constantia, Pertinacia, Inconstantia* cum Synonymis, Personis, Verbis, Adverbiis, singulaquæ cum Adjunctis & Actionibus, ut si de Fortitudine quid dicendum sit, tam phrasas quam sententiæ mirifice variari possint, ut amplificationibus propemodum infinitis quasi via sternatur. Quis enim tam stupidus esset, qui, cum præ oculis omnia, quæ rei insunt, habeat, ex illa sylva ligna usibus suis apta non comportet? * Et sane ad hunc usum potissimum respexit Sturmiius. *Valeant, inquit ille, libri de copia rerum & verborum, valeant Onomastici, valeant Thesauri lingue Latine & Græcæ: nullo loco erunt, si cum hac ratione comparabuntur, & si hac ratio, quæ sola copiam ostendit, & viam præmonstrat orationis copiose consicienda, a vobis perficitur. Hoc si feceritis (alio loco ait) eumque laborem continuaveritis annum unum & alterum, & decem communicaverint operas suas inter se, videbitis quantam copiam, quantam lucem vobis hæc ratio sit allatura; non solum in rebus intelligendis, verum etiam in differendo de quacunque re proposita. Hic enim locis distributis & completis, quotiescunque vobis dicendum erit, oratio vos non deficiet, & quæ Aristoteles habuit prædicabilia, id est, applicabilia, vos habebitis applicata, quæ Aristoteles habuit vacua, vos rebus & verbis habebitis*

- condensata.* Qui plenius horum Excerptorum specimen velit, illæ adeat ipsum illum de linguæ Latinæ resolvendæ ratione librum, ubi initium orationis Tullianæ pro domo sua resolvit, & exemplo vocabuli VIS rationem adornandi unius loci ostendit. * Idem tamen etiam Particularum locos seorsim faciendos suadet, eorumque insignem utilitatem ex recensione Patriciæ CUM, TUM, quæ in illo libro habentur accuratissima, ostendit. Sed de particularum usu & sensu eorum investigando alibi plenius a nobis agerur: est enim hæc linguæ Latinæ pars minime, prout fieri debebat, exulta. * Rhetorica quoque collectanea separata ab illis habet, quæ quamvis ad τὰ τεχνικά referri possint, utilius tamen erit, illa a generalioribus illis distinguere, ne nimia mole excresecat ille liber, & accuratiora sint, quæ seorsim instituuntur hac in re Excerpta. * Possent & cetera omnia τεχνικά huc referri, & tota illa Placcii Encyclopædia Phraseologica, quæ secundum ordinem scientiarum locutiones proprias & Latinas ex bonis Autoribus excerptas circa quamlibet materiam exhibebit, Autoribus ubique nominatis. Eam promissit vir eruditus & ad rei literariæ bonum multa & præclara moliens, neque fallitur, cum ait in Historia Excerptorum, opus utilissimum & tam vendibile futurum, ut, si fami aut lucro scriberet, aliud nullum sibi præ manibus capiendum censeat: quod ut facere velit, cum rogo. * Consilia illic quoque suppeditat, quibus tale Opus quam absolutissimum dari posset, si divisis operis alius rei vestitiaræ phrasibus e Ferrario & Rubenio, alius rem culinariam ex Apicio, alius militaria ex Lipsio &c. exciperet. Notum est, in ædium partibus hoc fecisse Grapaldum. Bartholomæus Riccius quoque observationes locutionum de Re Rustica congefferat, quæ ipsi incendio perierunt. Johannes Starckius quoque Technologiam Phraseologicam pollicitus est, quæ lucem non vidit. * Scioppius quoque in auctario Grammatices philosophicæ Job. B. Donii Hermathenas XX. libros, quibus ipsa rerum descriptio cum vocibus & phrasibus continentur, laudat, eique Principum munificentiam optat. * Sed habet illa omnium uno in libro coacervatio quædam incommoda, etiam in optimo ordine, & præstat technica illa seungi, ut eò paratiora ad manum sint. Neque enim semper vacat istam titulorum seriem recensere animo, juvenibus certe & minus exercitatis illa res sæpe cum difficultate erit conjuncta. * Ego vero omnibus votis optarem, ut Sturmiana ista methodo quam plenissimum tale Opus elaboretur, in phraseologia præcipue magno usui futurum, ita tamen, ut inquirendi difficultas indice adjecto alphabetico sublevetur: Habet enim & alphabeticus ordo suos usus. * Nunc quando sperare tale Opus vix licet, utamur in Latina lingua Benzii compendio, SCHÖNSLEDERI Apparatum, librum utilissimum, illi jungamus. Ita quæ apud Schönslederum per literas Alphabeti disjecta sunt, cognata, affinia, Synonyma, Benziano illo rerum indice quasi e latibus suis educuntur, eoque facilior labor erit, si Benzianis vocabulis numeri paginarum, qui in Schönslederi Apparatu male omitti, & a nobis reponendi sunt, adjuvantur. * Mallem ego tali Opere universali a viro docto & sagaci ordinato uti, quam tironibus autor esse, ut illa ratione excerpta instituunt, non parum tædii & difficultatis

in titulis inveniendis & recte locandis vocibus habitura; præſertim cum & alia attendenda ſint in oratione & ad Excerpta ſua referenda, quæ non commode ad Stur-
mianos locos reduci poſſunt; Quo intrui ſunt, qui ordinem non adeo ſollicite
quærendum volunt, viri ſummi & qui in literis magna præſtiterunt. * Sæpe, 27

quæ noſtro inſtinctu quocunq; ordine collegimus, plus non juvant, quam quæ
aliorum conſilio colligenda ſuſcepimus. Quamdiu adeſt ille, qui methodum col-
ligendi dirigit, omnia expedita erunt: ſed ubi ſuo arbitrio relinquuntur tirones,
ſæpius hærebunt & in convenientibus titulis inveniendis vehementer laborabunt.

Quando enim omnes illæ notiones ab initiis & primis ac remotis ſedibus arceſſun-
tur, tenet illa cogitatio animos anxieque circumducit. Quare præſtat interdum

titulos, quos res ipſa ſuppeditat, ſine ullo ordine ponere, qui accuratius ſæpe
formabuntur, cum ex rei ſenſu formantur, quam ubi longa reductione ad prima
illa ſua elementa revocantur. Quemadmodum in ipſa corporum ἀναλύσει in-

utilis eſt & ſupervacanea opera, ſi ad illa στοιχία prima reducere omnia velimus,
plus véro utilitatis habet ad proxima illa, quæ rem componunt, reſpicere: ita &
in oratione fieri æquum eſt. Quare mihi ſemper placuit methodus illa, ut tituli

ex occasione inter legendum obvii ponantur, facile per indicem poſtea in ordi-
nem redigendi. * Collectio véro ea forma inſtitui poteſt, qua uſus eſt BASI- 28

LIUS FABER Soranus in *Locis Obſervationum ex Epistolis familiaribus Ciceronis, qui Lipſiæ Ann. 1576. editi ſunt, & in libello de Synonymia Terentii ibid. Anno 1562. edito.* * Fe- 29

cit véro certo conſilio, ut ex uno potius Autore, ſedula lectione trito, quam ex
multis temere lectis excerpèret. Sic enim unum familiarem effici Autorem ju-
dicat, cum ceteri, qui ex omnibus aliquid mutuuntur & deſcribunt, ab omnibus

ſimul avocent; unius véro Autoris familiari & aſſidua lectione orationis virtutes,
ab Autore de industria occultatas, ſæpe deprehendi, & quidem recte, putat. Præ-
terea fixam & immoram quis regulam habebit, ad quam in omni imitatione reſ-
piciat. Idem Lipſius in *Inſtit. Epistol. cap. 12.* obſervandum autumat, qui Phraſes

ſeorſim poni vult, Tullii ſolas, Plauti & Terentii ſolas, Historicorum ſolas:
cum tamen ipſe in uſu ad hæc non attendat, ſed omnia miſceat. * Sed tamen 30

& in titulis ponendis non ſatis accuratus eſt Baſilius, ac Lexica excerpta Phraſeo-
logicis miſcet. Cur enim ſub titulo *Abhorrendi* ponam iſta: *Abhorrent à communi-
bus præceptis.* Cum ab ea ſententia Pompejus valde abhorreret: *Abhorrebam ab urbe
relinquenda?* quæ rectius ad titulos *Noſte, diſſentire,* referentur. Ita: *Incredibile
gaudium nobis objicitur,* non ad titulum *objiciendi,* ſed ad titulum *gaudii* pertinet;

nifi forte ad Lexica excerpta referre velis. Quare iſtud Terentianum: *quæ ſi
non aſtu providentur, me atque herum peſſundabunt,* ſub titulo *Peſſundare* ponitur, nec
potius ad titulum *periculi* refertur? nam ad magnum, quod inſtat periculum, ſen-
ſus verborum reſpicit, qui ſemper in illis excerptis attendendus eſt: vis enim ſen-
tentię, non ſignificatio verbi, quæritur. * TITIVS in *Manuductione ad Excer-* 31

pendum n. 18. & 21. Schönslederi Apparatum, Comenii Lexicon Latino-Latinum,
aut Calvinii Theſaurum pro duce aſſumit, cujus veſtigiis inſiſtere jubet eum, qui
Phraſes colliget: tum ne labor in colligendis iis, quæ alii notarunt, inutiliter in-

ſumatur;

sumatur; tum ut via ipsi certa sit, qua ducatur. Ego præ ceteris omnibus Schönle-
 lederi Apparatum, ut jam antea feci, commendo, optimo delectu adornatum, sed
 qui augeri multis modis posset, tum ex aliis ejusdem generis Scriptoribus, Basilio
 Fabro, Pareo, (cujus in calligraphia etsi multa bona sunt, incondita tamen titulo-
 rum & Autorum variae ætatis farragine obnubilantur) tum novis collectaneis, qua-
 lia solertibus Scholarum Rectoribus quotidiano labore, cum Autores Classicos ju-
 32 ventuti prælegunt, coacervari facili negotio possunt. * Non audiendus ergo
 est Quintilianus, præclarus alias eloquentiæ Magister, cum *lib. 10. c. 1.* omnem illam
 Synonymorum colligendorum rationem damnare videretur. *Equidem scio, inquit,*
quosdam collecta, quæ idem significarent, vocabula solitos ediscere, quo facilius & æquius
*unum ex pluribus, & cum essent usi aliquo, si breve intra spatium rursus desideraretur, e-
 gienda repetitionis gratia sumerent aliud, quo idem intelligi posset. Quod cum est puerile,*
& cujusdam infelicis operæ, tum etiam utile parum: turbam enim modo, congregat, ex-
qua sine discrimine occupet proximum quodque. Nobis autem copia cum judicio pa-
randa est: vim orandi, non circulatoriam volubilitatem, spectantibus. Id autem conse-
quemur optima legendo & audiendo. Hæc illo loco Quintilianus parum confide-
 rate scribit. Nam cum antea dixisset, verba aliis alia esse magis propria, aut ma-
 gis ornata, aut plus efficientia, aut melius sonantia, quæ nota non solum esse omnia
 debeant, sed in promptu atque in conspectu, ut facilis ex his sit optimorum ele-
 ctio: quomodo electionem illam instruet Orator, nisi collegerit & in numerato
 33 habuerit? quomodo in numerato habebit, nisi consignaverit, vel edidicerit? * Di-
 xeris, ultro se ingerent lectione multa frequentata. Sed quid verat usu percepta
 memoriæ causa congerere? in memoria certe hæere debent; modo cum dele-
 ctu & judicio adhibeantur, quod præ cæteris requirit Quintilianus. Vernacula
 erat ac domi nascebatur illis oratio. Quid tum? etiam in notissima nobis lin-
 gua, illustres formulæ, verba sonantia, non semper memoriæ succurrunt, ut ego
 Italici, Gallici in suis; nobis in Germanica lingua omnino quædam notanda existi-
 mem: ut Græci oratores ipsi verba historica, politica, oratoria, poëtica, diligen-
 34 ter notarunt, quorum vel fragmenta vel indicia nobis supersunt. * Certe Pol-
 licius magna diligentia fuit in ordinandis & non solum secundum varios locos
 disponendis vocibus, qua in re aliquid Sturmiano consilio simile est, sed in synony-
 mis & affinis congerendis, cujus rationem ipse addit (1) *ὡς ὑπαδύττεν δύασθαι,*
ut subalternantia aut transmutata in orationis habitu variando habeamus (2) καὶ οἷς
ἐκαστα ἀνὸς δηλωθῆναι, ut sint scilicet *δηλωτικὰ* & explanatoria, quibus in periphralibus
 35 & circumductionibus utamur. * Ac sane, si vocum delectus origo eloquentiæ
 est, delectum illum cum cura & collectione quadam institui debere ipsa res
 loquitur.



C A P. III.

DE

EXCERPTIS SINGULORUM VERBORUM,
ET OBSERVATORIIS.

1. Excerpta circa verba singula instituenda. 2. De copia tamen verborum magis oratori laborandum est. 3. Thomasi Excerptorum Methodus. 4. Liber Lexicus, quid contineat. 5. Indicum concinnandorum molestia non est ista, quæ Fichto videtur. 6. Anxia ista distinctio libri Lexici haud est necessaria. 7. Liber observationum quomodo instituendus. 8. Barbararum civilium vocum collectanea instituenda. 9. Germanicarum vocum Excerpta. 10. In delectu vocum quæ notanda. 11. Non omnia confundenda, sed mere latinâ à mere criticis & philologicis separanda. 12. Glossæ Quintiliani. 13. Aliorum observationes nostris jungenda. 14. Particularum collectanea. 15. Placii Methodus in Vocabulorum observationibus laudatur. 16. Ordo Excerptorum Thomasi in observationibus recensetur. 17. Non elegantie tantum, sed & simplices loquendi formæ, notanda. 18. Formularum collectio in excerptis oratoriis docetur.

De Phrasibus colligendis multa superiori capite diximus. Sed in Phrasibus solis illa cura excerpenti non subsistit. Plura sunt circa verba consideranda, quæ hanc excerpenti industriam requirant. Ut oratio culta sit, etiam simplicium verborum debet esse nitore, cultus, puritas. Nihil in illis debet esse peregrinum, solæcum, barbarum. Quare hæc primo loco cura nobis suscipienda fuisset, nisi Lexica aliqua ex parte ea nos sublevarent. * Ego de copia verborum prius mihi agendum duxi, cum de illa magis Oratori laborandum sit, quam de simplicibus verbis, quæ ad Grammaticos & Criticos magis pertinere videntur, & quæ ille supponit. Videbimus Virorum doctorum aliqua consilia. * Extat Cl. THOMASII in *Erötematibus Rhetoricis* consilium de Locis communibus, in eloquentia faciendis. Tres ille libros Excerptorum facit, I. *Librum Lexicum*. 2. *Observatorium*. 3. *Formularum*. Sed nos, quæ ex his ad oratoria pertinent, nunc seponemus. * In *Libro Lexico* sub singulis vocum titulis ordine fortuito colligi vult, I. voces raras, singulares, ignotas, alioque, & elegantiori quidem sensu usurparas; quod consilium jam olim quoque Quintilianus *lib. 1. cap. 12.* suppeditavit: *Id quod inter prima rudimenta non inutile est demonstrare, quot quæque verba modis intelligenda sint. Circa glossæ etiam, id est, voces minus usitatas non ultima ejus professionis est diligentia.* Ita Statilius olim integro libro singularia Ciceronis collegit. II. Flexiones vocum, si in nominibus rarum aliquem casum, aut in verbis præteritum, supinum aut participium rarius inveneris. III. Phrasès, ubi eorum differentiam a Germanismo notari vult. IV. Epitheta, quibus & Adjectiva & Adverbia comprehendit. V. Apposita, quo nomine non synonyma tantum, sed & cognata & affinia, quæ verbis copulata inveniuntur, complectitur. VI. Opposita,

quorum etiam refert particulas, quæ se excipere solent, aut respectum aliquem inter se habent. VII. Differentias a vocabulis affinibus: quæ ut innotescantur, porro singulis præfigi certas quasdam notas jubet. Quæ quidem omnia bene habent, & notari sic primum possunt; postea vero sub suis titulis communibus inter phrasas locari: illic enim melius inveniuntur, ac usui sunt. ¶ Ac pleraque illorum jam tum isto ordine in suo Apparatu disposuit Schönsledeus, quibus ad-
5 jici ista possunt ex Autoribus, qui singulatim ista omnia tractant, ac in lectione Autorum notata. Nihil tamen prohibet geminos habere locos communes, tam secundum voces singulas, quam titulos rerum dispositos: interdum enim his, in-
6 terdum illis promptius utemur. * Phrasas itidem sub titulis collocandas faciet Thomasius, seriem amplexus, qua utitur in elegantis suis Calvisius: quanquam ego etiam hic fortuitam locationem malim, facile dehinc indicis subsidio in ordinem redigendam. Non enim Ficheti iudicium me terret, qui rerum ordinem præferens Indicem plenum tædii & fastidii opus, & laborem Psyche intricatissimum pronunciat. Nam cum nota, ait, quæ ad eandem rem pertinent, unoque in loco parata & ad manum esse deberent, sparsæ sint ut Osvidis membra, locis mille, mille notandi sunt numeri, pagina adeunda mille, quæ res ad restim redigit. Non sane tanti est ista diffi-
7 cultas, quam ille his coloribus depingit. * Possunt & multa eorum, quæ seorsim a Thomasio notantur, ut Epithera, Apposita, Opposita &c. ad titulos phrasium transferri, ut non sit necesse tam anxie & operose illa distinguere; præsertim cum jam tot Autores viam hanc straverint. * In observationibus vocum ego selectum aliquem institui malim, ut disjungantur Civilia, Oratoria, Poëtica, Singularia, id est, quæ semel tantum dicuntur, Dubia ob varias lectiones, Comica, qualia sunt Plautina plurima, nequaquam in feria oratione usurpanda. Sunt & Germani-
8 nismi vel ex Vorstio vel e lectione ipsa notandi. * In Civilibus consulendum est *Opus formularum Briffontii*, ac Indices illi Freinshemiani & Böcleriani in Historicos confecti. Sæpius enim apud illos alia significatione voces accipiuntur, quam fieri vulgo solet. Novi Virum prudentem, qui voces & phrasas barbaras civiles, in scriptis publicis barbari seculi, & iis, quæ nunc a Viris in Republica viventibus scribuntur, occurrentes, qualia sunt Acta publica, Capitulationes, Transacta, quorum aliqua Goldastus & alii collegerunt, excerpserit, tum ut ipse intelligeret eorum sensus, ac ad eorum genium, si opus est, loqui posset: multum enim ea in re consuetudini indulgendum. * Idem labor suscipiendus est illi, qui in Germanica lingua civilem eloquentiam affectat. Colligendæ enim illi sunt e
9 Recessibus Imperii, Actis Lundorpii, Epistolis publicis, aliisque scriptis, phrasas, formulæ, particulae &c. quæ frequentius tibi occurrunt, & civilis usus sunt. Nec credat facile aliquis, quam sit hoc adjumento futurum rerum negotia transanti. Id ut faciamus, suadet etiam *Schræderus* Commentar. in libr. 3. Aristotelis.
10 De Poëticis postea dicemus. * Multa ad delectum vocum pertinentia *Buchnerus* in libro de commutata ratione dicendi habet. Imprimis vero hic notari debent 1. Vocum propriæ acceptiones, 2. variæ significationes, 3. translationes, quas posteriores, si quis velit, ab his sejungere & ad Synonymorum loca transferre

ferre potest. * In his excerptis liberum unicuique esse potest pro fine & scopo 11
 suo, si quis ea, quæ ad Latinitatem qua talem pertinent, ab iis, quæ merè Critica &
 Philologica videntur, separare velit. Nam ad eloquentiam utilius est, si illa, quæ
 puræ Latinitati inserviunt, seorsim habeantur, ne laborem inquirentis gravent.
 * Philologica vero & Critica Excerpta, quæ proprie γλωσσήματα vocare viderur. 12
 Quintilianus, multa habent observata de peregrinis, etiam de corruptis vocibus,
 barbaris, etymologijs, quæ si cum illis conjunguntur, mire omnia confundentur.
 * Fundus horum Excerptorum est 1. in optimis classicisque Autoribus, 13
 quicquid ipsi observavimus aliique viri docti, illuc pertinet. Modus autem obser-
 vandi præscribitur quam optime a Schoro in præfatione phrasum Ciceronianarum. 2. Per-
 tinent huc commentarii Criticorum, e quibus seligendi sunt, qui ad aureæ vel ar-
 genteæ ætatis Scriptores notas scripserunt, & ad genuinum vocum usum præ ce-
 teris respiciunt. Quicquid enim illi jam tum observarunt, velut in lucro deputan-
 dum est. Itaque illa tantum notentur quam brevissime ac velut per indicem ad
 ipsos Autores remittendo, si ipsos Autores habeamus. Observata singularum vo-
 cum & phrasum, si ipsi peculiare libros huic negotio destinare nolimus, poni pos-
 sunt ad Lexici alicujus marginem, aut Grammatici perfecti operis, quale Vossianum
 est. Ita & aliorum & nostra observata juncta habebimus. * De particulis seorsim 14
 etiam collectanea instituenda essent. Nam, quamvis intermiscat quædam Tho-
 masius titulis suis communibus; plura tamen possunt de iis notari.

Non contemnendus est modus ille, quò doctissimus Placcius in vocum rario- 15
 rum collectione usus est. Nam ut ex *Historia Excerptorum ejus*, libro de arte excer-
 pendi annexa, discimus, vocabula, quæ in Calepino habentur, Anagnosten sibi præ-
 legere jussit, omissis testimonijs, iis, quæ si rariora videbantur, plumbagine subdu-
 ctis, illa in chartis per plicaturam infractis exscribenda curavit, spatio relicto, quò
 notarentur a Calepino omissa. Hæc iterum, cum labor cresceret, per indicem
 contraxit, signis additis, quæ voces antiquatas, novatas, pœticas, Græcas, barba-
 ras, suspectas, notatas alijs partim & vindicatas, alioque discrimine notabili, obser-
 vatu præ alijs dignas, qua separatas, qua constructas, frustra apud alios Lexicogra-
 phos quæsitæ, scernerent. Parvo illo semper ad manum posito codicillo felicis-
 sime se usum profitetur. Primum enim vastorum voluminum mole tractanda su-
 persedere potuit, deinde ob coadunationem vocum rariorum, uno intuitu, semotis
 allegatis sese conspectui exhibentium, promptior earum inventio fuit: quod certe
 imitatione dignum compendium est.

Secundus Excerptorum liber Thomasio *Observatorius* dicitur. Quanquam enim 16
 & illa, quæ in priori occurrunt, observationum nomine appellari possint, ac appel-
 lentur etiam ab alijs, maluit tamen ita distinguere. Ea, quæ hic sub titulis locan-
 tur, duplicis sunt generis. Pertinent enim vel ad copiam verborum, vel ad collo-
 cationem eorundem. Copiam verborum ad septem fontes revocat, 1. Synonymi-
 am, 2. Commutationem, 3. Æquipollentiam, 4. Dilatationem, 5. Tropos, 6. Figuri-
 ras

ras dictionis, 7. Figuras sententiæ. Ad priores quatuor refert variationem, dilatationem, extensionem, absorptionem, una cum figuris Grammaticis. Variationis plurima sunt genera, quæ recensentur studiosissime ab Erasmo, ad cujus exemplum similia notari possunt. Vult autem hic non quælibet, sed illustriora notari, ac ea præcipue, in quibus Germanica nostra lingua dissidet a Latina, e. g. cum Latini pluralem adhibent, nos singularem; cum illi Coniunctivo utuntur, nos Indicativo, & contra &c. Dilatio fit per Epitheta & verba, quæ extensioni inserviunt, ut, volo, possum, do, eo, facio, ac similia, e. g. velle aliquem mulctatum, pro mulctare; dare expeditum, pro expedire &c. Absorptio est, cum fit mutatio constructionis, aut modi finiti in infinitum, aut participium vel Gerundium particulam aliquam abolevit; ubi illa absorptionum exempla præcipue notanda, quæ in lingua Germanica sunt aliena. Cum quibus tamen non confundendæ sunt Ellipses & Pleonasmus, quorum itidem exempla sunt notanda. Ad collocationem verborum refertur divulsio; cum voces, quas ordo naturalis conjungi postulabat, aliis interpositis dirimuntur. Interpositio est, quando vox una vel altera interponitur, aut integrum comma, vel etiam quasi Periodus, quorsum & Parentheses referendæ: Antepositio, cum vox, quæ sequi debebat, antecedit: Postpositio, cum contra. Pertinent & huc particulae, verba, nomina, periodos incipientia ac finientia, vel connectentia, quæ diligenter notanda: quorum quantus usus sit, nemo facile crederet, nisi qui exercitio didicerit. Notari etiam seorsim possunt particulae vel verba, membra Orationis, Historiæ, Epistolæ inchoantia, quæ vehementer juvant ipsum scribendi exercitium. Ceterum cum multa pars horum omnium collecta ab elegantiarum Scriptoribus ac Grammaticis observatoribus, legere illa potes, quæ ab aliis jam notata sunt, & in unum aliquod corpus congerere, iisque deinde addere, 17 quæ tua lectione observaveris. * Recte etiam monet Thomasius, non elegantias tantum illas, sed & formas loquendi simplices esse notandas. Non enim semper elegantis est locus, estque ubi fastidium pariant, nimis frequenter adhibitæ. Idem Sturmius suadet, non marmora tantum, sed et lapides & lateres ad orationis stru- 18 cturam comportandos. * Formulas nos ad Excerpta Oratoria rejecimus.

C A P. IV.

EXEMPLA EXCERPTORUM LEXICORUM
ET OBSERVATORIORUM.

- §. 1. *Excerpta lexica & Observatoria etiam Græcis in usu: Adducuntur exempla Phrynichii Strabii, 2. Epiterstis, 3. Hegesinacis, Parmenionis, Galeni, Lavinii. 4. Talia e commentatoribus circumspicte colligenda. 5. Exempla quadam nostra libri lexici, Primum de voce Insanus, Insania, Insanire. 6. Ejus variae significationes. 7. Possunt & ad librum phrasologicum referri. 8. utilis tamen in libro lexico notantur. 9. Loca integra autorum in iis Excerptis non mutilata notan-*

- notanda. 10. Improbatur eam ob causam Wendelini Medulla Latinitati
 11. Secundum exemplum de voce corpus. 12. Hujus varia significationes. 13. Verba civilia. 14. Singularia. 15. Dubia vel falsa. 16. Comica. 17. Lecti Plautina judicium requirit. 18. Potisni soluta orationis. 19. Germanismi laudabiles. 20. Si temere non affectandi. 21. Germanismi vitiosi. 22. Dilatationes & Extensiones. 23. Parentheses. 24. Connexiones Periodorum. 25. Connexiones Historicæ notandæ. 26. Voces sonantiores & polysyllabica notandæ. 27. Minores formulæ phrasibus accenseri possunt. 28. Plures classes excerptorum observatoriorum dantur. 29. Johannis Rivii Excerpta in verbis recensentur. 30. Titii Diatriba de arte numerandi laudatur. 31. Σολομοφώνη veterum Autorum ad Excerpta observatoria pertinent. 32. Boni Autores non secundum Grammaticorum regulas, sed hæc secundum illos judicandæ sunt.

Proposui Thomasi methodum, a qua non magnopere dissentio, nisi quod in libro Lexico distinctius verba proponi velim. Ac fuit illa excerptendi methodus admodum vetusta, ut discimus ex Photio, qui meminit cujusdam Phrynichii Strabii, qui de verbis oratoriis, historicis, vulgaribus, libros 37. scripsit, quorum titulus: Σοφιστικὴ παρασκευὴ h. e. Apparatus Oratorius. Et existat adhuc aliqua Epitome ejus, a Petro Nunneseio in lucem edita. * De verbis Comicis ac Tragicis Epiterfes Grammaticus scripsit, ut liquet ex Stephano de Urbibus. * De Poeticis Hegefnax Alexandrinus, ut ex Athenæo discimus. De Historicis Parmenio Byzantius. Galenus nominum πολιτικῶν libros quinque scripsit. De verbis fordidis scripsit Publius Laviniius, ut patet ex Gellio lib. 20. cap. 10. Plures Autores veteres enumerat Schefferus libro de Stylo cap. 11. §. 12. * Colligi talia multa possunt e Commentatoribus, in Autores, quorum studium laborem nostrum levabit. Sed circumspicte tamen etiam in his versandum: nam & illi nonnunquam labuntur.

Ut exemplum aliquod adducamus, ad librum Lexicum referas hæc de voce *Insanus, Insania, Insanire*. * Voces illæ apud veteres singulari significatione interdum accipiuntur. Primo pro vehementia omni & excellentia in re seu bona, seu mala, ut: Plaut. Trinumm. Act. 3. Scen. 2. *Insanum malum* i. e. magni. Bacchid. Act. 4. Sc. 5. *Insanum magnum negotium*. Mostell. Act. 3. Sc. 4. *Insanum bona porticus*; Aufonius de Crefo: *dives insanum in modum*. Hinc Casaubonus ad Athenæum lib. 13. cap. 5. docet, Veteres, cum aliquid vehementer extollerent, solitos tanquam exclamantes orationi suæ vocem *μεγίστη* inferere: unde manarunt illæ locutiones *μεγίστην ἔσαν μέγα* i. e. *insanum magnum*, Virgilius *turbines insanos* vocat, & fluctus. Quin & ipsi Hebræi hac loquendi formula utuntur. Nam vox *גָּדַל* significat 1. insanire, 2. laudare, 3. splendere, 4. jactare, 5. infano impetu agitari: quæ significationes in eo conveniunt, quod cum vehementia quadam conjunctæ sunt, vid. Jerem. 46. v. 9. Græcis etiam frequens admodum est: illi enim magnum amorem & studium voce *μεγίστη* exprimunt. Ita *δοξομανής* gloriæ cupidus, *ἡλιομανής* cicadæ epitheton, *Χερσομα-*

σομαωνης, ιππομαωνια studium equestre, οπλομαωνια studium militare. Ad copiam etiam & luxuriam illis transfertur, ut sunt voces, *παιπομαωνης, ξυλομαωνεω*. Ita apud Latinos Plinius *lib. 16. v. 27.* vites insanas vocat, id est infolitæ fertilitatis. Hinc singularibus plane significationibus ad alia transfertur. Cicero pro magnifico in ædificando sumptibus voce illa utitur, pro Milone *col. 777. B. Insane substructiones.* Autor ad Herenn. *lib. 4. col. 71. G. Tametsi in Tusculano quidem cepti insanire & in iisdem fundamentis ædificare.* Ad Quint. Fratrem *lib. 3. ep. 1. Ea villa, quæ nunc est, tanquam Philosophia videtur esse, quæ objurget ceterarum villarum insaniam.* Huc pertinet illud Plinii *lib. 18. c. 5. Optimum est aliena insaniam frui, i. e. sumptuosa ædificia, ab aliis magnis sumptibus & laboribus extracta, exiguo pretio sibi comparare, eaque inhabitare.* Falsus itaque est Erasmus, qui eundem horum verborum sensum existimat, qui est versiculi illius vulgati.

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Si quis enim cetera antecedentia & sequentia inspiciat, facile verum hunc esse sensum videbit. Accipitur etiam vox *Insanire* de quocunque immoderato sumptu, Plaut. Milit. Glorios. *Act. 3. Sc. 1. v. 159. Quid opus hospes sumptu tanto nostri gratia? insanivisti hercule.* Huc referendum quoque illud Virgilii *Eclog. 3. Insanire libet quoniam Tibi, i. e. Sponsionem facere sumptuosam.* Et illud Terentii *Phorm. Act. 4. Sc. 4. vers. 37. At primo homo insanibat, id est, incredibile pretium posebat.*

Patet vel ex unico hoc exemplo, quomodo congeri observationes singularium 7 significationum in libro Lexico debeant. * Quamquam etiam istæ acceptiones omnes ad librum phraseologicum sub titulis suis possint reponi, e. g. sub titulo *ædificandi*: Cæpi insanire in Tusculano. *Insanæ substructiones.* Sub titulo *Habitandi vel Commodi*: Insaniam alienam frui. Sub titulo *sumptuum*: quid opus fuit hoc sumptu nostri gratia? *Insanivisti hercule.* Sub titulo *laudandi*: Insanum bona porticus (quam hæc magis Comica, quam Oratoria phrasim est). Sub titulo *laboris vel negotii*: Insanum magnum molior negotium. Sub titulo *pretii vel æstimationis*: Primo homo insanibat, i. e. incredibile pretium posebat. Atque sic notata magis usui 8 in scribendo esse possunt. * Utilissimum tamen est etiam seorsim in libro Lexico notare, cum mire hoc faciat ad loca similia in Autoribus explicanda, ad quod prodesse liber phraseologicus sub titulis digestus non potest. Debent etiam ipsa verba singula rariora sub titulis phraseologicis notioribus consignari: quod facit Schöns- 9 *lederus in apparatu eloquentiæ, & suadet etiam Titius in Manud. ad Excerptum.* * Loca etiam integra tam hic, quam in aliis libris excerptoriis, notanda sunt: ex appositis enim iudicium de vero sensu ferendum est, patetque ex eo, phrasim, alia occasione 10 dictam, probam & laudabilem, ad aliam translata in ineptam fieri. * Quam ob causam reprehendendi sunt Autores, qui phrasim ita nude congerunt, ut fecit *Wendelinus* in *Medulla Latinitatis*. Cui viæ si semper institeris, quæ sic colliges, plenioris alicujus Lexici vicem præstare poterunt. Nunquam tamen observationibus ipsis ita fidem habeas, ut loca ipsa Autorum non conferas.

* Si-

* Simile Exemplum est, quod ad hanc classem pertinet, etiam illud, quod in Jodocus Willichius libro *de verborum copia comparanda* cap. 15. affert de Voce *Corpus*, quod proprie est massa ex artubus, ossibus, nervis &c. constans, aut aliqua mole rei corporeæ. Cic. 2. de Oratore: *Corpus sine loco intelligi non potest.* * Cor-12 pus pro carne. Cicero: *Et vires & Corpus amisi.* Idem 2. de Nat. Deorum, ossa vocat *subiuncta Corpori*, i. e. carni. Coniunctim dicitur ap. Martialem: *Inque omni nusquam corpore corpus erat.* Apud Ciceronem *corpus defensionis* per translationem dicitur. Lucretius lib. 2. mare falsum *Neptuni corpus acerbum* vocat. Idem: *Condensa Corpora lapidum.* Idem ventos *cæca corpora* vocat. Accipitur pro opere scripto. Cic. *A principio conjurationis usque ad reditum nostrum videtur mihi modicum quoddam corpus confici posse:* pro tribu & turba populari. Livius: *sui corporis Regem creare volebant.* Cajus *Collegiorum corpus* dixit. Cicero *contemperationem corporum* dicit. Cic. ad Attic. *ad corpus ejus acciperet.* Addimus his illa. *Corpus pro homine ipso*, quemadmodum & *σῶμα* apud Græcos. Notat Voss. *Inst. Orat. lib. 4. p. m. 141.* Vid. Magius *lib. 1. Misc. cap. 12.* Radulph. Fornerius *lib. 2. Rev. quotidian. c. 26.* Huc pertinet Anglica illa loquendi ratio *No-body; som-body; nullum corpus, aliquod corpus:* id est: *Nemo, aliquis.* Solent & *Servi* ita vocari. Epiphanius in Ancyroto. *δεσπότης ὀυδοῦκόντα σωματίων.* Herus octoginta corporum. Atque hoc nomen credo cum *pecoribus* commune habuisse, quæ & *corpora* vocabantur. Aperte habetur in *l. si servus 21. §. Et ideo ait. 2. ff. de Evictionibus & dupli stipulationibus.* Vide & Casaub. *cap. 10. lib. 5. Animadversionem in Athenæum & imprimis Mauffiacum in notis ad Harpocratonem p. 125. Gatakerum in dissertatione de Novi Instrumenti stylo cap. 10. p. 104. Corporati inter Studiosos qui dicantur in l. 1. Cod. Theod. de stud. liberal. urb. Rom. videatur Conring. in Dissert. ad illam legem p. 49. 50. Infinita talia notari possunt, & nunc aliqua ex parte Hofmannus in *Lexico suo Universali Philologico* hujus laboris rudimenta posuit, in quo ego accuratorem Autorum designationem, unde illa deprompta fuerunt, requiro.*

Eodem modo colligantur seorsim, vel saltem notis distinguantur 1. *Verba* 13 *Civilia.* Civilis sensus est, cum apud Curtium dicitur. *Avare ac superbe imperare.* Phrasis enim hæc de Tyrannico regimine intelligenda est. *Suis vel alienis auspiciis rem gerere*, quid sit, is sciet, qui novit apud historicos *auspicii* voce intelligi administrationem atque executionem, cum summa potestate conjunctam, de qua videri potest integra dissertatio Böcleri de *Auspicio Regio.* *Paulatim insurgere* apud Tacitum *lib. 1. Annal. Cap. 2.* eleganter explicat Böclerus in *Commentario ad illum locum num. 8. & 9.* & Heinsius in laude Alini. Cum apud Curtium dicitur *Persarum imperium magis concuti quam affligi*, notabis per concussionem significari conversionem Reip. vel mutationem status, per afflictionem, everisionem & interitum. Atque hæc omnia notanda bene sunt, ut de civilibus rebus loquentibus civiles phrasas, quibus passim utuntur historici, non desint. * 2. *Singularia.* Quo referas e. g. ista. 14 *Vacuefacere* ap. Nepotem; *Leno* pro Legato apud Julium, *lib. 1. Lætatio* pro Lætitia Tomus I. D d d d titia

titia ap. Cæsarem *Noctuabundus, Sylva vindicata, Muginari, Puniri* aliquem pro ulcisci. *Raudusculum*, id est, pecuniola, æs enim veteribus Raudum vocabatur. *Tagax, mulierofcus, dicticula*, al. legunt: *diecula*, & complura alia, quæ ap. Ciceronem occurrunt, & colligi possunt e Frobenii penu Tulliano. *Adoptatissimus* pro Exoptatissimus (ita legunt MSS. Gothofrediana editio habet optatissimus, qua voce Ciceronis filius utitur l. 16. epist. fam. ep. 21.) Huc refer etiam, quod ibidem habet: *omnia velles mihi successa*, quod Henricus Srephanus in Pseudo-Ciceroniano ne Latinum quidem credit, quanquam alii defendant. Vide *Taubm. ad Plauti Pseudolum Prolog. vers. 3. Voss. de Analogia lib. 4. cap. 13. Dextella* pro dextra Cic. ad Attic. lib. 14. epist. 23. *Calculo, onis*, pro Calcutatore. His & similibus vel plane non, vel parcius utendum. Plura eorum singularium e variis Autoribus dedit Balbinus in *Verosimil. humanior.*

15 *disciplinar cap. 3. & in Notis ad hæc Verosimilia.* * *Dubia vel falsa ob varias lectiones.* Quorsum referas *Præmiari*, Suet. Tito: cap. 7. *Nundinari præmiarique soliti.* Hic vocem prædari. Rectius itaque abstinetur hac voce. Ita Bembus utitur voce *multissimus*, quod putaret apud Ciceronem ita legi. At legitur in correctioribus exemplaribus: *Ex multis meis miseris non multissimis.* *Adhibere fidem* pro credere vulgo in usu est, & nititur autoritate loci corrupti ap. Ciceronem de Divinatione lib. 2. Rectiora enim exempla habent: *Fides est habenda*, non adhibenda. *Delenitio* ap. Ciceron. 2. offic. legitur. Sed emendatores Codices habent *Delectatio.* *Dememinisse* multi dicunt pro oblivisci, decepti corrupto loco apud Martialem lib. 2. epigr. 59. *Ipse jubet mortis dememinisse Deus*, ubi rectius legitur *Te meminisse.* Apud Plautum legitur *Act. 1. Sc. 1. Amphitr. fugam in se convertitur.* Dubia hic lectio est, ut phras

16 *is secure idhiberi nequeat.* * *4. Comica.* Qualia infinita apud Plautum occurrunt, quæ seorsim ponenda sunt, cum sint ad seriam & civilem orationem inepta, nisi forte in epistolis familiaribus, dialogis, satyris, aliisque scriptis ludicris, ea joci

17 *gratia inspergas; quanquam & hic judicio opus sit.* * *Subactum* itaque iudicium requirit lectio Plautina, ut mirer, in lectione autorum Plautum prætulisse Terentio Scioppium in epistola de *compendiosa lingua Latina exactius cognoscenda ratione*, quæ additur tractatui ejus de arte Critica. Quod si in exemplum proponamus *Act. 1. sc. 1. Amphitr.* statim videbimus, quam multæ ibi occurrant serviles argutiolæ, inani-ter nonnunquam confictæ, nec temere imitandæ. Quot enim hic occurrunt phrasés, quibus verberatio describitur, nunquam sic in alia oratione usurpandæ. *Advenientem hospitio pugnae accepturus est. Pugnis facit hodie ut dormiam. Pugnos edere* pro vapulare. Sic in *Rudente Act. 3. Sc. 4. Jam tibi messis in ore fiet mergis pugnis.* *Pænulo Act. 1. Sc. 3. majorem partem in ore habitas meo.* In eadem scena *Amphitruonis. Homines quatuor in soporem collocasti. Is me interpolabit meumque os finget de novo. Qui pugnis os exossas hominibus. Faciam ego hodie Te superbum. Nec usurpaverim ego temere alias phrasés, quæ ibi occurrunt v. g. penetrare se in fugam. Pallium alicui detexere. Advenisti audacia columen consutis dolis. Optime optimo optimam operam des. Nequiter ferire malam mala discit manus. Vulcanum in cornu conclusum geris.* Quæ

Quæ omnia nescio quid frigidiusculi acuminis habent. Comicam Plauri & Terentii Latinitatem nuper singulari libro collegit in libro, cui titulus *Hortus Comicus*, Bartholdus Feind, Hamburg. 1688. edito, titulis per classes rerum divis. Sed velent hic Comica a pura Latinitate fuisse sejuncta. * 5. *Pœtismi in soluta Oratione occurrentes*. Sic e. g. plane pœticum est apud Tacitum lib. 2. *Annal. Scœninus promptum vagina pugionem vetustate obtusum increpans, asperari saxo, & mucronem ardescere iussit*. Livius dicit alicubi: *pugna senescit*. Sic frequenter ap. Tacitum occurrit: *Occultus odii, turbidus consilii; Cuncta corporum &c.* Apud Florum multa talia habentur. * 6. *Germanismi laudabiles*. Quales sunt, *Accredere alicui, Adjurare alicui. Non possum ad nummos pervenire. Vestis bene sedet. Febrim nancisci. Morbum nancisci. Magnum se facere. Facere se hilarem: Pro felici aliquem aspicere &c.* de quibus plena manu Vorstius. Sed magna hic cautione opus est, ne mala junctura phrasès illæ vitientur. * Quod si quis integram vel epistolam vel orationem e meris Germanismis, utut laudabilibus, concinnet, vix crediderim Latinis auribus illum se probaturum: Etsi enim phrasès per se bonæ essent, affectatione tamen illa gratia orationi periret. * 7. *Germanismi vitiosi*. Quorum integram sylvam suppeditant Babarismorum notatores: Vossius de *Vitiis sermonis*, Vorstius de *Latinitate merito suspecta*, Borrichius, in *Cogitationibus de lingue Latine etatibus*, Cellarius in *Antibarbaro* & *Curis posterioribus*. * 8. *Dilatationes & Extensiones*, e. g. *Faxo acceptum pro accipiam* ap. Plaut. Cic. 1. 22 off. c. 9. *Non patiar te desertum, pro: non deseram*. Id. ad Attic. lib. 1. ep. 5. *Non committam posthæc, ut accusare me de negligentia possis, pro: non accusabis*. Plaut. *doctæ illam perdoctam dabo*. Terent. *Exornatum dabo*. Seneca Tragicus; *Demersas dabo*. Cicero: *Cupiditates domitas habere*. Plautus: *Carens fui, pro Carui* Cic. in Orat. *Est, ut scis, his verbis loquens Socrates*. Cic. de *Divinat.* libr. 1. *Faciendum videtur, ut diligenter etiam atque etiam argumenta cum argumentis comparemus, pro Comparanda sunt*. Pertinent huc etiam extensiones per particulas *ab, ad, de, in, ut*: *Fulgor ab auro, si mihi secundæ res de amore meo essent, pro amoris mei*. *Adone vobis videmur esse idonei, in quibus sic illudatis*. Trium verborum *Esse, Facere, Habere*, ut magnam extensionem in Latina lingua esse docet Riccius in *Apparatu Elocutionis Latinae*, sub voce *Esse*; ita varie in *Dilatationibus* illa adhibentur: quibus *Dare, Mittere, Ponere* & alia nonnulla addi possunt. Magnus sane earum dilatationum usus est in copia orationi concilianda, in qua *Plagiismi* magnam partem obtinent, de quibus pluribus infra agemus. * 9. *Parentheses*. Quarum magna interdum elegantia est in Oratione tam soluta quam ligata. In Orationibus non pauca passim occurrunt. In Pœtis quo magis elegantia illic habent, eodiligentius notandæ. Tales e. g. sunt. *Ignoscite falso. Sic credidit alma vetustas, Scæpe (recordor enim.) Quis posset credere? Sic me mea fata trahabant*. *Parenthesi octo versuum est ap. Virg. 12. Æn. De artificio hujus Pœseos vide Scaligerum libr. 5. c. 3. libri de arte Pœtica. Si mens non levis fuisset. Quis talia fando temperet a lachrymis. Quod minime reris. Res est non parva. Ut potius reor & potius Dii numina firment. Qui Te feliciter attulit Eurus (Eurus enim attulerat) si qua est modo corporis umbra. Insanire libet quoniam. Tibi. Licet concedere veris. Ne me incuses. Si quis modus*

- 24 *Nobis meminisse relictum.* * 10. *Connexiones Periodorum.* Ita notabilia Periodorum principia hæc sunt, ut inter legendum occurrerunt consignata, quæ in meliorem ordinem digerì possunt; et sic coacervata promptius se usui nostro ingerunt. *Occurrit ex alio aliud. Neque inficior. Nec sum ignarus. Non deprehendo illorum sollicitudinem. Nondum commemoravi. Non alienum erat hoc loco. Ac primo quidem illud prætereundum haud est. Jam vero magne circumspèctionis opus est. Sed satius esset hæc silere, nisi ex se calamitates magne loquerentur. Dubito autem hic an-an-Opportum erat hoc loco. Non poterant ista satis occupare industriam tuam. Neque vero tantum a hoc, sed & de illo. Quanquam nescio magisne-an. Ita habeo & animum induco meum. Illud etiam me commovebat. At enim aridam orationem non sequitur affectus delectationis. Atque adeo mihi concedendum est magis quod. Ad illecebras ætatis accedebat etiam forma. Quid illud quanti tandem faciendum putatis? Et quisquis est, qui putat. Ni Orpheum audire præstat. Mihi quidem neque fas videtur. Quanquam ego mihi sic persuado. Sed de his audietis in Locis. Longum est ire per singula. Mitto jam. Non credat hoc quisquam. Præterea accedit. Præcipuum. Proximum. Adhæc. Huc pertinet. Huic geminum est. Quid? quod. Quin etiam. Nam ad illud quod attinet si-si-si postremo. Hæc & multa alia colligi possunt, si velis, distincte, ratione membrorum Orationis, ut fecit Hugues, aut sub certis Particulis, quibus illæ formulae respondent, ut fecit Elias Major in libro de varianda oratione, & multum adferent.*
- 25 ad orationem elaborandam adjumenti. * Inprimis utile erit connexiones Historica notasse, quibus vel ab uno membro ad aliud, vel ab historia ad historiam, vel Circumstantia ad Circumstantiam pervenitur. Eæ enim multum sæpe negotii
- 26 faciunt. * Voces numerosiores, sonantiores, grandiores, polysyllabicae seorsim collectæ ac sub pedibus suis dispositæ inservire numero oratorio formandæ possunt. Hunc colligendi modum vehementer suadet Scioppius in Epistola Consultatoria de Stud. *Illud non possum, quin diligenter animis Studiosorum insilleam, ut in lectione Ciceronis studiose cum vim verborum simplicium investigent, eruant, erutasque in libram observationum referant: tum compositionem & numeros à Cicerone, tanquam*
- 27 *perfectissimo Oratore, frequentatos observent.* * De Formulis agetur, ubi ad Oratorios Locos communes pervenero. Minores vero formulæ accenseri phrasibus possunt. Ita e. g. in Heautontim. I, 1. vers. 4. 5. & 6. formula est, quæ refertur ad Tirul. monendi. Vers. 9. & 10. formula est expostulandi, quibus vel inter phrasas locus potest assignari.
- 28 Hæc quasi speciminis loco adduximus, quæ de verbis in excerptis observationibus notari possunt. Neque enim decem illas classes tantum quis esse existimet. Longe plura occurrunt, quæ seorsim colligi merentur; ut ostendere præ aliis voluit Johannes Rivius Athendoriensis in libro *Locorum Communium Philosophicorum*, cuius mentionem lib. 1. c. 21. §. 115. fecimus. * Primum enim Locos vocum primæ impositionis, ut vocat, dedit, quibus comprehendit simplicia rerum per classes certas deductarum vocabula, & quidem e sola Herodoti historia, illum enim quasi

in exemplum & ideam Universalem. Locorum suorum Philosophicorum proposuit, Græcasque loquendi rationes, immixtis interdum Latinis, ex eo Auctore collegit. Typus ille generalis habetur pag. 102. estque ad modum Sturmianarum clarum, sed diversa tamen methodo institutus. Hinc procedit ad vocabula *secundæ impositionis*, quibus illi primæ impositionis quasi quibusdam notionibus Grammaticis cohibentur. Eorum locos 31. fecit: ut τὰ γενικά καὶ εἰδικά, Generalia & specialia. Idem multa diversum significantia, Agnomina, Cognomina, Denominata, Gemini nominis, πολώνυμα, Comparativa, Superlativa, Possessiva, Diminutiva, Gentilia, Localia, Comprehensiva, Partitiva, Relativa, Χρονικά ea scilicet, quæ tempus significant, Arithmetica sive Numeralia, &c. Quorum multa seorsum poni non merentur, sed addi phraseologicis Excerptis possunt, aliqua vero locum omnino in libro Observatorio merentur, ut illa, quæ ad numeros exprimendos pertinent: * Quorum colligendorum utilitatem singulari Diatriba *de* 30 *Arte numerandi numerosque Romano more efferendi* per simplices numeros, Decadas, Hecatontadas, Chiliadas, Cl. Titius ostendit. Neque sane cuivis in promptu erit illa numeros exprimendi facultas, sed accurata & multa ex Autoribus classicis observatione paranda erit: neque adeo distincti e Gronovii libro *de pecunia veteri* aut aliis haberi possunt. Et præterea utilissimum idem Vir doctissimus laborem impendit in re pecuniaria veterum cum nostrorum temporum moneta comparanda, geminarum tabularum Schematismo in lucem edito. Sed hæc & multa alia in Titulis istis Rivianis ad τὰ τεχνικά generatim considerata referri possunt. Non exiguum tamen hinc fructum referet, qui Titulorum specialium διαλύσεις in Autore ipso recognoscet. His subjungit Locos 35. Exegeticæ Grammaticæ maxime proprios; sequuntur deinde conjuncta vocabula & περὶ τῆς τῶν Φράσεων ἐννοίας, Loci XX. quorum quidem usus aliquis in Grammatica arte, in Phraseologicis excerptis, qua talibus, nullus est: hic enim titulos requirimus e visceribus rerum, non e Grammaticis technicisque notionibus, depromptos. Quæ de Periodis sequuntur, ad Rhetoricam potius, quam ad Grammaticam pertinent. Loci Syntaxeos variæ ad observatorium quidem librum referri possunt: sed in illis, quæ obvia, nec rariora sunt, supervacanea colligendi opera est: ac notari talia ad accuratioris Grammatici opus possunt. * Inter illos tamen Rivianos Titulos ille: 31 *Σολομοφανῆ veterum*: locum in observatorio libro meretur. Qualia multa in Autoribus classicis, in Digestis e veterum Jurorum libris excerptis, reperiuntur: e quibus nonnulla congestit Anton. Matthæi in Collegio *Fundamentorum juris Disp. t. corollar.* ut vere *σόλομο* judicans, quæ tamen satis Latina & exemplis optimorum Autorum probari possunt: ut inepte vapulare illis Priscianum existimet; * ne 32 quæ enim Grammaticorum regulis boni subjici Autores debent, sed ex illis Regulæ formari, vel Regulis exceptiones poni.

DE EXCERPTIS CRITICIS, EXEGETICIS, ANTIQUARIIS.

- §. I. *Excerpta Critica & Exegetica ad Autorum explicationem pertinent.* 2. *Critica à Grammaticis differunt.* 3. *Excerpta critica variarum Lectionum.* 4. *Exegetica Excerpta quomodo instituenda?* 5. *Commendatur pro usu commentationis.* 6. *Indices Autorum, qui libris subjiciuntur, utilissimi.* 7. *Quibus deficientibus, excerptorum libri consiciendi.* 8. *Indices in Face Critica Gruteri* 9. *Qui tamen in pluribus istius tomis desiderantur.* 10. *Usus talium Excerptorum in Legibus Romanis,* 11. *In Codice Bibliorum.* 12. *Biblia Critica, quidque in iis desideretur.* 13. *In scriptis Hippocratis & Galeni, Hofmanni officinalia.* 14. *J. C. Scaligeri & Bodæi a Stapel commentarius in Theophrastum.* 15. *Salmasii Hyle-Iatrica.* 16. *Welfchius laudatur.* 17. *Excerpta Antiquaria quare Criticis jungi possunt.* 18. *Quid contineant.* 19. *Quomodo instituenda.* 20. *Josephi Laurentii Polymathia.* 21. *Censura Marefi circa intemperiem quorundam Criticorum.*

1 **A**d hanc classẽ referuntur quoque *Critica & Exegetica Excerpta*, etsi enim non ad Orationem ipsam pertinent, pertinent tamen ad Autorum explicationem, unde oratio formatur, iisque inservire possunt, qui commentaria in Autores parant, aut dissertationes super argumento aliquo philologico scribunt. * *Critica* a Grammaticis differunt: nam etsi supra mentionem fecimus Glossæmatum & Collectaneorum Lexicorum, diversa tamen hæc ab illis sunt, & instituuntur ad sensus Autorum investigandos, quæ ego vocarim ad distinctionem ceterorum *Excerpta Critica & Exegetica*. * Adornari autem illa hoc modo possunt: Sensus accuratos in Autoribus quærimus, vel e variarum lectionum investigatione, vel ex ipso verborum sensu. Quod ad varias lectiones attinet, illæ e MStis codicibus consignari, vel ad margines librorum possunt, vel libris separatis secundum Autorum paginas dispositis; nam ex collatione illarum ad veros sensus Locorum Autoris pervenimus.

4 *Exegetica Excerpta* ita adornanda sunt: adscribenda sunt ad margines Autorum loca Autorum, qui explicant illa verba; vel separatus adornari liber potest secundum ordinem librorum Autoris; * Illa *Excerpta* si a prima juventute instituuntur, nunquam deesse poterit materia in Autores commentaturo, vel lectiones super illos instituturo. Habemus tot libros adversariorum; observationum, quibus varia Autorum loca explicantur: illa omnia referri ad has, velut sedes suas, possunt. Illustrantur nonnunquam data occasione in aliorum commentariis Autorum loca; etiam hæc referri illuc possunt. Non credat aliquis, quanto usui talia *Excerpta*

cerpta sint. Sic quoties occurrit aliquid ad Virgilium, illud ad marginem Virgilianorum Operum scribatur: ita fiat & in aliis. * Subsidio hic esse possunt indices Autorum vel laudatorum, vel emendatorum, qui subungi solent libris Criticis. Hi si in omnes Autores essent, & accurate satis conscripti, superfedere hoc colligendi labore poteramus. Verum cum in plurimis illi deficiant, ac tumultuarie sint conscripti, nec loca Autorum statim conspicua sint, rectius ipsi tales Excerptorum libros conficiemus. * Reperiuntur quidem indices in Tomum 3. & 4. *Facis Critica Gruteriana*, in quibus accurate notata sunt Autorum loca ac verba ipsa, addito semper Autore, ubi explicatio inveniendâ; * sed in reliquis Tomis labor ille desideratur, qui tamen in tali Opere, & quod ad illos usus concinnatum est, summe esset necessarius; eum enim in finem Gruterus hos libros junctim edicaverat. * Eodem modo in Legibus Romanis vel in Sacro Codice Excerpta Exegetica quis conficere poterit, magno futura usui, si labor cum ætate & annis creverit. Nam in explicatione Legum Romanarum vehementer vacillamus; essetque talium Excerptorum ad explicationem legum maximus usus, ipsis etiam Jctis non observatus. Plerique enim ex illis parum de interpretatione genuina Legum Romanarum solliciti, ad auream praxin omnia conferunt: in qua solida legum interpretatio, quæ ex his subsidiis petenda est, pro Scholasticis trivis & inutilli labore habetur. Illud tamen certum est, infinita restare in his agenda, quæ talium Excerptorum beneficio confici possunt, ut nunquam defutura sit materia Jcto, si novas Commentationes scribere in Leges velit, & quidem eruditas: cum vulgares illi Commentatores non nisi crambem coctam centies recoquere soleant. * Quiseorum Excerptorum in Theologicis usus, quilibet sane facile intelligit. * Hinc sane *Biblia Critica* ortum suum trahunt, in quibus illud forassis desiderandum est, quod nimis concise omnia tractentur, & Autorum loca non satis accurate notentur. Ex his tamen magnum usum in Theologiam inferri, stupidus certe esset, qui negaverit. * Neque adeo in Medicis talium Excerptorum usus contemnendus est. Etsi enim non tam autoritatibus, quam rationibus, illa consent, est tamen, ubi Hippocratis & Galeni verba aliam aliamque interpretationem admittunt: est ubi in nominibus morborum, in nominibus materiæ medicæ, magnus Philologiæ usus est, quem aliqua ex parte demonstrarunt *Hoffmannus* in variis suis Lectionibus Medicis, in *Officinalibus suis*. * *Jul. Cæs. Scaliger* in Commentario in *Theophrastum de Plantis*; *Bodæus a Stapel* alio in eundem Autorem Commentario; * *Salmasius* Commentario in *Polyhistoria Solini*, qui & ipse Opus vastum de materia medica præ manibus habuit, cujus prolegomena jam pridem edita. Nunc vero ipsum Opus de *Synonymis & Homonymis & Hyles Iatricæ* inter appendices *Polyhistoris Soliniani* nuper recusum curante *Lantino* prodiit, quo ille mirifice Medicorum labores juvat, non Latina solum & Græca, sed & Orientali Nomenclatura rerum & lectione instructissimus. * Multa in his præstare potuisset *Hieron. Velschius*, Vir ut in medicina, ita & in Græca & Orientali literatura, consummatæ eruditionis.

- 17 Jungi his possunt *Excerpta Antiquaria*. Quamquam enim illa ad Historicos videntur pertinere, nolim tamen misceri cum illis. Cum enim Historica vel ad Civilem usum congeruntur, vel ut accuratior ipsa historia habeatur, nimis prolixum & tædiosum esset, in isto cumulo ista quærere. * Continent vero *Excerpta Antiquaria* ritus variarum gentium circa res certas. * Jam vero methodus illa colligendi varia esse potest: vel enim respicimus ritus illos, secundum solenni actionum humanarum institutos, atque sic ordo talis adhibendus esset, qualis in *Antiquitatibus Rosini & Dempsteri*. Sed præstat potius sequi ordinem rerum, illisque collectaneis deinde subnectere indicem rituum, secundum varias in *Republ.* actiones dispositorum. Placet itaque mihi, nuda hic consignari lemmata rituum, adjectis Autoribus, qui de illis agunt: nam exscribere nimis prolixum esset. Velim deinde lemmata illa numerari, appositis in fronte numeris, si forte unum lemma ad plures titulos pertineat, ut non opus sit, integrum exscribi, sed tantum paginam alterius tituli & lemmatis numerum poni. * *Josephus Laurentius in Polymathia sua* libros & indices tales confecit secundum Alphabeti seriem, sed non ille ordo observatus est, qui debebat, & paucula illa tantum sunt; possuntque longe plura illis addi. Deinde neque lemmata sunt numerata, neque sub titulis diversis repetita.
- 21 * In his omnibus tamen, si ad usum transferantur, modus tenendus est a Viris doctis, ne in *Maresii* censuram lib. 2. epist. 44. incurrant. Ita vero ille: *Nec plurimorum hujus ævi eruditorum morem amulari convenit, qui toti sunt in apicibus syllabarum examinandis, vocibusque appendendis, & in Criticis quisquiliis & in Grammaticis: nec in ullius libri licet accurata editione unquam acquiescunt, sed semper hærent: aliunde etiam nimium in antiquorum ritibus usque ad minutias & extremam anxietatem enucleandis & observandis; quorum pleraque talia sunt, ut ea ignorare Quintilianus fortasse inter Grammatici virtutes habiturus fuerit, & longe majora ac potiora in libris quærere, nec circa voces resque nimium ponderis & inutiles consensescere oporteat.*

CAP. IV.

DE EXCERPTIS ORNATÆ ORATIONIS.

- §. 1. *Excerpta ad ornatam dictionem pertinentia.* 2. *Phrasæologia ex Scriptoribus sæculi aurei struenda.* 3. *Ornatus orationis unde petendus.* 4. *Phrasæ simplices & Expressiones differunt.* 5. *Exempla afferuntur.* 6. *Expressiones etiam ex autoribus dijudicanda.* 7. *Ad eas accedat non nimis mature tiro.* 8. *Librorum phrasæologicorum defectus hac in re notatur.* 9. *Johann. Merryweather in Angliis suis nimiam expressionum curam damnat.* 10. *Quæ causa male & impure latinitatis.* 11. *Elegantiarum collectio & usus difficilis.* 12. *Avonymi Galli liber: La maniere de bien penser &c. laudatur.* 13. *Cujus nævi elegantissimis meditationibus pensantur.* 14. *In elegantis maxime judicio opus est* 15. *Primum inter expressiones locum habent Translata.* 16. *Horum abusus cavendi.*

vendus. 17. Robortelli in iis colligendis consilium. 18. Mosellani Adagialium collectio perit. 19. Robortelli iudicium de diversitate Translatorum aureae & sequiorum aetatum. 20. Metaphoris quoniam accenseantur. 21. Consilium de notandis translatis in Schönsladero. 22. Expressiones etiam e recentioribus colligi possunt. 23. Joh. Michaëlis Bruti laus. 24. Adagiorum collectio huc pertinet. 25. Tituli quomodo formandi. 26. Quae ad istiusmodi collectanea referenda. 27. Adagialia e Poëtis Graecis, Latinis. 28. Balandus, Rotmarus laudati. 29. Adagialia quaedam ex Eclog. i. Virgilii afferuntur. 30. Horatii sermones laudantur. 31. Casellii de his iudicium. 32. Adagialia quaedam ex Sat. i. adducuntur. 33. Eorum collectio magni usus. 34. Ut & metaphorarum collectio.

Cum de iis, quae ad puram dictionem pertinent, Excerptis, *quinque prioribus* 1 capitibus egerimus, jam ad ea venimus, quae ad ORNATAM DITIONEM referri possunt. * In Oratione omni primum ad proprietatem, hinc ad cultum respicimus; proprietas consistit in phraseologia pura seculi aurei: Nam ex ejus seculi Scriptoribus phraseologia extruenda est, inde corpus orationis formandum. * Inde cultus & ornatus additur, qui non tam ex ipsa lingua, quam conceptibus quibusdam argutis & analogismo rerum, nascitur & phrasi superimponitur, sed tamen & ille suos quosdam limites agnoscit, quos rei & characterum natura illi circumponit, & quandam etiam cum genio linguae convenientiam habet. * Non habemus commodam in Latina lingua vocem, qua exprimamus, nisi forte Græca; non adeo apta, voce Emphases, vel Latina Expressiones dixeris. Hæ vero a phrasibus ipsis probe sunt distinguendæ, neque permittendum pueris, qui nondum firmato iudicio sunt, ut iis temere utantur. Quod nisi observetur, putida & affectata oratio cum ætate in habitum ibit. * Sic e. g. phrasi pura dico magnas in illo opere moras ducit. Expressio est: dum molitur, dum comitur, annus est. Item: plusquam Ulyssæis erroribus in hoc opere circumducitur. Item: testudineo gradu ad metam procedit. Phrasis est: rumor cessavit: Expressio: Rumor raucus factus est. Phrasis est: Securus jam sum: Expressio: his tempestatibus prope solus sum in portu. In alteram aurem dormio. Aliorum naufragia ex terra intueor. Omnibus machinis inexpugnabilis sum. Extra teli jactum sumus. Res est in vado salutis. In portu navigo. Subducere jam navim possum in pulpinarium. * In his semper ad res ipsas, semper ad Autores respiciendum est, & ad genium linguae, si aliunde, non ex classicis Autoribus inferantur: si denique Comici vel Satyrici characteris Expressiones sint; qualia non discernunt tyrônes nullo usu exercitati. * Separanda autem illa statim sunt, ut ea mature cognoscere discat tyrô, nisi forte jam tum in usum communem cesserint; tum enim eodem jure cum ceteris phrasibus, quæ civilis usus sunt, censentur. * Vulgarium, quos habemus, librorum Phraseologicorum ille defectus est, quod puras phrasas cum Expressionibus misceant; deinde nec vocum phrasiumque propriæ significationes, aut particularum usus, accurate exhibentur, quas in numerato habere oportet primaque ex iis, ut in pingendo tyrones solent, lineamenta

menta ducere; antequam elegantiarum colores adhibeantur: nam Expressiones magnam partem ex ingenio dependent, nisi quas forte Autorum usus magis fami-
 9 liares fecerit. * Scripsit JOHANNES MERRYWEATHER, Religionis Medici Translator, Anglica lingua dissertatiunculam, cui titulus: *Directions for the use of the French Language* Londini 1681. impressam, in eo nobiscum consentiens, popularesque suos reprehendens, qui nihil eleganter dictum existiment, nisi quod poetis oratoriis-
 10 que coloribus pictum sit; * Unde fiat, raros admodum in gente sua esse genuinae Latinitatis scriptores. Quod ingenium ejus de sua gente judicium laudandum est, præ illis, qui, & Ciceroni & Virgilio æquales Oratores & Poetas venditant.
 11 * Talium elegantiarum collectanea & censuram instituere difficile est: difficillimum
 12 recte iis uti, quod summum judicium requirit. * Fuit inter Gallos superiore anno Anonymus quidam, qui librum scripsit, ejus tituli: *La maniere de bien penser dans les Ouvrages d'esprit*, elegantem sane & doctum, quo ille argutias & expressiones quas-
 13 dam tam veterum quam recentiorum scriptorum congerit, censuramque eorum instituit: qua in re profecto maxima Critices pars consistit. * Nam licet sint in ipso illo Censore, quæ censuram quandam mereantur; quadam enim *καταριδομανία* laborat: condonari tamen illi talia in ista elegantissimarum meditationum copia æquum est. Id tantum miror, eum, cum haberet inter antiquos, præcipue Her-
 14 mogenem in libro *de Ideis*, qui uberrimos harum elegantiarum fontes recluderent, suo potius ingenio niti voluisse. * Neque sane ita hæc a phantasiæ libertate dependent, ut nihil certi in illis constitui possit; sed maximus judicii in phantasia dirigenda labor est, ne illa ultra limites feratur. Cautè satis ab Aristotele, Longino & aliis *τὸ ὑψηλὸν & μετέωρον*, frigida & humida, distinguuntur, in quæ vitia incidunt expressiones non rectè formatæ.

15 Primum inter ornamenta locum sibi vindicant Translata. Metaphora enim, præsertim si illa latitudine accipiatur vox, quæ usus est Aristoteles, fons est omnis culturæ & ornatus; imo omnis argutæ inventionis, quæ in rerum analogismo consistit. In Translatis magna vis est Oracionis exaltandæ & ad va-
 16 rias ideas formandæ. * Ab ejus vero usu mollis, urbana, acuta, sublimis, gravis est oratio; ab abusu puerilis, inepta, frigida. * Consilium hoc colli-
 17 gendi Translata suppeditat Robortellus Comm. in Aristot. Poëtica p. 264. *Nostra hæc ætate (inquit) putarim nil utilius esse, quam ex veterum libris; qui dicendi laude floruerunt, omnes translationis formas modosque colligere, ac animo ita complecti, ut suis aliquis utatur, quando opus fuerit: periculum enim est, si ex se confingat, ne disparem habeant*
 18 *analogiam, ne duriores sint, ne minus cognita, ne inusitata.* * Hoc aliquando Petrus Mosellanus in animo habuit, de quo Melchior Adami in Vita ejus: *Erat Mosellanus Metaphorarum observantissimus, earumque e Cicerone aliisque optimis scriptoribus magnum acervum collectorum instar Adagiorum. Erasmi editurus opus, si annos aliquot*
 19 *supervivisset.* Sed periit hoc Opus non exiguo rei literariæ damno. * Nam ut in vocum vero & proprio usu autoritas omne punctum fert, ita nonnunquam in Translatis, quod Robortellus quoque loco supra laudato notavit: *Quod si Ciceronia-*

nas translationes (inquit ille) & eorum qui eadem aetate vixerunt, conferas cum illis, qui postea scripsere, jam labefactata ac corrupta Romanorum lingua ob infusam peregrinitatem, videas multum discrepare, magisque capere illis quam his: Venusta illae sunt, pares ac convenientes rebus, nota, aptae ac suaves, remque ob oculos ponunt, quasi praesentem intuearis: haec horridae, obsoletae, & a rebus ignotis ductae, dispares. Scilicet qui optime iudicio in vocum delectu usi fuere e praecipuis eloquentiae & indole seculi optima, in eodem in Translatis sine controversa usi sunt. De Flori Translatis & Argutiis vide quid iudicet Grævius in Praefatione Commentarii in illum scripti. Vide & nostram Dissert. de Patavinitate Liviana cap. 7.

Metaphoris accenseri debent omnes illae vel rerum vel actionum argutae expressiones, quae apud antiquos tum Oratores & Historicos, tum Poetas habentur, quibus & addi illa a recentioribus excogitata possunt, non utique spernenda. Et si enim hic primae partes merito antiquis tribuuntur: tamen in secundis ab his omnino etiam recentiores consistunt. Nam quanquam in his aliqua auctoritatis & usus, praecipua tamen rerum ipsarum ratio habenda est. * Cum neminem habemus, qui e veteribus Autoribus Translata collegerit, ut compendium aliquod sequatur Tiro, in Schönslederi Apparatu lineolis varii coloris illa subducatur, ut in oculos legentis illa incurrant. Sic e. g. sub titulo *acquirendi* subducatur lineola. *Aliquid nummularum expresserit. Videt se nihil posse ab eo abraderet. Quibus allegationibus eam sibi legationem expugnavit.* Sub titulo *Accipiendi* subduces; *Ex eo auro quod exterebratum esset. Decerpimus LXXX.HS.* Doletus in commentariis Latinae linguae notata diligenter congregavit, sed non sub titulos redacta.

E recentioribus Autoribus quoque talia colligi possunt. Sunt in Lipsii, Baudii, Barlaei aliorumque Epistolis, in Satyricis scriptoribus & similibus, multa ejus generis, quae observari merentur. * JOHANNIS MICHAELIS BRUTI Epistola elegantissima, quas lib. 1. c. 23. & 24. nescio qua incuria omisimus, multas tales expressiones tam Enthymematicas, quam morales, quam affectuosas, quam argutas habent. Quis enim illa non inter elegantias tales seponat (cum e. g. lib. 4. epistolar. p. 155. ita epistolam concludit: *Quod recta hinc ad Te non avolo, videor mihi Prometheus nescio quis, non prout ille olim Caucasi rupibus, sed pertinaci desiderio, quod me dies noctesque peredit, crudeli tibi tui videndi complectendique affixus.* Illis enim verbis expressio desiderii, ad cuius titulum etiam referenda, proponitur. Ita cum alibi pag. 162. haec verba habentur: *Non gestare clitellas equum generose indolis, non clitellarium conspici aureis phaleris ornatum: non praefici pecori venaticum canem, non sagacem, cujus sit in venatione certior usus &c.* haec ad titulum: *Digna vel indigna dignis vel indignis tributa* referenda sunt: Infinita sunt, quae e variis Autoribus pro hoc instituto colligi possunt.

Pertinent huc porro *Adagia* & *παραμύθη*, quae vel jungi prioribus, vel seorsim colligi possunt. De Adagiis eorumque scriptoribus prolixè lib. 1. cap. 21. egi.

- 25 * Sub certis titulis simplicibus Adagia collecta habemus, ut Erasmi illa, quæ & Langius separato libello ad locos Sturmianos vel Benzianos redegit. Verum tituli illi non sufficiunt. Solet enim in Adagio aliquo & subjectum & prædicatum involvi, adeoque integra sententia exhiberi, quæ sub generalissimo titulo subjecti diffuse nimis quæritur, nisi velimus unum idemque Adagium sub duplicem, imo interdum triplicem, titulum referre. Nam vel ad subjectum enunciationis vel ad prædicatum referendum est, vel ad tertium aliquem conceptum, qui e connectione subjecti & prædicati oritur. Ne itaque in vasta sylva quærere necessum sit, quod ad scopum nostrum facit, præstat titulos vel lemmata sententiosa formare, quæ integram sententiam exhibeant, vel subjectum potest per additionem alicujus
- 26 adjectivi ad certum aliquem & plenum sensum restringi. * Ad hæc itaque Collectanea referenda sunt. 1. Omnia Adagia e veteribus Autoribus. 2. Omnia Adagialia & παραομιώδη ex omnibus Autoribus cujuscunque ætatis & linguæ, præcipue tamen Græcæ & Latinæ, quanquam & ceteræ linguæ maximam subministrant talium copiam, quæ sine ullo ordine collegerunt varii Auctores. * 3. Omnia hemistichia vel versus Græci & Latini, qui argutum sensum habent: qualia infinita sunt apud Poëtas Græcos & Latinos, præcipue apud Satyricos & Comicos, quorum usus in his omnibus longe est maximus, & qui sæpe de rebus conceptus
- 28 formant, quos frustra apud alios quæsiveris. * Exemplum ejus suppeditare potest *Barlandus & Rotmarus* in Centuriis Proverbiorum Virgilianorum, e quibus aliqua excerptit Goclenius in *Praxi Artium Generalium* p. 64.
- 29 E Virgilio, ut exemplis quibusdam consilia nostra illustremus, multa elegantissime ad varia applicari possunt; sive versus integros & cæsus sermoni, sive sensum eorum inferamus. Sic e. g. ex *Ecl. 1.* *Namque erit ille mihi semper Deus*, ad tit. *Patroni, laudandi, gratias agendi*, referri potest. *Sic canibus catulos similes, sic maribus hædos*, referri potest ad titulum *comparationi disparium*: sive: *Minima cum magnis comparata*. Quo referri etiam possunt illa: *Tantum alias inter caput extulit urbes, Quantum lenta solent inter viburna cupressi*. Idem ad titulum: *prærogativa vel excellentia* referri potest. *Ipsæ Te Tityre pius, Ipsi Te fontes, ipsa hæc arbuscula vocabant* vel serio vel Ironice usurpari potest de præsentia alicujus desiderata, vel necessaria vel supervacanea. *Non licebat tam præsentem alibi cognoscere Divos*, id est, non habebam alibi fortunam adeo faventem: referendum ad titulum *fortune, favoris Principum*. *Nec mala vicini pecoris contagia lædent* referendum ad titulum *conversations male*. *En queis consecimus agros* referendum ad titulum: *Labores irriti*.
- 30 Horatio nihil hoc in genere præstantius est, qui ut omnes vitæ rationes in Satyris suis complexus est, ita flosculos suppeditat, quibus mirum in modum ornare sermonem nostrum possumus. Ego certe Satyras ejus omnes memoriæ mandari velim, tum in vita ipsa, tum in sermone usui futuras. Elegantissima omnia sunt, dictio nitida, & si numeros tollas, sermoni soluto apta. Urbanitas in eo mira, sales candidi, ex abdito erutæ sententiæ, argutiæ non coactæ, meræ Charites, omni

omni occasione aptæ. Summum in illo viro ingenium fuit, nec immerito Augusto & Mæcenari in deliciis, cujus genium satyricum nemo ex antiquis, nemo e recentioribus, ulla imitatione assecutus est. * Vide, quæ in ejus laudès scribat 31
 Cælius in Neco suo, eum vitæ magistrum commendans. *Affirmare non dubitem, inquit ille, qui in hoc Poëta multum operæ posuerit, eumque ita perdidicerit, ut ejus versibus non in ore natos aut extemporaneos, ut putatur non memoriâ teneat (nec vero non sunt, qui hoc præstiterint,) sed probe intellectos ad usus vitæ transferat, hunc posse rebus suis suorumque recte in omnibus aliquid boni consilii invenire: nec minus idem patriæ recte consulat, præsertim si & ad historiam se conferat, spectans id, quod potissimum ostendimus.*

Exempla quædam hic afferemus, quæ locum in Excerptis nostris merentur. 32
 Lib. I. Sat. I. agit de *περὶ φιλοσοφίας*, e qua illa norari possunt. *Cetera de genere hoc (adeo sunt multa) loquacem Delassare valent Fabium, referri ad titulum prolixitatis potest. Si quis Deus, En ego, dicat, jam faciam quod vultis potest referri ad titulum: quid si ita fiat? vel Posito. Quid causæ est merito quin illis Jupiter ambas Iratus buccas inflet: referri poterit ad titulum: Principum odia. Ridentem dicere verum Quid vetat? Titulus: e jocis seria. Ut pueris olim dant crustula blandi Doctores, elementa velint ut discere prima; titulus: blanditiæ utiles. Ore trahit quodcumque potest, atque addit acervo, poterit eleganter applicari ad hominem *δωρόφρονος*, rapacem & avarum substituendo voci Ori vocem Ungue. Non usquam proreperit & illis utitur ante &c. Hi versus eleganter applicari possunt ad hominem diligentem & in studiis constantem, si leviter sic immutaveris:*

*Non usquam proreperis & illis uteris ante
 Quæstis sapiens: nam te neque fervidus æstus
 Dimoveat studiis, neque hyems, ignis, mare, ferrum,
 Nil obstat tibi, dum ne sit te doctior alter.*

*Quid juvat immensum te argenti pondus & auri &c. potest per similitudinem referri ad Tit. Eruditio occulta. Potest etiam applicari ad Locorum communium collectores opere ipso ignavos. Quid habet pulchri constructus acervus? potest referri ad malos scriptores, nonnisi Locos communes accumulantes, exiguo judicio præditos; Titulus: collectio inutilis. Cur tua plus laudes cumeris granaria nostris? elegans adagiale, quo contemnti nostram inopiam respondere possumus. Potest referri ad titulum *ἀντιρρητικός*. Quia tanti, quantum habeas, sis, potest referri ad titulum divitiarum & autoritatis. Quid facies illi? jubeas miserum esse libenter, Quatenus id facit, referri potest ad titulum contemnendi vel permittendi. Permite illum suo ingenio vivere. Populus me sibilat, at mihi plaudo, solitarie accepta propositio referri potest ad hominem arrogantem, qui judicium populi de se contemnit. Tu tanquam parcere sacris Cogeres aut pictis tanquam gaudere tabellis, potest referri ad titulum inutilis parsimonia, sive: non uti rebus ad usum destinatis. Applicari poterit ad senem effæctum, qui juvenculam uxorem duxit. Horum Semper ego optarim pauperri-*

pauperrimus esse bonorum, refertur ad titulum, contemnendi ut bonum inutile. Infelix operam perdas, ut si quis asellum in campo doceat parentem currere frenis, potest referri ad varia. 1. ad titulum frustrandi laboris. 2. ad titulum: institutio infelix. Est inter Talmachum quiddam focerumque Viselli, referri potest ad titulos differentiae, diversitatis, ~~metaphorae~~ Nemon, ut avarus se probet ac potius laudet diversa sequentes? potest referri ad titulum Philantia: Exacto contentus tempore vite Cedat, uti conviva satur, potest referri ad titulum: Mors senis. * Infinita talia ex Horatio, Virgilio, Terentio, Plauto, Juvenali &c. colligi possunt, magno usui ad omne orationis genus futura, praecipue ad acrimoniam styli, ad varias meditationes, & si quis credere velit, etiam in sacris: mater enim omnis acutae inventionis Metaphora est. * In quorum collectione ego industriam diligentemque esse tironem meum velim, qui magnum suo tempore ex ea re fructum percipiet.

C A P. VII

DE EXCERPTIS COPIOSÆ ORATIONIS.

- §. I. Excerpta copiosa orationis, qua praecipue Oratoria vocanda. 2. In iis ad tria attendendum est, nempe ad τὸ πεπλασμένον, Συσηματικὸν & Ἐνθυμηματικὸν. 3. πεπλασμένον in quo consistat. 4. De excerptis amplificatoriis pauci egerunt. 5. Autoris ad Herennium consilium pro copiosa oratione. 6. Verborum Synonymia simplex. 7. Aristidis de Synonymia consilium. 8. Ea petitur e phraseologicis libris. 9. Exempla synonymica amplificationis. 10. Verborum communium usus in dilatationibus. 11. Prædicata Lulliana. 12. Sunt absoluta vel respectiva. 13. Exempla proponuntur. 14. Eodem modo & integra sententiae variantur. 15. In expressionibus affectuum differunt formulae & figurae, 16. ut & in expressionibus actuum intellectus. 17. Verba ista generalia diligenter notanda. 18. Referri possunt ad generalissimos titulos, 19. scq. qui recensentur. 20. Verba Essendi, Affirmandi, Negandi. 21. Dubitandi. 22. Volendi, Nolendi. 23. Affectuum. 24. Πλαγιασμός, Περιβολαί, Προσλήψεις. 25. Exempla Πλαγιασμῶν ex oratione pro M. Marcello. 26. Figurarum. 27. Sententiarum amplificatarum, collectanea. 28. De Meisarti mellificio oratorio iudicium. 29. Sententiarum amplificatarum usus. 30. Excerpta ex oratione pro M. Marcello.

I **V**idimus de Excerptis pure & ornate orationis: venimus ad copiosum, & ad Excerpta, quæ praecipue dicuntur oratoria. * In iis ad tria attendendum est, 2
I. ad τὸ πεπλασμένον. 2. ad τὸ συσηματικὸν. 3. ad τὸ ἐνθυμηματικὸν. In
3 quibus singulis excerpta sua quadam ratione ordinanda sunt. * Τὸ πεπλασμένον orationis consistit praecipue in decenter copiosa ac figurata oratione. Copia orationis vel a verborum & sententiarum circumductione est, vel a mer-
fuit

fura periodica. * Primum itaque de EXCERPTIS AMPLIFICATORIIS age- 4
 mus, in quibus pauci hætenus industriam suam exercuerunt. Multi sunt, qui
 de copia verborum ac Dilatatione & Amplificatione scripserunt, inter quos Eras-
 mus & Ludovicus Regius singularibus libris egerunt, & nos suo loco, sed de Ex-
 cerptis formandis nemo distincti aliquid docuit. Nos *lib. 2. cap. 13. & cap. 14.* tum
 præceptis tum exemplis ostendimus, quomodo sententiæ per assumptiones sint am-
 plificandæ. * Eandem methodum *Autor ad Herennium col. 67. 68.* ubi de expo- 5
 sitionibus agit, præscripsit, diserteque ait; quod *multo maxime per eam exerceamur
 ad eloquentia facultatem.* Bene itaque fecerimus, si talium Expolitionum vel Am-
 plificationum, quæ apud optimos Oratores occurrunt, Excerpta instituerimus.
 Nos ex Oratione Ciceronis pro Marcello talium Excerptorum specimen osten-
 demus.

Omnis Amplificatio consistit in dilatatione, tum verborum tum sententiarum, 6
 & primum simplex est synonymia. * Diserte Aristides in libro *de Dictione Ci- 7
 vili*, quem e Græca in Latinam linguam convertit notisque illustravit *Laurentius Nor-
 mannus*, Vir doctissimus, hoc præcepit, cum ita ait: *Ratione elocutionis fit circumdu-
 ctio, nempe si vocabula idem valentia adhibeantur. Sciendum vero, quæ significatu con-
 veniunt, quadam consecutione mutua jungi, quadam contra quam consentaneum fuerat.*
 * Verborum idem significantium farrago e phraseologicis libris peti debet, tum 8
 ex observatione crebra. * Ita cum Cicero hic dicit *N. 2. Dolebam, & vehementer 9
 angebar*, inter synonyma referri debet. Ita *N. 6to, laudes extenuare verbis, eas-
 que detrabere. No. 4to, merito atque optimo jure; & plura alia in hac Ora-
 tione occurrentia. Ita N. 6. fortuna sibi vindicat & pene omne ducit suum.* Ne-
 que simpliciter hæc Synonymia, sed & *ὀπίθεσις*, sive per negationem in-
 stitui solet, ut statim in prima periodo hujus Orationis: *Diuturni silentii finem
 hodiernus dies attulit; idemque initium dicendi.* * Si a simplicibus verbis & phra- 10
 sibus discesserimus, veniendum est ad *communia verba*, quæ quasi genericam ali-
 quam naturam habent, quibus uti possumus in dilatatione verborum & sen-
 tentiarum, per periphrases, descriptiones & similia. * Vocamus autem Com- 11
 munita verba, quæ non terminantur in aliquod subjectum, qualia verba com-
 munita possent sub titulis Lullianis ad *τὸ γενικὸν* præcipue accommodatis com-
 prehendi. * Suntque illa *prædicata communita* tam absoluta, quam respectiva. 12
 • *Absoluta* sunt bonitas, magnitudo, duratio, potestas, cognitio seu sapientia,
 • appetitus, virtus, veritas, gloria. *Respectiva* sunt differentia, concordia, op-
 positio seu contrarietas, proprium, medium, finis, majoritas, minoritas, æqua-
 litas, & quæ singulis opponuntur. * Sub singulis comprehenduntur plura vo- 13
 • cabula generalia, atque illa vocabula generalia magnam sub se iterum continent
 sylvam nominum, verborum & adverbiorum. e. g. hic in Oratione *N. 12.* habe-
 tur: *Clementia tuæ judicio conservati sumus.* Satis fuisset: *Clementia tua conservati
 sumus, vel, judicio tuo conservati sumus; sed jungit Cicero verbum commune
 cum singulari. Judicium enim latius patet, quam clementia. Ita N. 10. Et si aliqua
 culpa*

culpa tenemur erroris huius; satis erat dixisse: etsi errore humano tenemur. Ita N. 4. *Tantum apud me grati animi fidelis memoria valuit; cum sufficeret: tantum apud me gratus animus valuit.* Ita N. 24. *Si ad humanos casus accedat sceleris consensio; suffecisset: si ad humanos casus accedat scelus.* Et tales non verborum tantum, sed etiam sententiarum & formularum amplificationes infinitæ occurrunt, a vocibus illis communibus assumptæ. Sic in primo exemplo vox *Judicium* est communis, referenda ad titulum *Cognitionis*, potestatis. In exemplo secundo vox *culpa* referenda ad titulum *malitiæ* bonitati appositæ. In tertio exemplo vox *memoria* referenda ad titulum generalem *cognitionis*. In quarto vox *Consensio* referenda ad titulum generalem prædicati Respective *Concordiæ*; & talia infinita occurrunt.

- 14 * Sententiæ integræ eodem modo per communes voces variari possunt; quæ voces etsi e terminis illis generalissimis inveniri facile possunt, & applicatione ad illos terminos, eorumque contraria eo magis ampliari, præcipue tamen referuntur vel ad actus intellectus, vel ad motus animi. Proveniunt itaque a facultate intelligente tum formulæ, tum figuræ, quæ eam ob causam figuræ sententiarum vel τῆς *διανοίας* dicuntur, vel a motu animi, & itidem hinc oriuntur formulæ vel figuræ, quæ figuræ affectuum dicuntur. Formulæ in illo consistunt, quod dicam, *me scire, intelligere, opinari* &c. Figuræ tales sunt, quæ scientiam & sententiam per se gignunt; nam omnes illæ figuræ sententiarum docent aliquid distinctius auditores de re, quam proponimus; ut figura distributionis enumerando vel species, vel partes, magis dilucidam facit orationem, intelligentiorem reddit auditorem.
- 15 * In formulis & figuris motuum sollicitè distinguuntur formulæ & figuræ ab Hermogene, ejusque diligentissimo Commentatore *Sturmio lib. 1. de Universa ratione Elocutionis Rhetorica c. 24.* Nam cum orator verba motuum præmittit, ut cum dicit, *se mirari, se terreri*, remissior ille motus est, & vix nomen figuræ meretur. Cum autem affectus ipsis verbis exprimitur, & nihil præmittitur, tum vera figura est: animus enim ipse ideam hujus affectus verbis imprimit. Ita in Exordio Orationis pro Milone Cicero dicit, *se terreri*; quod mollius & remissius est, quam si terrorem vultu, gestu, trepidatione & oratione ipsa exprimat. Quod si itaque verba talia motuum in sententiis præmittantur, *πλαγιασμός* est, & obliquatio: si integris periodis prologus contineatur, aliquid figuræ sapit, etsi non sit ipsa
- 16 figura. * Similiter accidit in expressionibus actuum intellectus, quæ varios suos gradus habet. Nam cum dico, *me aliquid scire, opinari, estimare, mirari* &c. non tam figuram illud facit, quam formulam. Si vero affectum illum admirationis exprimam ipso sensu, *Papa! quanta enormitas est, quantum prodigium!* Ipsa figura admirationis sub ratione exclamationis proponitur. * His verbis generalibus, quæ expriment vel intellectum, vel affectum, vel aliquid, quod illo pertinet, frequenter utitur Orator ad amplificandam & dilatandam Orationem, quæ proinde diligentè notari debent, & ad terminos suos generales reduci, quos terminos hic quasi per indicem dabimus, ut velut Alphabetum quoddam sint, quo tanquam elementis quibusdam dilatetur Oratio, his formulis adjectitiis ubique suffulta.

Generalissimi Tituli, ad quos omnes communes voces ac formulæ referri possunt, sunt Verba 1. affirmandi & negandi, 2. volendi & nolendi & 3. laudandi & vituperandi, 4. suadendi & dissuadendi. Quibus contineri omnia illa possunt, quæ quocumque ad tria causarum genera referuntur. Nam generis judicialis communia verba accusare & defendere ad laudare & vituperare reduci possunt. Pleraque, quæ in dicendo occurrunt, vel in rebus, vel in facto, vel in faciendo versantur. * Voces & formulæ, quibus affirmamus, varie formantur. 1. Per verba, quæ simpliciter ad asseverationem pertinent, ut: statuo, judico, sic censeo, credo, sic statui semper, sic mihi persuasum est, sic sentio, & ita sentio, & sæpe differui, adducor, ut putem, illud affirmo, confirmo, etiam illud adjungo, idem ego con- tendo, non dubito, non vereor, non est verendum, certum est, luce clarius est, non dubium est, nulla dubitatio est, in dubium non venit, non ambigitur, nemo negat, negari non potest, nemo ignorat, potestis recordari, sic perspicio, cui perspicuum non sit? fateor, non inficior, exploratissimum habeo, narro tibi, testor. Cic. I. 1. De Orat. Adest fere nemo, quin acutius atque acrius vitia in dicente quam recta videat, h. e. omnes vident. Id lib. 1. fam. 3. nemo est, quin cogitat, quam sit metuendus victor iratus, h. e. omnes scimus. Verrin. 3. Neminem vestrum ignorare arbitror, judices, hunc sermonem vulgi atque hanc opinionem populi Romani fuisse, i. e. Vos scitis. Verrin. 4. Me dies, vox, latera desciunt, si hoc nunc vociferari velim, miserum indignumque apud eos diem festum esse, i. e. miser apud eos dies festus est. Duplicantur in his *πλαγιασμοί*. His ex adverso contraria poni possunt. 2. Per verba simplicis essentia vel conditionata, ut evidens est, manifestum est, patet, fieri non potest, contingit, necessarium est, facile & difficile, sunt illa ejusmodi, ut &c. qualia præsupponunt asseverationem, vel dubitationem, vel negationem. 3. Per verba, quæ intellectum vel proprie, vel metaphorice inserunt, e. g. Cognosco, intel- ligo, experior, perspicio, sentio, judico, hoc ego te doceo, subodoror, prædico, præfatio, prævideo. Vide vocabula sub termino Lulliano Cognitionis. * Com- prehendantur sub illis contrariæ voces, dissentire, displicet, nescire, juxta cum ignarissimis scio, nescio quo pacto &c. 4. Per verba opinandi, puto, credo, existimo, duco, arbitror, opinor, videtur; qualis *πλαγιασμός* Rhetoribus ἐνδοξίως dicitur. 5. Per verba ἐπιμνηστικῶς, e. g. rectum, justum, æquum, honestum, utile, necesse, dulce, odiosum, molestum, acerbum, indignum, miserum, ridiculum est, fatis est, parum est, nimium est, magni interest, stultitia est me illi vitio vertere, placet, non oportet. Quæ actiones pleræque judicantur a qualitatibus bonis vel malis, ideoque verba bonitatis Lulliana hic applicari possunt. 6. Per verba συγκρίσεως seu comparationis, superlationis, e. g. supra quam credi potest, ultra hominum fidem. 7. Per verba illativa & concludentia, e. g. Sic ego colligo, sic fert ratio mea, &c. 8. Per verba testimonii, e. g. ajunt, dicunt, perhibent, auditum est; fama, rumor est; in pro- verbio est, creditur, veteres comprobant autores, Dialectici persuadent, per manus traditum est, audivimus ex majoribus, multi prodiderunt, multi sunt autores, placet Philosophis hoc, majores natu dicere audivi, annales refertos habemus, le-

- gimus in annalibus, est in monumentis literarum, relatum est apud Historicos, Plato
 21 definit, declaravit &c. Ex his contraria facile formari possunt. * Dubirandi
 verba quasi intermedia sunt e. g. dubiro, non est verolimile, non liquet &c.
- 22 * Verba volendi exprimuntur 1. per phrasas generatim voluntatem significantes, e. g.
 probo, placet, hæc mea mens est, hic sensus, ita mecum constitui, deliberatum est,
 hæc dudum designavi, instructa ad illam rem omnia, tentare, eligere, repudiare,
 cunctari, festinare. 2. per generalia verba faciendi & fiendi, quoniam facta ad volun-
 tatem referuntur, e. g. Soleo mirari, non est mea consuetudinis rationem red-
 dere, faciam profecto, non committam ut, &c. non repugnabo, non refragabor.
 3. per verba potestatis; quo referri possunt ceteræ voces, sub hoc prædicato Lulliano
 contentæ, e. g. In tua potestate est, nihil impedit, nihil prohibet, nihil vetat;
 tuarum virium, tuorum nervorum res est, *quæ res in civitate multum possunt, hæc contra*
nos faciunt; est in tua potestate, ut ille in me satis sibi præsidii esse putet. Cic. 4. per verba
 cause efficientis, impulsivæ, finalis. Quoniam enim omnis oratio versatur in aliquo fa-
 cto vel faciendo ideoque e causis verba communia multa desumi possunt, e. g.
 Ideo hoc factum est; omnem operam impendit, ut hoc ageret: ideoque omnes
 phraseologiae diligentiae, procurandi, laboris, industriae, conatus, omnesque voces,
 quæ actionem generalem exprimunt, huc pertinent. Cic. 5. fam. 1. *Summa tua au-*
toritas fecit, meumque de tua singulari virtute iudicium, ut magni mea interesse putarem, &
res eas, quas gessissem, tibi notas esse, & non ignorari a Te; i. e. res gestas tibi notas fa-
 cere volui. 5. per verba affectuum: ea enim ad actiones referri debent. * Volumus
 23 facienda vel simpliciter, vel cum affectu. Facta affectu vel exaggeramus, vel ele-
 vamus. His verbis vel morata, vel pathetica fit oratio; prout formulæ vel affe-
 ctum vel virtutem exprimentis admiscuntur. Quando verba affectuum propo-
 nuntur sententiis, ea Hermogenes inter exempla *προσλήψεως* seu assumptionis nu-
 merat. Formulæ a virtutibus & vitiis desumptæ moratam reddunt orationem, si
 illis per assumptionem sententiæ amplificantur. Ideoque verba, quæ subjiuntur
 prædicato Lulliano Bonitatis & Virtutis, hic convenient. Possunt & ceteri omnes
πλαγιασμοί Lullianis prædicatis in amplificatione sententiarum jungi: Exaggera-
 tio potest insitri per verba magnitudinis & virtutis, quæ apud Lullium habentur.
Laudandi & vituperandi communes voces & formulæ e prædicatis Lullianis pro rei,
 de qua dicitur, natura, derivari possunt. E loco enim adjunctorum, unde omnis
 laudandi & vituperandi ratio dependet, sunt desumpta. *Suadendi & dissuadendi* for-
 mulæ per omnem sermonem generis deliberativi sunt dispersæ.
- 24 Solet talis amplificatio per *πλαγιασµόν* convenire cum *περιβολή*. Sententiæ
 enim e rectis mutantur in circumductas five compositas per *πλαγιασµόν, περιβολήν*
 & *πρόσληψιν*. *Πλαγιασµός* consistit in illa obliquatione per verba & formulas;
περιβολή fit καὶ ὑπόθεσιν, vel per conditionalem sententiam insertam vel præmissam,
 e. g. *Si quid in me est eloquentiæ, ejus vel imprimis fructum Licinius repetere debet.* Re-
 cta est sententia: eloquentiæ meæ fructum a me repetere Licinius debet; vel καὶ
 ἀπόφασιν, per negationem contrarii, e. g. *Qui profecto, si nihil ad percipiendam co-*
lendam-

lendamque virtutem literis adjuvaretur, nunquam se ad earum studium contulissent. Pro quo dixeris: literæ valent ad virtutem. Tertio per propositionem relativam, e. g. *Quia tuâ voluntas ea videbatur esse, ut prorsus, nisi confirmato corpore, nolles navigare*; pro eo diceres: nolebas navigare, sed hoc exemplum æque potest ad *πλαγισμὸν* referri. Ita Cic. pro Archia: *nunc insidet quædam in optimo virtus, que dies noctesque animum gloria stimulis concitat*; pro eo quis diceret: Virtus coneit. Sed potest hoc exemplum æque ad *πλαγισμὸν* referri, & quidem ad titulum existentie. Insidet in optimo virtus. Verba enim existentie sub se continent omnia verba generalia, vel existentiam, vel inhærentiam, vel præsentiam, aut simile quid significantia. *Πρόσληψις* multos habet modos, ut jam supra dictum est.

Nos jam ad Orationem pro M. Marcello nos convertemus, & quicquid in ea 25 *πλαγισμῶν* & *πρόσληψεων*, in usum eloquentiæ Studiosorum notabimus, ut ad hoc exemplum observata & excerpta amplificatoria sua instituunt. Totis duabus primis periodis nihil aliud continetur, quam hæc sententia; Hodie de restituto Marcello dicere debeo. Tota itaque periodus prima est quasi *παράσκευαστικὴ* & nihil aliud quam *πλαγισμὸν* per integram periodum deductum continet: quare ad formulam asseverandi vel dicendi pertinet. Cetera expolitionibus ornantur & figuris, de quibus postea. Verba etiam illa: *tacitus nullo modo præterire possum*, pertinent ad formulas affirmandi, dicendi, asseverandi. Potest etiam hæc formula, quæ formula simul connectendi est, referri ad variationem particulæ *etiam*. *Conservatam ac restitutam puto*, pro, restituta est, *πλαγισμὸς* est, & ad verba opinandi refertur. Formula hæc referenda ad verba affectuum & *ἐπιμείσεως*. *Dolebam & vehementer angebar, cum viderem, virum constitutum in ea fortuna*, pro fortuna ejus erat afflictæ. *Nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam, versari me &c. quod Marcellus a me inique distractus fuit*: Formula referenda ad verba *ἐπιμείσεως*. *Intellectum est mihi quidem in multis, & maxime in me ipso, sed paulo ante in omnibus*, *πλαγισμὸς*, qui referendus ad verba intellectus & sensus (noletur hic obiter variatio conjunctionis copulativæ, & maxime in me, sed paulo ante in omnibus. Ille quidem fructum omnis vitæ cepit, cum &c. Videri poterat quasi *πρόσληψις* effectus aut *πλαγισμὸς* verbi generalis esse vel fieri, aut factum esse. Nam e. g. ita dicere possum: *ille fructum omnis vitæ antea hodierno die maximum cepit, cum honores illos consecutus est*, pro: ille honores hodie consecutus est; estque talis generalis forma essendi vel fiendi, reflexa ad titulum generalem bonitatis & magnitudinis. *Est vero fortunatus ille &c.* Referenda hæc formula est ad verba: *Esse vel existentia*, ad circumstantiam temporis relata; Simpliciter enim dicere poterat: Marcellus maximo beneficio a te affectus est. Nota iterum variationem Conjunctionis Copulativæ per Comparisonem: *cujus ex salute non minor pene ad omnes, quam ad illum ventura sit, letitia, pervenerit.* *Quod ei quidem merito ac jure optimo contigit.* Hæc periodus separatim ponitur, sed partim refertur ad præcedentem, partim connexionem præstat propositioni secururæ: ideoque vel ad formulas *πλαγισμῶν*, vel ad formu-

las connectendi referri potest. Si ut *πλαγισμὸς* consideratur, referenda est ad formulam esse vel fieri, factum esse, h. m. *Quod ei merito atque optimo jure contigit, ut hoc beneficio afficeretur.* Quæ sequuntur periodi aliquot, hanc propositionem continent: *laus restituti Marcelli ceteras. Cesares laudes superat.* Tota hæc periodus: *mirabilis tantum est flumen ingenii &c.* adhiberi potest, cum dicimus de rebus magnis vel absolute vel comparate. Absolute: *nullius tantum flumen est ingenii, qui enarrare res tuas possit,* pro: res gestæ tuæ sunt maximæ. Comparato sensu ita adhibetur, ut primum amplissime laudentur, quæ minora visa sunt, ut eo ampliora sint, quæ sequantur. Referatur ad formulas *asseverandi*, & separatim illa: *tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua, nullam laudem esse ampliozem* i. e. nulla laus major est. *Soleo sæpe ante oculos ponere idque libenter crebris usurpare sermonibus.* Mirabilis hic *πλαγισμὸς* est ad rem magnam significandam; & referenda hæc formula est ad verba intelligendi & cogitandi. *Quæ quidem ego, nisi ita magna esse fatear &c. amens sim.* Pertinet hæc formula ad formulas *asseverandi*, reflexa ad titulum generalem magnitudinis. Duplex quasi *πλαγισμὸς* esse videtur; primus: *fateor esse magna*, pro, sunt magna; secundus: *nisi magna esse fatear, amens sim.* Est *πλαγισμὸς περιβολῆ* auctus. Additur tertio *Hyperbole*: *ut ea vix cujusquam mens aut cogitatio capere possit.* Elegans exemplum in rebus magnis exaggerandis. Potest etiam integra hæc formula ad verba Syncritica referri; tota enim hæc formula comparisonem auget, cum simplex sententia: hæc facta tua omnium facta superant, vel, factum tuum priora tua superat. *Nam bellicas laudes &c.* Periodus hæc nihil aliud dicit, quam bellicæ laudes non sunt propriæ Imperatorum. Hæc sententia dilatur vel *πλαγισμὸς* vel assumptione, præmittendo verba generaliora; quæ resolvuntur in formulam generalem negandi. Nam si ita formes sententiam: *negant quidam laudes bellicas esse proprias Imperatorum*: Formula illa negandi per Expositiones exprimitur: *solent extenuare verbis, easque detrahere ducibus.* Totum hoc &c. est inquam tuum: ad titulum *asseverandi* per iterationem verborum refertur. *Domuisti gentes*: Amplificatio sententiæ per *περίσληψιν* adjunctorum & circumstantiarum, ut in superiori periodo per *περίσληψιν* partium. *Quæ ad naturam & conditionem, ut vinci possent, habebant*, pro, vinci poterant. Referendus ille *πλαγισμὸς* est ad verba generalia esse, sive simpliciter, sive per conditionem. *Nulla est tanta vis &c.* Vere magna & ampla est hæc periodus, & crescit antithetis, expositionibus crebris. Noretur subjectum totius periodi, quod in meris infinitivis consistit, præmitti, & prædicatum postponi per resumptionem subjecti, cujus formula: *hec qui faciat.* Ita enim instructa periodus numerosior est, quam si ita concepta fuisset; qui animum vincit, iracundiam cohibet, non iile cum summis viris comparandus, sed &c. Ita enim traheretur sensus, & membrum nimis cresceret. Referenda est hæc quoque formula ad verbum generale *faciendi, vincere, cohibere, temperare, extollere, amplificare*: *hec qui faciat.* Estque hic, quod bene notandum, *πλαγισμὸς* postpositi exemplum. Deinde duplex est *πλαγισμὸς*: posterior enim formula ad verba *Epicriti-*

ca pertinet. *Non ego eum cum summis viris &c.* Potest & eadem formula referri ad verba *Syncretica*: est enim formula comparandi per ὑπερβολήν. Ita hic comparat, ut ponat extra omnem comparationem, quæ summa est exaggerationis nota. Duæ hæc periodi sequentes nihil aliud in se continent, quam hanc sententiam: qui se ipsum vincit, major est omnibus, hæc sententia per χωρισμόν, per exaggerationes & ἀντιθέσεις in plures periodos distrahitur. *Quo studio incendimur?* ita vel simpliciter, vel per interrogationem possumus dicere; quo studio incendimur, cum tua legimus. Referri potest ad verba generalia *affectuum*, & in specie *amoris, desiderii*, i. e. ac si diceremus: res tuas gestas libenter legimus. *Gratias agere gestiunt*: πλεγμασμός per verbum generale affectus. *Cum lacrymas viderem, omnium memoria pectus meum effodit*, pro, tactus sum commiseratione Marcellorum, quibus tu dignitatem restituiisti. Et si hic enthymema latet, referri tamen potest ad formulas generales affectuum, & quidem commiserationis. Est etiam hoc exemplum περιβολῆς per enunciationem relativam. *Hunc tu igitur diem antepones*; possunt hæc verba etiam inter formulas referri, si subintelligantur, quæ hic sunt præmissa. Ita enim institui sermo potest: *hunc tu diem &c. jure antepones*; quo hoc beneficio nos affecisti i. e. magno beneficio nos affecisti. Referri potest ad verba ἐπιμειψέως vel συγκρίσεως & superlationis. *Vereor hoc &c.* Referri hæc formula potest ad verba generalia *intelligendi, dicendi & affirmandi*, reflexa ad titulum *magnitudinis*, & accommodatur rei magnæ, de qua dicturi sumus. *Atque hoc quam late pateat, attendite*: est quasi πρόσληψις pollicitationis, quando aliquis se aliquid magni probaturum promittit: potest etiam ad verba generalia *intelligendi* referri, etsi accedat figura ἐπιμειψέως, prout si diceret: hoc iudicium multa complectitur. Nam si quis vocem *Attendite* per Synonyma amplificaret, rectius hujus formulæ usus pateret. *Jam vero animis vestris putate, atque ante oculos vobis ponite, quam late iudicium pateat*, pro: late iudicium pater. *Judicavit a plerisque susceptum*, pro: absolvit a crimine perduellionis. Vox itaque *judicavit* inter πλεγμασμούς referri debet. Referenda est hæc formula ad verba ἐπιμειψέως. Πρόσληψις est causarum, qua amplificat sententiam. De pace agendum esse existimavi &c. Tota periodus nihil loquitur, nisi hæc verba: ego pacem semper sectatus sum, quam ille circumloquitur per verba generalia *opinandi*, & in contrariam partem flectendo sententiam per generalia verba *affectuum*, scilicet *doloris*, & verba *negandi*. Formula illa referri potest ad verba generalia *persuadendi*, vel etiam *asseverandi*, notum est, manifestum est, *Tantum apud me grati animi memoria valuit, ut nihil illi denegandum arbitrarer*. Est etiam formula morata. Sententia enim: nihil ipsi denegavi, amplificatur e loco gratitudinis. Possunt enim & tales formulæ e virtutum locis amplificatæ seorsum colligi. *Quod quidem meum consilium minime obscurum fuit*. Hæc verba, etsi hic sententiam complent; tamen reflectunt ad superiora, & potest illa formula adhiberi, cum aliquid asseveramus; & referri sub titulos, *manifestum est*, h. m. *Meum consilium minime obscurum fuit, cum illa res inter nos disceptaretur*. *Ex quo nemo &c.* Tota hæc periodus

riodus hanc sententiam habet: Cæsar voluit pacis autores conservare; estque in hac sententia quadruplex *πλαγιασμός*, 1. ex verbis *ἐπικρίσεως*. 2. ex verbis dubitandi. 3. ex verbis voluntatis. 4. iterum ex verbis *ἐπικρίσεως*. Estque hæc sententia sub modo *conclusionis* seu *illationis* concepta. 1. *ex quo nemo erit tam injustus verum æstimator.* 2. *qui dubitet.* 3. *quæ Cæsaris voluntas fuerit.* 4. *cum pacis autores conservandos censuerit.* Atque id minus mirum fortasse tum, cum esset incertus exitus. Est formula periphrastica particulae præsertim, minus mirum, fortasse cum. Est itidem formula connectendi generalior. Potest etiam inter *πλαγιασμός* referri sub verbo generali *fiendi* vel *facere*: atque id minus mirum fortasse tunc accidit, cum esset &c. *Is profecto declarat, se maluisse*, pro: is voluit vincere. *Πλαγιασμός* referendus ad verba generalia *Voluntatis*, estque duplex. 1. declarat, se voluisse vincere. 2. verbum *Velle* per comparisonem contrarii variatur h. m. *se maluisse non dimicare, quam vincere.* Ut obiter significem, quod emittatur altera particularum comparatarum, quæ absconditur in voce *Maluisse*. Dici enim alias potuisset, se voluisse non tam dimicare, quam vincere. *Quoties ego cum, & quando cum dolore vidi extimescentem?* *πλαγιασμός* duplicatus cum *περιβολῆ* & figura exclamationis. Is enim sensus est: Marcellus ferocitatem victoriæ extimescebat. Additur *πάθος* doloris. Referendus itaque hic *πλαγιασμός* est ad generalia verba *sensuum*, aut ad verba *affectuum*, doloris. *Vidimus* &c. Sententia hæc est: bellum finitum fuit, & in urbe pax fuit. Amplificat per *πλαγιασμόν* verbi *videndi*, & *ἐξεργασίαν* phrasium. *Ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, Cæsar ab inferis excitarer.* 1. Est *πλαγιασμός*, ad verba dubitandi referendus. 2. Elegans deinde formula hic latet, referenda ad verba *συγκρίσεως*; & talis quidem, quæ involvit voces superlationis, quibus ipsa *ὑπερβολῆς* figura additur. Exprimitur autem hic summa clementia. Imitari possis in multis aliis rebus. Sic si hominem misericordem velis depingere. *Adeo efficitur amat miseros, ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri possit, ultimis suppliciis destinatos eriperet, nocentesque absolveret, quam ut innocentes damnaret.* Præterea hæc formula in multas alias figuras converti potest. *Alterius vero* &c. In his verbis 1. est notanda singularis trajectio vocum, quæ recto ordine ita locari debuissent: nihi amplius dicam, quam nimis iracundam fuisse victoriam alterius partis, id quod omnes verebamur. Cicero vero ita maluit, & proposuit verba: alterius vero partis, ut sensus efficacia major esset, & commodior cum prioribus nexus. Duplex hic est *πλαγιασμός*, 1. per generale verbum *dicendi*, 2. per generale verbum *metuendi*: estque præterea *περιβολῆ* per particulas relativas, cum figura præteritionis: nihil amplius dicam, quam id, quod omnes verebamur. *Cogitandum esse dicebant*: *πλαγιασμός* est, & quidem duplex, referendus ad verba *opinandi* & *dicendi*. *Quare gaude* &c. Tres periodi nullam aliam in se habent sententiam, quam: Gratulamur tibi; per figuras & multos *πλαγιασμός* & *περιβολῆς* ita ornata, ut in exemplum similiarum formularum esse possit. *πλαγιασμός* est ex verbis *affectuum* reflexis ad titulum *bonitatis*.

Quare

Quare gaude isto tuo tam excellenti bono: alter *πλαγισμός* est; & simul *περιβολή*. Cetera cum tua recordabere &c. felicitati tuæ congratulabere. Referenda est formula ad verba generalia sciendi, vel intelligendi. Tertius *πλαγισμός* & *περιβολή* est: de nobis quodcumque cogitabis, toties &c. Referenda hæc verba sunt ad formulam cægitandi. Titulus ille bonitatis augetur ex causis efficientibus hujus beneficii. Quoniam enim hæc periodi sola in gratulatione consistant, gratulatio autem fiat de bono aliquo obtento, ut hic ex laude Clementiæ: & verò bonitatis ac felicitatis multæ sint cum causæ, tum partes, non commodius amplificabitur, quam ex iis vel causis, vel partibus, quæ generali illo bonitatis titulo continentur. Primo enim ponit generalem illum titulum boni: *quare gaude isto tam excellenti bono*. Amplificat partim per effecta, cum enumerat illa, fortunam, gloriam, naturam, mores, fructum, jucunditatem, virtutem, felicitatem; (quæ duo sibi hic opponuntur ad amplificationem rei ex comparatione contrariorum) liberalitatem, sapientiam; & hæc omnia considerat, tum ratione ipsius beneficii, tum ratione illorum, quos beneficio affecit, ita tamen, ut omnia in autorem retorqueantur. Potest etiam tota hæc formula referri ad formulam *gratias agendi*. Notetur elegans variatio particulæ *potius*. *Et si persæpe virtuti, tamen plerumque felicitati*, i. e. potius felicitati tuæ congratulabere. Potest etiam tota hæc formula: *Cetera cum tua recordabere, usque congratulabere*, referri ad verba *syncretica* & formulas comparisonum. Ad eadem verba *syncretica* referenda hæc est formula: *quæ non modo summa bona, sed nimirum audebo vel sola dicere*: ad verba superlationis, *supra quam credi potest*. Est etiam *πλαγισμός*: quæ audeo dicere, pro: quæ sunt. Notetur etiam hic positus particularum: *non modo, sed nimirum*. Alias enim dici solet: *non modo sed, &c.* Noli ergo in conservandis bonis defatigari. 1. *πλαγισμός* hic est, ad verba generalia faciendi referendus. 2. est formula dissuadendi; noli defatigari. *Sed quisnam est iste tam demens?* *πλαγισμός* ille est, etsi omittantur, quæ sequi debent. Integra enim sententiâ hæc est: nemo hoc patrare ausit. Potest referri ad verba *asseverandi* & *negandi*. Utraque enim ratione considerari potest formula. Immiscetur *πάθος*. Idem *πλαγισμός* est in verbis sequentibus: *non est credibilis tantus in ullo furor*. An, si tui nihil cogitant sceleris, cavendum est? per interrogationem & *περιβολή* format simplicem enunciationem. Non inimici tui facient, *περιβολή* est: si tui nihil cogitant sceleris, *πλαγισμός*: *Cavendum est, ne quid inimici*, referendus est ad verba metuendi. Cum in animis hominum, &c. *περιβολή* est, formata e verbis generalibus, *occultum est*. Nam quis est? periodus elegans est, constans *πλαγισμῶ*, expolitionibus & assumptionibus illustrata. Expolitiones sunt *rudis, nihil de salute cogitans, qui non intelligat*. Assumptiones sunt adjuncta illa, vel potius species illæ, cum 1. ponit res in genere. 2. assumit Remp. hinc salutem communem & privatam. Recta sententiâ hæc est: omnium salus in te uno posita est. Referendus est iste *πλαγισμός* ad formulas *asseverandi* vel voces *sciendi* & *intelligendi*. De te dies noctesque cogitans extimesco. Est & ille *πλαγισμός* potius *περιβολή*, fundata *πλαγισμῶ*: nam par-

participium cogitans involvit particulam conditionem vel causalem: cum cogito. Recta sententia hæc est: ego tantum doleo, te immortalem non esse. Referenda est hæc formula vel ad verba *intellectus, cogitandi*; vel si vocem doleo & extimesco respicimus, ad voces *affectus, quem Deum, etsi cupiat, opitulari Reipubl. credimus?* Referenda hæc formula est ad titulum *Impossibilitatis*, vel ad verba *syncretica*, sub titulo superlationis. *Omnia sunt tibi excitanda, Cesar.* Sententia hæc est: resp. tibi iterum erigenda est. Quam illo variat per *περόληψιν* partium, in quibus Resp. consistit. *Non fuit recusandum, quin* &c. elegans est *πλαγισμός*. Referendus est ad formulas *asserendi*, vel ad vocem generalem *sciendi*. Sententia recta hæc est: multa in bello civili turbantur. *Nam tuam vocem inuitus audivi.* Formula est referenda ad vocem generalem improbandi. Recta sententia hæc est: non laudanda tua vox est. *Si ita vis.* Formula hæc ita posita notanda est, & non *ἐπιπλήξεις* illæ, si ita vis, si ita placet, quasi blandiendi gratia adjectæ, quibus utimur, quando cum maioribus nobis res est, quibus adversari nolimus. Formula illa: *addo etiam si placet*, & variatio conjunctionis copulativæ ET. *Quare omitte queso istam doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam.* Formula *dissuadendi & debortandi*: *neque noli nostro periculo sapiens esse.* *Sæpe venit ad aures meas, te dicere,* pro: *dicis.* *πλαγισμός* est, referendus ad verba *sensuum, audiendi*: scilicet. *Tum id audirem, si tibi soli viveres.* *πλαγισμός* est & *περιβολή*. Recta sententia est: non credo. *πλαγισμός* consistit in verbis: *tum id audirem.* *περιβολή* in illis: *si tibi soli viveres.* Res tuæ gestæ complexæ sunt. Vox *Complecti* est inter illas, quibus Cicero ad sensus abundantiam exprimentam utitur, ut sunt multæ aliæ in lectione autorum notandæ. Cum enim illæ vi vocis amplitudinem aliquam significant, inter voces etiam communes referri possunt. *Tantum abes a perfectione*, pro: nondum fundamenta jecisti. 1. Notetur hic periphrasis particulæ *nondum*: tantum abes a perfectione, ut. 2. *πλαγισμός* etiam est, referendus ad verba vel *asserendi*, vel *negandi*, vel etiam essendi & *sciendi*. Si specialiozem titulum velis ad verba *perfectionis* vel etiam *imperfectiois*. Potest etiam referri ad formulam improbandi aut *dissuadendi* h. m. *Tantum abes a cogitationum tuarum eventu optato, ut fundamenta consiliorum nondum jeceris.* *Gloria te esse avidissimum, quamvis sis sapiens, non negabis*: pro: gloriæ cupidus es. *πλαγισμός* est, auctus vel *περιβολή*, vel *ἐπεμβολή*, referendus ad verba *ajendi* vel *negandi*. *ἐπεμβολή* vel *περιβολή* est: *quamvis sis sapiens.* *Quicquid enim est.* Per *γνώμην* effertur, quæ est formula, referenda ad verba *syncretica* seu *superlationis*. *Quod si rerum tuarum immortalium hic exitus futurus sit, ut relinqueres.* *πλαγισμός* est, referendus ad verba generalia *essendi, accidit, contingit* idem est, *Vide queso, ne.* Totâ hæc periodus nihil aliud in se continet, quam rectam hanc sententiam: Resp. in hoc statu relicta, non tantam tibi gloriam pariet. Est itaque quasi *περιβολή*: *quod si rerum tuarum immortalium* &c. formata per particulas conditionales. Deinde illa quoque verba: *Vide, ne ista divina virtus admirationis plus sit habitura, quam gloria, πλαγισμόν* habent ex comparatione; assumi-

assumitur enim alius effectus ad effectum gloriæ. Utraque enim tam admiratio quam gloria est effectus virtutis. Referrî quoque potest hæc formula ad verba *syncretica*, & quidem ad talem titulum: *simplices sententiæ per comparisonem amplificatiæ*. Hæc igitur tibi reliqua pars est, hic restat actui, in hoc elaborandum est, ut Remp. constituas. Elegans est *πλαγιασμός*, expolitione auctus, referendus ad verba *faciendi* vel *agendi*: & hoc quoque notandum est, quod sit sub forma *asseverandi* prolatus: quo respectu etiam ad formulas *asseverandi* referri potest, & ad formulas hortandi & suadendi. Quoniam enim hortatio & suasio faciendum aliquid præsupponit, ideoque verba *faciendi* generalia, eorumque periphrases & synonyma, ut: laborare; curam, diligentiam adhibere; industrium, sollicitum, anxium esse, & similia, maxime huc pertinent: quæ ut augeantur sensu, verba affectuum illis jungi possunt. Tum te si voles, satis diu vixisse dicito. Iterum hoc exemplum *πλαγιασμός* est referendum ad verbum *affirmandi*. Quid est enim hoc ipsum: quod cum venerit. *πλαγιασμός*, quo exprimitur solum futurum tempus. Etsi enim hic sensu quodammodo diverso usurpetur, tamen in imitatione potest pro *πλαγιασμός* accipi, e. g. Quid est enim omnino hoc ipsum, quod cum venerit, statim in aspectu ipso extinguetur? ejus recta sententiâ hæc est: res illa non erit diuturna. Referendus hic est *πλαγιασμός* ad verba generalia *essendi*, proponitur autem sub forma interrogandi. Nam & tales formulæ, quæ indumenta orationis dixeris, probe sunt notandæ. Nam talium indumentorum, ut voco, variæ occurrunt formæ, quibus in variandis sententiis uti possumus; possuntque omnes illæ formulæ verborum generalium sub certo quodam tali indumento proferri, ut multa applicatione quasi quibusdam numeris in se ductis, singulæ sententiæ singulis modis amplificari, vel potius variari possint. Ad vitandam enim Orationis nauseam ista indumentorum varietas conducit; qua de re alio loco plura. Nec vero hæc tua vita ducenda est &c. Pertinet hic *πλαγιασμός* ad verba *affirmandi*. Tota hæc periodus nihil aliud continet, quam hanc sententiâ: nisi Remp. conserves, incerta erit tua gloria. Illustratur per *εξεργασίαν*. Sententiâ quoque hæc proponitur sub modo *asseverandi*, per iterationes verborum. Huic inservias, hic te ostentes oportet. Referenda est ad formulas *suadendi* & hortandi. *Obstupefcent posteri*. Elegans exemplum *προσλήψεως*; assumuntur enim partes ad totum declarandum, quod una hac sententiâ continetur: mirabuntur posteri res gestas tuas. *Erit inter eos* &c. Hujus periodi sententiâ hæc est: rerum tuarum fama incerta erit apud posteros. Quæ sententiâ etiam superiori periodo continetur, merisque expolitionibus dilatatur. Illa enim verba: *vagabitur modo nomen longe atque late: sedem quidem stabilem & domicilium certum non habebit*; nihil circumloquuntur, quam incertitudinem. Uno enim verbo hæc poterat exprimere. *Πλαγιασμός* est in illis verbis: *erit inter illos, qui nascentur, magna dissensio, cum alii* &c. Referendus ad verba generalia *consensus* vel *dissensus*, vel etiam *dubitandi*. Referrî quoque potest ad formulam *dubitandi*, cum scilicet res plures proponuntur, quas Cicero per *διαίρεσιν* proponit. Illa quoque verba: *alii fortasse aliquid requirent*, iridem *πλαγιασμός*, in

se continent, ac referenda sunt ad verba generalia desiderii, e. g. Illud magnopere requirunt eruditi homines, ut ingenii tui monumenta in publicum proferas &c. *Servi igitur iis etiam iudicibus*, pro: ratio quoque habenda est posterorum. Potest referri ad verba generalia *Curandi*, & præterea exhibet formulam *hortandi*. Et quidem haud scio, an incorruptius, quam nos. Est periphrasis particulae *forfitan*. Et, & rursus, &, notetur usus Conjunctionis Copulativæ. *Id autem etiamsi tunc ad te non pertinet*. Formula periphrastica est, qua exprimitur particula *præterea*. Est quoque *πλεγμασμός*: *pertinet ad te, esse te talem* ut, i. e. debes sequi gloriam, ideoque ad verba generalia *faciendi* vel etiam *debendi* referri potest. Est & *hortandi* vel *sua- dend*i formula. *Diverse voluntates*: Exemplum *πεσλήψεως* est. Assumuntur enim adjuncta & species ad sententiam unam exprimendam, quæ est hæc: Dissentiebant inter se cives. *Restat, ut unum velint, qui modo habent*. Exemplum est *περισολῆς*, per particulas conditionales. Potest etiam inter *πλεγμασμός* referri, si e. g. ita proponas sententiam, quasi non modo tantum habeat sapientiæ, sed & fanitatis, ut tam imprudenti consilio suum adjungat. *Quare omnes te & hortamur & obsecramus*: Formula hortandi. Omnes idem sentiunt. Potest referri inter formulas *πλεγμασμός*, & referri ad verba *sentiendi*, uti & illa, quæ sequuntur: *ex omnium precibus & lacrymis sentire potuisti, quam gratum tuum nobis fuerit beneficium*. Adduntur hic verba affectus. *Sed quia non est*: plena est hæc periodus *πλεγμασμός*. Ejus sententia hæc est: ego pro omnibus loquor. *Quod fieri intelligo: letari omnes sentio*, pro: omnes lætantur. *Cum id sollicitudine, cura, labore, tamdiu præstiterim*. Et hi hic non illo sensu verba capiuntur, tamen ad *πλεγμασμός* referri illa formula potest, & quidem ad verba generalia *laborandi* h. m. Sollicitudine, cura labore hoc præstiti, ut tandem res illa ad optatum finem perduceretur.

Et hæc quidem exempla Plagiasmorum & Assumptionum pleraque fuere, quæ in hac Oratione occurrunt. Unde patet, nihil esse in Oratione circumducta frequentius, quo illa dilatatur. Hæc exempla, si ex omnibus Ciceronis Operibus fuerint notata, incredibile est, quantus ex illis cumulus effici possit. Referri vero illa exempla non tantum ad verba communia, sed & ad illa, quæ verbis communibus comprehenduntur, possunt: & vix aliter, quam sententiarum titulis exprimi possunt, & nos in sequentibus sententiarum amplificatarum ex hac ipsa oratione indicem dabimus. Occurrunt tales *πλεγμασμοί* præcipue in Orationibus, ubi numerosior debet esse oratio & magis periodica. In ceteris non sunt adeo frequentes: in Epistolis ad Atticum rara illa sunt exempla, cum in illis nihil scripserit Cicero, quod circumductum illud & *περιεβλημένον* dicendi genus sapiat. Quare & in illis, qui brevi dicendi genere uruntur, tales formulæ non apparent, ut in Tacito, Seneca & Plinio. Multa hic sunt, quæ ad titulum vel absolute vel comparate laudandi referri possunt. * Occurrunt etiam aliæ ad amplificationem imprimis pertinentes figuræ, quæ seorsim notari possunt, & sermonem *πεπλεγμένον* ex ornamentis constituunt. Colligi autem talia vel sub titulis figurarum, vel sub titulis rerum possunt.

Exag-

Exaggerationes in specie ita dictæ, quarum locus est in demonstrativo genere, hic frequentes sunt, & passim per totam Orationem occurrunt, & consistunt in figuris, quæ speciatim rem amplioem faciunt. Ita e. g. in Oratione n. 21. per ἐπίθεον augetur Oratio: ad gravissimam querelam & atrocissimam suspicionem. Omnia enim adjectiva intendendi, ut: maximus, optimus, summus, eximius, egregius, singularis, admirabilis, incredibilis, divinus, præclarus, inusitatus, inauditus, innumerabilis &c. ad hanc figuram pertinent. Item voces: tot, talis, tantus; & adverbia intendendi: valde, vehementer; unice, maxime, egregie, etiam atque etiam, majorem in modum, miris modis, miris exemplis, immane quantum, mirum quantum, nimium quantum, huc referenda. Pertinent & ex opposito particule minuendi. Nam & in extenuando potest etiam quædam esse exaggeratio; item illa adjectiva & adverbia, quæ per ἀτρέτητα intendunt, ut: non modicum, non exiguum, & similia. Exaggeratio fit per ἐσθλίσωσι & juramentum, ut in hac Oratione n. 10. *Parietes, medius fidius, gratias tibi agere gestiunt.* Magna pars Exaggerationis in conglotatione verborum & sententiarum consistit. Consistit vero conglotatio ex enumeratione, estque conglotatio, coacervatio vehemens vocum, res diversas significantium, ut congeries simplex Synonymorum coacervatio. Talis conglotatio occurrit hic num. 29. *Obstupescant posteri certe impéria & provincias &c.* Exaggeratio per reticentiam non parum auget Orationem, cum certe ex eo, quod silemus, ejus quantitas concluditur. Differt a præteritione, quæ leviora se omittit fingit. Fit illa per ἀποδιώξιν, cum aliquid rejicimus & removemus; vel cum vehementius de re loqui parcimus, ut in hac Oratione n. 17. *Alterius vero partis nihil amplius hic dicam, cruentam futuram fuisse victoriam &c.* Est etiam quædam Exaggeratio, quæ fit per adumbrationem: quæ vocatur, cum ex affectu vel consequente rei magnitudo tacite concludenda relinquatur. Talis est, quæ occurrit hic n. 14. *Tantum apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut &c.* Exaggeratio quædam fit per comparisonem σοχαστικὴν, quando scilicet ex majore posito minus conjicitur, & ex minori posito majus. Fit vero σοχασμός vel in verbis, vel in integra sententia. Ex majore conjicitur minus in illo exemplo n. 24. *Si vera ad humanos casus &c.* Solet etiam majus per ἀδύνατον designari in integra sententia, ut hic n. 17. *Ut dubitare debeat nemo, quin multos C. Cesar ab inferis excitaret, si posset: quoniam ex eadem acie conservat, quos potest.* Ex minori conjicitur majus in illis Ciceronis verbis n. 17. *Vidimus tuam victoriam, præliorum exitu terminatam, gladium vagina vacuum in urbe non vidimus.* Pauca hæc Figurarum colligendarum exempla adduximus, quæ ad laudem facti in Demonstrativo genere pertinent. In ceteris figuris simili modo rem instituamus colligendo e Ciceronis Oratione figuras & schemata, quomodo illa partibus Orationis, ejusque argumentis respondent: Ille enim scopus semper respiciendus est.

Nunc ad Sententias amplificatas procedimus, quarum ego collectionem singularem suadeo. Nam etsi illi tituli πλαγισμῶν & προσλήψεων varietatem nobis exhibeant, quam imitari possimus, ramen scopus ille, quo tendit sententia amplificata, etiam respici debet, & ex eo tituli formari. Cicero in Orationis III. Catilinae

nariæ exordio sententiam illam: *Rempublicam conservavi*, magnifica & sonora periodo hoc modo amplificavit, ut Reipublicæ vocem quasi in partes tribueret, per enumerationem commatibus intercisam, ut eo numerosior & concinnior esset periodus, & epithetis ornatam: conservandi vero actionem e loco causarum efficientium, adjuvantium, adjunctorum, illustraret, eleganti metaphora & quasi imagine, cum fauces fati vocat, adjecta. Insinuat vero periodus in principio, non membris sed incisiva ampla, ex recensione causarum, adjunctorum, ac periculorum & beneficiorum ob oculos constituta magnitudine amoris in patriam affectum, qui pleniorum quendam spiritum & haurum requirebat. Quid enim hæc periodo sonorum magis excogitari posset? *Rempublicam, Quirites, vitamque omnium vestrum, bona, fortunas, conjuges, liberosque vestros, atque hoc domicilium clarissimi Imperii, fortunatissimam pulcherrimamque urbem, hodierno die, Deorum immortalium summo erga vos amore, laboribus, consiliis periculisque meis, flamma atque ferro, ac pene ex faucibus fati ereptam, & vobis conservatam atque restitutam videtis.* Similiter Catilinaria IVta pericula sua exaggerans, & πᾶθος commiserationis in auditoribus movens, in se vero ἦθος amoris erga patriam ostendens, hanc sententiam: *ego nullo in loco tutus sum*, per μερισμὸν locorum publicorum, ad personam Consulis relatorum & singulorum respectu securitatis periculo oppositæ descriptionem dilatat: *Ego sum ille Consul, P. C. cui non forum, in quo omnis æquitas continetur; non campus, Consularibus auspiciis consecratus; non curia, summum auxilium omnium gentium; non domus, commune perflugium; non lectus, ad quietem datus; non denique hæc sedes honoris unquam vacua mortis periculo atque insidiis fuit.* In his, etsi πλεγμασμοὶ & προσλήψεις notari possunt, tamen tituli sententiarum seorsim poni debent suo ordine; neque opus est, ut labor ille describendi duplicetur; signa tantum poni possunt, quæ remittant ad numeros & paginas. Ita hæc sententia: *Rempublicam conservavi*, ad vocem conservandi & ad vocem Reipublicæ referatur. Altera: *nullo in loco tutus sum*, referatur ad titulum generaliorem Securitatis publicæ. Nam generalem titulum semper ego præmitti velim. Talium sententiarum amplificatarum pauca exempla collegit Nicæsus Baxius in *Medulla Eloquentiæ*, quæ hic Kilonii cum mea præfatione de omni in Eloquentia excerpenti ratione edita est. (a) * Congessisse e recentioribus his quodammodo similia Meisartus in *Mellificio suo Oratorio* videtur: unde non tam mella, quam lutum sæpe legunt tirones: verum sine discrimine, nec eo ordine, quem desideramus, nec ad illum usum. Denique e lacunis maximam partem haurit, quod feliciter e fonte ipso ac rivulis limpidioribus hauriri poterat. * His sententiis amplificatis ita utemur, ut ad illarum exemplum respiciamus, aliaque expressione imitemur. Nam qui ex his velut centonibus orationem confluunt, eorum prima tirocinia non quidem culpaverim: sed quibus maturum in oratione

(a) *Medulla Eloquentiæ Nicæsi Baxii Editio Novissima*, ab ipso Morhofio curata, & *Præfatione de omni in Eloquentia excerpenti ratione* aucta, Kilonii A. 1685. in suo prodit.

oratione iudicium est, ita has temperabunt formulas, ut eosdem quidem sensus retineant, verba tamen ipsa non describant, ac ordinem interdum invertant; recto tamen in omnibus adhibito iudicio.

Ex Oratione pro M. Marcello hæc excerpemus. 1. *Hodie mihi verba facien-* 30
da sunt. Diurni silentii, -- more dicendi. 2. *De re magna dicturus sum.* Tan-
tam mansuetudinem, -- præterire possum. 3. *Fortunam adversam amici egre fero.*
Dolebam enim -- distracto. 4. *Dignus est beneficio.* Est fortunatus ille -- præstan-
tior. 5. *Res magnas gessisti.* Nullius tantum est flumen, -- amens sim. (Tribus
enim periodis nihil aliud, quam hoc dicitur.) 6. *Res tua cum cæteris conferri non*
possunt. Soleo sæpe ante, -- victoriis illustratæ sunt. 7. *Bellicæ laudes minores sunt.*
Nam bellicæ laudes -- ducit suum. 8. *Laus hæc tibi propria est.* At vero hujus
gloriæ C. Cæsar, -- propriam fatetur. 9. *Victor es multorum populorum.* Domu-
isti gentes immanitate -- abundantes. 10. *Se ipsum vincere maxima victoria est.* Do-
misti gentes, -- simillimum Deo iudico. 11. *Gloria tua summa est.* Itaque Cai Cæ-
sar -- conticescet. 12. *Dignus laudibus es.* Te vero, quem præsentem intuemur, --
complectemur. 13. *Hæc tua maxima laus est.* Hunc tu igitur diem, -- tantum affe-
rat laudibus. 14. *Vicisti te ipsum.* Et cæteras quidem omnes -- victis remisisti. 15. *Re-*
stituit adversarium libertati. Nam cum M. Marcellum, -- bellum esse susceptum.
16. *Pacis consilia semper ego sectatus sum.* Quo quidem in bello, -- armorum fuerunt.
17. *Amici infortunati partes cum meo periculo amplexus sum.* Hominem sum secutus --
voluntarium. 18. *Victor clementissimus fuisti.* Vidimus tuam Victoriam, -- conservat,
quos potest. 19. *Ferocia hostium describitur n. 7. 18.* Alterius vero partis, -- contrulif-
se. 20. *Gratulamur tibi de tanto beneficio.* Quare gaude tuo isto, -- congratulabere.
21. *Laus tua maxima est.* De novis, quos in Republica, -- commodata esse videantur.
22. *Conserva bonos viros.* Noli quæso in conservandis, -- senserunt. 23. *Tua vita*
omnium vita continetur. Quis est omnium tam ignarus -- pendere omnium.
24. *Omnium salus in te uno sita est.* Equidem de te dies noctesque, -- in unius anima con-
sistere. 25. *Vellem te esse immortalem.* Equidem de te, -- anima consistere. 26. *Malo*
geminato non facile medemur. Si vero ad humanos casus, -- opitulari posse credamus.
(Imitabimur alio modo e. g. Si ad hostium exterorum ferociam rebellionis etiam ac-
cedat insidiarum consensio, quem Deum, etiam si cupiat, Reip. opitulari credamus.)
27. *Reipublicæ consulendum est.* Omnia tibi sunt excitanda, -- legibus vincienda sunt.
(Possumus hanc formulam ad quodcunque negotium, in quo diligentia & industria
opus est, applicare, si per *μερισμόν* singulas ejus rei circumstantias adducamus.) 28.
Bellum multas calamitates secum trahit. Non fuit recusandum, -- fieri prohibuisset.
29. *Tuo consilio vive.* Quare omitte quæso, -- sapiens esse. 30. *Gloria tua nondum*
perfecta est. Nunc cum omnium salutem -- jeceris. 31. *Gloria non vixisti satis.* Idem.
32. *Plus ultra tentandum est.* Parumne igitur, inquires, -- cum est aliquid amplius.
33. *Gloria tua imperfecta est.* Quod si rerum tuarum -- quam gloriæ. (Hanc postre-
mam formulam per imitationem applicare ad multa possumus. Ita e. g. de studiis di-

cere possis. Vide, quæso, ne pulcherrima tua studia admirationis plus quam fructus sint habitura. (Potest hæc posterior formula etiam referri ad formulas hortandi vel dehortandi.) 34. *Respublica serunda est.* Hæc igitur tibi reliqua,--vixisse dicito. 35. *Respublica composita satis diu vixisti.* Hæc ergo vixisse dicito. 36. *Nihil diuturnum est.* Quid est enim omnino hoc ipsum diu,--futura sit. 27. *Illa tua vita est, quæ est immortalis.* Iste tuus animus nunquam,--quæ laudet, exspectat. 38. *Gloria tua infecta est.* Vita quidem tua, quæ miretur, multa habet; nunc etiam, quæ laudet, exspectat. (Idem est, quod antea: virtus tua admirationis plus habet, quam gloriæ.) 39. *Posterius mirabuntur res gestas tuas, vel, celebris eris.* Obstupescunt posterius,--legentes. (Potest hæc sententia ad alia negotia applicari, e. g. Obstupescunt posterius certe virtutes, lucubrationes, ingenii monumenta, æstum, fervorem, pugnas in re literaria, innumerabiles, de barbarie victorias & triumphos.) 40. *Fama tua incerta est.* Vagabitur modo nomen tuum,--salute patriæ restrinxe- ris. 41. *Discrepant multi inter se sententiis.* Diversæ voluntates--quid liceret. 42. *Unus nobis Dux erit.* Jam omnis fracta dissensio armis,--salvi esse non possumus. 43. *Nos te defendemus,* Omnes tibi,--pollicentur. 44. *Interpres aliorum sum.* Sed quia non est,--fieri intelligunt. 45. *Magna mea fuit diligentia.* Quod autem summe benevolentia,--præstare debeo.

CAP. VIII.

DE EXCERPTIS ORATORIIS
SYSTEMATICIS.

- §. 1. Το συστηματικόν Οrationis in formulis consistit. 2. Formule primo sunt communes & generalissima. 3. Formule ad tria causarum genera, 4. & ad specialia cuiusque generis relata. 5. Connexiones minores periodorum. 6. Starckii Loci communes Epistolici, Dialogici. 7. II. Melchioris Junii Resolutio Orationum Ciceronis in Formulis colligendis laudatur. 8. Exordiorum Formulas Ciceronis, 9. & alii Oratores habuerunt. 10. 12. 13. Exempla formularum ex Oratione pro M. Marcello. 14. Connexiones Periodicæ minores. 15. Harum non exigua utilitas. 16. Connexiones varii sunt generis. 17. Particularum Periodicarum usus non est in Carmine. 18. Connexiones Reales. 19. Connexionum minorum exempla ex Oratione pro M. Marcello. 20. Collectanea Periodorum. 21. Cicero Periodorum talia collectanea habuit.

Excerpta, quæ ad το συστηματικόν Οrationis pertinent, complectuntur formulas, tam majores quam minores, quibus illa connectitur, vel de membris ad membra transitus fit. Formulæ ligamentum præbent orationi, & quasi vinculum aliquod præstant, quo partes inter se coherant. Ut enim in corpore membra

bra suis quibusdam tendinibus & nervis ligantur, ita his formulis partes orationis, tam majores quam minores. * Si quis librum e formulis singularem conficere 2 velit, disponere illum debet secundum causarum genera; quibus præmittendæ sunt formulæ communes seu generalissimæ, quæ omni orationi citra considerationem aliqujus causæ applicari possunt. Sunt enim generalia quædam in orationibus & in Orationum omnium partibus, quæ seorsim sunt notanda, & non nisi crebra lectione, annotatione & usu, disci possunt. * Tertio subjungendæ sunt formulæ, 3 quæ ad certa causarum genera pertinent, & in iis causarum generibus occurrunt subordinata quædam, quæ seorsim singula colligi debent. Ita in genere Deliberativo multæ occurrunt Orationum species, quæ ad genus Deliberativum reducuntur. Enthymemata tamen e locis generis Deliberativi capiunt, ut sunt adhortationes, dehortationes, petitiones &c. Omnes enim circa τὸ faciendum versantur, ideoque necessario generis Deliberativi argumenta assumunt. * Sed in singulis illis Orationum speciebus suæ quædam formulæ peculiare, quæ distingui a ceteris debent, ut hac nostra Oratione, quæ ad genus Demonstrativum referenda, quia est gratiarum actio, & singularem aliquem characterem delineat. Qui etiam locis generis Demonstrativi utatur; versatur enim in laude facti; tamen illa figura Orationis, quam gratiarum actio ipsi circumponit, peculiare habet quasdam formulas, & singulares quosdam argumentandi & amplificandi modos, a ceteris distinctos. Quæ proinde omnia quam diligentissime notari debent. * Minores formulæ connectendi periodicæ, sive illæ per particulas sive per formulas instituantur, diligenter quoque notandæ sunt, & ut puto, separatim colligendæ, de quibus supra cap. 4. diximus. * Promiserat Starckius olim tales Locos communes, quemadmodum conceperat Epistolicos & Dialogicos; sed isti lucem non viderunt. * Talium Locorum Communium rudimentum subministrare poterit Melchior Junius in Resolutione Orat. Cic. nam e lectione Orationum concinnari debent. * Ac videmus etiam, ipsum Ciceronem talibus formularum collectaneis fuisse usum: aperte enim de se ipso scribit, se codicem habuisse, quo collegerit varias Exordiorum formulas; ut, cum Orationi scribendæ accingeretur, inde, quæ in suum essent usum, depromeret. * Testatur etiam Quintilianus, causarum patronos tales in promptu habuisse formulas, quibus illi ut Delphico quodam gladio uterentur, non immerito idcirco ab illo reprehensi, non qui his subsidiis, sed qui inepte uterentur, & in locis Communibus subisterent, cum specialiora argumenta requirerentur. * In hac Oratione ad formulas generales referatur: Exordium formandi post diuturnum silentium. Ad Exordia Generis Demonstrativi referas hanc formulam; formula Exordiorum in re magna, beneficio, victoria &c. laudandis. Amplificandi beneficium aut factum in illo exordio. Primo per figuram incrementi: Tantam mansuetudinem &c. n. 1. 2. ab adjunctis. n. 2. & 3. Amplificandi beneficium in gratiarum actione ab adjunctis; a personis reliquisque circumstantiis. 1. 2. 3. 4. * Vide Junium in resolutione Orationis Ciceronis p. 34. qui liber optime in subsidium pro colligendis formulis vocabitur. * Attentionem parandi

parandi in Exordiis Generis Demonstrativi: de re magna dicturus sum. Nullius tantum est flumen ingenii &c. Docilitatem parandi, ex Enumeratione causarum, partium, adjunctorum n. 2. & 3. Benevolentiam captandi apud illum, quem laudamus, & quem
 13 antea offendimus. * Exord. Orationis pro M. Marcello. Proponendi formulæ per remotionem & comparationem. Nullius tantum flumen &c. usque, consecutus est. Formulæ Propositionis in Demonstrativo genere: per translationem laudis generalis ad specialem. Nullius tantum flumen, usque, consecutus est. Formulæ præparandi aditum ad Confirmationem. In Demonstrativo genere cum personam laudamus loco totius per comparationem & remotionem, n. 5. Soleo sæpe antè oculos ponere, usque, victoriis illustratæ sunt &c. Formulæ comparate laudandi. Ad declinandum odium & invidiam primo immodice laudando, antequam extenuemus n. 5. Secundo per figuram Objectionis & quandam quasi Prosopopæiam, cum quædā potius alii, quam nobis, affingimus n. 6. Nam bellicas laudes &c. Formula concludendi Enthymema: per ὑπόμνην, sub finem n. 7. Nunquam temeritas, usque, admittitur. Reassumendi primarium Enthymema: n. 9. itaque C. Cæsar, n. 11. &c. Concludendi Enthymema: per Apostrophem & Prosopopæiam, n. 10. Te vero quem &c. Transeundi ad Enthymema ab Enthymemate: per πένθος misericordiæ. Equidem cum C. Marcell. &c. Laudandi beneficium: per translationem singularis status ad universalem n. 10. 11. Concludendi gratulationem: n. 11. Hunc tu igitur diem, usque, antepones. Proponendi Enthym. per Paradoxon: & ceteros quidem omnes &c. n. 12. Attentionem in medio Orationis excitandi per Paradoxon: vereor, ut hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atque ipse cogitans sentio. Epiplexis, τὸ πρῶτον ἀφ' ἑσέως, ἄφ' ἑσέως, τὸ πρῶτον ἀφ' ἑσέως: ipsam victoriam vicisse videris &c. Formulæ digrediendi: atque hoc Caji Cæsaris iudicium quam late pateat, attendite. Digressiones in laudibus eorum, quos offendimus, quando nos excusamus, n. 12. 13. Purgationis formulæ, quæ ad Genus Judiciale quoque referri possunt, n. 13. Purgatio per μετῴριον sive remotionem criminis n. 14. Neque unquam &c. Purgare se ita, ut adversarium invitum in nostras partes pertrahamus: Cicero purgaturus se Cæsari, quod ipsius partibus infensus fuerit, ita responder, ut Cæsarem sibi, tanquam pacis auctori, maxime favere iudicet, cum etiam hostes suos, ut pacem faceret, in curiam induxerit. n. 13. 14. Amplificandi beneficium: a Contrario. Cicero amplificaturus victoriam Cæsaris contendit cum ferocia Pompejanorum, si vicerint, n. 16. 17. Concludendi argumenta: per Prosopopæiam vel provocationem ad Deos, n. 18. Ut mihi videantur Dii immortales &c. Pertinent & huc verba illa n. 17. cum Cic. Cæsari divinam clementiam attribuit his verbis: ut dubitare nemo debeat, multos Cæsar, usque quos potest. Concludendi gratulationem: per Apostrophem affectuosam, n. 19. Quare gaude, usque, videantur. Reassumere in Conclusionem purgationem: n. 20. Noli igitur in conservandis, usque, centerent. Transeundi ad Consutationem: n. 21. Nunc vero venio ad gravissimam querelam. Refutandi alicujus suspensionem: per insinuationem ita ut non offendas, 1. suspensionem non contemnendo. Quam etsi spero falsam esse, nunquam ramen verbis extenuabo n. 21. 2. Laudando prudentiam suspicantis. Tua cautio nostra

nostra cautio est n. 21. vid. n. 23. 3. *Declaratione publici periculi*, si in alterutro peccandum sit, malim videri nimis timidus, quam parum prudens, n. 22. *Respondendi negando*: per *Interrogationem*, n. 22. 23. per *Dilemma*, n. 22. *Concedere objecta*, ut validiore ratione respondeas: n. 23. Sed tamen cum in animis hominum tantæ latebræ sint. *Respondendi ad Objectionem*: ut graviolem facias, quo gratiori responsioni locus esse possit, n. 23. *Elidendi Objectionem*: per *inflexionem ad aliam partem* n. 23. Equidem de te dies noctesque cogitans &c. Cicero scilicet auget suspicionem, i. ut ostendat maiorem curam pro vita Cæsaris. Denique ita respondet, ut non tam suspicionem Cæsaris, quam alios casus metuat: quod cum facit, ostendit, se sollicitum pro salute Cæsaris, & occasionem quærit, ut eum exhortetur ad componendam Rempublicam. *Adhortatione finire Refutationem*: n. 24. Itaque Cai Cæsaris, n. 28. Hæc igitur, &c. n. 30. circa finem, n. 33. Quare omnes te, qui hæc salva esse, &c. *Transeundi ad novum membrum*: per *vicinitatem rei*, & per *sententias παρομοιωσικὸς* n. 25. 26. Quæ quidem, usque audiui. Ceteræ periodi, quæ antecedunt, omnes quasi viam sternunt alteri parti Refutationis, quæ Cic. Cæsaris quoddam dictum confutat. *Confutandi alicujus dictum*. Ita ne offendas. Itaque tuam præclarissimam & sapientissimam vocem invitus audiui. Quare omitte &c. Noli nostro periculo sapiens esse. Sæpe venit ad aures meas &c. *Respondendi*: per *limitationem*: n. 26. Itaque illam tuam, usque, patriæ certe parum. n. 26. Credo, sed tum id audirem, si tibi soli viveres. *Transseundi ab uno membro Confutationis ad aliud*; per *interrogationem*. Quid si istud ne gloriæ quidem tuæ satis est? n. 26. circa finem. Quid est enim omnino hoc ipsum diu? n. 29. *Refutandi*, per *questiones & responsiones breves*. Parumne igitur? inquires, relinquemus, n. 27. per *Objectiones*, n. 27. per *inficiationem*. Tota Confutationis primapars n. 23. *Formula concludendi Orationem*: sed unde est orsa, in eodem terminetur oratio, n. 34. *Concludendi Orationem, nomine multorum habitam*, n. 34. Sed quia non est adstantibus omnibus necesse dicere &c. sentio. *Causas dicendi in fine Orationis allegare*: n. 35. Quod autem summæ benevolentiae est &c. præstare debeo. *Concludendi Orationem Eucharisticam*: *Formula gratiarum actoria*. Itaque C. Cæsaris, sic tibi gratias ago, usque ad finem.

Connexiones Periodicæ minores majoris pene momenti sunt, quam ceteræ 14 & pene omnes consistunt in variatione particularum, quæ particulæ vel sunt causales, vel conditionales, vel argumentativæ, vel illativæ, quales præcipue locum in Oratione Enthymematica habent, ut particulæ ordinis & temporis & continuitatis in narratione & historia. * Earum particularum variatio vehementer prodest 15 ad variationem periodicam. Qui ergo tales particulas vel aliis Synonymis vel formulis idem significantibus variare novit, non contemnendum habet orationis connectendæ artificium, in quo sæpe solliciti sunt, qui Orationes scribunt. De iis quanquam jam cap. 4. egi, hic tamen ea repetere ductu Orationis Tullianæ pro M. Marcello volui. * Distinguendi hic quoque sunt characteres; nam aliæ con- 16 nexiones poëticæ, aliæ orationis contentiosæ, aliæ narrationum & historicæ, in

- 17 quibus omnibus adhibere oportet accuratum iudicium. * Poëma plane dedecent
 connexiones periodicæ, per quas in orbem volvitur oratio; ut: *Quandoquidem, Et si,*
Tametsi, Veruntamen, Siquidem, Verum enim vero, & plures aliæ, quales particule
 omnes pertinent ad oratoriam rotundandam periodum, nec occurrunt in carmine:
 plerumque enim membratim illic procedit Oratio, & per commata trahitur sine
 aliquo notabili in orbem reditu; etsi Virgilius magis periodicus sit, quam ceteri,
- 18 ita tamen, ut ultra decorum poëticum non eat. * Neque solum connexiones ver-
 bales, quæ consistunt in particulis & formulis, sed reales, quæ vicinitate rerum ob-
 fiuntur, notandæ sunt. Ut enim perpetuus est rerum inter se analogisatus, ita
 nihil adeo inter se diversum est, quin certa quadam ratione jungi possit. Quare
 diligenter illæ notari debent. Non crediderim autem opus esse, ut sub certis ti-
 tulus colligantur: sufficiet si illæ in cumulum comportentur. * Ex hac itaque
- 19 Oratione, quæ excerpti merentur, notabimus. Non enim omnia exempla paral-
 lela & æquali ratione instituta notari debent. Nam cum frequentissimæ sint e
 causalibus particulis, connexiones, ineptum esset, quoties occurrunt illæ particu-
 læ, notare periodorum initia, sed tunc demum notabuntur, si periphrastica aliqua
 formula particula causalis varietur. Idem quoque in ceteris particulis fieri de-
 bet. *Intellectum est enim mihi quidem in multis. Ille quidem fructum omnis vita ce-
 pit, &c. Ex quo profecto intelligis, quanta in dato beneficio sit laus &c. Est vero for-
 tunatus ille. Quod ei quidem merito atque optimo jure contigit. Soleo sæpe ante oculos
 ponere. Quæ quidem ego nisi fatear. Et certe in armis multum juvat. At vero
 hujus gloriæ socium habes neminem. Itaque Caii Caesaris, tuæ laudes celebrabuntur ille
 quidem. Equidem cum Marcelli viri optimi lacrymas video. Et ceteros quidem omnes
 viceras. Vereor, ut hoc, quod dicam, non perinde intelligi possit. Atque hoc Caesaris
 iudicium quam late pateat, audire. Quo quidem in bello &c. Quod quidem meum
 consilium &c. Ex quo nemo erit tam injustus rerum aestimator, qui dubitet. Atque
 id minus mirum fortasse tunc &c. Atque hujus quidem rei Marcelli sum testis. Quo-
 ties ego illum, & quando cum colore vidi? Quo gratior tua libertas debet esse: Quo
 hic est particula illativa, & videtur omitti præpositio Ex: ante enim poneba-
 tur ex quo. Alterius vero partis nihil amplius dicam, quam id, quod omnes vereba-
 mur (observa hic singularem illam vocum trajectionem.) Quæ quidem nunc tibi
 curanda sunt. Itaque illam tuam vocem invitus audivi. Sæpe venit ad aures meas.
 Nunc cum res tuæ complexæ sunt, tantum abest &c. Hic tamen modum definit.
 Quid enim est omnino hoc ipsum? Id etiamsi tunc ad te non pertinebit, nunc certe per-
 tinere &c. Nisi te salvo, salvi esse non possumus. Itaque Caesar sic tibi gratias*
- 20 ago, &c. * Ad Orationis τὸ περιλασμένον etiam Periodorum observationes
 pertinent. In his quoque collectanea institui possunt ratione partium Ora-
 tionis, ratione enthymematum, affectuum, figurarum, ubi illæ longiores, bre-
 21 viores, ἐπεμβολαῖς multis refertæ. * Ciceronem talia periodorum habuisse
 collectanea vel ex ejus Oratore ad M. Brutam discere possumus, ubi multas
 ex Orationibus suis ad Græcorum Oratorum, Isocratis, Gorgiæ, exemplum
 formatas

formatas periodos recenset, ac sollicitam in illis verborum ac membrorum locationem ostendit. Sed illa sibi quisque pro lubitu formet, vel sub titulis argumentorum docentium, conciliantium & moventium, disponat.

C A P. IX.

DE EXCERPTIS ORATORIIS
ENTHYMEMATICIS.

- §. I. Ad τὸ Ἐνθύμηματικὸν pertinent Loci communes Thesium. 2. Collectio Thesium instituenda secundum causarum genera. 3. Quae non in civilibus solum, sed & in sacris orationibus proficua. 4. Baconis Verulamii Consilium Thesium & Antithesium colligendarum. 5. 6. Quanam sunt singulorum generum theses. 7. Exemplum horum locorum peti potest ex Melchior. Jun. resolut. orat. Cicer. 8. Generis judicialis usus hodiernus. 9. Theses vel mude colligi possunt vel una cum Enthymematibus. 10. Axiomata Aristotelis generalia. 11. Exemplum ex Oratione Ciceronis pro L. Murana, qua tractatur Locus communis: Jurisprudentia postponenda est eloquentiae & rei militari. 12. Thesis contraria ex oratione pro Caelina adducitur. 13. Cui consona est Aonii Palearii oratio elegans. 14. Theses morales ex Seneca & aliis petendae. 15. Locorum communiun collectio ex Oratione pro M. Marcello. 16. 19. Loci morum quomodo instituendi. 17. Argumenta sunt vel logica, vel ethica, vel pathetica. 18. Haec quandoque vel unico epitheto expronantur. 20. Schraderus praxin excerptorum moralium docet. 21. Magiri Polymnemon laudatur. 22. Characteres hominum congerendi. 23. Qua methode sunt distinguendi. 24. Potissimum e Comicis & Satyricis notandi. 25. Theophrasti liber de characteribus laudatur. 26. Exemplum e Fabula Terentiana Adelphis. 27. Comedia, Satyra & Historia magis characteres illos exprimit, quam praecepta Moralia. 28. 29. Grotii & Lutheri iudicium de Comediis Terentii. 30. E fabulis quoque characteres eruuntur. 31. Nathanis Chytrai characteres Terentiani ἀνέκδοτοι. 32. Loci Affectuum. 33. quomodo isti disponendi. 34. Exemplo illustrantur. 35. Chambræus, Cartesius, Willsius, Placcius commendantur. 36. Loci Exemplorum. 37. Excerpta formularum Dialogificarum. 38. Excerpta Epistolica. 39. Materialia & Formalia. 40. Melchioris Junii Scholæ Rhetorica laudantur. 41. Excerpta Epistolica etiam e Gallis, Italis, aliarumque gentium Epistoligraphis, insitui possunt. 42. Collectanea formularum epistolicarum. 43. E quibus Autoribus ille colligenda. 44. Ruperti Excerpta Epistolica ubi & quomodo adhibenda. 45. Erasmi Roterodami Formulae Epistolares. 46. Stephani collatio formularum Ciceronianarum & Ovidianarum. 47. Clarckii Formulae rejiciuntur, Schraderi, Titii, Schönleideri Excerpta rerum desiderantur.

1 **A**d τὸ ἐν Δυμηματικὸν pertinent primo Loci Communes Thesium, id est, re-
 rum omnium, quæ quomodocunque ad orationes pertinent, aut oratione
 2 proponi solent cujuscunque generis. * Institui vero ~~ita~~ Collectio The-
 sium secundum causarum genera potest. Cum enim objectum Rhetoricis
 sit quæstio quælibet, præsertim civilis, illa vero duplex sit, infinita & finita: infi-
 nita vero Thesis dicatur, finita hypothesis; & ab illa ad hanc plerumque progred-
 iatur Orator, atque ex thesi argumenta desumat ad hypothesein suam proban-
 dam: consequens est, quo quis in thesibus eorumque argumentis veritatem se, eo
 3 majorem inventionis copiam habiturum. * Ideoque mature talium Thesium Ex-
 cerpta instituantur, quæ non in civilibus solum, sed etiam Ecclesiastici argumenti,
 Orationibus suam utilitatem exferent. Nam iidem fontes sunt, sive ad virtutes
 civiles, sive ad sacras respiciamus: nisi quod illud discrimen observari debet, ut
 in thesibus civilibus enthymemata e prudentia morali & civili deprompta colliga-
 4 mus; in sacris & illa & inartificialia argumenta e dictis Scripturæ petita. * Vi-
 dit jam hujus rei utilitatem *Baco Verulamius* in libro suo de *Augmentis Scientiarum*,
 ubi specimen aliquod talium thesium & antithesium proponit. Idem negotium
 5 etiam *Schræderus* in *Commentario Rhetoric. Aristotelic.* commendat. * In Demonstrati-
 vativo genere colligamus ea, quæ vel laudantur, vel vituperantur, vel simpliciter,
 vel comparate. Fundus earum rerum sit in omnibus Orationibus vel Disserta-
 tionibus, quæ quomodocunque aliquid laudant, vel reprehendunt. Possunt & in
 6 subsidium vocari Poætæ: nam & ex iis mutuari potest Orator. * In genere De-
 liberativo colligi possunt Theses ad consultationem pertinentes. Ideoque hic
 excutienda sunt illa themata, quæ apud Oratores & Historicos ventilantur: Sin-
 7 gulis illis subjici argumenta possunt. * Exemplum horum Locorum commu-
 nium quadam ex parte subministrare potest *Melchior Junius* in *Resolut. Orat. Cic.*
 ubi secundum tria causarum genera Orationes Ciceronis disponit, & secundum
 partes oratorias omnes ejusdem generis orationes examinat: sed ille ex solo Ci-
 cerone sua tantum congeffit, & partes orationis in fronte posuit, secundum quas
 8 colligit argumenta illa Ciceroniana. * In genere Judiciali, cujus exiguis est usus,
 aliquis tamen in argumentis affinibus, ut si expostulationes, exprobrationes &c.
 instituendæ sint, colligemus varia genera criminum, de quibus institui exprobratio-
 nes vel accusationes solent: & notabimus sub illis varia argumenta, quæ ad illa
 probanda adhiberi solent. Locos etiam defensionum colligere possumus, quo-
 rum magnus apud Ciceronem cumulûs est. Nunc quidem illorum non adeo ma-
 gnus est usus, cum eloquentia forensis defierit, Jcti vero & Advocati non tam per
 eloquentiæ subsidia, quam per disputationes forenses, omnia proponant. In Ec-
 clesiasticis non contemnendus hujus generis usus est, cum vitia taxamus, & vitio-
 sos homines oratione nostra redarguimus; tum enim communia illa argumenta,
 quæ Oratori civili profunt, facili negotio in sacra converti possunt. Omnis enim
 illa doctrina statuum, qui in hoc genere occurrunt, mirifice inservire huic scopo
 potest.

Si quis itaque velit has theses congerere, ut compendium laboris & tempo-
 ris faciat, nudas theses potest colligere, & quasi per indicem addere Autores, sine
 enumeratione Enthymematicum: si vero velit, etiam illa poterit adjicere; eo distin-
 ctior & utilior labor ille futurus est. Quamquam & intelligentibus facile erit re-
 volvere Autores, & tunc, cum opus est, apud ipsos breviter Enthymemata re-
 censere. * Nos exemplo aliquo ostendemus, quomodo thesis sit notanda, & En- 10
 thymemata simul secundum Aristotelem apponenda. Quod non semper ita fa-
 cere necessum est, cum axiomata Aristotelis sint generalia; Enthymemata autem,
 quæ ad rem aliquam probandam afferantur, sint specialia. Ut itaque inutilis vi-
 deatur cumulatio, si quis generalia axiomata cum specialibus simul ponere velit.
 Nam hæc generalia axiomata Aristotelica tanquam literæ & syllabæ præsupponen-
 dæ sunt illi, qui sermonem aliquem scripturus est. * Ex Oratione Ciceronis pro 11
 L. M. Muræna notetur hæc Thesis sub titulo Jurisprudentiæ: *Jurisprudentia post-
 ponenda est eloquentia, & rei militaris scientia.* Hanc thesin ut Cic. probet, primo
 jurisprudentiam contemnit e locis illis, quibus aliquid elevatur. Hi loci repe-
 riuntur apud *Arist. lib. 1. Rhetor. c. 9.* ubi loci Demonstrativi generis occurrunt. De-
 bent verò hic intelligi loci contrarii: nam Aristoteles directos posuit. Postquam
 itaque primo thesis posita est, subjiciantur Enthymemata; Jurisprudentiæ digni-
 tas non est tanta 1. quod in rebus minutis versetur, *ex loco Aristotelico lib. 1. c. 9. 33.
 n. 23. & quæ eximia sunt.* 2. quod omnibus nota minus sint in pretio, *Aristot. lib. 2.
 c. 9. n. 26. quæ uni sunt propria.* 3. Quæ avaritiæ vel ambitionis gratia novantur,
 sæpe ad libidinem hominum, ea parum æstimanda. *Ex loco contrario ejusdem capi-
 tis §. 3.* 4. Quod in ea multa sint deparavata & corrupta, ideoque ejus ars con-
 temnenda: *ex loco contrario lib. 1. cap. 7. §. 43. n. 40. Stabiliora infirmioribus sunt me-
 liora.* 5. Quia jurisprudentia τὸ ἐπὶ τοῦ πρῶτον potius respicit, quam æquitatem. *Arist.
 c. 13. §. 65. n. 4.* Sequuntur argumenta, quæ utilem esse negant jurisprudentiam
 ad gratiam parandam, *ex loco Aristotelis Contrario lib. 1. c. 9. §. 26.* Hinc sequitur ar-
 gumentum a facilitate, *e loco Aristot. lib. 1. cap. 7. n. 19. Difficilius est faciliori;* jurispru-
 dentia vero facilis. Quod ostendit Cic. quatuor specialibus argumentis. 1. quod
 jus omnes sciant. 2. quod præceptis minime obscuris contineatur. 3. quod ab ho-
 mine vehementer occupato disci possit. 4. quod neque jus scriptum vel non scri-
 ptum sit difficile, e loco speciei. Jam sequuntur argumenta comparantia, quæ
 ostendunt, jurisprudentiam postponendam eloquentiæ & arti militari. Enthyme-
 ma primum petitur *ex Aristot. lib. 1. Rhet. c. 7. n. 43. Quod plures expetunt, melius est
 eo, quod pauciores:* plures vero experunt eloquentiam, quam jurisprudentiam:
 illam vero quoniam propter difficultatem assequi nequeant, ad Jurisprudentiam de-
 veniunt. Enthymema secundum est *ex Aristotele ibid. n. 5. Quæ majus aliquod bonum
 efficiunt, meliora sunt:* Eloquentia autem majora commoda affert, quam jurispru-
 dentia: quæ per enumerationem explicat Cicero. Enthymema tertium petitum
 est *ex eodem loco n. 9. & 10. Quod minus altero indiget, melius est eo, quod indiget;
 & quod sine altero potest esse, melius est eo, quod sine eo non esse potest.* Eloquentia sine

jurisprudencia esse potest, jurisprudencia vero non sine eloquentia, quia responsa & decreta Jctorum firma esse nequeunt, nisi Oratoris defensio adsit, & illa ipsa quoque eloquentia opus habent, ut confirmentur: imo plane interdum enerventur. Quartum Enthymema est e n. 15. ejusdem cap. *Quod majoris principium est, melius est eo, quod minoris est principium &c.* Rei militaris peritia & Eloquentia homines ad summas dignitates evehunt; quod non facit Jurisprudencia. Enthymema quintum ex eodem capite est, n. 39. *Diuturniora meliora sunt brevioribus;* Eloquentiae usus diutius, quam Jurisprudencia, durat, quae prolixè deducit Cicero. *Sextum Enthymema ex eodem capite est, n. 3. & 68. Meliora sunt, quibus positus alterum sequitur. Bonum & utile est Reipublica, quod conservet statum.* Propter rem militarem, non jurisprudenciam, Roma omnium princeps est facta, ideoque jurisprudenciae praeferri debet.

- 12 Atque ita Locus hic Communis tractatus est a Cicerone. * Si quis jam contrariam thesin velit, is notet locum contrarium Ciceronis ex Oratione pro Cæcina, ubi ille prolixè de Jure & Jctis agit. Afferit primo quatuor argumenta, quibus dilemmate eleganter respondet, quae omnia ex illo notari possunt. Addit postea 7. Enthymemata positiva, quibus dignitatem & utilitatem Juris & Jctorum afferit. Enthymema primum est petitum ex eodem cap. 7. n. 68. *Bonum & utile est, quod conservat Reip. statum.* Est enim Jurisprudencia vinculum, non modo judiciorum, verum etiam utilitatis & vitae communis, & leges fundamentum Reipublicae praestant. Secundum argumentum consistit in dilemmate: si propter juris interpretes jus civile contemnendum, aut illi periti sunt aut imperiti; si periti, qui non obtemperant, jus ipsum labefactant: si imperiti, qui illos vituperat, non jus civile, verum homines vituperat. Tertium Enthymema ex cap. 7. n. 5. *Quae magnum aliquod bonum efficiunt, &c.* Per juris civilis scientiam suum cuique tribuitur, rerum dominia distinguuntur. Quartum Enthymema petitum est ex eodem cap. n. 40. *Stabiliora infirmioribus sunt praeferenda.* Jus civile nec gratia inflecti, nec perfringi potentia, nec pecunia adulterari, nec alia ratione corrumpi potest: ut comparatione & exemplis ostendit. Quintum ex n. 63. *Quod ad multa est utile &c. it. ex n. 10. Quod vim habet prohibendi aut tollendi ea, quae bonis adversantur.* Sine jure civili nemo sibi haereditates salvas promittere poterit: jus enim a violentia & injuriis munit. Sextum ex iisdem locis est, & pene declaratio tantum superioris Enthymematis: major haereditas unicuique a jure civili in bonis, quam a parentibus ipsis, venit. Potest tamen referri ad n. 11. cap. 7. *Quod principium alterius est, melius est eo, quod non est principium.* Septimum est n. 22. *Quo privari majus malum est.* Jus amissum plurimum nocet in Republica, ergo jus & leges magno in pretio habendae. * Si quis priori loco Ciceronis contra Jurisprudenciam locum directe oppositum velit, is legat *Anni Palcarii Orationem*, plane Tulliano genio scriptam, quam ille in *L. Murenam Ciceronianam contrariam* scripsit.
- 13

Seligi tales Loci Communes multi e Cicerone possunt ac aliis, quæ offendant, 14
 quomodo ad hypothefin suam probandam thesi possit uti Orator. Possunt his
 addi theses quæcumque morales, licet non omnino accurate tractatæ per Enthymemata, sed vel exemplis tantum & similitudinibus, qualia invenias plurima in Senecæ scriptis, in quæstionibus ethicis & politicis, a variis autoribus tractatis; præcipue e Melchiore Junio singulari Quæstionum Politicarum libro. * Ex Oratio- 15
 ne pro M. Marcello has theses seu Locos communes colligere possumus: I. Generalis thesis totius orationis hæc est: *Gratiae sunt agenda ob restitutionis beneficium. Quod variis probatur argumentis, tam docentibus, quam amplificandis. Conferantur cum hac oratione Oratio ad Quirites post reditum, Oratio ad Senatum post reditum, quibus idem locus traditur, & unde argumenta depromi possunt. Minores sententias, quæ Enthymematibus non deductæ sunt, præterimus, quales passim implicantur formulis: argumenta tamen ethica in se continent, e. g. In summa potestate rerum omnium modus tenendus. Qui in eadem causâ, etiam in eadem fortuna esse debent.* II. *Clementia major est virtus, quam fortitudo militaris, & major ex hac, quam ex illa gloria, num. 2. 6. 7. 8. & sqq.* III. *Clementia propria nobis est, n. 7.* IV. *Victoriæ suæ modum tenere summa virtus est, n. 8. 9. 10.* V. *Qui errorem suum fatentur, atque inviti in illum inciderunt, venia digni, n. 13.* VI. *Qui privato officio in offensam potentioris incidit, ei hoc in culpam imputari non debet.* VII. *Qui pacem in bello civili suadet, nulli culpæ est obnoxius.* VIII. *Videtur placidus præferendus esse parti ferociori: nisi meliores partes sequatur, n. 16. 17. 18.* IX. *Insidie non sunt timende illis, qui publico beneficio venerabiles sunt, n. 21. 22.* X. *Eorum, qui Reip. præsent, vita & salus multa sollicitudine debet defendi, n. 23. 24.* XI. *Non complebit victoriæ suæ gloriam, qui laceratam Remp. non erigit, n. 25.* XII. *Qui Reip. natus est, & vivit, nunquam satis sibi vixit, n. 26.* XIII. *Vita principis & viri primarii in Rep. non annorum, sed meritorum, ratione definienda est, n. 27. 28.* XIV. *Diu non vixit, qui non gessit res perpetuas, & in omne ævum duraturas, n. 28. 29.* XV. *Sola virtutis bellicæ fama non parit tantum gloriam, quantam Reip. restauratio, n. 30.* XVI. *Ingrati cives sunt, qui bello civili composito animum rebellem retinent, n. 31. 32.*

Secundo instituendus est Codex morum seu characterum, in quo colligentur illæ 16
 sententiæ, quæ idoneæ sunt, subministrare argumenta Ethica. * Notum enim 17
 est, tria esse argumentorum genera, *Logica, Ethica & Pathetica.* Logica sive probantia vel docentia, afferuntur ad rem probandam, quorum copia colligi potest in Codice Thesum: Morata & Pathetica per totam orationem sunt diffusa, & maximam orationi conciliant gratiam. Nulla enim pene formula, nulla oratio familiaris, quæ non iis utatur: quibus quo magis referta est Oratio, eo illa vivacior & illustrior est. * Implicantur vero illa argumenta nonnunquam verbis, ut una 18
 sæpe voce ac epitheto contineantur: neque enim opus est, magno cum apparatu illa proponere. Infinita talia occurrunt, non in Oratoribus tantum, sed & Poëtis, præcipue apud Comicos; qui, ut speculum vitæ humanæ omnium animis repræsentant, ita pleni sunt talibus sententiis, quæ ex abdito eruuntur, atque iterum aliis argu-
 mentis

- 19 mentis applicari possunt. * Fundamentum horum Excerptorum ponendum est in *Aristotele lib. 2. Rhetor. c. 12. 13. 14. 17.* quibus ille hominum mores describit secundum varios status. Hæc itaque omnia, & quæ hic occurrunt axiomata, pro titulis usurpanda; quibus titulis deinde subjungende sunt sententiae vel similes,
- 20 vel specialiores. * Praxin illorum Excerptorum instituendorum dilucide satis ob
- 21 oculos posuit *Schraderus Comment. Vib. 2. Rhet. I. 10. p. 571.* * Inter Gnomologos non habemus, qui tali methodo Collectanea sua intituierit. Solus Magiri liber, qui *Polymnemon* inscribitur, aliqua ex parte prodesse nobis potest, & ex illo non exigua sylva propositionum moralium exculpi: nam summaria omnium statum sententiarum, quas adducit, in frontispicio possit, unde per Synopsin haberi
- 22 omnium sententiarum similium usus potest. * Schraderus primum ponere jubet generalia axiomata, quæ ad omnes homines ex æquo pertinent. Hæc in genere notanda sunt. Specialia referenda sunt ad homines certi status & conditionis: ideoque generales tituli ponendi sunt divitum, nobilium, plebejorum, senum &c. Possunt etiam referri mores affectuosorum & iratorum, amantium &c. si quis in codice affectuum characteres affectuum ponere nolit. Pertinent etiam huc characteres nationum, quales passim occurrunt apud Historicos, & quorum ideam
- 23 dedit Barclajus. * Si quis accuratam hic distinctionem velit, quod tamen non adeo necessarium est, possit homines in certas classes distribuere. In prima classe continerentur homines, generatim considerati, quæ de ipsorum moribus prædicari possunt. In secunda classe homines, ratione sexus distincti, ut viri & feminae. In tertia classe homines, ratione ætatis divisi, ut pueri, adolescentes, juvenes, senes. In quarta classe considerantur variæ hominum societates. 1. Societas conjugalis. Pertinebunt huc characteres conjugum, viduorum, virginum &c. 2. Societas herilis: quo pertinent characteres dominorum, famulorum, servorum & eorum, qui sub his titulis generalibus continebuntur. 3. Societas patria, ubi parentum & liberorum characteres. Deinde homines ratione ipsius civitatis considerati, varios subeunt characterismos, vel ut imperantes, vel ut parentes. In Imperantibus sunt Reges, vel absoluti, vel limitati, tyranni, optimates, oligarchici, tribunitii magistratus, vel democratici. In civibus sunt pro varietate illorum varii characterismi, potentium, nobilium, religiosorum, eruditorum, militum, opificum, rusticorum; tum ratione munerum, quæ gerunt in Republica, ut: Jurisperiti, Censores, vectigalium exactores, Quæstores, & si quæ porro occurrunt genera: quibus omnibus suus est locus tribuendus, ac notandum, si quid de illis memorabile in Historicis
- 24 vel Poëtis occurrat, quod *χαρακτηρισμὸν* aliquem sapiat. * Nusquam vero luculentiora exempla sunt, quam in Comædia & Satyra, quæ humanæ vitæ imaginem repræsentat. Quid enim plenius & præstantius est, quam locus ille apud Horatium *lib. 1. Satyr. 9.* ubi garruli hominis & molesti mores describit? nam ad generales hominum classes etiam pertinent homines ratione virtutum & vitiorum considerati, ut: superbi, avari, liberales, magnifici, ostentatores, inepte
- 25 seduli, assentatores, cavillatores &c. * De quibus multa *Theophrastus in suis Chara-*

Characteribus, cujus liber una cum doctissimi Casauboni Commentario magno colligendi onere nos sublevabit, si, quæ in Autore & Commentatore habentur, in suos locos redigantur.

Sumamus e. g. e Comœdiis Terentii illam, quæ Adelphi inscribitur, & edu- 26
camus e quibusdam ejus scenis axiomata, tum ad affectus, tum ad mores spectantia,
unde methodus & usus horum Excerptorum patebit. Act. 1. Scen. 1. introducitur
Micio senex: statim in primis versibus elucet affectus ille, quem *σοφῆς* Græci di-
cunt, parentum scilicet in liberos; ideoque inter characteres hujus affectus refe-
rendum est axioma: *Vehemens & acerba parentum sollicitudo est de liberorum salute.* Si
ad codicem morum referre velis, referre poteris ad parentum titulum. Ex vers. 5.
hoc educas axioma: *Multum discriminis est inter suspensiones uxoris zelotypæ de absente
marito, & cogitationes parentum de absentibus liberis: hi enim pericula & res adversas;
illi gaudia & voluptates absentium sibi imaginantur.* Referri potest in codice
affectuum, ad titulum *σοφῆς*; in codice Morum ad titulum, *Liberi & Parentes,
Uxor & maritus.* Potest etiam in codice Affectuum referri ad titulum *Zelotypias.*
Ad versum 10. notandum est hoc axioma in codice Morum sub titulo Senum:
Senes sunt in minimis rebus anxii & πρῶτον μοι. In codice Affectuum potest etiam re-
ferri ad titulum Amoris. E vers. 14. referatur ad titulum *σοφῆς* in codice Affe-
ctuum, & quidem ad illum titulum: *Erga quos? Liberi & quicumque in cura sunt
aliorum, chariores sunt parentibus & curatoribus, quam ipsi sunt sibi.* E vers. 16. seqq.
ad codicem Morum sub titulo Fratrum referatur: *Magna sæpe inter fratres naturæ,
ingeniorum, voluptatum, morum & studiorum est dissimilitudo, ut fratres illi Micio &
Demea: de quibus Cic. in Catone & Horat. lib. 2. Epist. ult. Ex v. 16. ad codi-
cem Morum referatur titulus Urbani & Rustici: Vita urbana clementes & placidos fa-
cit, rustica duros & incultos.* Ex v. 19. ad titulum *Parsonomia* referatur: *Parce vivere
& laborare virtutis est; sed si id semper fiat, reprehensione non caret.* E v. 24. ad cod.
Mor. sub tit. Parentes: *Ut amentur a filiis parentes, amabiles sunt.* Ex v. 25. ad eun-
dem titulum referatur: *Parentes filiis dent necessaria, quod est liberalitatis: præter-
mittant delicta tolerabilia, quod est lenitatis.* Ex v. 7. ad tit. Filiorum referatur: *Filii
liberaliter educati candorem & animum apertum habent, dura educatio fraudulentos
& simulatores facit.* Ex v. 28. ad eundem titulum referatur: *Liberi, qui patrem fal-
lere audent, alios tanto magis fallent.* Ex v. 30. ad eundem titulum referatur: *Pudore &
liberalitate rectius tenentur liberi, quam metu.* Ex v. 33. ad eund. titul. *Filiorum de-
licta imputantur parentibus, ut quæ ex mala educatione orta.* Ex v. 35. 36. notetur cha-
racter parentum indulgentium, qui quævis delicta filiorum quodam colore excusant.
Ex v. 37. notetur hic character hominis commodi: *Homini commodi & elegantis est,
non pertinaciter defendere sententiam.* Ex v. 8. notetur hic character imperantium:
In imperiis, quæ amicitia adjunguntur, potest esse gravis & laudabilis disciplina.
Ex v. 39. ad eundem titulum Imperantium referatur: *Nulla violenta imperia diuturna.*
Ex v. 40. ad titulum Merus in codice Affectuum referatur, & quidem ad tit. *Qui?*
*Qui malo coactus officium facit, in metu est, & dum in metu est, bonus est; ubi metus
cessat,*

cessat, ad ingenium redit. Nam ut Mimus ait: malus, ubi bonum se simulat, est pessimus: & licet vi cogatur, tamen omnia simulate & fraudulenter agit. Ex v. 43. ad affectum amoris & benevolentiae, sub tit. *Qui? referri potest: quos benevolentia nobis adjungimus, ultro & ex animo parent.* Ex v. 47. notetur character dominorum & patrum: *Domini per metum servos in obsequio retinent: parentes per amorem & gratiam.* Ex v. 51. Notetur ad Cod. morum character hominum morosorum: *morosi semper ad jurgia proni sunt, ut Demea Terentianus.* Ad titulum Liberorum referatur: *Liberi non emendantur jurgis & verberibus.*

- Hæc igitur ad exemplum sint, si quis e reliquis familia colligere velit, ac pos-
- 27 sunt eorum colligi infinita. * Nam Comœdia, Satura, Historia, perpetuum quasi theatrum exhibent actionum in vita civili. Historia recenset res vere gestas; Comœdia argumentum vel verum, vel fictum, velut rem gestam in theatrum producit: satyra malas hominum actiones, quæ adversus bonos mores institutæ sunt, quasi per ludum jocumque reprehendit. In his plus latet characteris virtutum, vitiorum, officiorum, quam in omnibus Philosophiæ Moralis præceptis. Omnis ex his ars noscendi homines, cum iis conversandi, exsculpsit, quam cum præsupponat Orator (Scire enim debet ille, cum quibus sibi agendum) longe felicius pleniusque, quam e Chrysiippo & Crantore, sibi philosophiam præ-
- 28 eticam formabit. * Quod cum probe nosset Vir summi judicii & πολιτικώτατος GROTIUS, Terentii fabulas legens, cum eam ob causam reprehenderetur ab aliquo, quasi rem se indignam faceret, respondit illi: *alia legimus in his pueri, alia viri.*
- 29 * Ipse LUTHERUS noster, ut refert in præfatione libelli de Synonymia Terentii *Basilii Faber*, tanta voluptate Terentii fabulas evolvit, ut a negotiis vacuus duorum mensium spatio bis percurreret integrum exemplar, atque in ejus lectione deprehensus dixit: *perspicere se demum familiari Terentii lectione, quid artificii in eo autore*
- 30 *inesset.* * Ne fabulas quidem ipsas hic excipimus, estque eo in genere Phædri Fabulis nihil elegantius. Ut enim ex historia elucet typus rei gestæ, atque ex illo typo characteres hominum, vel virtutum, vel vitiorum: ita e fabula velut quodam simulachro ficto rei gerendæ, ut gestæ, typus & character proponitur.
- 31 * In animo habebat NATHAN CHYTRÆUS, omnes Terentii Comœdias, notatis morum & affectuum characteribus in lucem edere. Qui profecto labor fuisset longe utilissimus: sed solam ille fabulam Adelpbos speciminis loco edidit, unde & nos supra nonnullos canones excerptimus. Memini fuisse, qui pro Thematibus in Latinam linguam verrendis discipulis sermones Germanicos proposuere, perpetuo contextu e Comœdiis Plauti & Terentii, eorumque characteribus formatos, insigni cum juventutis fructu.

- 32 * Ut Codex Morum, ita Codex affectuum quoque instituendus est. Argumenta enim Patherica pro movendo auditore inferenda sunt Orationibus omnibus, præcipue iis, quæ in singulari aliquo affectu versantur. Doctrinam hanc de Affectibus plenissime tractavit *Aristot. Rhetor. 2. a cap. 1. ad 11.* Ubi legendus est diligentissimus ejus
- Commen-

Commentator Schraderus. * Disponendus itaque hic est liber secundum affectus, qui titulos generalissimos repræsentant. Sub singulis affectibus speciales tituli ponantur. 1. *Qui?* 2. *Ob quæ?* 3. *Adversus quos?* Adjici his quartus titulus potest: *Character.* Primum enim noscendus est affectus ex caractere suo. Secundo cognosci debet, qui soleant in tales affectus esse proni, ut sciamus, quibus personis quos affectus tribuamus, vel ex nostro, vel ex aliorum ingenio. Tertio, quibus de causis. Hinc patet, quo in loco Orator enthymematibus affectuosus uti debeat. Nam e. g. si iram provocet contemptus, constat ex illa causâ, hoc affectu utendum esse. Quarto, erga quos affectus tales induamus, ut sciat Orator, an enthymematibus talibus uti possit apud suos auditores, an sint illi homines, qui istis enthymematibus moveri possint. Ubi in subsidium sumi potest codex morum: alii enim aliis pro conditione fortunæ & munerum in hos illosve affectus sunt proniores. Possunt & in his affectibus plures numerari, quos omisit Aristoteles & recenset Schraderus *Comment. in cap. 1. lib. 2. p. 207.* * e. g. Si quis titulum velit facere; *Ira*, subjiciat primum *characteres* hos, 1. quod sit infantiæ quædam species. 2. Affectuum pessima. 3. Dulcis. 4. Vehemens. 5. Loquax. 6. Maledica. 7. Præceptus. 8. Rabiosa in omnes. 9. Inimica rationis, & inops consilii. 10. Fluctuabunda. 11. Occultari nescia. 12. Sui immemor. 13. Decoris oblita. 14. Monentibus refractaria. 15. In se ipsam sæviens. 16. Cum vi externa conjuncta. Sub his titulis specialibus ponantur sententiæ, similitudines, emblemata, adagia, exempla, omniaque, quæ characterem illum illustrent, ut posuit hic nonnulla *Magirus* in *Polymemone*. Hinc sequitur titulus: *qui soleant irasci*. Recensentur apud Aristotelem non pauci ex illo numero. Illa axiomata pro titulis ponantur, & subjiciantur illis axiomatibus sententiæ breves præcipue & argutæ, quales occurrunt in *P. Mimi* Gnomis, & iis, quas collegit *Gruterus*. Novi etiam possunt canones adjici, vel ex solis illis collectaneis *Magiri*: nam canones illi Aristotelici generaliores sunt, quibus plura specialia possunt jungi. Ira irascuntur facile homines felices, & in autoritate positi, potentes, molles, senes, infantes, feminae, ebrii, eruditi, occupati, insani irascuntur omnibus. Hinc subnectenda est classis illa: quibus de causis? in his princeps est primo contemptus, ad quam pleræque etiam causæ referri possunt. Secundo inimicitia, quæ referri etiam ad priorem potest. Tertiâ classis: quibus irasci soleamus, multos habet canones, & quidem viginti apud Aristotelem; quibus addi plures possunt: & in hac classe simul involvuntur causæ speciales. Suppleri hic etiam ex *Magiro* nonnulla possunt: contrarii quoque canones non in hac solum classe, sed in aliis ponuntur. Ita ad classem causæ referri debet, irasci nos non debere ob res leviculas & in potestate nostra non positas, ex classe tertia, rebus mutis & irrationalibus nos non debere irasci, non potentioribus, non furiosis, non tam personis, quam ipsis vitiis, imo ipsi iræ, hostibus publicis, qualis ira fortitudinis comes est. * Conferri possunt, qui de affectibus scripserunt, *Chambræus* in libro Gallice scripto de *Characteribus passionum animi*; *Cartesius*, *Willisus* & *Vinc. Placcii* elegantissimum *Compendium de affectibus in Accessionibus ejus* Rhetoricis. * Quarto *Codex Exemplorum* instituendus est: Magnam enim exempla

vim habent in Oratione. Exempla autem illa plenius proponi debent, quam in vulgaribus Locorum Communium libris.

- 37 Inter Oratoria Excerpta etiam illa numerari debent, quæ de Dialogis & Epistolis instituuntur. In quibus etsi simplicior dictio est, cultu tamen & illa suo non destituitur. Quod ad *Dialogos* attinet, præcipuum hic est connectendi methodus, quæ consistit in formulis mutuae sermocinationis, quales colligi debent e Comicis & Dialogorum Scriptoribus. Ideoque tales formularum tituli concinnandi sunt, quales neminem hactenus concepisse memini. In animo quidem habuit *Starckius*: nam in appendice Formularium Epistolarum promisit tales formularum Locos Communes, qui vero in lucem hactenus non prodierunt. Solus ille titulorum syllabus, quanquam mancus & imperfectus, libello ejus de *Stylo* subjunctus est; sub quibus formulæ dialogisticae e Dialogis Ciceronis, e Plauti & Terentii Comædiis, item aliis quibusdam recentioribus, qui *Dialogos* scripsere, colligi possunt. Ita felicior erit *Dialogorum* concinnatio, de quorum conficiendorum ratione *Cyrolus Sigonius* singulari libro egit.
- 38 *Dialogos* excipiunt *Epistolæ*, in quibus dictio simplicior est, etsi in his nonnunquam pro re nata *Stylus* exaltari potest, si ad viros illustres scribamus, & argumentum epistolæ ita efflagitet, ut in *Dedicatoriis*, *Gratulatoriis*. * *Collectanea* in his duplicis generis formari possunt, materialia scilicet & formalia. Debent itaque sub titulis *Generum Epistolicorum*, ut *Petitoriarum*, *Suasoriarum*, *Athortatoriarum* &c. colligi ex *Autoribus* argumenta, super quibus tales *Epistolæ* scriptæ sunt: qualia *Collectanea* ex *Epistolis* Ciceronianis jam tum instituit *Buchnerus*; quibus tamen nos jungere possumus alias ex bonis *autoribus*, tam veteribus, quam recentioribus *Epistolis*. * *Subjicere* etiam possumus *Collectanea* argumentorum & *Enthymematum*, quæ in *singulis Epistolis*, tum Ciceronis, tum aliorum adhibentur, ita tamen, ut per *indicem* tantum excerpamus. Qua in re viam prævit *MELCHIOR JUNIUS in Scholis Rhetoricis* de conficiendis *Epistolis*; qui liber magni ad *Epistolas* contexendas usus est. Si enim e. g. *Consolatoriæ* scripturus es, invenies illic omnia argumenta, quæ in hoc genere usurpari possunt, collecta; notatis semper locis, ubi illa in *Ciceronis Epistolis* occurrunt. Ita scripturus *Epistolam*, & simili argumento usus ex tot *Enthymematum* exemplis, unum idemque sensu exprimentibus, facile imitationis beneficio tua quodammodo omnia propones, amputando, ampliando, condensando, prout commodum tibi videbitur. Arque ita primum ego informari juvenes in *epistolicis exercitiis* velim, ubi prima *Rhetorices tirocinia* posuere. * Neque ex solo *Cicerone* talia *Collectanea* institui possunt, sed ex aliis etiam *Scriptoribus*, tum veteribus, tum recentioribus, tam *Latinis*, quam *Exoticis*. Nam & in *Gallica* & *Italica* lingua sunt *Autores*, omnibus ad *eloquentiam* deliciis instructi: & in his *Collectaneis* non tantum ad verba, sed & ad sensus respicimus.
- 42 *Materialibus Collectaneis* subjicienda sunt *Formalia*. Sub istis autem comprehendit omne illud, quod ad *formulas* pertinet: quod præcipuum pene in *Epi-*

Epistola est, adeo ut interdum solæ formulæ literas absolvant, si sint Salutoriaë, neque in certo aliquo genere versentur. Et illæ quidem formulæ vel ad nexum partium in Epistolis referendæ, ut sunt formulæ Exordiendi, Connectendi, Transcundi ab argumento ad argumentum, & similes; vel habent in se argumenta Ethica & Pathetica, quibus præcipua illa & Logica argumenta quasi investire solemus. Eorum Collectaneorum rationem accuratam instituit STARCKIUS in *Thesauro suo Epistolarum*; ubi omne illud, quod ad formulas pertinet, sub certis suis titulis generalibus & specialibus repositurum est. Quibus etiam aliqui tituli addi possunt, qui forte in Epistolis occurrunt, sed pauci illi erunt: nam satis uberem ille apparatus suppeditavit. * Formulas tamen longe plures vel solus Cicero suppeditabit: 43 nam multas Starckius prætervidit. E recentioribus Scriptoribus, qui castam satis Latinitatem servant, ut Manutio, Paleario, Bunello, Bruto, Balzaco, aliisque Autoribus, etiam Gallicis, longe plura colligi possunt. * Possunt & addi quæ Ruper- 44 tus in Mercurio suo Epistolari e Scaligero, Casaubono, Wouwerio aliisque collegit, etsi illa non sunt cum prioribus comparanda: nitidior enim in illis dictio Latina est. Quanquam & hic non tam semper ad dictionem, quam ad sensus & argumenta respicere solemus. Verum cum illæ Epistolæ pleræque sint familiares, ac dictione utantur faceta, acuta, qua delectantur inprimis eruditi, cum iudicio formulis illis uti quis debet. * Collegit & ERASMUS ROTERODAMUS in libro *de* 45 *ratione scribendarum Epistolarum* sub singulis generibus quasdam sylvas, ut vocat, formularum & exemplorum; sed pauca, & sine ordine, nec memoratis autoribus. * HENR. STEPHANI in *Dissertatione de variis generibus Epistolarum Ciceronis*, quædam 46 etiam de formulis cujuslibet generis notavit; sed, ut mos fert ejus, confusa sunt omnia. Legi tamen possunt, quæ affert. Σύγκρισις enim quandam instruit inter formulas Ciceronis, & Ciceronianas cum Ovidianis confert, e.g. in argumento consolatorio ex libris Tristium. * Clarckii Formulæ epistolares parum bonæ 47 frugis habent, ac multæ illarum nescio quibus e lacunis haultæ.

Atque hæc de Excerptis Oratoriis dicta sunt. * Vellem exirent tandem in publicum, quæ Schraderus, J. P. Titius, & Schönsleiderus promiserunt de Excerptis rerum! Ita plenior luculentiorque illi rei cura impendi posset, & oratoria etiam Excerpta lucem hinc aliquam acciperent. Schraderianus liber de Excerptis editioni, ut audio, paratus est. Titii posthuma promisit Patre dignus Filius Fride- ricus Daniel Titius. De Schönsleidero vix quicquam sperandum existimo.

C A P. X.

DE EXCERPTIS POËTICIS.

- §. 1. Apparatus poëticus ab Oratorio diversus. 2. Latinitas Poëtica. 3. Lexicon Trans-
latorum poëticorum colligendum. 4. Cui index rerum subjiciendus. 5. Me-
taphoras tales collegit Petrus ab Area Baudoza. 6. Aristotelis & Fr. Robortelli,

7. it. Sturmi 8. Baldet, 9. Buchneri de Metaphoris poetice Testimonia. 10. Riccii opus de locutionibus poetice incendio perit. 11. Rivola Sylva Translatorum Poeticorum. 12. Dieterici λεξιδιον poeticum. 13. Latini ejusmodi lexici idea promittitur. 14. Henrici Schævii Lexicon Stavianum ac universale poeticum ad Mythologiam morte ejus perit. 15. e lexico isto Statio exemplum de Hercule adducitur. 16. Phraseologiam poeticam qui scripserint. 17. Formularum Poeticarum collectanea. 18. Ornamentorum, Comparationum, Exemplorum sylloge. 19. Excerpta Idographica & Prosopographica. 20. 21. De his qui scripserint. 22. Idographia veterum. 23. Topographia poetica. 24. Collectanea quæ Poëtis cum Rhetoribus communia. 25. Indices rerum a Poëtis laudatarum, vituperatarum & descriptarum. 26. Farnabii index poeticus. 27. Ab iconologiis & topographiis differunt descriptiones minores. 28. 35. In generibus tribus causarum differunt Rhetorum enthymemata a poetice, quoad modum proponendi. 29. 34. Orationum & Figurarum poeticarum collectio, imprimis morum & affectuum, 30. in quibus exprimendis Virgilius artifex est, postque eum Ovidius. 31. Poëta oratorum etiam apparatu uti possunt. 32. Exemplum e Virgilio. 33. 35. Plura exempla habet Laurent. le Brun in eloquentia sua poetica. 36. Loci Communes Inventionum. 37. Qua ratione illi concinnandi. 38. Eorum utilitas. 39. Hyle inventionum poeticarum nostra. 40. Artificiorum a numero & periodis, callentissimus Virgilius. 41. Qui artes illas notarint. 42. Connexionum Sylloge instituenda. 43. Deckenii observationes Poëtice laudantur, 44. & recensentur. 45. Quanam in illis desiderantur. 46. Sejugatio, figura illustris. 47. Vechneri libellus de figuris commendatur.

Ut in oratione soluta opus est apparatu quodam, ita quoque in Carmine, Nam & hic verborum, sententiarum, amplificationum, ornamentorum, Excerpta facienda sunt. A verbis itaque poetice incipiendum est. * Habent Carmina suam, ut ita dicam, peculiarem linguam, imo & Grammaticam: occurrunt hic verba, phrasæ, constructiones, figuræ, nullo modo Oratori usurpandæ. Quare recte fecit *Jacobus Masenius*, qui in *Palestra sua lib. 2. c. 12.* singularem dissertationem posuit de Syntaxi phrasæ poetice ejusque copia, qui eo de argumento legendus est. Videantur & *Fr. Robortellus in libro de artificio dicendi cap. de poetico serm. disput. 1.* Ceterum verba quædam & voces in se spectatæ, sunt poetice, solisque Poëtis relinquendæ, quod facile observabis, si Carmen aliquid in prosam converras. Est & alia membrorum & periodi structura, etsi præcepta tamen structuræ Oratoricæ pro fundamento habeat. * Deinde Translata sunt peculiariora, in quibus colligendis magna opera infumenda est Poëseos cultori. Confici itaque Lexicon aliquid potest, & verba secundum ordinem Alphabeti locari, quibus omnes illæ Metaphoræ poetice, quarum pleræque sunt κατ' ἐνέργειαν, per quas ἐμψυχία quædam sive animatio rei paratur, colligantur. * Ubi Lexicon tale perfectum est, potest

potest illi subijci index rerum, de quibus dicuntur talia vel Epicheta vel prædicata. Thesaurum habebis, si ex omnibus Poëtis tale Opus collegeris. * Quasdam Me- 5
taphorarum poëticarum, sed paucas, collegit *Petrus ab Area Baudoua in suis Poëtice Elocutionis Formulis, quæ editæ sunt Lugd. Anno 1590. in 12.* & ante illud tempus sub nomine *Fundani*. Verum non ille ordo est, ut legenti statim occurrat. * Hujus 6
nostri consilii multos magnosque auctores habemus. Ac primo quidem ipse Aristoteles libro de Poëtica prolixè ostendit, quis Translatorum usus: quod exemplis elegantibus in Commentario suo declarat *Fr. Robortellus p. 262. 263.* inter alia e Ciceronis libro de Orat. 3. locum adducens, qui improbat eorum exercitationem, qui Ennii narrationem conabantur aliis verbis exprimere. Cum enim ille optima verba translata occupasset, illi deterioribus exprimebant. Quare observat Robortellus; si quis Virgillii versum lib. 4. *Æneid. Vulnus alit venis & cæco carpitur igni,* propriis verbis expresserit ita: *Affectionem amoris interiorem paulatim auget, & occulto consumitur amore: totam languere ac humilem fieri orationem.*
* *Sturmius* in libro de linguæ Latinæ resolvendæ ratione, optimus in hac re ma- 7
gister, ita cap. 4. *Poëtae habent raras quasdam metaphoras, differentes ab Oratorum metaphoris: Cujus discriminis ignoratio facit scriptores nostri temporis impuros. Qui putat, quamvis metaphoram apud quemvis scriptorem esse bonam, is errat, & nunquam pure scribet. Oportet oratorias separare a poëticis: Oratores habent metaphoras quasi nativas quasdam; Poëtae suas etiam quasdam nativas habent, sed sunt contra naturam Oratorum.* Testis est *Erythreus Pinac. II. n. 14.* de *Massejo* nitidissimo Scriptore: omnia Latina verba collegisse, ac pro ratione temporum, quibus inventa vel usu recepta essent, distribuisset, tum quæque verba historicis, quæ poëtis, quæque oratoribus essent aptiora, notasse. * *Baldeus*, Poëta ingeniosissimus Germanus; in elegantissima illa 8
Dissertatione sua de Studio Poëtico: sunt varii loquendi modi. Qui cuique carminis generi convenient, nasuti statim odorantur. Aliter rem Historicus vel Orator effert, aliter Poëta, in ipsa poësi aliter Elegiacus, aliter Satyricus, a se remoti invicem plerumque non tam sono distantium verborum, quam structura totius artificii & fluctuantis spiritus, qui molem agitantem sensa vitamque insinuat. Et in eadem dissertatione Horatium multa verba in Satyris usurpare ait, quæ in Lyricis nunquam positurus erat. * De Metaphoris 9
Poëticis earumque discrimine & abusu legendus etiam *Buchnerus* libro de *Communit. dic. rat. cap. 2. sect. 5. §. 13.* * Eam latinæ poëtice rationem singulari libro 10
ostendere voluit *Bartholomeus Riccius*, vir doctissimus, bene de eloquentiâ meritus. Nam in præfatione istius libri, quem *Apparatum Latinæ Locutionis* inscribit, a se perfectum illud fuisse opus testatur, quod ipsi incendio periit. * Translatorum Poë- 11
ticorum in Italica lingua Collectanea, *Prospero Mandosio* in Bibliotheca Romana teste p. 173. molitus est *Clemens Rivola*: cum hoc enim elogio recenset: *la Selva de Translati Poëtici opera assai voluminosa & nobila.* Sed morte præventus absolvere non potuit. * Vidit quoque separandum a sermone soluto Poëtismum, etiam in 12
Græca lingua *Johannes Conradus Dietericus*, qui in *Specillo Chrestomathie Græca*, ubi multa ut de Græca lingua, ita de omni didactica præclara habentur, λεξιῶν ποῦ-
ticῶν

- 13 ticum Græcum se daturum promittit. * Nos, quoniam in Latina lingua nemo hactenus fuit, qui hanc operam in se susceperit, ideam alicujus Lexici, quo translata poëtica contineantur, huic capiti subjiciemus. Quæ vestigia si & alii sequantur; nostra rudimenta perfecturi, non male de re literaria merebuntur.
- 14 Non inutilis etiam hic labor est, imo vero ad Poëtarum explicationem & usum in epithetis & periphrasibus vehementer commendandus, si quis omnia, quæ occurrunt in Poëtis Mythologica, Prosopographica, nomina Heroum, Deorum, urbium, regionum, patronymica, epitheta, singulari Lexico ex omnibus poëtis formando comprehendat. Id in animo habebat *Henricus Schævius*, meus quondam Præceptor, qui ipse tale Lexicon Statianum congesserat, editioni jam tum cum Paraphrasi Statiana paratum, nisi immatura viri mors hoc consilium abruptisset. E ceteris quoque Poëtis, ubi discipulorum opera eodem modo Lexica congessisset, inter quos mihi Senecæ Tragediæ obtigerant, tandem universale aliquod Lexicon poëticum edere in animo habebat. Quanti hoc usus foret, ii intelligunt, qui in
- 15 illis sæpe hærent, cum Poëtas explicant. * Superfunt mihi Statiani istius Lexici quædam lacinia, unde in exemplum, quæ de Hercule illinc habentur, adducam. Numeri adjecti versus notant, qui citra librorum distinctionem a capite ad calcem per omnia Statii opera numerati sunt. Primum habet Historica. 2. Periphrases. 3. Denominata.

HERCULES filius Jovis, ex Alcmena uxore Amphitruonis; unde & Amphitryoniades dicitur, factorum magnitudine celeberrimus. 6709. 6888. Juno illi infesta varia pericula concinnavit, 146. 1611. Usa est ministerio Eurysthei Regis Argivorum, qui fatale jus in ipsum habuit. 1587. Numerantur precipue duodecim ejus labores, 915. In cunis duos serpentes a Junone immixtos exanimavit. 840. 1612. Leonem Nemeæum jugulavit & ejus exuvias pro veste usus est. 2827. 4262. Aprum Erymantium occidit, 10178. Poma Hesperidum a vigili Dracone asservata reportavit, 1723. Hydram Lernaam interfecit, 1594. Diomedem crudelem Thraciæ Regem equis suis laniandum objecit, 1595. Busyridem cruentum Ægypti Regem ad aras mactavit, 1596. Clavam, arcum & sagittas gravissimas gestat, 1615. 1599. A Molorcho benefice hospitio exceptus fuit, 1593. In monte Oeta se combussit, & Deus factus est, 1571. Apud Tirynthios cultus est. Hinc dicitur Tirynthius, 1565. 1689. Colitur & in Nemea Sylva, item Tiburi & apud Argivos passim, 1587. Templum ei reparavit Pollus, quod prolixè describitur a vers. 1565. Fuit frater Bacchi, 1605. Amavit Hylam puerum, 647. Cum Age Nympha Arcadica concubuit, 1604. Thesbii quinquaginta filias omnes eadem nocte consumpavit, 1607. Columnas suas erexit ad fretum Gaditanum, quod inde Herculeum dicitur, 1747. 2596. Hercules epitrapezius, effigies ejus sub poculo collocata prolixè describitur a vers. 2770. Hinc vocantur Herculei labores, 146. Herculeus alumnus, i. e. Hylas, 647. Herculei Hortatus, 1678. Herculeæ gymnas, 6168. Hercules Præan, 6219. Herculeæ vires, 8139. Herculeæ moles, 8497. Herculei lacerti, 8551. Hercules Hæmon, 9902. Herculeæ noctes, i. e. Trinox, quam Jupiter ejus generationi insumpsit, 8795. Ternox Herculeæ, 13102. Hercu-

Herculea mater, i. e. Alcmena 1279. *Herculeus Agylleus* 1351. 1368. *Herculea sagitta* 1365. *Herculi nepotes* 13545.

Pater ex his, nihil esse hoc labore utilius. Plerumque enim in illis Poëta-
rum locis hæremus, neque sensus illorum satis percipimus. Talia imprimis apud
Statium multa occurrunt, & apud alios Poëtas. E. g. *Geticus Maritus, pro Vulcano:*
Geticus Vates pro Orpheo: Geticum plectrum pro ejusdem Orphei lyra: Getica ornus pro ar-
boribus per ejus lyram commotis: Getici amores, i. e. Orithyæ, quam Boreas rapuit ab Ilyssø,
Thraciæ fluvio. Getica volucres, i. e. Philomela & Progne. Arcadicus galerus, i. e. pileus
Mercurii, qui Arcas est. Aëtææ faces, i. e. quæ in sacris Cereris vel Palladis præferuntur.
Aëti imbres, i. e. feraces. Ausonia toga, i. e. pacatus Italiæ status. Centaurica semina de
Equis. Calicum ver, i. e. odores suavissimi. Coryciæ coma, i. e. crocus. Cyclopum labores,
pro validis & firmis. Cynipii campi, i. e. Africani. Cyrrhæus hiatus, i. e. antra & umbra
Parnassi. Dananeus Augur, i. e. Amphiaraus Argivus. Danacius volucer, i. e. Perseus,
Bisthoniæ ensis, propter Martem, qui ibi templum habebat &c. Quæ si omnia in unum
volumen ex omnibus poëtis collecta sint, magnum hinc ad rem poëticam com-
*modum esset: sed nunc forte nemo hunc laborem suscepturus est. * Phrasæolo-*
giam poëticam non inepte concinnavit Nomesseus in Parnasso suo Poëtico, adductis
integris Poëtarum locis. Concisas & excerptas phrasæ ac periphrasæ dedit Ba-
scherius in Flavissis Poëticis, aliquoties reculis. Qui liber ideo utilissimus est, quod
nominum propriorum, gentium & regionum, comparisonum Indices peculiare
subjiciantur. Omnia sunt ex probatis autoribus desumpta, locis etiam nonnun-
quam additis; cum Weinrichius in Ariario suo pleraque e lacunis hauriat recentiorum
Poëtarum.

Ut nominum & phrasum, ita & Formularum ac Sententiarum Collectanea
institui possunt, quarum usus maximus est in integris carminibus, quæ in aliquam
molem excrescunt. Nam quemadmodum in Epistolis Jo. Starckius singulares quas-
dam Formulas collegit, easdem etiam daturus in Oratoriis: ita & in Poëticis illa
dari possunt, ac promiserat quoque ipse Starckius. Attendendum hic est sedulo
in carminum, præcipue Virgilianorum, lectione, quibus formulis membris mem-
bra connectat, a narratione ad narrationem transiens. Exiguum earum typum ex-
hibuit Georg. Fabricius lib. 2. de Re Poëtica. Possunt & nonnullæ formulæ Epistolares
Starckio notatæ, etiam & in Poëticis habere locum, quarum exemplum habemus
in Epistolis Heroidum Ovidii, absoluto omnis elegantia Romanæ Operæ. Tales
e. g. sunt. *Non possum eloqui: ne longum faciam: ut verum fatear: semper, nunquam, prius*
moriar: exprobrare jactantiam: irriti conatus, irriti sermones &c.

Huc referri etiam debent illa Collectanea Ornamentorum; quæ in variis con-
sistunt. 1. Comparisonibus. Sunt enim Comparationes Poëtis, imprimis Heroi-
cis familiares, ac mirifice ornant carmen. Cum enim Poëta pictorem imitetur, qui
coloribus suis & luminibus ita rem ob oculos sistit, ut vivam oculis obversari credas:
ita Poëta comparisonibus mirifice rem ornat. Harum collectio diligenter insti-
Tomus I. Kk kk tuenda

tuenda est, non e Latinis Poëtis solum, sed & Græcis, Italicis, Germanicis. Hic enim patet, quam Poëta Poëtam imiterur. Virgilius Græcos; Virgilium ceteri imitari sunt, & ita quidem, ut, cum in simili re versantur, tamen Virgilio maxime sint dissimiles. Harum comparationum librum integrum concinnatum edidit *Trogneus Antv. Ann. 1610.* ubi sub titulis rerum comparatarum Comparationes ipsas congeffit; quæ multis augeri modis possent. Exigua Comparationum exempla dedit *Georg. Fabricius.* Indices talium Comparationum breviores habet *Masenius in Palestra sua,* & *Bacherius in Flavissis.* Infinitus talium numerus congeri potest, magno futurus usui, si non integris comparationibus instituendis, saltem in exaltanda per metaphoram phrasi. Metaphora enim est comparatio contracta; & comparatio metaphora per suos similitudinis terminos explicata. Quod de Comparationibus dixi, idem in exemplorum collectione faciendum. Illis enim Poëtæ frequenter utuntur, fabulosis tamen potius & fictis, quam veris. Eorum Indicem dedit *Masenius in Palæstra:* uberiora *Collectanea Ravisius in officina,* sed Poëticae Illustrationes his addendæ sunt. Id enim præcipue quæritur. Nam apud *Masenum* & *Ravisum* nuda tantum exempla sine expressione poëtica recensentur. De Comparationibus Poëticis videatur *Buchnerus de Com. dic. rat. lib. 2. c. 8.*

- 19 Pertinent huc quoque Loci Communes idolographici & profopographici. Solent enim Poëtæ, ut jam dixi, pictores imitari, ideoque virtutes & vitia ut personas introducunt, vel certis quibusdam rebus, vel personis, orationem affingunt; quæ propterea diligenter notanda sunt, ut habeamus exemplum, ad quod nostra inventa exigamus. Habemus idolographias *Furiarum, Invidiæ, Somni, Musarum, Virtutum,* quas passim apud Poëtas reperias. * Singularem de his idolographiis librum scripsit *CÆSAR RIPA,* qui pene in omnes linguas conversus est, & nunc quoque in linguam Germanicam. Verum tamen ejus libri autorem *Jan. Nicus Erythraeus* nominat *Johannem Zaratinum Castellivium,* *Pinacoth. I. n. 27.* Prodiit epitome quædam Germanica sub titulo *Iconologia Poëtica.* Multa quoque illius libri transtulit *Harsdörfferus* in libro Germanico de arte poëtica titulo *Infundibuli*
- 20 edito, part. 2. & 3. sub titulis rerum, quas describit Phrasibus Poëticis. * Post *Cæsarem Ripam* aliosque totum illud negotium idolopectias ad artis leges examinavit *MASENIUS in Speculo imaginum veritatis occulta,* quo in libro fontes monstravit, ex quibus variarum rerum idolopectiæ deducendæ. Notavit quoque errores in
- 21 arte idolographica a *Cæsare Ripa, Boccho* aliisque commissos. * Veterum idolographica ex hieroglyphicis *PIERIUS VALERIANUS* collegit, cui primæ hic deferendæ, ut qui antiquitatis interiora rimatus est. Sed & *Masenius,* quæ huc pertinent, ex hoc excerptis. * Referrî etiam hic possunt fictæ Topographiæ, quæ passim apud Poëtas inveniuntur, qualis est e. g. apud *Ovid. Regia Solis, regia Somni, Invidiæ, apud Job. Secundum regia reginæ pecuniæ.*

- 24 Vidimus *Collectanea,* quæ ad poëma scribendum per se pertinent; subji-
- 25 cimus illis *Collectanea,* quæ ipsis cum Rhetoribus sunt communia. * Quoniam

niam itaque res vel laudantur; vel vituperantur, vel suadentur, vel dissuadentur, vel accusantur, vel defenduntur, vel simpliciter tantum describuntur; ideoque sub titulis materiaram notari potest, quicquid apud omnes generis Poëtas Græcos, Latinos, Gallos, Germanos &c. inveneris; sed per indicem tantum: non enim suferim, ut exscribas. * Sciagraphiam talium Locorum Communium dedit FAR- 26
NABIUS in *Indice Poëtico*; sed tenuis tantum ille labor est, ac augeri multis modis potest. Summa enim ille tantum vestigia legit, & vaga lectione quædam observavit. Exempla talia collegit *Laurentius le Brun in Eloquentia sua Poëtica lib. 7.* ubi de characteribus Epidicticis. * Ab his tamen sejungendæ sunt Descriptiones mi- 27
niores, quando paucis versibus vel rem aliquam, vel tempus, vel locum describimus. Hæc enim potius referenda sunt ad Phrasæologica. In his Descriptionibus ut multus est Virgilius, ita & parvus. Nam duobus vel tribus versibus, sed verbis emphaticis, omnia absolvit. Legi potest de genio Descriptionum Virgilianarum *Buffers in præfatione Scanderbegi sui.* * Quæ ad genus Deliberativum & Ju- 28
dicialia pertinent oratiunculæ, consultationes, exprobrationes, querelæ, & similia, etsi eadem habeant Rhetorum enthymemata, tamen seorsim ea poni consultum est. Habent enim Poëtæ, quo differant ab Oratoribus proponendi modo. Tales oratiunculæ, epistolæ, frequentes occurrunt apud Virgilium reliquosque Poëtas Epicos, Ovidium in Epistolis Heroidum. Nam Satyricos aliorum remitto, quod plane in alio poëmatis genere versantur. Etsi enim eorum argumenta vel in genere Demonstrativo, quatenus vituperium continent; vel Judiciali, quatenus aliquid accusant, versantur; alia tamen versandi ratio est. Satyricus enim genius ridendo magis verum dicit, quam seria oratione. Ideoque & phrasis Satyricorum sejungenda est a reliqua phrasi poëtica: quemadmodum nec Comica phrasis omnis in seria oratione potest adhiberi. Distinguendæ enim sunt personæ, res & tempora. * Quemadmodum apud Oratores, ita & apud Poëtas morum & affe- 29
ctuum Collectanea sunt instituenda. Cum enim omnis poëseos vis in imitatione actionum consistat, actiones vero vel mores vel affectus exprimant, utrumque Poëtæ familiare esse debet. Sive enim Epicum carmen scribat, sive Tragediam, sive Elegiam, seu de bono aliquo gratuletur, de malo dolorem testetur, Satyramve scribat, omni loco & tempore morum & affectuum, ipsi ratio habenda est. Perpendi itaque canones Aristotelici, & horum ductu notandi ex Poëtis sub his titulis illi characteres morum & affectuum, qui apud Poëtas occurrunt. * Vel solus Virgilius 30
mirus in iis artifex uberrimam eorum messem dat. Si quis enim inter Poëtas enthymematicus est, Virgilius est, qui summa ratione & judicio scribit omnia, in quo mire vacillant ceteri Poëtæ: Ovidius post Virgilium ceteris omnibus præferendus est. Nam in Epistolis Heroidum, in libris Tristium, mira est affectuum & morum repræsentatio, adeo ut nonnulli in eo damnent declinatorias argutias, quod nimium immoretur argumento suo, & manum detrabula tollere nesciat, novis subinde argutis, ultra quam par est, rem ornans: qua in re nemo sibi præter unum Virgilium temperat, qui illam, quæ in tacendo consistit, eloquentiam optime didicit. Non enim plus dicit, quam debet, quæ maxima omnis eloquentiæ virtus est. Ubertate tamen

illa vehementer auribus blanditur Ovidius, & solet elegantia, etiam nimia, vel doctis interdum placere. Affectuum certe & morum tanta apud illum copia est, ut locupletare præ ceteris locos nostros possit. Cetera quoque Enthymemata, quæ in Locis quibuscunque Rhetoricis ad bonum & malum pertinent, etiam hic notari possunt & debent. Versantur enim carmina in omnibus causarum generibus, & quoniam illa vel bonum vel malum pro fine habent, sive quod laudetur, sive vituperetur, sive suadeatur, sive dissuadeatur, seu accusetur, seu defendatur, eadem argumenta hic obtinebunt. Id tantum notandum, qua ratione ab Oratore hic Poëta differat, & quomodo ille Enthymemata sua proponat.

31 Etiam ex Oratoribus quædam in suum usum transferre Poëtæ possunt. Ut a Poëtis spiritus sublimitatem & affectus sumunt Oratores, atque ideo illis poëtas commendant Grammatici, certe Quintilianus initium omnis institutionis puerilis a poëtis sumendum suadet; Ita poëtæ etiam ab Oratoribus multa mutuari possunt, atque debere illud facere judicat *Vavassor libro de Epigr. cap. 14. p. 159.* a Quintilianii sententia, sed sine causa alienior.

32 * *Nicolaus Borbonius, præclarus Virgilii imitator, dicere solitus fuit, summo sibi usui semper fuisse in scribendis versibus Ciceronem. Quod mihi tum profecto (inquit) mirum dictu ac ferme incredibile visum esset, nisi meminissem adolescentem me, ac potius puerum, deprehendisse non pauca, quæ Virgilius de Cicerone surripisset. Atque hoc ipsum longo post intervallo animadverti observatum a Macrobio, & proditum scriptis etiam tunc, cum nihil esset necesse. Quippe cum ageret de iis, quæ Virgilius prioribus surripisset poëtis, non autem scriptoribus orationis soluta. Nec Tullio, inquit, compilando, dummodo undique ornamenta sibi conferret, abstinuit. Nam & sententiam hanc, o fama ingens, ingentior armis, esse Tulli totam vult, neque falso vult: & versum hunc Proximus huic, longo sed proximus intervallo, conceptum totidem verbis a Tullio antea, & ex ejus de Claris Oratoribus libro depromptum. Nuda ista & unica vox Virgiliana, recubans, nonne minus est aliquid minusque poëtam ac poësin redolens, quam Tullianum illud, Epicuri philosophia, quæ in hortulis quiescat suis, recubans molliter & delicate? Dicitur sine dubio a Cicerone multo nitidius ac letius, platanus ad opacandum locum patulis diffusa ramis, quam a Virgilio, patulæ fagi tegmen, ad umbraculum significandum profertur. Nec video, quamobrem plurima ejusdem Oratoris ab agitato mari, a ventis, a procellis, a turbibus petita, ulli cedant tempestati Virgiliana. Et alia sexcenta sunt, ex quibus planum fiat, quantum quoquo modo adjuvent inter se orationis utriusque scriptoribus: Itaque sibi mutuas operas tradant, ut utiles sint poëtæ Oratoribus, poëtis Oratores necessarii.*

33 Hæc si diligenter notaverimus, in imitando deinde erimus promptiores. Huic fini inserviunt Loci illi Communes, quos in *Eloquentia sua Poëtica* proposuit LAUR. le BRUN, qui farraginem exemplorum dedit e Locis Dialecticis declaratorum. Enthymematum vero oratoriorum nihil hic apparet, quorum in ratiocinando usus præcipue consistit, ut illorum in amplificando. De Affectibus idem *lib. 6. Elog. Poët. part. 1.* exempla proposuit. Etiam Ethopœiæ & Parthopœiæ, oratio-

orationes scilicet, quæ apud Poëtas occurrunt, ut Didonis morituræ apud Virgilium & similes huc pertinent. * Huic fini etiam inserviet figurarum poëticarum 34
 Collectio, imprimis affectuosarum, quæ mirifice poëma ornant. Cum enim etiam
 apud Oratores figuræ Orationem quasi vivificent, multo magis in Carmine fa-
 cient; ideoque & illarum, ut omnium metaphorarum frequentior hic usus est.
 * Quoniam vero genius poëticus ab Oratorio diversus est, ideoque expedit illas 35
 notasse, quæ singularem interdum carmini pariunt elegantiam. Suntque inter il-
 las aliæ, quæ Epicum; aliæ, quæ Elegiacum carmen magis ornant, magna cum
 industria & delectu notandæ. Habent Lyrica carmina, Phaleuci, Anacreontes,
 Scazontes, quasdam sibi peculiares, ut numeros, ita figuras, quæ singularem uni-
 cuique generi elegantiam circumponunt. Collegit quoque exempla figurarum
Laurentius le Brun part. 2. Eloq. Poët.

Possunt & peculiares Loci communes Inventionum institui pro usu nostro 36
 attemperandi, quibus illa Enthymemata, quæ in singulis occurrunt, subjici pos-
 sunt, una cum argutiis reliquisque artificiis, quæ in illis apud Poëtas exemplis oc-
 currunt. * Quoniam enim vulgo industria poëtica nostra occupatur in Epithala- 37
 miis, Epicediis, Gratulationibus &c. scribendis, sub talibus titulis colligi inventio-
 num genera, e. g. in Demonstrativo genere inter titulos generales erit *Epithala-*
mium. Sequantur sub illo titulo speciales ex circumstantiis negotii evoluti. Ita
 ex circumstantia personæ conficias titulos: *Epithalamium Theologi, Juri, Medici, Ma-*
thematici, Philosophi, Mercatoris &c. Ex circumstantia temporis: *Epithalamium in*
nuptiis tempore æstatis, veris, hiemis, autumni, mundinarum &c. celebratas. Ceteræ cir-
 cumstantiæ alia aliaque suppeditabunt, usui tibi in inventione futura. Nam bre-
 viora carmina non semper per integra Enthymemata procedunt, sed arguta ali-
 qua vel allusione vel illatione absolvuntur. Hæc etsi ingenium facile per se præ-
 stet in ingeniosis, tamen, si exempla multa collecta habueris, novæ semper cogi-
 tationes & inventiones sub manu crescent: quæ ita formandæ sunt, ne exscriptum
 carmen videatur, & facile est novo aliquo colore rem incrustare. Quicquid ita-
 que apud Latinos, Germanos, Italos, Hispanos, eleganter excogitatum inveneris,
 his titulis accommodari potest. * Ac incidunt interdum aliqua, quæ tu ipse in 38
 inventioni novæ accommodare possis, de quibus non cogitarunt Autores, quos leg-
 is. Præterea ex magna illa farragine, quæ uno intuitu tibi ob oculos sistitur, fa-
 cile aliquid decerpas, quod ad rem præsentem faciat, vel varia miscendo, vel nova
 ad eorum speciem excogitando. Labor ille vehementer proderit illi, cujus in
 inveniendo phantasia tardior est: ingenioso vero novam dabit occasionem ad rem
 & argumentum suum ornandum. * Ut hac etiam parte juventuti lucem accenda- 39
 mus, subnectam huic capiti *cap. 12. Hylæ aliquam inventionum*, sed per indicem tan-
 tum e variis Poëtis meo ductu ab aliis congestam, qua qui uti velit, Autores ipsos
 ad manum habere debet; si quis Autores ipsos non haber per breviam lemmata
 summam inventionis exprimere poterit. Compendiosum etiam illi erit, qui Au-
 tores ipsos habet, si forte perlegere integra Carmina nolit.

- 40 Solent Carminibus suæ esse a numeris Veneres & certa quædam artificia, quæ mirifice ornant versum; quales apud Virgilium, mirum numeri poetici observatorem, frequenter occurrunt, e. g. cum versus terminantur monosyllabis, ut: *procumbit humi bos: nascetur ridiculus mus.* vel cum spondei multi adhibentur, ut: *media agmina circumspexit: Illi inter sese magna vi brachia tollunt.* Aut cum Dactyli & Spondei ita miscentur, ut rei naturam exprimant, ut cum de turri ruente ait: *Convellimus altis Sedibus impulimusque ea lapsa repente ruinam Cum sonitu trahit.* Talia infinita apud Virgilium habentur, quæ homo in iis non exercitatus contemnat, doctus vero &
- 41 prudens admiretur. * Ac sunt, qui magnam eorum farraginem notarunt, *Jacobus Pontanus Instit. Poetic. lib. 2. c. 8. seqq. Job. Jovianus Pontanus in Dialogo, qui inscribitur Actius. Jac. Ludovicus Strebæus in lib. de Electione verborum c. 9. & alibi. Laur. le Brun in Eloq. Poët. lib. 4. Jul. Cas. Scaliger in Hypercritico suo omnibus pene paginis; nonnunquam etiam Alex. Rossæus in Virgilio suo Triumphante. Nic. Erythreus in Preliminaribus Virgilianis, cujus labores ceteros, quos in Virgilium meditatus est, lucem non adspexisse dolendum est.* Promisit enim *Schema Patheticum Virgilianæ Poësis: Librum de alliteratione seu syllabarum allusione;* de quibus Sylburgius in præfatione editionis Virgilianæ.
- 42 Connexiones poetiæ etiam hic non sunt prætermittendæ, quæ Excerptis Formularum vel addi possunt, vel ab his seungi. Magnus earum connexionum usus est in prolixo carmine, ubi nihil magis interdum cruciat, quam membris membra connectere. Sunt autem Connexiones illæ vel membrorum majorum vel minorum: fiunt vel per particulas, vel per formulas. Occurrunt illæ in singulis periodis, cum cola colis junguntur.
- 43 Hæc ego scripseram, cum ex Actis eruditorum Lipsiensibus innouit de DEKENII *observationibus Poëticis* Antwerpæ Anno 1688. in lucem missis, (b) quas plane ad gustum meum esse ex ipsa argumentorum libri recensione observavi. Quare cum nusquam in officinis appareret liber ille frustra a me quæsitus, ad manus tandem meas pervenit, ultro illum mittente, qua est humanitate, viro mihi amicissimo & celeberrimo *Joachimo Fellerio.* Statim ut inspexi, gratissima fuit illa cogitationum nostrarum convenientia: videbam enim ab illo Autore plenius esse proposita nonnulla, quæ ego dudum & mente designaveram, & discipulis meis privata informatione tradideram, & nunc his chartis notavi. * Parte prima congeffit ea, quæ ad Amplificationem Poëticam pertinent, Distributiones, enumerationes, descriptiones, egressiones, comparationes, inductiones, Synonyma, Periphrasés, Invocationes, narrationes, Sermocinationes, Figuras, Fictiones, carminum artificia, ut Epithalamiorum, Genethliacorum &c. Sub quibus singulis
- 45 certa Inventionum lemmata ponit. * Hæc quanquam optime comparata sint omnia,

(b) Johannis Dekeni, Jesuitæ, *Observationes Poëticas, Exemplis illustratas*, Morhofius itidem, ad Exemplar Anni 1688. Antwerpense, triennio post, Anno scilicet Eternali 1691. Kilonii in 8vo, adjecta Præfatione sua, curavit recudi.

omnia, confusa tamen ornamenta rebus ipsis & τῶ ἐνδυμματικῶ & ad generalem amplificationis Poëticæ titulum relata displicet. Pars secunda proponit characteres Affectuum, satis quidem copiose, quæ tamen multis augeri modis possint: quod si enim solos Ovidii Tristium libros percurras, longe plures ex eo solo Tristitiæ characteres ego olim notavi, quam notavit Deckenius. Nullos quoque morum characteres observavi, qui omnino characteribus affectuum jungendi sunt. Parte tertia ea proponit, quæ delectabile reddunt poëma, acuminum fontes, in quibus ducem Mafeniūm habuit. Parte quarta Ornamenta poëtica complectitur, in his numerat figuras, quarum exempla adducit, sed insignes quasdam omisit, inter quas est *Sejugatio*, nemini, quod sciam, quam *Danieli Vechnero* in libello de Figuris notata. * Est vero illustris illa & maxime conspicua, ut in Ovidiano illo:

46

*Demophoon ventis & vela & verba dedisti:
Vela queror reditu, verba carere fide.*

Ita nos in quodam carmine:

*Fulmina sic agiles servant, sic flumina, motus:
Fluctibus hæc, flammis illa vibrata fuit.*

Illustria quoque ejus exempla e Ciceronis Orationibus notavit Vechnerus. Refert quoque ad ornamenta formulas & particulas poëticas ad certos titulos redactas; quæ utilissimus omnino labor est, tum & modos loquendi singulares & alia nonnulla. Hunc ego libellum omnibus, qui artis poëticæ studio ducuntur, præ ceteris omnibus commendo, & ut pluribus usui esse possit, recudi velim.

C A P. XI.

I D E A L E X I C I P O E T I C I
P R O T R A N S L A T I S.

Promissa cap. præced. f. 13.

A.

1. *Accendere.* Infandum *accendere* bellum, *Virgilius Æneid.* 12. *Idem lib.* 7. belloque animos *accendit* agrestes. *Id. lib.* 8. quos justus in hostem Fert dolor, & merita *accendit* Mezentius ira. *Id. lib.* 10. Nunc prece nunc dictis virtutem *accendit* amaris. Sol dicitur *accendere* diem, *Claud. de Consulatu Mallii.* Ante vetant, quam maturis *accenderit* annis Ignibus, *accenderit, i. e. accensus fuerit. Gratius Cyneget.*
2. *Acclinis.* *Claud. in Probin. Consulatus.* arbore fultus *acclines* humeros, vid. Barth. ibi in Commentar.
3. *Acclinatus.* *Statius 4. Sylvar. 4.* occidit horror Æquoris & terris maria *acclinata* quiescunt.
4. *Adorare.* *Sarbievius lib. 1. od. 3.* de ramis arborum dicit. Pangææ gaudent brachia frondium Longe tetendisse, & procul obvios Currus *adorare.*

5. *Adve-*

5. *Advena*. Claud. 6. Conf. Honor. Certis ubi legibus *advena* Nereus Æstuat: loquitur de maris fluxu & refluxu prope ostium fluvii.
6. *Ædificare corpora* de saltatoribus & funambulis. Claud. Conf. Mallii, qui sese jaculantur in auras. Corporaque ædificant celeri crescentia nexus.
7. *Æmulus*. Claud. 6. Conf. Honor. littora lunaribus *amula* damnis, i. e. ad motum lunæ fluxum & refluxum maris patientia. *Æmulus* orbis dicitur Luna ratione Solis. Claud. Conf. Probinii. Cum fratre retruso *Æmulus* adversis flagraverit ignibus orbis.
8. *Æs vetustum*, i. e. imagines majorum. Claud. Probin. Conf. licet *ære vetusto* Floreat.
9. *Afflare*, *afflari* de tenui halitu dicitur. Virgil. de homine defuncto: *afflatus* vicino sole refugit. Stat. l. 9. Theb. de fulmine: Fulminis haud citius radiis *afflata* cupressus Combibit infestas &c. Idem de odore: Ogygii si quando *afflavit* Iachi Dulcis odor. Claud. 1. de Raptu Proserp. *afflataque* curru sidera Tænario.
10. *Allabi* pro accedere. Virg. 6. Æneid. 2. Et tandem Euboicis Cumarum *allabitur* oris.
11. *Alterna* Tethys, i. e. fluens & refluxus. Claud. 3. Conf. Hon. Tethys *alterne* refluxus calcavit arenas.
12. *Ambitosus*. *Ambitosâ* colus, quæ intertexto auro fila trahit dicitur Claud. 4. Conf. Honor. Quæ tantum potuit digitis mollire rigorem *Ambitosâ* colus. Inc. nimis *ambitosâ* ruberi progenies, i. e. rosa.
13. *Amare*. Horat. l. od. 25. Janua limen *amat*.
14. *Amicare* pro connectere. Sarbiev. l. od. 4. Et super collo tyrias *amicet* Fibula lanas.
15. *Angustare* pro cingere. Stat. l. 4. Rabi- di cum colla minantia monstri angeret & tumidos animam *angustaret* in artus. Id. l. 12. At procul ingenti Neptunus Agmina Theseus *angustat* clypeo. Claud. 6. Conf. Honor. viridique *angustat* Jaspide pectus. Id. Conf. Probin. qua sine sub uno *angustant* aditum curvis anfractibus Alpes.
16. *Anhelus*. Silius Ital. turbinem *anhelum* vocat. Claud. R. Prof. Vorticibus Phlegeton perlustrat *anhelis*.
17. *Animosus* de velis dicitur. Sarb. l. od. 4. Et repentinis *animosa* trudunt Carbas ventis. Ita pilam, vel turbinem agitatam *animosum* dixeris.
18. *Anima* pro ipsis hominibus inprimis heroibus apud Poetas usurpantur. Ita *anima* mori dicuntur, vel interfici. vid. Barth. comm. in 1. Theb. v. 650.
19. *Animari*. Claud. Nupt. Honor. Mavortia signa rubescunt Floribus & subitis *animantur* frondibus hastæ.
20. *Arista* pro anno. Virgil. post aliquot mea regna videns mirabor *Aristas*. Claud. 4. Conf. Hon. nec dum decimas emensus *aristas* Aggrederis metuenda viris.
21. *Armare* pro munire, instruere, addere. Virgil. lib. 9. Æneid. Ungere tela manu ferrumque *armare* veneno. Id. lib. 10. Vulnera dirigere & calamos *armare* veneno. Claud. lib. 1. de Rapt. Prof. ceu turbine raucæ Cum gravis *armatur* Boreas. Ibid. Coge tuis *armata* dolis. Id. 3. Rapt. cui fundit ab antris Æolus *armatus* hyemes. Id. 6. Conf. Honor. Chaldæa mago seu carmina ritu *Armavere* Deos. Id. Conf. Probin. pulcherque severo *Armatur* terrore pudor. Venant. lib. 1. de vita Martini: *armant* flamina flammæ. Nos alicubi: lento Zephyros *armare* veneno.

22. *Affiduus.* *Affidui honores*, i. e. non interrupti altero alterum velut adfidente. *Claud. Conf. Mall.* Tam celer *affiduos* explevit cyrfos honores.
23. *Attonitus.* *Claud. in Conf. Mal. Attonitas* sermo qui duceret aures. *Senec. Herc. Fur.* Illum populi favor *attonitum* Flatusque magis mobile vulgus Aura tumidum volvit inani. *Attonitum ignem vocat Martialis*, quo Scævola urebat manum, *lib. 8. Epigr. 33. attonito* regnat in igne manus.
24. *Audax.* Remi *audaces*, *Claud. 3. Conf. Hon. audax* mamma de habitu Heroidum ad praelia euntium. *Claud. Conf. Probin. Audacem* retexit mammam.
25. *Audire* pro obsequi, de rebus inanimatis. *Virg. Georg. 1. non audit* currus habenas. *Ovid. Metamorph. V. de mille sagittis Unam* seposuit, sed qua nec acutior ulla, Nec minus incerta est, nec quæ magis *audiat* arcum. Hinc *furdos arcus Stat. vocat l. 10. qui non obsequuntur Claud. Conf. Mall. Desidis* aurigæ non *audit* verbera currus.
26. *Aura.* *Virgil. l. 6. Discolor* unde auri per ramos *aura* refulfit.
27. *Aureus* pro pulcher. *Horat. Od. 5. l. 1. Qui nunc te fruitur credulus aurca*, i. e. pulchra.
28. *Aurite* dicuntur arbores Orphei testudinem secutæ, *Horat. l. 1. od. 12.*
29. *Aurora* pro populis auroræ. *Claud. Stilic. 1. totam pater undique secum Moverat Auroram.*

B.

30. *Blandus* pro eo, quod non nocet. *Claud. Rapt. P. 1. blandique* leones Summisere iubar. *Id. 4. Conf. Hon. fulvanque impune* pererrans. *Ægida tractasti blandos* interriti

tus angues. *Ibid. irent blanda* sub vincula tigres. *Id. Conf. Probin. blando* testetur gaudia fluctu. *Sidonius: Lambebant teneros incendia blanda* capillos.

C.

31. *Calcere.* *Claud. 3. Conf. Hon. Tethyos* alternæ refluxas *calcauit* arenas. *Id. 6. Conf. Hon. heu terra* sinistris Auguriis *calcata* mihi. *Ibid. patulum prospectans Narnia campum Regali calcaitur* equo. *Idem. Conf. Mell. de excelso monte; & rauca tonitrua calcat.*
32. *Calcatus.* *Claud. 6. Conf. Hon. Meque* minabatur *calcato* obfidere vallo.
33. *Cataphracta* Poma vocat *Cowleus* nuces castaneas.
34. *Celare.* Sol *celare* diem & promere dicitur. *Horat. Alme Sol* curru nitido diem qui *promis & celas* aliusquæ & idem *Nalceris.*
35. *Corvix* pro forti & elato animo. *Claud. Nupt. Honor. petulans alta* *cervice* juvenca. *Id. in Rufin. 1. Cumque fide* pieras *alta* *cervice* vagantur. *De Tauro Stat. 2. Theb. cervixque* recepto Sanguine magna redit.
36. *Circumflexus*, i. e. in se rediens. *Claud. 6. Conf. Honor. Circumflexa* rapit centenus *secula* Consul.
37. *Circumfluus*, i. e. vehementer abundans. *Catullus: Et ille nunc superbus & circumfluens* Perambulabit omnium cubilia. *Claud. Conf. Probin. mens circumflua* luxu.
38. *Citius*, i. e. ante. *Hor. l. 13. Suprema* *citius* solvet amor die, i. e. ante diem supremam.
39. *Clemens.* *Claud. 3. Conf. Hon. Veneris* *clementes* pervolat auras. *Clementem* clivum

- clivum vocat, qui molliter elatus *Rapin. de Hort. lib. 3.* Ipse réclinato *clementis* ab aggere clivi Ordinibus longis lapsuros digere fontes.
40. *Cognatur.* *Stat. 1. Theb.* Unde graves iræ *cognata* in moenia Baccho. *Ibid.* nec enim velocius ulla Itque reditque vias *cognotaque* tartara mavult.
41. *Collum* rebus inanimatis applicatum. *Claud. 6. Conf. Honor.* Colla triumphati proculcat Honorius Istri.
42. *Colligere.* *Claud. 3. Conf. Honor.* gentesque remotas *Colligit* auroræ, i. e. peregrinatur in Oriente.
43. *Combibere.* *Stat.* Fulminis haud aliter radiis afflata cupressus *Combibit* ingestas & stirpe & verrice flammæ. *Claud. 6. Conf. Honor.* vestis radiato murice solem *Combibit*.
44. *Comere.* *Claud. 6. Conf. Hon.* vestesque & cingula *comit* sæpe manu. *Petr. Maur. Hymn. in B. Bened.* Sancta te *compsit* puerum senectus.
45. *Concolor* effosso auro dicitur Fossor Metallicus. *Stat.* Pallidus fossor redit erutoque *concolor* auro. *Sil. Ital.* effosso *concolor* auro.
46. *Confessus.* *Claud. 6. Conf. Hon.* vultusque palam *confessa* coruscos. *Claud. Conf. Mall.* Lene fluit Nilus, sed cunctis amnibus exstat Utilior, nullas *confessus* murmure vires.
47. *Consciens* de rebus inanimatis. *Claud. Conf. Probin.* *conscia* tunc sonuit rupes, scil. ad adventum Dææ. *Lucan. Lib. 1.* Et gens si qua jacet nascenti *conscia* Nilo.
48. *Consumere.* *Stat. 1. Theb.* Spes anxiam mentem extrahit & longo *consumit* gaudia voto. *Id. 2. Theb.* in absentem *consumit* prælia fratrem, i. e. animo medi-
- tatur pugnas nil profuturas. *Claud. Conf. Mall.* *Consumant* totos spectacula montes.
49. *Contemere.* *Claud. 4. Conf. Hon.* de Equo Castoris Cyllarò. *Serviretque* tuis *contempto* Castore frenis Cyllarus.
50. *Convenire.* *Claud. 6. Conf. Hon.* Tua te benefacta morantem *conveniunt*.
51. *Copia oris*, i. e. eloquentia. *Claud. Conf. Mall.* Et tantas *oris copia* vincit opes. *Copia narium Horat.* pro odoribus.
52. *Coquere* pro fovere. *Stat. 2. Theb.* truce[m] secreta *coquebat* Invidiam.
53. *Cor longævum* pro prudentia. *Claud. Conf. Probin.* Ignea longævo frenatur *corde* juvenus.
54. *Coronare* pro cingere. *Stat. 2. Theb.* clausaque nemus statione *coronant*. *Virg. lib. 9.* Objiciunt equites sese ad divortia nota. Hinc atque hinc, omnemque aditum custode *coronant*. *Sarbiev. l. 1. od. 3.* laurigeris tibi thyrsis *coronatus* Cytheron.
55. *Cornu* pro quavis copia interdum a Poëtis usurpari solet. *Stat. 2. Theb.* de somno dicit, illos *cornu* perfuderat omni, sed & *cornu* peculiariter somno adtributum, vid. Barth. ibi in Comm.
56. *Crinis* pro fiderum radiis. *Claud. 4. Conf. Hon.* Stella *crine* retuso languida.
57. *Crudus*, i. e. immaturus, recens. *Horat. lib. 3. od. 11.* Nuptiarum expers & adhuc protervo *Cruda* marito. *Stat. 2. Theb.* Et si *crudus* amor. *Claud. 3. Conf. Hon.* Et *cruda* teneras exercuit indole vires.
58. *Culpa* pro amissione virginittatis ap. *Stat. 2. Theb.* primæque modestia *culpa* Confundit vultus. *Virgil. de Didone.* Huic uni forsân poteram succumbere *culpa*.

59. *Cunctari* signa cœlestia dicuntur illi, qui magno tenentur desiderio. *Stat. 1. Theb.* Longum signis *cunctantibus* animum Stare gemit.
60. *Currere* de rubore sensim genas inficiente. *Virgil. 12. Æn. v. 65.* cui plurimus ignem Subjecit rubor, & calefacta per ora *cucurrit.* *Id. Æn. 5. v. 250.* Victori chlamydem auratam, quam plurima circum Purpura Mæandro duplici Melibœa *cucurrit.* *Ovid. Ep. 5. Heroid. v. 37.* gelidusque *cucurrit,* Ut mihi narrasti, dura per ossa tremor. *Stat. 1. Theb.* rē ambire per currere exponit: sed falsa *cucurrit* Insula per crines.

D.

61. *Dammum* pro decremento *Lunæ,* *Claud. 6. Conf. Honor.* nudataque littora flutu Deserit Oceani lunaribus æmula *dammis.* *Hor. IV. od. 7.* *Damma* tamen celeres reparant cœlestia lunæ.
62. *Dammari* dicitur Luna eclipsin patiens. *Claud. de Conf. Mall.* quæ linea Phœben *Damnet* & excluso pallentem fratre relinquat.
63. *Decentior* aër, i. e. magis serenus. *Claud. 6. Conf. Honor.* Ipse favens votis solitoque *decentior* aër.
64. *Decrescere* dicitur locus ex visu recedens in itinere. Totaque *decrescit* refugo Trinacria visu.
65. *Dedocere* & *dediscere.* *Hor. l. 2. od. 2.* numero beatorum Eximit virtus populumque falsis *Dedocet* uti Vocibus. vid. *Docere.* *Stat. 2. Theb.* moneo regnorum gaudia temet *Dedoceras.* *Lucan. lib. 1.* longoque togæ tranquillior usu *Dedidicit* jam pace ducem. *Sulpit. Lupercus:* Favæque *dediscet* prælia torvus aper. *Claud.*

prefat. de R. P. Cordaque languentem *dedidicere* metum.

66. *Dedignatus,* vid. *Indignatus.*
67. *Deprensus,* *deprendi,* Voces usitatæ Poëtis in re nautica. *Lucret. lib. 6.* Et quæcunque in eo tum sunt *deprensa* tumultu Navigia. *Virgil. Æn. IV. Deprensus* olim statio fidelissima nautis & *lib. 5.* Argolicoque mari *deprensus.* *Catull. minuta* magno *Deprensa* navis in mari vesaniente vento. *Stat. 1. Theb.* Ac velut hyberno *deprensus* navita ponto.
68. *Deprendere,* est rem obscuram detegere *Claud. 3. Conf. Hon.* arcanos Nili *deprendite* fontes.
69. *Descendere* pro decrescere. *Stat. 1. Theb.* de Bobus: Ardua nodosos cervix *descendit* in armos. Ita nos in *Amorib.* Cimbr. de Oloribus: Ardua queis patulas cervix *descendit* in alas.
70. *Desidere* dicuntur campi, cum avis evolat. Ita de Ganymede ab aquila rapto *Stat. 1. Theb.* Gargara *desidunt* surgenti & Troja recedit.
71. *Despumare.* *Claud. Conf. Probin.* quantas per Lydia culta *despumat* rutilas dives Pætolus arenas.
72. *Detergere,* i. e. purificare *Claud. Conf. Mall.* de Justitia: tu prima hominem sylvestribus antris Elicis, & fœdo *detergis* secula victu.
73. *Deterfus.* *Claud. 6. Conf. Hon.* Principis & Solis radiis *deterfa* removit Nubila.
74. *Devexior dies,* i. e. occasus, *Cl. de Conf. Mall.* quodcunque rubescit Occasu, quodcunque dies *devexior* ambit.
75. *Dies* varie usurpatur *Statio,* quæ tamen omnia imitanda non fuaserim. Ita *1. Theb.* est Sacra *dies* animi; pro

conscientia: *projicere diem*, i. e. oculos erucere: longumque in secula digne Promeriture *diem*, i. e. ævum, & lib. 1. *Sylv.* stabit dum terra polusque, dum Romana *dies*. *Id. lib. 1. Theb.* effusa sub omni Terra atque unda *die*, i. e. sub ortu, meridie & occasu. *Id. 2. Theb.* squalentem *diem* dicit pro tempestate pestifera. *In Eloqu. Pœt. Brim. part. 1. p. 204.* de flore protuberante: referato captat amicum Ore *diem*.

76. *Diffundere* pro hilarem facere. *Ovid. lib. 4. Met.* generosi munere Bacchi *Diffundere* animos. *Stat. 2. Th. diffuderat* Argos Expectata dies. *Stat. 1. 4. Sylv.* sacro *diffusus* nectare vultus Dux Superum.

77. *Discriminare.* *Claud. Conf. Probin.* nodus, qui sublevat censem Album puniceo pectus *discriminat* ostro.

78. *Discere.* *Virg. Discit* mentiri lana colores. Ap. Græcos *discere* pro solere ponitur, ut in illo Empedoclis versu *Ἀἴσα δὲ θυγάτηρ Πόοντο τὰ πρὶν μάθου ἀδανείτ' ἐναί.* Hic τὸ μάθου positum pro *ἐπίδειξαι*. Et statim facta sunt mortalia, quæ didicerant esse (i. e. erant, vel solebant esse) immortalia. vid. *Caſaubon. in Athen. lib. 10. c. 6. p. 452. n. 30.*

79. *Ditare* de sturio dictum *Claud. de Conf. Mall.* Maria quæ famulus *ditavit* Hydaspes. *Id. 3. Conf. Honor.* quas *ditat* Oronres.

80. *Ditescere.* *Claud. Conf. Mall.* de arena gladiatoria: largo *ditescat* arena sanguine.

81. *Docere* pro permittere, *Claud. 3. de Raptu:* Insolitisque *docet* galeam miscere tertis. Ita & vox *jubet* usurpatur. *Id. 3. Conf. Honor.* submissus adorat Eridanus blandosque *jubet* miscere flatus.

82. *Doctus* Epitheton omnibus rebus Muficis applicatur. *Claud. Conf. Mall. docti* riferunt floribus amnes, i. e. Mularum. Ita *docti* montes, laurus &c. *Claud. Conf. Probin.* & pollice *docto* jam parat auratas trabeas.

83. *Dolofus.* Ignes suppositi cineri *doloso*, *Hor. lib. 11. c. od. 1.*

84. *Domare.* *Stat. 2. Theb.* de Thracibus ait: lacte novo *domuisse* cruorem. In eundem sensum indomitum vinum dicitur. *Lucan. lib. 10. indomitum* Meroë cogens spumare Falernum. *Id. ibid.* Fortunam virtute *domas*. *Id. Sylv. lib. 2. cap. 4.* qui pectore magno spemque metumque *domas*, *Id. 1. Theb. perdomitam* saxo Cere rem voeat panem. *Claud. Conf. Probin.* Virtutibus ille Fortunam *domuit*.

85. *Dubitandum* lumen pro caliginoso. *Rutilius:* Sic *dubitanda* solet gracili vaneſcere cornu Defeffisque oculis Luna reperta latet. *Claud. 4. Conf. Hon.* Vifa etiam Stella die *dubitanda* nihil nec crine reculo Languida. *Dubii* flatus vel venti, *Claud.* Incertam Lunam vocat *Virgil. Æn. 6.* Lucem malignam *ibid.*

86. *Ducere* vox de Fatis proprie usurpari videtur. Ita Jupiter ap. *Stat. 1. Theb.* certo reliqua ordine *ducam*. *Ibid.* ævo *ducente*, i. e. implente oracula.

87. *Dulcis.* Genæ *dulces* *Claud. Conf. Probin.* dicuntur pulchræ, juveniles *Hor.* *Dulce* ridentem Lalagen amabo. *Dulce* canentem. Epitheton *dulcis* non Elegiacis tantum pœtis, sed omnibus commune, de quo *Balzac. Entretien. 36. p. 352. & 353.*

E.

88. *Ebrius annis* de fonte artificiali vini *Claud. Conf. Probin.* jam profluat *ebrius annis*

- annis Mutatis in vina vadis. *Ebria vestigia* dicuntur hominum ebriorum *Claud.*
Ebria Mæonio fulcit vestigia thyrso.
89. *Ebur* pro lyra *Claud.* Pollice festino nobile duxit *ebur*. Pro ædilitio honore *Hor. I. Ep. 6. v. 53.* eripietque curule, Cui volet, importunus *ebur*, Buchn. p. 77.
90. *Edomitus*. Tua per *edomitos* ut Salamandra focos. *Saut. Ann. Sacr. Poët. part. 2. p. 33.*
91. *Effeminare*, pro deterius, mollius aliquid reddere. *Claud. I. in Eutrop.* de Eunuchò Eutropò: trabeata per urbes Offentatur anus titulumque *effeminat* anni.
92. *Emeritus* Phæbus pro occidente. *Stat. 1. Theb. Emeriti* confinia Phæbi, i. e. plaga occidentalis. *Biderman. Epigr. III, 79.* de foco perpetuo lucente: & nusquam *emerito* ligna parata foco. *Ego in Epigr. in Conjug. Vetula & juvenis.* Illam fulcire *emeriti* pedes reculant.
93. *Equitare* de Ventis. *Hor. I. 4. Od. 4.* Per Siculas *equitavit* undas. Vid. Voff. *Inst. Orat. lib. 4. p. 107.* audax illa translatio, cui extra lyricum carmen ego locum dare nolim.
94. *Errare* de auroræ radiis *Claud. de R. P. u.* *Errantes* ludunt per cærula flammæ.
95. *Evinctus* *Virg. Eclog. 7.* Puniceo stabis furas *evinctæ* corhurno. *Id. lib. 5. Æn.* Puniceis ibant *evincti* tempora tenuis. *Ibid.* Consequitur viridi Mnestheus *evinctus* oliva. *Id.* Ipse caput tonsæ ramis *evinctus* olivæ. *Stat. Theb. 1.* famulumque *evinctæ* pudica Fronde manus, *Claud. Stil. 1.* roseisque *evinctæ* coronis Certantes Asiæ tædas Europa levaret. Unde patet, familiare id Poëtis verbum ea in re esse.
96. *Exarmare*. *Boët. 1. Conf. c. 4.* *Exarmaveris* impotentis iram.
97. *Exasperare*, i. e. opus cælatum facere. *Cl. 3. Conf. Hon.* Brontes innumeris *exasperat* ægida signis.
98. *Exclamare* pro sonitum edere. *Juven. Sat. 6. v. 421.* Dominae femur *exclamare* coëgit. Sed hæc audax & Satyrica est metaphora.
99. *Excusare* eleganter a Poëtis adhibetur. Ita de Nilo *Claud.* quod *excuset* rarios fecundis fluctibus imbres *Stat. 2. Theb.* Virgineas libare comas primosque solebant *Excusare* toros, dicit de puellis recens nuptis, quæ Palladi comas libare solebant.
100. *Exertus*: epitheton eorum, qui ad pugnas parati sunt. *Virgil. lib. 11.* medias inter cædes exultat Amazon Unum *exerta* latus pugnae. *Valer. Flacc. lib. 2.* Et Dolus & Rabies & Lethi major imago Visa truces *exerta* manus. *Stat. 1. Theb.* de pugna Polynicis & Tydei: tum vero erectus uterque *Exertare* humeros. *Claud. Conf. Prob.* niveos *exerta* lacertos. *Prudentius*: nuda humeros, intonsa comas, *exerta* lacertos. *Sidonius*: sederat *exerto* bellatrix pectore Roma. *Idem*: & *exertam* tetigerunt cornua mammam.
101. *Exspuere*. *Senec. Troad. v. 1068.* ubi hanc anilis *exspuam* lethi moram? reprehenditur hæc translatio a Buchn. de commut. dicendi Ratione pag. 42.

F.

102. *Faber, Fabricator*. *Lucret.* Nam dolor & morbus lethi *fabricator* uterque est. Magis apposite Virgilius. quam *Lucret. doni fabricator* Epeus. II. *Æn.*
103. *Famulus*: epitheton pro subjectus. *Claud.*

- Claud. 3. Conf. Honor. famulis* Gangen pallefcere ribis. *Id. 4. Conf. Hon.* Ipse tibi *famulas* præberet Pegafus alas. *Id. de Conf. Mall. & condita Pellæ Mœnia,* quæ *famulas* quondam ditavit Hydaspes. *Conf. Probin. Id.* Sic nobis Scythicus *famuletur* Araxes. *Id. Stil. 1.* Cum procerum juffis *famulantia* cernimus arma.
104. *Fatigare. Stat. 2. Theb.* Superos in vota *fatigant.* *Valer. Flacc.* mæftaque *fatigat* Voce Jovem.
105. *Favere* de agro aptiore. *Claud. Conf. Mall.* quæ gleba *favet* Frugibus.
106. *Fax. Stat. 1. Ach. fax* vibrata medullis In vultus atque ora redit.
107. *Felix. Claua. Conf. Mall.* Quis *felix* oleæ tractus, i. e. magis aptus ad olæarum proventum, *felicia* poma, i. e. mala aurea *Cowleus: felices* auræ, pro fuavibus odoribus.
108. *Ferire,* de rebus variis. *Claud. Conf. Probin.* immensaque cornus in hastam Porrigitur, tremulisque *ferit* splendoribus Hebrum. vid. ictus, impulsus. *Id. Stilic. 1.* Cum semine jacto Terrigenæ galea matrem nascente *ferirent:* loquitur de fratribus Cadmaïs e terra prodeuntibus.
109. *Ferreus* pro torvo & rigido, applicatur rebus infernalibus quoque, ut Rex *ferruginus. Stat. 1. Theb.* de Furia, sedet intus abactis *Ferrea* lux oculis: & de Cerbero 2. *Theb. Ferrea* tergemino domuiffet lumina fomno.
110. *Ferruginus* epitheton rerum infernalium. Ita *Virgil.* Cymbam Charontis *ferruginam* vocat. Ita *ferruginam* frontem Strigi adferibit *Stat. 1. Theb.* De infernali nemore. 2. *Theb. Stat.* Et *ferrugineum* nemus adflupet. *Claudian.* de
- Ditis vestimento: Tunc *ferrugineo* lacrymas deterfit amictu. Nox etiam & omne nocti concolor eo epitheto effertur. *Virg.* de Eclipsi Solis: cum caput obscura nitidum *ferrugine* textit. *Ferrugineum* colorem Nonius *cæruleum* exponit. *Et Stat.* Pythonem *cæruleum* monstrum vocat. 1. *Theb. Auson. Epist. 24.* Livor ubi ille tuus *ferrugineumque* venenum.
111. *Fessus.* *Fessa* viscera vocat *Claudian.* quæ jam amplius ad partum idonea non sunt, *de Rapt. Prof. 1. 1. Fessaque.* post primos hæferunt viscera parrus.
112. *Fidus* de eo, quod non hedit. Ita *Claud. Conf. Mall.* de igne joculari. *Fida* per innocuas errant incendia turres.
113. *Fidem servare* nivibus Ætna dicitur ap. *Claud. R. P. 1.* quod non ab ignibus ejus liquefieret: quare fumum *fidelem* vocat eodem respectu: fumoque *fideli* lambit contiguas innoxia flamma pruinas. *Fideles venti* dicuntur, quod suspiria deferant ad amicas. *Fidelis ager* etiam in prosa Ciceroni agnoscitur, lib. 16. ad fam. epist. 17.
114. *Flagellare* de crinibus humeros motu pullantibus, de ramorum collisione.
115. *Flagrare.* *Flagrantes arena* dicuntur, quibus auri ramenta immiscentur. Cl. 4. *Conf. Hon.* Quis divitis algæ Germina *flagrantes* inter quæfivit arenas?
116. *Florere* de lumine & de gemmis, quemadmodum de *floribus* ardere & incendi dicitur. *Stat. 1. Theb.* de atrii cæli: radiant majore sereno. Culmina & arcano *florentes* lumine postes. *Id. lib. 2.* arcano *florentes* igne smaragdi. *Lucret. Lib. IV.*

- Lib. IV.* Bina lucernarum florentia lumina flammis. *Stat. 1. Theb.* de genis pubescentibus: Æternum *flovere* genas. De exercitu *Claud. 3. Conf. Honor. Floret* cristatis exercitus undique turmis. Alii legunt, *fervet*, quod mihi non adeo probatur. *Claud. Conf. Probin.* Licet ære vetusto *floreat*, i. e. imaginibus majorum. *Id. 1. Stilic.* & viridi *floretet* milite sulcus: loquitur de fratribus Cadmaeis. *Id. de Baccho.* crinali *florens* hedera: ita nos de infulato, *floret* purpurea caput tiara.
117. *Flos* de prima lanugine. *Virgil. lib. 7. Æn.* Tum mihi prima genas vestibat *flore* juvena. Ita Græci ἀπὸ τῆς ἀνδρῶν barbam nominant ἀνδροειδῶνα. Sic a Platone dicti ἀνδρῶνες ἐν Ἰεῶν, qui incipiunt pubertatem. Ita *Nonnus lib. 25. εὐχρον ἄσπης spicam* juventutis dixit. *Pacuv.* Nunc primum opacat *flore* lanugo genas. ubi *Flora* alii legunt. vide *Scal. in Fesl.* Sic *Claud. 6. Conf. Honor.* Conspicuas cum *flore* genas. *Ibid.* generum *florente* juvena. *Id. Conf. Probin.* Ante genas dulces quam *flor* juvenilis inumbret. *Id. 2. Stilic.* purpureo primæ signatus *flore* juvenæ. *Lucan. lib. 6.* Illa genæ *florem* primævo corpore vultit. *Calpurnius Ecl. 2.* quoties mollissima tango Ora manu, primique sequor vestigia *floris*, i. e. lanuginis. *Sammonicus Serenus:* & gaudet raptō nudari *flore* pilorum.
- Flores* dicuntur absolute ornamenta dicendi *Claud. Conf. Mall.* Grajorum obscuras Romanis *floribus* artes irradias. *Panegyrico in Severam.* Carmina dicit *flores*, quos neque frigoribus Boreas, nec Sirius urit Æstibus, æterno sed veris honore rubentes. *Sidera* dicuntur *flores*,
- & flores sidera apud Poëtas. Ita *Manil.* Tunc conferta licet cæli fulgentia templa Cernere feminibus densis totisque micare *Floribus.* Vid. *Buchner. de Comm. dic. ratione pag. 25.* & *Menag. Observ. in Malherb. poemata p. 546.*
118. *Fœdare.* *Claud. 6. Conf. Hon.* Quamvis assiduo noctem *fœdaverat* imbre.
119. *Fœdus* absolute pro nuptiis. *Stat. 2. Theb.* nec plura tuus despexerat *Oencus Fœdera.*
120. *Formidatum.* *formidatum* clypei lumen. *Claud. Conf. Probin.* Et *formidato* clypeus Titana laceffit Lumine.
121. *Frangere* vel *frangi*, pro curvari. Ita *Stat. 2. Theb.* Interiore sinu *frangentia* littora curvat Tænaros.
122. *Fragiles* aquæ, i. e. glacies. *Ovid. lib. 3. Trist. fragiles* effodiuntur aquæ.
123. *Frenari*, *Venti frenantur* & undæ Cl.
124. *Frui.* *Frui* pœna, *suppliciiis* dicitur, quem delectant cruciatu fontium Cl. *Conf. Mallii:* qui *fruitur* pœna, ferus est. *Id. lib. 1. Rufin.* Crûdelibus ante *Suppliciiis fruitur.* Ita *Martial. lib. 8. Epigr. 30.* Mutium Scævola suapte pœna frui dicit, cum urit manum suam: adspicis ut teneat flammæ pœnaque *fruitur* Fortis.
125. *Fulgur* de re quavis splendida. *Claud. 3. Conf. Honor.* galææ nec triste timentem *Fulgur.* *Idem 3. de Rapt.* Cristæ placato *fulgure* vernant, quibus scilicet flores inferti. Ita *Balde* vocat eleganter ahenæ *fulgura* barbæ.
126. *Fulmen* dentibus aprinis tribuitur. *Ovid. Fulmen* ab ore venit. *Stat. 2. Theb.* Erectus setis adunca *fulmine* malæ.

127. *Fulmineus* *Claud. 6. Conf. Hon.* Barbara fulmineo secuit tentoria cursu. *Id. Conf. Mall.* Obvia fulminei properent ad vulnera pardi; i. e. veloces. *Id. Conf. Probin. fulmineis* impellens viribus hostem. *Id. Stil. 1. fulmineum* perstrinxit iter.
128. *Fultus* pro comitatus *Claud. 4. Conf. Hon.* duplici fultus consorte redibat. Pro confusus, *Claud. 6. Conf. Hon.* folio fultus genitoris eburno. Eodem modo vox *subnixus* usurpatur. *Claud. l. i. de Rapt. Prof.* Ipse rudi fultus folio.
129. *Furari.* *Virg. Æn. 5.* Pone caput, fessosque oculos *furare* labori. Nos in carmine aliquo: Qui sciat obliquis *furari* vela procellis.
130. *Furere* de astris pestilentibus. *Cowleus:* non aeris agri Circumfusa lues cælumque *furentiaque* astra, de immoderato affectu, lætitia &c. *Horat. II, od. 7.* Dulce mihi *furere* est amico.
131. *Furie* de fluctibus dicuntur, *Claud. 3. Consul. Hon.* transnare sonoras *Torrentum furias.* *Stat. l. 4. Sylv. 6. v. 84.* honestas *furias* vocat fidem Saguntinorum in Romanos, qui maluerunt se ac sua perdere, quam desciscere a fociis. Versa in rabiem fide *Florus* ait *l. 2. c. 6.* qui huic pro interpretatione est.
132. *Furtivus* pro occultus. *Rapin. l. 3. de Hort. furtivo* lubrica lapsu Unda.
133. *Fusus humo*, i. e. porrectus, jacens. *Stat. 1. Theb. Idem: effusa* sub omni Terra atque unda die, i. e. orbis totus ab oriente in occidentem extensus.

G.

134. *Gavifus.* *Claud. Conf. Probin. Dominum gavifa* coronat Terra suum.
135. *Gemere*, pro sono aliquo ingrato, ge-

mitui simili *Claud. 3. Conf. Hon.* Ignifluisque *gemit* Lipare fumosa cavernis. Quicquid *gemit* unda Ionia, terram intelligit, *Claud. Conf. Mall.*

136. *Gemitum maris* dixit *Florus* de navibus, reprehensus a Buchn. de comm. dicat. p. 28. Frigidus enim *Florus* in metaphoris est, vide eundem Buchner. *ibid. p. 197.* Videatur *Gravii præfatio* in *Florum* a se editum.
137. *Glaucus* inter epitheta Deorum marinorum, & fluvialium. *Claud. Conf. Prob. de Tiberino:* Illi *glauca* nitent hirsuto vultu.
138. *Glisco,* Sanie *gliscit* cutis. *Stat. 1. Theb.*
139. *Glomerare* de rebus in orbem actis vel condensatis. *Virgil. de apibus:* magnum *mistæ glomerantur* in orbem. *Idem:* Quam multæ *glomerantur* aves, *Silius Ital. lib. 3.* nives vocat adverso *glomeratas* turbine. *Lucan. lib. 6. glomerataque* pubes. In sua conversis præceps ruit agmina frenis. De *Ætna* *Claud. Rapt. P. I.* quæ tanta cavernas *Vis glomeret?*
140. *Gravatus nube* dicitur dies nebulosus. *Claud. R. P. 1. de Ætna.* piceaque *gravatum* Fœda nube diem.

H.

141. *Habene* pro regimine. *Virg. Æn. 6.* clafisque immisit *habenæ.* *Claud. Conf. Prob. Sol,* qui flammiferis mundum complexus *habenæ.*
142. *Haurire* de velocissimo itinere usurpatur. Ut enim alias *carpere viam* est modicis ire passibus; ita *haurire* est magno impetu magnam viæ partem implere: quemadmodum urnæ magnam aquæ vim uno tractu solent capere. *Stat. de Polynice 1. Theb.* Incertusque viæ per nigra

nigra silentia vastum *Haurit* iter. Re-
ctius hoc de nave vel homine natante di-
ceretur. *Virg. Georg. 4.* medium Sol
igneus orbem *Hauferat*. *Haurire* pro
occupare. *Virg. Georg. 3.* Exultantiaque
haurit Corda pavor pullans. *Lucret. lib. 5.*
haurire latus pro penetrare: Ac latera &
ventres *hauribant* subter equorum. *Virg.*
lib. 10. Æn. Per tunicam squalentem au-
ro latus *haurit* apertum. *Lucret. lib. 6.*
de vi venti: Arbuſta avolvens radicibus
haurit ab imis. *Lucan. lib. 10.* de amore
dicit: Quis tibi velani veniam non donet
amoris Antoni, durum cum Cæſaris *hau-*
ſerit ignis Pectus. *Stat. 2. Theb.* de Equo
Neptuni: prior *haurit* arenas Ungula,
poſtremi ſolvuntur in æquora piſces. *Id.*
Ibid. ſingultibus arctum *Exhaurit* rhor-
ca dolor. *Claud. 4. Conf. Hon.* terram-
que & ſtagna propinqui *Haurirent* radii.
& *Conf. Mall.* nitidis quisquis te (Ju-
ſtitiam) ſenſibus *haurit*. Apud *Cicero-*
nem eſt: mandata exhaurire, i. e. perficere
tota.

143. *Honestus* perpetuum Poëtarum epithe-
ton. *Virgil. de Baccho.* Circum caput
egit *honestum*. Eodem modo *Horat. II.*
Carm. 1. Audire magnos jam videor duces,
Non indecoro pulvere ſordidos. *Stat. 2.*
Theb. runc ora rigantur *honestis* Imbribus,
id eſt, Lacrymis virginem decentibus.
Honestæ furie quæ dicantur *Statio*, vid.
Tit. Furie.

144. *Honor* dicitur omne id, quod pretium
rei conciliat, vel eam ornat. *Ita ſylva-*
rum honores Virgilio dicuntur folia. Apud
Stat. Calydonis honos de apro dicitur, *Stat.*
l. 10. hi fertis, hi veris *honore* ſoluto Ac-
cumulant artus. *Claud. 6. Conf. Hon. de*
Eridano: Non illi madidum vulgaris
arundine crinem *Velat, honor.* *Id. Ibid.*

Tomus I.

lata ſub imagine pugnae Armorum inno-
cuos paci largitur *honores*: deſcribit hic
choreas armatas, quas vocat armorum in-
nocuos honores. *Id. Paneg. Serena*:
Floribus æterno quos veris *honore* ruben-
tes Fons Aganippæa Permeſſidos educat
unda.

145. *Horrere* de pilis erectis dicitur. *Sta-*
tius 2. Theb. de Tigride: *Horrui* in ma-
culas, id eſt, maculoſos pilos.

146. *Hospes* novæ auræ, de eo, qui altius
evolat, dicitur *Sarbievio lib. 1. od. 3.* Ibis
ſub pedibus pigras Urbes relicturusque
gentes Attonitæ novus *hospes auræ.* *Claud.*
4. Conf. Honor. de nova ſtella: alieni tem-
poris *hospes* Ignis *Hospes* honor, i. e. pere-
grinus. *Claud. 6. Conf. Honor.* quem
non aliena per arva imbuit *hospes ho-*
nor.

147. *Hyemis* pro tempeſtate. *Stat. l. 5. fer-*
ream hyemem dicit telorum tempeſtatem.
Instamus jactu telorum, *ferrea* nimbis
certat *hyemis*.

I.

148. *Jaſtantior*, i. e. majori magnificentia.
Stat. Et ſeptem gemino *jaſtantior* æthe-
ra pulſet Roma jugo. *Claud. 4. Conf.*
Honor. & nota fruitur *jaſtantior* aula.

149. *Ictus*. *Stat. th. 1.* vario ſtrepit *icta* tu-
multu Regia.

150. *Jejunia* pro inopia. *Lucan. l. 4. v. 332.*
Undæ *jejunia* dixit, pro aquæ inopia & ſiti,
reprehenſus a Buchn. de Comm. dic. rat.
P. 190.

151. *Ignescunt* ſpumis equorum frena. *Claud.*
2. Ruſ. ſpumis igneſcere frena. *Stat. lib. 6.*
ſpumisque & languine ferrum *Uritur.*
Claud.

M m m m

- Claud. 4. Conf. Hon. Ignescunt patulae nares: de equo dicitur.*
152. De *igne* omnia dicunt veteres Poëtae, quæ vivo animali conveniunt. Dicitur mori, vivere, nasci; extinguere, bibere, edere, trepidare, nictare, vorare, dormire, sopire, excitari, lambere, ali, pasci, nutriri &c. Vid. exempla congerentem Barth. comm. in 1. Theb. p. 174. *Ignis* dicitur fulgor gemmarum. *Stat. 2. Theb.* arcano florentes igne smaragdos. *Claud. 4. Conf. Honor.* fulgor Iberus Temperat arcanis Hyacinthi cærulea flammis. *Id. ibid.* quis miscuit ignes Sidonii rûbrique maris. *Id. 2. de laud. Stilic.* Et vario lapidum distinctas igne coronas. *Id. 6. Conf. Hon.* acies stupet igne metalli. Pro amore *Idem, laud. Stilic. 1. ignesque* mariti Vincit cura Patris.
153. *Illabi* usitatissima Poëtis vox: eleganter dicitur de influxu siderum & de Diis. *Claud. 3. de Rapt. de Iride.* Illa colorato Zephyris illapsa volatu.
154. *Illaudatus.* Busris *illaudatus* Virgilio dicitur. Inepre hoc in Virgilio reprehendit stultissimus Censor Verdierius in Censura antiquorum Autorum p. 50.
155. *Imago jocosa*, i. e. Echo. *Horat. I. od. 12.* cujus recinet *jocosa* Nomen *imago*? *Id. od. 20. lib. 1.* ut paterni Fluminis ripæ, simul & *jocosa* Redderet laudes tibi Vaticanani Montis *imago*. Male reprehenditur a Scaligero hic Horatius.
156. *Imbellis*, est, bello contrarius. Ita *imbellis oliva* *Valer. Flacco* dicitur, *Horatio imbellis citbara*, quæ pacis laudes canit. *Imbelles epulae ap. Claud. 3. Consul. Honor. dicuntur*, quibus catulus leonis nondum prædæ aptus vescitur. Jam negat *imbel-*
- les epulas & rupe relicta* Gæculo comes ire patri.
157. *Imber* vox ad multa transfertur. *Virg. Æn. 12.* Tempestas telorum ac ferreus ingruit *imber*: ad *Ennii* imitationem *lib. 8. Annal.* Hastati spargunt hastas, sit *ferreus imber.* *Nonn. lib. 22. ἐμῆδος δὲζῶν imber sagittarum, Stat.* Ducat nubila Juppiter per orbem, Et latis pluvias minetur agris, Dum nostri Jovis hi ferantur imbres. *Idem 1. Theb.* vocat putres sanguineo imbre *genas*, quæ sanguine ex vulneribus stillante maculatae erant. *Claud. Conf. Probin.* Sed largior *imbre* Sæverat innumeras hominum ditare catervas. *Id.* denso currentia munera nimbo.
158. *Immori velis* ventus eleganter dicitur, quando definit tempestas. *Stat. 1. Theb.* ventis ut decertata residunt Æquiora, laxatisque diu tamen aura superstes *Immoritur velis.*
159. *Impellere, impulsus.* *Stat. Achill. 1.* fax vibrata medullis In vultus atque ora redit lucemque genarum Tingit, & *impulsam* tenui sudore pererrat. *Id. 2. Theb.* Ipse etiam gaudens nemorosa per avia sanas *Impulerat* matres Baccho meliore Cytharon. Vid. *ferire, ictus.* *Claud. Conf. Prob.* Collesque canoris Plausibus *impulsi* septena voce resultant. *Id. de Rapt. Prof. II.* *Impulit* Ionios præmissis lumine fluctus Nondum pura dies.
160. *Implere patrias galeas*, i. e. pace, robore & ætate accrescente. *Claud. 4. Conf. Hon.* Jam patrias implet galeas, jam cornus avita Tentatur. *Stat. lib. 8.* de filio Regis Parth. Sumere tunc arcus ipsumque onerare videtur Patriis equum, visusque sibi nec sceptræ capaci Sustainere manu, nec adhuc implere

- implere* tiaram. *Idem* lib. 9. silvestria cuius Nondum tela procaz arcumque *implere* valebas.
161. *Improbus* pro immodicus, ut *improbus* labor, apud *Virgil. Valer. Flaccus* lib. 6. *improba* barbaricæ procurrunt tegmina plantæ, i. e. calcei modum pedis excedentes, non purpurei, ut quidam volunt: nam ap. *Senecam improbi* coloris lacernæ, non purpureæ tantum intelligendæ sunt; sed quæ purpura præstantiore & colore magis saturo tinctæ sunt. *Idem improba arva* alibi vocat invidendæ fertilitatis. Plura de ea voce vide ap. Gronov. de Sestert. lib. 4. c. 8. p. 688. & 689. *Martial. l. 3. Improbâ* nec profunt jam satreja tibi.
162. *Inane*, i. e. inanimatum. *Stat. 1. Theb. Inane vulgus*, h. e. Manes, vid. Vacuus.
163. *Incendere* & *incendi* variis rebus attribuitur a Poëtis. Prata dicuntur *incendi* coloribus de contagio pestifero. *Stat. 1. Thebaid.* superjecto nebularum *incendit* amictu, ad exprimendam celeritatem contagii.
164. *Incertus*. Quale per *incertam lunam* sub luce maligna Est iter in sylvis, *Virg. Æn. 6. dubiam* alii dicunt.
165. *Incestare* Poëtis usurpatur pro pollutione quacunquæ. Ita *Virgil. lib. 6.* totamque *incestat* funere classem. *Stat. 5. Sylv.* quas *incestavimus* aras, *Id. 2. Theb.* Illas ut summo vidit Pater almus olympo *Incestare* diem trepidumque Hyperionis orbem Suffundi maculis. *Claud. Conf. Mall.* non Latios *incestant* nomina factos.
166. *Inclementia*. *Claud. Rapt. Prof. 1. de Plutone*: Diræ riget *inclementia* formæ.
167. *Indigena*. *Claud. Rapt. P. 1. de Ætna*: nunc vomit *indigenas* nimbos, i. e. ex se ortos.
168. *Indignari*, i. e. recusare, detrectare. *Claud. 4. Conf. Honor.* de Pegaso: melioraque poñdere passus Bellerophontæas *indignaretur* habenas. *Id. Conf. Probin.* Plauastro jam rara intermicat Arctos *Indignata* regi, scil. a Luna lucente. *Id. 1. Rapt. P.* hinc *dedignata* teneri Concuñt objectum rabies Tyrrhena Pelorum *Stat. 9. Theb.* cuius cum mollia signa Militiamque trucem sexum *indignata* frequento. *Id. lib. 8.* accipit ille preces, *indignatusque* moveri. *Id. lib. 10.* quorum post funera mæsti Vitam *indignantur*. *ibid.* insignemque animam mucrone coruscò *Dedignantem* artus pridem &c.
- Indignatus*, *Virg. 8. Æn.* Pontem *indignatus* Araxes. Ita *unda indignata* terris dicitur, *Stat. 1. Theb. indignata* sequi torquentem cornua Mithram. *Id. 2. Theb.* non *indignati* miserum dixisse parentem Oedipodem. *Indignans* pro invito. *Claud. 4. Conf. Honor.* patrio mentem furatus Olympo Continuit claustris, *indignantemque* revinxit. *Id. 6. Conf. Honor.* atque indignantes in jurâ redegerat Arctos.
169. *Induere* pro aliam formam acquirere, vel etiam alios mores assumere. *Virgil.* cum se nux plurima sylvis *induit* in florem. *Stat. Sylv. 1.* Nec tantum *inducunt* latis nova secula crimen. *Id. Theb. 8.* Cornipedes flammantur in hostem Corpora ceu mixti Dominis, irasque sedentem *Inducunt*. *Claud. 4. Conf. Hon.* Auspiciis iterum sese regalibus annus *Induit*. *Id. 3. Conf. Honor.* *Induc* mente Patrem. *Id. Conf. Probin.* cum floribus

- ribus æquora vernis Bosphorus indueret. *Lucan. lib. 7.* nunquam tanto se vulture cælum induit. *Homer. Odyss. 13. & 19.* ἔπος κατὰείμενεν ὕλη mons indutus sylva. Pari modo usus *Plin. Paneg. Trajani.* Ægyptus tantis segetibus induebatur. *Symmachus ep. 52. lib. 1.* rosas humo exiit.
170. *Inermis Orion* dicitur cum dubia luce fulget. *Claud. Conf. Probin.*
171. *Iners vulgus Averni*, i. e. manes apud Claudian.
172. *Infamis*, perpetuum Poëtarum epitheton rei; quæ ob causas aliquas in reprehensionem & odium incurrit, Ita *infames scopuli Horat.* ob crebra naufragia, *Infames aquæ* ob suffocationem multorum. *Infames Scyrone* Petræ *Stat. 1. Theb.* ob latrocinia a Scyrone patrata. *Claud. Bell. Gildon.* infanos *infamât* navita montes. Eodem modo *illaudatus, inglorius.*
173. *Infelix* pro tristi, inauspicato, damnato. *Claudian. 4. Conf. Honor.* Non *infelices* tabula.
174. *Inflammaro.* *Claud. Stilic. 1.* pretio manus *inflammata*, i. e. donis corrupta.
175. *Infundi* pro applicari. *Ovid. Ep. 2. v. 93.* de amplexu: colloque *infusus* amantis.
176. *Inglorius* epitheton, quod Poëtis frequenter usurpatur. Ita *Stat. lib. 9.* *Ingloria cassis* dicitur cristis orbata. Eodem modo per *σέσηγιον* multa concipiuntur Poëtarum epitheta. Ita ap. *Virgil. illaudatus Busris, inamabilis Styx, ita indecorus*, quæ suis locis vide *Macrob. Sat. 1. 6. c. 7.* Non *indecoro pulvere* sordidos, *Horat. l. II. od. 1.*
177. *Ingratus* de agro, *Mart. l. 10. Epigr. 47.* Non *ingratus ager, focus perennis.*
178. *Inhorrescere.* Singularis gratiæ vox apud Poëtas, suavem concussionem cum leni sibilo denotans. *Virg. Georg. 1.* de aristis: spicea jam campis cum messis *inhorruit.* *Id. Æn. 3.* *Inhorruit unda tenebris.* *Horat. I. od. 13.* seu mobilibus veris *inhorruit* Adventus foliis *Stat. 1. Theb.* de Mercurio volante: tenuique exceptus *inhorruit* aura. *Claud. Conf. Probin. inhorruit atrum* Majestate *nemus.*
179. *Iniquus.* *Virg. lib. 7. Æn.* plaga solis *iniqui*, h. e. Zona torrida.
180. *Injussus*, i. e. sponte, *Virg. 1. Georg. Injussa* virescunt Gramina.
181. *Innocuus* pro illeceus. *Virg. lib. 10. & sedere carinæ Omnes innocuæ:* ubi *Servius, innocuus* primo est, cui non nocetur, *Claud. 4. Conf. Honor.* subita cum luce comarum *Innocuus* flagraret apex. *Id. Conf. Mall.* de igne joculari. Fida per *innocuas* errent incendia *turres.*
182. *Insidi astris* dicitur mons editus. *Stat. 2. Theb.* Stat sublimis apex, ventosque imbresque serenus Despicit, & tantum fessis *insiditur astris.*
183. *Interficere* pro perdere, *Virg. 4. Georg.* Fer stabulis inimicum ignem, atque *interfice* messes.
184. *Invalidum venenum.* *Claud. Conf. Malli.* Laceris morientes crinibus hydri *Lambunt invalido* furiarum vincla *veneno.*
185. *Inumbrare* de prima lanugine eleganter dicitur. *Claud. Conf. Probin.* Antegenas dulces quam flos juvenilis inumbret.
186. *Ira fulvi Leonis*, dicitur Sydus Leonis

ad rubrum colorem accedens. Ita *Claud. Conf. Probin.* dicit, quod luna lucente fulvi leonis ira pereat. *Id. Rapt. P. 1.* Despicit Ionias protentis rupibus iras, i. e. tempestates.

Irata terra unda. dicitur, quod fluctibus suis alluit. *Stat. 2. Theb. irataque terra Curva Palæmonio secluditur unda Lechæo.*

Iratus dicitur Draco textilis exercitui prælatus & a vento actus. *Claud. 3. Conf. Hon. Iratus* stimulante noto. *Irati vultus Lüne* dicuntur, cum rubet. *Claud. 4. Conf. Honor. Decolor iratus* attollat *Cynthia vultus.*

187. *Irradiare* de floribus, quibus aliquid ornatur. *Claud. Conf. Mall. Romanis floribus arces Irradias.*

188. *Jubar* Serenitatem Solis passim apud Poëtas notat. *vid. Barth. in 1. Theb. v. 343.*

189. *Jupiter* pro tempestate *Virg. Georg. 2.* Et jam maturis metuendus *Jupiter* uvis. *Hor. lib. 1. Od. 22.* Quod latus mundi nebulae malusque *Jupiter* urget. *Juvenal. Sat. 5.* fremeret sæva cum grandine *vernus Jupiter.* *Stat. 2. Theb.* per imbres Fulminibus mixtos intempestumque *Tonnantem.* *Id. 10. Theb.* Sic ubi nocturnum tonitru *malus æthera* frangit *Jupiter.* *Claud. 1. in Eutrop.* nimboque minacem Sanguineo rubuisse *Jovem.*

190. *Jussus.* *Plin. Cæcil. de cera lib. 7. Ep. 9.* Ut laus est *Ceræ,* mollis facilisque sequatur. Si doctos digitos *jussaque* fiat opus.

191. *Juvvari* dicuntur flumina a sanguine cæforum hominum. *Claud. 3. Conf. Hon. frigidus annis Mutatis* fumavit aquis turbaque cadentum *Staret,* ni rapidus *juvisset flumina* sanguis.

192. *Juvenescere* de opere exstructo. *Claud.*

6. *Conf. Honor.* cinctosque coëgit Septem continuo montes *juvenescere* muro.

193. *Juventus* de animalibus etiam dicitur: ita *pennata juventus* de apibus apud *Sautel. Juvenile* pro magno, violento. *Stat. lib. 1. Sylv. Carm. 4.* & subiti præceps *juvenile pericli.* Ita Græci *νεοτμωσ* pro violento & magno. V. Buchner. de C. D. R. p. 305. Galli quoque eo modo loquuntur. *Malherbe mes jeunes desirs.* Vid. Menagii observat. in *Malherbe* p. 390.

L.

194. *Labi* dicuntur cæclites. *Virgil. Æn. 3.* Ac subitæ horrifico *lapsu* de montibus adsunt *Harpyiæ.* *Stat. 2. Theb.* supero ff cardine *lapsæ Pallas &c.* *Lapsus* pro volatu, *Valer. Flacc. lib. 1.* Accepere *Dææ* celerique per aëra *lapsu* *Diverfas* petiere vias. *Idem:* Ecce autem molli *Zephyros* descendere *lapsu* *Adspiciunt.* *Stat. Sylv. lib. 1.* tua turba relicto *Labetur caelo.* *Lucræ. Lib. 6.* de fulmine; & celeri ferme pergunt se fulmina *lapsu.* *Claud. Conf. Probin. lapsu* protinus uno, *Quem* possunt, tetigere locum, *vid. allabi.* *Id. Rapt. P. 2.* serpentibus *Triptolemi* *lapsum* adscribit: *lapsuque* sereno erecti. *Labi* quoque de stellis usurpatur. *Virgil. Vos,* quæ *labentem* ducitis annum *Sidera.*

195. *Labor* apud Poëtas de virtute bellica signate dicitur. *Virgil. Disce* puer virtutem ex me *verumque laborem.* *Fortunam* ex aliis. *Valer. Flacc. l. 8. Argon.* Concipit optatum decus extremumque *laborem* *Æsonides.* *Claud. laud. Stil. 1.* An gelidam *Thracen* decertatosque *labores,* *Hebro* teste, canam. *Id. 1. in Eutrop.* in mercem veniunt *Cilices,* *Judæa,*

- Sophrone, Romanusque labor, Pompejani-
que triumphii. De *liberis* dicitur *uteri la-*
bor apud Claud. 1. de Rapt. Prof. tibi gaudia
nostri Sanguinis, & caros *uteri* commendo
labores.
196. *Lacesso.* *Virgil. l. 6.* æraque fulgent
Sole *lacessita* i. e. repercussa. *Horat.* qui-
cunque Bithyna, *Lacessit* Carpathium pe-
lagus carina, vid. sollicitare, *Claud. Rapt.*
P. 1. de Ætna, motibus astra *lacessit.* *Id. Conf.*
Probin. Et formidato Clypeus Titana *la-*
cessit Lumine. vide Tentare.
197. *Letare* generale Poëtarum epitheton,
cum describunt rem jucundam, gratam,
acceptam, uti vice versa epitheton *tristis*
omnia contraria significat. *Gratius Cyne-*
getico: *Letas* venantibus artes, i. e. acce-
ptas. *Sil. Italicus, lib. 1.* At Pœni succensi
ira turbataque luctu, Et *lavis* gens *leta*
ruunt. *Valer. Flaccus l. 1.* Instat fama
viri virtusque haud *leta* tyranno. *Stat.*
2. Theb. Exulibus quanquam patriaque fu-
gatis Nondum *leta* Venus. *Ibid.* te *la-*
tum descendere regno justius fuit, i. e. non
invitum, vid. Gāvissus. *Ap. Claud. Pluto*
ad Jovem: cum te *latissimus* ornet Signi-
fer. *Idem Epithal. Palladii:* quæ *letissi-*
mus urbi *Sanguis* erat. *Virg.* Quid faciat
letas legeres.
198. *Lævus* pro inauspicato, tristi. Ira *Virg.*
de Sirio: *levo* contristat lumine cœlum.
Stat. 1. Theb. de peste: quis ab æthere *lævus*
Ignis.
199. *Lambere.* Eleganter *Virgil. de Ætna*
ignivomo: Attollitque globos flammaram
& sidera *lambit,* *Æn. 3. Horat. l. od. 22.* de
levi tactu: quæ loca fabulosus *Lambit*
Hydaspes. *Claud. Conf. Probin. de Bello*
Apollinem excipiente: tunc insula notos
Lambit amica pedes. Verum elegantius
de aquis & ventis dicitur, quam de terra:
est enim in iis quidam motus, quo quasi
lambere videntur, qui non est in terra.
Sarbiev. l. 1. od. 7. Quod vexant hodie
noti, Cras *lambent* hilares æquor Etesia.
200. *Lascivi* vocantur *lœmbi* ad ludum instru-
cti. *Claud. Conf. Mall. Lascivi* subito con-
fligant æquore *lœmbi.*
Lascivire dicitur *galca* fertis coronata.
Claud. 2. Rapt. P. Ferratus *lascivit* apex
horrorque recessit Martius.
201. *Lassus mons* dicitur, qui jam ad plani-
tiem inclinat. *Stat. 1. Theb.* quam molle
sedens in plana Cytheron Porrigitur *las-*
sumque inclinat ad æthera *montem.* De
sanguine. *Stat. l. 2. v. 669.* Membra ne-
gant *lassusque* ferit præcordia *sanguis.*
202. *Late* particula Poëtis usitata. *Virgil.*
loca nocte silentia *late.* Vide plurima in
Indice Erythraei.
203. *Latrare* dicuntur *maria* *Cl. Rapt. 1.*
Hinc *latras* Getula *Therys.*
Latrans pro cane; *laniger* pro ariete;
auritus pro lepore; *hinniens* pro equo:
Vide Buchn. de C. D. R. p. 79.
204. *Laxare.* *Claud. Conf. Probin.* trepidas
laxaverat Alpes Augustus.
205. *Levantes res* dicuntur prospera fortu-
na. *Claud. Conf. Prob.* nunquamque *levan-*
tibus alte Incunivuit rebus.
206. *Libra animi cunctantis,* i. e. prudentia
rerum momenta librans. *Claud. Stil. 1. v. 75.*
vide Barth.
207. *Luētari.* *Virg.* Cum venti posuere omnis-
que repente refedit Flatus, & in lento *lu-*
ētantur marmore tonitru. *Monconus carm.*
in Gass. de lucerna: pinguique natans *lu-*
ētatur olivo Fomes.

208. *Ludere* de luce & radiis auroræ. *Cl. de R. P.* 2. errantes *ludunt* per cœrula flammæ. *Germ.* vocem *spielen* eodem modo usurpant.
209. *Lumen*: formidatum clypei, lumen. *Claud. Conf. Probin.* Et *formidato* clypeus Titana laceffit *lumine*.
210. *Lunare* curvare est. *Lunatam frontem* vocat *Claud. Rapt. Prof.* 1. cornua gerentem. Nec non *lunata* curvavit germina *frontis*.
211. *Lux*. *Stat. J. 6. Theb.* Qualis Bistonis clypeus Mayortis in arvis *Luce mala* Pangæa furit. *Id. lib. 12.* campumque truce*m lux cuspidis* implet. *Id. Achil. 1.* fax vibrata medullis In vultus atque ora redit *lucemque gerrarum* Tingit, & impulsam tenui sudore pererrat.

M.

212. *Madidum aurum* dicitur, quod e Tago & Bæti depromitur. *Claud. Conf. Mall.* qui splendida potat stagna Tagi *madidoque* intus conspergitur *auro*.
213. *Magister, Magistra*, pro epithetis interdum adhibentur. Ita lucem magistram dicit *Claud. præfat. 3. Conf. Hon.* ad quam aquila pullorum suorum indolem explorat: Consulit ardentem radios & *luce magistra* Notartum vires ingeniumque probat.
214. *Malignus* de re quavis periculosa. *Virg. lib. 11.* Angustæque ferunt fauces *aditursque maligni*. *Id. lib. 6.* Quale per incertam sylvam sub *luce maligna* Est iter. Ibi per *lucem malignam* intelligit *dubiam*, cui credi non potest. Ita *fatuos ignes* posses *lucem malignam* vocare. *Martial. lib. 12. Epigr. 56.* Nec sint basia multa nec *maligna*, i. e. quæ dente impresso fiunt.

- vel lasciva. *Stat. 1. Theb.* de vadis periculosis: jam jamque aut saxa *malignis* Expectat submersa *vadis*. *Id. 2. Theb.* gemini procul Urbe *malignis faucibus* urgentur colles. *Id. Silv. 4. 3.* Sorbebatque rotas *maligna tellus Phœd. maligna* sedet.
215. *Malius*. *Mala lux clypei* dicitur *Stat. Theb. 6.* vid. *Lux*.
216. *Mansurus* pro æteruus. *Claud. 4. Conf. Honor.* Hinc natis *mansura* fides. *Id. de Conf. Mall.* Publica *mansuris* testantur *vocibus æra*.
217. *Marmor* vocatur mare placidum. *Virg.* Cum venti posuere, omnisque repente resedit Flatus, & in lento luctantur *marmore* tonæ.
218. *Melior*. *Claud. 3. Conf. Honor. melioris* secla metalli, i. e. aurea. *Id. 4. Conf. Honor.* rediit *meliore magistro*, Machina concentusque poli. *Ibid. de Pegaso: melioraque pondera* passus Bellerophontæas indignaretur habenas *Baccho meliore, Statius luto meliore*.
219. *Memor*. *Horat. Cadum Marfi memorem* duelli.
220. *Mendax fundus* *Horat. III. Carmin. 1.* Non verberatæ grandine vineæ *Fundusque mendax*. Eadem metaphora dicit *III. od. 16.* & segetis *certa fides* meæ. *Fidelis ager Cic. Ep. 17. l. 16. ad Fam. ad Tyronem*.
221. *Mentiri* de re picta, sculpta, texta. *Sidonius de Dracone textili exercitii prælato: patulo mentitur* hiatu Iratam pictura famem. *De eod. Claudian. 3. Consulat. Honor.* multusque tumet per nubila serpens Iratus stimulantem noto, vivitque receptis flatibus, & vario *mentitur sibi* tractu. *Mentiri pro fallere. Claud.*

- Claud. 4. Conf. Hon.* quam felix arcus certique petitor Vulneris, & iustum *mentiri* nescius *ictum*. *Id. Conf. Probin.* sed perfida tantum Augusto geminisque *fidem mentita* tyrannis: loquitur de Alpibus, qui Eugénium ejusque magistrum quidem admiserunt, non transmiserunt. Et *Stil. 1.* Et Gir notissimus amnis Æthiopum simili *mentitus* gurgite Nilum. *Ino.* de flore protuberante: ocius emergit viridem *mentita smaragdum* Gemma solo.
222. *Messis* dicuntur *fratres Cadmei*. *Cl. Stilic. 1.* Dircaïs qualis in arvis *Messis* cum proprio mox bellatura colono.
223. *Metalli melioris secula*, i. e. aurea. *Claud. Conf. Hon. Id. Conf. Mallii*: ductos video mores *meliore metallo*.
224. *Minari*. *Virg.* Geminique *minantur* in caelum scopuli *Stat. de Orione*: Magnus quanto mucrone *minatur* Noctibus hybernis & sidera terret Orion. *Id. lib. 4.* rabidi cum colla *minantia* monstri Augent. *Id.* Ducat nubila Jupiter per orbem, Et latis pluvias *minetur* agris *Flumina minari* dicuntur *diluvia*. *Claud. Conf. Mall.* Torrentes immane fremant lapsisque *mittentur* Pontibus. *Id. Conf. Prob.* pariterque *minantes* Ardua turrigere surgunt in culmina ripæ. *Id. Stil. 1.* Contraque *minantia fata* Pervigil. *Minax unda* *Horat. 1. 1. od. 12.*
225. *Mitescere* dicitur *galea*, quæ fertis coronatur. *Claud. 3. de Rapt.* Insolitisque docet *galeam mitescere* fertis. *Mitis flamma*, quæ non lædit. *Sil. lib. 16.* Crispamque involvere visa est *Mitis flamma* comam.
226. *Moderari* de cingulo dicit *Sarbieo. 1. od. 4.* Gemmea vestem *moderare* zona. *Modestus* de flamma non lædente. *Ignis modestus Sautel*: Dumque pius reprimit *miranda modestia* flammâs.
227. *Molle* pro tenui. *Virgil.* Tunc agri pingues tunc & *mollissima* vina. *Galpurn. Eclog. 2.* quoties *mollissima* tango Ora manu, i. e. lanugine destituta. *Mollis* epitheton fluviorum. *Virgil.* ibat jam *mollior* undis *Euphrates*. *Menagius* *Obsery.* in *Malh.* p. 395.
- Mollire*. *Claud. 4. Conf. Hon.* Quæ tantum digitis potuit *mollire* rigorem *Ambitiosa* colus? loquitur de rapetibus acupietis. *Id. Conf. Mall.* duras fulcis *mollire* novales, i. e. arare. *Id. Conf. Probin.* Nam neque cæsariem crinali stringere cultu Colla, nec ornatu patitur *mollire* retorto.
228. *Mordax*. Quid rosa purpureos *spina mordacis* amictus Ostentare juvat?
- Mordere*. *Claud. Conf. Probin.* Laxumque coercens *Mordens* gemma sinum, i. e. quasi fibula connectit.
229. *Mori* de rebus inanimatis *Claud. Conf. Probin.* de arundine: Quam neque fas *Zephyris* frangi nec Sole perustam *Æstivo* candore *mori*.
- 230 *Movere secum vel animo*, i. e. deliberare *Virgil.* Multa *movens* magno curarum fluctuat æstu. *Stat. 2. Theb.* quæ sint generis adscita repertis *Fata* movet.

N.

231. *Natare lumina* dicuntur in agone mortis vel somno. *Virg. Georg. IV.* iterum crudelia retro *Fata* vocant, conditque *natantia lumina* somnus. *Natare umbra* dicitur, quæ vespertino tempore ponto incubat. *Stat. 2. Theb.* Ast ubi prona dies longo super æquora fines Exigit, atque ingens *mediocritat umbra* profundo. *Stat. 1. Achillid.* niveo

nata

- nata ignis in ore Purpureus fulvoque nitet coma gratior aura: duriusculum est, quod hic de rubore dicitur, nec satis exprimit vox nitere.*
232. *Nescire pro nolle; non posse. Stat. 9. Theb. Liber amat campus, & nescit in astra reverti.*
233. *Nihil pro penitus non Stat. lib. 9. More nihil Grajo. Id. lib. 7. Monitus iramque parentis Ede nihil parcens. Ibid. quippe nihil grassata fames, Id. lib. 3. Th. extremam nihil horrescentia mortem Pectora. Id. lib. 2. Theb. capto postquam nihil obstat amori Pœna. Id. 1. Sylv. Vestes nihil rectæ. Claud. de Conf. Mall. Nil op's externæ cupiens.*
234. *Nimbus. Nimbi Cilicium pro balsamis. Martial. lib. 1. epigr. 3. Et Cilices nimbis hic maduere suis. Claudian. 2. Rufin. pulveris extolli nimbos. Id. Conf. Prob. denso currentia munera nimbo. De telis Stat. lib. 5. Theb. Instamus jactu telorum & ferrea nimbis Certat hyems. Lucan. lib. 4. telorum nimbo peritura. Id. alibi: crebroque simillima nimbo Trans ripam validi torserunt tela lacerti. Claud. 1. Stil. Non equitum nimbor Latiis obfistere pilis.*
235. *Nimius. Claud. Stil. 1. Et quos interior nimio plaga Sole. relegat: describit Zonam torridam, quæ credebatur inhabitabilis.*
236. *Nitidi sensus, i. e. defæctus intellectus. Claud. Conf. Mall. nitidis quisquis te (justitiam) sensibus haurit.*
237. *Nives Capitis Horat. IV. od. 13. Carm. pro canitie dixit, reprehensus idéo Quintiliano. lib. 8. Instit. Orat. sed defensus a Vossio Inst. Orat. lib. 4. p. 101.*
238. *Nocens. Claud. 3. Conf. Hon. flammamque nocentem Gradivi, i. e. sidus Martis.*
239. *Nubes. Varie hac voce utuntur Poëta. Stat. 2. Theb. absolute pro curis & cogitationibus posuit: talem sub pulvere nubem Consilio volvens. Auf. nubem veterni dicit. Valer. Flacc. l. 3. nubem meri vocat ebrietatem. Ita nubes telorum, jaculorum, arena, pulveris dicitur frequentissime Poëtis, & omnem confusam copiam denotat. Ita Sil. lib. 9. telorum nubem & lib. 2. telorum nubibus. Lucan. l. 2. cæca telorum in nube. Claud. Bell. Get. Nubes timoris placet. Id. Conf. Probin. nec ignota rapiet sub nube vetustas. Id. Stil. 1. quod nubem soporis Immunes oculi. Hom. 4. Il. vépos νεῦρον nubem peditum appellat.*

O.

240. *Oblivisci de re inanimata. Virg. Georg. 2. Pomaque ingenerant succos oblita priores. Colum. Ambrosios præbent succos oblita nocendi.*

241. *Obluctata polo fidera Cl. Conf. Mall.*

242. *Obstetrix. Brun. Eloq. Poët. part. 1. p. 104. Huc Zephyris celeres, huc obstetricibus auris Dum ridet tellus.*

243. *Obtexere. Claud. Stilic. 1. Jaculis obtexitur æther. Virg. u. Æn. cœlumque obtexitur umbra.*

244. *Obtundere. Claud. Conf. Mall. Clementia tristes Obtundit gladios.*

245. *Occurrere cælo pro erigi. Stat. 1. Theb. de monte, qua plurimus arce Cythæron Occurrit cælo.*

246. *Opacus pro cæcus: Stat. 2. Theb. opacos Tiresiæ vultus.*

247. *Opifex dicitur timor, qui in causa fuit, quod exstruerentur mania. Claud. 6. Conf. Hon. Profecitque opifex decori timor.*

248. *Opulentia linguæ, i. e. eloquentia. Cl. de Consulatu Mallii.*

249. *Os de flore. Inc. Referato captat amicum Ore diem. Nos labella alibi diximus.*

P.

250. *Pallere. Virgil. pallentes ruminat herbas. Id. Eclog. 3. Diffusos hedera vestit pallente corymbos. Gaudia pallere dicuntur post superata magna pericula. Stat.*

1. *Theb. Magnaque post lacrymas etiamnum gaudia pallent. Claud. Conf. Probin. Pallentes herbis thalamos vocat Tiberini thalamos misco obfitos.*

Pallor. Aurora dicitur Statio, cum diluculum incipit. 2. Theb. lib. Utque toris primo complexa jacebat Aurora pallore vitum.

251. *Parturio. Horat. Notus neque parturit imbres. Claud. Conf. Mall. Parturit innumeros angusto pectore mundos.*

252. *Pater pro paterno affectu. Claud. 3. Conf. Honor. Indue mente Patrem. Id. 4. Conf. Honor. quantus in ore Pater radiat, i. e. Patris effigies. Pater etiam usurpatur pro patrimonio Alberto ab Ines, od. 19. Alter penates, alter & integrum In poculorum naufragio patrem Immerfit.*

253. *Pati. Claud. 4. Conf. Honor. de Pegaso: Ipse tibi famulas praberet Pegasus alas Portaretque libens, melioraque pondera passus Bellerophontæas indignaretur habenas.*

254. *Pauper pro raro. Virg. Æn. 12. Pauperibus caulem foliis.*

255. *Pendere Virgilio capra dicuntur, quæ pascuntur in montibus. Stat. 2. Theb. is pendere dicitur, qui in montis clivo ambulat: hinc arcto scopuloso in limite pendens. Stat. ibid. quoque de ætate illa, quæ ad senium inclinat, usurpat: magna cui sobria curis Pendebat somno jam deterio-*

re senectus. De currente Parthenopæo Stat. lib. 6. Raraque non fracto vestigia pulvere pendent. Hinc Pendula vestigia dicit Claud. Conf. Mall. quæ in aère facit funambulæ: Pendula librato figit vestigia saltu. Id. Conf. Probin. His neque per dubium pendet fortuna pavorem. (Mallet ego hic favorem, legeret.) Avienus de navigante: Incerto penderet sæpe profundo; non adeo eleganter, ut ego puto.

256. *Perfidus. Perfida examina apum vocat Claud. 6. Conf. Honor. quæ alvearia migrarunt; solitæque oblita latebræ Perfida deplorat vacuis examina ceris.*

257. *Perfundere. Stat. de Fama 2. Theb. totis perfundit mœnia pennis.*

258. *Persona ponuntur pro ipsis officiis, ut ap. Claud. Conf. Mall. An tibi continuis crevit fiducia castris, Toraque jam vatis pectora miles habet? i. e. an militare studium poetica studia expulit?*

259. *Piger orbis, i. e. Arctous. Claud. 4. Conf. Honor. pigra palus.*

260. *Pigritia pro honesto otio. Martial. l. 13. Epigr. 4. Tu das ingenuæ jus mihi pigritiæ.*

261. *Pingere pro exornare. Virg. Eclog. 2. v. 50. Molca luteola pingit vaccinia caltha: cujus versus elegantiam singularem examinat Buchn. de Comm. Dic. Rat. p. 46.*

262. *Pius frequentissimum Poëtis epitheton. Virg. Pius Æneas. Stat. 1. Theb. de Virgine: Mira decore pio. Claud. 3. Conf. Honor. Velaretque pios communis laurea currus. i. e. currus triumphales. Id. 4. Conf. Honor. Splendebatque pio complexus pignora curru. Id. 6. Conf. Honor. Circum membra rotat doctus purganda sacerdos, Rore pio spargens. Ibid. Mediumque per hostem Flammatas virtute pia. Id. de Conf.*

- Conf. Mall.* æthereos signantem in pulvere currus, quos *pia* sollicito deprendit pollice *Memphis*.
- Avienus*: *pia* velvuntur cornua Nili. *Paulinus* *piam columbam* vocat. *Sautel.* *pias flammās* vocat, quæ non ledunt: dumque *pias* reprimunt miranda modestia flammās.
263. *Placatus.* *Cristæ placato fulgore* vernant. *Claud. 3. de Raptu Proserp.*
264. *Pleiades* imbrium effectrices pro ipsis imbribus. *Valer. Flacc. l. 5.* Qualiter ex alta cum Jupiter arce coruscat *Plejades* ille movens multumque sonoribus imbrem. *Stat. 1. Theb.* Et plaga lucida cœli *Pleiadum* Boreæque & hiulci fulminis expers. Qui per *Pleïades* alia hic intelligunt interpretes, nugantur ad unum omnes.
265. *Plurimus.* Ea voce sæpe utuntur Poëtæ in re longa, edita, proluxa. *Stat. 1. Theb. de monte*: qua *plurimus* arce *Cytheron* Occurrit Cælo.
266. *Pondus* pro illo, qui equo infidet. *Claud. 4. Conf. Honor. de Pegaso*: melioraque *pondere* passus. *Stat. Sylv. l. 1. Bistonius* portat sonipes magnoque superbit *Pondere*.
267. *Populari.* *Claud. Rapt. P. 1. de vento*: Putrida multivagis *populatur* flatibus antra. Ita *de amore*: *populatur flamma* medullas, ovium *populari vellera*.
268. *Populus astrorum*: *Capella*, sed frigide, v. *Buehn. p. 198.*
269. *Porrigere se* dicuntur *montes*.
270. *Præcipitant curæ.* *Virgil. lib. II.* Sociis dare tempus humandis. *Præcipitant curæ.* *Stat. Theb. 1.* Sed si *præcipitant* miserum cognoscere *curæ*.
271. *Prædari.* Apes dicuntur *prædari rosas*. *Suan.* volucris *prædata* senectam *Phœnix*.
272. *Procumbere* dicitur, quod in planum porrigitur. *Claud. Conf. Probin.* Est in Romuleo *procumbens* insula *Tibri*. Vid. *sedere, porrigi, projectus*.
273. *Prodigus.* *Claud. Conf. Mallii*, ferturque nocendi *Prodigus*.
274. *Proflare Deum*, i. e. Bacchum; est crapulam edormire. *Stat. 2. Theb.* Serta inter vacuosque micro crateras anhelum *Proflabant* sub luce *Deum*. Sed hoc *Statii* genium sapit.
275. *Profundus.* *Profundus Jupiter*: *profunda Juno*, i. e. infera.
276. *Projectus*, i. e. per planitiem extensus. *Valer. Flaccus de Nilo*: septem *projectus* in annes. *Malleim* ego *porrectus*.
277. *Promittere se.* *Claud. 6. Conf. Honor.* atque omne futurum Te *Romæ*, feseque tibi *promittit* in ævum.
278. *Propinare pro* tradere vel præbere. Ea metaphora passim utuntur nonnulli in oratione tam soluta quam ligata, non attendentes phrasin illam *Terentii in Eunuch. V. 9. 57.* Hunc comedendum vobis & deridendum *propino*, e persona *Parasiti* æstimari debere, qui ad artem suam instituta allusione risus captandi gratia *propinandi* verbo utitur: ne quid de eo dicam, legi in quibusdam *MStis* præbeo, non *propino*. Sed tamen, & alteram quidam *MSti* *Codices* tuentur. Non satis commode itaque *Jacobus Balde* in *Urania* viatrice sua, in tertia epistola: *Tanquam si præfens* cælo delapsa sereno, *Ora propinasset*, *fidereasque* genas. Non est locus metaphoræ in hoc verbo, quatenus simplicem traditionem notat, sed vel in sensu ridiculo, ad personam *Parasiti* relato, ut apud *Terentium*; vel

in sensu analogo : si eluvies *propinare* agris humores, aut Ganymeden *propinare* terris imbres, vel simile quid dixeris.

279. *Pudica frondes* dicuntur rami lauri, propter Daphnen in laurum mutatam. *Stat. 1. Theb. rōs pudicus* aquæ Castaliæ dicitur, quia virgines Musæ illa lavantur : seu *rore pudico* Castaliæ flavos amor est tibi mergere crines.

280. *Pulcher* generale epitheton Poëtarum, quando rem aliquam laudant. *Claud. Conf. Probin. pulcerque* severo Armatur terrore pudor.

281. *Purus. Pura dies*, i. e. nocte non immissa. *Claud. de Rapt. P. II. Impulit* Iונים præmissō lumine fluctus Nondum *pura dies*, i. e. crepera.

Q.

282. *Querere* pro desiderare. *Ovidius de Erisichthone* : Inque epulis epulas *querit*. *Stat. 2. Theb. jamque & sua querere* regna.

R.

283. *Rapiunt cælum ventri*, de ventis inter se configentibus. *Stat. 1. Theb. dum cælum* sibi quisque *rapit*.

284. *Raucus*. Omnis sonus ingratus eo epitheto Poëtis exprimitur. *Stat. 1. Theb. de tempestate* : venturaque *rauco Ore* minatur hyems. *Id. 2. Theb. raucā tonitrua. Raucivivi* dicuntur a *Claud. Conf. Probin. Cic. rumor raucus* factus est.

285. *Rebellis*, i. e. quietus. *Claud. Rapt. Prof. 1. de Encelado* : *Cervice rebelli* In dextrum laevumque latus.

286. *Recurrere* de memoria rerum præteritarum apud Poëtas usurpatur. *Virgil. Æn. 1. sub noctem cura recurſat. Id. lib. 4. Æn. Multa Viri virtus animo multusque recurſat* Gentis honos. *it. lib. 12. Et mihi curæ Sape tuo dulci tristes ex ore recurſent.*

287. *Redire* pro recolligi. *Stat. 1. Theb. de anguibus* per extrema sibi connexis : *Cærulei redeunt* in pectore nodi.

288. *Regnare* de manu Scævolaë flammam perferente *Martialis lib. 8. Epigr. 33. Adſpicias*, ut teneat flammam, penaque fruatur Fortis, & attonito *regnet* in igne nians. De Sirio dicit *Stat. 1. Theb. in totum regnaret* Sirius annum. *Claud. Conf. Probin. tacitam Luna regnante* per Arcton, i. e. magis splendente.

289. *Relegare* pro inhabitabilem facere. *Claud. Stilic. 1. Et quæ interior nimio* plaga Sole *relegat* : describit zonam torridam.

290. *Relinqui* dicitur *Lucifer* disparentibus ceteris stellis ob auroram vicinam. *Luc. lib. 1. ut ignes Solis Lucifero* fugiebant astra *relieto*.

291. *Res. Rerum pulcherrima Roma* *Virgil. Georg. lib. 2. Et Æn. lib. 7. nunc maxima rerum* Roma colit. *Ovid. 1. art. amand. Ergo erit illa dies*, qua tu pulcherrime *rerum*, Quattuor in niveis aureus ibis equis. Ita *Claud. Conf. Probin. dic maxima rerum. Romam* intellegit.

292. *Ridere* *Virg. omnia nunc vident. Claud. Conf. Mall. docti riserunt* floribus amnes. *Id. Conf. Probin. Oraque ridenti* lanugine vestiat ætas.

293. *Rubigo* absolute pro desidia. *Claud. Conf. Mall. infectum longi rubigine ruris* *Ad tua signa vocas.*

294. *Rudis* pro inornato, *Virgil. lib. 9. ille rudem* nodis ac cortice crudo Intorquet summis

summis adnixus viribus hastam. *Rudis Luna pro nova.* Claud. 6. Conf. Hon. *Lunamque rudem* madefecerat Auster. *Rudes vena pro intactis.* Quantum stagna Tagi *rudibus stillantia venis Effluxere ducis.*

S.

295. *Sacer.* Frequentissimum Poëtis epitheton. *Sacræ iræ* ap. Stat. 1. Theb. de ira exoptulantis cum Phœbo: *sacræ* ita vocibus asperat iras.
296. *Sævus* Bacchi odor de vino dicitur Stat. 2. Theb. quod ad rixas Thraces incirat. Ogygii si quando afflavit Iacchi *Sævus odor.*
297. *Saucius* pro eo, qui verbis læditur vel passionibus animi turbatur. Stat. 1. Theb. Juno his *saucia* dictis. Transfertur ad res inanimatas. Ita Horat. l. od. 24. dicit *malum celeri saucium* Africo. Claud. lib. 2. in *Eutrop.* valuit pro vulnere terror, Implevitque vicem jaculi, vitamque nocentem Integer & sola formidine *saucius* efflat. Id. 4. Conf. Honor. quo *saucia* vento Decolor iratos attollat Cynthia vultus, i. e. Luna rubens indicio ventosæ tempestatis. Id. Conf. Probin. ubi describit Romam curru per nubes vehementem: Cursumque rotarum *Saucia* dividuis clarescunt *nubila* fulcis.
298. *Scintillare* de gemmis, floribus, purpura, dicitur.
299. *Scrutari* mucrone latebras animæ, i. e. interficere. Stat. 1. Theb. atque imas animæ mucrone corusco *Scrutatur latebras.* Claud. 4. Conf. Hon. calidi *scrutatús* stagna profundi. Id. de Rapt. P. 1. de vento subterraneo: *scrutatur iter.*
300. *Secare profundum*, i. e. navigare. Claud. inventa *secuit* primus qui nave *profundum.*

301. *Secundus.* Secundum jus. Stat. 1. Theb. *Jurisque secundi* Ambitus impatiens. Claud. Conf. Probin. sed prima sede relicta Anthemiis, de jure licet certare *secundo.*
302. *Sedere* pro in planitiem porrigi, Stat. 1. Theb. de monte: qui molle *sedens* in plana Cytheron Porrigitur, *sedens Lactuca* dicitur, quia humilis, Mart. l. 10. In quibus est *lactuca sedens* & sectile porrum.
303. *Seditio.* Severus in Ætna: læta theatri *Seditione.* Sarbiev. *Vocalem seditionem* dixit. Buchn. de Commut. Dic. Rat. p. 199.
304. *Seges* de copia. Virgil. lib. 7. ferro accipiti decernunt atraque longe Horrescit strictis *seges* ensibus. Cl. 3. Conf. Honor. nudique *seges Mavortia* ferri Ingeminat splendore diem. *Seges æna* vocantur æreæ fistulæ in organo Musico veterum. Cl. Conf. Mall. Et qui magna levi detrudens murmura tactu Innumeras voces *segetis* moderatus *abena* Intonat erranti digito, penitusque trabali Vecte laborantes in carmine concitat undas.
305. *Semina* pro stellis. Manil. lib. 5. Buchn. de Comm. dic. Rat. p. 26.
306. *Senecta* pro antiquitate. Claud. Conf. Mall. Cæcropiæ relegis secreta *Senectæ*, i. e. antiquitatis Græcæ. *Senium* pro reverentia. Firmatur *senium* juris, priscamque resumunt Canitiem leges, Claud. 4. Conf. Honor.
307. *Sequi*, Claud. Conf. Probin. prolem fata *sequuntur*, Stat. & vocem fata *sequuntur.* *Sequi* pro *flexibilem esse.* Sic Plin. Cæcil. lib. 7. Epist. 9. de cera, quæ ad arbitrium flexilis est: Ut laus est Cæræ mollis facilisque *sequatur* Si doctos digitos iussa que fiat opus.
308. *Serpere.* Claud. 4. Conf. Hon. Per tua lanugo cum *serpere* cæperit ora.
309. *Ser-*

309. *Servire*. Claud. 4. Conf. Hon. de Cyllaro, *Serviretque* tuis contempto Castore frenis Cyllarus. Claud. Stilic. 1. placidi *serviunt* legibus enses.
310. *Sidus* pro *fato* videtur accipi ap. Stat. 2. *Theb.* fraudes sine *sidere* cœptæ, Germani: Er hat kein Stern noch Glück. *Sidereus* gener. Claud. Conf. Mallii.
311. *Silentes* dicuntur Manes. *Vulgus silentum* Stat. 1. *Theb.* *silentem* populum dicit infera.
312. *Sobrius* de igne non urente. *Sobrius* apposita procul abstinet ignis ab esca. *Sauzel. in epigr. de Agnete.*: ita *mōdestus* ignis, pia flamma.
313. *Solari* frequenter Poëtis usurpatur. Horat. II. *od.* 5. nunc fluviis gravem *solantis* æstum. Id. II. *Sat.* 6. me sylva cavusque Tutus ab insidiis tenui *solabitur* ervo. Stat. 2. *Theb.* *solanturque* timorem. *Ibid.* tenerumque dolorem conjugis amplexu *solatur*. Stat. lib. 4. *Sylv.* nos otia vitæ *Solamur* cantu. Claud. Conf. Mall. pluviis *solabitur* æstum.
314. *Sodalis*. Horat. I. *od.* 25. Aridas frondes hyemis *sodali* Dedicet Hebro. Ita lib. III. *od.* 18. cratera vocat Veneris *sodalem*.
315. *Sollicitare*. Tibullus *Eleg.* 7. 1. 1. Et teneram ferro *sollicitavit* humum. Claud. de *Rapt. P. pref.* Et rudibus remis *sollicitavit* aquas. Falsus autem hic est Barthius, qui putat hic metaphoram esse ab inanimatis ad animata. Est enim *sollicitare* proprie loco movere.
316. *Splendida spuma* Tagi, i. e. aurum.
317. *Squalere* dicitur Poëtis, quod densitate & nova aliqua facie horrorem incurere videtur. Ita *Virg.* 10. *Æn.* *loricam* vocat *squalentem* auro propter copiam densitatemque auri in squamarum speciem intex-
ti. Vide Gell. 1. 2. c. 6. & Henr. Steph. Disc. Critic. Macrobr. 1. 6. c. 7. Stat. 1. *Theb.* per *squalentem* diem intelligit tempestatem nebulis pestiferis obsitam. Sil. Cæruleus maculis auro *squalentibus* anguis. Claud. 4. Conf. Honor. Libyæ *squalentis* arenas Audebit superare pedes. Id. 6. Conf. Honor. Neglecto *squalent* senio. Id. Conf. Probin. Filaque concreto cogit *squalere* metallo. Id. de *Rapt. Prof.* 1. *squalent* immania fædo Sceptra situ.
318. *Stare* dicitur *annus* ob desiderium aliqujus. Stat. 1. *Theb.* longum signis cunctantibus *annum* *Stare* gemit. *Stare* dicitur *fluviis* ob copiam cadaverum. Cl. 3. Conf. Honor. frigidus amnis Mutatis fumavit aquis turbaque cadentum *Staret*, ni rapidus jussisset flumina sanguis. *Stare* dicitur quoque *fluviis glacie concretus*. Claud. 3. Conf. Hon. *stantemque* rota *fulcavimus* Istrum.
319. *Subire* usitatum Poëtis, inprimis *Statio*. Claud. Conf. Mall. Jam clavum totamque *subit* torquere carinam, i. e. incipit. Claud. *ibid.* *subit* ille loquentem Talibus, i. e. respondet.
320. *Sudare*, i. e. elaborare. *Sudata* marito *fibula*, Claud. vid. Buchn. p. 71.
321. *Sulcus* de nubibus per lineas ductis. Claud. Conf. Probin. dividuis clarescunt *nubila sulcis*.
322. *Superbus* Virgilio pro nobili & glorioso dicitur lib. 1. *Æn.* Conjugio Anchise Veneris dignate *superbo*. Ita vox *ferox*, *contumax*, *ferus*, laudabili sensu accipiuntur. vid. Buchn. de Comm. D. R. p. 194. 195.
323. *Surdus* pro eo, quod non obsequitur; etiam de rebus inanimatis. Stat. lib. 10. & *surdos* expedit arcus, i. e. quos attrahere

here nequit. Sed hoc genium Statianum sapit.

T.

324. *Tacitus.* *Tacita arctos* dicitur, vel propter incolarum raritatem, vel propter frigus, aut continuas noctes. *Claud. Conf. Probin. tacitam* Luna regnante per *Arcton.*
325. *Tegmen.* *Tegmen fagi* *Eclog. 1. Virgil.* dicit. Ita *tegmen cæli* *Lucret.* Vide de eo Alb. Gentilem in *Lectioibus Virgilian.* statim ab initio; ubi refutat quosdam vocem hanc carpentes.
326. *Temperare arva* dicitur *fluvius.* *Claud. Conf. Probin. Oebaliæ qui temperat arva* *Galefus.*
327. *Tempestas* varie apud Poëtas accipitur, & notat copiam aliquam tumultuariam & violentam. *Virgil. Æn. 12.* it toto turbida cælo *Tempestas telorum,* ac ferreus ingruit imber. *Id. de strage lib. 7.* Quanta per *Idæos* sævis effusa *Mycenis* *Tempestas* ierit campos. Quæ hic *La Cerda* de terrestri tempestate commentatur, nihil ad rem faciunt. *Virgil. lib. 11. v. 423.* Sunt illis sua funera parque per omnes *Tempestas.* Observat hic *La Cerda,* vocem *tempestatis* in re belli a Poëtis poni; sed ad alia quoque passim video transferri. Ita *fermentationem vini* posses *tempestatem* dicere. *Tempestas* *barathrumque* *macelli.* *Horat. Tempestas comessionis,* vid. *Inst. Orat. Voss. lib. 4. p. 103.* *Claud. 3. Conf. Honor.* Optatas audire tubas campique cruenta *Tempestate* frui: ubi *telorum* & *ensium* insultus, & *cadaverum* frequentiam per *cruentam tempestatem* intelligit. Ita ap. eundem est *tempestas pretiosa* *Tagi,* i. e. magna vis auri. *Id. Conf. Mallii:* nullaque mutati *tempestas* proditur oris, i. e. impotens quidam affectus. *Baron. in Sylv. metr. 11.* de organo hydraulico Musico: blanditurque *diserta* canoro *Tempestas* numero, *Miscell. nostra p. 65.* Te non *tempestas calicum* Obruet. *Ibid. 44.* *Tempestas facunda* sonat per pulpita: de eloquentia dicitur. *Vener. nostr. p. 17.* Hinc *pia tempestas oculorum* spargitur, i. e. lacrymæ. Item in *Amoribus Cimbricis:* dum gemina votorum fervet in aula *tempestas.*
328. *Tendere.* *Claud. Conf. Probin.* non anxiam mentem Spes agit, & longo tendit præcordia voto.
329. *Tener.* *Claud. Conf. Mall. teneri* primordia mundi.
330. *Tentare.* *Claud. Conf. Probin. & nulla* sub tempestate timentes *Solstitio Meroën,* bruma *tentabimus* *Istrum.*
331. *Ter* Poëtis pro aliquoties usurpatur. *Virg. Ter* revoluta toro est.
332. *Terere* pro quovis tactu. *Claud. Conf. Probin. de fluvio Liri:* *Flavæque terens* *guerceta* *Maricæ* *Liris.*
333. *Terrere, Territare.* *Stat. 3. Theb. de globo* *flammæ:* volat ignea moles *Sæva* *Dei* mandata ferens, cælumque trifulea. *Territat* omne coma. *Id.* Magnus quanto mucrone minatur *Noctibus* *hibernis* & *sidera terret* *Orion.* *Id. Th. 6.* *Qualis* *Bistonis* *clypeus* *Mavortis* in arvis *Luce* *Mala* *Pangæa* ferit *Solemque* *refulgens* *Territat.*
334. *Torvus* pro severus, gravis. *Claud. 3. Conf. Hon.* *Aspera* *complexi* *torvum* post *prælia* *patrem.* *Id. 4. Conf. Honor.* *quam* *torva* *voluptas* *Frontis,* & *augusti* *majestas* *grata* *pudoris!*
335. *Trabi* dicitur *quies* multis *curis* interrupta.

- rupta. *Stat. 1. Theb.* Inachio tenuis sub pectore Regi Tracta quies.
336. *Tristis* perpetuum apud Poetas rerum infernalium, inauspicatarum & ingratarum, epitheton. *Ovid. 1. de art. am.* Nec male odorati sit *tristis* anhelitus oris. Hinc *contristare*, pro maligno aliquo halitu afflare. *Virg. de Sirio:* laevo *contristat* lumine cœlum. *Id. Æn. 6. de Styge:* *tristique* palus innabilis unda. *Stat. 1. Theb. de Tisiphone:* *Tristibus* exiit ripis. *Ibidem* fluvium infernalem Coccyton *inamœnum* vocat. *Id. 3. Theb.* armaque in auro *tristia*. *Claud. 3. Conf. Honor.* galeæ nec *triste* timentem fulgur. *Id. Conf. Mall.* clementia *tristes* Obrundit gladios. *Ibid.* *tristem* figat crinita Cometen.
337. *Trux.* *Claud. Stil. 1.* lucosque vetusta Religione *truces*.
338. *Tumidus* pro maturo. *Tumere* pro maturum esse. *Stat. 2. Theb.* *tumida* jam virginitate. *Id. Achill. 1.* Virginitas matura toris annique *tumentes*. *Claud. Epith. Pal-lad.* matura *tumescit* virginitas.
339. *Tumultus.* *Claud. laud. Stil. 1.* varios vocum *tumultus* dicit de variis linguis.
340. *Tundere.* *Catull.* Longum ubi resonans Eoſum *Tunditur* unda scil. littus. *Claud. Conf. Mall.* quicquid Tyrrhena *tunditur* unda, quid gemit Ionia.
341. *Turba* catachrestice de rebus inanimatis. Vid. *Buchn. de Comm. D. R. p. 198. 199.*
342. *Tutus* pro cautus & vice versa, *Buchn. p. 6. de Comm. dic. rat.* Mens male *tuta* i. e. tana, *Horat.*
- V.
343. *Vacuis* perpetuum inferorum epitheton, qui ibi non nisi vacuæ umbræ. *Inane*
- vulgus propterea Manes vocat *Statius.* *Vacuis Lunæ orbis* dicitur, quando non plenus *Saut. p. 24.* *Cynthia* jam decies *vacuum* reparaverat orbem.
344. *Vectigalis* epitheton Poëtis familiare pro eo, quod officii gratia alicui præstatur, vel quod alicui quasi proprium & subiectum est, ut *vectigalibus votis* gratari Domino, *vectigalibus undis* plaudit Oceanus Victori &c.
345. *Venter.* *Virg. 4. Georg.* totusque per herbam Cresceret in *ventrem* cucumis. *Prop. 1. 4.* tumidoque cucurbita *ventre*.
346. *Verberare* pro quolibet contactu & motu *Lucret.* pontum ponto *verberari* dicit. *Stat. 1. Theb. de Tisiphone:* hæc vivo manus aëra *verberat* hydro. *Q. Cicero l. 16. ad fam. ep. 26.* *Verberavi* te cogitationis tacito duntaxat convitio. Et sequenti epistola *id.* Mirificam mihi *verberationem* cessationis epistola tua dedisti. *Verbera Claud. Stil. 1.* Exiguo clavi flexu declinat aquarum *Verbera*.
347. *Verrere* de lento & longo tractu, ut cum Cometen dico *verrere* cœlum, astra.
348. *Vernare* de genarum lanugine *Mart. lib. 2.* cum tibi *vernarent* dubia lanugine malæ. De galea floribus coronata *Claudian. 3. Rapt.* Cristæ placato fulgure *vernant.* *Claud. 4. Conf. Honor.* lanugine nondum *vernabant* vultus. *Prudentius* de Theodosii filii, dominos *vernantes* flore juventæ. *Claud. Stil. 1.* *Senium vernans* dicit vegetum & robustum.
349. *Vestire.* *Lucret.* Juventas Incipit & molli *vestit* lanugine malas. Hinc *vestis* pro barba ap. *Lucret.* Impubem molli pubescere *veste.* *Virgil. 8. Æneid.* tum mihi prima genas *vestibat* flore juvena. *Id. Georg. 2. de terra:* quæque suo viridi semper se gramine *vestit.* *Martial. lib. 10.*

- Epig. 51.* Ridet ager, vestitur humus, vestitur & arbos. *Senec. Herc. Oct.* Non dum teneras vestite genas. *Claud. Conf. Probin.* Oraque ridenti lanugine vestiat ætas. *Idem.* vestitos gramine campos. *Auson.* jugum vindemia vestit. Vid. *induere.* Ita vox *investis* de imberbi dicitur. Vid. *Lexic. Claud. Rapt. Prof. 1.* de Cerere curru suo vecta & subnascente per iter segete: *Vestit iter* comitata seges.
350. *Vetare.* *Stat. 2. Theb. de Sole.* ac ipsi radios vetat esse sorori i. e. Obfuscat.
351. *Veteranus juvenis.* *Sidonius:* Emerito splendet juvenis *veteranus* in auro.
352. *Violare.* Vox eleganter a Poëtis usurpatur, cum significare volunt rei splendide alicujus vel sacræ obfuscationem vel abusum, aut quamvis rei puræ tincturam. Ita *Stat. 1. Theb.* de aureis patinis, quarum splendor pingui cibo quasi adulteratur, pulchre dicit *aurum violare cibus:* quæ locutio inepte improbarur eo in loco *Barthio,* cum ad *Virgilit* aliorumque Poëtarum imitationem facta sit. Sic *Virgil. Æn. 12. v. 67.* *ebur* dicit *violatum ostro,* ad *Homeri* imitat. qui *μικθίων* usurpat. *Stat. Achill. 1.* Lactea *Massagetæ* veluti cum pocula fuscant *Sanguine Puniceo,* vel *ebur corrumpitur ostro.* *Juvenal.* vocem *violandi* rei præstantiori applicat, qui de *Jovis* statua aurea dicit: hanc rebus *Latiis* cuffam præstare solebat *Fictilis,* & nullo *violatus* *Jupiter* auro. Puto *violatum auro* dici, quod *aurum* furtis & sceleribus paretur, inquit *Lubinus* hic. At *ego violare* hic existimo idem significare, quod *profanare;* est enim vox inter sacra etiam. Ita *Virgil. 2. Æn. v. 189.* Nam si vestra manus *violasset dona Minervæ.* Ap. *Claudian. in Rusin.* *Alecto* dicit: jam cupio *Stygiis* invadere nubibus astra Et *statu violare diem.* *Id. Rapt. P. 1.* de *Cerere* lacry-
- mante: *violavit* oborto *Rore* genas. *Nas in amoribus Cimbricis* de genis rubore intermistis, genarum *Lilia Sidonia* placide *violaverat ostro.*
353. *Viridis* epitheton rerum marinarum. *Claudian. 3. Conf. Honor. virides* *Neptunus* in alga *Nutrit equos.* *Stat. 1. Theb. Ite Dea virides,* i. e. *Nymphæ.* *Virides* etiam *Pardi* vocantur ob maculas *Claud. 3. Stilic.* Tum *virides Pardos* & cetera colligit *Austri* *Prodigia.* *Id. Consul. Mall.* Cum forte *leænæ,* *Nobiliorem* uterum *viridis* corrupit adulter.
354. *Virere.* *Ovidius de Athen.* Ingeniisque opibusque & festa pace *virentes.* *Sil. Ital. lib. 15.* Pars credunt torvos *Patru* *revirescere* vultus. *Claud. Conf. Prob.* Per falces numerantur avi semperque renata *Nobilitate virent.* *Ibid.* prima cum parte *viresceret ævi.*
355. *Vivere* dicuntur signa singulari ingenio expressa, uti & *spirare.* Ita *Stat. Theb. 1. vivum aurum* vocat artificium signorum. *Conf. 4. Hon.* picturatumque metallis *Vivit opus.* *Vivere fontes* dicuntur, quos loqui & oracula promulgare tradunt Poëtæ. Vid. *Barthi.* ad v. 32. *Claud. de 6. Consulatu Honorii.* *Vivus. Viva pocula,* i. e. quæ puram aquam propinant. Balde in *Lyric.*
356. *Umbra* pro prima lanugine. *Stat. 4. Thebaid.* Dum roseis venit *umbra* genis Hinc *Claud. Conf. Prob.* genas cum flos juvenilis *inumbat,* pro colore & sophismate politico. *Claud. Stilic. 1.* scelerique profano *Fallax* legitimam regni prætenderat *umbram.*
357. *Unda* pro multitudine populi. *Virg.* Mane salutantum totis vomit ædibus, *undam.* *Stat. 2. Theb.* foribus cum immissa superbis *Unda* fremit *vulgi.* *Claud. 6. Conf. Honor. Undare* videres *Ima* viris.

Id. Consul. Probin. populis undare penates.
Undare de sermone. *Claud. Consul. Mall.*
Mox undare foro victrix opulencia lin-
guæ.

358. *Volvere secum vel volutare* pro cogitare
usurpatur.

359. *Vomere* pro emittere. *Virgil.* de ædi-
bus homines emittentibus: mane salutan-
tum totis vomit ædibus undam. *Claud.*

4. *Consul. Honor.* Danubii totæ vomerent
cum pralia ripæ. *Id. Conf. Prob.* Præcepta
illa manus fluvios superabat Iberos Aurea
dona vomens. *Perf.* Dispositæ pinguem
nebulam vomuere lucernæ. *Buchn. de*
Comm. dic. rat. p. 40. reprehendit *Var-*
ronem, qui dixit de nubibus, aquam vo-
mentes inferam mortalibus, & ejus verbi in
satyra locum esse putat: Si tamen is ad
Virgilii exemplum respexisset, credo, aliter
sensisset. *Longinus* *ἡρεῖ Ἰψὺς* c. 2. re-
prehendit Poëtam, qui ait, *πρός ἑσπέρων*
ἔξερπεν, in cælum vomere. *Tanaquil. Fa-*
ber in notis turpem & fædam locutionem
vocat; mihi tamen aliter videtur, quia in
monte ignes & lapides ejaculante facile
locum invenit. Imo vox illa Latinis non

æque turpis erat. vid. *Macrob. lib. 6. cap. 6.*
Januas, quibus egrediebantur in Specta-
culis, vocabant vomitoria. Vid. *Taub-*
man. ad illud *Virg. Georg. 2.* Mane salu-
tantum totis vomit ædibus undam. *Id.*
Æneid. 5. Stupa vomens tardum fumum.
Id. Æneid. 7. de Caco: atros ore vo-
mens ignes. *Id. lib. 9.* de vulnerato Sul-
mone, dicit: vomens calidum de pecto-
re flumen. *Id. lib. 11.* sanguinis ille vo-
mens rivos cadit. Eodem sensu *eructare*
accipitur. *Id. lib. 8.* Cacum in tenebris
incendia vana vomentem dicit. *Id. eodem*
libro, galeam vocat terribilem crâstis flam-
masque vomentem. *Ibid.* de imagine Au-
gusti in clipeo *Æneæ*: geminas cui tem-
pora flammæ Lata vomunt. Unde pa-
tet, errare illos, qui turpem hanc vocem
existimant, & e metaphoris poëticis eji-
ciunt.

360. *Urgere* verbum quod obscenum sen-
sum honeste exprimit. *Horat. lib. 1. od. 5.*
Quis multa gracilis te puer in rosa Perfu-
sus liquidis urget odoribus.

361. *Vulnus* pro telo. *Buchn. de Comm. dic.*
rat. p. 72.

INDEX RERUM

DE QUIBUS DICUNTUR TRANSLATA.

A.

A cies stupet igne metalli, i. e. splendore	<i>Æther</i> jaculis obtexitur	243
armorum, vid. numer.	<i>Ætna</i> fidem nivibus servat	113
Aditum custode coronare, pro cingere, n.	<i>Ætna</i> lambit fidera	199
Aer æger, qui peste infectus est,	<i>Ætna</i> vomit nimbos indigenas	167
Aer decerior, i. e. magis serenus	Ager fidelis	113
<i>Ære</i> vetusto florere	Ager ingratus	177
<i>Æstum</i> solantur fluvii	Agmina clypeo augustare	15
		Alæ

Alæ famulæ Pegaso adscribuntur	103	Artes lætæ, h. e. gratæ venantibus	197
Alpes anfractibus curvis aditum angustant	15	Arva invidendæ fertilitatis improba nuncupantur	161
Amazon exerta larus pugnae	100	Arundo moritur	229
Amnis ebrius	88	Astra pestilentia furere dicuntur	130
Atanes docti floribus riserunt	82	Auræ obstetrices	242
Amor crudus pro immaturo	57	Auræ clementes Veneris	39
Amoris flamma medullas populatur	267	Auræ felices, pro bona fragrantia	107
Amictus Diti ferrugineus adstringitur	110	Aures attonitæ	23
Animam angustare	15	Auroræ pallor dicitur diluculi adventus	250
Animos bello accendere	1	Aurum madidum dicitur e Tago Bætique depromptum	212
Angues blandi, qui non lædunt	30	Aurum cibus violare, pro patinæ splendorem pingui cibo obfuscare	352
Annus stare dicitur ob alicujus desiderium	318		
Aper prælia dediscens	65		
Aprorum dentibus fulmen tribuitur	126		
Apes pennata juvenus	143		
Apes & aves glomerantur	139		
Apes rosas prædantur	271		
Apum examina perfida, quæ alvearia migrarunt	256		
Aquæ infames ob suffocationem multorum	172		
Aquæ fragiles, h. e. glacies	122		
Aquarum verbera	346		
Aquas remis sollicitare	315		
Araxes st. famulari dicitur	103		
Arbor vestiri dicitur	349		
Arbores juxta viam adorant obvios currus	4		
Arbores auritæ Orpheum secutæ	28		
Arcus furdi, qui non obsequantur	25. 323		
Arcus mentiri nescius ictum	221		
Arcum audiunt sagittæ, scòpum attingentes	25		
Arctos tacita	324		
Arena ditescit sanguine, pro redundat	80		
Arenæ nubes	239		
Arenæ flagrantés	115		
Arenas rutilas Pactolus despumat	71		
Arma famulantia	103		
Arma tristia	336		
Aristæ suaviter inhorrescunt	178		
		B.	
		Bacchi sævus odor de vino dicitur	296
		Basia maligna, quæ dente impresso fiunt, vel lasciva	214
		Bellum accendere	1
		Bibere igni tribuitur	152
		Boreas rauco turbine armatus	21
		Bosphorus æquora induere dicitur floribus	169
		C.	
		Cacus ignes vomens	359
		Cadus Marfi duelli memor	219
		Cadmæi fratres messis vocitantur	222
		Calamos veneno armare	21
		Calicum tempestas	327
		Calydonis honos aper	144
		Campi dicuntur desiderare, sursum volante ave	70
		Campi gramine vestiti	349
		Caput honestum, i. e. venerandum	143
		Caput tiara floret purpurea	116
		Capitis nives pro canitie	237
		Oo oo 2	Capræ

Capræ pascentes in montibus pendere dicuntur	255	Curfus fulmineus, i. e. velocissimus	127
Carmina flores appellantur	117	Currus pii triumphales	262
Cassis ingloria, cristis orbata	176	Currus non audiunt habenas & verbera aurigæ	25
Caulis pauperibus foliis, h. e. raris	254	Cutis sanie gliscens	138
Cælum umbra obtegitur	243	Cyllarus fervire dicitur	309
Cæli tegmen	325	Cymba Charontis ferruginea	110
Cælitæ labi dicuntur ob velocitatem	194		
Cæruleum monstrum Python vocatur	110	D.	
Cera flexilis sequitur doctos digitos	307	Damna Lunæ, i. e. decrementa	61
Ceres saxo perdomita, i. e. panis	84	Deæ virides, i. e. Nymphæ	353
Cervix in arcos descendens pro decrescens	69	Deos magico ritu armare dicuntur carmina Chaldæa	21
Cervix rebellis in dextr. lævumque latus	285	Dentibus apri fulmen tribuitur	126
Cilicum nimbi, pro balsamis	234	Dictis faucia Juno	297
Cingula manu comere	44	Dies devexior, i. e. Occasus	74
Cingulo vestem moderari	226	Dies nube gravatus pro nebuloso	140
Cinis dolofus, a quo periculum, ne ignem alat	83	Dies pura, quæ non est immista nocte	281
Cithara imbellis, quæ pacis laudes canit	156	Dies squalens, tempestas, nebulis, pestiferis obsita	317
Classi habenas immittere	141	Dies incestari dicitur, quando serenitatem amittit	165
Clivus clemens, molliter elatus	39	Diem flatu violat Alecto	352
Clypeus Martis refulgens dicitur terrere Solem	333	Diem Sol accendit	1
Clypei formidatum lumen	209	Diem Sol promittit atque celat	34
Color ferrugineus pro cæruleo	110	Doli fabricator Epeus	102
Columba pia	262	Dolis armari	21
Colus ambitiosa	12	Dolorem solari amplexu	313
Copia sæpe exprimitur per cornu	55	Dormire de igne	152
Coronæ igne lapidum distinctæ, i. e. fulgore relucente gemmarum exornatæ	152	Draco textilis iratus dicitur it. mentiri	186 221
Corpora ædificant saltatores	6		
Cometes tristis	336	E.	
Crater Veneris sodalis vocatur	314	Ebur ostro violatum	352
Crimen induere dicuntur secula	169	Edere, excitari de igne	152. 312
Crisnali hedera florens Bacchus	116	Eminentibus decimas aristas, i. e. decem annos natus	20
Crines humeros flagellant	114	Enses serviunt legibus	309
Cruorem Thraces lacte domant	84	Epulæ imbelles	156
Cucumis in ventrem crescens	345	Equus contemnit dominum	49
Cupressus fulmine afflata	9		
Cura animo recurfans	286		
			Equus

Equus Cyllarus servit	309	Focus emeritus	92
Equi Neptuni virides, quod in alga nutriti	353	Foci edomiti	93
Equorum nares ignescunt	151	Folijs pauperibus caulis, pro raris atque paucis	254
Examina apum perfida, quæ alvearia migrarunt	256	Fontes Nili deprendere, pro detegere	68
Exercitus turmis florens	126	Fontes viventes, qui oracula edebant	355
F.		Formidine faucius	297
Facunda tempestas	327	Fortunam domare virtute	84
Fagi tegmen	325	Frena equorum spumis ignescunt	151
Facti incestantur ignobili aliquo nomine	165	Frons lunata vocatur, quæ gestat cornua	210
Fata proprie ducere dicuntur	86	Frons ferruginea Strigi tribuitur	110
Femur exclamare dicitur	98	Frondes pudicæ dicuntur rami laurei, propter Daphnen in laurum mutatam	279
Ferrum spumis & sanguine uri dicitur	151	Fulcire vetulam emeriti recusant pedes	92
Ferrum veneno armatum	21	Fulgur triste galeæ	336
Ferreus imber	157	Fumus fidelis	113
Ferrea hyems vocatur telorum copia & tempestas	147	Fundus mendax	220
Fibula sudata, i. e. elaborata	320	G.	
Fides mansura pro æterna	216	Galea sertis coronata lascivit	200
Flamina armant flammis	21	Galea coronata floribus dicitur placato fulgure vernare	348
Flammæ errantes ludunt per cæcula	94. 208	Galeæ fulgur applicatur	125
Flamma mitis, pia, quæ non lædit	225. 262	Galeam sertis mitescere docens	81
Flamma territat coma cœlum	333	Gaudia pallent post superata magna pericula	250
Flamma de gemmarum fulgore	152	Gemmæ scintillantes	298
Flatus dubii	85	Gemmarum fulgor ignis vocatur	152
Flos protuberans diem ore captat	75	Genæ dulces	87
Flores scintillare dicuntur	298	Genæ sanguineo imbri putres	157
Floribus docti amnes riferunt	82	Genæ pubescentes florent	116
Floribus induere dicitur Bosphorus æquora	169	Genæ lanugine vernant	348
Fluctus mitescere jubet Eridanus	81	Genarum lux	211
Flumina juvantur a sanguine cælorum hominum	191	Genas violare oborto rore, pro lacrymis perfundere	352
Flumina minantur diluvia	224	Genarum lilia	352
Fluvius arva temperat	326	Gladii tristes	336
Fluvius ditat	79	Gloriosus atque nobilis Virgilio superbus est	322
Fluvius glaciæ concretus, item cadaveribus impletus, stare dicitur	318	O o o o 3	Haſta

H.			
		Ira accendere hominem	I
		Irae sacrae dicuntur adversus Phœbum	fulce-
		ptæ	295
Hasta rudis pro inornata	294	Iter fulmineum	127
Hastæ floribus animantur	19	Iter haurire	142
Hedera crinali florens Bacchus	116	Jubet Eridanus fluctus mitescere	81
Honor hospes, i. e. peregrinus	146		
Honores assidui	22		
Humeros acclines fultus	2		
Hyems rauco ore minans	248		
Hyemes armatas Æolus ab antris fundit	21		
		L.	
		Labor improbus, i. e. immodicus	161
		Lacte cruorem domare	84
		Lactuca sedens, i. e. humilis	302
Jaculorum nubes	239	Lambere ignis dicitur	152
Jaculis æther obtrexitur	243	Lana discit mentiri colores	78
Janua limen amat	13	Lanugo flore sæpius exprimitur	117
Jaspide pectus angustare	15	Lanugo genas inumbrat	185
Ignis attonitus, ob Scævolaæ manum	23	Lanugo ridens, est, quæ juvenum ora vestit	292
Ignis non urens, sobrius	312	Lanugo per ora serpit	308
Ignis levis, de peste	198	Lanugine genæ vernant	348
Ignis modestus de flamma non lædente	226	Laurus docta	82
Imago Augusti flammæ vomere dicitur	359	Lembi ad lusum parati, vocantur lascivi	200
		Leones blandi, qui non nocent	30
Imbre sædare noctem	118	Lethi fabricator morbus & dolor	102
Imbres raras Nilus excusat sæcundis fluctibus	99	Lingua opulentiæ, i. e. eloquentia	248
Imbribus honestis ora rigare, i. e. lacrymis	143	Littora æmula damnis lunaribus	7
		Littora frangentia, i. e. curva	121
Incendia fida	112	Locus in itinere visum fugiens, seu ex visu	
Incendia blanda, i. e. innoxia	30	recedens, decrescere dicitur	64
Indoles cruda, nondum matura, rudis exper-		Loricæ auro squalens	317
que rerum	57	Luci vetusti religione truces	337
Indomitum vinum, quod aqua nondum dilu-		Lucifer relinqui dicitur disparentibus stellis	
tum	84	reliquis ob præsentem auroram	290
Infera dicuntur populus silens	311	Lumen dubitandum	85
Insula per crines currit, h. e. ambit eos	60	Lumine lævo contristare cælum, h. e. sinistro,	
Ingeniis virere	354	tristi	198
Ingenua pigritia pro honesto otio	250	Lumine cælum floret	116
Invidiam coquere, pro fovere	52	Lumina ferrea Cerbero affinguntur	109
Jocosa imago, i. e. Echo	155	Lumina glauca Tiberini	137
Ister glaciæ obductus stare dicitur	318	Lumina natant, in agone mortis vel somno	231
Istro colla tribuuntur	41	Luna dicitur amulus orbis	7

Luna eclipsin patiens damnari dicitur	62	Mundus tener Poëtis qui primum conditus	
Luna dubitanda, incerta, dubia	85. 164		329
Luna regnare dicitur	288		
Luna rudis, pro nova	294		
Lunæ vultus irari appellantur, quando rubet	186		
Lunæ orbis vacuus, i. e. nondum plenus	343		
Lux ferrea Furia tribuitur	109		
Lux maligna, i. e. dubia	214		
Luxu circumfluus animus	37		

M.

Malus Africo faucius	297
Mamma heroinarum audax dicitur, qua arcus innitebatur	24
Manes silentes	311
Manus pretio inflammata, i. e. muneribus corrupta	174
Manus Scævole in igne regnans	288
Mare placidum marmor dicitur	217
Maria terris acclinata	3
Maria latrare dicuntur	203
Marito cruda virgo	57
Mavortia seges ferri, de gladiatorum copia	304
Meri nubes vocatur ebrietas	239
Metum dediscere corda dicuntur	65
Metum domare pectore magno	84
Messes interficere, pro perdere	183
Milite floret fulcus	116
Mons sylvæ indutus	169
Mons excelsus astris insiditur	182
Mons calcet rauca tonitrua	31
Mons lassus, i. e. jamjam ad planitiem inclinans	201
Mons cælo occurrit, pro erigitur	245
Montes docti	82
Monstrum cæruleum, i. e. Pytho	110
Moram exspuere	101
Mori igni tribuitur	157
Mori quoque dicuntur animæ	18

N.

Nares equorum ignescunt	151
Narium copia, pro odoribus	51
Nemus coronare, pro cingere	54
Nemus inferorum ferrugineum	110
Nereus advena, cum in fluxu est	5
Nictare de igne	152
Nilus excusat raros imbres	99
Nilus confitetur vires murmure	46
Nili cornua pia	262
Nimbos indigenas Ætna vomit	167
Nives adverso turbine glomeratae	139
Nivibus Ætna fidem servat	113
Nodi redeunt in pectora	287
Notus imbres parturiens	251
Novæ auræ hospes	146
Nubes aquam vomunt	359
Nube gravatus dies, i. e. nebulosus	140
Nubila deterfa Principis & solis radiis	73
Nubila rotarum cursu faucia dicuntur, illo scil. quo Roma per nubes vehit	297
Nux se in florem induit	169

O.

Oculos furari labori, est, a labore acquiescere	129
Oculi immanes nube soporis	239
Oculorum pia tempestas, i. e. lacrymæ largæ & decentes	327
Odor afflare dicitur	9
Odor sævus Bacchi, i. e. vini	296
Oliva imbellis, i. e. abhorrens a bello	156
Opibus virere	354
Orbis æmulus Luna vocatur	7
Orbis Lunæ vacuus dicitur, nondum plenus	343
Ora	

Ora mollissima, h. e. lanugine destituta	227
Oris copia, pro eloquentia	51
Orion inermis dicitur, quando dubia luce refulget	170
Orion minatur noctibus hibernis, & sidera terret	224. 333
Otia vitæ cantu solari	313

P.

Pace vivere	354
Paetolus despumat rutilas arenas	71
Pardi fulminei, i. e. veloces	127
Pardi virides ob maculas	353
Pascitur ignis	152
Patrem mente inducere, pro ejus mores imitari	169
Pater torvus, h. e. gravis, severus	334
Pedes vetulæ emeriti	92
Peditum nubes, Homero usurpatum	239
Pestis incendere dicitur propter celeritatem, quam cum igne participat	163
Perdomita saxo Ceres, est panis	84
Petræ infames ob latrocinia scil. ibi commissa	172
Phæbus emeritus, pro Occidente	92
Pluviis æstum solari	313
Pocula viva, quæ puram aquam propinant	355
Pœna frui	124
Pollex doctus	82
Poma cataphracta, sunt nuces castanææ	33
Poma felicia, i. e. mala aurea	107
Poma oblita dicuntur succos priores	240
Prata dicuntur incendi coloribus	163
Pretio inflammata manus, i. e. donis corrupta	174
Procellis vela furari	129
Prælia consumere	48
Profundum secare, pro navigare	300
Prudentiá περιφρόνησις cor longævum	53
Pudor terrore armatus	21
Pulveris nubes	239

Pulvere non indecoro sordidus dux	143
Purpura scintillans	298
Purpura circum chlamydem cucurrit, h. e. cinxit chlamydem	60

Q.

Quies multis curis interrupta trahi dicitur 335

R.

Rami arborum adorare dicuntur obvios curus	4
Regio decrefcere dicitur in itinere ex visurecedens	64
Remi audaces	24
Reverentia per senium exprimitur	306
Rex ferrugineus, i. e. Pluto	109
Ridere amnes dicuntur	82
Ripæ famulæ Gangis	103
Ripæ tristes, Stygis	336
Rivi rauci	284
Romæ jactantior æthera pulset, i. e. majori præstantia atque majestate fulgebit	148
Rore pio spargere dicitur sacerdos	262
Ros pudicus aquæ Castaliæ, quia virgines Mulsæ illa lavabantur	279
Rubeti ambitiosa progenies	12
Rubor per ora currit, i. e. genas inficit	60
Rupes conscia	47

S.

Sagittæ obsequentes arcum audire dicuntur	25
Salutantum unda pro multitudine	357
Sanguis lassus qui stillare cessat	201
Sanguinis rivos vomere	359
Sanguine ditescens arena	80
Sanguineus imber de sanguine, copiose ex vulneribus stillante	157
Sceptra situ squalent	317
Scopuli in cælum minantur	224
Scopuli	800

Scopuli infames, qui male audiunt ob nau- fragia	172
Secula circumflexa, i. e. in se redeuntia	36
Secula facdo victu detergere, i. e. purificare	72
Secula crimen induere dicuntur	169
Secula melioris metalli, i. e. aurea	218
Sedes maligna	214
Senectus pueritiam comere dicitur	44
Senium vernans, vegetum & robustum	348
Sensus nitidi, i. e. defœcatus intellectus	235
Sidera curru afflata Tænario	9
Sidera dicuntur flores	117
Sidus Leonis iratum dicitur, ad rubrum colo- rem accedens	186
Signa cœlestia cunctari dicuntur festinanti	54
Signa singulari ingenio expressa vivere & spi- rare dicuntur	355
Sirius lævo lumine cœlum contristat	336
Smaragdi igne arcano florent	116
Sol accendit diem	1
Sol celat atque promit diem	34
Solis caput tectum dicitur obscura ferrugine	110
Soli habena tribuuntur	141
Sole nimio plaga, i. e. Zona torrida	235
Somno cornu affingitur	55
Soporibus nubes	239
Spectacula montes consumere dicuntur	48
Spes gaudia consumit longo voto	48
Squalens dies ponitur pro pestifera tempe- state	75
Spuma splendida Tagi aurum nominatur	316
Stellæ crinis tribuitur	56
Stupa fumum vomens	359
Styx tristis unda vocatur	336
Sulcus florere dicitur viridi milite	116

Tomus I.

Suppliciiis frui	124
Surdi arcus non obsecundantes flectenti	25
Sylva solatur hominem solitudine gauden- tem	313
Sylvarum honores folia	144

T.

Tagi pretiosa tempestas, h. e. magna vis auri	327
Tellus maligna	214
Telorum tempestas ac ferreus imber	157
Telorum nubes	234. 327
Tethys alterna	239
Thalami herbis pallentes dicuntur Tiberini musco obfiti	11
Theatri læta seditio	250
Tigres blandæ, i. e. mites, nil nocentes	303
Timor opifex dicitur, quo impellente mania exstructa	30
Timoris nubes	247
Timorem solari	239
Tonitrua mons calcare dicitur	313
Tonitrua rauca propter ingratum sonum	31
Tremor per ossa currens	284
Trepidare de igne	60
Turbo anhelus, animosus	152
Turmis florere exercitus dicitur	16. 17
	116

V.

Vallum calcatum	32
Vela animosa dicuntur	17
Vela procellis furari	129
Venenum ferrugineum	110
Venenum invalidum	180
Veneno ferrum armare	2

Pp pp

Venen

Veneno Zephyros armare	21	Virgo cruda marito, pro immatura	57
Ventus subterraneus iter scrutari dicitur	299	Virginitas tumida, i. e. matura	338
Ventus immoritur velis, residente tempestate	158	Virtus haud lata, h. e. ingrata tyranno	197
Venti dubii	85	Virtutem accendere prece	1
Venti fideles	113	Viscera fessa	111
Venti equitant per undas	93	Vivere, vorare de igne	152
Venti & undae frenantur	123	Umbra obtexitur caelum	243
Venti flatibus populantur antra	267	Umbra natate dicitur, quae vespertino tem- pore ponto incubat	231
Venti inter se confiscentes caelum rapiunt	283	Unda indignata terris	168
Vento faucia Luna	297	Unda terre irata	186
Vena rudes, pro intactis	294	Undae jejunia pro aquae inopia	150
Vestis Solem combibens	43	Vocibus mansuris, h. e. aternis, publica aera testari	216
Vestis, pro barba	349	Votis vestigialibus domino gratari	344
Vestem cingulo moderari, i. e. praecingere se	226	Votorum tempestas	327
Vestes manu comere	44	Uri dicitur ferrum spumis & sanguine	151
Vestigia pendula, quae funambulus in aere facit	255	Uteri labores, i. e. liberi	195
Vestigia ebria de ebriorum gressu	88	Vulgi unda, i. e. multitudo	357
Vetustas sub ignota nube rem rapere dicitur	239	Vulgus inane, i. e. Manes	162
Vetusto aere florere	8	Vulgus Iners averni h. e. inferi	171
Vinum indomitum, nulla aqua dilutum	84	Vulneratus dicitur vomere calidum de pe- ctore flumen	359
Vina mollissima	227	Vultus Tiresiae opacus	246
Vires murmure Nilus confitetur	45		
Viribus fulmineis impellere hostem	127	Zephyri veneno armati	21

Z.

CAP. XII

HYLE-INVENTIONUM
POETICARUM.

- §. 1. *Inventionum poetiarum hyle promissa exhibetur.* 2. *Epicheremata, Hermogenis*
3. *unde desumantur.* 4. *Egyptiaca vel epenthymemata Hermogenis.* 5. *Fr*
Robertellus lib. de artificio dicendi. 6. *Inventio gratulatoria de dignitatibus*
collatis. 7. *quae varia est.* 8. *prout variae sunt dignitates.* 9. *id quod dedu-*
citur e locis τρεῖς αἰετῶν, juxta versic: Quis, quid, ubi &c. 10. *Symbola dignitatum*
confe-

conferendarum. 11. Gratulatio de Doctōratu. 12. in quacunque facultate.
 13. 15. instituitur juxta versiculum citatum. 14. ex argumento disputationis inau-
 guralis. 16. Gratulatio de Reçtoratu Academico. 17. in quacunque facul-
 tate. 18. Subsīdia ab insignibus Reçtoratus. 19. Gratulatio de novo anno.
 20. Inventio a strenis afferendis. 21. Gratulatio de natali. 22. de victōriis.
 23. Exempla gratulationum de dignitatibus. 24. de natali primo. 25. de
 natali anniversario. 26. de novo anno. 27. de victōria. 28. miscella gratu-
 latoria. 29. Inventionis epithalamius cum exemplis generalibus. 30. Exempla
 specialia a nomine sponsorum. 31. a personis matrimonium ineuntibus. 32. a tem-
 pore. 33. ab occasione amoris. 34. ab adjunctis. 35. a genere carminis.
 36. miscella. 37. Inventiones in epicediis. 38. exempla generalia. 39. specialia a
 nomine. 40. a persona. 41. a loco & tempore. 42. a genere mortis. 43. ab
 argumentis patheticis & consolatoriis. 44. a moralibus. 45. a ritibus & antiqui-
 tatibus. 46. a forma carminis. 47. miscellanea. 48. Exempla carminis soterii.
 49. eucharistici. 50. propemptici. 51. gratulatorii de adventu. 52. dedicatoriū.
 53. encomiastici personarum. 54. variarum rerum. 55. in imagines. 56. Sylloge
 variarum invectivarum & satyrarum.

Promissi Cap. 10. §. 39. Inventionum poëticarum aliquam ὕλην in juventutis usum,
 id nunc facturus quasi Speciminis loco præmittam pleniora quædam exem-
 pla. * Sunt vero hic etiam, ut Hermogenes vocat, Epicheremata, quo-
 rum κενώλειον seu propositio certa esse debet. * Illa Epicheremata docente eo-
 dem Hermogene, desumuntur e locis περιστατικοῖς, προσώπῃ, πράγματι, τόπῃ,
 χρόνῳ, τρόπῳ αἰτίας, quæ ille Enthymemata vocat, ac vulgato illo versu: *Quis,*
quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando, continentur. * Εργασία ac deductio
 ipsa, quæ Hermogeni consistit in Exemplo & collatione seu παραβολῇ, ex iisdem
 locis sumitur, sicut res postulat: atque hæc probationes in illa Εργασία collocatæ
 Hermogeni vocantur Epenthymemata. * Quæ singula fufius proponit Fr. Ro-
 bertellus libro de artificio dicendi, capite, quo de methodo perquirendi artificii in Scri-
 ptis Poëtarum antiquorum agit, p. 29. & 30. * Monstrabimus ergo, quomodo
 in locis illis περιστατικοῖς inventio poëtica formari possit, exemplo gratulatorii car-
 minis, & quidem primo de dignitatibus collatis.

Varia hic est inventio pro varietate dignitatum, quæ conferuntur, quarum
 omnium accurata delineatio propter rerum multitudinem dari nequit. * Dignitates
 sunt vel sacrae, vel civiles, vel militares, vel scholasticae, vel summæ vel inferiores. Sa-
 crae sunt Episcopatus, Archiepiscopatus &c. Civiles, Regnum, Ducatus, præfecturæ
 &c. Militares etiam variae. Porro ratione temporis sunt dignitates perpetuæ vel am-
 bulatoriae, vel transmittuntur ad hæredes, vel ad vitæ tempus durant, ut Consulatus,
 Legationis dignitas &c. Aliæ sunt successivæ, aliæ electivæ. Singulae species pro
 sua conditione proprias quasdam inventiones parare possunt, quæ ad certa capita vo-

9 cari nequeunt. * Nos utemur hic locis περιτολμοῖς, qui vulgato versiculo comprehenduntur, *Quis, quid, ubi* &c. Tò *quis* comprehendit laudem personæ, cui dignitas defertur, vel a qua defertur, quod si is Princeps sit, in promptu sunt loci communes apud Poëtas Panegyricos, veteres, & recentiores, Claudianum, Barlæum &c. Tò *quid* continet laudes ipsius dignitatis, ubi de magnitudine ejus, de majestate & præeminentia, multa dici possunt. Tò *ubi* loci circumstantiam, si ea deferatur in solenni loco, in templis, sub dio, quod quibusdam locis fit, coram altari, in urbe aliqua præcipua. Hic Poëta varias habebit occasiones fingendi allocutiones, ad Deum, ad genium loci &c. Item descriptiones Topographicas, in quibus studiosiores præ Oratoribus sunt Poëtæ. Tò *quibus auxiliis* involvit concitantibus & impulsivas causas, inter quas referri possunt electio & successio. Si electio, dicas, illum virtute sua meruisse dignitatem, non emendicatis suffragiis, casu, dolo, fraude, quod concordia fuerint omnium suffragia. Si successio, dicas, hæreditarias esse in illo virtutes, & data occasione, commendetur successiois jus, quod illustrari poterit variis comparisonibus a natura animalium, arborum, agrorum petitis. Antecessor quoque poterit laudari, ita tamen, ut successor præferatur. Si qua fuerint singularia omnia vel divina auspicia, ad hanc quoque classem pertinebunt, ac licet Poëtæ libere nonnunquam ista fingere, sed videat, ne alia fingat, quam quæ sunt poëtica: Historica enim fingere salva veritatis lege non licet. Tò *cur* causam finalem notat, quæ salus est publica, Reip. legitima vel in toto vel in parte administratio, jurium conservatio, gentis & imperii incrementum, sacrorum cura, tribunalium & justitiæ incorrupta administratio, literarum, Academicarum, Scholarum, rei militaris cura &c. de quibus Magistratus vel Principis aliqujus officii, tam in pace quam in bello, plenum Claudianus exemplum præbet in laude Stiliconis, aliisque Panegyricis carminibus, uti & Barlæus. Tò *quomodo* involvit varios ritus, in ipsa dignitatis collatione observari solitos, quo pertinent preces, unctiones, investituræ, insulæ, pallia, fasces, coronæ, laurus, sceptræ, claves, gladii, annuli, poma aurea, & si quæ alia sunt auspicii Regii, vel Ducalium, vel Episcopaliæ, & aliarum dignitatum symbola, ad quæ variæ allusiones formari possunt.

10 * Hinc in subsidium vocari possunt, qui de symbolis illis scripserunt. Generatim de plerisque agit *Bœclerus in Disput. de Auspicio Regio, Sylvester Petra sancta de tesseriis gentilitiis, de sceptro Berneggerus, de insulis Episcopalibus pileo &c. Solerius. De annulis Licetus, Kirchmannus.* Potes etiam huc referre symbola proverbialia vel gnômica Regum & Principum, quæ colligit Reusnerus. Poteris etiam ad ritus veteres & aliarum gentium mores, data occasione, alludere. Tò *quando* tempus notat. Hic considera, quo anno, die, mense fiat, & si quod memorabile antiquitus gestum sit: perpende etiam, an in pacato statu, an in turbulento sit respublica, an præsentis tempore memorabile aliquid in republica geratur &c.

11 In GRATULATIONE de DOCTORATU eodem modo procedes. Ad Tò *quis* pertinent inventiones, quæ a nomine, patria, genere, familia, aliisque, quibus fungitur officii, peti possunt. Si sit Consiliarius, Advocatus, Sacerdos, Archiater

chiater &c. Si ægrotus, absens, præsens &c. e. g. in *Sparmannum Archiatrum Christianæ Reginae*, Boxhornius in poemat. p. 24. *de fratribus geminis eodem tempore promotis*, idem p. 6. *ad Patrem, cum filiorum quartus promoveretur*, id. p. 27. *ad patriam Hagam: de aliquo in Jurisconsultorum ordinem cooptato*, idem p. 30. *ad aliquem in patriam redeuntem, postquam laurea medica decoratus fuerat*. Bannin p. 69. *ad urbem Alcmariam, cum quidam J. U. D. renunciaretur*, p. 185. Ad Tò quid pertinet ipse gradus, qui confertur, ubi in genere formari possunt Loci communes de dignitatibus, quòd sint virtutum præmia, ubi comparare potes Studiá cum certaminibus athletarum, eorumque præmiis, ludis olympicis &c. De titulis virtute & Studiis dignissimis eorum insignibus: posset etiam, si videretur, inveciva institui in indignos graduum captatores, merito de gradu dejiciendos. * Quod attinet ad gradus singularum facultatum, digredi potes in laudes Theologiæ. Vide carmen de Theologo perfectissimo Francisci Vavassoris in Parnasso Societatis Jesu p. 62. Si in Jurisprudencia tractetur locus communis de ejus laudibus, describatur Jurisconsulti, Advocati, Consiliarii, officium. Vide characterem causarum Patroni in gratulatione Doctorali ad Johannem a Dans apud Boxhornium p. 14. & in simili gratulatione carmen de officio boni Advocati apud Niendalium in poematibus p. 84. Si in Medicina; suppeditare Locos communes possunt *Satyræ Medicae Jacobi Balden*. Si in Philosophia, amplifimus per singulas disciplinas campus patet. * Tò ubi notat locum, qui est celebris aliqua Academia, templum, collegium: possunt ad locum allocutiones formari. Ita *Leidam alloquitur Boxhornius in creatione Doctoris p. 7. Tò quibus auxiliis notat causas socias & concomitantia, ut si sub celebri Præfide instituat promotio. Exemplum vide apud Niendalium p. 60. si Principis sumptibus fiat, si solus, vel cum aliis, ejusdem vel diversarum facultatum, promoveatur, si nuptias eodem tempore celebret, ubi variæ inventiones ratione variarum facultatum institui possunt. Possunt & fingi Veneris, Astrææ, Eusebiæ, Pallados &c. certamina. Vide ap. Boxhornium p. 14. & 15. in quendam proxime post nuptias Doctorem juris renunciatum. * Ex argum-*

to disputationis inauguralis inventiones desumentur, e. g. in quendam post disputationem de lue venerea Doctorem medicinae creatum, vide Boxhornium p. 48. *Laus febris, quum Johannes Regius post habitam de febris disputationem medicorum ordini infereretur. Vide eundem p. 11. in quendam post publicam de angina disputationem Doctorem medicinae creatum, vide eundem p. 18. in quendam post disputationem de heredum institutione earumque querela Doctorem creatum, vide eundem p. 26. in quendam post disputationem de nuptiis Jurisconsultorum ordini inscriptum, p. 41. Potest etiam ad Patrem dirigi gratulatio, cujus sumptibus instituitur solennitas, vide Boxhornium p. 27. In quendam post honores obtentos matrimonium incipientem, miscellanea nostra poetica p. 75. Possunt etiam allocutiones fingi ad Astræam, Apollinem, Musas, e. g. allocutio ad Themidem in creatione Doctoris juris, Boxhornius p. 40. ad philosophiam in creatione Magistri; in quendam post disputationem medicam de luxatione membrorum Doctorem medicinae creatum. Vide primitias Parnassi nostras. Ad*

Arminium, quum post disputationem de dysenteria medicina, Doctor crearetur, Bannin. p. 88.
 15 *ad alium post disputationem de angina Doctorem Medic. creatum id. pag. 175. * Ad Tò*
Cur refertur causa finalis, quæ est in Theologia fidei defensio contra Hæreticos &c.
In Jurisprudencia justitiæ administratio: in Medicina salus hominum, a qua pender
salus publica: in Philosophia veritas in contemplatione, beatitudo in actione. Hæc
singula fufius deduci & applicari possunt. Tò Quomodo continet ritus in promo-
tionem adhiberi solitos, quales sunt infula, annulus, amplexus, liber clausus & aper-
tus, faces ardentes. Si singuli ritus ad singulas facultates applicentur, varias pro-
re nata inventiones formabis. Vid. exemplum in Miscellaneis nostris pag. 48.
in pileum. Tò quando tempus notat, si forte conferantur honores vel in juventute,
vel media ætate, vel diæ natali, anno ætatis Climacterico, si tempore belli, pestis &c.
e. g. in quendam sub egressum canicularum feriarum Licentiæ gradum adeptum Boxhorn.
p. 77. in Medicum medio bellorum tumultu creatum, p. 23. in quendam prima juventute
Doctorem juris creatum, p. 53.

16 In GRATULATIONE de RECTORATU ACADEMICO præcipue in-
 ventionis deduci possunt, a personis, carumque conditione. Hæ in genere sunt lite-
 rati. Hic dies, quomodo Musis cum Imperio conveniat, non esse Tyrannicum
 sed virginale & placidum: non jam inter steriles tantum Parnassi arenas dominari
 Apollinem: non jam amplius boves pascere, sed selectissimos juvenes, (aut sic
 applica: Apollo olim boves pavit, Tu nunc curabis, ne ille leonibus, ursis, lupis
 imperet; tua Circaeis poculis, quæ in feras mutant, abduces) Musas latius impe-
 17 rium habere, quam Reges, quæ ipsis dominantur Regibus. * Si Theologus est,
 per fictionem poëticam induces Pieratem leges imperio ejus præscribentem, quod
 eo perfectius erit, quo perfectior est virtus illa, quæ in illo imperat. Dic impe-
 rium ejus Hierarchiam, sed innoxiam, quod contra Gigantes *Θεομάχης* militet.
 Si Jurisconsultus, induces Astræam, Themidos oraculum in Helicone: novum ali-
 quod judicium instituendum, in quo non Paris Veneri, sed Phœbe Minervæ pal-
 mam tribuat; tribue illi Pallada armatam Clypeo & hasta, eandemque pacifica olea
 decoram: dic illum docere omnes, quomodo suum cuique tribuant, & sibi ipsi.
 Si Medicus est, dic: Apollinem illum esse, qui & Musarum & sanitaris præses sit;
 tollere illum debere morbos Musis pestiferos ac noxios, per distributionem alle-
 goricam, *Vid. carmen nostrum in Rectoratum Marchii in primitiis Parnassi.* Si Philoso-
 phus est, & quidem primo Metaphysicus, monstra, quemadmodum illi imperium
 conveniat in Musas, qui dominatur ceteris disciplinis: monebis, ut abstra-
 hat omnes a malitia, & nihil concrefcere sinat vitiorum, curet, ut omnes sint
 uni (ex Pythagoræ præcepto) veri, boni &c. Si Physicus, dic illum secun-
 dum naturæ leges imperaturum; dic, totam hanc rerum naturam nihil aliud
 esse, quam magnum Imperium, ad cujus exemplum ille imperaturus sit. Apol-
 linem & novem Musas nihil aliud esse, quam decem orbes cœlestes: hic mon-
 stra Planetarum & orbium cœlestium cum Musis convenientiam. (*Videantur*
Platonici) Si Poëta, ostende Heliconam, Pindum &c. Eriam in his montibus inve-
 niet

niet auri fodinas, his Castaliis fontibus rigabit Musarum agros, ut varii generis germina feliciter crescant, cedri, lauri, viles etiam alni. Si Ethicus, omnes in illo die virtutes imperare, & mediocritati asserere, etiam hic medium facile obtenturum. Etiam hic pro summo fine esse beatitudinem. Si Politicus; dic hoc imperium quandam esse rempublicam, ubi Philosophus imperet, & Philosophi obediant, Rectorem a Rege non differre, (*huc refer ea, quæ de regno sapientis in philosophia Stoica differuntur*) vigere hic societates, exclusa tamen conjugali, quæ inter virgines Musas non admittitur, ut quæ non corporis sed mentis tantum partus suscipiant. Nullos hic esse servos, sed omnes liberos (*Vid. Lipsii manuductionem ad Philosophiam Stoicam*) suam Regi hic esse majestatem, sua regalia, sua Musis esse vestigia, suas nundinas, suos vasallos, sua feuda, quibus investiantur, Doctores, Licentiati, Magistri, ut Comites, Barones, Nobiles: etiam hic esse equites sed Pergaseos, bella etiam geri, sed cum barbarie & ignorantia, sed in Musarum area, non in arena gladiatoria. Posses hic formare acclamationes ad imitationem veterum. Si Mathematicus est, dic, illum omne tulisse punctum, totum esse. terebrem & rotundum, quemadmodum virum bonum describit Horatius; effecturum illum, ut imperium suum sit quasi quidam circulus, in quo extrema a centro seu medio virtutis æqualiter distent: Dic illum omnium rerum mensuram initurum, æqualia inæqualibus, paria paribus misturum. Si Orator & Poëta, dic illum instar Herculis Gallici eloquentiæ catenis omnes sibi devincturum. * Possunt secundo ab insignibus inventiones duci, qualia sunt sceptrum, 18 purpura, aureæ claves. Hic subsidia suppeditabunt, *Berneggerus in Oratione quadam de scepro, Boeclerus de auspicio Regio, Idem in Apollinis scepro ad Comitem Gassavum de la Gardie, Rectorem Upsalæ creatum, Ericus Putecanus in purpura Austriaca ad Principem Ferdinandum, ubi purpura qualitates confert cum Cardinalitia dignitate.* Tertio a tempore inventio petetur, si forte dies festus sit, aut quodam memorabili facto insignis. Ratione temporis, cum semestris dignitas sit, possit comparari cum dictatura Romanorum &c.

In GRATULATIONIBUS de NOVO ANNO partes possunt constitui quatuor, e quibus, quod commodum erit, adhiberi potest, primo gratulamur de exantlato anno, ubi considerabis circumstantias varias, an annus fuerit Climactericus, an Periodicus aliquis vel similis, an dies novi anni in natalem ejus incidat, cui gratularis. An annus inter morbos vel alias fortunæ difficultates sit exactus, (tum enim in subsidium vocabis ideam carminis Soterii) an peregre, an domi; tum dices solis laborem eum imitatum esse, cumque eo domum rediisse: An in bello vel pace. Ratione personæ variari etiam possunt argumenta gratulatoria, si Princeps sit, dicas illum cum Consulibus Romanis annum pandere & fastos, conferre seculo felicitatem. Si Theologus vel Sacerdos, dicas, ad illum non pertinere tempora sed æternitatem, vel potius veteres annos & mores antiquos, non nova secula. Si Consiliarius, Jurconsultus, gratuleris illi de præterito anno, ex quo sibi ipsi formaverit vel præviderit prudentia futurum annum & ceteros: comparabis illum cum Jano bicipiti; Si 19 Medicus

Medicus, mille illi salutes & de morbis triumphos precare. Si Philosophus, dic illum supra annos esse, ipsis dominari astris, ipseque tempori, cui ipse orbes suos præscribat, quod numeris suis includat: Si dives sit, precare crumenis & arcibus ejus Janum Patulcium & Clusium, qui justo tempore largiatur & recondat. Possumus *secundo ad varios ritus* tam veteres quam recentiores alludere, de quo nos alibi copiose diximus. Possumus *tertio gratias agere pro præstitis beneficiis*, ubi inea-
 20 tur personarum ratio: Subsidia hic petes ex idea carminis Eucharistici. * Possumus *quarto strenas asserre* vel veras vel fictitias. Hæ ad morem veterum dari possunt, argute ad illas applicatione facta: vel fictione aliqua poetica excogitari, pro ut personæ, cui illæ offeruntur, conveniunt. Et ea quidem ratione Passeratius varias obtulit Memmio-strenas, auram, nugas, columbam, olivam, morum, ficum, palmam, psittacum, laurum, rosam, olorem &c. quæ tamen mihi non adeo probantur, quoniam indistincte nullo habitu convenientiæ discrimine offeruntur. Vid. *primitias Parnassi nostras*, ubi varias omnium facultatum Professoribus strenas exhibemus. Ita Theologo vel sacerdoti posses offerre claves Jani, Sphæram cælestem cum omnibus circulis & astris, quod continua allegoria rei præsentis applicare posses; Jurisconsulto libram, gladium, fasces, fortunæ rotam; Medico coronam quærnam, civicam, pro servata salute civium, serpentem exuvias exuentem, Phœnicem; Chymico Jovem lapidem; Philosopho circulum, quo ipse annus & tota rerum universitas notatur, dolium Diogenis, saxum Sisyphi, rotam Ixionis: Metaphysico nihil, omnia, rem, Chimaeras, universum, unum, verum, bonum. Physico, flores ex hortis, atomos, semper vivum, similesque herbas, Laurum e sylvis, aurum e fodinis, uniones e mari, ovum, quod omnium rerum principium facit Orpheus; Mathematico annum ipsum & secula, puncta, pyramides; Oratori fulmina, mella, Caryotas, Thurfos, bona verba; Poëtæ Pegasum, fontes Castalios, laurum. Ethico centrum. Politico horologium; Patrifamilias opera & dies. Possent etiam in forma emblematis efferri. Sed talia infinita excogitari possunt, ac solent mire in talibus sagaces esse Oratores sacri, qui Strenas pro concione largiuntur. Videatur *Stegmannus in Christognosia sua*, sub titulo *Christi Strenophori*. Videndum tamen, ne in nugas prolabamur, ut facile fieri potest, si nimis in talibus operosi simus. Debet enim modus esse in rebus. Possumus *quinto varia ἤθη & πάθη* immiscere, vota pro incolumitate & felicitate ejus, cui gratulamur.

21 In GRATULATIONE de NATALI inventio ducetur *primo a personis*, ubi sunt Majores, Parentes, de quibus loci Rhetorici consulantur. *Secundo a tempore*, quod antecessit partum, ubi oracula, auguria. *Tertio a partu ipso*, ejusque adjunctis, quæ sunt apparatus varii, basia, cantilenæ ad cunas, dies festus, anni tempus, ver secundum, solstitium vegetum, autumnus gravidus, hyems genialis. Ornamenta poetica addantur, de partu mirabili e spuma maris, cerebro, femore, Jovis, Chao: de educatione, a columbis, a capra Amalthæa: allocutiones ad stellas, auro-ram, patriam Lucinam, bonam Deam &c. Quarto ab ἠθεσι seu votis ad infantem

rem, ad parentes, de familiæ incremento. Si masculis, gratulare de hærede felicitatis ac indolis patriæ, de bellica virtute, de studiis, si fœmineis; pulchritudinem, ingenium Matris in illo commendâ. In *anniversario natali* inventiones a laude personarum additis ornamentis poëticis omne punctum ferent.

In EPINICIIS five *gratulatione* de *victoriis* convenient primo *loci personales*, 22 laus scilicet victoris ex adjunctis huic argumento aptis, quæ sunt quatuor illæ virtutes Imperatoriæ a Cicerone in Oratione pro L. Manil. notatæ. Secundo *loci, quibus factum laudatur*, omniaque illa Enthymemata apud Aristotelem de honesto & pulchro. Tertio *loci communes, difficile, impossibile, & quæ sub his continentur*. Quarto *loci octo amplificatorii* apud Aristotelem. In his omnibus latent specialia illa, gravitas facti propter firmitatem munimentorum, aliaque impedimenta objecta, fatum, auguria, hostium ferocitas, patriæ salus, libertas publica, gloria post mortem superstes, vota omnium pro longævitate. Possunt addi varia ornamenta Topographica, pathographica, descriptiones e locis adjunctorum, pugnarum, periculi. Possunt addi comparationes & exempla more Poëtarum.

SYLLOGE EXEMPLORUM.

I. In GRATULATIONE de DIGNITATIBUS. Gratulatio de 23 Præfectura equestri & maritima, *Delitiæ poët. Scot. tomo 1. p. 71.* de Inauguratione Jacobi Regis, p. 251. & 275. Ludovici XIII. p. 339. In coronatione Reginæ *tomo 2. p. 71.* Jacobi *tomo 6. p. 227. & 245.* De tribus Regnis unitis ad eundem. p. 279. De Episcopatu *Wallius p. 41.* Senatui populoque sub Episcopo pacem optat, p. 49. Ad Marcellum in prima pueritia legioni patriæ præfectum p. 91. De Episcopatu post amplissimos honores, *allusio ad gentilitiam tesseram, quercum & leonem, pag. 197.* In duos Episcopos simul consecratos, *Wallius p. 318.* In inaugurationem Episcopi *Hofebius p. 34.* ad Belgium cum Marchio militiam regiam administrare inciperet p. 53. In inaugurationem Episcopi, p. 66. gratulatio de dignitate senatoria ipsis Jan. Cal. *Neubusius pag. 90.* De Consularu p. 203. gratulatio ad Ferdinandum, *Parnassus societatis Jesu, p. 559.* Maximilianus Baviaræ Dux Cæsari Bononiam restituit, *tomo 2. p. 157.* In novam purpuram Cardinalis, p. 563. *Vid. plurima exempla in poematibus Barleanis.* Ad *gratulationem de Doctoratu & Reſtoratu* pertinent illa, ad Philosophiæ Professoreum & creatum Medicinæ Doctorem Daniel Heinsius p. 18. Ad Castorem & Pollucem geminos fratres, quum uterque Licentiam in utroque Jure reportaret, p. 397. Ad Martinium juris Doctorem creatum, p. 398. ad Regem Sueciæ; cum Jctorum Ordini aliquis infertus esset, p. 399. Ad Thylii Filium, J. D. creatum, p. 400. Ode ad Gernandum 13. ætatis anno Philosophiæ Magistrum creatum p. 502. De Reſtoratu *Scoti tomo 1. p. 332. it. tomo 2. p. 224.* Ad Leonem Belgicum domi militiæque vulneribus & morbis affectum, cum aliquis, cui Leo inter signa erat, Medicus crearetur, *Wallius p. 416.* In J. D. creatum *Bannin. L. 2. Elegia 10.* ad urbem Hornam, cum ejus civis Medicinæ Doctor fieret, p. 61. in quendam die suo natali J. Doctorem creatum p. 62. In promotionem juris, p. 90, 98, 168, 189, 184. In honorem Doctorem Vossii *Barlaus pag. 108.*

Ad Dorislaum ex pædagogo D. J. creatum, p. 290. In quendam D. J. creatum, *Baudius* p. 107. ad quendam Philosophiæ Professore, p. 110. p. 115. Ad Episcopium Magistrum creatum, p. 430. In Metaphysicæ Professore Medicinæ Doctorem creatum, p. 447. in quosdam D. J. creatos, p. 523, 534. In laurum Philosophico-Medicam. Sententia Apollinis *Placcii poemata pag. 236.* Gratulatio de Doctoratu juris *Neubusius* p. 199, 219, 244, 245, 252, 301, 333, 337, 397. De gradu Medico p. 215, 247, 304, 399. De gradu in Philosophicis, p. 207. De Rectoratu scholastico p. 396. Ad Academiam Regionontanam Magistros creantem *Pastorius* p. 91. In D. J. creatum *Nicolaus Heinsius* pag. 193. In quendam Medicorum ordini insertum p. 196. In duos fratres D. J. creatos, p. 272. it. p. 277. De Theologiæ Doctoratu p. 278. In Rectoratum Academic. Cunaei *Barlaeus*.

24

II. In GRATULATIONE de NATALI PRIMO. Vide tria genethliaca carmina variis inventionibus elaborata apud *Jacobum Balde*, tomo 2. Poëmatum, (1) carmen in filium Comiti de Tylli natum. (2) Comiti Palatino Philippo Wihelmo nomine totius collegii scriptum. (3) in Filiolam eidem Principi ipso festo trium Regum natam, sub persona trium Gratiarum. Tertio carmini ab ipso Autore artificium subnectitur. De filiolo primogenito Marchionis Montoserii *Zevecotius* p. 37. Fons bellaqueus Delphini natalibus baptisinate sacer, *Idyllion Scoti* p. 282. Epigramma ad Patrem baptisinate suscipientem filium. Comparatio cum Achille, Stygia unda tincto, p. 286. Genethliacon Ducis Andium tertio partu geniti. Comparantur tres filii Geryoni p. 286. Ducis Aureliensis ad Regem Patrem, p. 306. Oda qua celebrantur Principis Scoto Britannii natales tomo 2. p. 98. de nata filia prima vice p. 382. ad ejusdem uxorem de partus difficultate, *ibidem*. Ad Gulielmum Comitis Swartzburgensis filium ex themate natalitio concinnatum, *Wallius* p. 76. In infantem Principis Arausiorum natum post victam Hispanorum classem, *Barlaeus* L. 2. *Heroicorum* p. 350. in natum Galliarum Delphinum eadem die & hora, qua Amsteledamo discessit Avia Maria de Medicis *ibid.* p. 356. in Delphinum Galliarum in *Delic. poet. Gallor. Passerat.* p. 108. tomo 3. Genethliacum nobilis pueri p. 344. In Delphinum Regis Galliarum *Nicolaus Heinsius* p. 205. Vid. eundem L. 4. *Elegia* 4. Genethliacon Jacobi IV. Regis Scotorum, *Buchananus* p. 309. In natalem Delphini Galliarum, *Baudius* p. 633. Carmen constans ex meris Chronostichis in cunas filioli nati ad natalitia Christianæ salutis, *Neubusius* p. 26. Cunæ Auriacæ in nat. Princ. Araus. *Hugenius in momentis defultorii* p. 5. Genethliacon Delphini *Laur. le Brün Eloq. poet. T. 2.* p. 488. baptisimus Dominici Prioli. Infantis crepundia & cunabula *Bonifac. L. 9. Musarum carmine* 61. & seqq. Marinæ Mauræ puerperium *ibid. carmine* 64. ad Patrem gratulatio pro nato filio, *ibid. carmine* 79. Ad patrem Bernhardum de filiolo Polo Nano, nato, dum Pater civitati Bellonæ præsideret, comparat cum Hercule *ib. carmine* 103. Genethliacon ab omnibus inventione petita, *ibid. carmine* 138. Miraculoso Galliarum Delphino *Stratenus in Venere Selandæ* p. 58. Ad eundem Genethliacon *id. pag.* 105. Nova Gallia Delphinum salutatur *Laurentius le Brün opusculis selectis* p. 486. Nænia pro puerro ad somnum provocandum: Nænia nutricis: Næniæ aliæ nugatorix, *Jovianus Pontæ*

Pontanus lib. 2. de amore conjugali a p. 335. ad p. 338. Ad Lucinam parturiente Piccolominea Sannazarius. *L. 1. Elegiarum: p. 97.* de partu Nisææ *id. lib. 1. Epigr. p. 147.* in filiolum natam Hugenio post quartam prolem masculinam *Barleus p. 494.* Genethliacon epicum *Delic. poet. Ital. T. 1. fol. 213.* infantis Tuscani *fol. 351.* filii Gonzagæ oda *T. 2. fol. 222.* Amstela exultans super Galliarum Delphino *Keuchenius p. 122.* ad Jctum, cui uxor primo partu gemini sexus progeniem peperisset *p. 130.* in Principem die Lunæ natum *Bruno Mengelmoes p. 279.* in Principem Auriacum sexto conventu die Solis nona vespertina denatum, & filium ejus posthumum mox natum, *id. p. 280.* Omen Genethliacon, ad serenif. Principem *Albertus ab Incs oda 63.* Ad uxorem suam, cum esset gravida *Daniel Heinf. p. 382.* In filiolum primogenitum Hugeniæ *p. 393.* Allusiones aliquot in nepotulum Cornelii & Martini natum Perreni ad mare in hospitio publico, cum de munimentis maritimis comitia agerentur *Neubufius p. 104.* In natalem Delphini vigesimo post connubium anno nati, *Pastorius parte 1. Sylvarum p. 68.* in natalem Principis Polonorum *p. 68.* Ad quendam cum ei uxor in mari filium peperisset, *p. 117.* Choreæ (*Ballet*) in natalem Fridericæ Amaliæ principis Danicæ a Vito Beringo scriptæ.

GRATULATIONES de NATALI ANNIVERSARIO. Ad Fulgentium Stephani natalem in Januario celebrantem, *Zevecotius lib. 1. Elegia 2.* in natalem amicæ *p. 142.* Ad Jacobum VI. Angliæ Regem, *Scoti T. 1. p. 13. p. 221. p. 301.* comparat cum sole. Mensis Julii fatalia, quo natus, maritatus & ad honores promotus fuit, *T. II. p. 489.* In natalem Dionysii Vossii Profopopœia Uranies ad natum quondam puerum. *Bannin. L. 2. Eclog. 8.* in annum suum 60. exactum *Galli T. 3. p. 723.* Genethl. Rosinæ Melissæ. Ad nomen alluditur *p. 716.* De Climacterico magno *p. 714.* In natalem Ovidii ab eo proximum, qui natalis Minervæ est, *Daniel Heinf. L. 2. El. 9.* in natalem Josephi Scaligeri oda, *p. 504.* in natalem diem, sextum Februarii Electori Brandenburgico ejusque filio eundem, Carmen nostrum. In Cosmi Medicæi natalem X. *Nicolaus Heinf. l. 2. El. 2.* in filium primogenitum Ludovici XIV. *L. 4. El. 4.* in natalem Reginæ Christianæ *p. 146.* In natalem Kinschotii *pag. 267.* in natalem annum Josephi Scaligeri, qui tanto æstu nobilitatus fuit, ut plerisque calidioribus locis vineæ fuerint exustæ, tria epigrammata Rutzgerii *Nic. Heinf. p. 133.* Ad Boxhornium Vincentius Fabricius de utriusque natali, qui in eundem annum & diem incidit. *Fabric. p. 126.* in natalem *Nic. Heinf. id. p. 193.* in natalem patris sui *Grotius p. 209.* in Pascha anni 1612. natalem suum 30. *idem p. 223.* in natalem 31. *p. 238.* in natalem senis, *p. 251.* in natalem parentis sui *Nic. Heinf. l. 1. El. 5.* Elegia de natali suo Lotichius *l. 2. El. 8.* in natalem Vincentii Fabricii *El. Nic. Heinf. Fabric. p. 218.* in natalem amicæ suæ *Winfemius in amoribus p. 272.* In natalem suum jambus, *Hugenius p. 323.* Ad Episcopum Taurisinum in natalibus Christi, quibus & Flaccus natus perhibetur, editum, *Bonifacius l. 8. Mus. Carm. 55. & 56.* In festo die Divi Sannazarii Martyris sibi natali, *Sannazarius l. 2. Eleg. p. 189.* in natalem amici *id. p. 131.* in natali Altilii Vatis *id. lib. 1. Epig. p. 156.* Ad Slusenium tertio post Phlebotomiam die natalia celebrantem. *Keuchenius*

nus in *Mus. Juvenil.* p. 88. in decimum Augusti diem natalem suum, alludit ad fidus virginis p. 139. in aliquem festo purificationis Mariæ natum *Bruno-Mengelm.* p. 306. Genethliac. Belgicum in Principem Arausionensem duodecennem. Pro munere donat horologium & alphabetum principale, *id.* p. 372. Ad aliquem eodem secum anno, die, hora, fidereque natum, *Bisselius in delic. estat.* p. 372. In Caroli V. natalem *Johannes Secundus* p. 103. In natalem Douzæ Lipsii elegia, *Douzæ poemata* pag. 665. in quendam, cum ipso natali die periculum evaderet *Miscellanea Genethliacâ.* Profopopœcia Parisiensis Academiæ Regis filia sub natalem principis natalibus restituta *Scoti T. 1.* p. 272. ad urbem Gandavum, in qua Carolus V. natus est *Becanus* p. 75. In quendam ipso natali die D. J. creatum *Bannin.* p. 62. Ad Arnoldum van der Walle in cunis adhuc vagientem, cum ei olivam pacis in spem olim colendæ poëseos mittereret, *Wallius* p. 225. Genethliacorum vanitates irridet, *Caldenbach. l. 1. oda 23.* Genealogia Nassoviorum, *Grotius* p. 28. Ad puerum suum in die natali Virgiliti, *Lotichius* p. 143. Carmen de excellentia sexus feminini *Hugenius* p. 46. 47. Carmen Eucharist. pro Genethl. *Bonifacius l. 9. Mus. Carm. 65.* Puerperium turturis jocosarium, *Gudberlet hius in poematibus a* p. 25. ad p. 42. ad S. Ignatium, ut Regi Ludovico sobolem impètret, *Joninus l. 1. oda 10.* Ad maciem in die natali *Balde l. 1. oda 54.* Irridet Genethliacos *id. l. 2. oda 24.* In vaticinium infelix de partu Loficæ *Barleus T. 2. p. 455.* In natalem 800. urbis Siricææ *Bruno T. 1. p. 39.* in falsum de nato princ. rumorem p. 279. Generosa liberæ gentis Genethlia *Albertus ab Ines oda 4.* Justum Lipsium in die natali ad geniale epulum invitat *Douzæ poem. p. 654.* Vide Genethl. varia *Antonii Chanutii* in virginem Mariam variis inventionibus exornata in *Parnass. soc. Jesu. T. 2. a p. 190.* quæ mutata applicatione ad Principum nativitates referri possunt.

26

III. GRATULATIONES de NOVO ANNO. Vid. Passeratij strenas integro libro. *Constantinum Hugentium* in poemat. *Belgic. p. 300, 659, 1069.* *Parnass. soc. Jesu T. 1. p. 533.* Basia pro strenis data *Scoti T. 1. p. 55.* Strena ad Regem Britannicæ *ibidem* p. 83. Strena ad Pro-Regem ex Anagrammatismo p. 280. Flores pro strenis *T. 2. p. 333.* Epigramma de Jano bicipite p. 474. In Cal. Jan. p. 383. Strena retrograda, p. 384. Strena ad Galatham *Bannin. in poemat. Belgicis* p. 145. Opitius carmen German. in Cal. Jan. *Sylvius poetic. pag. 22. & 28.* Jacobi Catzen Cantilenæ in novum annum in *Hofgedachten* p. 79. & seqq. Hugentii Strena ad quatuor filios in *moment. defult. p. 50.* ejusdem epigramma in Schurmannæ Studium novum novi anni tempore *ib. p. 369.* Ad eandem p. 379. & 376. *Taubmannus in Melodesia* p. 1, 42, 44, 65, 229, 369, 370, 371, 456. Strena ad Pontificem anno 1666. Inventio ex numero Romano anni. *Nic. Heins. in carm. adoptiv. p. 93. V. Nathan. Chytraum in fastis sacris.* Gratulationes in Cal. Jan. plurimas habet *Neubusius* p. 1, 2, 14, 15, 16, 18, 20, 21, 23, 24, 29, 32, 41, 43, 47, 51, 52, 61, 70, 71, 72, 75, 79, 83. In quendam iplis Cal. Jan. in Senatorum ordinem electum, p. 190. *id. p. 216, 217.* Ad discipulos pag. 254. Ad parentem p. 274. 359. &c. Carmen seculare in Cal. Jan. *Balde Lyr. lib. 3. p. 187.* Barbiton pro Strena *id. Sylv. lib. 5. oda 7. p. 130.* Salutatio ad pontificem centone Virgiliano *Ital. T. 1. fol. 334.* Strena qua gratias agit pro beneficiis,

beneficiis, Bruno p. 42. parte 1. Strena ad amicam id. p. 14. p. 123. Ad Consulem p. 292. parte 2. Id. p. 294. Alphabetum Christianum pro Strena p. 219. parte 2. Sidroni Hofchii fausti anni apprecatio ad Leopoldum p. 85. Vota Belgarum ad eundem p. 87. Vota ex Victoriis Belgicis p. 89. pro incolumitate princ. p. 90. pro rebus in Germaniæ gestis p. 94. ex ascitiis insignibus p. 98. ex honesta animi relaxatione p. 102. ex venatione p. 103. ex aucupio p. 105. ex arte Musica, p. 107. ex picturis p. 108. ex historia, philosophia & poësi, p. 110. ex virtutibus p. 113. &c. Carmina pro strena missa ad princ. Boisfardus p. III. Flemming. Epigramm. lat. Epigr. 23, 27. in novum annum in Moscovia celebratum l. 9. Epigr. 26. Strena ad Pontificem Bonaventura, Baronius in Hercicis p. 39, 40. querela de temporis fuga in Cal. Jan. Vinc. Fabric. p. 135. Allocutio ad se ipsum p. 141. Querela, quod longam potius vitam quam bonam precemur. Id. p. 146. In sigillum aureum pro strena datum Menagii poem. p. 55. Strena ad fratres Huguenios. Inventio e 12. Zodiaci signis Barlaeus T. 2. p. 20. De parellis Lutetiæ visis anno 1539. finiente, Carolo V. Cæsare, Cal. Jan. anno 1547. urbem ingressuro epigr. Adeodati Sebæ (Theodori Beza) ipsi Imperatori oblatum Galli parte 3. p. 692. Ejusdem Xenium Poëticum ad duos Poëtas ibid. p. 594. In Cal. Jan. ad Fuscum. Sammazarius l. 2. El. p. 121. humanæ vitæ fuga Joninus l. 4. p. 145. Buchananus l. 3. epigr. varias strenas distribuit Regi, Reginae, discipulis, Episcopo indocto, aliisque Principibus & Matronis a p. 352. ad 357. Strena ad Comitem Gordonium Jonstonus Epigr. p. 419. & 420. Strena ad Cubicularii Regii Conjugem p. 428. ad Regem, qua recensitis muneribus, quæ dare possit, nihil Regi dari dicit, cujus non pretiosius exspectet ἀντίδοτον p. 229. querela annuli a Gordonio ad se missi Cal. Jan. p. 354. De variis ad Cal. Jan. & strenas pertinentibus V. Owenum l. 1. Epigr. 62, 96, 142, 164, Lib. sing. Ep. 71. l. 1. Ep. 19. L. 2. Ep. 4. L. 3. Ep. 16. Oraculum Julii Mazarini Cal. Jan. Balzac. p. 18. vota modesta Cal. Jan. Epigr. Scoti p. 128. Musca Jano oblata, p. 249. De Cal. Jan. Epigr. Scoti p. 432. Theocrene pro Hippocrene ad Scotorum Regem p. 141. T. 2. p. 120. Xenium ad parentem p. 180. Meditatio de tempore in Cal. Jan. Flemming. poem. German. l. 1. Sylv. p. 32. L. 1. oda 5. Poëmata German. V. ap. Tscherningium in Vere p. 17, 20, 192. In prodromo æstatis p. 20. Salomonem von Golau in Epigr. Germ. Chil. 1. Cent. 9. Ep. 11. Chil. 2. Cent. 2. Ep. 4, 27, 28. 1b. Cent. 15. Ep. 83, 84, 86, 90. Cent. 10. Ep. 31. Chil. 3. Cent. 5. Ep. 38, 98. Chil. 2. Cent. 2. Ep. 3.

IV. GRATULATIONES de VICTORIA. Ad Regem Gallie post pugnam in Alpibus Balzac p. 9. ad eundem El. p. 10. Ecloga Alcon in victoriam Princ. Auriaci Banning. p. 120. In eandem ejusdem Panegyricus p. 111. ad fortissimum Principem post urbem expugnatam Balz. p. 23. Ostenda capta, Scoti T. 1. p. 125. Regis post confecta bella profopopœia Scoti p. 274. Post bella unio Ecloga p. 428. Deditio arcis ad Regem p. 151. De profligata Hispanorum classe, p. 534. ad Archiducem Austriae cum expugnata Dünkerka Flandriam ab armis Gallicis liberasset, Wallius p. 19. Victoria Cæsaris per Metaphrasin odæ 22. l. 1. Horatii pag. 155. Oliva pacis ad orbem Christianum id. L. 3. El. 1. Vid. & seqq. Eleg. usque ad 7. assinis argumenti. Ad Davidem de leonis & ursi cæde Becanus p. 17. De victoria ad Nordlingam, pag. 83.

De Mosa hosti erepra *Hofchius p. 63.* Brisacum capta seu Panegyris, Saxoniae Duci dicta, *Barleus p. 107.* Epinicum in captam classem Mexicanam *id. p. 292.* Vesalia capta, *p. 213.* Olinda capta, *p. 242.* V. *plura exempla ib. pag. 252, 260, 278, 284, 307, 329.* Ad Principem Auriacum post expugnatam Hispaniarum Classem, *Banning. L. 1. sylv. Carm. 1.* In expugnatam Hispaniarum classem, *p. 39.* Leucatha triumphans libri duo *Parnass. soc. Jesu T. 1. p. 410.* ad Meracum obsidione liberatam *p. 497.* In Regis Galliarum expeditionem, *p. 517.* Ludovici XII. Panegyric. *T. 2. p. 649. it. p. 652.* gratulatio ad Monckium de liberata Britannia *Nic. Heinsf. p. 82.* In victoriam Lotharingicam Ludovici XIV. *p. 207.* de Breda expugnata *in adoptivis p. 51.*

28 V. MISCELLA GRATULATORIA. Excusatio silentii in gratulando, *Balz. p. 36.* ad Regem, qui ereptus fuerat periculo incendiariorum *Scoti T. 1. pag. 435.* ad quendam Musicum *Wallius p. 200.* ad militum Tribunum Carthusiano ordine initiatum, *pag. 217.* ad Xaverium Militiae suae insignia in Indiam inferentem, *Wallius pag. 395.* Ad quosdam, soc. Jesu ingressos, *p. 334, 350, 365.* Ad quendam cum Josepho Sacellum dedicaret, *Becanus pag. 7.* Ad Gulielmum cum templi primum lapidem poneret, *pag. 97.* Ad Plosum in ordinem equestrem cooptatum, *Banning. pag. 159.* ad quendam Legatum ad Angliae Reginam, *Baudius pag. 97.* Gratulatio de Syndicatu *Piacius p. 122.* Gratulatio ad quendam manibus hostium elapsam, *Neubusius pag. 39.* de Quaestoratu, *pag. 174.* de Secretariatu *pag. 176.* de Disputatione juridica, *p. 177.* ad aliquem artem cum marte commutantem, *p. 242.* in disputantem de caelo *pag. 263. &c.* Ad emeritum Douzam *Grotius pag. 176.* Urbani Octavi Pontificis triumphalis pompa *Parnass. soc. Jesu T. 2. p. 139.* Pompa Regia Regis Galliae *T. 2. pag. 642.* Gratulationes in orationes habitas *Nic. Heinsf. p. 201.* ad quendam de principatu Romuli disputantem *p. 233.* In disputationem juridicam *p. 268.* ad Curatorem Academiae electum, *pag. 73.*

29 IN EPITHALAMIIS Inventiones ducuntur I. *a personis*, ubi loci Rherorum excutiendi. Considerentur adjuncta personarum, Nomina, amoris occasio, vel vera, vel ficta. Vera, ut pulchritudo, virtus, sponsi vel sponsae, fatum. Ad fisiones pertinent Veneris & Cupidinis consilia & machinationes, qualia multa in Poetis & amorum Scriptoribus inveniuntur. (Vid. hortos Veneris Blyenburgii, in quibus congeruntur varii Loci Communes ejusmodi rerum ex omnibus Poetis) Professio sponsi, unde perpetuae allusiones formari possunt, affectus mutui, studia, desideria, inter praesentes & absentes, si sponsa aegre expugnata fuerit, si literae multae scriptae sint. Hic varia fingi possunt, prout ipse ingeniosus amoris affectus est, cujus Characterographia tam apud Pathologicos Scriptores, quam apud Poetas perquiratur, salutationes, carmina missa, insomnia, excubiae ad amicae fores, convivium &c. II. Inventiones peri possunt *ab adjunctis* vel circumstantiis. Hic Loci Communes de amoris suavitate, vehementia, potentia, conjugii laudibus, locum inveniunt. *Vid. Barlei dialogi nuptial. & Jacobi Lydii sermones convivales, quae adduntur sacibus ejus Augustis:* Item descriptiones festivitatis nuptialis cum antecedentibus & consequentibus, & thalami ab ornatu, colloquiis ante & post thalami conscensum, cujus generis multa ap. *Job. Jov. Pontanum libris*

libris 3. amorum conjugaliū. Antiquitates quoque huc referri possunt, ad quas eruditæ allusiones institui solent, de quibus antiquarii Scriptores. *Vid. Aloysii Novarini Tomum Electorum sacrorum, qui inscribitur Aquæ nuptiales.* A tempore inventiones etiam peti possunt, si ver, æstas, autumnus, hyems sit; dies festus, caniculares, Bacchanalia, December, Saturnalia, nundinæ, dies lunæ, solis, veneris &c. III. Ab *hædeor seu affectibus mollioribus* multa duci possunt. Pertinent huc omnia vera, ficta, vota profelicitate, & fecunditate, varii loci morales de amore. IV. A *forma Carminis* inventio peti potest, si illud vel Epicum vel Anacreonticum, vel dithyrambus, vel cento, vel Ecloga, ita tamen, ut ceteri etiam loci innectantur. Elegans exemplum est Epithalamii apud *Statium in nuptias Stella & Violantillæ*, in quo pene omne quicquid est Enthymematum & ornamentorum quasi coacervari videtur.

Subjiciemus exempla specialium inventionum, quasi per lancem faturam collecta, & quidem I. A NOMINE *sponsorum & insignibus*: Carmen Belgicum in nuptias cujusdam Kœnigii *Bruno p. 198. & 199.* Inventio e nomine Petri *Taubmannus in Melodæsia p. 642.* e nomine Zimmermanni *idem p. 257.* In nuptias sponsæ Barbaræ. *idem p. 235.* E nomine Mariæ, ubi de dulcore amoris *p. 243.* In nuptias Margaritæ von Hengst & Sponsi Türcken Carmen Belgicum *Brunonis p. 65.* Vid. simile apud eundem *p. 82.* In nuptias cujusdam Luciæ, *idem p. 259.* Leo Liliger & Leæna Rosifera. Inventio ex tessera Gentilitia, *Bonifacius in Musis l. 5. p. 235.* In nuptias Christiani & Christianæ *Hoffmanni. in epigr. p. 198.* In nuptias Gailii & Sandiæ. Inv. Gailius practicus in thoro, ut ille JCtus in foro, anchora amoris in arena figenda. *Id. p. 200.* In Prussium, sponsam Prussiam ducentem, *Id. p. 168.* Vide Carmina nostra in *Libro venerum*: Carmen Pancratium in nuptiis Pancratii, Venerem piscatricem, oleariam, fontanam &c.

II. A CIRCUMSTANTIA *Personarum matrimonium ineuntium.* 31
An virgines viduis sint præferendæ? *Eleg. Henr. Meibomii.* Deformes pulchris esse præferendas *Fabricius L. 2. Eleg. 5.* Pulchras deformibus esse præferendas *ibid. Eleg. 8.* Puellas simplices prudentibus esse præferendas *ibid. Eleg. 9.* Prudentes simplicibus &c. *ibid. eleg. 10.* In nuptias alicujus cerévissarii, qui Oenopolæ filiam ducebat. Sine Cerere & Libero friget Venus *Hofm. p. 199.* In nupt. Typographi. Prælum amoris *idem p. 180.* Epithalamium in eruditum scripturus multas inventiones applicare poterit ex *Heinsii ad Jacobum Primerium epistola, qua agitur: An & qualis viro literato uxor sit ducenda?* Venus Cimbrica seu in nuptiis Christiani IV. Daniæ Regis *Barleus l. 1. Heroic. p. 75.* Venus Britannica *id. l. 2. Heroic. p. 290.* In nupt. Ennonis *id. p. 321.* In nuptias Hofdii, Poëtæ Batavi, secundum sponsi *id. p. 46.* amatorem Regi similem esse, *Vinc. Fabric. el. 3. l. 2.* Amatorem mancipio & captivo esse similem *ibid. l. 4.* In aliquem sponsum Ecclesiasten. *Zuber. poem. part. 1. p. 14.* Epithalamium in Norarium. Inventio ex officio & nomine *Henr. Bruno-Mengelmörs p. 46.* In nupt. Anton. Matthæi JCti *Boxborn. Poëm. p. 3.* In nuptias Jacobi VI. Scotorum Regis & Annæ Danorum Regis filiæ in Dania celebratas, Georgio Scotiæ Mareschallo Regis sui vices

vices obeunte *Scoti T. 2. p. 333.* In nupt. Arminii Theologi & Medici: *Banning. p. 60.* Epithalam. In Calendrinum sacerdotem, *Hugen. in moment. desult. p. 290.* In Philosophi nuptias: Philosophus eget uxore, claudit: tendimus huc omnes, thalamum properamus ad unum, *Hofm. p. 172.* Huc etiam ille Locus Communis pertinet, uxorem studiorum & actionum finem esse *id. pag. 196.* Chamæleon grammaticale ludicrum, *Gudberlethius p. 102.* Epithalam. in Vexilliferum. Invent. a re militari ad rem uxoriæ applicata *Henr. Bruno p. 220.* Epithalam. in nuptias peregrinatoris. Invent. a peregrinationibus Sponsi petita, *Id. p. 217.* Epithalam. in Jctum, Invent. processus juridicus in judicio Veneris. Carmen Belgic. *id. p. 209.* In nuptias Jcti. Invent. ex officio *id. p. 161.* In nuptias principis Mecklenburgici *Nic. Heins. pag. 156. nov. edit.* Epithalam. senatoris, *Grotius pag. 99.* constat variis fictionibus. Epithal. Consiliarii, describitur hic Veneris Regia & Amorum studia circa nuptias, *Grotius pag. 102.* In nupt. Principis Arausionens. *id. pag. 12.* Epithal. in nuptias Joh. Bourellii, qui commendatur a variis peregrinationibus, *id. pag. 109.* In viduam, antea viro militari junctam, *Bruno pag. 267.* Carmen Belgicum in Triglandium sacerdotem. Invent. a sanctitate conjugii *id. pag. 349.* Carmen Belgicum in nuptias Vidui & Viduæ. *id. pag. 351.* Venus Batava *Barlaeus Heroic. pag. 363.* constat fictionibus & laude viri nobilis. Epithal. in nupt. Constant. Hugeni equitis, & Principi Auriaco a secretis *id. pag. 385.* Amor sapiens in nupt. Grafii, tota inventio est de sapientia amoris, possunt applicari nupt. Philosophi *id. pag. 510.* In nuptias Consulis *Barlaeus pag. 549.* Venus Consularis in nostro *Venerum Libro.* In nupt. Redii Equis, rerum Indicarum Præfecti *Barlaeus pag. 434.* Epith. in Principem Nassovium, *Banning. pag. 123.* Epith. in comitem, *Wallius pag. 204.* Epith. in Jacobum Pelitium J. D. Inv. a peregrinationibus, *Barlaeus T. 2. pag. 74.* in nupt. Mylii militis. Inv. a re militari ad Venerem applicata, *id. pag. 135.* in nupt. Pickeri, inv. a peregrinationibus Indicis desumata, *id. pag. 140.* in nupt. Hemskerckii Jcti & Poëtæ *id. pag. 141.* in nupt. Cullinii Jcti. Applicantur libri juris & processus ad rem veneream, *id. p. 145.* In nupt. Grotenhusen Jcti, eadem inventio *p. 145.* In nuptias Boy Advocati & Poëtæ eadem invent. *p. 147.* In nupt. Polii J. U. L. ead. inv. sed aliis admista. Tractatur Locus Communis de conjugii dignitate *p. 148.* In nupt. Gronovii, Historiarum Professoris; comparat uxorem ejus cum toto mundo *p. 149.* potest hæc inventio applicari ad Physicum vel Medicum. In nupt. Matthi. Vossii Historiographi &c. Comparat ejus officia cum officio mariti *p. 151.* In nupt. Helmontii J. D. inventio a re juridica *p. 154.* In nupt. Jonckeri, comparat bellum Martis cum bello Veneris, sponsamque cum toto orbe *p. 156.* In nupt. Antonii Matthæi Jcti, inventio a re Juridica *p. 179.* In nupt. Arminii Medici, inventio e rebus sex Hippocratis, inter quas etiam Venus. Applicat rem medicam rei uxoriæ *p. 184.* in nupt. Corn. Blau Mathematici & Typographi *p. 203.* In nupt. secundas senis Theologi *p. 212.* In nupt. Fratrum duas sorores ducentium; alluditur ad geminum conjugium *p. 223.* In nupt. Utenbogardi quæstoris, alludit ad officium *pag. 246.* In thalamum Joh. Fontani, Medici, *Boxhorn. p. 99.* In nupt. Sponsi Batavi & sponsæ Anglæ. Amor Batavis jungit toro diversos

versos orbe Britannos *id. p. 60.* Epith. In Hofdium Poëtam, Plempius in quisquiliis *p. 96.* in Thal. Joh. Fontani Medici *id. p. 99.* in nupt. Christiani Cassii, inv. a negotiis Aulicorum, *Vinc. Fabricius p. 99.* In nuptiis Lateri Jcti *id. p. 188.* In nupt. officialis aulici Belg. *Henr. Bruno p. 40.* In Mart. Brassium Poëtam laureatum *Taubm. Melod. p. 266.* In nupt. Corn. Mylii Jcti, inv. ab officio, *Baud. p. 41.* In nupt. Niporti Jcti & Secretarii, ab officio adduntur fictiones & profopopœiæ Veneris, *Nyendalius p. 23.* Epithal. in Regem Galliarum Henricum IV. & Mariam Medices. Inv. a laude utriusque Principis, allocutione facta ad solem diei hujus præsidem *Baud. p. 96.* In nupt. Mathematici & Mechanici, a professione *Flemming. p. 158.* Phaleuci an convenient nuptiis Principum, *Taubm. p. 22.* In nupt. Medici filii & sponsæ Medici filiae *id. p. 233.*

III. A TEMPORIS CIRCUMSTANTIA. In nupt. circa ipsum solstitium 32 celebratas, *Vid. Veneres nostras.* In nupt. die Martis celebratas *Boxbörn. poemat. p. 51.* In nupt. die Jovis celebratas, *Vid. venerem Joviam in libro nostro Venerum.* In nupt. Gregorii die celebratas. Vigilantia amoris *Hofman. p. 181.* Hyemem amatori maxime aptam esse, *Fabricius L. 2. El. 1. Æstatem amatoribus aptam esse. id. eleg. 2.* Epithalam. inventio a tempore verno, *Bruno p. 61.* In nupt. Bambeckii inv. a verno tempore, cujus attributa & effectus cum rei veneræe attributis comparat *Barl. p. 199.* In nupt. Appelbœm, inv. a verno tempore, alludit & ad ejus officium *p. 267.* In nupt. Jacobi Pergens, a verno tempore, *p. 350.* Carm. in nupt. a Schagen, in quo singula disticha annum celebrati matrimonii indicant *Baud. p. 649.* Paul Flemmings carm. German. verno tempori applicatum *p. 149.* In nupt. hyeme & tempore belli celebratas *Flemming. p. 162.*

IV. AB OCCASIONE amoris. Epithalamium in nuptias Theodori Boulii 33 & Gertrudæ Bouliæ, inventio petita est ex fab. de origine Conjugii, *Banningius l. 2. eleg. 1.* In nupt. Petri Boor Secretarii uxorem de rure ducentis. Inv. præfert sponsam e rure urbanis, *Barl. p. 183.* Ad Joh. Vesalium Epith. occasione ejus, quod dixerat, se novum hortum conducturum, *Taubm. in Melod. p. 256.* introducitur colloquium focus & sponsæ *id. p. 235.*

V. AB ADJUNCTIS, *descript. scilicet nuptiarum, amoris rituum &c.* In secundas nupt. Hofdii *Hugen. in moment. desultor. p. 8.* In nupt. secundas de Brederode *p. 139.* Dissuadet secundas nupt. 6. Epigr. *id. p. 146.* In tertias nupt. Redekeri, *Vid. Veneres nostras.* Ad amicum secundas nupt. suadentem, *Hugen. moment. desult. p. 347.* Soliloquium amantis sponsi ad sponsam & ad noctem primam, *id. p. 136.* In nupt. Birckmanni, Inventio: quod uxor sit omnium actionum & studiorum finis, *Hoffman. p. 169.* Domum ductio sponsæ, repetitur versus intercælaris: ducite rite domum mea carmina ducire sponsam, *Henr. Bruno p. 217.* op-eene Brûer op de lûet speelendê *id. p. 165.* Henr. Bruno describit festive actum amoris in Jctum *p. 217.* In nupt. Hofdii Poëtae Batavi secundum sponsi, *Barleius p. 469.* Epithalamii in nupt. peregrinatoris Inventio a peregrinationibus sponsi petita, *Bruno. p. 239.* Dithyrambus Trochaicus Gudberletii *p. 133.* In Consiliarium viduum, & sponsam viduam. Epithalamium in Gronovii nuptias, allocutio ad noctem, quæ describitur a variis amenitatibus amorum, *Nic. Heins.*

Heinf. p. 282. In ægrotum sponsum *Henr. Bruno p. 24.* Domum ductio Mariæ van der Dühn, describitur ipsa deductio, & adduntur vota pro prole, *Grotius p. 99.* Divas invitat ad nuptias & festivitatem earum describit *Bruno p. 202.* Epithal. quo eleganter describitur amoris actus, *Bruno p. 187. it. 191. it. 193. it. 196.* In nupt. secundas *Barl. p. 520.* In nuptias Kerckhofii sponsam Anglicam ducentis. Inv. potissima est, quod amor etiam placere possit peregrinus *id. p. 526.* In nupt. secundas *id. p. 541.* In nupt. Boyenburgii secundum sponsi, *id. p. 427.* De immani lecto Metellani ad ornatisimam ejus conjugem, *Scoti T. 2. p. 386.* Epith. in Grafii secundas nupt. tractat de necessitate & utilitate conjugii *Barleus p. 143.* In nupt. Van der Hagen, describit apparatus amoris ejusque suavitatem & necessitatem, *id. p. 268.* In nupt. Jac. Pergens, describit suavitatem amoris & exemplum totius naturæ amanti allegat, *id. p. 350.* In nupt. Helmontii. Inv. a descriptione nupt. & commendatione conjugii, *p. 356.* In diem anniversarium nuptiarum Hofdii *p. 364.* In nupt. Gronovii. Non esse cæcum amorem, *Boxborn. p. 64.* Carmen nuptiale, quod sibicinem alloquitur, eique præscribit varios chorearum modos, *Joh. Jov. Pont. lib. amorum conjug. p. 3314.* Hesperum alloquitur, *p. 3316.* Uxorem lecto surgentem alloquitur *p. 3318.* Elegiam alloquitur, conjugali amori adfit *p. 3309.* animum suum alloquitur, *p. 3326.* In nupt. Giphartii & Ravenstenii. Supplicium sumitur de sponsa, plectitur corpore, quæ ore rea est, *Bruno p. 178.* In nupt. Petri Fabri secundum sponsi, *Taubm. in Melodæsia, p. 246.* Epithal. in Hofmannum, a laude sponsæ, *p. 278.* In Joh. Specknerum, describit eleganter gestus amantium. *p. 282.* In nupt. Aberti a Scagen, describit eleganter & festive congressum nuptialem, & addit Epitaph. virginitati *Baud. p. 646. & 649.* In nupt. Kirchmanni, describit ib. congressum nuptial. partim, ejusque invent. ducit ab opere ejus de Funer. Rom. *p. 650.* In nupt. Henrici IV. Reg. Gall. ad vesperum citius solito irruentem *Baud. p. 622.* Liefländische Schnee-Gräfinn, quo carm. describitur eleganter festivitas nuptialis una cum actis thalami, *Flemming p. 163.* Describit eleganter suavitatem amoris *id. p. 352.* In nupt. Henr. Tserlingii, laudat amorem comparatione facta cum tota rerum natura, *id. p. 355.* Pleraque Flemmingii carmina ex ista inventione petita. Actio furti contra sponsam, ut restituat cor raptum, *Taubm. Melod. p. 285.* Describit soliloquia sponforum *p. 243.* Gevartii hymenæus pacifer, Vid. Columesium in opusculis *p. 101.*

35 VI. A FORMA SEU GENERE CARMINIS. Carmen pancrat. in nupt. Pancrat. *Vid. veneres nostras.* Cantio nuptialis ex Latinis & Belgicis versibus mixta *Bruno p. 202.* Parodia nupt. ex omnibus metris Boëthianis conflata. *Id. p. 205.* Dithyrambus Trochicus in nuptias Consiliarii vidui & sponsæ viduæ *Gudberletius p. 133.* Carmen in Anacreonticum *Taubmanni, columbæ nuptiales, In Melodæsia p. 129.* Carmen Belgicum, cujus omnes versus in unum rhythmum terminatur, *Bruno p. 165.* Philandri ad Neerâm Enthusiasmus, *Gudberletius p. 90.* Fescennina carmina in nupt. Fontani *Plempius in quisquiliis p. 102.* Fescennina in thorum Dimeni *p. 104.* In nupt. Bonitii *p. 106.* Thyrsis. Lyrico-Bucolicum *Coldenbachius lib. 3. Lyricorum carmine 19.* In nupt. Ele-

Electoris Brandenburgici, quod Phaleuci conveniant nuptiis principum *Taubm.* p. 227. Cento nuptialis Aufonii.

VII. MISCELLA. *Μισόγαμος* satyra, *Hugenus in mom. defultor.* p. 287. Varias 36 inventiones non ex certo fonte desumptas, sed quicquid in buccam venit, quocunque modo, festive tamen ad nupt. applicavit *Jan van der Veen a p. 202. usque 335.* Odae nuptiales ad virgines hospites, *Bruno p. 167.* Hymnus ad virgines hospites, *Bruno p. 167. p. 63.* in discessum filiae Regis Britanniarum nuptae Principi Palatino *Grotius p. 221.* Melidoriae amores laudat *Scoti p. 127.* Laus amicae *ibid. p. 149. p. 177. T. 2. p. 479. Vid. Banning. p. 8. p. 16. p. 18.* Ubi agit de laudibus Fulviae suae, investiva in nimium puellarum cultum *Job. Jov. Pontanus, p. 3336.* Excusat se, quod pro centum Phaleucis 40 scribat in nuptias *Taubm. Melodaf. p. 272.* Numerat Phaleucos suos quos scribit in nupt. *id. p. 232.* Excusatio, quod carmen scribere nequeat p. 233. Excusatio carminis & querela, quod sibi inventio desit p. 253. *Vid. Pierii Winsemii amores.* Elegans epigr. nupt. est ap. *Martialem l. 4. Epigr. 33.* Ubi tractatur Locus Comm. de aequalitate nuptias contrahentium.

IN EPICEDIIS inventiones ducuntur I. a laude Personarum. Consulantur 37 loci Rhetorum. II. *πένθος* sive querelis, ubi varii affectus excitentur & variis figuris res ornetur. Praecipue hic considerantur jactura publica vel privata e morte, spei everfio, si immatura aetate decesserit, proponatur desiderium nostrum, inducantur profopopœiae valedicentis mundo, laboribus, conjugii, liberis, amicis, aspirantis ad caelestia, contemnentis mortem. Usui hic esse poterit *Dan. Heinsf. elegantissimum poemâ de contentu mortis.* Solent alii exostulare cum faris & Diis, in morbos, pedem, bella, investivas formare, res inanitates ad luctum convocare, quod ineptum interdum est. Possunt augeri affectus e circumstantiis, a genere mortis & a personae conditione desumptis, si morbo vehementi decubuerit, si bello, undis perierit, si puer, senex, maritus, eruditus, Princeps, miles &c. perierit. III. a consolationibus. Hic conveniunt omnes illi Loci Communes de fragilitate humana, de mortis necessitate &c. *Vid. Nessellii meditationes novissimorum, de la Serre varia scripta,* quod jactura in haeredibus & liberis refarciri possit, quod Christiano homine indignum sit, lugere beatos, quod luctu nihil proficiamus, fato esse acquiescendum: quod rumultibus mundi eripiamur, quod mala non sint cumulanda: quod caelesti gaudio fruatur defunctus. IV. a ritibus & antiquitatibus, ad quas alludere saepe solemus, *De ritibus funeral.* *Kirchmannus amplissime scripsit.* V. a forma carminis, quod est vel Elegiacum rei funebri inprimis aptum; illud praecipue quod numero & periodo Graecis usitata, & Carullo familiari scribitur, & quali utitur *Heinsf. in Monobiblo suo.* Jambus, quo plerumque usus est *Baudius,* qui integrum librum Jamborum funeral. scripsit: *ἐπιμύλον,* quod nullo constat certo genere, sed vario metro compingitur, quale in uxoris suae obitum fecit *Dan. Heinsf. p. 123.* Solent & epigrammate sive inscriptione Epicedia comprehendendi, de quo *Masenius in arte argutiarum,* & *Baldonis in Epigraphicâ sua.* * Exempla 38 Epicediorum multa sunt in *Statio L. 1. sylv. carm. 1.* Epitaphium in *Glauciam puerum Aredii Melioris L. 2. sylv. carm. 8.* consolatio ad *Flavium Ursum de amissione pueri L. 3. sylv. carm.*

carm. 3. Lacrymæ Hetrufci in morte parentis *L. 5. ſylv. carm.* 1. In uxorem pietas *L. 5. carm.* 3. Epicedium in patrem *L. 5. carm.* 5. Epicedium in filium ſuum vide apud *Sidronium Hoſebium*. Elegiacum præſtantiffimum novem elegiis, quibus curſum vitæ humanæ cum mari comparat, Vid. *Laurentium le Brûn T. 2. eloquentiæ poëtic. p. 505.* Ubi plurima exempla habet Epitaphiorum & inſcriptionum *uſque ad p. 586.* Varia exempla inventionum in unum virum doctum invenias in Epicediis, quæ vitæ Puteani adduntur a Rigaltio ſcriptæ.

- 39 Exempla ſpecialium inventionum hæc ſunt. I. A NOMINE. In Hoſpitalii obitum, in exilio mortui *Galli p. 91. T. 3.* In Firmini Durii obitum. Firmus & durus Studiis: hinc firmum illi nomen poſt fata durat, *p. 158.* in obitum Gohonii cognomento ſolitarii, in vita ſolitarius, poſt mortem volitat per populi ora, cui quondam ſolirudo grata, nunc ad plures abiit, *p. 161.* De inſignibus Farnefianis, (liliis) ejuſdem tumulo incifis *p. 215.* Franciſci Prothei tumulo. Hominem fuiſſe in vita vertumnoſiſimilem *p. 429.* In obitum felicis Poloni *Philomathus p. 52.* Fortunati Pontanus *p. 3389.* Junii Juniani Maji *p. 3399.* Puella Roſciæ *3394.* Joh. Oecolampadii lampas in æde ſacra *Hoffm. p. 680.* In obitum Muſculi, *p. 681.* In obitum Hyperii nomen e ſuperis ductum *p. 683.* in obitum Urſini Theologi. Inv. Urſus defendit agnos contra lupos *p. 684.* In obitum Secretarii Renard carmen Belgicum *p. 330.* In obitum Poſthumii *Itali Fol. 230.* In obitum Cartefii Phyſici *Hugenius p. 379.* alludit ad nomē Renati. In obitum Fabri *Taubm. p. 311.* In nupt. cum Anna quadam, Anna fuit nunc Anna perenna erit, *p. 386.* In obitum Brandii Camerarii ad nomen alluditur *Hoffmannus p. 153.* In obitum Maji ultimo Februarii *Guiniſus p. 253.* In obitum Gallæ ſterilis *Pontanus p. 3420.*

- 40 II. A PERSONA *ratione profeſſionis vel ætatis, vel conditionis.* Praſchii elegans elegia in obitum Patris. In tumulum Phrynes meretricis *Zuberus p. 57.* In tumulum Lauterbachii Poëtæ *id. p. 27.* In obitum Guſtavi M. *Balzak p. 18.* ad Franciæ Cancellarium de obitu fortiſſimi ſui generi *id. p. 18.* In obitum Menardi Poëtæ elegantiffimi, Inv. Deos ipſos Mercurium Phœbum deprecatos eſſe mortem ejus *id. p. 54.* in obitum Nymphæ præſtantiffimæ virginis, quam laudat a poëſi, eloquentia, Muſica, *id. p. 64.* Inv. non jam habere Numina, cujus ore canant, cujus animum inſpirent, olim quidem Apollinis oraculum deſiſſe, nunc vero ipſum Phœbum & Muſas mori, *id. p. 66.* In Borbonium Græcæ linguæ Profeſſorem, Sacerdotem, Oratorem, Poëtam, *id. p. 106.* Ad eundem inter cœlites agentem. Inv. quam Tibi jam dulce eſt mendacia Græcorum, & artem Tuam inter cœlitum carmina contemnere *p. 107.* Amyntas de Thyrfide heu jam non ſuo, id eſt, in funus juvenis fortiſſimi & amici ſui *p. 111.* In obitum Thomæ Rhædi a doctrina varia, prudentia, peregrinationibus, laudati *Scoti T. 1. p. 51.* In funere Raphaëlis Thorii Medici & Poëtæ præſtantiffimi *Scoti p. 61.* Epicedium illuſtris puellulæ, quæ a variis dotibus laudabatur, *p. 109.* In Principis Aurelianenſ. in pueritia mortui obitum, *p. 117.* Veneris lacrymæ ſuper morte Adon. poteſt applicari in obitum puelli *p. 178.* Epitaphium Petri Ronſardi, Poëtæ *Galli p. 279.* in obitum Nobiliſſimæ Matronæ Baſſompiericæ, de laude illuſtris ſceminæ cum fictionibus intermixtis *p. 375.* Epicedium Thomæ Kreigii Poëtæ.

Jcti &c. ad filium p. 330. Davidis Blackii profectio in patriam cœlestem T. 2. p. 81. In obitum amici, quem laudat ab eximiis dotibus T. 2. p. 104. Epitaphium Roberti Röllocii Pastoris, p. 114. Tumulus Joh. Metallani Scotiæ Cancellarii p. 116. In conjuges simul febre mortuos p. 148. Vid. *Miscell. nostra* p. 72. Epitaphium fratris Scotti p. 255. Tumulus Camilli, Comparatio cum Camillo Romano p. 382. Epitaphium Glennusii dum pacis condiciones proponeret mortui p. 384. Epitaphium Matronæ p. 386. Cardinalis Lotharingiæ, Sepulta hic est belli fax, cui aqua inspergenda p. 387. Epitaphium Henrici IV. Galliar. Regis circa tempus nuptiarum mortui p. 386. Elifaberæ Henriettæ, Laudatur a pulchritudine p. 487. Kinneri tumulus p. 488. in obitum van der Haagen, Poëtam illum carminibus immortalẽ factum pag. 489. Lessus in obitum summæ spei Princ. Jacobi VI. p. 544. in Manes Medici & Philosophi. Inv. Totius orbis volumẽn ita didicit, ut jam extra orbem feratur p. 549. Epitaphium Scaligero ut Regio sanguine orto *Dan. Heins.* p. 53. eidem ut temporis emendatori, p. 54. eidem ut linguarum omnium perito, & antiquæ Astrologiæ illustratori p. 55. Manes Lipsiani p. 62. ad Lipsium post scriptum postremum ejus, Lovanium, mortuum p. 66. In obitum Memmii Consiliarii *Galli* p. 3. p. 79. p. 87. 92. & sq. De Thuani obitu ad Fratrem p. 97. 98. in equitem fortissimum, p. 101. in Nobilissimam Matronam, sed sterilem, p. 102. Ronfardi Poëtæ Epicedium p. 108. & sq. In obitum Aurati Poëtæ & interpretis Regii p. 105. causarum Patroni tumulus. p. 145. Epitaphium Jcti p. 146. Equitis tumulus p. 147. (Jam capta in urbe victor cadit, Civis Romani tumulus *ibid.* in Turnebi obitum *Galli* p. 149. 202. Epitaphium a marito uxori positum p. 157. Epitaphium Amiralii Galliarum p. 163. Epitaphium Maritæ statim post nuptias mortuæ, p. 165. in Manes Puteani *ibid.* Epitaph. illustris sceminæ, laus a virtutibus p. 196. in mortem Galliarum Regis *ibid.* Poëtæ Nænia Pentasyllabica p. 195. Tumulus Claudiæ conjugis Regiæ. Claudia facta est Jovis Conjug; p. 240. Epitaph. magni Medici p. 242. In obitum Matris Regiæ p. 242. In tumulum militis p. 256. In duos conjuges uno tumulo compositos p. 258. Epitaph. summi Navarchæ, qui terra atque mari floruit astra tenet p. 261. Epicedium in senem p. 349. Ad manes Ronfardi Poëtæ p. 463. Tumulus Præsidis Alealmi p. 456. Lacrymæ ad bustum Patris p. 366. &c. in obitum Perusii Poëtæ Tragici p. 470. Memoria Thuani Consiliarii. (a munere laudatur comparatione facta cum Medicina) p. 472. Castanii equitis Epiced. a p. 504. ad 512. In Thuani obitum (describitur vita p. 519.) In ejusdem obitum prima juventute mortui p. 522. In obitum Jani Doussæ prima ætate in peregrinatione extincti p. 515. ad 532. Epitaph. Doussæ Patris p. 532. Epiced. in Justo Lips. obitum p. 538. Advocati Epitaph. raptus est ad tribunal Rhadamanti p. 593. Epitaph. Budæi Jcti (Inops mortuus non est, qui cœlo animum, terræ corpus reddidit, nobis monumenta ingenii) p. 593. In mortem Francisci, & duorum ejus liberorum p. 597. Francisci I. Francorum Regis tumulus p. 658. Francisci Galliarum Delphini tumulus p. 659. Caroli Francisci Gallorum Regis filii tumulus, p. 660. in obitum Pro-Regis p. 660. in obitu trium Galliæ Regum Secretarii p. 663. In obit. immat. Casimiri Comit. Palat. p. 666. Epitaph. Patri positum

p. 680. Epitaph. matri ante 15. annos se puero extinctæ posuimus p. 680. in ODIL. FA-
 rui, Senat. Paris. p. 669. sororis charissimæ p. 669. Stellæ curiæ prædis p. 670. Eoba-
 ni Hessii Poëtæ *ibid.* Porti Cretensii p. 671. duorum conjugum uno eodemque die
 extinctorum p. 671. Poëtæ Obesi p. 673. Mathematici in ipso ætatis flore mortui
 p. 674. Sambuci Poëtæ p. 675. virginis lectissimæ p. 673. Lamonii juvenis admira-
 bilis, p. 676. Martini Lutheri & Philippi Melanchthonis p. 678. & 679. Bullingii
 candidissimi viri. (Cur fleamus mortuum, qui vivit aliis & sibi) p. 680. duorum ami-
 corum p. 681. Gwaltheri filii unici, p. 682. amici Alcoini p. 686. Zwingeri (terra
 cælum capit) p. 687. Epitaph. Monadii Medici *ibid.* in ejusdem obitum trium lin-
 guarum periti p. 808. in obitum amici *ibid.* Medici p. 689. Pythæi JCrī a p. 829. ad
 836. Henrici III. Gallia & Poloniae Regis p. 877. Prevotii p. 1075. Francisci I.
 Regis p. 1080. Albæ spinæ p. 116. Borbonii p. 877. Ronfardi catarrhis & vigiliis
 extincti p. 120. Epitaph. Francisci I. p. 134. Consiliarii Regii p. 131. in obit. ami-
 cæ p. 135. Crucii Militis fortissimi p. 134. Boneri Marte & arte clari, p. 136. Bri-
 xii Poëtæ (Gallia deplorat Poëtam suum, qui cives suos sæpius deplorabat)
 p. 144. Jacobi Regis Scoti T. 2. p. 480. Virginis Metellanæ præmatura morte
 extinctæ (virtutes numeravit Parca non annos) p. 603. In tumulum duorum
 Conjugum, p. 609. In obit. Ducis Lenovii (non hæc unius Viri mors, sed
 publica clades est) p. 612. Quinquennis puellæ, p. 615. Annæ puerperæ, (com-
 parat illam cum Phœnice) p. 616. Comitissæ Moraviæ (a variis dotibus laudatur)
 Jonstonus p. 355. Boccii vatis p. 418. Maritæ Jonstonæ, p. 400. Nobilissimæ He-
 roinæ p. 413. Ecclesiastæ p. 425. Mercatoris p. 426. Epithalamium in cœnobio
 desponsæ (possit infervire Epicædio in sponsam) Wallius p. 251. Idyllion Thestylis
 in puellam rusticam in ipso religioso Divæ virginis cultu exspirantem, Becanus
 p. 10. In Hofchii obitum Idyllion & aliquor elegiæ, præmissæ poemat. Hofchii
 a p. 1. ad 12. Epitaphium in Metaphysicum Banning. p. 166. In obitum Botani-
 ci singularis p. 181. in Banningicam cognatam p. 185. In tumulum elegantis
 puellæ, p. 191. Panegyricus Gustavi Adolphi Barlaus p. 45. *it. Wintseminis.* Manes
 Bavari Barlaus p. 91. Gallia plorans p. 159. in funus Princ. Mauritiū p. 181. In obi-
 tum Rutgersii Legati (laus a doctrina & variis virtutibus,) p. 376. In obitum
 Schinellii p. 416. Mariæ de Jonge inter primos Mariti amplexus extinctæ, p. 479.
 cujusdam post sponsalia extincti, p. 401. alicujus prælio adversus Turcam cæsi,
 p. 536. Episcopi Theologi p. 545. Consulis p. 533. Erperi Professoris Orienta-
 lium, p. 76. T. 2. Pauvii Anatomici (Profopopœia mortis) p. 79. Histor. Professoris
 p. 139. Consulis p. 175. Juvenis p. 209. Syndici, p. 211. Reali Equitis domi forisque non
 uno munere functi, p. 221. Mylii, p. 222. recens maritæ p. 261. Vorstii Medici, p. 184.
 Præfecti Dongriæ orientalis p. 316. Manes Molini Senatoris Veneri (Neprunus intro-
 ducitur. Veneriæ urna Molini, purpura, Adria &c.) a p. 319. ad 325. In obitum Joh.
 Isaaci Pontani, p. 366. Advocati p. 383. Nobilissimæ Dominæ p. 387. filiolæ triduo post
 matrem mortuæ p. 390. Jacchæi Philosophi (in Te multa secula moriuntur) p. 418. Uxo-
 ris suæ p. 486. Principis Mauritiū, p. 474. Parentis sui p. 479. Patruī *ibid.* & p. 480. Casti-
 miri

- miri Gubernatoris Frisiae p. 559. In obitum Grotii, p. 574. Exclamatio in fun. divi-
 tis, cum sepeliretur *Balde in lyricis* p. 68. de aliquo quinquies viduo *id.* p. 70. Ara in
 memoriam defunctorum conjugum posita p. 81. In obit. Kelleri Rectoris p. 26. Ge-
 noseva mortem sponsum suum nominare solita (inserviet Epicedio in sponfam) *pag.*
 134. In fun. Princ. Bavariae filii p. 387. Matris p. 299. Cancellarii Aulici p. 357. Fratris
Sarbievius. lib. 3. oda 24. In fun. Palatini filii immature defuncti, *ibid. oda 26.* ad quen-
 dam conjugi justa perfolventem, *lib. 4. oda 30.* In obit. J.Cti Professoris *Niendalius* p. 37.
 Ducis militaris, p. 154. scitissimae infantulae p. 155. Ecclesiastae p. 162. Scotani Professo-
 ris Theologiae & Sacerdotis (Telluris hospes vivit aetheris cibus) p. 186. Epiraph. Ja-
 cobi VI. Regis Scotorum, *Buchananus* p. 339. Reginae Scotorum 16. anno aetatis ex-
 stinctae, p. 340. Valli doctissimi, (lux ejus vel in tenebris micat) p. 341. Praefidis p. 342.
 Fontani Poetae & Caufidici *ibid.* Orbonii adolescentis summae spei, p. 34. Juvenis
 generosi p. 344. Stuarti Pro-Regis Scotiae p. 345. Celebris viri p. 346. In obitum
 Catzii, *Bruno Mengelmois* p. 163. in obit. Vossii *Boxborn*, (tacet aevi facundia, quae hoc
 ore locuta est) p. 204. Consulis p. 223. J.Cti & Syndici (Vestigal & debitum naturae
 solvit) p. 331. Typographi, p. 332. suavissimae infantis, p. 333. Virginis, p. 336. Phar-
 macopcei sub insignibus aurei annuli habitantis p. 366. Medici, *Delic. Poëtarum Ita-
 zalarum fol. 16.* Columelli *fol. 95.* Poetae & Logici *fol. 98.* Politiani, Poetae & Phi-
 lologi *fol. 174.* Beroaldi Philol. *fol. 176.* Puellae *ibid.* Cardinalis a *fol. 185. ad fol. 195.*
 Medici & Poetae *fol. 262.* Critici *fol. 285.* Coqui *fol. 35.* Pictoris, *fol. 336.* Puellae
 post nativitatem statim mortuae *fol. 337.* adolescentis armorum & literarum laude
 insignis *fol. 341.* Guisii Ducis oda *fol. 364.* Infantis *fol. 366.* Sylviae pulcherrimae
 feminae dialogismus *fol. 367.* Medici *T. 2. fol. 42.* Sponsae *fol. 105.* Puellae, *f. 106.*
 uxoris *fol. 125.* pictoris *f. 129.* Epitaphia aliquot insignium Philologorum *fol. 175. &*
176. in obitum illustris Viri & feminae *fol. 212.* Leuciae pulcherrimae *fol. 254.* Con-
 jugis *fol. 252.* illustris Matronae, *f. 256.* Theologi *Fabritius* p. 148. Parentat dulcissi-
 mae suae Phyllidi p. 173. in obit. uxoris Dan. Heinf. p. 106. elegantis puelli p. 149. Cor-
 nel. Vosiae a p. 155. ad p. 162. Principis Sophiae Hedewigis oda *Gutherletius* p. 199.
 Advocati & Scabini Scholarchae p. 242. Ecclesiastae, p. 254. J.Cti p. 258. Infantu-
 lae notae p. 250. Patris *Joh. Secundus* p. 176. Cancellarii Caroli V. (comparat illum
 cum Mercurio) p. 182. Caesaris filiae, p. 182. puellae castae p. 183. Viri doctissimi p. 184.
 Musici p. 185. Matronae clarissimae prosoptoeia p. 186. formosi juvenis p. 188. fratris
 p. 189. uxoris p. 190. Patris *ibid.* adolescentis J.Cti p. 191. Reginae Angliae a Rege repu-
 diatae a p. 201. ad p. 210. Equitis Sidnei *Baud.* p. 195. Ducis militum febris extincti p. 208.
 Matronae p. 210. filiolae post partum extinctae, p. 223. Philippi Hispaniarum Regis
 p. 224. Lipsii p. 230. Professoris Theologi a p. 232. ad 247. Filii Regis Britanniae p. 256.
 Theologi p. 270. fratris p. 527. Fortissimi Herois p. 640. In Manes auriacos *Hugen. in*
mom. desultor. p. 65. Epitaph. Musici elegantissimi interfecti p. 55. in sepulchrum Gusta-
 vi Regis Sueciae p. 86. in obit. Infantis Hispaniae, p. 86. Filioli Barkæ p. 101. Historio-
 graphi *ibid.* Reali Indiae Expraefecti, philosophiae magneticae peritissimi, p. 98. Bern-
 hardi Saxonis p. 145. Syndici in patria mortui p. 155. Baronis de Gent. p. 156. pictoris
 praestan-

præstantissimi p. 159. Mylii Senatoris p. 161. In Mercatorem Atlantis scriptorem
 (terra huic levis sit, qui omnem terram ut Atlas gessit,) p. 166. in obit. Viri fortis-
 simi p. 179. fratris designati p. 187. Medici & pictoris (fecit homines immortales,
 & vetuit mori) p. 197. Matronæ ditissimæ p. 199. Ecclesiastæ (vita cum via
 comparatur) p. 307. Pueri quinquennis p. 309. illustris feminae p. 319. Urbani Pon-
 tificis poetæ p. 333. Senatoris Medici p. 359. Theologi p. 367. Salmasii p. 389. Dan.
 Heinsii p. 395. Principis Saxoniae *Taubm.* p. 143. Præceptoris sui a p. 288. ad p. 298.
 Equitis Saxonici, p. 298. Clarissimæ matronæ p. 306. Juris Candidati p. 308. Sturmii
 Eloquentiæ Professoris p. 325. Theologi p. 383. Mathematici p. 352. Sacerdotis p. 385.
 recens nuptæ p. 386. Conjugis decies parentis, p. 416. Consiliarii p. 451. In obit. varias
 fortunæ vices experti Bellisarii, *Baron.* p. 66. Caroli V. p. 67. Alexandri Cardinalis de
 monte alto (Alexander par sit Cynico & mons altus tegitur exigua spelunca) p. 68.
 Cardinalis (mors pallida erubescit de rapta purpura) *ibid.* Marchionis Canetti p. 61.
 Poëtæ suavissimi (miratur, cur illi nemo Epitaphium scripserit. Quia vocalis Poë-
 ra abiit, omnes literæ fiunt mutæ & liquidæ) p. 70. Infantis Hispaniarum p. 71.
 Theologi Junii *Grotius* p. 187. Infantis p. 194. Lipsii p. 21. & 250. Theologi Bezae,
 p. 114. Arminii Theologi (tractatur Locus Communis de hæreticis & schismati-
 bus) p. 121. Uxoris Martinii p. 235. Merulæ p. 256. Inter bellica tempora mortui
 p. 257. Scaligeri, p. 260. puellæ formosissimæ *Lotichius* l. 3. El. 3. Viri docti El. 7. My-
 cilli Poëtæ l. 4. El. 2. Melanch. El. 4. Equitis Franci el. 5. Fratris p. 136. J. C. i. p. 146.
 amici, p. 141. Crucigeri viri docti, p. 232. sanctissimi Viri p. 238. Rubenii Philologi
Nic. Heins. p. 72. viri docti p. 78. sororis suæ & viri illustris p. 107. Pureani viri in-
 comparabilis Scazon. p. 183. optimi viri & summi Theologi, p. 191. Petri Scriverii
 Philologi p. 203. Medici, cum post ejus mortem pestis auferetur p. 232. Erpenii
 Orient. Literarum Professoris, p. 333. Clusii clarissimi viri p. 336. & 337. In funus
 immaturum viri clarissimi p. 352. Gonzaga Victor a morte superatus (applicari pot-
 est in obit. Theologi) *Guinifus* p. 116. In obit. Maji ultimo Februarii die (nolite hoc
 anno ver sperare, nam hyberno tempore Majus obit) *Guinifus* p. 253. Ducissæ p. 254.
 Thomæ Aquinatis sepulchrum gloriosum, *Parnass. Soc. Jesu, T. 2.* p. 538. Stephonii
 Sacerdotis & Poëtæ *idem* p. 166. T. 2. Elogium funerale Trompio & Salmasio scri-
 ptum, (comparantur studia cum militia) *Hofmann.* p. 163. Ad Henr. Nicolai de im-
 provisò sponsi obitu, p. 172. Circulus mortalitatis in obitum Braunii (alludit ad omnes
 figuras Mathemat.) p. 191. & 192. Nobilis Genevensis *Philomathus* (Pontifex Alexander
 VII.) *In Musis juvenil.* p. 18. Mariæ Medices Mantuæ Ducis, p. 57. Viri doctissi-
 mi senis p. 67. Manes Juniani in obitum Medici Junii *Janus Douza* a p. 459. ad p. 475.
 filii sui a p. 478. ad 492. Walerandi variis legationibus & muneribus ap. Regem de-
 functi, p. 294. Amici p. 495. Præsidis Curia p. 498. Poëtæ Critici p. 138. J. C. i. p. 331. Co-
 mitis Ducis militiæ equitum præfecti *Jo. Jov. Pontanus* p. 3375. Puellæ sub nomine
 amatoris p. 3378. Profopopceia puellæ, p. 3379. Ad sepulchrum fratris querela p. 3380.
 tumulus Nobilis p. 3381. Eremitæ viatoris Profopopceia p. 3388. In obit. Viri litera-
 tissimi *ibid.* Marulli Poëtæ, p. 3382. Episcopi & Poëtæ p. 3384. Oratoris ac Philosophi
ibid.

ibid. Genii Profopopœia in obitum Poëtæ *ibid.* Parentum Profopopœia in obit. Puellæ p. 3385. In obitum Villici p. 3386. puellæ defunctæ, *ibid.* Astrologi p. 3387. Matronæ castissimæ *ibid.* Musici celebris, p. 3388. Equitis *ibid.* juvenis eruditi pag. 3389. Juvenis fortissimi & formosissimi, p. 3390. Musici insignis, *ibid.* Grammatici p. 3391. Fabularum scriptoris *ibid.* Profopopœia Matris in obitum infantuli, p. 3392. Matronæ pauperulæ, sed pudicæ, *ibid.* Profopopœia Urnæ e tumulo p. 3393. in obitum Rosæ puellæ ante diem mortuæ *ibid.* Candidæ virginis p. 3395. Viridellæ *ibid.* Pruinæ puellæ p. 3396. Sulpitianæ *ibid.* Eumolpæ servæ p. 3397. Patris querela de obitu filii p. 3400. In obit. puellæ, matris, aviæ maternæ, materteræ, aviæ paternæ p. 3402. Morosæ femine p. 3404. Puellæ male sepultæ p. 3406. Trium Grammaticorum *ibid.* Poëtæ, Patris, sororis, &c. p. 3408. Uxoris p. 3012. Matronæ fecundissimæ p. 3413. ancillæ *ibid.* infantuli dies quinquaginta nati p. 3415. puellæ naufragæ, Matronæ Conjugis Pictoris per profopopœiam ad Maritum p. 3416. & 19. parum pudicæ, literati Adolescentis, infantuli innominati p. 3420. Infantuli bis mortui & nunquam editi (ex utero cæsi) p. 3425. puellæ formosissimæ, p. 3427. sui ipsius p. 3430. Epicedium Tragici Poëtæ. *Menagius* p. 25. Saraceni Viri docti p. 86. Poëtæ facetiff. p. 795. Poëtæ teneri. p. 101. in obit. femine a quarto puerperio *Flemming. ep. l. 5. p. 123.* Medici, *ibid. Cap. 5.* Pii & frugalis Ecclesiastæ *carm. 6.* tumulus novercæ, *carm. 8. & 9.* Matronæ post nupt. mortuæ 11. Musici. 12. Medici. 13. Mercatoris docti 16. Rectoris scholæ 18. pueri belli 21. puellæ nobilis 22. Tyllii 26. puellæ 27. Buchanani 28. Sacerdotis 30. Duarum Virginum una morte abreptarum 42. Taubmanni 47. inter hyacinthos tumulati 48. Oweni 53. &c. &c. Epitaph. sibi vivo *L. 6. Carm. i.* passim in hoc Vid. plura exempla.

III. A LOCI ET TEMPORIS *circumstantia.* Alcimedontis Romani tumu- 41
lus, qui obiit in Quirinali paucis ante diebus, quam urbs ab exercitu Cæsareano caperetur, *Balzac. p. 28. & 30.* Epitaph. Roberti Junii post reditum in patriam mortui *Scoti p. 22.* Cygnea cantio in fun. Sandovii post reditum in patriam mortui, *Vid. nostrum librum funerum p. 31.* In duo Scotticæ gentis lumina ad septentriones & meridiem nuper extincta *Scoti p. 121.* Epitaph. Lyndesii extra patriam mortui, p. 122. T. 2. De Lipsio inter bella civilia mortuo *Heins. p. 65.* in calend. Novembr. Pythæo emortuales & natales, *Galli T. 3. p. 164.* In Timoleontis Brisaci obitum a Vere, p. 116. In obit. Juvenis ex Italia & Gallia redeuntis *Banning. p. 162.* In obit. Plosii in Gallia extincti, *Barleus p. 235.* Henricus Ploos ab Amstel. in flore ætatis per Galliam peregrinantis, rebus humanis erepti *Niendalius p. 50.* Filii Regis Angliæ, cujus singula disticha tempus involvunt, *Baudius pag. 261.* Ducis Guisici, Regis Francisci &c. Chronosticha varia a p. 482. ad 486. Winshemii circa vernum tempus mortui, p. 395. In puellam initio Mâji nuptam, sine mortuam, *Pontanus pag. 3380.*

IV. A GENERE MORTIS vel ejus variis causis. In Bergerium a pede se- 42
cto mortuum, *Zuberus p. 82. Vid. Miscellan. nostra in Exequ. Dehnii.* In obitum fortissimi juvenis Marchionis Pisanii pro patria occumbentis ad matrem, (Non potuisse
Tomus I. Ss ss filium

filium splendidius implere vota parentis) *Balzac. p. 30.* Euryalus Rupellensis, qui in certamine navali contra Regium exercitum fortissime dimicans, tandem viribus exhaustis, alieno & suo sanguine respersus, nec victor, nec victus in mare cecidit, *idem p. 51.* in juvenem ipso praelio extinctum, *p. 111.* Epitaphium Moravi carcere & aqua intercutē extincti *Scoti p. 72.* In obit. Ducis Buccinganii a Philtrono cultro extincti, *p. 74.* Tumulus præclaræ virginis inter Chorceas extinctæ, *p. 128.* Epitaph. in Ducem Hispanum, qui urbem, sparsis nucibus, occuparat, & glande plumbea, transfixis faucibus, interiit, *p. 273.* In fratrem suum cœlibem, naufragio extinctum (quia uxorem non habuit, Theris illum generum accepit) *p. 373.* Epitaph. Stuartæ, illustris feminae, in carcere mortuæ (cum aula illi carcerem dederat, Jupiter pro illa suam aulam) *p. 376.* Epigr. ad noviss. Gallia Martyres, *p. 108. & seq.* - Ad Carolum, Gallorum Tyrannum, sanguinis inusitato fluxu pereuntem (quem sanguinem biberas, non poteras concoquere) *Scoti T. 2. p. 112.* In mortem Mariæ, Scotorum Reginae, decollatæ, *p. 112.* Paulatus cum duobus Brickmaldiis in eodem lecto contrucidatis, *p. 110.* In classis Iberæ & Ducis Guisii interitum, *p. 133.* De peste grassante nœnia, *p. 372.* Lacrymæ in obitu Sethoni *pag. 504.* in obit. Comitis Eristiaci in praelio suo pro patria mortui, *Galli p. 154.* Epitaph. Pro-Reg. Belgii globulo plumbeo transfixi *p. 155.* In aquis mersum (Nihil isto tumulo mollius, jacet enim in Veneris cunis) *p. 157.* De eodem Venetiis nato, & in mari mortuo (in æquore natus, in aquis animam reddidit) *p. 157.* & aliud *p. 158.* De animali occiso prope insigne Ensis regii *p. 204.* Tumulus Mariæ Golortæ in juventute extinctæ *p. 424.* in tumulum a rivale occisi *p. 456.* In Tumulum Guinæi, inter prælia mortui (prævidit Jupiter novam Gigantomachiam, ut ergo cœli defensor esset, eum vocavit) *p. 452.* Epiced. Castanii in prima juventute prælio extincti *p. 105.* Epiced. Castanii Equitis *p. 504.* Stephani Doleti exustio: Musæ voluerunt rogam fonte Castalio extinguere, Jupiter autem prohibuit, & cœlo velut Herculem e flamma recepit *pag. 596.* In Garnerium, aquis extinctum, *p. 656.* In Borbonium Ducem in arca obtruncatum, *p. 660.* In obit. Lud. Borbonii, in bello transosso equo inter prælia occisi, *pag. 661.* In Culingium equis dilaceratum, (cui patria tumulum denegavit, illi tota natura, ipsaque patria parente & anima sua destituta fit cadaver) *p. 661.* In eundem, everso corpore in cruce suspensum, *pag. 662.* ad ejus uxorem super hoc obitu *ibid.* In obit. Cunegundis gemellorum partu mortuæ, *pag. 676.* *Vid. miscell. nostra pag. 71.* In obit. infantulæ simul natæ & mortuæ *pag. 677.* in parricid. advers. Henr. IV, tentatum *p. 718.* In parricidam gravissimo sed justissimo supplicio affectum, *pag. 719.* In amantes, a viro simul confossos *pag. 118.* In Robertum Junium hydrope extinctum, (Qui fontes Castalios siccaverat, aquis jugulatur) *Scoti T. 1. p. 604.* In mortem violentam, *p. 613.* In supplicio affectos, *p. 684.* Elegiæ in mortem duorum militum Hispanorum, quorum alter hostili telo, alter amore commilitonis cæsi complexu ad Rupellam occubuit, *Hosebius pag. 123. ad 142.* In Claudium & Rudolphum, Aquæviras martyres, *Wallius pag. 322.* angitur propter rumorem de merâ aquis amica, *Banning. l. 1. & 13.* ad Isam fluvium, cum in eo submersus esset *Frider. Henr. Reg. Bohem. filius primogenitus p. 44.* In obit. Herois icu lapidis in obsidio-

oblitione extincti, *Barlaam* p. 10. T. 2. in extractionem fetus per unicum p. 447. In necem Ducis Friedlandiae p. 454. Epitaph. Domini van Duden, in eodem loco mortui, quem ipse occupaverat, p. 199. Inclyta mors in pugna Lycia Pappenheimii, *Balde Lyr.* p. 24. de funesto Wallensteinii exitu pag. 109. In obit. crucis seu Crucis Abbatis in cruce extincti, *Buchananus* p. 341. Episcopi Epitaph. suspendio extincti Vituperatorium, p. 34. In maritum flammis extinctum & maritum ἀντόχεια Itali f. 175. Epitaph. Tabellarii in itinere occisi, *Joh. Secundus* pag. 193. Epitaph. Thomae Mori decollati, (Dialogus inter hospitem, & civem, & in ejusdem mortem naenia) pag. 196. ad 201. In obit. Constantiss. Martyris Angeli Merulae jambus, *Baudius* pag. 204. In obit. infortunatiss. Ducis Bironii Franciae Marefchalli decollati a pag. 485. ad 489. Vid. ibi plura Epitaphia in Principes, violenta morte extinctos. Epitaph. Musici interfecti *Hugen. Mom. desult.* p. 65. in tumultum convitiatoris, qui accusationem publicam ex officio intentaturus obmutuit, & mox animi aegritudine obiit, 6. Epigr. p. 85. & 86. In mortem scelesti, a plebe discerpti mox a patroto immani facinore p. 136. In Pro-Regem Hiberniae securi interfectum p. 157. In mortem pulherr. Matronae sub ponte Londinensi submersae Epigr. pag. 175. & c. Epitaph. infantis in utero matris suffocati p. 178. Epitaph. Thuani criminis rei, quod a se improbatum in gratiam amicorum celaverat p. 180. In ejusdem mortem imperitia carnificis lanienae similem p. 181. In mortem Cinckmartii Gallicae Hippocomiae praefecti, *ibid.* In mortem Marchionis propugnaculi minis obruti, p. 144. In obit. Archiepiscopi, capite truncati, (Hoc capitis schismate Ecclesia in duas partes scinditur) p. 345. In obit. infantis festinato occasu extincti *Banning.* p. 70. Epitaph. Pungii pro patria morientis, (Hoc, pro quo jacuit, nunc jacet ille solo) *Grotius* 239. In Marchionem Pisanium, praelio Nordlingano fortiter dimicando, occumbentem, *Nic. Hens.* p. 253. Manibus Colonii Lugduni peste extincti pag. 338. In obit. Bensori Praefecti sclopeto transverberati carmina 6. *Janus Douza* a pag. 478. ad 483. Centurionis ictu tormenti extincti p. 479. Claudii Puteani Senatoris ap. Gallos regii supplicio extincti, p. 500. in obit. Colvii comment. in Apuleji alinum ictu mulae mortui, pag. 138. Tumulus puellae ripa oppressae. *Pontanus* pag. 3396. Nymphae a rusticis caesae pag. 3398. In adulterio occisae pag. 3405. Ducis militiae a securis ictu mortui *Flemmingus lib. 5. Ep. 24.* Pappenheimii *ibid.* comitum ab Indis interfectorum p. 51. virginis parietis mole obrutae pag. 79.

AB AFFECTUM MOVENTIBUS. πένθειον & argumentis Consolatoriis. 43
 Consolatur aliquem de excessu amici *Zuber* p. 23. Consolatur aliquem ob obit, uxoris p. 45. it. p. 49. Consolatur aliquem super morte filioli p. 33. Profopopœia Alcimedontis morientis pridie ante occupationem urbis Romae *Balzac.* p. 29. Ad Melibœum Nisam cœlo receptam intemperantius lugentem (Funde potius rosas & thura, quam lacrymas, quas non sitiunt Numina) *id.* p. 53. Ad Georgium Strachanum popularis sui obitum undatim lachrymantem *Scoti* p. 141. Margaretae Macchiaë Matris super immatura & tristi morte IV. filiorum lachrymae p. 364. Brickmaldus ad supplicium tractus primo Tyrannum, deinde proceres ac tandem Christum alloquitur T. 2.

p. 110. Epitaph. Alex. Artuthneti (Desleo in te privata & publica incommoda. Tuis vero commodis gratulor) p. 120. Querela in obitum Scaligeri *Heinsius* p. 56. Threnus elegia Carulliana in eundem p. 58. Luctus Memmii Patris super obitu filii *Galli* T. 3. p. 80. Ad Rapinum super filii morte: (Quem genuisti patriæ, impendis patriæ) p. 165. Ad eundem super morte alterius filii (sæt bene, pro patria qui cecidere, jacent.) *Ibid.* Egenors voces in funere Farnesii p. 215. ad Macrinum in morte Patris consolatio p. 471. Ad Puteanos fratres de morte Parris p. 512. ad 519. Elegia ad Episcopum fratris sui obitum deslentem, *Scotti* T. 1. p. 528. Ad Ducem Bulloniæ filiam deslentem, *Jonstonus* p. 312. Ad se ipsum cum Sidronius Hofchius amicorum & Poëtarum maximus e vivis excefferat, *Wallius* p. 116. Ad patrem de obitu Fratris *Banning* p. 101. In obit. præmat. Dionysii Vossii ad Patrem *id.* p. 130. De Hortensio lugente obitum Schickardi *Banning.* p. 166. Ad Corn van der Mylen de obitu filii consolatio *Barleus* T. 2. p. 113. in fun. consolatio Stoica, *Balde Lyr.* p. 45. ad Patrem super obitum filii, p. 239. Consolatur aliquis de obitu fratris & Patris, *Sarbievius* L. 3. od. 24. 25. Consolatio Mariti de obitu uxoris, *Bruno* p. 336. profopopœcia Pici Mirandulani, *Itali* T. 1. f. 65. ad Bembum in filii obitum oda Pindarica f. 134. ad manes Poëtæ f. 242. In obit. Tunii Elegia consolatoria ad fratrem T. 2. fol. 29. Ad manes amici T. 2. f. 147. ad Gonzagam de obitu uxoris f. 223. ad vice-Comitem in Maximillæ uxoris obitum oda, f. 226. Amatoris lacrymæ ad tumulum sponsæ f. 283. Ad Carolum Sabaudix Princ. de obitu matris, f. 257. profopopœcia Mariti in obit. conjugis *Gudberlethius* p. 136. Profopopœcia pie defuncti Parodia ad Horatium L. 2. od. 2. p. 253. In obitum Patris querela, *Secundus* p. 176. alloquium moribundi ad amicos Jambus, p. 202. Profopopœcia Puteani moribundi ad uxorem jambus *Baudius* p. 212. Profopopœcia filiorum ad matrem Elifabetham, p. 216. Profopopœcia Mariti in morte conjugis p. 222. Consolatio ad matrem super mortem infantis *Hugen.* p. 148. ad amicum de insperata fratris morte consolatoria *Albertus ab Ines* od. 45. Consolatoria oratio versibus intermixta in obit. fratris sui ad Patrem *Grotius* a p. 329. ad 337. ad Regem de obitu matris, (Non fac, ut tibi Regi dominetur mceror Tyrannus) *Guinistius* p. 254. ad Maximum Patrem filii natu minimi obitum lugentem, *Hofmann.* Ep. pag. 167. conqueritur de obitu amici desideratissimi *Philomathus* od. pag. 25.

44 VI. MORALIA sive LOCI COMMUNES. Mortem vitari non posse *Wal-*
lius p. 125. Carmen de termino vitæ *Barleus* p. 181. Choreæ mortuales, *Balde Lyr.*
 p. 104. De æternitate p. 140. Omnia divina providentia gubernari p. 203. Helio-
 tropion seu mens hominis ad Deum versa p. 277. Carmen votivum pro *εὐδαιμονία*
 p. 278. Corona Regia tegumentum humanæ miseriæ. p. 302. in quendam poemata
 sua de vanitate mundi inter negotia poscentem, p. 213. autor de sepulchro sibi pro-
 spicit, supervacua Epiaphiorum curam irridet p. 230. Hymnus spirantis ad cele-
 stem patriam, p. 231. Meditatio mortis ex interitu arborum, p. 279. adspirat ad cele-
 stem patriam, *Sarbievius* L. 1. od. 19. Excessus e rebus humanis L. 2. od. 5. sepulchra
 & tumulus sibi Regum Scholam esse, l. 2. od. 29. omnia humana caduca esse & incerra

l. 3. od. 12. Optatum genus mortis, *Itali f. 275.* Cujusmodi tumulum post vitam cupiat *f. 276.* in deliberatam mortem, *Secundus p. 125.* Cupio dissolvi, & esse cum Christo, *Baudius p. 53.* Humanæ vitæ fuga, *Joninus Lyr. l. 4. od. 30.* Quod mors sit pallida, & callida, frigida, & rigida, *Baronius p. 133.* Fuga humanæ gloriolæ *od. p. 161.* suspiria ad cœlestem paradisum *p. 224.* Elegia de humanæ mortalitatis miseriis *p. 237.* Stoicus Christianus, mortem non esse timendam, *Albertus ab Ines od. 2.* Miserum esse, qui nunquam fuit miser, *od. 14.* Rerum humanarum vicissitudines, *Nic. Heinsf. p. 76.* Cœlestes deliciae elegia, *Guinifus p. 139.* varia moralia Epicediis inservientia habet *Balde in libro de vanitate mundi.* Sepulchralis urna pro fonte in atriis Romanorum, *Philomathus p. 54. 55.* Vid. Dan. Heinsf. libro de contemptu mortis.

VII. A RITIBUS ET ANTIQUITATIBUS. Allocutio ad manes Hiero- 45
nymi Wolffii Zuber. *p. 10. parte i. poem.* Veneris lacrymæ super mortem Adonidos *Scoti p. 178.* Epitaph. Metellani Scorixæ Consiliarii. Inv. a diluvio & pluviis continuis mortem ejus præcedentibus *p. 267.* In defectum lunæ, qui supremam Scaligeri noctem præcesserat, *Heinsf. p. 52.* Epitaph. Budæi a pluviis & diluviis continuis, *Galli p. 593.* Mausoleum Arausiorum Principis, *Barleus p. 96.* De more ungenderum cadaverum *Balde p. 123.* In infantis morte matris Auriacæ luctus aëre tempestuoso, *Hug. p. 148.* In obit. Schillingi a variis ritibus tumulandi, *Taubm. p. 320.* In obit. Clusii inter flores tumulati, *Nic. Heinsf. p. 335. & 387.* De pluvia in Magii obitu, *Guinifus p. 253.* Viatoris Profopocœia in obit. Ducissæ Calabriæ *Joh. Jov. Pont. 3377.* Puellæ in florem versæ *3398.* Matris ad filia rumulum. varia dona *p. 3401.*

VIII. A FORMA CARMINIS. Amici obitus sub Pastoris Jolæ persona de- 46
fletur *Balzac. p. 101.* Ecloga Daphnis in obitum Principis *Scoti p. 101.* Idyllium nostrum Adonis in obitum Principis Meclenburgici. Ecloga Philomela in mortem Amaryllidos pulcherrimæ puellæ *Scoti p. 418.* Ecloga altera ejusdem argumenti *p. 420.* Ἀποδέωσις Liddeli Philosphi & Medici *T. 2. p. 550.* Jacobi Augusti Thuani ἀποδέωσις *Heinsf. p. 38.* Scaligeri ἀποδέωσις *p. 49.* Thyrsis ecloga in obitum ejusdem *p. 59.* Francisci Lotharingi tumulus. Colloquium inter hospitem & sacerdotem *Galli T. 3. p. 14.* Epitaph. in se ipsum *p. 171.* Poëtæ nœnia pentasyllabica *p. 205.* Ἐπίμικτον in obitum Gesneri *p. 577.* Ecloga Alexis in obit. Henrici Bellagi *p. 818.* Epimicton in fun. nobiliss. Poëtæ *Balde Lyr. p. 139.* Ecloga Alcon in obit. præmaturum juvenis Itali *T. 1. f. 61.* In obit. Cærdinalis Ἐπίμικτον *fol. 91.* Eclogæ tres in obitum Bembi Cærdinalis *fol. 178. ad 184.* Ἐπίμικτον in mortem uxoris dilectissimæ *Hugen. in mom. defult. p. 36.* in obit. fratris Ἐπίμικτον *Grotius p. 188.* Dialogus inter viatorem genium & sacerdotem in obitum Civium Hidruntinorum *Pontanus 3376.* Colloquium inter viatorem & genium *p. 3381.*

IX. MISCELLANEA. Ad Jacobum Regem ægrotantem, cum Cometa 47
apparuit ante mortem Reginae, *Scoti T. 1. p. 70.* in rumore de cæde Regis Jacobi, *id. p. 70.* Epitaph. quod sibi ipsi scripserat, *Galli T. 3. p. 110.* Cor Henrici III. a Monacho occisi *p. 144.* In Passeris interitum *p. 159.* in lacrymas & versus Henr. III. super

per cædem Gæstii p. 160. In Cor Caroli Saldanæ a conjugē sepultum 3. Epigr. p. 166. Brutus moriens p. 189. Tumulus hominis furacis, absumto patrimonio mortui, pag. 442. Ad Maculum Pomponium, cum falso diceretur in Alpibus occubuisse Galli p. 594. Ad Chloridem falso nunciata morte Pomponii p. 608. De Psittaco specie quadam mæroris Domino ægrotante mortuo p. 689. Epitaph. Acantulæ p. 690. Epitaph. in obesum (amplissimus vir hic jacet) p. 691. Κενοτάφιον Thesaurarii suspensi *ibid.* in obit. Præsidis palo affixi. (Qui male federat iudex, male stat post mortem) *ibid.* In obitu Mureti (Nulla dignius in urbe quam Roma mori debebat) Cinædus, *ibid.* de ignobili Arverno in sepulchro nobili posito p. 1146. Epitaph. trium simiarum *Scoti T. 1. p. 609.* Eudemie umbra scribit ad Eudemium, *Jonstomus poem. p. 320.* ad Ludovicum de Rohmen commune sibi & conjugi defunctæ sepulchrum erigentem *Wallius p. 208.* causas dat, quare ob pestilentiam non discedat *Barleus p. 62. T. 2.* in anatomiam Spigelii, p. 153. Diræ Francisci Petrarchæ in tumuli sui violatorem pag. 317. in Cleopatraræ obitum, *Itali T. 1. fol. 62.* Epitaph. Canis. *ibid. fol. 82.* Tumulus canis *fol. 197.* Catuli *fol. 213.* Tumulus Epicuræi *fol. 334.* Tumulus Barbatillæ catellæ *fol. 347.* In catellum virginis Ursulæ mortuum *od. T. 2. fol. 148. & seqq.* Epitaph. Penelopes meretriculæ *fol. 258.* Manes turturis. Lusus Saturnalitiis, *Gudberletius p. 2.* In mortem senis cujusdam Pædagogii *Job. Secundus p. 189.* ad Bersum Jano Douzæ parentantem Jamb. *Baudius p. 197.* Epitaph. vetulæ uxoris viri non senis *Hugen. pag. 95.* in Principis infantem mortuum gypso efformatum, p. 147. Epitaph. Mulieris prodigæ. p. 183. extincti crapula p. 188. in Cippo fratris tumulo a vidua imposito, p. 194. Catella veneno casu sumto interempta, *Hugen. p. 387.* Epitaph. Lepusculi *Taubm. p. 387.* excusat se, quod non scribat elegiam in morte amici, p. 385. Epitaph. canicula leunculi p. 497. oda de pestilentia, *Jonnius in Lyr. lib. 1. od. 16. & 17.* Vid. Samsonis, Bellisarii, Caroli V. Hannibalis, Lucretiæ, epitaph. ap. *Baroniam in metris Miscell., a. p. 66. ad p. 73.* Impiæ & informis vetulæ epitaph. pag. 72. Simônides Poëta mortuum sepelir. p. 97. in effig. Scaligeri paulo ante mortem expressam, *Grotius p. 262.* Elegia de se ægrotante, *Lotichius l. 1. & 6.* cujus bonam partem descripsit *Bertilius Canutus in eleg. p. 71.* De Lojola, cujus in sepulchro visa sunt sidera, *Guinsius p. 289.* Epitaph. sepulchro incisum, *Philomatus pag. 112.* Inscriptio sepulchralis Rhythmica p. 139. Alia inscriptio Rhythmica pag. 142. Inscriptio p. 142. Epitaph. Adonidis ex Græco redditum *Janus Douza p. 521.* Tumulus morosæ fœminæ *Pontanus p. 342.* Ceteri hominis furacissimi p. 3404. Mendici p. 3405. hominis bibacissimi p. 3406. Rustici p. 3420. Inertissimi nani, Ichthyophagi, Pegasi, aviculæ Sturni, Vocis motorie, Meretriculæ p. 3420. ad 25. Achillis sepulchrum, *Bonifacius in Musis p. 22.* Herculis & Alexandri p. 26. & p. 31. Inferiæ Cleopatraræ ad tumulum M. Antonii p. 47. In mortem Caballi, Parodia ad passerem Catulli, *Menagius p. 62.* Mausolea Regum Persarum, *Flemming. l. 6. c. 15.* Imperatoris Ferdinandi p. 38.

Subjiciemus his minora quædam carminum genera, non adeo frequentis usus, ut *Soteria, Eucharistica, propemptica, valedictoria, & salutatoria, Epibateria, dedicatoria,* quæ singula ad demonstrativum genus pertinent, ac præcipua Enthymemata a laude

laude vel personarum vel factorum capiunt. Exemplum *Soteria* est apud *Statium lib. 1. Sylv. carm. 4. Pro Rutilio Gallo*. Elegantissimum quoque exemplum est in itinerario Gallico Monconisii, ubi Gassendo gratulatur de valetudine recuperata. Exstat Barlaei gratulatio ad Hugenum febris liberatum *Heroic. p. 396*. Ad Cardinalem Mazarinum gravissimo morbo liberatum, *Balzac. p. 17*. Morbus Scarronis *id. p. 57*. Corydon ad autumnum, cum Phœbum suum ea anni tempestate ægrum videret, *Scoti p. 113*. ad Lud. Duræum Medicum, ut febris quartanæ ægritudine se levet, *T. 2. p. 147*. ad Matrem misericordiæ, cum Sidronius Hofchius in gravi morbo carmen illi vovisset, si convalesceret, *Wallius p. 37*. ad Aloysium Lauenbach, sanguinem vomentem, *id. p. 253*. ad eundem, cum a gravi morbo nondum liberatus se ad literas dedisset, *p. 263*. Votum Matri misericordiæ, cum a lethali morbo literatus esset, *Hofchius p. 29*. pro valetudine alicujus votum *p. 79*.

Eucharistici carminis exemplum est ap. *Statium lib. 4. Sylv. carm. 2*. Apud Bar- 49
læum est eucharisticum pro torce aureo à Britannicæ Rege oblatum. Ad Bernerum pro muneribus missis, *Zuberus parte 1. p. 43*. ad Martam Ingolstadtiensem pro corona natali die ad se missa, *p. 90*. ad Cancellarium, *Balzac. p. 34*. gratiarum actio, cum in privatum cubiculum admitteretur, *Scoti T. 1. p. 66*. exoptulatio cum Jacobo Rege, quod munus non accepit *p. 71*. Corydonis carmen Eucharisticum *id. p. 69*. armilla a Melidoria donata *p. 115*. Eucharisticum pro domo, in qua habitabat *T. 2. p. 361*. gratias agit pro carmine in se conscripto, *p. 503*. ad senatum annua præmia juventuti erogantem, *Wallius p. 91*. Eucharisticum ad Antonium de Burgundia, cum emblemata in lucem daret, *p. 353*. Antonio, cum annua præmia juventuti donaret, *Hofchius p. 61*.

In *Propemptico*, quo iter alicui gratulamur, inventiones ducuntur vel a tempo- 50
re, vel a loco, vel a conditione personæ iter facturæ. In tempore adjuncta ejus considerabuntur, num æstivum, hyemale, commodum, incommodum. Locus est vel is, a quo fit discessus, qui consideratur cum relatione ad personam. Convenient hic loci Rhetorum in laudibus locorum. Similiter locus, ad quem tendit, describatur ex iisdem locis, & a desiderio amicorum expectantium. Locus, per quem quis tendit, vel mare est, vel terra, si prius, allocutiones fingantur ad Deos marinos, ventos, tempestates, nautas, navem ipsam. Si posterius, optamus illi Pegasus, aquilam Ganymedis, injurias aëris deprecamur. In Conditione personæ est, quod vel munus publicum sustineat, ut Legatus, ubi excursus fieri possunt in Principem mittentem, expeditionem ipsam, virtutes Legati, spem Patriæ. Si Dux est exercitus, Locus communis de bello feliciter gerendo conveniet: si literatus, multa de studiis, de ingenio fingere possumus. Ἡδῆ & πῶδῆ ubique misceri possunt, contestatio doloris, desideria amicorum, vota pro felici reditu. Exemplum est ap. Barlaeum ad commensalem, cum Britanniam adiret. In discessum Poëtræ (Phœbus e nubibus abiit.) *Zuber. parte 1. p. 12*. ad amicum navigaturum, *Zevcotius p. 46*. ad amicam Coloniam proficiscentem *id. p. 61*. ad amicam navigaturam, *Fabricius p. 71*. ad Regem Jacobum VI. Angliam peten-

perentem *Scoti* T. 1. p. 40. ad Daniæ Regem, cum ex Anglia solveret *ibid.* p. 117. aliud Propempticon p. 137. ad Jacobum VI. Scotia discedentem, p. 241. Propempticon Legati ad Regem Britannia, p. 231. desiderium Patriæ ad Regem abeuntem p. 372. ad Regis e Scotia discessum, T. 2. p. 470. Propempticum Charitum Abredonensium ad Regem p. 566. e Belgio in Indiam abeunti *Wallius* p. 102. Ad eundem Idyllion Amyntas p. 166. ad amicam navigantem *Banning.* p. 15. ad quendam de pestis secessu *id.* p. 20. In abitum Boulii Phaleucium *id.* *Hendecasyll.* 7. ad Walaum in Galliam discedentem p. 137. ad Badium in peregrinas oras discedentem *ibid.* p. 161. in abitum Martini, p. 189. Valedicit Regi Britannia *Scoti* p. 266. T. 1. in quendam, cum e Belgio in Germaniam revocaretur, *Hofchius* p. 70. In suum ad urbem Venetam appulsum *Scoti* p. 268. ad nobiles duos fratres, qui Silesiam repetebant, *Barlaus Heroic.* pag. 392. ad equitem, cum Haga Leidam repetebat, *ibid.* pag. 445. ad Jacob. van der Burg p. 533.

51 Ad *Epibateria* sive gratulationes de adventu ista pertinent. Hylas redux, *Balzac.* p. 55. Nympha hospes, *id.* p. 64. ad Regem Jacobum Parthenam urbem ingredientem, *Scoti* p. 18. Ecloga 1. Amaryllis cum Rege Jacobo in Scotiam reduce, *ibid.* p. 33. Amaryllis exultans ad Regem ingredientem urbem p. 36. Ad Daniæ Regem Angliam ingredientem p. 88. Ad Regem. Scotiam revisentem, p. 374. Patriæ sub Amaryllis nomine gratulatio de reditu ex Anglia ad Jacobum Stuartum Scotiae Pro-Regem, T. 2. p. 163. ad Regem in Scotiam redeuntem p. 233. ad Reginae Angliæ Oratorem Pictavium ingredientem p. 351. De Scotiae procerum reditu ab exilio p. 365. de pompa introitus in urbem Regis Jacobi p. 519. in reditum Regis in Scotiam p. 500. ad Gandavillanum oppidum Regi Catholico restitutum primo ingredientem, *Wallius* p. 240. ad Florentium, cum in navi a Batavis captus suæ provinciae redderetur, p. 327. ad Belgium de Ferdinandi gubernatoris navigatione *Becanus* p. 79. ad eundem de mora illi in Italia injecta, *id.* p. 81. ad Philippum Regem p. 86. Gandavensis urbis in ejus adventu gratulatio p. 89. ad Ferdinandum, cum primum in Belgium veniret. *Hofchius* p. 44. adventus Reginae Britannia, *Barlaus* p. 155. Mauritius redux p. 335. in adventum Principis sub vesperam post superatam Grollam, pag. 343. De eodem Principe ad Isalam *ibid.* in adventu amicae, *Banning.* l. 1. eleg. 12. In adventum nobilis Poloni in Academiam Leidensem, *Banning.* p. 49. Expostulat cum amico, quod diutius, quam convenerat, abfuerit, *id.* p. 77. Ad quendam post Medicinae gradum in patriam redeuntem, *id.* p. 96. ad Principem Auriacum, expugnata Hispanorum classe, reducem, *id.* l. 1. *sylv. carm.* 1. ad cognatum e Gallia & Anglia reducem, p. 158. ad quendam, ut, desinente pestilentia, in urbem revertatur, pag. 177. ad quendam, qui Golium de cœli aspectu consulturus erat, quando in urbem rediturus sit, *id.* *ibid.* In quendam ex Italia, Gallia, Sicilia reducem p. 190. De Pareliis, Lutetia visis anno 1539. finiente, Carolo V. Cæsare Calend. Jan. urbem ingressuro Epigramma Theodori Bezæ, *Galli parte 3.* pag. 692.

52 Ad *Dedicatoria* pertinent hæc. Ad Ursinum Poëtam sibi non visum, cui carmina offert, *Zuberus poem. parte 1.* p. 30. Dedicatio carminum ad alios, *id.* p. 34. 36. 63.

36, 63, 76, 78, 83, 94, 99. ad Christinam Reginam, cum quædam opuscula illi mitteret, *Balzac. p. 25.* ad Comitem *p. 27.* De Poësi amatoria ad Patrem Februarium *id. p. 134.* Lusus rustici dedicati Consiliario Regio *id. p. 137.* Dedicatio hymnorum ad Regem, *Scoti T. 1. p. 142.* Dedicatio Eclogarum ad Regem *p. 417.* carmen de anatome, *T. 2. p. 36.* dedicatio sacri carminis ad Regem *p. 84.* ad Scævola *p. 335.* ad ordines Hollandiæ cum illis carmina emblematica offerrentur, *Wallius p. 71.* dedicatio carminum ad Pontificem *p. 187.* ad Arnoldum van der Valle adhuc in cunis vagientem, cum ei olivam pacis in spem colendæ olim poëseos mitteret, *id. p. 225.* ad Claudium Comitem, dum Ferdinando Theses quasdam dedicaret, *Becanus p. 99.* Dedicatio hymni in Christum *Barlaus p. 1.* aliæ dedicationes *p. 23. 46. 49.* Mittit ad Barlaum carmina sua, *Banning. p. 73.* Ad Nyendalium, cum carmina sua bellica illi traderet *ibid. pag. 86.* Disputationes Ethicas dedicat Heinsio *p. 126.* Ad legatos Principis Holsatiæ in Persiam, cum ei dedicaret aliquid *id. p. 140.* Laurentio Reali carmina mittit *p. 169.* referantur huc dedicationes singulorum librorum in Martiali.

Subjungimus hinc *encomiastica personarum & variarum rerum*, quæ apud varios Poë- 53
tas inveniuntur. Panegyricos in Imperatores, Principes, Duces, Viros Literatos, Consiliarios &c. Vid. ap. Claud. & Barlaum passim. Ad Regem Christianissimum *Balzac. p. 10.* Ad Claudium Memmium Regis Galliæ Legatum *id. pag. 19.* Ad invictissimum Heroa Ludovicum Borbonium *id. p. 12.* Laus Gavini Consiliarii *id. p. 26. & 27.* Olor Gallicus ad Principem Henricum *id. p. 31.* Ad Antonium præfulem *id. p. 107.* Pompa Regia Ludovici XIII. *Petavii Panegy. XI. Parnass. Soc. Jes. p. 642.* Panegyricus in Pontificem Urbanum VIII. in quo ejus poëmata potissimum laudantur, *id. p. 639.* Panegyrici de Ludovici XIII. rebus ad Rupellam gestis *p. 649. & 652.* Vid. *ibid.* plura. *Petavii Panegy. sacros. Laus Caroli Britannicæ Principis Barlaus ap. Scotos p. 78.* Jacobi I. *p. 83. T. 1. ibid.* Princip. Henrici *p. 91.* Comitibus Roberti Cæciliæ *p. 104.* Panegyricus ad Regem *ibid. p. 302.* Scoti Cancellarii Directoris *p. 304.* Panegyricus Jacobi I. *p. 318.* Regis Galliæ Ludovici XIII. *p. 338.* Elisabethæ Angliæ Reginæ *p. 431.* Vid. Jonitoni Heroës *ibid. T. 2. pag. 118. & 119.* Ad Jacobum VI. Regem & Poëtam *T. 2. p. 142.* De Catharina Medicea *p. 381.* Laus Nasonis *p. 488.* Laus Jacobi Regis *p. 509.* Ad Carolum IV. Lotharingiæ Ducem *Wallius poem. p. 67.* Laus Heinsii *Banningius L. 1. El. 3. Boxhornii id. p. 20. Catlii p. 53. Vossii ab insigni eruditione p. 46. Barlaei p. 50. & 73. Salmasii p. 70. Heinsii p. 126. Laus duorum fratrum, p. 174. Confulis Foresti p. 72. Graswinkelii causarum Patroni p. 172. Gronovii p. 176. Annæ Schurmanniæ p. 176. Mestertii p. 183. Declamatoris eximii *Balzac. p. 89. Elegantissimi Poëtræ, sed aulici infortunatissimi id. p. 62. Poëtarum Scotorum Isaacus Gruterus in carm. Encomiast. editioni Poëtarum Scotorum præfixo. Viri duri ac honesti, Scoti p. 73. puellæ Aurelianae p. 72. Medicinæ Doctoris p. 219. Cohortium Scoticarum Dictatoris p. 296. Viri constantis p. 304. Daphnidos Poëtræ Encomium sub Ecloga representatum p. 421. Cæliæ *T. 2. p. 114. Estheræ Angliæ bellæ pictricis id. p. 119. Guldenstein hospitis sui p. 139. Tychonis Astrologi p. 142. Puellæ, cui nomen Barbara p. 174. Vid. Carmen***

Barlaei in uxorem suam ejusdem nominis l. 2. Eleg. p. 88. Joh. Gordinii Scotti p. 174. Rhodenburgii, Taubmannianæ Cathedralis Successoris p. 260. Laudes fœminarum pulchrarum, amicorum, amafiorum &c. Vid. magnam copiam in libro Blyenburgii, quem inscribit Veneres Blyenburgicas, in quo colligit varias materias de amoribus, illasque sub certis titulis congregat. Vid. ibid. titulum de epithalamiis & de amoribus. Adolphus a Dans l. 3. de laudibus Eufabethæ. Vid. panegyrii heroicam Caroli V. ap. Masenium in palæstr. p. 214.

- 54 *Variarum rerum laudes.* Laus capri Balzac. p. 130. Equus Domitiani Statius L. 1. Sylv. c. 1. Laus Rosæ Scotti p. 181. Violæ p. 183. Lili p. 185. Croci p. 186. Hyacinthi p. 187. Papaveris pag. 190. Lavendulæ p. 192. Nardi p. 193. Thymbrae p. 194. Lini p. 197. Iridis p. 199. Fœniculi p. 201. Hastæ p. 202. Ensis p. 206. Cassidis p. 207. Fluvii Mosellæ apud Ausonium. Montis Ætne ap. Corn. Severum. Villæ Tyburtinæ Manlii Vopisci apud Statium L. 1. Sylv. c. 3. Balnei Claudii Hetrusci id. L. 5. Carm. 5. Calendarum Decembrium saturnalium ibid. Carm. 6. Calend. Maji simul vernum tempus eleganter describitur, & laudatur, Buchananus p. 232. Villæ Surrentinæ Pollii Felicis, Statius L. 2. Carm. 2. Plietaci ibid. Carm. 4. Leonis mansueti ibid. Carm. 5. Herculis Surrentini ib. l. 3. c. 1. Consulatus Germanici id. l. 4. c. 1. viæ Domitianæ id. l. 4. Carm. 3. Herculis Epitrapezii id. l. 4. Carm. 6. Laus Bruxellæ Zevectius el. 10. lib. 2. Laus invidiæ Caldenbach. Lyr. 2. c. 2. Balneorum Dianæ Balzac. p. 90. vitæ rusticæ id. p. 138, & 140. Genius novæ Basilicæ ad venalia mercimonia exstructæ, Scotti p. 129. In fontem juventæ ap. Thaduanos, Scotti p. 373. Laureæ Poëtarum coronæ p. 31. Laus Musci p. 105. Hymnus in Hygeam. p. 107. & Balde in præfat. satyr. Medicarum. laus historiæ, Scotti p. 114. Pacis sanctæ p. 119. Encomium domus Ledintonæ, p. 167. Laus artis typographicæ & pyxidis nauticæ, Scotti p. 350. Sacellum Musis & Musicæ dedicatum p. 350. Laus monarchiæ p. 383. Rusticæ vitæ μετὰ φροντισ Epodi secundæ Horatianæ, Wallius in poemat. p. 163. Literatum Philomathi otium celebrat id. p. 190. Laus antiquitatis id. p. 259. In cultissimam elegiam Hofchii id. p. 232. In Lyram Sarbievii id. p. 333. Poëtas vitæ Magistros esse, id. p. 347. Belgium Musarum sedem esse id. p. 369. ad Petrum Classenium lucubratiunculam de rebus creditis evulgantem, id. p. 375. Laus absynthii pro absynthio in monte D. virginis retinendo id. p. 88. Elegia de regno a Christina deposito Becanus Carm. 1. In opera Theologica posthuma Lefchii, Hofchius p. 37. Ad Montmorenum Idyllia sua edentem id. p. 41. In Viferii opus medicum Antidotarium id. p. 39. Laus Theriacæ, Banning. 55. Encomium Torvitatæ, Jac. Balde. Disputationis de morbis capitis Banning. p. 91. In Burgersdici Institutiones logicas id. p. 135. In Boxhornii quæstiones Romanas, p. 142. De Scriverii commentario Venatico p. 147. in ædēs splendidas Matenæfii p. 156. In theatrum urbium Hollandiæ Boxhornii p. 163. & 164. In Vossiorum annales id. 165. In Elisam Dansii id. pag. 167. Laudat poemata Rurgersii id. p. 175. In orationem Boxhornii de majestate cloq. Romanæ id. p. 177. In Delmenhorstii Etymologicon, id. p. 183. In Screvelii Carmen de peste, cum illa paulo post cessaret, id. p. 181. Laus Patavii Lotichius l. 3. Eleg. 4. Laudat

dat oblectationes ruris *ibid. eleg. 8.* laudat monumenta in agro Nemaufensi. *id. 2. lib. eleg. 20.* Allocutio ad rempublicam Venetam, *Barleus in heroic. p. 97.* In spectacula exhibita Amstelodami ad adventum Mariæ de Medicis &c. *id. p. 153. & 157.* artis gladiatoriae laus *id. p. 457.* in physicam Jachæi *id. eleg. p. 127.* In Metaphysicam Jachæi *id. p. 128.* in nummos argenteos, Cæsarum imaginem exhibentes, *id. p. 123.* In partem australem Hollandiæ aquis submersam *id. p. 121.*

Encomiastica in Imagines. Vid. l. i. Epigr. Naudæi, quo continentur variae illustrium 55
Heroum imagines. Vid. Adolphi a Dans peculiarem librum, quem inscribit *Imagines.* In effigiem Caroli V. a Constantino Hugenio metallo donatam, *Barleus in eleg. p. 121.* in effigiem Richelii, *id. in her. p. 173.* in effigiem Elisabethæ Bohemiæ Regis, Friderici Palatini Comitis, filix *ibid. pag. 178.* In effigiem deformis Camillæ, *Scoti p. 177.* Elegia ad pictorem, quomodo velit pingi Glycinnam suam, *Scoti pag. 143. T. 2.* Banningii elegia ejusdem argumenti *p. 28.* In imaginem Glycinnæ, *Scoti T. 2. p. 178.* in Homerii effigiem *p. 179.* In imaginem Epici Poëtæ *Menagius p. 81.* In effigiem Heracliti, Ciceronis, Virgilii, Catonis, Platonis, Aristotelis, Pythagoræ, *ibid. p. 179.* In effigiem matronæ singularis exempli *Balzac. p. 52.* In effigiem feminæ, quæ se ipsam depinxerat, *id. p. 53.* de Diana ad Pictorem *id. p. 89.* in effigiem Flavii Domitiani Cæsaris, *id. p. 123.* imago Aloysiæ, *Barleus inter Scotos p. 135. & 136.* in effigiem Tychonis Astrologi. *Scoti T. 2. p. 142.* In effigiem Ducis Brunsvicensis Augusti *Vid. epigr. nostra selecta, pag. 1.* In effigiem Principis Cimbriæ, Friderici, item Cæsaris Leopoldi &c. *Vid. primitias nostras Parnassi.* In effigiem Mauritiæ Theologi *vid. miscell. nostra poëtic. p. 31.* In imaginem Poëtæ elegantissimi, *Menagius p. 75.* item *p. 77.* in imaginem Christiænæ *p. 79. & 82.* In imaginem virginis, *Menagius p. 87.* In imaginem Brunonis Carthusianorum Parentis *p. 86.* In imaginem Historici *p. 93.* In imaginem Cardinalis Mazarini *p. 94.* In suam imaginem, quam amico mittit, *p. 95.* In effigiem Rosillæ defunctæ, *Janus Douza p. 238.* In effigiem Johannis Secundi *pag. 237.* Vid. epigrammata multa in effigies *ap. Barl. miscell. l. 2.*

Sylloge variarum invectivarum & satyrarum. Inter recentiores Satyricos nemo Jac. 56
Balde melior. Scripsit is Satyras medicas, Satyræ de eclipsi solis, contra Tabacum, contra pingues & macilentos, in podagricos, de vanitate mundi &c. Vid. Sulpitiae Satyræ de corrupto reipublicæ statu cum notis Boxhornii & Val. Catonis Diras, cum notis Arnoldi. Apud Gallos prodiit Liber var Satyr. Le Cabinet satyrique anno 1656. Le Parnasse satyrique du Sieur Teophile 1667. Jani Gulielmi Laurenbergii & Rachelii Satyræ Germanicæ. Apud Belgas Vid. Jost van de Vondels Heckeldicht. Nebulo Nebulonum per Petrum Baardt, Haerlem anno 1634. Vid. Masenii Satyr. 1. in avarum, in nimiam opum cupiditatem Sat. 2. in imperitum Controvers. Scriptorem, Sat. 3. In superbum Sat. 4. Vid. Buckanani fratres fraterrimos in Franciscanos scriptum. Vid. Heinsii Scazontem in Scioppium *p. 75.* In barbaros quosdam, qui sub verorum Jctorum & Medicorum nomine bonas literas allatrunt, *p. 73.* in Maledicum quendam Pædagogum sibi soli eloquentiam vindicantem,

p. 98. Consilium Collegii medici Parisiensis de mania Hypermori Medicastris pro Buchananano scriptum, *Fonstonus p. 185.* Onopardus furens, *Fonstonus p. 193.* Tumulus Onopardi p. 207. in rabulas duos, Patrem & filium, p. 242. De furoribus Brentotyphæis p. 300. Baudii jambi in Scioppium, p. 169. In Pseudo-Celtam p. 170. In tres Juris perverfores, pag. 171. In famosum rabulam, a quo indignis modis circumventus erat p. 172. & 173. Adversus insignem falsarium *id. p. 178.* In duo Gallicani nominis opprobria p. 180. In Typhæum *id. p. 184.* In quendam sine nomine fragmentum Satyræ p. 192. Nicol. Heinsii Scazon in Alastorem in Salmasium, ut videtur, scriptus pag. 165. *noviss. edit.* Ejusdem Lusus Saturnalitiis in Corn. Cossium & Francisc. Santram Poëtastris pag. 187. Menagii Gargilius seu Metamorphosis Gargilii Macronis Parasitosophistæ in Psittacum, *Menagius poemat. pag. 3.* in epulo parasitico p. 93. ubi præterea vita Gargilii Mamurræ continetur. Caroli Feramusi Hemera Macrini Parasito Grammatici ad Celsum epulum Parasiticum pag. 3. Indignatio in Gargilium Anagrammatistam *Menagius pag. 68.* In Macronium nothum *id. pag. 56.* Protopopœia Gargilii ad se ipsum *id. pag. 57.* in Hermogenem avarum *id. p. 52.* In Albemanni libellum de morte, quem cordi suo dedicaverat pag. 58. In Cottam scriptum quoddam *id. p. 89. & 90.* In malum medicum Hermogenem pag. 90. In Sabellum pædagogum p. 70. in Lupam mulierem deformem pag. 98. Amator decrepitis ad Cupidinem *Menagius pag. 100.* Indignatio in Theonem Ludimagistrum Ex Jesuitam laudatorem ineptissimum Cardinalis Faletæ *epul. parasit. p. 310.* In quendam semigrammaticum viri doctissimi scripta chartarum cacatarum convitio traducentem *vid. miscellanea nostra p. 88.* In cujusdam carmen eucharisticum ex Secundi carmine excerptum *ibid. p. 91.* in osculum ab anu illatum, p. 44. Lubini Satyræ tres in male doctos Academiæ pestes, *Rostochii 1618.* In invidum Zevocotius l. 3. eleg. 17. miseria seculi *id. p. 167.* In Sycophantam genere & moribus infamem, *id. p. 173.* In Mopsalum, qui sibi adolescentiam objecerat, *Fabricius p. 182.* In formosam virginem deformi marito nubentem *id. p. 184.* Diræ in Catarrhum *Gudberlethius p. 82.* Diræ in culices Mydenses *Barlaeus miscell. L. 1. pag. 360.* ad Zoilum & Momum, *Gudberlethius p. 85.* De hypercritico Galeo ad Menagium *Balzac. p. 48.* De non optimo Poëta, quem per humanitatem summam laudaverat *id. p. 67.* Orbilius satyræ p. 67. & 68. In Grammaticum Genesatem p. 71. Ad Marc. Licinium de vita Mamurræ *id. p. 72.* Crudelis umbra. Hosti mortuo non esse fidendum *id. p. 77.* ad Merellum de Bosco Roberto Poëtaastro & Criticaastro *id. p. 73.* ad 76. in senem agrorum amantem *id. p. 80.* In Galathei insaniam p. 81. ad 83. De temeritate novæ & profanæ Criticæ p. 100. Balzac. in Amyntæ audaciam *id. p. 121.* in Tiberium Cæsarem *id. p. 123.* ad eundem in morbo mortem sæpe optantem *id. p. 124.* De libertatis spe post mortem Tiberii p. 124. Indignatio in Poëtas Neronianorum temporum *id. p. 125.* Ridendæ lacrymæ ad Franciscum Mariam Fulvium in obitum Poëtastris p. 130. Philomela ingratum canens p. 133. Valedicit, aulæ, *Scoti p. 61.* in Camillam deformem puellam, *idem p. 118, 119, 122, 129, & 130.* Ad Camillæ matrem pulchram de deformi filia, p. 130. In Vappam circulatorem, pag. 139, 141. in quendam incon-

incondito & obscuro versu Ostendam captam describentem pag. 126. & 127. in quendam caufidicum cognomine Regem p. 433. in Quindecim viros litem sibi protrahentes, *ibid.* Detestatio conspirationis de perdenda pulvere pyrio tota aula pag. 433. expiatio p. 434. In Jesuiticum pulveris pyrii conatum, T. 2. p. 200. Diræ in febrim, p. 105. Fibra Thusca cum catulis, p. 111. Ad Carolum Galliarum Tyrannum sanguinis inusitato fluxu pereuntem pag. 132. ad Veneros de Papa *ibid.* in Mystomastyga p. 117. in pediculosum Grammatistam p. 117. In Italum sororem suam invito Scoto obtrudentem p. 137. in Philippum Hispaniæ Regem tria epigramm. p. 138. in rebelles, qui Ducem Parmensem secuti sunt, allusio ad nomen *ibid.* in aulicum quendam mandato Regis ex aula discedentem, p. 140. In cuculum quendam Caufidicum p. 141. & 142. in corruptum Senatorem, nummus νόμος p. 174. In gallum cuculum (accrescit Domino, quod alieno fundo inferitur) p. 175. In Gylkam lascivam p. 177. Echo in meretricem p. 176. in Janum Virbium p. 177. Apologia contra Theonis cujusdam nomen suum occultantis calumnias & contumelias p. 337. de bello civili ad juventutem Gallicam p. 376. De Dardano mercatore annonam exurente p. 387. In Christianorum carnificem, *ibid.* Diræ in Bajulum, qui urnam fregerat, Wallius pag. 262. in Pædagogum ἀγίμων Parodia ad Catulli Phaselum *carm. illustr. Poët. Ital. T. 2. p. 351.* In Hermogenem pessimum Poëtam p. 351. in Planum impostorem pag. 352. in Virianum Pseudo-Poëtam p. 354. in sciolos quosdam p. 365. In Franciscanum quendam, p. 372. in Theodorum Bezam & Buchananum p. 373. In Jesuitas Comcedia sub nomine Lojolæ edita Londini anno 1648. In Ducem de Alba, Janus Douza, *poëm. pag. 127. & seq.* In Morum p. 129. In invidum Zuberus *parte 1. poëm. p. 7.* in hominem inconstantem *id. p. 31.* in quendam unum scriptum pluribus dedicantem p. 19. In nasutum *id. p. 20.* in quendam gloriantem de amicitis Magnatum, p. 24. & 25. In verborum aucupem, *ibid.* In Cachecticum, quem toties invisens domi non offenderat, *id. p. 28.* in Vulpionem *ibid.* in Poëtam ineptum laureatum p. 29. in Willium sibi minantem *id. p. 31.* in Quinquillum Medicum nunquam sanantem *id. p. 31.* in Patrem Lenonem & filiam Meretricem, *ibid.* in quendam primarium pag. 34. In Rontam, non nisi mortuos Poëtas aestimantem, p. 35. In Philobibulum post mortem suam scripta editioni destinantem *idem p. 34.* in Bibianum semper se invitantem & nunquam domi inventum pag. 50. in collegium Patrum Viennensium (Parodia ex l. 12. Mart. Ep. 95.) pag. 51. in quendam scædam uxorem ducentem, pag. 55. In Philosophum superbum, *ibid.* in pessimum nebulonem pag. 56. In quendam generis fungini poëtam *id. p. 61.* In Lipsio-Mastyges *id. pag. 65.* In quendam nulla sibi munera pro carminibus mittentem p. 67. In Luscaui immanes Ronchos, *id. p. 68.* In Trollum stultum alieni artificii existimatorem p. 78. in parcius convivium Torgæ pag. 78. in papulum omniscium, p. 80. in Epistrum seu nimis credulum *id. p. 82.* In Ramistas p. 84. In parvum pag. 94. In honores indignis collatos, pag. 96. & 97. In Aristomachum de vino scribentem p. 105. In Strigonum epigrammata sua poscentem p. 87. in quendam Georgium ebrium p. 89. in Latruscum invidum p. 51. in quendam pauperatatem sibi objicientem p. 87. In Quarculum pag. 97. in Querlini uxorem semper pedentem,

p. 87. In Pignantiam ebriam Maritum deplorantem p. 88. In Mattharum Bonficinium, hominem simplicem, p. 95. in Mergum p. 96. In Grungrasianam Maritum verberantem *id.* p. 47. in Crispum p. 60. in Diglossum *ibid.* In quendam, qui se Dominum vocavit p. 61. in priscam virginem, p. 20. In Picem & Cantorem eadem utentes uxore p. 12. In Sixtum laude data indignum p. 15. in vitam gulicam p. 58. & 59. In quendam nulli credentem p. 68. in scripta Poëtica forti suæ exitiosa *id.* p. 75. In girgillum p. 37. in Plandum allatrantem p. 78. In quendam qui schomnia pronunciabat pro somnia p. 29. In fusculam p. 36. In locum ubi vivit p. 60. Aërosophum p. 76. In Cardopum *ibid.* In Austrasipiam, Balzac. p. 13. in puerum præcipitem p. 14. In lubricum omnia vendentem Zuberus p. 87. In Iurem, se ejus favorem nihil æstimare p. 96. objurgatorium in se ipsum de credulitate sua, Jul. Cesar. Scalig. poem. 47. In judices, qui ancillam, arcas effringentem, absolverant, *id.* p. 33. In suam Arthritidem p. 48. In invicum quendam Medicum p. 49. In barbariem sui temporis, p. 46. In larvatos Græcarum literarum sectatores p. 34. *Vid.* Jul. Caf. Scalig. L. 2. Poëmat. quem inscribit Nemesin. in Medicum, *id.* pag. 101. *Vid.* 3. Libr. Scalig. Teretismata, in quo Satyræveniuntur. In Calvi impuritatem, *id.* p. 61. *Vid.* ejusdem Atam. In calvum & mulum suum pag. 616. In monstrum invidentissimum, p. 614. In multitudinem furum sui temporis pag. 619. De Pædagogorum colluvia, qui medicinam primoribus labris temere profiterentur, p. 607. In quendam Nocturnum, qui fugit ignis supplicium p. 381. In Nocturni perfidiam p. 173. Diræ in Lycorium. *ibid.* In Sedulium, *ibid.* in quendam Caciatrum, qui fuerat Carthusianus p. 397. Ad Striges p. 382. In Doletum p. 401. In Strumam; p. 418. & 419. *Vid.* tot. libr. XIII. partis I, variis Satyris plenum, in quendam Rosomacham cuculatam p. 192. part. 2. In quendam Medicum & Legulejum p. 194. In Calvum, pag. 179. *idem.* In anum nubere parantem Barleus L. 2. Eleg. p. 81. Diræ Francisci Petrarche in tumuli sui violatorem improbum, *id.* l. 1. Miscell. p. 317.

C A P. XIII.

DE

EXCERPTIS AD DISCIPLINAS ET
FACULTATES PERTINENTIBUS.

- S. I.* Excerpta disciplinarum secundum cujusque ordinem instituenda. 2. Excerpta Physica. 3. In Physica speciali utilissimus per indicem excerptendi modus. 4. Et Medico utilis futurus. 5. Cogitata notanda. 6. Velschii Philomathetica. 7. & Axiologica antiquorum. 8. Capponi cogitationes. 9. Bernhardus in thesauro Rhetorico per indicem excerpta congestit. 10. Mathematica excerpta. 11. quomodo ad usum Physicum dirigenda. 12. & quomodo instituenda. 13. Velschii sermones fideles. 14. Loci communes Morum. 15. Characteres hominum in vita civili utiliter notantur. 16. Loci communes Politici duplices, Methodici & axiomatice. 17. Ex-

17. Excerpta axiomatica ex Historicis precipue petenda. 18. qualia a Constantino Porphyrogeneta olim collecta potissimam partem perierunt. 19. Ista excerpta quomodo disponenda. 20. Weisii ad hæc manuductio. 21. Excerpta historica. 22. Excerpta notitiarum politicarum. 23. quomodo ordinanda. 24. Conringii consilium. 25. Excerpta memorialia. 26. horum utilitas summa. 27. Excerpta specialissima. 28. rituum in conventibus & actis publicis. 29. it. commerciorum. 30. Excerpta Juris publici. 31. Loci communes Historici, 32. Theologici, Exegetici, 33. Dogmatici, Controversarum, 34. Oratorii sacri. 35. In Jurisprudencia itidem Exegetici, Dogmatici, 36. Practici. 37. Autores practici juris qui dicantur. 38. Collectanea Medica. 39. An in illis exegetica alicujus usus. 40. Secundum materiam medicam instituenda, 41. Botanica, 42. Chymica. 43. Collectanea in mineralibus quomodo construenda. 44. In his magna cautela opis. 45. Collectanea de rebus animalibus. 46. Autores materiam hanc tractantes. 47. Practica morborum ac subjectorum ratione adornanda. 48. Simplicia, & præcipua diligenter notanda. 49. Historie felicitum curatiomm a plebeis institutarum. 50. Sympathetica & superstitiosa non omnino negligenda. 51. Circumstantie loci, corporum, climatum & alie diligenter notande. 52. Collectanea Medica ratione subjectorum. 53. Pantotheca singularis Machina ad colligendum & excerpendum inventa descriptio e Bodini Dialogo inedito de abilitis rerum sublimium arcanis.

EXCERPTA DISCIPLINARUM non possunt commodius institui, quam secundum disciplinarum ordinem, quanquam & promiscuus placere possit, si indice accurato labor inquirendi sublevetur. Sed tamen ordo iste eo proderit, ut connexa se simul oculis fistant. Excerpta illa magno usui esse possunt in disciplinis ipsis. * Et quidem, quod ad *Physicam* attinet, secundum duplicem partem generalem & specialem instituenda illa excerpta sunt. In parte generali colligantur sub suis titulis Philosophorum placita & sectarum diversæ sententiæ circa principia. Deinde subjiciantur, quæ sunt apud omnes disputata in utramque partem, e quibusvis Philosophis tam Græcis quam Latinis, veteribus & recentioribus. In parte speciali diffusior est colligendi ratio. Tota enim historia naturalis huc refertur. * Per indicem itaque sub singulis Physicæ specialis titulis, tum ex historia naturali veterum, Aristotelis, Plinii, *Alliani*, Solini; tum recentiorum, ut *Vossii*, *Salmasii* aliorumque, qui observationes, experimenta, diaria & similia scripserunt, omnia congerantur. Incredibile est, quam quis thesaurum suum locupletare possit, si mature huic ordini & studio insistat. * Medico eo utilior futurus est ille labor, quod Specialium illa cognitio magis ad artem illam pertineat, qui animalium plantarumque historiam seorsim ponere debet: accuratius enim circa hæc argumenta illi versandum est. Possunt eodem modo, ut in parte generali, illic notari varii Autores, variæ sententiæ, & in utramque partem disputatæ. Argumenta autem illa

illa strictim poni debent, non diffuse. Qui id sedulo fecerit, illi nunquam vel disputandi vel commentandi occasio defutura est. * In his præcipue locum habet illa cogitationum nostrarum in Adversariis consignatio, de qua supra dixi. * Eo modo conscripsit doctissimus VELSCHIUS *Philomathetica sua*: nam ut Schræcekius in ejus Vita testatur, sine ullo ordine, ut in mentem veniebant, conjecit omnia, quæ alicujus momenti aut considerationis videbantur, tam ad Naturæ cognitionem, quam ad Medicinæ usum, ac quamvis aliarum artium incrementum. Unde Syllabi centenarii septem enati, quos octavo Ægyptiorum adauxit. Ut vero hoc simplicissime enumeravit; ita brevissimis expositionibus additis, quid sibi videretur, edixit, hanc solam ob causam, ut aliorum judicis venari posset, & subtiliora ingenia excitaret, qui maturis deliberationibus experimenta caperent, & reipubl. literariam ditarent. Postquam enim vidisset, societatem Regiam in Anglia id jamdudum agere, & secutos mox Gallos, deinde Italos, & nunc quoque Germanos, suas quoque Cogitationes eandem ob causam proferre constituerat. * Subjuncturus etiam illis erat, ut in præfat. Hecacosthæe ipse memorat, *Axiologa antiquorum, ut tanquam incognita & plerisque neglecta ceu nova reduncantur, quorum plena Ckikas designata est, ex Hippocrate, Aristotele, Theophrasto, Galeno, Plinio, Athenæo, Græcis Medicis, editis & ineditis, Ebusina & Arabibus ceterisque Orientalibus & Latinis desumpta: quæ omnia ommissis speculationibus ad solam praxin sive experientiam direxit. Sed hos thesauros cum ceteris ejus ineditis acerba tanti Viri mors nobis eripuit.* * Etiam CAPPONUS *Cogitationum de rebus naturalibus, ut menti irreperant, e calamo præcipitatarum libros tres scripsit, teste Gregorio Leti Ital. regn. part. 3. lib. 2. p. 90.* * Et talia quoque in Rhetoricis & Poëticis institui possunt, si ad disciplinam potius & commentationem, quam ad praxin respiciamus. Talium excerptorum specimen in Rhetoricis dedit BERNHARDUS in *Thesauro suo Rhetorico superiori seculo in Italia edito, qui ex omnibus veteribus & recentioribus Rhetoribus per indicem excerpta ad artem pertinentia conegessit.*

Excerpta talia institui in omnibus disciplinis possunt, ubi ipsa disciplinarum methodus ordinem ostendet. * In *Mathematicis*, quorum maxima utilitas est, præret disciplinaria Excerpta etiam miscellanea institui possunt, quoniam disciplinæ illæ latissime se diffundunt. Quicquid itaque problematum, variorum artificiorum mechanicorum, vel ab aliis inventum legitur, vel per analogiam a nobis potest inveniri, illud sub titulis classibusque rerum, quas Physica subministrat, congeri potest, atque ita pro diverso fine diversa methodo adornari excerpta illa possunt. * Quemadmodum enim Physica & Mathesis mutuas sibi operas tradunt, ita conjungi illa excerpta possunt, estque pene nulla pars Physices, quin Mathematica aliqua speculatione vel experimento adjuvetur. * Quod si quis ad illustrationem Theorematum Mathematicorum specialia experimenta mechanica pro exemplis adducere velit, tum pro titulis ipsis concipiantur theoremata mathematica, & pro exemplis subjiciantur experimenta rerum naturalium mechanica, quæ ex hoc principio mathematico fluunt,

fluunt. Conducit hoc ad scientiæ perfectionem, cum ex ipsis fundamentis eruuntur rerum affectiones. Qui ad seculi nostri genium philosophari in rebus naturalibus velit, excerptis utatur tali modo institutis, & experietur, quam hoc sibi profuturum sit. Est sane & in Excerptendo quædam ἐμπειρία, quæ ex ipsa Virorum doctorum praxi discenda est. * Edirurus erat πολυμαθές VELSCHIUS *Sermones fideles de modo legendi & Excerptendi*: nam ut Schræckius testatur, relicta de hac materia Drexelii laboriosa & rædiosa diligentia sedulo observavit, quo pacto ad tantas eruditionis opes viri docti pervenissent.

In *practicis* disciplinis eadem colligendi ratio est, si disciplinas ipsas earumque professionem & explicationem spectemus, si vero usum in vita civili, aut ad alias disciplinas, alia institui excerptorum ratio debet. Quatenus moralis philosophia usum habet in civili conversatione, quatenus Oratori accommodatur, varia sunt excerpta. In conversatione ac vita civili utilis est doctrina de hominum moribus. * Ideoque characteres hominum ratione ætatum, statuum, notari debent: quales etiam esse usui possunt in Rhetoricis, de quibus supra diximus. Usum characterum in re civili ostendit *Bæclerus in Characteribus suis Velleianis, & Brochmannus in Ethica sua historica*. Sed illa Characterum ratio ad personas pertinet: non potius hic rem ipsam spectamus variasque vitæ statuum, affectuum, virtuosorum & vitiosorum conditiones. Talia excerpta sub titulis classibusque Virtutum & vitiorum colligi possunt, ut fecit quadam ex parte *Mechovius in Parænetice sua & Magirus in Polymnemone*.

Politica Excerpta primum methodo disciplinæ institui possunt, ad usum commentationis & disquisitionem controversiarum. Secundo methodo axiomatica instituantur, quatenus ad usum practicum referuntur, habentque pro fundo non tam generalia Politices præcepta, quam Historicos, præcipue pragmaticos. * Quoniam enim in enarratione rerum gestarum typus aliquis civilis & practicus e rerum circumstantiis elucet, ideoque quam optime ex illis talia colligenda. * Fuerunt jam olim, qui consilium hoc suo probarunt exemplo: nam CONSTANTINUS PORPHYROGENNETA, Leonis Philosophi filius, suo tempore ex Historiis quasi flores in unum corpus collegit, & in 53. partes digessit, singulos locos duobus libris comprehendens, e quibus non nisi duo libri ad nos pervenerunt; alter videlicet *de Legationibus a Fulvio Ursino & Davide Hæschelio editus, alter de Virtute, & Vitio*: quos Nic. Peirescius ære suo redemit; ac Græce Latineque, *Henricus Valesius* edidit. Reliqui libri omnes desiderantur: qui si inveniri alicubi possent, non exiguum prudentiæ civilis & historiæ lumen afferrent. Multa etiam illic habentur e libris deperditis Historicorum, frustra nunc quærimus: nam in iis, utut paucis, quæ servavit nobis Peirescius, occurrunt aliqua e libris Polybii deperditis excerpta. * Excerpta illa institui possunt per axiomata ex historiis & earum circumstantiis contrahenda: unicuique axiomati numerus addendus: locus ex historico apponendus: Spatium aliquod seu intervallum relinquendum, ut possint parallela exempla ex aliis Historicis vel

- servationibus addi. Si quod axioma ad titulos diversos referri potest, sub altero ponatur, sub altero per numeros citerur. Quod si Loci communes integri apud Observatores & Commentatores politicos tractentur, sola Autorum loca notari possunt. Quod si ex omnibus Commentatoribus tales Locos communes instructos haberemus, via præstructa esset illis, qui de charta in papyrum scribunt, & cum e. g. in locum Flori incidunt, omnia exempla parallela, quæ aliquis fortassis Commentator in Salustium aliumque Autorem congeffit, dissimulato Autore, describunt, quod alius iterum faciet, cum in similem alterius Autoris locum incidet.
- 20 * Scripsit CL. WEISIUS *Manuductionem ad Locos Communes Politicos*, qui pene in eadem nobiscum sententia est. Indicem is addit locorum Politicorum, sub quibus tituli speciales disponi possint. Sed puto magis specialem hic esse operam impendendam, imprimis in axiomatibus collocandis. * Quod si in Historicis interpretandis operam quis ponere velit, Locos communes exegeticos in illos exstruere potest, eo modo, quo supra diximus apponendo semper ad Historici locum, locum Commentatoris, ubi nota quædam politica habetur.
- 22 Sunt & alii Loci communes Politico-Historici, quos inscribere *Excerpta Notitiarum Politicarum* possumus. Notitiæ autem vocabulo notari apud Autores solet cognitio Politico-Historica uniuscujusque imperii, ut habemus Notitiam imperii Orientalis & Occidentalis, Notitiam domus Augustæ similesque libros. Hanc viam nobis monstravit Aristoteles *lib. 1. Rhet. c. 8.* ubi suadet, ut quisque mores gentium sibi reddat familiares.
- 23 * Loci itaque communes ita ordinandi sunt, ut ponantur tituli generales imperiorum. His subjiciantur speciales e. g. forma regiminis, populorum origo, migrationes, leges, judicia, proventus & commercia, utilitates publicæ, finis & scopus. His enim capitibus præcipue omnia constant in Republica. Sub singulis notentur 1. quæ ex veteri Historia habentur, 2. quæ ex recentioribus Historicis aut Itinerariis peti possunt, 3. quæ experientia nostra vel aliena constant 4. e relationibus publicis, in quibus tamen delectus instituendus est, ne falsa pro veris accipiamus, 5. prudentum hominum judicia, 6. nostræ etiam conjecturæ.
- 24 * Talia *Adversaria* concinnari jubet CONRINGIUS in *Prolegomenis Collegii sui Rerumpublicarum*, quibus se ab adolescentia ipsa usum fuisse fatetur, unde ipsi magna illa rerum politicarum notitia succrevit. In quibus autem rebus proprie consistat notitia alicujus imperii, ibidem secundum omnes causas definit. Legendus quoque est Bœcleri liber *Historia Scholæ Principum*.
- 25 Est & alius quidam colligendi modus, sed viris in negotiis ipsis versantibus convenientior, cum sibi ipsi Observationum suarum excerpta & commentaria privata instituunt: *Weissus* hanc excerptendi methodum Heroicam vocat. Continentur vero in illis libris vel res ab ipsis gestæ, quales sunt Memorix (*les memoires*) Gallicorum scriptorum, vel quæ nostro tempore illic ab aliis gesta deprehendimus. Talem librum conficiendum suavit *Franc. Joseph. Burrhus* Regi Daniæ in *Instructione* illa sua *Politica*
- 26 lingua Italica scripta, quæ inter opuscula ejus Genevæ edita habetur. * Quod si quis

quis hac methodo semper usus fuerit, vulgaria illa Politices præcepta adjecerit, facile illi erit, divinatorem de rebus politicis agere, consilia Principibus impertiri, cujus prudentiæ specimina passim a viris politicis exhibentur.

Possunt & nonnunquam *excerpta specialissima* pro instituto & scopo nostro concinnari, ut si quis aulæ alicujus omniumque ministrorum a summo ad imum mores, virtutes, affectus, inclinationes, utilitates, quas in amicitia ejus habere possit hic vel ille status, cujus ille ministrum agit, qui illa notat. Hujusmodi observationum exemplum præber illa relatio PHILAGATHI SECURI de *Notabili aula Romana*, qua ille Pontificis omniumque Cardinalium mores, inclinationes & favorem erga Statum Venerum examinat. * Sic faciat quis rituum & morum civilium excerpta, quid obtrineat in conventibus actibusque publicis, quorum sæpe usus est viro civili in negotiis tractandis occupato. Ejus specimen quoddam dedit CL. WAGENSEILIUS in *Collectaneis* quibusdam MStis de *Ritibus civilibus*, quæ nunc, credo invito autore, in lucem prodierunt. Ita, si quis in usum suum materiam de legationibus excolere velit, huic fini excerpta illi instituerè magnopere proderit, qui aliquando isto officio defungeretur. Ejus specimen nobis dedit VICQUEFORTIUS, in *libro de Legato*, nunc e Gallica in linguam Germanicam converso. * Sic Commerciorum excerpta specialissima conficiet ex omnibus tam Politicis quam Historicis, qui hoc præ ceteris argumentum sibi perquirendum sumit, ad commerciorum consilia aliquando vocandus. Quo pertinent omnia publica acta, quorum non pauca collegit MARQUARDUS in *libro de Jure Mercatorum* & pulcherrima illa lineamenta, quæ WERLHOFIUS in *erudita Dissertatione de Commercii* duxit.

Ad Excerpta politica referenda etiam sunt *Excerpta juris publici*. Horum ideam nemo melius dedit quam BOECLERUS in *Notitia Romani imperii* & in *Excerptis illustrisium Controversiarum* non ita pridem editis, quod argumentum speciale est. Ipsius Linnaei vasta Opera non sunt nisi mera collectanea. Ordo a Bœclero institutus præ ceteris placet.

Quæ de Politicis excerptis diximus, illa ad alia etiam applicari possunt. Ideoque nihil amplius restat in Philosophicis disciplinis, de quo moneri quædam ratione excerptendi possunt. Multa occurrunt in singulis disciplinis specialia, de quibus excerpta pro singulari aliquo usu formari possunt, ut si quis forte librum specialis argumenti scribere velit, tunc congerenda omnia sub specialibus titulis capitum, e quibus tota illa tractatio ordinabitur.

Loci Communes Historici vel secundum regnorum ac populorum seriem institui possunt, vel secundum numerum annorum & seculorum, vel secundum seriem rerum. Primus modus parum differt a *Locis communibus politicis*, de quibus supra diximus. Secundum ordinem seculorum institui illi possunt pro usu chronologico. Ac possunt omnia tabulis quibusdam & laterculis comprehendi, primo pro Rebus publicis illustrioribus, quarum tituli in fronte cujusvis laterculi ponantur, & illis mutationes secundum seriem seculorum subjiciantur: Secundo pro seculis, quibus vice versa subjici Rerum

publicarum mutationes possunt. Si quis Chronologica excerpta secundum rerum capita disposita velit, uti poterit Chronologia Alstediana, quæ eleganti methodo disposita est. Titulos, qui illic deficiunt, facile supplere poterit, nova notata Alstedianis addere, & errores ab Alstedio commissos corrigere.

32 Venimus ad Facultates, quas vocant. In studio Theologico pro vario scopo institui excerpta possunt. Quemadmodum in Philologicis & Philosophicis Locos communes Exegeticos adornandos esse dixi, ita & hic notentur explicationes locorum scripturæ vel Philologicæ vel Dialecticæ, vel ex ipsa etiam Theologica doctrina desumptæ. Illa omnia vel distingui vel misceri possunt pro lubitu. In Criticis exemplo suo prævit POLUS, in quibus collectanea non pauca tamen multi desiderant. DORSCHER *Biblia numerata* post mortem ejus edita omnia miscet, Philologica, Critica, Dogmatica, Practica, sed omnia sunt per indicem tantum notata. Fortassis non spernendus labor esset, si quis Dogmatica & Practica cum cura colligeret. Talia institui collectanea e Theologis Practicis Anglis oprabat Verulamius. Similis pene labor CROWÆI, qui *indicem* edidit *Scriptorum Exegeticorum in libros & loca Scripturæ*, sed ille ad minuta & specialia non descendit. Ad talia Excerpta conficienda indices illi locorum Scripturæ S. qui libris adjungi solent, viam quodammodo sternunt. Sed e lectione ipsa accuratius omnia notabuntur.

33 Loci communes *Dogmatici*, qui proprio nomine Loci Communes Theologici dici solent, colligendi seorsim sunt. Quibus etiam, si ita visum fuerit, misceri controversiæ possunt. Ordinem ipsum Theologiæ Systema suppeditat. Autorum, qui Locos communes scripserunt, explicationes quasi per lemmata poni possunt. Qui singulari libro vel unum locum integrum vel ejus partem explicuerunt, hi diligenter notandi. Commodum & hoc est, ut in omnibus disciplinis, ita etiam in Theologia, secundum materiam dispositos habere Scriptores controversiarum. Si quis illas præ ceteris excutere velit studiosius, singulari libro destinari possunt, ne in uno cumulerentur omnia. Possunt pro singulis sectis adornari libri, si quis in illis operosior esse velit, in quibus ordo alius non est, quam locorum controversorum. Suaferim in excerptis Locorum communium Theologicorum, si singularibus libris colligantur *controversiarum* excerpta, ponenda tantum esse summa controversiarum capita, & remittendum ad excerpta controversiarum. Si quis historiam potius quam dogmata ipsa respiciat, secundum titulos sectarum & seculorum adornare excerpta possit. In omnibus enim usus & scopus respiciendus est. De cetero cum in Facultatum studio multa occurrant specialissima, tum ratione muneris, tum ratione ipsius doctrinæ: alium enim sibi scopum habet propositum Ecclesiastes, alium Doctor vel Professor Theologiæ; ita pro vario illo fine & scopo etiam in specialissimis argumentis colligenda quædam sunt. Accidit interdum, ut de casibus conscientie consulantur Theologi: Quapropter etiam illa in re institui promptuaria possunt, collectanea scilicet casuum ex Autoribus, qui de his argumentis scripserunt, ut sunt sane multi, tum Scholastici Theologi, tum notitates.

34 Ad Theologica excerpta etiam referri possunt *Oratoria sacra*, quorum fundus

us est Scriptura Sacra, Patres aliique Scriptores Homiletici. Quoniam vero oratio sacra præter argumenta fidem facientia, quæ ipsi cum Rhetorica civili sunt communia, in exègesi & didactice versatur, usui esse possunt illa excerpta, quæ *Textualia* vocamus, secundum libros Biblicos adornata. Possunt & ipsi Loci communes Theologici, tituli virtutum sacrarum, & quæcunque argumenta pro titulis poni, & sub iis utilia per indicem colligi, ut fecit In *Repertorio suo Cl. Wittenius*. De cetero Oratoria excerpta, de quibus supra diximus, etiam his accommodari possunt & debent.

Excerpta in Jurisprudencia pene simili modo institui possunt. Primo *exegetica* 35 formanda sunt ad Leges, illa colligenda e Jctis non solum, sed & e Philologis, qui vel super leges speciales scripsere, vel qui in Miscellaneis suis nonnunquam leges explicant, vel illustrent, vel in iis aliquid emendant. Notari etiam potest, quicquid ad historiam ejus pertinet. Atque illa pertinent ad verbalem legum sensum. Quæ ad explicationem & doctrinam ipsam referuntur, quanquam sub titulis certis aliaque colligi forma possunt; non inconsultum tamen erit, si etiam quasi per indicem ad leges apponantur: in explicationibus enim legum magnus eorum usus est, si quis illa semper in promptu habeat. Notari etiam simul possunt leges, quæ contrariæ videntur, ac Auctores per indicem designari, ubi illæ conciliantur. Si quis velit perfectos Locos communes adornare, colligat illos secundum methodum Pandectarum reducendo ac Digestorum titulos etiam ceterorum librorum titulos, exemplo Schotani in Examine Juridico. Possent etiam e jure Canonico, Feudali, Statutario, suis convenientia locis adjungi. Si quis excerpta pro nobis in jure argumentis colligere velit; alium sequi ordinem debet. Nam sub titulis materiarum colliget, quæ vel in libris Juris vel in Jureconsultis inveniunt. Multa enim consideratione Jurisconsulti digna, de quibus vix peculiariter in Jure loca occurrunt. Quo in labore si quis sedulus fuerit, facile de selectis argumentis quædam scribet. Et sunt, quibus librorum indices in instructa bibliotheca officium hoc præstant. Sed de iis omnibus aliquando copiosius alio loco agam.

Loci communes *Practici* in Jure formandi e scriptoribus practicis. Tituli ho- 36 rum excerptorum formari possunt secundum titulos Pandectarum, vel secundum materias juridicas. Specialissimos titulos facere possunt leges; sub legibus noentur casus singulares. Subjiciantur Auctores, qui tales casus decidunt. Formentur illa excerpta, quantum fieri potest, per lemmata. Exemplum talium Locorum communium suppeditat Index practicus super opera Carpzovii. Jam vero si quis ex omnibus Autoribus practicis, qui interdum incidenter aliquos casus proponunt ac solvunt, tam veteribus Bartolo, Baldo, Jafone &c. quam recentioribus, illa omnia colligat, quæ illuc pertinent, mature sibi acquirat cognitionem talium rerum, quæ utilissima per omnem vitam futura est, si quis vel de Jure responsurus sit, vel causam aliquam ut Patronus agat. Ita enim nunc Jurisprudencia comparata est, ut plus sæpe valeant præjudicia & doctorum sententiae, quam ipsæ leges. Quare si quis casum in terminis, ut loquuntur, pro se allegare possit, is non parum in judicio proficiet. Quod si quis Jctum vel Judicem aliquando acturus sit, is mature satis sibi de talibus excerptis prospiciat.

37 spiciat. * Fundus horum collectaneorum in practicis Autoribus est: Sunt vero omnes illi practici, qui de actionibus, processibus scripsere, item de praesumptionibus, probationibus, testibus, omnibusque illis, quae ad processum pertinent: deinde qui consilia, decisiones, sententias receptas tradidere, item qui de omnibus materiis Juris agunt, non tam ut leges explicent, quam ut observationem earum in praxi ostendant, quales sunt multi, Itali praesertim & Hispani, qui libros operosos scripsere, praecipue de argumentis practicis. Bibliothecam aliquam praestat liber ille, qui vocatur *Oceanus Juris*, multis constans voluminibus, quo continentur particulares illi tractatus veterum Autorum Bartoli, Baldi, Jasonis, Accursii, Decii &c. Ex omnibus illis si quis tales locos confecerit, mirifice his in rebus proficiet, non qua scientiam solum, sed & qua lucrum & opes. Talia enim excerpta meræ sunt aurifodinae, neque gratis conficiuntur.

38 Pergimus ad Collectanea *Medica*, atque hic e *Physicis* patet, de quibus supra
 39 egimus, quomodo illa construenda sint. * Non est hic *exegeticis* collectaneis adeo opus, cum non tam autoritate, quam ratione & experientia, studium medicum constat. Interim si quis Academiae labores suos destinavit, aut libris scribendis operam dabit, illi non inutilis labor futurus est, si ad Hippocratis libros noter (1) Commentatores (2) loca, quae tam a Medicis quam a Philologis illustrantur (3) experimenta in morbis ipsis vel ab aliis vel ab ipso probata, e variis observationum practicarum libris. Idem in Galeno fieri posset; sed opera ejus nimis sunt diffusa, quam ut tam vasto Oceano quis se credat. Si *Hoffmanni* commentarii prodissent in lucem, uno illo possemus esse contenti.

40 Possunt & collectanea secundum materias institui, quod aliqui fecerunt. Pro
 41 *physiologica* cognitione, secundum classes rerum naturalium & *Physicam* specialem ordinanda illa sunt. Sed misceri uno omnia libro non possunt. * In *Botanicis* peculiariora institui debent. 1. Herbarum in natura, quae Herbaria viva appellantur. 2. Historica & Medica de iis, magno futura usui, quae apud Herbarios veteres & recentiores, Theophrastum, Dioscoridem, Plinium, Tabernæmontanum, Simonem Pauli, aliosque notata sunt, illa per indicem tantum colligantur. BENJAMIN PRIOLUS in *Appendice historiae suae Gallicae* promisit tractatum de universa re plantaria, sed praeter titulum adhuc nil vidimus, & dubito an unquam proditurus sit. Certè multae magnaeque disputationes circa rem herbariam sunt. Conferendi *Scaliger*, *Bodæus* a *Stapel* in Theophrastum, *Salmasius* in Solinum, & in Hyle Iatrica. Addendus etiam est *Hoffmanni Tractatus de Officialibus*.

42 Subjungi illis collectaneis etiam possunt *Chymicae* operationes, & quidem singulis herbis ex *Angelo Sala* aliisque Scriptoribus recentioribus, e *Conradi Gesneri Eponymo*, & colloquiis ac communicationibus cum Chymicis, Usitatas & officinales praeparationes jamdudum collegit *Schröderus* in *Pharmacopœia*, in quam extant *Hoffmanni* commentarii. *Zwelfferus* in *Pharmacopœia* sua, & qui pleraque ex illo cepit
 43 *Feburius Gallus*, ac plures alii. * Ut in *Botanicis*, ita & in *Mineralibus* institui colle-

collectanea possunt. Tituli formandi secundum classes Mineralium. Subjicienda illis sunt, (1) præparationes rudiores in fodinis ex Agricola, Erikero, Lohneisen &c. (2) præparationes officinales communes, e libris Pharmaceuticis, quos modo nominavimus. (3) secretiores præparationes e communicationibus privatis notandæ. Conjici in hunc librum omnia possunt audita, visa, cogitata. Exierunt hodie in lucem talia collectanea, historię laboratoriorum; & nuper quædam invit- 44
tis Autoribus subrepta ac publicis typis promulgata. In his præcipuum locum me-
rentur, quibus viva manus accessit, & quorum fides in dubium vocari non potest.
Solent enim hic multi promissis esse divites, multas operationum vias ostendere,
quas ipsi non ivere, a quibus sibi quisque caveat: inprimis si ad metallica tendant,
quorum integram Chiliada Johann. Joach. Becherus edidit. Sed ab illis sibi quis
temperet, nisi opum & temporis irreparabilem facere jacturam velit. Multa enim
sunt ab impostoribus & agyrtis conficta: in multis etiam, quæ bono fundamento
nituntur, ἐγγυσησεις quædam celantur. * De rebus Animalibus collectanea quoque 45
singularia institui possunt, in quibus notentur (1) physiologica vel circa genesin il-
lorum seu ortum, vel circa anatonem e vastis commentariis Gesneri & Aldrovand-
di per indicem: e ceteris Scriptoribus, observationibus anatomicis similibusque,
qualia nunc plurima in Diariis & Ephemeridibus eruditorum occurrunt, majori
cum cura: Illa enim accuratius hoc in argumento versantur. (2) Colligendæ sunt
Medicæ præparationes ad varios morbos ex animalibus animaliumque partibus.
* Rudem ejus laboris ideam dedit GUILIELMUS VAN DEN BOSCH, in Historia 46
animalium Medicâ Bruxellis Ann. 1639. edita. Multa talia collegit HADBARRAHMANUS
Ægyptius in libro de proprietatibus ac virtutibus Medicis Animalium, Plantarum ac Gem-
marum, quem ex Arabico latinitate donavit Abrahamus Echëllensis Parisiis e MSto
codice Cardinalis Mazarini An. 1648. editum. Sed multa in illo vana sunt & su-
perstitiosa. E similibus excerptis natum videtur, & aliquod eorum specimen præ-
bet, Kœnigii Regnum Vegetabile, Animale & Minerale.

In Praxi Medica aliter res instituenda est. Nam hic ad illum finem omnia refe- 47
renda sunt, ut morbis recte medeatur Medicus. Cetera enim, quæ consistunt in
præparationibus & operationibus, ad theoriam sunt referenda: pertinent enim tantum
ad cognitionem subjectorum, licet aliqua operatio accedat. Sed in praxi medica omnia
applicantur ægrotis: ideoque & ratione morborum, imo & ratione subjectorum &
individuatorum, collectanea talia instituenda. Ratione morborum ita illa ordinanda
sunt, ut ponantur morborum tituli. Subjiciantur illis characterismi, causæ, signa dia-
gnostica, notetur in quibus illa fefellerint interdum, quod vel ab aliis vel nostra praxi
observatum est. Subjiciantur remedia, vel methodica vel specifica, imprimis simpli-
cia. Et hic quidem, quod ad simplicia attinet, magnam curam impendendam existi-
mo Medico, ut simplicium vires in singulis morbis probe notet, quorum singularem
usum & prærogativam doctissima περιγενεσις docuit R. Boilius, quæ additur Disserta-
tioni ejus de Specificorum remediorum cum corpusculari philosophia concordia.
* Inprimis notanda sunt medicamenta ἐπιόργανα, domestica, rustica. Plus interdum 48
illis

illis efficitur, quam multis pretiosisque compositis. Unde fit, ut empirici & plebeji homines desperatis sæpe morbis medeantur, quibus non possunt mederi Medici. 49
 ci. omni sua arte instructi. * Memorat *Agricola Observationibus in Poppi Chymiam*, fuisse rusticum in superiore Germania, qui felicissime Cancrum curaverit, quod nulli poterant vel Medici vel Chirurghi. Et ille tamen succo unius herbæ id effecit, quam in sylva Hercinia legerat, Medicisque monstraverat, sed omnibus ignotam. Fioravantus in *Coron. Med. lib. 2. cap. 16.* recitat historiam de desperata urinæ suppressione a vetula pulvere ignotæ herbæ curata, quam nullis medicamentis tollere poterunt Medici. Novi, qui dysenteriam, icterum curarint felicissime, frustra id tentantibus Medicis. Talibus experimentis insidiæ struendæ sunt a Medico, & quacunque fieri potest arte, quocunque pretio comparanda. His principiis primum crevit medicina, quibus si accedat usus & judicium Medici in principiis artis suæ probe subacti, rectius ille applicabit, quam plebeji homines, qui causas rerum non æque scrutantur. Præterea magno illa res adjumento est Medico in loco aliquo certo praxin instituturo: statim enim novit vel commoda illus vulgaris Medicinæ, vel errores. Notavit *Thomas Bartholinus* diligenter Medicinam Danorum domesticam, & singulari illam libro complexus est. Praxin quoque utilissimam instituentam plantis indigenis docet *Olaus Borrichius libro de usu plantarum indigenarum.* Quod si facerent etiam ceterarum nationum Medici, & quidem eadem fide & diligentia, non parum augeretur res Medica.

50 Ego nec *sympathetica* illa, imo nec *superstitiosa*, quibus vulgus uti solet, præterenda censeo. Etti enim in illis ineptiæ nonnunquam miscentur, prudens tamen Medicus facile, quid in illis vel veri vel vani sit, facile existimabit, ubi ad judicii Lydium lapidem omnia revocaverit. Latitant sæpe in rusticorum & vetularum observatiunculis, quæ non credas, magnisque contemplationibus occasionem dare possint. Talia multa in *Theatro Sympathetico Norimbergæ edito, in Maxveldii Medicina Magnetica*, occurrunt; cujus libri mentionem *lib. 1. Polyhist. nostri cap. ii. §. 13.* fecimus. Ille quidem a Medico Heidelbergensi Cl. Francio Ann. 1678. editus est; sed parte practica mutilus, ut ipse MStum. accepit: sed deprehendi postea, eundem pene librum in paucis discrepantem a quodam *Samuele Boultono* Anglica lingua Anno 1656. editum. Sed tamen & ille autor, quisquis est, fatetur, non omnia sua esse, sed aliunde, & ut ille suspicatur, a quodam Chymico D. Everardo transumpta.

51 Diligenter in talibus Excerptis notandæ sunt circumstantiæ personarum, quibus adhibentur vel adhibita sunt remedia. Loci, Cibi variatio corpus ipsum variant. Evenit interdum, ut quibusdam prosint medicamenta, minime vero aliis: Obstat enim singularis corporis dispositio, quod vel e purgantibus manifestum est, quæ apud aliquos vim suam plane perdunt, & in emetica vel diaphoretica degenerant. Pro variatione etiam Climatorum remedia variant, quod vulgo parum consideratur a Medicis. Hinc fit, ut cum principia Medicinæ a Græcis sint tradita & remedia morborum, Medici, qui sub frigido climate curationes instituunt, alios interdum effectus sentiant. Præterea herbæ originariæ alicujus loci majorem sæpe vim habent, quam transplantatæ, imo interdum plane

plane aliam. Homines, qui continuo vini potu utuntur, aliam administrationem medicam requirunt, quam qui aquæ, lacti, cerevisiæ & crassioribus cibis adfueri sunt. Omnis enim corporis sanguis, succi & humores, e varietate ciborum & potus alterantur, atque inde ingenio ipsi omnibusque morbis sua indoles est. Omnes illas circumstantias attendere Medicus debet. Potest quidem aliorum etiam colligere observationes & formulas; sed illis non usque adeo secure insisteret, cum ipsi, qui observationes Medicas scribunt, non sint semper adeo diligentes in notandis circumstantiis. In consiliis Medicis interdum illæ operosius excutiuntur quam est necesse. * Possunt & Collectanea institui ratione subjectorum, quæ necessaria ego esse Medico puto ad cognoscendam hominum naturam. Est enim singulis subjectis sua quædam *ιδιοσυγκρασία*, quæ etiam per ætates mutari solet, quam diligenter notare debent Medici, qui e felici curatione gloriam & lucrum sperant. Sane in hac arte dies diem docet, & prioris discipulus posterior dies. Qui antea, etsi ceu digitos unguesque suos omnia Medicorum scripta noverat, historiam tantum cognitionem habuit, nunc iudicii etiam regulas sequi debet. Sub titulis itaque personarum notandum est, quibus morbis aliquis laboraverit, qua ætate, qua constitutione, & similia. Ita feliciter procedere potest Medicus in aliis morbis, qui forte subjectum illud occupabunt.

52

Ad finem hæc perduxeram; cum singulari casu mihi ab Amico Bodini ineditus hætenus Dialogus de *abditis rerum sublimium arcanis* (cujus supra *lib. 1. c. 8. §. 7.* mentio facta est) offerretur. Quem cum perlegerem, ipso illo primo libro, quo occasionem Dialogi illius Bodinus exponit, Coronæ Pantothecam descriptam vidi, qua ille universam rerum naturam omnemque ejus supellestem & instrumentum mirabili solertia collegerat, ac omnia, quæ legerat & audiverat, velut in promptuarium aliquod contulerat. Statim hic in mentem mihi venit Scriptorium literatum Cl. Placcii, cui illa Pantotheca quodammodo similis videbatur, nisi quod rerum naturalium collectioni potius destinata ad istud Naturæ & Artis Theatrum Beccherianum, (de quo *lib. 2. cap. 4. ff. 40.*) quodammodo accederet. Quoniam vero etiam ad excerptandum & colligendum machina illa instituta fuit, operæ pretium me facturum existimavi, si e libro rarissimo omnem ejus, ut illic legitur, delineationem proponam. Ita vero hæc habet: *Illud optimum, quod Coronæ domus cum infinita librorum ac veterum monumentorum varietate & copia, tum etiam instrumentorum, sive ad Musicam, sive ad omnes artes Mathematicas, refertissima esset; nihil tamen mihi rarius visum est, quam Pantotheca quadrata sex pedum, diviso cujusque pedis in sex Apothecas quadratas, numerum ex quadrato XXXVI. in se ducto consiciebat capsulas mille ducentas nonaginta sex. Senarium autem selegerat, quod is numerus solus inter digitos perfectus esset, ac latissime in universa natura pateret, non modo ad plurimum animantium ætates, quæ hoc numero terminantur, verum etiam, quod in tota natura sex tantum corpora sint perfecta, sex tantum colores simplices, sex saporès simplices, sex harmonici concentus, sex tantum metalla simplicia, sex locorum situs, sex etiam sensus cum sensu communi. Pantothecam ex olea, id est, ex incorruptibili prope materia fabricari jusserat, mundi universitate*

53

ejusque supellectilem. & omne instrumentum contineret: principio imagines octo & quadraginta inerrantium siderum, Planetarum, Cometarum, similitumque impressionum, elementorum elementarium corporum, lapidum, metallorum, fossilium, stirpium, animantium, quaecunque nancisci poterat, ordinè quæque suo, aptaverat. Et quoniam stirpium ac insectorum omnium forma exigua pantotheca nec contineri, nec haberi propter raritatem poterant, pictura vel scriptura vel genere quæque suo capsulis denotabantur, ut Caper, Rhinoceros, Cobras Indicus, hisque similia: Cetera vel inferri curaverat, vel illata cõmerat. Scorsum autem stirpes integras aut radices grandioribus chartis habebat contentas, sic tamen ut particulam stirpium & animantium capsulae quæque continerent, eo tamen ordine, ut extrema primis, media utrisque, omnia omnibus, apta serie cohererent; Quippe terram inter & lapides argillam & cretam utriusque naturæ media collocarat, inter aquam & adamantes Crystallum, inter lapides & metalla Pyrgiten sive marcasitarum genus, inter lapides & plantas Corallium, inter animantes & stirpes ea, quæ Zoophyta dicuntur, inter animantes aquatiles ac terrestres amphibia, inter aquatilia & volatilia pisces volatiles milvum inquam & loliginem, inter volatilia terrestriaque bruta vesperilionem. Sic autem compleverat Pantothecam, ut sex coloribus simplicibus capsulae distinguerentur, ad memoriam firmiorem, & adversa luce ita collocarat, ut omnia facile prospicerentur, neque enim ad angulos rectos dirigebatur, ne quid e capsulis excederet; nec rursus in plano jacebat, quo minus lucis reciperet: Sed hypotenusæ modo innixa parieti species omnes eminus intuenti reducto velo proderet, ut temporis diuturnitate singula sæpius legendo fideli memoriæ commendarentur. Et quidem in eo tantum profecerat Coronæus, ut omnes loculorum species animo comprehensas haberet, quæ utilitas non modo in iis, quæ Pantotheca continebantur, sed etiam in rebus omnibus, quas audiret & legeret, se ostentabat. Neque enim scribendo vel legendo tempus terebat, ne tantundem de valetudine detraxeret, sed audiendo, discernendo, meditando, judicii vim acerrimam sibi compararat. Et cum cibum caperet, aderat Anagnostes, qui tantisper aliquid legeret, dum fames ac sitis commodius jucundiusque expleretur. Hæc est illa Pantothecæ descriptio, quam Coronæus primus ex illis Collocutoribus, cujus in ædibus ceteri convenerant, ita instructam habuit. Prodigio pene simile est, exiguo hoc spatio totam Naturæ œconomiam potuisse concludi. Ego eam ob causam hic producere ejus machinæ delineationem volui, ut de ea Viri docti arbitrentur.

FINIS LIBRI TERTII.

POLY-



POLYHISTORIS LITERARII

LIB. IV.

GRAMMATICUS.

CAP. I.

DE LINGVIS ET SCRIPTURA.

- §. 1. *Grammatices Vindictia, contra ejus Contemptores.* 2. *Ejus Divisio & Partes.* 3. *Homini-
um præ Brutis circa Sermonis Usum Prærogativa, frustra a Scriptõribus quibus-
dam Priscis ac Modernis (Plutarcho, Sex. Empirico, Porphyrio, Hier. Rorario, Jf. Vos-
sio, &c.) Brutis partim Rationem, partim Sermonem, vindicare ausis, extenuata.*
4. *Primus Sermonis ac Linguarum ortus a Deo, non autem Casu, aut Consensu Homi-
num Fortuito, cum Diod. Siculo, Greg. Nysseno & Rich. Simone, derivandus.* 5. *An-
tores, qui Literas, & earum prononciationem, Physice considerarunt, Pet. Montanus,
Cordemoy, Job. Wallisus, Wilb. Holderus, &c.* 6. *De arte natu Surdos & Mutos Lin-
guas & Artes docendi Paralipomena quædam.* 7. *Ars per nutum ac Digitos Conceptus
Mentis exprimendi, a Job. Bulwero tradita.* 8. *Scripturæ Præstantia ac Necessitas.*
9. *Literarum Ortus a Deo, juxta Judeos. Inventæ ille, juxta Paganos, vel ab Assyriis,
vel a Taauto sive Hermete Egyptio, vel a Cadmo. Scriptores de Literis, Jof. Scaliger,
Herm. Hugo, Guilh. Postellus, Car. Cæs. Baudelot, Claud. Molinettus, &c.* 10. *Lite-
rarum Cælestium, Angelicarum, Adamicarum, Hænohearum, & ejusdem sursum alia-
rum, Hyperaspisæ recensiti, ac Thomæ Bangii exemplo, explosi; Autores item, qui Al-
phabeta varia collegerunt, enumerati.* 11. *Ars e Scriptura de Hominum ingenio dævi-
nandi, a Camillo Baldo tradita.*

Succedat nunc, perductis ad finem BIBLIOTHECARIO & METHODICO
Polyhistoris Literarii LIBRIS, quæ de EXCERPTIS quoque LIBRUM ad-
jungere visum est, jure suo, quod illi olim nos assignasse meminimus, LIBER
GRAMMATICUS. Ita nimirum decet, ut postquam generatim fon-
tes

res literariae πολυτρόπως monstravimus, singulas nunc ejus partes justo ordine percurramus.

Dum vero *Grammaticam* nominamus, non sane multum præjudicatas nonnullorum opiniones morabimur, quibus omne id sordidum atque vile est, quod e *Grammatica* proficisci audiunt: arte nimirum, quæ, prout ipsi judicant, vix aliud quid præter puerile τὸ ἀναγνώσκων καὶ τὸ γράφειν edoceat: hinc objectum toties quasi convitiu loco Scaligeris, Casaubonis, Salmassiis, aliisque viris magnis nomen *Grammaticorum*: quod tamen non illi minus, quam nasutiores quilibet laudi potius, tantum abest ut ignominia, duxere. Tolle enim *Grammaticam* & frustra te senties conari, quicquid uspiam feliciter in literis peragendum sumisti. Enimvero prolixè de usu & præstantia hujus artis differere nostri nunc instituti non est: factum id jamdudum ab aliis, e quibus unum nunc Joh. Wouwerium Polymath. c. XIX. nominamus, & a nemine, qui sapere optat, in dubium temere vocabitur. Unum hoc monere sufficiat, falli, qui *Grammaticen* nihil præter lectionem jejunam, rudemve scriptionem docere persuasi sunt, cum hæ præliminaria solum artis absolvant: ipsa interim proprie in intellectu, scriptorum prompta expositione; & in recte loquendi scribendique ratione consistat. τὸ γε μὲν γράφειν καὶ ἀναγνώσκων γραμματικῆς τῆς ἀτελεστεράς; ait Philo Judæus lib. περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου: τῆς δὲ τελειοτέρας, ἀνάπλυσις τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσιν. Legere quidem scribere *Grammatica* imperfectioris est, perfectioris vero, evolvere, quæ apud Poëtas & Scriptores occurrunt.

2 Circa *divisionem Grammaticæ* variæ veterum opiniones sunt, quas studiose Joh. Wouwerius Polymathicæ c. 8. & Phil. Jac. Mauffacus in *Dissertatione Critica* Notis in *Harpocratonem* præmissa collegerunt: posterior tamen, uti perpetuus Wouwerii insectator est, ita eum in hac etiam de *divisione Grammaticæ* controversia passim carpit. Communiter suam artem in τεχνικὴν seu μεθοδικὴν, quæ rationem recte loquendi edocet; ἐξηγητικὴν, quam auctorum enarrationem transfert Quintilianus; & κριτικὴν, seu iudicium, *Grammaticorum* filii dividunt. Ipse tamen Quintilianus *Grammaticen* in duas tantum partes distribuit, tertiam utrique immixtam ratus, *Instit.* l. i. c. 4. Nobis peculiari de *Critice* libro agere constitutum est. De *Grammaticæ* nunc exordiamur; & cum τεχνικῆ, prima pars ejus, de linguis & scriptura imprimis agat, generatim ante omnia de iis dispiciendum est.

3 Linguae usum una cum ratione homini a prima sui creatione innatum eo minus a quamplurimis dubitatum semper fuit, quo illustrius istud donum est, quod hominem a brutis animantibus, queis nec ratiocinium competit, neque sermo, discernit. Fuisse quidem olim æque ac recentioribus ævis, qui & his rationem tribuere non dubitarent: PLUTARCHUS peculiarem librum sub dialogi forma scripsit περὶ τῶν τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι: T. II. Opp. p. 965. (quanquam Franc. Vavassor de *Ludicra Dictione* p. 25. illum Dialogum falso ab homine parum ad sententiam Operis attento inscriptum putat,) qua in opinione non abluisse illum a veterum philosophorum placitis

citis præter dogma *μετεμψυχώσεως* SEXTUS quoque EMPIRICUS fidem facit, qui Lib. II. de Philosophia, Opp. p. 272. non solum ab Empedocle brutis æque & plantis, rationem diserte attributam fateretur, sed & probabiliter id asseri omnino censet: *εὖ γὰρ* inquit, *παρῆσιν αὐτοῖς ὁ προφορικὸς λόγος, ἀνάγκη καὶ τὸν ἐνδιάθετον αὐτοῖς παρῆναι, διὰ γὰρ τέτε ἀνυπέστατος ἐστὶν ὁ προφορικὸς.* Nam si est eis quæ profertur oratio, necesse est etiam, eis inesse internam rationem: nam sine ea non potest consistere, quæ profertur, oratio. Et PORPHYRIUS libro *περὶ ἀποχῆς* hoc uno inprimis argumento ad absterrendos ab esu brutorum homines nixus apparet, quod parem illa nobiscum rationem habeant: cui sententiæ Philo etiam & Maimonides Judæi accedunt: superiore autem sæculo HIERON. RORARIUS, Exlegatus Pontificius, novus æque & ingeniosus hyperaspistes accessit, qui duobus libris, mole quidem exiguis, sed non sermonis nitore minus, quam ingenio, commendandis, demonstrare annisus est: *quod animalia bruta ratione melius utantur homine.* Edidit opusculum istud, quod manu Auctoris scriptum Romæ nactus erat, primus Gabr. Naudæus, Puteanis fratribus nuncupatum Paris. 1645. recusum postea Amstelodami 1666. in 12. Porphyrius vero, ad evehendam brutorum animantium dignitatem exæquandam, que hominibus nihil non tentat: ita colloqui etiam illa inter se, cerroque sermonis genere sua sibi mutuo cogitata aperire, probatum it: quod idem ut confessum arripere Sextum Empiricum modo vidimus: & de Apollonio Thyanaeo Philostratus ejus vitæ scriptor refert, illum passeris colloquutos intellexisse: sic & Lucretius ait:

. . . Varii sensus animalia cogunt,
Multa tamen cum sint, varias emittere voces.

His & aliis *ἐμόψηφος* e recentioribus Is. VOSSIUS lib. de Viribus Rythmi p. 66. non dubitat, *animalium, quæ vulgo bruta creduntur, meliorem quam nostram hac in parte vocare conditionem, utpote, quæ promptius & forsitan felicitius sensus & cogitationes suas sine interprete significant, quam illi queant mortales: præsertim, si peregrino utantur sermone.* Verum hæc partim aperte falsa sunt; nec omnino quisquam, uti recte Lactantius *de Ira Dei c. 7. modo qui sapiens videri velit, rationale animal cum mutis & irrationalibus coæquaverit*: partim, si aliqua sui ratione vera sint, nequaquam tamen, ratio, sed solers quædam sagacitas, non sermo vox eorundem, sed cognatum aliquod sermonis humani est: *Dignoscant invicem se vocibus, & cum irascuntur, edant sonum jurgio similem: cum se ex intervallo vident, gratulandi officium declarent voce, quæ, licet nobis incondita videatur, ipsis tamen verba sit: demum in omni affectu certas vocis notas exprimant, quibus habitum mentis ostendant*; quæ omnia admittit loco cit. Lactantius; semper tamen effato ejus verissimo proprius homini sermo est; in illis quædam similitudo sermonis: hominum sane conversationi neutiquam comparanda, cum hæc & rationem pro fundamento habeat, & distincte singula animi cogitata eloquatur.

Videbatur hæc hominis prærogativa tanti, ut multis gentilium a Deo orta 4
crederetur: cui quidem opinioni Christiani eo lubentius accessere, quo certius e

Scripturis Deum cum Adamo collocutum, hunc brutis nomina imposuisse, Evam cum serpente sermones miscuisse sciverant: quæ & alia argumenta, ut e multis unum nominemus, Brianus Waltronus *Prolegom. I. in Biblia Polygl.* deducit. Non omnes tamen uno modo gentiles de his senserunt: potius Diodoro Siculo *l. i. Biblioth. Histor. p. 8.* & Vitruvio *lib. II. de Architectura c. 1.* homines primitus more bestiarum voces inarticulatas & confusas protulisse videntur, donec per timorem congregati, sensimque sibi mutuo assuesacti voces flectendo, & de rebus singulis verba quoque apta fingendo notam sibi omnium interpretationem fecerint. Diodorum sibi explodendum sumisit Eusebius *Præp. Evang. lib. I. c. 7.* Nihilo tamen fecius reperitus jam antiquis temporibus inter Christianos doctores Gregorius Nyssenus est, qui *Orat. XII. contra Eunomium* Deo indignum existimaret in Grammaticorum quali censum deprimi, & linguam homines edocuisse credi: ipsummet potius hominem auctorem sui sermonis extitisse eodem fere, quo Diodorus, modo ratiocinatur. Nysseni sententiam avide arripit, & expositam pluribus tuetur, Scriptor recens & celebris Rich. Simonius *Hist. Crit. Vet. Test. lib. 1. c. 14. & 15. lib. III. c. 21.* qui, non multiplicanda præter rem miracula Dei ratus, cum ratione religionem, quoadusque fieri possit, mavult conciliari. Videri tamen poterunt, quæ Simonio opponit Joh. Clericus, Autor libri, qui sub titulo *Sentiments de quelques Theologiens de Hollande sur l'Hist. Crit.* lucem aspexit, epist. XIX. p. 122.

5 Quandoquidem vero prima linguarum rudimenta literæ sunt: *Primordia Grammaticæ artis*, ait Isidorus *Orig. lib. I. c. 3. literæ communes existunt, quas librarii & calculatores sequuntur: quarum disciplina velut quædam Grammaticæ artis infantia est: ita recta earundem pronuntiatio, & ad ipsa organa accommodatio physice quoque considerari potest.* Pauci tamen thema istud tractarunt. Præcipuus est P E T R U S M O N T A N U S, Delphensis Ecclesiastes, qui Belgica lingua librum scripsit, cui titulus: *Bericht van een nieuwe Konst, genant de Sprachkonst.* Delph: 1635. in 4. in quo literarum, vocalium & diphthongorum fonos, earumque formationem, satis, ut mihi quidem videtur, accurate examinat. Certe magna diligentia & cura naturam literarum & pronuntiationum in linguis explicuit, ac nemo fuit, qui ipsam hoc quidem in argumento superavit. De eadem materia secundum Cartesiana principia agit Scriptor Gallus, C O R D E M O Y, in libro, quem inscripsit: *Discours Physique de la Parole:* in quo non solum de ratione soni in literis, sed & quomodo verba prolata in spiritus animales operentur, & persuadere possint, multa eleganter differuntur: dignum certe judicavit librum Societas Regia Anglicana, quem in linguam suam converteret. Ex Anglis ipsismet hanc materiam de vocum flexione tangit J O H. W A L L I S I U S in *Prolegomenis suæ Grammaticæ Angl.* quæ nihil aliud sunt, quam Dissertatio de natura literarum & pronuntiatione. Cum vero Actorum Soc. Regiæ Scriptor, hujus mentionem faciens, ante Wallisium, ait, neminem hunc sibi laborem summisisse; in eo fallitur: nam *Hier. Fabricius ab Aquapendente* idem argumentum tractaverat in Operibus suis: rum ille, quem supra nominavi, P. Montanus, & præterea alii nonnulli. Wallisium secutus alius quidam Theol. Doctor, idemque membrum Socie-

Societatis Regiæ; WILLIAM HOLDER, 1669. in 8. in librum de elementis loquelæ vernaculo idioma Londini publicavit: *Elements of Speech: or an essay of enquiry into the natural production of letters*, quo in libro pluscula notasse mihi videor vel e Montano descripta, vel certe ἐμύλησε. Quid in libro de Orru Sermonis egerit *Mericus Casaubonus*, ignoro, cum nunquam librum eum, quantacunque diligentia quæsitum, videre licuerit. Neque prodiit unquam, quantum scio, *Ægidii Menagii* de Linguis liber generalis & amplus: quem in præfatione suarum Originum Gall. promissit. Non pauca vero huc spectantia hauriri possunt e BERN. MALLINCROT, viri doctissimi, de *Natura & Usu Literarum tractatu*, Monasterii 1638. in 4. edito: nec non e GERH. JOH. VOSSII de *arte Grammatica lib. I.*

Ex accurata isthac observatione motus organorum factum est, ut certis regulis a monacho quodam Hispano, PETRO PONTIO, ars comprehensa sit, qua surdum natu, & hinc mutum, etiam solo visu mediante eousque tandem produxit, ut & loqueretur ipse, & ab aliis quacunque lingua prolata recitare potuerit ac intelligere, etiam si lingua ex informatione sibi solum cognita loquerentur: qua de re cum jam *lib. methodico c. 3.* prolixè satis egerimus, non est, cur hic denuo actum agamus. Id tamen addimus: *Emanueli Ramirerio de Carrion*, de quo perturbare nonnulla posuisse Nic. Antonium monebamus, non Velascium Fraxini Marchionem, sed alium tamen illustrem discipulum obrigisse; nimirum e Sabaudorum Principum stemmate Emanuele Philibertum, Carignani Ducem, qui hodieque superest, & trium quatuorve linguarum peritiam, Carrionio manucente, eam nactus, ut quamvis non loquatur: hoc enim deest: scribat tamen promte & intelligat. Recentissima omnium artis hujus exempla sunt, quæ apud Belgas impigro labore suo JOH. CONR. AMMANN, Scaphusa Helvetius, Med. D. dedit. Aliquot enim ille surdas loqui edocuit, & testem ejus rei *Surdum Loquentem*, Amstelod. 1692. Latino idioma editum, Petro Kolardo, cujus filium ita informaverat, nuncupavit: quinimo tam certam se reddidisse suam artem confidit, ut in epistola nuncupatoria promittere ausit: *Surdum non fore, modo sana ipsi mens constet, nec lingua sit impedita, nec ætas immatura, qui se præceptore, bimestri spatio non expedite sit locuturus.* Quoque magis propriam esse Ammanni eam methodum agnoscas, sanctè testatur in præfatione, sibi, antequam ipse excogitarit, ne vestigium ejus apud ullum auctorem occurrisset. Ceterum, cum solo visu verba loquentium surdi assequantur, fit, ut etiam vocè maxime submissa loquentes, vel potius sibilantes intelligant: quod idem Auctor de suis discipulis testatur.

Et hæc quidem prima exprimentorum conceptuum nostrorum maxime naturalis via est, quæ per linguam fit. Est &, quæ nutu digitivæ, quam amantium esse linguam Ovidius, amorum magister, docet, instituitur. Ejus artem aliquam tradidit Anglus quidam, JOH. BULWER, e quo excerpta nonnulla apud Harsdcerferum in *seinem Gesprächspiel und im deutschen Secretario* reperias.

Longe vero illustrior est, aptiorque sua cogitata aliis communicandi modus, 8

per scripturam, quam sermonis imaginem esse symbolumque res ipsa clamat. Sane enim, si praesentes sermone humano maxime affici & edoceri quam aptissime solent; est tamen, ubi scriptura vim loquelae exsuperat, atque vivo sermone scriptura pictus praefertur. Scriptura nempe ad absentes loquimur, & remotos longa locorum temporumque intercapedine, aequae ac si nobiscum viverent, compellamus: hac historias temporum consignamus, quae, si per oralem solum traditionem propagentur, incredibile dictu, quantum fabularum pro veris breve tempus attrahat, & renitentibus frustra posteris obtrudat: imo evanescit prorsus rerum, licet egregie gestarum memoria, nisi literae & scriptura in subsidium advocentur. Ita cum scientiis quoque comparatum. Non hodie de tot magnorum olim virorum nominibus, nedum dogmatibus superesset quicquam, si scripturae beneficio careremus, quod unum tot illustres antiquorum labores excolendis uberius animis nostris datos servavit. Furere profecto magis, quam humano more loqui censetur merito, qui scripturam & literas rei humanae pestem vocant, e nostro sodalicio exterminandam. Quanto sanius viri sapientes summis illam in caelum laudibus extulerunt, & originem ejus investigantes Deis acceptum tantum beneficium referabant.

9 Et quidem, si Judaeos audias, *Deus* extra dubium *literarum inventor* est, quippe qui ante conditum mundum Legem literis igneis nigris dorso ignis candidi inscriptum penes se habuit. Ira quidem nugantur hi. Plinius Histor. Nat. lib. VII. c. 56., de *literarum* ortu verba faciens, *atetnum* earundem *usum* pronunciat: quod effatum multis disceptationibus ansam dedit: sine dubio autem ita accipiendum est, ut una cum hominibus, quorum ortum nescit Plinius, ortas arbitretur. Dum vero ibidem *ex Assyria* literas in orbem mansisse credit; latet in eo vestigium veritatis, cum *Assyriam* primo statim tempore ab hominibus cultam (si non omnino *Paradisus* ibi fuit) dubium nullum sit. Alii *ex Aegypto* potius primitias *literarum* arcessunt, quod non solum *Gellius* a *Plinio* adductus facit, sed dudum ante *Gellium* idem *Diodorus Siculus* docuit, & *Philo Biblius* in proemio ad *Sanconiathonem*, cujus haec verba sunt: τῶν ὑφ' ἡλίον γεγονότων πρώτος ἐστὶ τῶν ἄλλων ὁ τῶν γραμμάτων εὐρεσὶν ἐπινοήσας, καὶ τῆς τῶν ὑπομνημάτων γραφῆς κατάρξας: apud *Eusebium* Praep. Evang. l. i. c. 9. hunc vero *Taautum* *Aegyptia* voce eundem esse, quem *Graeci* ἐρμῆν (Latini *Mercurium*) vocant, *Philo* mox addit. *Graeci* ceteri communiter ferme *Cadmo* *literarum* inventionem tribuunt, & e *Phoenicia* ad *Iones* illas pervenisse tradunt: hinc *Jonicae* literae *Herodoto* omnium antiquissima. Legi ea de re praecipue *Josephi Scaligeri* eruditissima dissertatio meretur, quam de *Literis Jonicis* ad illustrandum *Eusebii* locum scriptam suis animadversionibus *Eusebianis* p. 110. sqq. inferuit: ut & *Bocharti Geographiae Sac.* P. II. lib. I. c. 20. quod totum huic materiae impendit. Multum quoque studii & doctrinae *HERMANNUS HUGO*, Jesuita, in pulcro *de Ratione scribendi apud veteres* libro ostendit: prodiit ille liber *Antwerp.* 1617. in 8. ex officina *Plantiniana*: multa ibi habentur de characteribus variis variorum generum: de re notaria veterum *Graecorum* & *Romanorum*, & similia, quae apud ipsum Auctorem videri possunt.

possunt. Juvabit quoque lectorem GUIL. POSTELLUS de *Phœnicum literis*; seu de *prisco Latinæ & Græcæ linguæ caractere, ejusque antiquitate, origine & usu*, Paris. 1552. in §. nec non GERH. J. VOSSIUS de *Arte Grammatica* l. 1. c. 9. & 10. CAROLUS CÆSAR BAUDELOTIUS de *DAIRVAL* libro Gallico de *l'utilité des Voyages, & de l'avantage, que la recherche des antiquitez procure aux sçavans*, Paris. 1686. in 12. cujus P. II. postquam de variis linguis, Chaldæa, Phœnicia, Punicâ &c. earumque characteribus prolixè actum est; Græcas etiam & Latinas literas Auctor per ætates certas distinguit, deque uncialibus, capitalibus, quadratis & minusculis literarum elementis eruditè disquirat. Referrî quoque huc poterit P. CLAUDII MOLINETTI *Historia de Fatis Literarum Romanarum*, inserta Ephemeridibus Eruditorum Gallicis A. 1684. in qua non prius Auctor ad Latinas literas transit, quam omnium originem ab ùltima inde antiquitate repetiisset, hinc mutationes varias & fortunam elementorum Rom. eleganti commentariolo exponit.

Qui e S. Scriptura fundamenta dirimendæ litis istius quærunt, ii partim in cælo ¹⁰ stellis efformatas esse literas sibi persuadent, eamque Scripturam vocant *Angelicam*; quos inter eminet (a) JAC. GAFFARELLUS in tractatu Gallico quem *Curiositez Inouies Curiosa inaudita, de Sculptura Talismanica Persarum, horoscopo Patriarcharum, & lectura Stellarum*, inscripsit, ediditque Paris. 1637. Latine versâ postmodum & recusa Hamb. 1676. Merito autem Gaffarellum, Judæis ipsis, e quibus ista mutuo petiit, ineptiorem, rejicit & confutat late Thom. Bangius *Cæli Orientis Exerc. II. Habet & formas literarum Angelicarum aliaque de iis varia* Athan. Kircherus T. II. *Oedipi Ægyptiaci*. Alii *Adamo* donum scripturæ acceptum ferri debere arbitrantur.

(a) Jac. Gaffarelli, Galli, Th. & J. Can. Doctoris, Protonotarii Apostolici, Prioris D. Catharinæ ac D. Aumelii Commendatoris perpetui, Ludovicique XIII. Regis Galliæ, Theologi, consiliarii & Eleemosynarii, Viri eximia, in Literatura imprimis Orientali, Eruditionis, *Curiositates inaudita* Gallice prodierunt Parisiis Ann. 1629. ac 1630. Rhotomagi Ann. 1631. & 1650. ac sine Loci mentione Ann. 1637. in 8vo (Vid. Michaelis *Præfat. & Labbei Biblioth. Bibliothecarum p. m. 597.*) Anglicam illarum Versionem dedit Edmundus Chilmead, Glocestriensis, Ædis Christi apud Oxonienses Sacellanus, teste Henn. Wittenio T. I. *Diar. Biogr. Sec. XVII. ad An. 1653.* Latinam autem figuris, Notis Eruditis, indicibusque, illustratam, M. Greg. Michaëlis, Rostochiensis, Præpositus tunc in Cimbria Flensburgensis, & Comitatus postea Oldenburgici Superintendens, Hamburgi A. 1676. in 8vo. Ob Vanitates Chaldæorum & Astrologorum profanas, aliasque Opiniones Paradoxas, audacius in hoc Scripto defensas, Autor Censuram Sorbonæ Parisiensis incurrit, ejusque Jussu, d. 4. Oct. An. 1629. retractationem illius *εὐτρόχει* conscripsit, a Claudio Sorello suo contra idem Tractatui *des Talesmaines, ou Figures, faites sous certaines Constellations*, Parisiis An. 1636. & 1640. in 8vo edito (Labbeo l. c. p. 586. 597. teste,) subjunctam. Nugas de Literatura Cælesti eruditas Thom. Bangius, in *Cælo Orientis*, Hafniæ Ann. 1657. edito, *Exerc. II. Qu. VIII. pag. 140. 208.* discussit, Hyperaspisten nihilominus Gaffarellus nactus est Jac. Gaufridum Tauroentium, Gallum, cujus *Parechasis pro curiositatibus* his Eucomastica, Parmæ An. 1634. in 4to excusa, a Labbeo l. c. p. 597. allegatur.

tur. In his *Suidas* uti ceteras artes omnino omnes, ita literas etiam ab Adamo profectas non dubitat: immemor tamen sui alibi, nunc Setho, nunc Abrahamo, nunc Cadmo & Phœnicibus earum inventionem tribuit. Adamo inventum id aliquot rationibus Theod. Bibliander adstruxit in libro de communi ratione linguarum. Et quo minus de veritate asserti illius dubitaretur, reperti complures sunt, qui formas literarum Adamicarum e verustis marmoribus eruerent. Ita *Laurent. Schraderus* illas e columna Vaticana descriptas Memorandis Italiae, 1592. Helmstadiæ a se editis, una cum 23. alphabetis, ut vocant, aliis, inseruit; 24. inventores literarum in universum credens: atque adeo duplo plures, quam Joh. Matthæus Lunensis, in Tract. de Rerum Inventoribus, ab Augustino Justiniano Paris. 1520. edito, in quo 12. linguarum inventores narrantur. Ceterum rudis nimium figura literarum apud Schraderum est, & longe nitidior character; qui in *Aurea Virga*, i. e. 70. alphabetis a Jac. Bonaventura Hephurno, Scoto, S. Francisci monacho, Romæ 1616. nitide editis, reperitur: ut & in *Tabellis Alphabeticis* variorum characterum variis gentibus usurpatorum Francof. 1596. per Joh. Theodorum & Joh. Israël de Bry æri affabre incisis. Videas in his libris, & ex iisdem in Bangio, alphabeta Adamicum, Henocheum, Noachicum, vetus Assyrium, Mercurianum, Iliacum, aliaque hujus generis plura. Defendunt præterea characteres illos Adamicos Angelus Roccha in Commentario Bibliothecæ Vaticanæ: Claud. Duretus in Historia de Linguis Univerſi inferius memoranda, Theſeus Ambrosius in Appendice Introductionis in Chaldaicam, Syriacam, Armenicam & x. alias linguas, Papiæ 1539. excusæ. Quibus omnibus se opponit, adductis atque confutatis eorum rationibus, *Thomas Bangius* in Cælo Orientis Exerc. I. & II. (qui liber An. 1661. sub titulo *Exercitationum de Ortu & Progressu Literarum* denuo excusus est). Nemo tamen usque adeo *παραδόξος*, in erudiendis Graphices ab Adamo inventæ principiis, est ac JOH. PETRUS ERICUS, Iſenacensis, qui in libro suo, quem *Renatum e mysterio Principium Philologicum* inscripsit, ediditque Patav. 1686. in 8. Adamum inducit cum nomina animalibus, secundum sonum cujusque, seu sonorum voces, imponeret, a volatilium concentu vocales, a terrestrium strepitu consonantes semivocales, a mutis natatilibus mutas mutuatum, postea ex animalium rugitu & grunnitu loquelæ elementa composuisse, eaque intelligibilia reddidisse: v. Act. Erud. Lips. A. 1686. pag. 328. seq. Verum, missis hisce paradoxis, nunc ad Bangium revertimur. Credit is, dedisse forsitan originem literarum inventioni Adamum; sed ita, ut magis cæperit formare a posteris suis expolitas, quam ut integer certorum elementorum ordo ab illo fluxisse credi queat. Ita reliquos, qui literarum inventores dicuntur, certos suarum quemque gentium characteres excogitasse forsitan, non vero statim propterea scripturæ repertores dici mereri. (b) Henochem revera scripsisse librum extra dubitationis aleam ponit, qua in re Brianum Waltonum sibi consentientem

(b) De libro Henochi, Columnisque Sethianis, conferri merentur Joh. Henr. Ursini Exercitationes de Zoroastre Bactriano, Hermete Trismegisto, Sanchoniathone Phœnicio, eorumque Scriptis, &

rientem habet Proleg. Bibl. II. dissentientem vero Rich. Simonium, cui prophetia Henochi nonnisi e traditione Judæ Apostolo fuisse nota videtur. Nec desunt, quibus columnæ Sethianæ, quarum unam suo adhuc tempore stetisse Josephus l. 1. Antiq. c. 3. auctor est, suspectæ admodum, si non penitus fabulosæ, videntur. Et quis, in tanta rerum ultima antiquitatis caligine, certi quid absque hæsitatione proferre aufit? Interim non tamen dubitandum videtur, quin haud procul ab origine generis humani scripturæ inventum arcessendum sit. Conferri præter auctores, qui de Lingua & Scriptura agunt, & superius recensiti sunt, meretur quoque *Caramuel*, qui in Apparatu Philosophico multa, quæ illuc spectant, habet. De Literarum Dimensionibus tractatum scripsit *Geofry*.

Ceterum, ut in verbis ore prolatis, ita & in literis manu exaratis physicum aliquid, quod de ingenio ac moribus hominum testetur, latet: ita, ut ars quædam prognostica inde formata sit. Rabbinos aliquos ea de re cogitasse legi: & est inter Italos *Camillus Baldus*, Bononiensis, Philosophiæ olim in academia patria Professor, qui de *Divinatione Epistolari* librum Italica lingua scripsit, translatum postea in Latinam, & editum Bononiæ 1664. in 4.

C A P. II.

DE VARIIS SCRIPTURÆ MODIS.

- §. 1. *Litera sive Figura Hieroglyphica Ægyptiorum, de quibus Horus Apollo, Nic. Causeus, Joh. Pierius Valerianus, Ath. Kircherus, Laur. Pignorius, aliique, scripserunt.* 2. *Æthiopum, Scytharum, Sinensium, Peruvianorum.* 3. *Græcorum & Latinorum Notæ Cryptographica & Tachygraphica, harumque Inventores, & varii de iisdem Scriptores.* 4. *Notæ Tyronis, Senecæ, Cypriani, Joh. Pici, & aliorum. Joh. Tritheimii Polygraphia, a Gustavo Seleno in Cryptographia illustrata. Alii Tachygraphiæ, Steganographiæ, & oppositæ huic Artis Deciffratorie, Scriptores recentiores.* 5. *De Characteribus sive Scriptura Universalibus, Linguis omnibus communi, & Lingua Universalis inserviente, Conatus & Scripta Georg. Dahl-*

Y y y y 2

aliis contra Mosaicæ Scripturæ Antiquitatem afferri solitis, Familiares, cum Christoph. Arnoldi Spicilegio Noribergæ A. 1661. in 8vo. excusæ. In quibus is, suæ de scriptis Mosaicis omnium antiquissimis *ὑπερθεσὶ δειλῶων* & hæc, & alia Monumenta literaria, quæ Mosis ævum superare creduntur, omnia, tanquam fabulosa & *ὑποβολιμαία*, rejicit atque explodit. Adde Joh. Joach. Maderi Diss. de Scriptis & Bibliothecis Antediluvianis, Tractatum de Bibliothecis Variorum Syntagmati, Helmstadii A. 1666. a se recensito, Præfationis instar, præfixam, Joh. Druisii Libram de Henoch, ejusque Scripto, peculiarem, Francquerz A. 1615. in 4to excusam, & plerosque tum Historiæ Librorum Biblicorum Scriptores, tum in Epistolam Judæ (cujus Versu 14. Henochi Prophetia allegatur) Commentatores.

Dablgarni, Joh Wilkinsi, Galli Anonymi, Ath. Kircheri, J. Joach. Beccheri, de quibus, uti & Andr. Mülleri Clave Sinica, sobrium fertur Judicium. 6. Typographie Inventio, Germanos inter & Batavos controversa, Germanis, Gallorum complurium suffragiis allegatis, vindicatur, Scriptores hujus Argumenti recensentur, Discrimen Typographiæ Europæ, & hac antiquioris Sincensium, ex Is. Vossio ostenditur, abusus Artis nobilissimæ deplorantur, & Typographi potiores Eruditi recensentur.

Scripturæ licet maximus & incomparabilis usus sit, id unum tamen adhuc deesse videbatur, quod lente nimis rem suam peragat, & longis calami tractuum ambagibus id eloquatur, quod multo breviori spatio, lingua dicit. Accedebat, quod quicquid per eam semel literis mandatum est, promiscue statim cuivis patefceret, cum res non omnes omnium oculis exponendæ olim judicarentur. Nati exinde partim arcani atque sacri, partim usui *ταχυγράφων* inservientes varii scriptionum modi sunt, queis per compendia longus sermo abstrusis quibusdam notis aut imaginibus inclusus contineretur.

Ægyptii, sapiens olim & ob id notissima toto orbe gens, cum in vulgus nollet inventa sua spargi, literas hieroglyphicas, ceu symbola rerum, excogitavit; quæ suo se nomine statim, quam sancte fuerint in intimis templorum adytis custodita, produnt. Ab Hermete inventa gloriabantur, & non solum extraneos ad ea difficillime admittebant, (quod exemplum Pythagoræ ostendit, qui, circumcissus licet, & a Polycrate viro potentissimo commendatis literis instructus, ægre tamen admissus est) sed & paucis ex ipsorummet sacerdotum ordine latentia figurarum mysteria pandebant. Successu temporum non secreta tantum, quæ recondi in delubris voluerant, verum alia quoque characteribus istiusmodi notabant; cippos maxime, quorum nonnulli supersunt adhuc. Varii vero auctores in eruendis abstrusarum figurarum significationibus defudarunt. Ex antiquis restat ORUS five HORUS APOLLO, quem *Horapollinem* nonnulli vocant, auctoritate scilicet Photii atque Suidæ nixi; quos falli tamen, & *Horum* Ægyptium ab *Horo* seu *Horapolline* Græco Grammatico diversum, probabiliter contendit Causinus. Scripsit *Horus* iste *Niliacus* (ita enim vocatur, non a flumine, sed ab urbe Ægypti Nilo, de qua Hecataeus apud Stephanum) *Hieroglyphica* Ægyptiaco sermone: Græce ea vertit Philippus nescio quis recentioris ætatis Græcus. Græca Latine transtulit, ediditque Basil. 1518. Bernardinus Trebatius, Vicentinus. Novam versionem publicavit Paris. 1551. in 8. Joh. Mercerus; alia editio Romæ excusa est ex Merceri aliisque versionibus conflata 1606. in 12. sed cum gravibus eam erroribus scaterere deprehendisset Causinus, errores expunxit, notas & observationes addidit, subjunctis insuper ex Clemente Alex. & Epiphanio, quæ huc pertinebant atque Polyhystorem Symbolicam, libris XII. constantem, adjecit: totumque librum de *Symbolica Ægyptiorum Sapientia* inscriptum publicavit Paris. 1618. Coloniae postmodum 1631. in 8. recusum. Jam ante vero quam Causini editio prodidisset, Græce Horapol-

linis Hieroglyphica correcta & suppleta David Hæschelius 1605. in 4. edi curavit Augustæ Vind. E recentioribus laudem meret JOH. PIERIUS VALERIANUS, cujus *Hieroglyphica, seu de sacris Ægyptiorum aliarumque gentium literis Commentarii* Lugduni 1610. editi, & inde multoties in Germania recusi, Italice etiam Venetiis 1627. typis exscripti, in omnium manibus sunt. Secutus hunc celebris ATHANAS. KIRCHERUS, vastiori adhuc molimine ista mysteria aggressus, varia ejus studii monumenta reliquit. *Oedipum Ægyptiacum*, cujus pars una *Theatrum Hieroglyphicum* sistit, Romæ 1654. *Obeliscum Pamphilium*, seu interpretationem novam Obelisci hieroglyphici, quem Innocentius X, P. R., erexit. ibid. 1650. *Obelisci Ægyptiaci*, inter rudera Minervæ effossi interpretationem Hieroglyphicam Romæ itidem 1666. & alia forsân, quæ huc pertinent. Uti vero non male hoc suo studio meruit de re literaria Kircherus, ita num semper vera etiam suis suspitionibus assecutus sit, dubitandi locus superest. Certe Oedipum ejus spernit Isaacus Vossius, & amicos Kircheri nolle ab ipso scriptum ait: *Castigat. ad Objecta Hornii c. XII. p. 338.* Ita Parisiis eum aliquando ludibrium jocantibus nonnullis, & nescio quam informem statuam, pro cippo afferentibus, debuisse legi. Pertinent ceteroquin huc *Laur. Pignorii Mensa Isaca*; seu verustissimæ tabulæ æneæ, sacris Ægyptiorum simulacris cælatae, explicatio; quæ Venetiis 1605. & Amstelod. 1670. lucem publicam aspexit, nec non *Mich. Meyeri Arcana Ægyptiorum & Græcorum Hieroglyphica*, sine loco & anno impressionis in 4. edita.

Non vero Ægyptii solum, sed *Æthiopes* etiam atque *Scythæ*, hieroglyphicis 2 characteribus usiprehenduntur, ut e Pherecyde Syro apud Clementem, & e Diódoro Siculo, bene Causinus animadvertit. Hinc eo facilius ad Sinas & Japones, a Sinensibus ad Peruvianos, penetrare potuerunt; nec opus est, ut cum Kirchero nescio quas Ægyptiorum ad Sinas colonias somniemus, quas merito ut intempestive admodum adstructas ridet I. c. Vossius. Vide quæ de literis Sinensium *Spizelius in libro de Re Literaria eorundem* collegit, & *Kircherus Oedipi T. III. Diatr. I.*

Græci & Latini, quanquam hieroglyphicis abstinebant, habuerunt tamen σημεῖα 3 sua seu notas, quibus vel ad occulte, vel ad breviter scribendum, usi sunt. *Notarios* Latini, Græci ταχυγράφοι, σημειογράφοι notis ac σημεῖοις vocabant, queis cura scribendarum compendiarum characteribus rerum commissa erat: quique adeo frequenter in publicis æque & privatis negotiis adhibebantur, ut nihil crebrius apud Auctores, quam illorum mentio occurrat. Ita laudant hanc artem e veteribus Plutarchus, Dio, Suetonius, Seneca, Martialis, Aufonius, Hieronymus, Isidorus, Suidas, alii, quorum loca passim a recentioribus allegata videre est. Sed, ut omnium rerum esse etiam quidam abusus potest, ita hæc inprimis *ars notaria* fraudibus multis, scriptorumque corruptioni, patuit, præsertim, ubi, inolecente jam barbarie, genuina notarum interpretatio expiravit: qua re motus publica lege vetuit Imp. Justinianus *per signorum captiones & compendiosa anigmata codicis sui textum conscribi.* INVENTORES artis illius varii a variis perhibentur. Lipsius libenter Græcis gloriam daret,

daret, & nominatim Xenophonti, motus auctoritate Diogenis Laërtii. Salmuthus, in Not. ad Pancirollum, ex Æliano Myrmeceidem Milesium, & Callicratidem Lacedæmonium celebres ea arte fuisse tradit. Latini tamen ad se trahunt: quorum alii Ciceroni ipsimet & Mæcenati, alii libertis eorundem literionibus, gloriam inventarum istiusmodi notarum adscribunt. Peculiarem de *Notis Romanorum librum* Sertorius Ursatus, Patavinus; scripsit, qui 1672. Patavii in fol. excusus est. Valerii Probi de *Siglis*, seu de *interpretandis Romanorum literis*, librum e MSS. quam plurimis altero pene tanto auctum, notisque illustratum, Soræ 1647. in 4. Henr. Ernstius publicavit. (c) Diligentem quoque, in clandestina scribendi ratione docenda, operam Rob. Valturius *lib. VII. de Re Militari* cap. 17. (prodiit ille liber Veronæ 1483. fol.) longe vero majorem ac diligentio rem, Henr. Salmutho judice, Joh. Bapt. Porta, in IV. libris *de Furtivis literarum notis*, (Mompelgardii An. 1593. in 8vo excusis) & lib. XVI. *Magiæ Naturalis*. Verum nec ipse Salmuthus cum Pancirollo debita sua laude fraudandus est, qui studiose admodum rem hanc exponit, Nov. Repert. Tit. XIV. Conferatur præterea elegans Lipsii *epistola cent. I. ad Belgas*, ep. 27. Petri Bembi Cardin. *epistola ad Julium II. P. R. lib. V. ep. 8.* WOUWERII *Polymathia c. VI.* Vossii de *Arte Gramm. lib. I. c. 41.* & Becmanni *Notitia Orbis c. IX. p. 391.*

Extant adhuc *Nota M. Tullii Tyronis*, liberti Ciceronis, quas ille ad signandas voces excogitavit, mistis, quas *Ann. Seneca* parens, Lipsio judice, addidit, quasque *Cyprianus*, Trithemio referente, earum insuper vocum notis auxit, quæ ad usum Christianorum necessariæ fuerant. Rarissimæ jam ævo Trithemii erant, qui, cum forte fortuna illas ex Abbatiae cujusdam bibliotheca an. 1497. vili pretio a monachis rerum imperitis emisset, multum sibi in sua Polygraphia gratulatus est. Nostro autem ævo Janus Gruterus, e duobus Codicibus, suo uno, altero Joh. Pistorii, *Notas Tyronis & Senecæ*, cum *Cyprianicis* una immistis, edidit, *Corpori Inscriptio num adjectas*. Neque vero dubitat in præfatione Gruterus, forte notas has usus alicujus, & glossarii quasi locum expleturas in libris, qui meris istiusmodi notis conscripti hic illic forsan in bibliothecis lateant: qualis ille codex est, quem e Dacia Julio II. missum, & Hygini de Syderibus commentariorum portionem comprehendentem, Bembus l. c. refert: aliusque Curtii codex Bongarsianus, cui sub finem, & variis ad marginem locis, notas istiusmodi illitas ipse Gruterus narrat. Imprimis vero memoratum dignum *Psalterium* notis istiusmodi descriptum, & Argentorati servatum, cujus historiam,

(c) Ante Ernstianam Editionem, alia Lugduno-Batava Libelli M. Valerii Probi de *Notis Romanorum interpretandis* Ann. 1600. (non 1504. ut in Joh. Alb. Fabricii *Append. Biblioth. Lat. p. 85.* perperam legitur,) apud Andream Clouacqium, in 8vo. prodiit. Editor fuit Frid. Lindebrogius, Jctus Hamburg. *πολυμαθέςατος*, qui (Teste Typographi Præfatione) & Probum ipsum, & Magnonis, Archiepiscopi Senonensis, Carolo M. coævi, Collectionem Notarum Juridicarum, Carolo inscriptam, Petri que Diaconi, & aliorum Anonymorum Explicationes Veterum Notarum, Probo subjunctas, cum Codicibus diversis contulit & emendavit, Magnonem primus edidit, & Observaciones aliquot suas sub finem adjecit.

storiam, lepidam simul, his verbis Trithemius c. l. exponit. *Biennio post* (nempe ab acquisito Notarum Tyronis codice, adeoque ann. 1499.) *eques Argentinam in causis ordinis mei ascendi, admissusque per Job. Keisersbergium, insignem loci concionatorem, in bibliothecam majoris Ecclesiæ, Psalterium reperi totum hisce Tullii & Cypriani notis excaratum, aureisque capitellis decentissime scriptum. Super scriptio autem ab ignaro mysterii talis fuerat extrinsecus posita: Psalterium in Armenica Lingua. Ego doctorem adhibui, falsitatem ostendi, ita rescribendum admonui; Psalterium notis Ciceronis descriptum: quod fecerit, nec ne, incertum habeo, quoniam ad eam bibliothecam postea non sum reversus.* Pertinent quoque huc Notæ Mathematicæ, Astronomicæ, Chymicæ, Iatricæ, quas, in Scriptoribus Mediæ & Infimæ Græcitatibus repertas, e Codicibus MSS. eruit, & cum explicatione Glossario suo Græco annexiit, *Carolus du Fresne*. Distinguenda tamen a se invicem sunt σημεῖα notariorum, celeri solum scriptioni interservientia, & notæ, quæ ad κρυπτολογικῶν spectant. Illorum rationem uti vix quisquam restituet: quoniam, nisi quis a pueritia artem illam studiosè didicerit, ægre rem difficillimam assequetur: ita suaseram tamen studiosis, ut ad celeriter excscribendum notas proprias, & quidem quamplurimas, sibi constituant, sicut legimus *Joh. Picum Mirandulanum* proprias sibi notas constituisse, quibus libros suos conscripserit, qui propterea, ut in Vita Patruum Joh. Franc. Picus testatur, a nemine post ejus obitum legi potuerunt. Harum vero artem *Joh. Trithemius* in Polygraphia sua tradere aggressus est. Usus earum antiquissimus deprehenditur: ut enim Scytalam Lacedæmoniorum taceamus a Gellio lib. XVII. c. 9. Noct. Attic. fuse satis descriptam: nec Cæsaris etiam, nec Augusti arcanos scribendi modos, quos Suetonius, deregit, memoremus: nihil aliud suis notis primum Cicero voluit, quam occultè scribere; ita enim l. 13. ad Atticum: *Et quod ad te de decem legatis scripsi, parum intellecti credo: quia dici σημεῖον scripseram.* Talis occultæ scriptionis, uti diximus, ars illa est, quam tradere, suis tamen mysteriis involutam, voluit Trithemius Abbas: quæ evoluit postea scripto in ejus Polygraphiam Commentario Illustrissimus GUSTAVUS SELENUS, i. e. Augustus Brunsvic. Dux, edita in fol. Lunæb. 1624. *Cryptographia*. Jam ante Selenum tractarunt idem argumentum Abr. Colornus in *Scotographia Italica*, Dan. Schwenterus in *Stenographia aucta*, Casp. Schottus in *Schola Steganographica*. & passim apud Magiæ Naturalis Scriptores singularia hujusmodi artificia monstrantur. Nusquam tamen æque floruit illa & celeris & occultæ scripturæ ars, studiove majore culta est, quam apud *Anglos*, qui, cum veterum notas, celeritati scribentium consulentes, non amplius restare vidissent, novas ipsi notas commenti sunt, librisque peculiaribus exposuerunt: quales sunt Thomæ Willis Manufactor artis Steganographicæ: *The Schoolmaster in the art of Steganography*. Lond. 1647. Thomæ Schelton *Tachygraphy or Shortwriting*. Joh. Wilkii *Mercury, or the Swift Messenger*, aliique a Becmanno Hist. Orbis c. 9. p. 391. laudati. Quibus addi Belgæ etiam Scriptor, J. S. S. Verbi Div. Minister, potest, qui artem brachygraphicam certis quibusdam regulis est complexus, & distinctè admodum tradidit. Lugd. Bat. 1656. 8vo.

Germanice quoque postea, sub *Tachygraphia* Titulo, editam. Nec minor apud Anglos Cryptographiæ in bellis præcipue civilibus erat usus, modo per ciphras, modo per notas alias facta scriptione: cui tamen multum obfuit opposita illi *Deciffratoria*, quam vocant, *ars*, quæ ex characterum ductu, frequentia & nexu inter se eorum sensa occulta investigat, si Alphabetum quidem sit ordinarium, & characteres linguam cognitam exprimant. (Multum imprimis valuit illa arte superstes hodieque vir celeberrimus, & in scientiis Mathematicis plane incomparabilis, *Job. Wallijus*, cujus manu scriptam vidimus, seu potius enodatam Legati cujusdam Gallici ad Polonos, March. Bethunensis, Epistolam, meris numeris adeo abstruse scriptam, ut inextricabiles videantur labyrinthi, e quibus tamen vir doctus se miro artificio expedit.) Editus quoque hanc in rem Gallicus quidam liber est. *L'interpretation des chiffres, tirée de l'Italien du S. Ant. Maria Caspi, Secrétaire du Grand Duc de Toscane, augmentée & accommodée particulièrement à l'usage des langues Françoisse & Espagnole. Paris. 1641. in 8.* Memini mecum quondam communicatum ab Aurato Equite Scoto quodam artificium Steganographicum, ipsi magno pretio comparatum, quod deciffrationi obnoxium non esset. Id vero postea in Thavmaturgo Schotti, vel Phÿsico, vel Mathematico, publicatum inveni. De Cryptographia recentiorum Græcorum Leo Allatius epistolam ad Car. Moronum scripsit.

Nondum tamen in his occultarum scriptioinum inventis, doctorum quorundam solers ingenium acquievit. Amplius progressi beneficio characterum istiusmodi universalem linguam moliti sunt, ita nimirum, ut pictos in charta characteres unaquæque gens patria lingua legere reddereque possit. Est qui hoc saxum inprimis magno conatu volvit Anglus scriptor, *GEORG. DAHLGARNUS*, cujus hic liber splendido admodum titulo in lucem prodiit: *Ars Signorum: vulgo, character universalis & lingua philosophica, qua poterunt homines diversissimorum idiomatum spatio duarum septimanarum omnia animi sui sensa non minus intelligibiliter, sive scribendo, sive loquendo, mutuo communicare, quam linguis propriis vernaculis. Præterea hinc etiam poterunt juvenes Philosophiæ principia, & veram Logicæ praxin, citius & facilius multo imbiberè, quam ex vulgaribus Philosophorum scriptis. Londini 1651. in 8.* Sed scriptum hoc eruditionem affectatam & pædagogeam nimis olere judicat Becmannus. Præter vero Dahlgarnium *JOH. WILKINS*, membrum Societatis Regiæ & postea Episcopus Cestriensis, aliam Philosophicam quandam linguam invenit & characterem, e figuris Mathematicis concinnatum: Liber Anglica lingua scriptus prodiit Lond. 1668. in fol. hoc titulo: *An Essay towards a real character, and a Philosophical language.* Admodum vero operosus est in rebus naturalibus & arte factis sub suas classes redigendis, quæ opera in illo laudanda est. Inest enim signis rerum, ut sunt voces, eadem divisio, quæ rebus ipsis: inest porro ipsis vocibus certus quidam & inseparabilis character, e quo dijudicari tota lingua potest, & pene mathematica demonstratione significationes deduci: ille character latet in solis terminationibus, quæ quasi formam largiuntur vocabulis, ut certæ quædam consonantes materiam ipsi voci, radices

ces scilicet, quæ plerumque ex aliis linguis sunt transfusæ. Commendari utique meretur Wilkinsius, quod linguarum fundamenta philosophica haud sane levi opera fuerit persecutus. Similem laborem linguæ alicujus Philosophicæ in animo habuit olim Gallus ille, cujus *Cartesius P. I. Ep. III.* ad Merfennum scribens meminit. Exposuerat Merfennus Carresio istud viri institutum, ejusque de illo judicium poposcerat: quapropter Carresius rem omnem solidissime examinat determinatque, quoad procedi possit in hoc negotio. Linguam putat inveniri posse commodiorem & breviorẽ; Grammaticam quoque faciliorem, & communissimos aliquot characteres, secundum quos intelligi possint omnium linguarum sensus; sed ulterius procedere non audet. Nam, quod Gallus ille jactabat, per hanc artem suam, linguæque suæ cognitionem, ceteras omnes, & dialectos illarum, cognosci posse, id plane falsum putat Cartesius, & in ostentationem argumenti confictum. ATHANAS. KIRCHERUS & JOH. JOACH. BECCHERUS artem commenti sunt, qua notis numerorum, secundum ordinem dispositorum, universalem in quacunque lingua sensum exprimere quis possit & scribere, legere, & sine interprete intelligere. Kircheri liber sub titulo *Artis Polygraphicæ* Romæ 1665. fol. in vulgus exiit: Beccheri liber inscribitur: *Character pro notitia linguarum universalium: inventum steganographicum hætenus inauditum*, Francof. 1668. Beccherus ille vir fuit non contemnendi ingenii, sed varii, & in multa distracti. Multa animo concepit pro augendis scientiis, multa quoque ipse invenit disciplinarum subsidia; & in Mathematicis Chymicisque quædam singularia. Ita & in Didacticis nonnulla monuit viros doctos, pro quibus illi gratiæ debentur: atque hoc ipso libro suo, cujus usus revera aliquis est, gloriam meruit, quod primus laborem eum susceperit. Nam Dahlgarnus, Wilkinsius & Kircherus, post Beccherum scripsere; videturque is nonnullis in locis indicare, se viam Kircheri stravisse: quod & verum existimo; quanquam alia Kircherus via incedat: facile enim est consilio semel detecto, novam formam superinducere. Neque vero propterea contemnendum Kircheri artificium est; plane ad eum modum excogitatum, quem suggererat Ep. 109. P. 1. Cartesius: nec inutile illud consilium, modo non operosa negotia expedienda sint: tunc enim labor molestus fiet. De dictionis elegantia hic frustra laborabitur; talis enim epistola non concinnius scribetur, quam Latina oratio a Latinæ linguæ ignaro conscribenda; de quo invento gloriatur Kircherus, sed tanquam arcanum sibi servat. Meminit ejus in libro suo de Arte Combinatoria. Similiter docet, in Arte sua Musica, cantilenam conficere beneficio cujusdam instrumenti illum, qui Harmonicæ artis ignarus est. Verum in his inventis plus est subtilitatis, quam utilitatis: parum sane est, componere aliquot verba secundum ordinem ab alio institutum. Non hic hominis, sed psittaci, labor est. Utut enim oratio grammaticè composita sit; utut cantilena nihil peccet adversus harmoniam; ingenium tamen, judiciumque *ἡγεμονικόν*, quod rem totam conficit, abest. Inveniri autem talia facile poterunt ad imitationem aliorum: dudum enim in istiusmodi cogitationes venerunt viri aliquot eruditi. Ceterum idem fere, quem Beccherus tenuit, modus est Caramuelis in Ap-

paratū Philosophico p. 128. ubi de literis Sinicis agit. Pertinet quoque huc promissum *Andr. Mülleri* Greiffenhagii, Præpositi olim Berolinensis, qui in *Clave* sua *Sinica*, tanto promissa strepitu, ope characterum Chinesium (quorum lectionem facile, & facilius quam ullius alius scripturæ, expediendam in se susceperat,) mulierculas etiam & pueros, intra paucos dies, se docturum spondit, ut nihil non integrorum contextuum, ex quibuslibet libris, aliisque congrue scriptis chartis, non Sinice quidem, sed Latine vel Germanice, vel Anglice, vel Gallice, vel Belgice, vel alias, legant. Verum & Clavis Sinica, & quicquid una cum ea promissum est, in fumum abiit, foco nimirum ab ipsomet Auctore moribundo injecta. Et sane, qui linguam universalem moliantur, in vanum omnes videntur laborare: nam lingua ab uno homine confecta, utut speciosa & in rationibus philosophicis fundata, nullum habet usum, nisi impetrari consensus possit. Imo & in characteribus excogitandis nemo hactenus ita felix fuit, ut ab aliis receptos suos viderit. Possibilem iterea scripturam istiusmodi universalem esse, recte *Becmannus* judicat, l. sæpius cit. idque liquere ait: I. ex characteribus Chynicis, Astronomicis, Musicis, Arithmeticis, &c. quæ ab omnibus Europæis aequè intelliguntur, licet diversis pro varietate linguarum verbis expressi. II. Ex Chinesium characteribus, quem Chineses, Corcari, Japonii, Tonchineses & Conchineses aequè intelligunt, licet communi sermone non participant. III. Quia gentes, licet verbis discrepent, conceptu rerum tamen consentiunt: si igitur & characteribus consenserint, qui res & conceptus, non autem verba, designet, non dubium est, quin, quod scribitur eo, omnes aequè intellecturae sint.

6 Arti Scriptoriæ respondet *Typographia*, a Germanis inventa, quicquid contradicant Batavi, quorum causam *Marcus Zucrius Boxhornius* Dissert. singulari egit, Lugdun. Batav. An. 1640. in 4. edita, sed quos injuste ejus inventionem sibi vindicare luculentis demonstrat argumentis *Gabr. Naudæus*, in Additionibus ad *Historiam Ludovici XI.* Gallice scriptis, cap. 7. Paris. 1630. in 8. Idem agit singulari libro *Bernh. a Mallincrot* de ortu & progressu artis Typographicæ, Colon. Agr. 1640. in 4. Neque invident Germanis eam gloriam *Cl. Molinettus* in sua de *Fatis Literarum Historia*, supra jam a nobis laudata, qui, e præfatione *Epistolarum Hieronymi*, Romæ 1467. impressarum, producit quædam, ut Germanos, non Belgas sanctæ, quam vocat, artis inventores probet. *Joh. de la Caille*, typographus & bibliopola Parisinus, qui suæ arti illustrandæ integrum librum 1689. in 4. vernaculo sermone dedit, inscripsitque: *Histoire de l'Imprimerie & de la Librairie*: æque ac *Molinettus*, *Joh. Gutenbergium*, Argentoratensem, (non *Laur. Custerum*, neque *Joh. Mentelium*, quod aliis eruditorum videtur) primum typographiæ inventorem tradit. Ut jam taceamus *Adr. Bailletum*, qui T. II. P. I. suorum *Judiciorum* (*Jugemens de Scavans*) Germanis eandem laudatissimam artem acceptam fert, quanquam ejus expolitionem aliis nationibus tribui debere mox addat: & *Joh. Mabillonium*, qui T. I. *Musæi Italici*, ex *Joh. Alerienensis* epistola ad *Paulum II.* probat, *Conradum* & *Arnoldum* Germanos primos artem typographicam Romam invexisse: expleto sic *Cardinalis Nic. Cusani* voto, qui
id,

id, referente Molineto, unice semper optarat. (d) Certe omnibus elogiis atque panegyricis digna illa ars est, quam præfiguraram in Apocalypsi credidit Mich. STIFELIUS, celeberrimus sui temporis Arithmeticus, sub specie equi, cui insidebat ille,

Zz zz 2

cui

- (d) De Typographiæ Historia, præter allegatos h. l. Autores, consuli merentur: 1. Matthæi Judicis (qui unus fuit e Censuratoriis Magdeburgensibus) *Liber de Typographiæ inventionè, & de prætorum legitima Inspectione*, Hassia: An. 1566. in 8vo editus; 2. Andr. Rivini, Professoris Lipsiensis, Panegyrica Declamatio, qua artis Typographiæ Initia, Progressus, Nobilitas & Utilitas summa, celebrantur, Scopuli Abusuum devitandi indicantur, atque ipsa Germanis suis Auctoribus, ab Exterorum Criminibus, & subrum quoque Falsariorum Injuriis vindicatur, Lipsiæ An. 1640. habita, & cum Notis Parallelis, in 4to excusa; 3. Henr. Salmuthi, Syndici Ambergensis, Commentarius ad Guil. Pancirolli Rerum Memorabilium, Depeditarum, vel recens inventarum, Partis II. Tit. XII & Appendix peculiaris, sub finem Partis II. (pag. 310. 311. 312. Edit. Francof. An. 1646.) adjecta; 4. Andrea Chevillier, Doctoris & Bibliothecarii Sorbonici, *L'Origine de l'Imprimerie de Paris; Dissertation Historique & Critique divisée en quatre parties*, Paris 1695. in 4to, ut defectus, in Joh. Caillii Scripto ejusdem argumenti, h. l. memorato obvii, supplerentur, publicata. Qui uti Germanorum Causam contra Batavos, eorumque Patronos, Boxhornium (h. l. allegatum,) Haadr. Junium (Cap. 17. *Batavia*) & Pet. Scriverium (in Comm. peculiar. quem laudat, ac simul Elegos ejus Scanzontesque, pro Harlemensibus scriptos, recitat Gotfr. Hegenitius in *Itinerario Frisio-Hollandico*, pag. 89-97.) itidem masculine agunt, ita dolendum, inter ipsos Germanos, de Artis hujus inventionè, dissidium ab Argentinesibus esse excitatum, qui non contenti Civi eam suo, Johanni Guttenbergio, Typographo Moguntino, omnium ferme tribui consensu, ut ipsi etiam Urbi suæ eandem, Moguntia erectam, vindicarent, Joh. Mentelium, primum ejus Typographum, in Guttenbergii locum substituere non dubitarunt. Vid. hanc in rem D. Joh. Schmidii, Theologi Argentinesis, Sermonem Sacram Eucharisticum de Typographia, Argentorati An. 1440. inventa, Vernaculum, cum adjuncta Joh. Henr. Bœcleri Or. seculari de Typographiæ, Argentorati inventæ divinitate & fatis (inter Orationes etiam Bœclerianas, *num. XI. pag. 323-344.* obvia,) illic An. 1641. in 4to. excusum, & Jac. Mentelii, Profess. Medici Parisiensis (qui ab Argentinesi illo Mentelio genus suum derivabat,) Paranesin ad Bernh. a Mallincrot, de vera Typographiæ Origine, Parisiis An. 1650. in 4to editam. Verum solide, & istis Argentinesium Patronis, & Henr. Salmutho, inventionis gloriam soli Johanni Faustò vindicanti, Guttenbergium autem ab ea excludenti, haud ita pridem est responsam a Viro Celeb. Willh. Ern. Tenzelio, Ducum Saxonie Historico im Discours von Erfindung der löblichen Buchdruckerkunst in Deutschland, bey Gelegenheit ihres anscheinenden dritten Jubel-Jahrs entworfen, qui Gothæ Thuringorum An. 1700. in 12mo prodiit. Librorum, primo post Inventionem Semisæculo, ad A. usque *Æra* Chr. 1500. Artis hujus beneficio, Juris factorum publici, Catalogos exhibuerunt, e Bibliotheca Noribergensi Joh. Saubertus Seniqr, in illius Historia (Norib. 1643. in 12.) e Regia Parisiensi Phil. Labbeus, in Nova Bibliothecæ Librorum MSSorum, sive Speciminis Antiquarum lectionum quadripartiti, Parisiis An. 1653. in 4to editi, Supplemento IX. ex Augustana vero Publica Ant. Reiferus, in peculiari Indicis Codicum il-

cui nomen erat, *Verbum Dei*. In libro illo Germanica lingua edito, sub titulo: *Eine sehr wunderbare Wörterechnung samt einigen Merckzahlen Danielis und der Offenbarung Johannis 1553. Regiomonti*. Operosissime auctor numeros Propheticos per literas Latinas explicans mirabiles inde sensus elicit, quibus ipse mysterii vim inesse persuasus est. Neque sane absque labore & ingenio illa perfici potuere. Ceterum est, quæ ut alias artes plures, ita typographiam quoque multis, antequam Europæis innotuisset, sæculis a se usurpatam jactat, Asiatica Serum sive Sinarum gens. Certe mille & quingentis annis eam apud illos esse antiquiorem I. Vossius capite de Artibus & Scientiis Sinarum, quod est Variar. Obs. XIV., refert. Neque vero cum nostra eadem omnino est. *Seres*, ait Vossius, *non uti apud nos fieri solent, singulos suos characteres separatis exprimunt formis: hoc enim apud illos commode fieri non potest, propter immensam characterum multitudinem: sed singulas pagellas singulis insculpunt tabellis ligneis, haud multum ab simili ratione, ac apud nos imagines æri aut ligno insculpuntur, que postea committuntur prælo. Hoc pacto efficiunt, ut vili pretio, minimo labore, & brevissimo tempore, quorumvis librorum editionem absolvant.* Dispar igitur apud utroque artificium: Europæorum sine dubio longe majus magisque ingeniosum, quicquid contradicat Vossius: quanquam Sinense forsitan facilius fortunæ lusus evitet, & laboriosum multo minus sit. *Siquidem non multa, uti nos, simul excidunt exemplaria, sed, si emptor accesserit, sumtis tabellis, inque atramento suo librario tinctis, & interposita singulis tabellis chartæ fascia, centum vel plures aliquando pedes longâ, unius vel duarum horarum spatio perficiunt editionem voluminis, quod, exemptis tabellis, ita complanatas habet oras, quantam vix habeant nostri, qui cultris circumciduntur, libri.* Hæc iterum Vossius ingens Serum admirator: qui hac una ratione optime typographorum jacturæ consiliî posse putat; cum nostri nimis impensis haud raro bona omnia perdant, vana spe & inanibus promissis confisi. Addit insuper, imitatos complures compendiosam Sinensium typographiam, frustra tamen fuisse, quod seu atramenti, sive chartæ minus bibulæ, culpa factum sit. Possent forte concinnius minutis linguarum Europæarum characteribus, quæ ligno affabre insculpi vix possunt, culpa tribui. Sed quicquid demum ejus sit, non sane tam e re orbis literati est, ut compendiose, quam ut emendate, libri publicis typis excribantur: cum contra videas nihil minus vulgo in officinis typographicis attendi. Conquestus jam olim de illa typographorum, sive ignorantia, seu avaritia, Henr. Stephanus in epistola ad quosdam amicos est, quam suæ de Vitis Stephanorum Dissertationi Theod. Almelovenius subjecit: longe gravius adhuc in Querimonia Artis Typographicæ, ibidem reperiunda stomachatus. Nempe correctioni typorum adhiberi viros, qui vix tria verba Latina, totidemque Græca, norint; & his nobilissimos quoque utriusque

lius MSSorum, Augustæ A. 1675. in 4to impressi, Appendice. Recentissimus omnium, idemque plenissimus, sed haud satis accuratus, est, quem ex indice Labbeano, aliisque, congestit, & sub *Incunabulorum Typographiæ* titulo, Amstelod. An. 1688. in 12. edidit, Corn. a Beughem; Bibliopola Einbricensis.

que linguae Scriptores committi: hoc vero nihil aliud esse, quam furiosis gladios in manus tradere, multa cum indignatione scribit Stephanus. Quid diceret, si hodie nostras officinas intraret? Longe aliter in domo patris Roberti Stephani, quem unum omnibus fere omnium aetatum typographis anteponas, res agebatur. Decemviratum is quendam literarium domi habuit, ex omnibus pene nationibus conflatum: horum praecipui correctorio munere fungebantur; ipse tamen revidit omnia, proprio & accurato studio libris a se editis consulturus: imitatus nimirum, sed & longo intervallo supergressus, Aldum, &, qui ante Aldum, vel eodem cum illo tempore, emendandis typis manum admovent Marcum Mufurum, Janum Lascarem, Demetrium Chalcocondylam, aliosque viros istorum temporum summos. Uti vero haec ad institutum nostrum nonnisi indirecte spectant, ita recensendis eruditus typographis non immorabimur. (e) Satis nota sunt nomina Jodoci Badii Ascensii; Mich. Vascofani; Sebast. Gryphii; Adr. Turnebi; Marmerti Patissonii; Guilielmi & Claudii Federici Morellorum; Adr. Wecheli, Christoph. Plantini, Johannis & Balth. Moretorum, trium Manutiorum, Franc. Raphelengii, Hub. Golzii, Andr. Turrisiani, qui socer Aldi fuit, & Federici, Adr. Filii, Philippi & Bernardi Juntarum, Dan. Bombergi: Joh. Frobenii, Joh. Oporini, Joh. Amersbachii, Hier. Commelini, aliorumque recentiorum, (ut sunt Cramoissii, Petiti, apud Anglos theatrum Scheldonianum; apud Batavos Elzevirii, Blavii &c.) qui nostros typographos penitus in ruborem dant: & utinam ita darent, ut de emendatione solliciti imitandos, ut Batavi sibi antiquos fumerent. Alia illorum querela est, qui tot futiles & nullius pretii libros obrudi mundo per typographos indignantur; certe neutiquam spernendi. Neque vero quis propterea damnandam artem egregiam censuerit: cum nihil tam bonum sit, cui non vitio hominum mali quid admisceatur. Legi ea de re meretur *Nicolaus Francus*, elegantis ingenii homo, sed qui ob Satyras tandem furcae supplicio periit, in tractatu Italico *Utile e Danno delle Stampe*.

C A P. III.

DE

LINGUA UNIVERSALI ET PRIMÆVA,
ALIAQUE DE LINGUIS GENERALIORA.

- §. 1. *An lingua olim Universalis exstiterit, & an ea fuerit Hebraea, Franc. Mers. Helmontii Delineatio Alphabeti Naturalis Hebraici explosa. 2. Joh. Webbius Chionensem primævam fuisse statuit, de cujus genio complurā afferuntur. 3. Georg. Stiernhelmii & Ol. Rudbeckius Succicam, Cl. Salmasius, M. Z. Boxhornius & Phil.*

Zz Zz 3

(e) Typographos Eruditos, *h. l.* enumeratos, aliosque plures, paulo fufius celebrat Bernh. a Mallincrot, Decanus Monasteriensis, in *Diff. de Artis Typographicae Ortu & Progressu*, cap. 14. 15. 16., p. 91-106.

Pbil. Cluvertius; hujus, aliarumque modernarum, Matrem, Scythicam sive Celticam. At Bohoritzii de Slavonica Liber commendatur. 4. In asserendo Belgica, sive Cimbrica, Primatu Conatus Abr. Mylii laude, Joh. autem Goropii Becani & Adr. Schrieckii risu & exsibilations digni. 5. Jac. Hugonis absurdi pro Latina, & in Roma Italiaeque Originibus vestigandis, Labores, similesque Joh. Pet. Erici, in primava Dignitate Linguae Graecae vindicanda. 6. De Besnierii Jesuita Reunione, quam vocat, Linguarum per Latinam, & Conatibus Variorum in Lingua universalis excogitanda frustraneis, judicatur. 7. Scriptores de Linguarum Natura & Attributis, in genere: Henr. Schævius, Ath. Kircherus, Ol. Borrichius. 8. Scriptores de Linguarum Harmonia, Thom. Hayne, Guilh. Lamplugh, Christ. Nirmuthanus, Georg. Crusiger, 9. Conr. Gesnerus, Sigism. Gelenius, Mer. Casaubonus, Steph. Skinnerus. 10. Scriptores Historie linguarum, Claud. Duretus, Edv. Brewod, Theod. Bibliander, Jos. Scaliger, &c.

Quemadmodum in superiori capite Auctores nonnullos recensuimus, qui characterem universalem ad intelligendas omnes totius universi linguas cogitanti sunt: ita eorundem nonnulli partim, partim & alii quidam cogitare ceperunt, annon aliqua analogia vocum ratione soni cum re significata naturalis sit, unde lingua naturalis vel existerit olim, vel investigari etiamnum denuo possit. Olim quidem universalem istiusmodi linguam existisse apud veteres adeo constanter creditum est, ut, observante Bocharto *Geograph. S. P. I. l. l. c. XV.* Eusebius & Josephus & cum his gentiles etiam Scriptores, Sibylla & Abydenus, pro certo tradiderint: quin & Plato tam persuasus ea de re erat, ut brutis quoque communem fuisse linguam illam fabularetur. Sed quanam tamen fuerit ea lingua, non una omnium mens est, aliis Hebraeam, aliis veterem aliam, aliis demum novam aliquam ex omnibus collectam, pro universalis lingua venditantibus. De Hebraica lingua primatu controversiam inter Philologos tantis conatibus agitatam non movebo. Notum est, multos magni nominis viros Hebraeam, qua scripti S. Codicis V. T. libri sunt, primam omnium asserere atque universalem; e quibus Bochartum & Buxtorffios nominasse sat est. Longius adhuc progressus FRANC. MERCURIUS HELMONTIUS in *Libello*, quem *Alphabeti vere naturalis Hebraici delineationem* inscripsit, Annoque 1657. Sulzbaci in 12mo edidit, demonstrare annisus est, Hebraeam linguam adeo esse naturalem, ut characteres ejus hominibus velut connati sint: & haec somnia sua ut evidentius ob oculos poneret, delineationem quasi anatomicam exhibet figurarum, quas organa loquelae destinata faciunt, cum sonus alicujus literae effertur; eamque figuram cum characteribus Hebraicis convenire vult. Verum & libellus ipse miris ineptiis, ac plus quam Cabbalisticis nugis refertus est, & imagines, quas incisas aeri adjecit, jure dicas *agroti veteris meditantis somnia mystica*. Neque vero vicissim desunt, quibus omne id displicet, quod de Hebraea lingua asseritur, & interiisse prorsus lingua prima hominis, eademque universalis, existimatur, ita ut nonnisi tenues reliquiae, hinc illinc e linguis super-

superstitibus hauriendæ, supersint. Gregorius Nyssenus in ea, quam supra allegavi, Or. XII. adversus Eunomium, Hebræam linguam demum in Ægypto singulari miraculo Dei natam, parum sane verisimiliter, credit: hinc & a Simonio desertus. JOS. SCALIGER *Epist. 362. ad Steph. Ubertum* Phœniciam potius appellandam censet linguam, quam Hebræam vulgo vocamus, quippe quam Abrahamus (transeuphratenfis dictus) a Phœnicibus didicerit: hos vero nativum linguæ primigeniæ florem atque nitorem etiam tum propter rarum exterarum gentium appulsam ad eos tractus (antequam Sidonii Tyriique maris imperium obtinerent, non exploratos) servasse integrum, Scaliger conjectat; cum in regione Assyriæ, in qua nata primi hominis lingua est, ob innumera gentium commercia, crebrasque imperiorum mutationes, florem istum diu retinere non potuisset. Falluntur itaque, qui hanc Scaligeri epistolam a vulgari opinione dissidere, & Hebrææ, qua scriptus est S. Codex, linguæ primigeniam vetustatem dubiam reddere suspicantur. Grotium vero, Capellum, aliosque plures viros doctos, id facere e Philologorum sacrorum libris abunde patet; quis litem istam dirimendam relinquimus.

Dum vero ad alios pergimus similis controversiæ tractatores; primo se nobis 2
JOHANNES WEBBE offert, Anglus homo, qui edito peculiari libro, Anglica lingua scripto, *Sinensium lingua primam antiquitatem adstructum* ivit: *Historical Essay, that the Language of China is the primitive language*, Lond. 1669. in 8. Argumenta ejus præcipua sunt, quod terra illa fuerit inhabitata ante exstructionem turris Babylo-nicæ: & quod ejus incolæ linguam suam, simplicissimam longe, semper pertinacissime servarint, peregrinis gentibus non immixti. Atque id verum omnino est; sunt enim nonnulla singularia ejus linguæ, quæ in aliis non deprehendas: tota enim lingua musica est, & ex accentu vario significationes suas sæpe accipit una aliqua vox; quæ ratio est, quod sit omnium difficillima. An vero hinc sequatur, omnium esse primam, aliis judicandum permitto. Certe prima hujus gentis exordia, æque ac ceterarum, fabulis permixta sunt, ut itaque argumentum illinc peti non possit. Potest & innata quædam genti alicui ad certum sonum inclinatio ita corrumpere linguam ex aliis deductam, ut ægre ejus origo appareat. Gutturales & nasales literæ dominantur in hac lingua (ut hoc obiter addamus), & secundum illarum pronuntiationem tota etiam lingua inflectenda est. Totam ejus fabricam ANDR. MÜLLERUS, ipse quamvis imperitus illius, demonstrare ac docere alios voluit, uti supra monitum jam est: ediditque *Inventum Brandeburgicum* atque *Propositionem ad Clavem suam Sinicam*; quo libello e Kirchero aliisque extraxit nonnulla, quæ ad eam linguam spectant.

Suedica seu *Scythica* potius antiquæ linguæ, (quam cum Suedica eandem facit) 3
primævam antiquitatem assertum ibat GEORGIUS STIERNHJELM, nobilis Suecus, vir in patria antiquitate versatissimus. Meditabatur ille, si diutius vixisset, *Ru-nam Sueticam*, magnum lexicon universale, quo demonstrare sibi proposuerat, linguam Scythicam omnium esse primam, reliquasque linguas ex hac una ortas, atque hujus esse dialectos. Equidem de toto opere judicium ferri non potest, cum nihil auctor publi-

publicarit, nisi synopsis quandam capitum, ideam magni operis proponentem, quam prout in manus meas venerat, ob argumenti dignitatem, & memoriam auctoris, totam meo *de lingua Germanica* commentario inferendam curavi: nec vero ipsum Opus absolutum est; neque etiam schedæ hujus argumenti post Stiernhelmii mortem inventæ digeri a quoquam potuere: potest tamen ex ejus Glossario Ulphilæ Gothicæ quod prodiit, & ad Gothicæ linguæ illustrationem non parum facit, multum ejus peritiæ hauriri. (f) Plura de hoc Auctore loco allegato videri possunt: ubi & OLAUS RUDBECKIUM, Virum clarissimum laudamus, qui in *Atlantica* sua, & quod istam securum est, *Lexico*, (g) antiquitates Sueo-Gothicæ linguæ & gentis summo studio persecutus est: superasse etiam censendus Stiernhelmium: cujus *dissertationem de Linguarum Origine*, aliamque *de Scandia, antiquorum Gothorum sede, contra Cluverium*, prodiisse ex aliorum allegatione comperimus. Quæ Suericæ proxime accedit Linguam *Runicam* variis scriptis OLAUS WORMIUS illustravit: editis *Monumentis Danicis, & Literatura Runica*, (h) *una cum Lexico ejus linguæ*, adjecta quoque *dissertatione de prisca Danorum Poësi: Hafn. 1651. in fol.* Verum Sueci controversiam illi movent, ac si plurima a Sueco quodam, Joh. Buræo, habuerit, quæ ad ejus libri structuram pertinent. Magna enim est apud Suecos copia lapidum sepulchralium, quibus illi characteres inscripti sunt; in quibus interpretandis & in lucem protrahendis diligen-

(f) Runæ Georg. Stiernhelmii Sueticæ Synopsis verbotenus Tractatui suo de Lingua & Poësi Germanica Vernaculo, Kilonii A. 1682. edito, P. I. c. 1. p. 11-18. Morhofius noster inseruit. Glossarium Ulphilano-Gothicum ejusdem Auctoris ab eo cum ipsa Ulphilæ Versione IV. Evangeliorum Gothica, Holmiæ An. 1671. in 4. est editum, Diss. autem de linguarum Origine eidem Ulphilæ Editioni, Præfationis instar, præfixa. Anti-Cluverius, seu Tractatus, Gentis Gothicæ Originem, & antiquissimam in Scandia Sedem, contra Phil. Cluverii Germaniam Antiquam vindicans, tum adjecta Diss. de Hyperboreis, post mortem demum Stiernhelmii Auctoris, Holmiæ A. 1685. in 8vo prodiit, & in *Actis Erud. Lips. M. Jan. A. 1686. p. 32. 33.* fufius est recensitus. De hiis aliisque Viri illius Eruditi Laboribus, editis atque ineditis, V. Joh. Schefferi *Sueciam Literarum p. 178. 179. 180.* & nostra ad illam *Hypomnemata* (in quibus etiam Hypothesin ejus, & Asseclarum, de Lingua Suecica musteam paucis notavimus) p. 401-404.

(g) *Lexicon*, quod Olao Rudbeckio b. l. Morhofius, sive interpolator Laborum ejus tribuit, *Lingua veteris Scytho Scandicæ*, ab eo quidem Upsaliæ A. 1691. est editum, sed Autorem agnoscit alium; Olam, sc. Verelium, Linguæ Gothicæ in Acad. Upsaliensi Professore, de quo, uti & ipso Rudbeckio *Atlantica*, Operis (cujus jam tres Tomi prodire) decantatissimi, Autore Inclyto, nec non utriusque nimio in gentem ac Linguam suam affectu, *Hypomnemata* nostra ad Scheff. p. 408-410. 413-423. de Collegio autem antiquitatum in Suecia Regio Prolegomena, univ. Septentrionis *Eruditi Bibliotheca* a nobis præmissa, §. 38. 53. possunt consuli.

(h) Quid de Suecorum contra Ol. Wormii de Literatura Runica labores, in quos multa e Joh. Buræi sui Scriptis similis Argumenti translata esse cum Rudbeckio opinantur, Criminationibus sit judicandum, in *Hypomni. ad Scheff. p. 378.* exposuimus.

diligentissima Suecæ natio est: cui fini peculiare etiam Collegium Antiquitatum & linguarum septentrionalium apud illos institutum est. Sane multa adhuc latere circa Scythicam magnam linguam, ejusque propagine Gothicam, Suecicam, Germanicam, eruenda, Viri doctissimi dudum agnovere. *Salmasius in Hellenistica P. II. c. 2. p. 366.* Græculorum inanem in jactitanda antiquitate fastum retundens, Nulla, inquit, *Europæ fere gens, nec Asia, quin a Septentrione promanaverit. Inde propagine profecta populorum, quibus Europa Asiæque pleræque partes constæ fuerunt. Scythia igitur, quæ ad septentrionem omnes ferme gentes evomuit cum suis linguis, quæ Europam & Asiam inundarunt. Ut autem vastissimâ illa Scytharum regio fuit, & late porrecta ad Orientem & Occidentem, versus Meridiem eructando varias hinc in Europa, inde in Asia, produxit gentes.* Idem alibi prærogativam linguæ Germanicæ præ Græcæ & Latina passim, quod antiquitatem attinet, concedit, a doctissimo Joh. Elichmanno suo, ut videtur, multis rationibus, linguarumque ostensis cognationibus, persuasus. Hinc illi Σκῦθης, Γέρης & Γότθος idem est: homonymi quoque Δόλοι, Δόλοι, Δόσαι, Δόκοι, & postremo Dani, existimantur. Eodem tempore MARC. BOXHORNII simile quid de lingua Scythica in animo habens, quale Salmasio in mentem venerat, antiquitatem ejus & primatum integris libris asserere moliebatur. Verum immortalis labori est; comparuitque post ejus obitum imperfectus *Originum Gallicarum liber*, cui additum fuit *Lexicon antiquæ Linguae Britannicæ, Britannico-Latinum*: editus est Amstelod. 1654. in 4. & habet utriusque multa præclara magni Operis initia: repetuntur ibi etiam, quæ libellis peculiaribus antea editis seorsim Boxhornius tractaverat: ut in libello de Dea Nehalena, cujus simulacrum aliquo in loco effossum nonnullorum quæstionibus de vetustate linguæ antiquæ Scythicæ ansam dedit. Edidit præterea *dissertatiunculam de Græcorum, Romanorum & Germanorum linguis, earumque symphonia*, Mallincrotio, Harsdcerffero & Buchnero, inscriptam, quæ addita est Grammaticæ Regiæ, quæ pro Regina Sueciæ, Christina, a Johanne Matthia, Episc. Strengnensi, edita est Lugd. Bat. 1650. in 12. sed syllabus ille vocabulorum harmonicus occurrit & in Originibus Gallicis. Gallicas autem Origines librum illum Boxhornius vocavit ob Celtas, antiquos Galliæ populos, e Scytharum propagine oriundos; & quorum ramus cum lingua in Belgium quoque penetravit. Scripsit de convenientia præsci Gallorum sermonis cum Phœnicum lingua Caput, vir omnes fere alios in hoc eruditionis genere supergressus, SAMUEL BOCHARTUS, Geographiæ suæ Sacræ P. II. l. 1. i. insertum, p. 47. in quo e nominibus Deorum, dignitatum, officiorum, rerum bellicarum, vestium, animalium, plantarum, Geographicis tandem chorographicisque vocabulis, istam cognationem magno vastæ doctrinæ apparatu ostendit, simul data occasione vocum Anglicarum, Germanicarum, Suecicarum, analogiam addens. Multum quoque illi Celticæ linguæ PHIL. CLUVERIUS tribuit *German. Antiq.* lib. I. eamque per maximam Europæ partem, Hispaniam nempe, Germaniam, Galliam, insulasque Britannicas & Illyricum, longe lateque diffusam fuisse, integris aliquot prolixis capitibus demonstrare nititur. Quod dum refert *Lambecius l. 1. Biblioth. Vindob. p. 92.* simul se de illa re ex professo in Prolegomenis Annalium Austriacorum acturum spon-

der: neque solum, quæ ex Tacito aliisque auctoribus colligi loca possint, sedulo congesturum, verum & quæ a Cluverio, ut & a Wolfg. Lazior de Migr. Gent. l. IV. a Conr. Gesnero in Mithridate, aliisque recentioribus auctoribus, eo de argumento scripta sint, accurate examinaturum. Uti vero spes omnis de justo Lambecii Opere cum tot aliis penitus dudum decollavit: ita contenti simus oportet Auctore, quem ipse in antecessum laudat, ut ad hanc materiam solide pertractandam plurimum profuturum: nimirum ADAMI BOHORICI *Arcticis Horulis succiswis de Latino-Carniolana literatura, ad Latine lingue analogiam accommodata; Witteb. 1584. in 8. editis*: hoc enim libello, tanquam lingue Slavonicæ Grammatica, non tantum Moscoviticæ, Rutenicæ, Polonicæ, Bohemicæ & Lusaticæ lingue cum Dalmatica & Croatica cognationem indicari memorat: sed & ipsam orthographiam, tam Cyrillicam seu Moscoviticam (qua, præter Janizaros Bosnenses, Ruteni atque Moscovitæ utuntur), quam Glagoviticam seu Croaticam synopticis aliquot tabellis comprehendit.

4. Enimvero, ne nimis evager, nunc in orbitam redeundum est, & quicquid de antiquitate lingue Scythicæ Celticæve dictum hæctenus fuit, cum A B R A H A M O MYLIO, viro doctissimo, ita intelligendum, ut Hebrææ cedat. Habemus viri hujus *de Lingue Belgicæ cum aliis linguis communitate* librum magna cura elaboratum, editumque *Lugd. Bat. 1612. in 4.* in quo de antiquitate lingue istius, ejus convenientia tum Latina, Græca, Persica; deque illius convenientiæ causis: tum de lingue Belgicæ origine, & latissima per nationes quamplurimas diffusionem, erudite & cum judicio agit: argumentisque, ut mihi quidem videtur, solidis, lingue illius prærogativam præ Latina & Græca sufficientissime demonstrat. Editi præterea sunt aliquot istius Auctoris libri posthumi *de Migratione populorum, & Origine Animalium*; sed imperfecti in 12. Non ita sobrie eruditeve rem pertractarunt JOH. GOROPHUS BECANUS; & ADRIANUS SCHRIECKIUS, Rodornius. De illo Scaliger dicebat, mirari se, esse homines, qui quicquid somniarènt, pro oraculis haberi vellent. Et sane hæud immerito. Namque is novam plane atque inauditam hæctenus, simul tamen & ridiculam omnino sententiam nugacemque, protulit de primatu lingue Cimbricæ (ita enim Belgicam suam vocat), a qua & Hebræam, & linguas omnes ceteras, defluxisse existimat. Fateor, aliquis huic viro fuit in illo argumento sensus: nam antiquitas istius lingue, ut omnis Germanicæ, Græca & Latina superior est: sed in rationibus & in causis hujus sui argumenti deducendis enthusiastæ plane & fanaticus est. Mirabiles ac ridendæ occurrunt apud ipsum ineptiæ, sæpe ultra cabalisticas Rabbiorum subtilitates argutæ: cujus exemplum est, cum de vocibus Mann & Nam philosophatur, quasi scilicet in ipso hominis nomine Cimbrico æterni quoque τὸ νόμος nomen sit reconditum: sed infinita apud illum sunt talia, quæ admiratores aliquos, plures derisores, inveniunt. Non negari tamen potest, primum illum venisse in has cogitationes non omni sui parte absurdas: ac habentur apud illum argumenta pro antiquitate lingue Germanicæ non contemnenda. Sed ineptias viri non probo; qualis illa est; cum

cum ex alphabeto suo Hebraico, e Cimbrica tamen lingua confusato, concinnat cujusdam orationis genus, qua Deo commendat præceptor suos discipulos. Hisce talibus argutiis ille totos libros implet; queis si quis indulgere veñit, omnium linguarum cognationem facile ostendet, & omnium inter se vocum affinitatem demonstrabit. Si enim licitum est, pro lubitu voces contrahere, divellere, ac analogismos & composita fingere, ex albo atrum, & ex atro album efficiemus. Libri, quos edidit eam in rem Becanus, vasti in folio sunt, impressique Antwerpiae omnes 1569. & 1580. *Origines Antwerpianæ: Hieroglyphica, Hermathene, Vertumnus, Gallica, Francica, Hispanica, Indo-Scythica*: Videatur de iis judicium *Scaligeri ad Velsærum Epist. 146.* & *Justi Lipsii Epist. 44. Centur. III. ad Belgas.* Goropio Becano aliquanto sanior est, quem comitem supra illi addebamus, ADR. SCHRIECKIUS. Is Hebræam quidem linguam primigeniam agnoscit, & in Becanum aliter sentientem invehitur: sed ipse nescio quam cerebrinam linguam Hebræam comminiscitur, cujus cum Celtica, ut prima ejus propagine, convenientiam ineptis allusionibus, quæ Becanianis nihil stultitia concedunt, passim jactat: ex Celtica vero illa omnium linguarum, populorum ac nationum, primordia deducit. Scripsit *Originum Celticarum libros XXIII. Paris-Flandria editos 1614. in fol.* in quibus, si originationes ineptas segreges, bona multa sunt: Post *Origines Monitoria* concinnavit *prima & secunda, ibid. 1615.* luci exposita.

Major adhuc longe infania est JACOBI HUGONIS, Belgæ Insulensis, 5 qui librum scripsit ultra omnia Becaniana & Schrieckiana deliria absurdum, cui titulum fecit magni apparatus & pompæ: *Vera historia Romana, seu Origines Italiae ac Romæ, ad hunc diem ignota. (i)* At vero *μετὰ πολλῆς Φαντασίας* in hoc famæ theatrum irruens istud Horatianum, si quis alius, lectoribus occinendum meret: *Spectatum admitti risum teneatis amici.* Quantum enim est in titulo venditare originem Latii, Italiae, Romæ, ante hanc diem ignotam, e tenebris longæ vetustatis in lucem productam: quasi primordia Europæ & Latii primævi Annales demonstrarit? cum interim nihil aliud agat, quam quod Latinam linguam facit Japheticam & generales aliquas sibi syllabas fingit, unde phrenetica quadam licentia voces Hebræas, Græcas, Latinasque deducit; ut mirum sit, in tantas ineptias hominem sanæ mentis incidere potuisse: multa ibi de Japheti in Italiam adventu, multa de Æneæ ac Trojanorum appulsi in typum facit. Verum ipse titulus, & imagines Operi præfixæ, ostendunt argumenti absurditatem. Nihilominus, ut eo illustrius esset scriptum, ipsimet Pontifici Romæ, Alexandro VII. nuncupatum, Romæ A. 1655. in fol. prodit. Bene tamen Censores addiderunt, rerum, quæ in illo libro tractantur, fidem penes ipsum Auctorem esse debere. Non felicius in asserendo Græcæ linguæ radicali

(i) Jac. Hugonis Etymologias ineptissimas, Nugasque reliquas Historico-Typicas, quas non sani esse hominis non Janus jurex Orestes, fufius recensuit, & prout par erat, explosit, Eberh. Rud. Rohltius, Gymnasii patrii Ulmenfis Professor, in Diss. peculiari de Bello Trojano, illi opposita, ac Jenæ A. 1672. edita. Conf. de iisdem Matth. Zimmermanni *Analecta Menstrua M. I. num. 34. p. 41. 42. 43.*

primatu fuit JOH. PET. ERICUS, cujus jam supra mentio aliqua injecta est, in *Principio Philologico*. (k) Quis enim ferat hominem Mosis nomen ἀπὸ τῆς μέγας deducentem: quasi, ob tuberculos in fronte prominentes, sic dictus sit; & hinc occasionem captarit Aaron, in Mosis absentia, vitulum erigendi? Quis Adamum quasi ἀδάμων, peregrinantem atque e Paradiso exulem, vocatum: Cainum ab αἰνεαὸς, leguminum genere Deo oblato, dictum, etiam somnians sibi imaginari queat? Interim sibi multum placet Auctor, & grandi Opere de omnium vocabulorum Europæorum originibus idem se demonstraturum minatur.

6 Aliam, sed prudentiorem viam, in eligenda præ cæteris Latina lingua trivit BESNIERIUS quidam, Jesuita Gallus, qui vernacula sua lingua tractatum scripsit, cui titulus: *La reunion des langues: ou l'art de les apprendre tous par une seule* 1647. in 12. Duxit in hoc opusculo lineamenta quædam magni Operis, quo, prout sub una lingua omnes disci possint, monstrare moliebatur. Elegit vero Latinam linguam pro regula omnium reliquarum: principia posuit solum generalissima, specialiora secum retinuit; quæ si secundum sua principia adornare vellet, perfectissimam habere deberet omnium gentium æque & linguarum notitiam, quæ an in unum hominem cadere possit, judicent alii. Ego certe, uti regulas ejus & principia spernenda non duco, sed satis ingeniose excogitata existimo; ita tamen an res perfici possit ipso exercitio, de eo dubitare ausim. Possunt utique principia mutationum in linguis ratione dialectorum, ratione temporum, ratione vocalium & consonantium, denique ratione organorum, quasi in idea proponi, & posita dudum ab aliis sunt: ast vero ad individua & ad praxin ipsam descendere hoc opus, hic labor est. Præterea vix credo, linguam Latinam huic negotio aptam esse, ut quæ omnium linguarum una cum Græca artificiosissima est, & a naturali via recedit. Facilis vero redderetur hac ratione, si quidem Besnierii aliisque similis conatus procederet, via ad universalem linguam, cujus reductionem aliquando futuram *Phil. Cluverius in Germania antiqua* sperat: & de qua sua exponit desideria J. AMOSUS COMENIUS in *Via Lucis*: ubi de universalibus libris, universali schola & universali lingua, multa habentur. Promisit & PETRUS BORELLUS in Catalogo operum edendorum, quem addidit *libro de Antiquitatibus Gallicis*, Gallice Paris. 1667. in 4. scripto, *tractatum de Lingua universali*: a quo tamen, si e ceteris ejus scriptis augurari licet, non admodum præclara possunt sperari.

7 Ægre, ut jam semel monuimus, a quoquam homine tale quid expectari potest: frustranei potius sunt conatus omnes. Non vero eorum æque, qui vel generaliter

(k) Plures ineptias Philologicas Joh. Petri Erici, Henacensis Thuringi, Ling. & Geogr. Prof. Patavini, dum de Primo Signorum, Punctorum, Literarum, Numerorum ac Linguarum, ortu, tum de vocum omnium Europæarum, imo & Hebræarum, aliarumque, e Græciæ Originibus, ex *Principio* ejus *Philologico* e *Mysterio renato*, Majoris operis prodromo Patavii A. 1686. in 8vo edito, excerptas, exemplisque plane ridiculis illustratas, invenies in *Actis Erud. Lipsiensibus*, Mens. Jul. A. 1686. p. 327 - 330.

liter de linguis agunt, earumque naturam examinant: vel historiam earundem exponunt: vel harmoniam. HENR. SCHÆVIUS, Vir doctissimus, Professor quondam Gymnasii Stetinensis, primus ex iis, qui de linguis generatim egere, prodeat: Scripsit nimirum *Dissertationes Philologicas de origine linguarum & quibusdam earum attributis; Stetin. in 4.* qui liber rarior est, cum pauca ejus exemplaria excusa sint. Decem vero dissertationes de hoc argumento sunt, selectæ omnes, & cum cura expensæ. Erat enim Vir ingeniosissimus, & in his rebus accurate doctus. Dissertationibus Schævianis brevem addimus dissertatiunculam, sed doctam & argutam, viri eruditissimi OLAI BORRICHII, Medici Hafniensis, *de causis diversitatis linguarum*, Hafn. in 4. 1675. editam: in qua de causis linguarum ex ipsa earundem natura, ex conformatione organorum, & natura gentium, judicat. Non æque felix ATHAN. KIRCHERUS operosum pro more suo de hoc argumento librum conscripsit, inscripsitque *Turrim Babel*, in fol. 1679. plenum iconibus: sed in quo parum invenias, quod ad rem ipsam pertinet. Nam historia linguarum satis tenuiter tractatur, cum tractari hoc loco quam copiosissime deberet. De lingua Germanica, ut hoc exempli loco proferam, non satis sincerum fert iudicium, & ~~per~~ vias novas aperit, ubi non habuit antecessores.

THOMAS HAYNE, Oxoniensis Anglus, scripsit *de Linguarum Harmonia*, 8 seu de lingua in genere, & de variarum linguarum cognatione, dissertationes, Lond. 1648. in 8. editas: quo ille libello per propositiones certas argumentum hoc tractat, & principia nonnunquam ponit, secundum quæ instituenda sit illa linguarum inter se cognatio, derivatio, mutatio, in quarum causis invenendis admodum diligens ille Auctor est. Consilium ejus est, lexicon aliquod harmonicum universale instituere, cujus adornandi præcepta tradit; illudque commendat in pleniorum linguæ Hebræicæ cognitionem, quippe cui primatum absque ulla hæsitacione defert. Non damno viri institutum, cujus utilitates multas ipse recenset: in primis usui est in originacionibus correctioribus. Verum quod ad pleniorum linguæ Hebræicæ cognitionem talem operam requirat, in eo videtur aliquantulum suæ opinioni indulgere. Testatur inter alia idem Vir doctus, asservari in Bibliotheca Oxoniensi MSS. Opus *Guilielmi Lamplugh*, Angli, quo vocabula Latina, Græca, Anglica, cum Hebræicis vocibus conferantur. Scripsit ante Haynium tale *Dictionarium Harmonicum*, Francof. 1625. fol. impressum CHRISTIANUS NIRMUTHANUS, in quo harmoniam linguæ Latinæ cum Græca, Gallica & Italica, ostendit, & in præfatione operis utilissimas regulas subministrat de mutatione & permutatione literarum. Simile institutum tenuit GEORGIUS CRUCIGER, qui *Harmoniam Græcæ, Latinæ & Germanicæ linguæ* edidit, vocibus per tabularum schematicos dispositis, quod molem libri vehementer auget. Editus est ille liber Francof. 1616. fol. eam solum ob causam scriptus, ut ostenderet Auctor, linguas illas ab Hebræa derivari: quod ut efficiat, mire torquet tum Hebræas, tum aliarum linguarum voces.

9 Longe minor, quoad molem libri, *Mithridates*, CONR. GESNERI est, in quo de differentiis linguarum agit, tum veterum, tum earum, quæ hodie apud nationes diversas in toto terrarum orbe in usu sunt. Nimirum ut in omni studiorum genere se exseruit. Viri hujus diligentia, ita in hoc quoque doctrinam suam & industriam ostendit. Libellus exiguus est, & pauca solum de illo argumento delibatur, cum nimis vastum sit de differentiis omnium linguarum differere: est tamen elegans variarum observationum eam in rem factarum, quasi tot nucleorum, collectio. Editio prima prodit Tiguri 1555. in 8. post id tempus auctior variis exemplis, & quibusdam notis, in lucem emissâ per Casp. Waserum. Gesnero alium addimus æque celebrem superioris seculi Virum, SIGISMUNDUM GELENIUM, qui præter alia, queis innotuit orbi erudito, *Lexicon*, ut vocat, *Symphonicum*, Basil. 1537. in 4. edi curavit, in quo vocabulorum Latinorum, Germanicorum, Slavonicorum, cum Græcis concertum, labore sane utili, ostendit: operæque pretium est, tales vocum parallelismos instituere, quippe quod ad illarum originationes non parum conducit. Maxime vero commendari meret labor Gelenii ob linguam Slavonicam, cui multa insunt Græcæ & Latinæ affinita, prout Lambecius quoque loco supra citato annotavit. Ut vero trium virorum eruditissimorum in hac palæstra occupatorum compleam, MERICUM CAUSAUBONUM, Isaaci F. præcedentibus duobus adiungo. Is *commentationem de IV. linguis, Hebraica, Græca, Latina & Saxonica*, orsus, *primam ejus partem edidit de lingua Hebraea & Saxonica Lond. 1650. in 8.* Multa ibi sunt elegantia atque curiosa: multa quæ ad historiam utriusque linguæ pertinent: monstratur & Saxonice cum Græca cognatio perpetuo quodam vocabulario deducta. Errat tamen Auctor doctissimus, cum e Græca Saxonice linguam deducendam putat: lingua enim illa vetus Anglica Saxonum Germanica genuina est: hæc vero prima Scythicæ soboles, quæ originem Græcæ & Latinæ dedit: qua de re supra jam actum est. Taceo nunc STEPH. SKINNERI *Etymologicon Anglicanæ linguæ*, Londin. 1671. fol. publicatum, in quo Auctor XII. linguarum, maxime septentrionalium & occidentalium, parallelismum instituit: sed qui, licet magna de hoc suo labore polliceatur, nihil minus quam veras Anglicanarum vocum etymologias atque adeo scopum suum assecutus est.

10 Ab harmonia linguarum ad earundem Historiam progredior: quam superficialiter solum attigisse Kircherum modo dixi. Prolixius atque data opera idem argumentum aggressus CLAUDIUS DURET in libro Gallico, quem inscripsit *Thresor de l' Histoire des langues de cet univers*: Coloniae 1613. in 4. impresso: de originibus, perfectione, mutatione, conversionibus & excidiis linguarum omnium se acturum promisit: & ea quidem diligentia linguas omnes, quarum historiam pertexit, in titulo enarravit, ut nec animalium nec avium linguas omiserit. Utilissima vero ex variis Auctoribus ea, quæ ad linguas spectant, uniuscujusque gentis collectanea sunt. Exhibentur & alphabeta varia, quæ tamen, an satis genuina sint, ambigō. Ceterum diligentia in eo Dureti libro laudanda; neminem enim novi, qui

qui parem industriam huic argumento adhibuerit: quanquam non desint, qui per compendium aliquid tentarint, ut EDU. BREREWOODUS in *Scrutinio Linguarum & Religionum* Francof. 1659. in 12. THEODORUS BIBLIANDER in libro *de ratione communi omnium Linguarum & literarum*: Tiguri 1548. edito in 4. Conferri etiam mere-
tur JOS. SCALIGER, tum in *Dissertatione de Fonum literis*, & epistola ad Steph. Uber-
tum, supra laudatis, tum in *Diatriba de Europæorum linguis*, quæ inter Opuscula Sca-
ligeriana, a Casaubono Paris. 1610. edita, comparet: brevissima illa, & quam bi-
næ aliæ, æque breves similisque argumenti, sequuntur: nempe *de Hodiernis Fran-
corum linguis*, & *de Literarum Pronunciatione*. Istud mirum, quod in prima diatriba
Scaliger quatuor Europæ matrices, ut ille vocat, majores, quæ per omnia inter se
discrepent, vocat Græcam, Latinam, Germanicam, Slavonicam, cum & prior & poste-
rior biga multum cognationis inter se habeant. Scaligero addendi *Joh. Christoph.
Becmannus* in *Historia Orbis P. I. c. 9. Christoph. Crinesius* in *Discursu de Confusio-
ne Linguarum*, Norib. 1629. vulgato: *Jo. Henr. Hottingerus* in *Smegmate Ori-
entali*. *Jo. Henr. Heideggerus*, *Exercit. XVI. de linguis & literis Patriarcharum*, Amstel.
1667. in 4. *Brianus Waltonus* in *Dissert. de Linguis Orientalibus*, Davent. 1658. in
12. *Chr. Besoldus* in *tractatu de Natura Populorum, & Linguarum ortu ac immuta-
tione*, Tubingæ 1623. in 4. *Henr. Kippingius* in *Exercitationibus Sacris*, aliique plu-
res. De linguis exoticis, earumque origine & mutatione doctè Wafius in præfa-
tione *Lexici sui Anglicani* differit: & inprimis eleganter succincteque, circa Bri-
tannorum & Gallorum linguas veteres ac hodiernas, idem argumentum tractat
Joh. Wallisius in *docta suæ Grammaticæ præfatione*.

CAP. IV.

DE LINGVIS VULGARIBUS
EUROPÆIS.

- §. 1. *Multiplex peritia Linguarum Exoticarum Utilitas.* 2. Πολυγλωττία singularis
Theod. Bibliandri, Bernh. Baldi, Jos. Scaligeri, & aliorum, miraculosa au-
tem Liburni peste laborantis, & Galli dormientis. 3. Lingua Germanicæ præ
aliis prærogativa, & Scriptores, qui supersunt, Vetustiores, Parænetici a Golda-
sto editi, Willeramus, Otfridus Weissenburgensis, Ulphilas, aliique Gothici & An-
glo-Saxonici superstites. 4. Cultura ejus incubuere jam olim Otfridus & ipse
Carolus M. Grammaticæ Vernaculæ Scriptor, post Literarum vero παλινγενε-
σιον Joh. Camerarius a Dalburg, Andr. Aithammerus & Jod. Willichius, quo-
rum Conatus e Græca eam derivandi improbat. 5. Mart. Lutherus, in *Lib.
de Nominibus Germanorum propriis*, de quo complura afferuntur, & *Conr. Gesne-
rus*, opus de iisdem peculiare molitus. 6. Recentiores alii, Origines ejus in Græca
itidem perperam vestigantes, & Joh. Claubergius, illis hac in re cordatior. 7. J.
G. Schottelius, Joh. Clajus, G. P. Harsdörfferus, Joh. Vorstius. 8. Lexica
&

& Glossaria Germanica Corn. Kiliani & Georg. Henischii edita, Marq. Frcheri, Franc. Pithei, Frid. Lindebrogii & Joh. Bernh. Zinzerlingi, affecta. 9. Glossariorum Exoticorum Scriptores, qui Germanica etiam Lingua illustranda inserviunt, enumerantur. 10. Lingua Gallica, & studii, quod ejus Cultura impenditur, laudes. Immodici ejus obelo notantur Eucomista, imprimis Ant. Verdier, & qui Latine matri eam pretulit, Joh. Lobouerius, a Slusio & Is. Vossio confutatus. 11. Gallorum Scriptores Etymologici, Joh. Picardus, Henr. Stephanus & Joach. Perionius, e Graeca Linguam suam perperam derivantes, & a Jos. Scaligero ac Casp. Barthio, Germanica Vindice, merito explosi, Joh. Is. Pontanus. 12. M. Z. Boxbornius, Car. du Fresne, Æg. Menagius, aliique e. Menagii Pref. enumerati. 13. De Menagii & Vauglassii Observationibus Grammaticis in L. Gall. Ant. Fureterii & Acad. Francia Lexici illius, & Scriptoribus ejusdem Criticis, saepe ineptientibus. 14. Jac. Houvelius Linguam Gallicam e Britannica, Joh. Henr. Ottius e Germanica, derivat. 15. De Grammaticis Gallicis, Scriptorum Gallicæ Vernaculorum multitudine & Nomenclatoribus, jactantiaque, Vitio illis familiari. 16. Italica Lingua Genus; Dictionarium ejus ab Academia della Crusca editum. Pauli Benii, in illa Graecæ Latinaque preferenda, stulta Jactantia, Hier. Rorarii Popularis verbis castigata. 17. Originum ejus Scriptores, Æg. Menagius & Oct. Ferrarius, Franc. Almann, Benej. Floretti & Aug. Mascardi, in illam merita. Scriptorum ejusdem Vernaculorum Nomenclatores. 18. Lingua Hispanica, e Gothica & Latina mixta, Genus, Originum ejus Illustratores, Scriptorumque Laudes. 19. Lingua Anglicæ Commendatio, & e Saxonica, aliis permista, ortus. Scriptores de illa Historici, Etymologici, Grammatici, Lexicographi. Poëta ejusdem potiores, horumque Vindices adversus Gallos.

Postquam ita de generalibus, quæ linguas & scripturam attinent, dictum est: ad ipsas nunc linguas speciatim pedem promovere congruum existimamus. Ubi quidem ab iis, quæ vulgares ac vivæ sunt, auspicabimur: de *Europæis* primo, tum & de *Asiaticis*, nonnihil dicturi.

Equidem utilitatem peritiæ linguarum exoticarum plurimam in quovis studio genere nemo temere negabit, nisi qui tot libris egregiis orbem literatum in maximum sui detrimentum carere æquo animo patierur: atque adeo simul culturam animi, magna sui parte hinc hauriendam, somnolenta nasusque ignavia contemnet. Certe non a politico homine solum, quod omnes largiuntur, istarum cognitio requiritur, sed & a Polyhistore, cui ob tantam librorum omnis generis farraginem linguæ utique tenendæ sunt. Quantum Philologo profint, ostendit *Freinsheimius* in comparatione versionum in quatuor priores libros Annalium Taciti, annexa *Specimini Paraphraseos Corneliana*. Theologo autem, in conferendis variis S. Scripturæ versionibus; in legendis meletematibus aliorum; in excolendo Historiæ Ecclesiasticæ studio, adeo non inutiles linguæ sunt; ut potius omnes ejus conatus mire juvent: quod plurimis magnorum virorum exemplis constat. Neque vero, ut omnes istas linguas loquatur Polyhistor opus est: dummodo intelligat scripta: alias enim major longe diligentia requi-

requiritur, otiumque, quod aliis studiis rectius poterat impendi. Ut autem linguas multas intelligas, res adeo difficilis non est, cum sint pleræque inter se cognatæ, & e Germanica Latinaque imprimis mistæ.

Superiore seculo THEODORUS BIBLIANDER, Helvetius, *Vir* (judice Mich. Neandro) *magnus sive doctrinam, seu linguarum multiplicium scientiam, sive literas spectes, sive plurimarum rerum cognitionem consideres*, adeo callens plurium linguarum erat, ut, in Comment. de Ratione Communi omnium linguarum & literarum, de se ipse scribat: *consecutum se gratia Dei O. M., cujus dono totum id adscribit, facultatem aliquam scribendi aut loquendi, aut certe judicandi de iis linguis, que totum terrarum orbem longe lateque possident.* Vid. Neandri epistola dedic. Erotematum L. Hebr. p. 10. sq. Helvetio Italus succedat insigni linguarum variarum peritia clarus, BERNHARDINUS BALDUS, quem Erythræus, in Pinacotheca I. p. 7. refert, præter Latinam atque Græcam, Hetruscamque vernaculam, adeo exacte Germanicam, Gallicam, Hispanicam & Illyricam, calluisse, ut eas non aliter, ac si vernacula quæque fuisset, loqueretur: non minus in Hebrææ, Chaldaicæ, Arabicæque cognitione pares paucos, superiorem forte neminem, habuisse: investigasse præterea veterem Siculorum atque Narbonensium linguam, & ea rhythmos plures juvenem composuisse: quin & Hetruscam veterem, ante tot secula sepultam, affectum tamen e paucis æneis tabulis, quæ ab Eugubino Senatu asservantur, non sine magna admiratione, restatur. Eadem linguarum ope inprimis etiam ad summum illud & stupendum eruditionis cacumen ascenderunt Scaligeri, Salmasius, Bochartus, aliique nonnulli. Prorsus autem singulare, atque ob id ipsum memorabile, est hominis cujusdam Liburni peste laborantis exemplum; quem, Narsete Italiæ Exarcha, Fulgoso refert, in domo Valeriani, Romæ, cum putaretur pene mortuus, statim ad se reversum vocato domino illi nunciasse, vere se in cælo fuisse, ibique intellexisse, quot & qui ex domo peste morituri essent, iisque nominatis affirmasse dominum supervicturum. Et, ut fides dictis haberetur, ostendisse se omnes linguas callere: atque ea ipsa hora cum domino Græce locutum, aliarum quoque linguarum cum his, qui earum notitiam habebant, periculum fecisse, cum ante solam Romanam didicisset. Et ubi biduum ita vixisset, correptum denuo, & in rabiem prope versum obiisse, secutosque illum, quos nominaverat, domino superstare. Hæc ex Fulgoso reperit, causasque naturales ejus rei indagat, licet non satis assequatur, Joh. Marcus Marci, in Philosophia Veteri restituta, P. III. p. 274. Simile exemplum ex Mottæo Vayero, in libro nostro *Method. c. 9.* relatam fuit de Gallo, qui dormiens omnes, etiam Indicas linguas loquebatur, quas vigilans omnino nescivit.

Age verò, ut propius accedamus, prodeat nunc e linguis primo loco GERMANICA, cujus tanta est antiquitas, ut certare cum Græca & Latina possit; ceteras vero, Italicam, Gallicam, Hispanicam, longe nobilitate antecedit. Et dolendum quidem est, adeo segniter linguam vernaculam a Germanis tractari, ut in tot

Scriptorum numero vix aliqui sint, qui origines intelligant. Inter vetusta Germanicæ linguæ monumenta numerandi sunt *Parænetici veteres*, a Melch. Goldasto editi, *Infulis* 1604. in 4. Tam bene nimirum (judice Conringio in præfat. ad Tacitum de Mor. Germ. quæ inter epistolas ab ipso relata est. p. 42.) editis antiquis Germanicæ monumentis, de patria meritis, ille vir est; ut absque dubio Athenienses illum in Prytaneo aluissent, si in illud ævum incidisset. Non adeo æquus Goldasto Scaliger est, qui laudat equidem veterum verborum Germanicorum apparatus, seque ex Paræneticis ab illo editis dictionarium quoddam earum vocum in suum privatum usum concinnasse memorat; mallet tamen, loco paræneticorum, quorum pretium nihili æstimat, vetera instrumenta publicasset Goldastus: e quibus nempe de nobilium familiis disci semper aliquid potuisset. *Vid. Excerpta Scaligeriana p. 95. & 154.* Perinent insuper ad antiquam Teutonum linguam libri aliquot sacri: qualis est Willeramii, Monachi Fuldenensis: Paraphrasis Cantici Canticorum, quam Paulus Merula Lugdun. Batav. 1598. in 8. edidit, e codice tamen mendosissimo, misereque interpolato, quod e Lambecio patet, qui Tom. II. Biblioth. Vindobon. p. 765. genuinum operis Willeramii exemplar, ipsiusque auctoris ævo scriptum, non solum asservari in Cæsarea Bibliotheca luculentus testis est, sed & amplum paraphraseos speciem una exhibet: notas vero in illam paraphrasin 1655. Luc. Batav. edidit Franc. Junius. OTTFRIDI *Weissenburgensis*, noni seculi Scriptoris, librum Evangeliorum ab Auctore (si Trithemio credimus) *Gratia Theotisca* inscriptum, Francoque rhythmo veteri descriptum, Basl. 1571. 2. sub *sicte Achilles Gassari nomine* publicavit Matth. Flacius *Illyricus* hoc titulo: *Evangelienbuch in alt Fränckischen Reymen durch Otffridum von Weissenburg, Münch zu S. Gallen, vor sieben hundert Jahr beschriben: jetzt aber in den Truck verfertiget.* Enimvero non hiulco solum & mendoso codice Flacius usus est, cujus lacunas Lambecius ex optimæ notæ Cæsareo codice supplevit lib. II. Biblioth. Vindob. n. 420. sed & multum alias cum Trithemio deceptus, deprehenditur. Neque enim Otffridus monachus S. Galli fuit, sed *Weissenburgensis*, quod Alsatia cœnobium est: nec unquam librum suum inscripsit *Gratiam Dei Theotisce*, seu, ut Trithemius habet, *Gratiam Theotiska*, sed *Volumen Evangeliorum*: neque etiam Opus istud versio Evangeliorum est, IV. libris absoluta; sed potius Harmonia quædam seu Diatessaron Evangeliorum, V. libris constans: quæ omnia observavit loc. cit. p. 419. Lambecius, exhibetque titulum, prout in vetustissimo MSS. Codice Vindobon. habetur, h. m. *Incipit Liber Evangeliorum primus, Domini gratia Theotisce conscriptus.* Addit, asservari in bibliotheca Cæsarea ejusdem Otffridi solutam Psalterii versionem: e qua Psalterium primum Lambecius p. 461. sq. una cum Oratione Dominica, sub finem codici annexa, exhibuit. Eo magis autem commemorari Otffridus hoc loco meret, quo majus suo tempore studium ad excolendam Germanam linguam adhibuit: de inculta ejus, quæ vulgo videbatur, asperitate multum in præfatione sui Evangeliorum libri questus. Quin (directe id Trithemio in *Catalogo* referente,) exemplo Caroli Imperatoris Magni, conatus barbariem linguæ Teutonicæ ad regulas grammaticales reducere, illud & ex parte perfecit. Idemque adeo
Trithe-

Trithemius *Polygraphia* l. 6. nonnihil ejus Grammaticæ, quam a Carolo inceptam, ab Ottfrido auctam absolutamque, refert, in manus suas incidisse, locuples testis est. Cujus aliud præterea testimonium ea de re, alias *œvéndorov*, e codice MSS. Lambecius lib. II. Comment. p. 464. sq. refert. Inprimis vero illustre veteris linguæ Germanicæ monumentum Gothica sunt Ulphilæ Evangelia: ex argenteo codice a Franc. Junio cum doctissimis notis Thomæ Mareschalli Dordraci 1655. in 4. in lucem publicam una cum Glossario Gothico Junii emissa (1). Addi potest Historia Gothrici & Rolfi, Gothica lingua scripta, & ab Olao Verelio edita: nec non Anfileubi cujusdam, Gothorum Episcopi, Glossarium, quod e veteri bibliothecæ Moyfaciensis codice erutum se vidisse Mauffacus, in Dissertatione Crit. Harpocrati præmissa p. 355. ed. Paris. auctor est, inibique plura Gothorum aliorumque populorum barbara vocabula explicata refert. De Literis & Lingua Getarum sive Gothorum Commentarius Anonymi, a Bonavent. Vulcanio Lugduni Bat. 1597. in 8. editus, huc quoque inprimis spectat; cujus auctorem Anton. Morillonium esse, Granvelani Cardinalis Secretarium & bibliothecæ præfectum, Ufferius olim suspicabatur; quod dum in *Schola Bibliotheca* Colomesius p. 158. refert addit. *Ce soup, en n'est pas, à mon avis, mal fondé, y'ayant dans ce Commentaire des remarques assez recherchées, & qui ne s'accordent pas mal avec le grand savoir, que l'on attribue à ce Morillon.* Referrī etiam merito ad antiqua Germanicæ linguæ monumenta potest, quicquid Scriptorum Anglo-Saxonicorum superest, ab Anglis studiosissime conquistum evulgatumque.

Bbb bb 2

que.

(1) De Ulphila, ejusque Metaphrasi IV. Evangeliorum Gothica, (post Franc. Junii Editionem, ex eodem, quo ille usus erat, Codice Argenteo, per Georg. Stiernhelmium, Literis Latinis (cum Gothicis edidisset Junius) demum Holmiæ A. 1671. in 4to recensita, additisque tribus Versionibus Parallelis, Svecio-Gothica, Islandica & Vulgata Latina, nec non Glossario, Gothica Ulphilæ cum hodiernis conferente, illustrata,) præter Editores, Junium, Mareschallum & Stiernhelmium, Patrologosque modernos accuratiores, consuli possunt Ol. Wormius in *Literatura Danica Antiquissima*, c. 4. p. 23. 31. c. 6. p. 45-49. c. 11. p. 74. & c. 20. p. 113-117. Willh. Ern. Tenzelius in *Diss. de Bibliis Polyglottis*, §. 9. & 18. ac, præ aliis omnibus, M. Georg. Frid. Heupelius, Argentinenfis, in Svecia antehac aliquandiu commoratus, in peculiari, quam *Witebergæ* A. 1639. publicavit, de Ulphila disquisitione. Ceterorum, quæ supersunt, Linguæ Veteris Arctoæ, sive Islandicæ (Gothicam Sveci, perperam ea suis vindicantes; uti in *Hypomn. ad Scheff.* p. 409. 410. est monitum, minus accurate appellant,) Monumentorum Notitia haurienda est; tum ex Snorronis Sturlesonii, Ol. Wormii, Magni Olavii, Steph. Joh. Stephani, Pet. Resenii, Joh. Schefferi, Thomæ Bartholini Junioris, Georg. Hickesii, aliorumque Scriptis variis, eam suggerentibus, prolixèque a nobis, in *Hypomn. ad Alb. Bartholini Lib. de Scr. Dan.* p. 151. 152. ac in *Bibliothecæ Septentrionis Eruditis Proœmio*, §. 40. enumeratis, tum ex Thomodi Torfæi, Islandi, Historiographi in Norwegia Regii, Dynastarum & Regum Daniæ Seriei, quæ Hafniæ hoc ipso A. 1702. prodiit, *Libro I.* ferme integro. Cujus Labor eo magis commendari debet, quod, Historica illorum Nomenclatura, sive Recensu non contentus, Examine etiam Critico in potiorum Autoritatem, ac rerum, quas tradunt, Veritatem inquirat.

que. (m) *Erat enim, ut ait in suæ Grammatices præfatione Wallisius, illa Anglo-Saxonum lingua antiqua Teutonice propago; ut & Francica illa in Galliam advehta, & hodierna Germanica, Belgica, Danica, Suevica, Borussia, aliæque affines lingue. Et fere pura mansit in Anglia, seu impermixta, usque ad Normannorum tempora: nisi quod voces aliquot Cambrias admiserit, & Cambrica vice versa ex hac nonnullas. Quamvis enim Dani interim hic pedem posuerint, nulla tamen inde linguæ mutatio secuta est: nam & eorum lingua vel plane eadem erat, vel saltem maxime affinis.*

4 Ut vero revertamur, unde divertimus paulisper, non adeo asperam esse incultamque linguam Germanam, ut delicatiorum auribus se insinuare non possit, quod Isaacus Vossius lib. de Poëmatum Cantu criminatus est, jam alibi sufficienter, nisi fallor, evictum dedi; simul & graviores aliorum voces, præcipitis ignorantiae testes, confutavi: allegatis pro linguæ nostræ vera antiquitate, &, quæ naturæ omnium maxime vicina est, simplicitate, rationibus, & virorum clarissimorum testimoniis haud contemnendis, quæ jam repetere tædiosum foret. Dignum vero memoratu est, iis etiam seculis, quæ dira barbaries regnabat, & vernaculæ Francorum, seu Germanicæ linguæ culturam nemo ne per somnium quidem sperasset: fuisse tamen, qui tentarunt id, & curam patriæ linguæ non omnino abjiciendam putarunt. De Otfrido Weissenburgeni dictum paulo ante, Scriptore sæculi Carolini, quam avide is horridiora linguæ eorum temporum removeri desideravit. Fertur & sub ipsius CAROLI M. Imperatoris nomine Grammatica prodiisse: ita enim Eginhardus in vita Caroli *Incoavit & (Carolus) Grammaticam patrii sermonis: Mensibus etiam juxta propriam linguam vocabula imposuit, cum ante id tempus apud Francos partim Latinis, partim barbaris nominibus pronunciarentur &c.* Recensetque

(m) De Anglo-Saxonicis, quæ vel jam prodierunt, vel MSSa in Bibliothecis adhuc delitescunt, satis numerosis, Scriptorum Angliæ Nomenclatores sunt consulendi, imprimis autem Thomæ Smithii *Catalogus MSSorum Bibliothecæ* (quæ istis abundat, ac, ab Hærede Ultimo nuper A. 1701. Regno patrio donata, Londini in Æde Westmonasteriensis locum obtinuit perpetuum, publicoque Senatus Anglicani Decreto alienari unquam, aut distrahi, est prohibita) *Cottoniana*, Oxoniæ A. 1696. in fol. excusus, istumque A. sequ. 1697. subsecuti, & ibidem Tomis II. in fol. editi, *Catalogi Librorum MSS. Academiæ Oxoniensis & Cantabrigiæ, celeberrimæque per Angliam & Hyberniam Bibliothecarum*, ab Edv. Bernhardo congesti, & Indice Alphabetico Universalis instructi. Monumenta Dialecti Anglo-Saxonice Historica diligenter recenset Gvillelmi Nicholsoni, Archidiaconi Carlelensis, *Englisch Historical Library, sive Bibliotheca Angliæ Historica Vernacula*, cujus Pars Prima A. 1696. Secunda A. 1697. & Tertia A. 1699. Londini in 8vo prodit. Sed hi Triumviri aliarum etiam Linguarum MSSa Anglo-Saxonicis, pro Institutu ratione, immiscunt. Solorum Librorum Anglo-Saxonicorum, Editorum pariter atque Ineditorum (quibus pauci aliquot Linguarum Veteris Germanicæ, & Borealis sive Islandicæ, sub finem accesserunt,) indicem satis copiosum Georg. Hickefus, Decanus Wigornicus, congestit, & *Institutionibus suis Grammaticæ Anglo-Saxonice ac Mœso-Gothicæ*, Oxonii A. 1689. in 4to impressis, subjunxit, Wilh. Ern. Tenzelius autem, Vir Cl. in gratiam Germanorum, Notis illustratum eruditis, seorsum recudi curavit, & Dialogis suis Menstruis Vernaculis, M. Aug. A. 1691. inseruit.

ferque Eginhardus mensium & ventorum nomina a Carolo inventa. Grammaticam ejus adhuc superesse ex parte sunt qui perhibent: sine dubio, ut in omni bonarum literarum genere, auspiciis magni Imperatoris, erectæ ubivis scholæ sunt: ita, ut non in vernacula hospites forent in alienis linguis erudiendi, provida Divi Principis cura cavet. Neque id frustra. Nam curam gessisse linguæ patriæ viros ejus seculi doctos haud perfunctoriam RABANUS etiam MAURUS fidem facit: cujus non solum *Glossarium Latino-Theoticum in tota Biblia Veteris & Novi Testamenti* MSS. Petr. Lambecius, Vir in conquirendis optimæ notæ libris longe solertissimus, e quadam Tyrolis Bibliotheca eruit, inferuitque Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensi: de quo ipse Lib. II. *Biblioth. Vind. c. 5.* p. 415. videri potest: sed & ejusdem Rabani *Glossæ Latino-Theotiscæ de partibus humani corporis; ut & de Inventione linguarum ab Hebraica ad Theotiscam*, supersunt, quas ex ejus ore olim Walafr. Strabo excepit: Melch. Goldastus vero ineunte hoc seculo edidit *T. II. Rerum Alemannicarum* Francof. 1606. P. I. p. 65. & 66. eademque comparent inter *Opera Rabani Colon. 1627. edita*. Alius sequiorum temporum Germanicæ linguæ investigator, KERO, Monachus S. Galli, fuit: cujus *Interpretationem Vocabulorum barbaricorum* (ita ille Germana vocat) Goldastus idem eodem loco, a p. 69. usque ad 92. publici juris fecit. HUGVICONIS, *vetustissimi & amplissimi Terministæ*, nomen conservavit nobis *Clidensis olim Cancellarius, Gerbardus de Schuren*, cujus *Lexicon Germanico-Latinum*, sub titulo *Teuthonista* Coloniae 1477. emissum, vidi: quodque, ut annexa sub finem subscriptio testatur, *vocabulorum materiam exhibet ex diversorum terministarum voluminibus contextam*: cuique non Huguiconis solum labor, ut in præfatione auctor ait, pene totus immixtus est, sed & inserti integri aliorum tractatus. Patet sane ex his, non neglectum a Germanis unquam suæ linguæ studium: quod non solum, præter ea, quæ jam allata sunt, Glossarium Latino-Germanicum MSS. in Kiloniensi Bibliotheca asservatum, probat: sed & sæcuti aliorum labores. Postquam enim renasci paululum literæ, caputque primis modo initiis levare denovo cœperunt: inventus statim unus atque alter Germanus, isque imprimis etiam eruditus, est, qui Origines suæ linguæ altius repetitum irer. JOH. CAMERARIUS de DALBURG nobili apud Vangiones gente Dalburgiorum, hodieque clara, oriundus, Episcopus Wormatiensis, Jctus, Gesnero in Bibliotheca teste, celeberrimus, & Rudolphi Agricolæ auditor; hanc primus post renatas literas gloriam investigatarum nostræ; linguæ originum ab Aventino reportat, qui eum aliquot millia Græcorum ac Teutonicorum vocabulorum, quæ utraque lingua idem significant, collegisse refert. Dolendum profecto, non in lucem prodiisse Opus extra controversiam eruditum, viri, quem plura excellentis ingenii opuscula, tam metro, quam prosa oratione, scripsisse, sed non in lucem venire passum, Gesnerus l. c. auctor est. Idem argumentum deinde attigerunt ANDR. ALTHAMERUS in *Scholiis ad Tacitum Noribergæ 1536.* in 4. editis, qui Germanos antiquos Græcæ linguæ non omnino ignaros e vocum convenientia ostendere fatetur: & JODOCUS WILLICHIUS, Medicus & Theologus, Academiae Francofurtanæ ad Viadrum Professor: qui & ipse, in eruditiss

(Mich. Neandro iudice) *commentariis in Tacitum*, Græcam linguam Germanis fuisse familiarem credidit: & sua adhuc ætate, prope Prussiam, gentem, quæ dicitur die Bockheiligen, existisse testatus est, Græca lingua, sed corrupta, usam. Quinimo adjecit: circa Caroli Magni tempora Græcis literis Teutones Germanica scripsisse: adeo, ut omnes rationes suas, omniaque acta Græce, usque ad tempora Rudolphi Habsburgici, scriberent. Tunc enim primum Germanicas literas Latinis literarum elementis scriptas fuisse: quemadmodum ex vetustissimis rationibus id ipsum longe certius colligi possit. Hæc e Willichio excerpfit MICHAEL NEANDER, celeberrimus ille polyhistoriæ atque omnis humanioris literaturæ stator, in *Descriptione Orbis Terra*, P. I. p. 279. sq. ubi non miror equidem, illum præcessoribus in eo assensum præbuisse, quod Germanica lingua e Græca ortum traxerit: hoc enim pro ingenti, quo in Græcas literas ferebatur, amore sibi persuaderi passus, cum plurimis aliis commune habet. Istud vero, quod Sorabos, gentem, quæ inde a Moravia per Lusatiam, Marchiamque Brandeburgicam, usque in Borussiam, longo tractu, sed non æque lato, porrecta habitat, & a Deastro quodam suo, hircino capite deformi, scomma in se derivatum sensit: quod hos, inquam Slavonicæ veteris linguæ dialecto usos semper, hodieque utentes, Græce unquam locutos credit, ingens error est. Uti neque illud ferendum, quod Germanos ævo Carolino Græcis characteribus acta sua consignasse existimat; cum vix unus & alter Eruditorum ejus ævi Græcas literas vel primis, quod sunt, labris degustavit. Profecto, si inspiciendi antiqua diplomata, ad quæ provocat Willichius, ipsi unquam occasio concessa fuisset, vel doctissimæ etiam Neandro, neuter assertionem falsissimam posuisset.

Neandro jungimus, quem mirifice semper æstimavit, B. LUTHERUM, qui circa vernaculam quoque Grammaticen occupatus libellum de *Nominibus propriis Germanorum* edidit sæpius recusum, Ursellis 1559. Wittebergæ 1611. alibique: nonnunquam & *ωνονύμωσ* prodiit, ut in Opere Historico Simonis Schardii Basil. 1574. ubi hunc titulum præfixum habet: *de nominibus propriis Germanorum opusculum Studiosi Antiquitatis*. Idem titulus & in Schardii Redivivi T. I. mansit. Ultimo cum notis *Gotfridi Wegneri*, Theologi jam Regiomontani, excusus est. Totum vero hunc B. Lutheri libellum passim interpolatum, mutatoque saltem ordine, insigni plagio RUD. GOELENIUS *Lexico suo Philosophico* inseruit, ne verbulo quidem ejus mentione facta; cum tamen plurima Lutheri *ωντολεξ* retinisset; sed omnino suis miscet, & prorsus ita se gerit, ut ex alieno labore hausta, ne divinando quidem, si nesciat, facile quisquam assequatur. Quapropter haud immerito Goelenium virgula percussit censoria *Thomasius de Plagio* §. 449. & 450. Idem, circa nomina propria Germanorum, virorum æque & mulierum, labor CONR. GESNERUM tenuit, qui, in catalogo Operum suorum, se aliquot illorum milia secundum terminationes disposita habere refert, atque ita de iis judicat: *Apparet in singulis ferme certa aliqua significatio, ut vel omnis gratia, vel saltem non temere, sed certam ob causam, imposta videantur, sicut & apud Græcos fere.* Nihil enim anti-

quiu.

quus in nostrâ lingua, & unde, qualis ante multa secula fuerit, magis appareat, extare puto. Frisius, qui catalogum Gesneri suæ Bibliothecæ inseruit, addit, *Marcum Widlerum*, Tigurinum, id Opus, a Gesnero inchoatum, auxisse, ejusque editionem polliceri. Verum nihil ejus excusum est: uti nec absolutæ Gesneri Vocum Germanarum Origines, quas meditari se, l. c. sibi tamen ipsi diffusus, narrat.

Uti vero locum Taciti, libro de moribus Germanorum, Althamero & Willichio de lingua Germanica nonnihil cogitandi occasionem dedisse modo diximus; quod idem supra de Phil. Cluverio relatum fuit; ita Matthias Berneggerus quoque ansam inde captavit Quæst. XI. in Tacitum simile argumentum tractandi. Sed & ille cum tot aliis e Græca linguæ Germanicæ etymologias aucupatur: quod præterea faciunt *Georgius Christoph. Peiskerus* in Indice pro Græcæ & Germanicæ linguæ analogia evulgato Lipsiæ 1685. in 12. latius id in Lexico Græco-Germanico-Analogico sese deducturum minatus: & *Joh. Maria Bellini* in epistola ad celeberrimos Actorum Lipsiensium Collectores; cujus ipsi in Actis suis Anni 1686. p. 419. seq. mentionem faciunt; sed postremi in primis hujus etymologiæ nimium duræ coactæque sunt, quam ut assensum facile reperire possint.

Imo vero omnibus si vel maxime Rigaltii, Meurfii, Vossii, Cangii, aliaque magna nomina communi opinioni, seu errori potius, accedant, audacter omniam occursum abs me non diffiteor, neque nunc sane ejus me opinionis pœnituit. Inter alios, qui mecum in ea sententia conspirant, JOH. CLAUBERGIUS est, in *Arte Etymologica Teutonum e Philosophiæ fontibus derivata*; editaque *Duisburgi* 1663. in 8. Exiguus ille liber est, & breves tantummodo 22. regulas complectens; quas promulsidis loco magno Operi *de Causis Linguae Germanicæ*, quod moliebatur, vir doctissimus, præmisit; ast vero tam doctus ille, tamque in crisi, quam adhibet, *ἀκρίτως*, ut cum Scaligeri, Vossii Sanctiive circa Latinam linguam laboribus componi posse alibi haud immerito a nobis assertum sit, ubi & excerptas regulas istas damus.

De cetero Grammatica nostræ linguæ accurata, quæ sufficere animo harum rerum avido possit, inter desiderata magis nostra, quam inter ea quæ habemus, ponenda est. Congessit quidem *Magnum Opus Grammaticum* JUSTUS GEORGIUS SCHOTTELIUS, cui præmisit Panegyricos in laudem Linguæ Germanicæ scriptos; addiditque Lexicon Etymologicum (*Bruusvigæ* An. 1663. in 4. maj.) sed vehementer sæpe in vocum derivatione fallitur. Inter optimas Germanas Grammaticas numerari meret *Joh. Claji*, edita Jenæ 1651. in 12. Præterea non contemnendum est, multa que continet notatū digna *Specimen Philologiæ Germanicæ* a Georg. Phil. Harsdörffero scriptum Norib. 1646. in 12. Aliud *Specimen Observationum in Linguam vernaculam* publicavit Colon. Brandeb. 1669. in 12. *Joh. Vorstius*. De Dialectis linguæ Germanicæ *Gass. Scioppius* in Consultationibus egit. Consult. II, p. 28. & seq. Verum

Verum, uti hæc omnia magis cepta quam perfecta sunt; ita quid de iis aliorumque similibus laboribus judicemus, in allegato sæpius nostro de Lingua Germanica commentario fufe indicatum est.

8 Quod Lexica concernit; illorum, quæ alicujus momenti sint, admodum exiguus certe numerus est. Antiqua enumeravi. Jam superiore sæculo bene meruit de Germana lingua CORNELIUS KILIANUS, edito lingua Belgica *Etymologico Teutonice lingue*, quod multoties recusum, atque a Lipsio, aliisque viris eruditis, magni æstimatum, tandem sub titulo *Kilianii Aucti* misere truncatum est, ut indignabundus quiriratur in præfatione ad Noras suas in Willeramum Fr. Junius. Nostro ævo MARQUARDUS FREHERUS *Lexicon Etymologicum* magnum meditatus est; ut & *Ὀνομαδέτην* seu de Nominibus propriis Alemannorum, prout in ejus vita Melch. Adami restatur. Verum nihil horum in lucem prodiiit. Uti nec a Franc. Pithæo quicquam, quem in Glossariis Germanorum antiquis habilem inprimis esse, multumque tempus trivisse, Scaliger in Excerptis Scal. pag. 95. refert: optatque proin, ut Leges Longobardicas cum Glossario edat. Præfert vero illum Goldasto, cujus *Glossarium T. I. Rerum Alemannicarum* sibi nunc habemus. Utinam & haberemus Glossarium FRID. LINDENBROGII, de quo in Epist. 144. ad Gallos Jano Cordeſio scribens Hugo Grotius ita: *Laborat nunc Lindenbrogius in concinnando Lexico veteris sermonis Germanici, & multa habet adjumenta, quæ nec Spelmanus, nec alii habuerunt. Erit id opus eruditis nec ingratum, nec inutile.* Sicuti vero vix quisquam aptior ad id operis Lindenbrogio fuisset; Viro in antiquis istiusmodi Glossariis versatissimo, ita maxime dolendum, intercidisse promissum id. Nam, quod MSS. ejusdem Glossarium in Hamburgensi bibliotheca hodieque servari ajunt; suspicor esse *Glossarium Latino-Theotiscum*, quod passim ipsemet allegat. (n) Unum, quod de illo habemus, Glossa-

(n) Recte Morhofius conjecit, falsum esse Rumorem de Frid. Lindenbrogii ipsius Glossario, sive *Lexico Veteris Sermonis Germanici* affecto, in Bibliotheca Hamburgensi etiamnum reliquo. Id quod mihi, qui omnia hujus MSSa sedulo olim excussi, eorumque Catalogum concinnavi, certo satis constat. Superfunt autem in illa, e Glossariis, quorum ope Laborem hunc est aggressus, Veteris, non solum Latino-Theotiscum illud Membranaceum, cujus Noster h. l. mentionem injicit, sed Bedæ etiam, sive Ælfrici, Glossaria duo Alphabetica, Latino-Anglo-Saxonice & Anglo-Saxonice-Latinum, Liber Glossarum Isidori, Glossarium Latino-Saxonice Cod. Marci Velsæri, & Theotiscum e Membranis Francisci Pithæi transcriptum, ut alia ejusdem generis Scripta ἀδέρπτορα, ac Fragmenta quamplurima, taceam. Ceterum Jacturam Operis Lindenbrogiani solatur Expectatio similis, quod Joh. Schilterus, JCrus Argentensis πολυμαδέτατος, publice haud ita pridem promissit, *Glossarii ad Scriptores Lingue Francice & Alemannice Veteris, in quo Vocabula & Formulae obsoleta aut obscurioris significationis, aut usus rarioris Alemannice & Francice imprimis, sed & Gothica, Anglo-Saxonica, Cimbrica, Longobardica, ex Libris Vetusissimis, tam editis, quam MSS. Legibus, Statutis, Chartis & Documentis, ad res divinas pariter & humanas pertinentibus, explicabuntur, Originès & variae Significationes retergentur; Leges, Mores & Antiquitates Teutonice recensentur & explanabuntur.*

Glossarium est *Codici Legum* ab eo edito subjunctum 1613. A. 1616. in lucem prodit GEORG. HENISCHII, viri docti, liber, *Thesaurus Linguae & Sapientiae Germanicae* inscriptus; atque utinam totus prodisset, usui haud contemnendo futurus: quippe qui omnia uniuscujusque vocis synonyma, derivata, phrasés, composita, epitheta, proverbia, antithetaque, una exhibet studiose congesta. Verum non ultra partem primam, quae litera *H* terminatur, perventum est. Mitto nunc affectum JOH. BERNH. ZINZERLINGII, Professoris Rostochiensis, *Lexicon*, quod concinno quidem ordine digestum, sed tamen immaturum ab Auctore praemature defuncto relictum est. Expectat adhuc nostra lingua Virum eruditum, qui dignam homine Germano atque docto operam eo animosius suscipiat, quo alacrius gentes alias, Gallos, Italos atque Anglos, certatim ad evolvendas suarum quamlibet linguarum origines concurrere videt.

Interea proderunt ad Germanicae illustrationem, praeter ea, quae diximus, ii etiam Auctores, qui de vocibus mixto-barbaris, terminis forensibus, barbaris, feudalibus, aliisque horum generum commentati sunt: quos inter G. JOH. VOSIUS in *Tr. de Vitiis Latini Sermonis*; (quem doctissimus vir, nostraeque, dum viveret, Germaniae decus, Thom. Reinesius infinitis in locis emendavit, interpolavit, auxit: servaturque istud exemplar cum libris Reinesianis reliquis in Cizensi Bibliotheca.) JOH. MEYRSIUS, NIC. RIGALTIVS in *Glossariis Graeco-Barbaris*; GODEFR. WENDELINUS in *Glossario Legum Salicarum*, Antverpiae edito 1649: HENR. SPELMANNUS in *Archaeologia* Lond. 1626. GVIL. SOMNERUS in *Glossario Saxonico-Anglico* Oxon. 1659. CAROLUS du FRESNE in *Glossario Graeco-Latinoque*, & si qui alii hujus instituti libri sunt. Multa enim in iis continentur, quae Germanicae originis sunt; falso licet ut plurimum e linguis aliis deducta.

Germanam ut in multis, praesertim in constructione, matrem agnoscit; ita se-
quatur nunc presso pede LINGUA GALLICA, omnium, quotquot Europa
habet, vulgarium cultissima nitidissimaque: & quae ob ingentem bonorum libro-
rum omnis generis apparatus (praetereo enim nunc insertum ipsi linguae incom-
parabi-

Specimen Operis hujus Utilissimi, uti & duo alia editionum Paraphræos IV. Evangeliorum
Ottfridi Weissenburgensis, & Translationis Psalmorum Notkeri Labeonis, Abbatis R. Galli,
Monumentorum Linguae Germanicae antiquissimorum (quae idem emendata, Latinisque Ver-
sionibus, Notis & Variis Lectionibus, illustrata, a se jubet expectari,) Anno jam 1698. Ar-
gentinae prodierunt. Vid. de iis Tenzelii *Dialogos Menstruos Germanicos*, M. Aug. A. 1698.
p. 746-749. Linguae Saxonico-Cimbricae (inter reliquas Germanicae Veteris Dialectes, & pu-
ritate, & simplicitate mascula atque incorrupta, eminentis, proximèque ad Matrem acceden-
tis) Glossarium expectamus a Gerh. Meyero, Theologo Civitatis patriae Bremensis Erudito,
quem, se Autorem atque Ergodicta, Laborem hunc esse aggressum, illustris Leibnitius, in *Prae-
fat. Tomi I. Access. Histor.* testatur.

parabilem nitorem,) non facile a quoquam viro docto, nedum Polyhistoro, ignorari potest. Equidem elogia linguæ hujus, ut a Germano homine conscribantur, opus non est, cum proluxa satis apud ipsosmet Gallos reperiantur. Jam suo tempore ANTONIUS VERDIERIUS, in *præfatione Bibliothecæ* p. 23. verbosus in laudes suæ vernaculæ, illam nonnisi e lectissimis Græcæ, Latinæ, Italiæ recentioris; aliarumque, si quæ sint, celebriorum linguarum flosculis, non a vulgo hominum, sed eruditissimis Gallicæ gentis viris adhibito insigni selectu constiparam credit: quos propterea miris encomiis extollit; Poëtasque ac Oratores Gallos, Græcis & Latinis palmam dubiam reddere posse persuasus est. Hæc & alia Verdierius superiore seculo non sine multis verborum ampullis jactitans, præcipuas tamen Gallicæ linguæ elegantias ignoravit. Quam in immensum enim ex illo tempore creverit linguæ ejus nitor, nemo ignorat: & vel ex eo judicari potest, quod inter poëtas primo loco Petrum Ronfardum laudat, quem tamen nonnisi rudem materiam & initium magni poëtæ Balzaci nominandum judicabat. Sed nec defuere secutis temporibus linguæ Gallicæ sui encomiæ: imprimis postquam incrementum celeberrima Academia Francica, auspiciis Richelii Cardinalis, erecta est. Atque ut e sexcentis unum nominemus: JOH. LABOURERIUS, Gallus nobilis, eo audaciæ processit, ut Latinæ suam linguam præferre libro peculiari non dubitaverit; prodiit libellus ille hoc titulo: *les Avantages de la Langue Française sur la Langue Latine*, Paris. 1669. in 8. studio Sam. Sorberii, Medici & Historiographi Regii procurfus. Additæ in fine duæ Stusii epistolæ sunt, quibus linguæ Latine primarum contra Labourerium defendit, totidemque hujus responsiones; ab utroque enim Sorberius quasi arbiter ejus litis electus erat. Iniquum vero est, spurium matri pulcherrimæ, ancillam dominæ præferre. Magisque propterea laudem mereret ANONYMUS elegantissimi libelli auctor, qui *Histoire de la Bataille entre les Anciens & les Modernes* inscribitur, & non ita pridem lucem aspexit. Multa quidem ibi in laudem scriptorum Gallicorum dicuntur; sed non ita tamen, quin Græcis & Latinis Poëtis ac Oratoribus præ Gallicis palma, ipsomet Apolline judice, tribuatur. Quanquam in eo vicissim laud parum iniquus Auctor ille sit, quod Anglicam, nostramque Germanicam linguam, barbaris, (quæ ipsi Suecica, Danica, Polonica, aliæque sunt) accenset; suam vero simul ignorantiam indicio manifesto prodens. Ut autem ad Labourerium revertamur: is inter alia documenta, quæ adstruere suam opinionem vult, Horatianam quoque Oden apponit, ejusque una translationem a celebri poëta Gallo factam, ut sic e comparatione appareat, quantum Gallico Latinus sermo concedat. Enimvero recte Isaacus Vossius, *lib. de Viribus Rhythmi* p. 36. & 39. longe aliud sentit, & judicio Viri ingeniosissimi, ut vocat, minime acquiescere potest. Certe levia ejus, & tantum non futilia argumenta sunt, jureque iis istud laudati Vossii ep. 47. opponas: *Quanto melius Romani, qui, licet gloriæ suæ studiosissimi essent, nunquam tamen suam cum Græca ausi sunt committere linguam: quin potius eam propemodum barbaram esse affirmant, si cum hujus sermonis splendore & elegantia conferatur. Etiam, qui florentissimis vixere temporibus,*

bus, sufficere sibi hanc laudem testantur, si non ut amula, sed ut discipuli Græcæ lingue haberetur Latina.

Uti vero idipsum sua de lingua in oppositione ad Latinam Gallorum pluri-
mi agnoscunt fatenturque; ita circa origines atque etymologiam ejus minus in-
ter se consentireprehenduntur. E Græcia petendum linguæ Gallicæ ortum
jam olim libris V. de prisca Celtopædia Paris. 1556. editis JOH. PICARDUS, *Toutre-*
rianus, contendit, qui & lingua & philosophia vicinos Græcis Gallos existimat.
Idem Vir doctissimus, HENR. STEPHANUS, peculiari Gallico tractatu evincere
annifus est: *de la Conformité du langage François avec le Grec*, Paris. 1610. (quæ ta-
men prima editio non est). Et inprimis cœvus Picardo JOACH. PERIONIUS
magno conatu idem argumentum tractavit, ediditque Paris. 1555. in 8. *Dialogo-*
rum libros IV. de linguæ Gallicæ origine, ejusque cum Græca cognatione. Vicissim vero
jam olim huic opinioni, quæ omni probabilitate caret, a Viris doctis occursum
est. Frustra laborant, ait Scaliger in Primis Scalig. p. 99. Perionius, H. Stephanus,
& alii, in Gallicæ lingue ex Græca repetenda origine, ac utriusque cognatione probanda, quasi
res ita se haberet: cum certissimum sit, & hanc, & Hispanam Italamque, a Romana Italaque,
corrupta fluxisse. Hinc non mirum, si sapissime ineptiant in suis etymologiis frigidissimis: ut
vel ex hoc uno Perionii exemplo patet, qui maison deducit a Græco οἶκος, cum sine dubio ori-
ginem trahat a mansione. Sic recte omnino Scaliger, cui Casp. Barthium quoque
addo, qui in suis *Adversariis* locis aliquot mentionem hujus controversiæ facit, Lib.
XIII. cap. 4. Picardum sibi confutandum sumit: eoque ait omnia deduci posse;
Teutonismum, Latinismumque singulas fere voces & modos loquendi universos
dedisse hodierno Gallicismo. Propius adhuc istud lib. XLIII. c. 20. tangit: ubi
vocum nonnullarum e Latinis in semi-barbaras, & ex his semi-veteribus in hoder-
nas Gallicas deformationem haud infeliciter tentat. Aliud tamen de prisca Celta-
rum lingua statuit, quam interiisse penitus & aboliram ægre fert: nisi quod e mo-
numentis, quæ hic illic sparsim apud Auctores adhuc supersunt, corrupta tamen uno
fato omnia aut mutata, colligit, illam cum veteri Germanica insignem cognationem
habuisse, lib. XL. c. 17. Quemadmodum & lib. XLVI. c. 1. Germaniæ gentem at-
que nomen Francorum, contra Turnebum, docte atque strenue vindicat, consenti-
entem Joh. Isaac. Pontanum in Originibus Francicis, allegans libro, ut ait, adeo docto,
adeoque acuto, ut nihil clarius & instructius hujus generis extare existimem, aut ab alio quo-
quam posse in medium proferri: (longe aliud, ut hoc οὐκ ἐν πρῶτῳ addam; statuente
Menagio, cui in epist. nuncupatoria suarum Orig. Gall. Pontani Originibus Becania-
nis non videntur multum saniores.) Caroli M. linguam patriam Germanam pu-
ram putam fuisse idem Barthius lib. XXII. c. 6. probat: per barbaram vero, quam
linguæ Francicæ ante Carolum immistam Walafr. Strabo auctor est, Gothicam, vel
e Vandalorum Hunnorumque reliquiis corruptam, indigitari suspicatur.

MARCI ZUERII BOXHORNII *Origines Gallicæ* supra jam memoratæ sunt: ut adeo nunc earum mentionem brevibus denuo innuisse magis, quam fecisse, sufficiat.

CAROLUS du FRESNE *breve Etymologicon vocabulorum linguae Gallicae* Glossario suo Græco subjunxit: quod tamen magis indicis vicem præstat, remittitque semper ad utrumque Glossarium, in quibus fuse simul originationes istæ deducuntur. ÆGIDIUS MENAGIUS, Vir dudum orbi erudito e scriptis variis notissimus, dudumque immortalitatis famam adeptus, in hoc etiam circa suam linguam genere eruditionis quantum valeat, ostensurus, *Origines Linguae Gallicae: les Origines de la Langue Française: Paris. 1650.* in 4. edidit nuncupavitque Puteano. In Epistola nuncupatoria postquam eos, qui Latinae Linguae origines explicarunt, antiquos pariter & recentiores non sine addita crisi, recensuisset: Gallorum, quotquot sua de vernacula prodierunt, labores ne quidem verisimiles censet. Verba ejus apponam, ut simul de viris doctis, qui ad argumentum ante Menagium attingere, constet. *Les Origines Françaises de Budée, de Bayss, de Henry Etienne, de Nicod. de Perionius, de Sylvius, de Picard, de Tripault, de Guischar, de Pasquier, ne sont pas seulement vraisemblables: & on peut dire avec vérité, que les Etymologies jusqu'icy ont été l'écueil de tous ceux, qui en ont écrit.* Addi tamen a Menagio enarratis Auctoribus CLAUD. FAUCHETUS potest, Præses Curiae Monetalis apud Parisios: qui superiore seculo similem librum edidit: nimirum *Recueil de l'Origine de Langue Française, Ryme, & Romans*, e quo Verdierius locis aliquot fuscæ Bibliothecæ nonnulla excerpit non contemnenda. Requirit vero Menagius ab eo, qui cum successu versari isto in negotio vult, omnium prope, non Europæ solum, sed & Asiæ, linguarum cognitionem, aliaque quamplurima, quæ sibi etiam deesse magnam partem non negat. Laudat vero præcipuum adiutorem suum atque impulsorem operis, FRANC. GVIETUM, cui & origines infinitas, & modum eas per analogiam quærendi, se debere gratus agnoscit. Multum præterea se adiutum addit a Puteano, Hadr. Valetio, Nubleo, Sarasino, Salmonero, Bocharro, Launoyo, Launæo, Doujatio: ut a tantis nominibus non possis nisi selectissima expectare. Et sane rebus etiam ac etymologiis elegantioribus plenus liber est. Sed patitur tamen suos quoque manes Menagius: & ob imperitiam linguæ Germanicæ, quam cum omnibus suis dialectis ob immensam vocum, quæ e Germania in Galliam transmigrarunt, copiam pernoscendam evoluturo Gallicas origines ipse sætetur: in etymologiis haud raro labitur. Sarravius, qui recenset prælo Opus in Sueciam Christinae Reginae & H. Vossio misit, ita ad hunc in Epistolis p. 315. *hic habes linguæ nostræ origines, collectore & editore Menagio: cujus votum est, tantum scire, quantum scit ejus liber.* -- *Multa addentur in secunda editione, de qua jam cogitatur.* In tam vasto quippe argumento semper suppetet scribendi materia, & possit quilibet symbolam conferre. Quid judicarit de lectis his Originibus Regina Sueciæ, legi in Sorberianis potest, p. 138. ubi in hunc modum illa jocatur. *Certainement M. Menage est un tres-sçavant & tres-honnête personnage: mais il est le plus incommode de monde: il ne scauroit laisser passer le moindre mot sans son passeport; il veut sçavoir d' où il vient, & où il va.* Ceterum, si Sorberium ipsummet audis, de Menagianis originibus magna tibi promittere non potes, quippe quæ rumori faciendo potius, quam serio juvandis disciplinis, ut omnia ejus viri tentata sunt.

Erat

Erat enim homo laudis sitibundus, genii non magni, sed labore improbo, immiscens se vidiorum ingeniorum ludis, quorumvis eruditorum imitabundus: neque tamen feliciter: cum in ejus libris multum quidem varia lectionis, sed parum ratiocinii inveniat. Ita quidem Sorberius, qui quamvis unice veritati litasse videri velit, non satis tamen ab affectuum intemperie purgatum animum, sed ea potius infectum, ostendit: pertinereque ad eos Menagii criminatores, a quibus se ipse in Anti-Baillerto vindicat. Secunda illa Originum Menagianarum editio; quam, cum prima vix prodisset, ab Auctore paratam ipse & Sarravius testantur, demum post fata Menagii lucem publicam ascepit, sed tam multis tamque magnis accessionibus locupletata, ut priori nonnulli rudimenta posterioris absolvisse credendus sit. Curam editionis in se Simon de Val-Hebert suscepit, emisitque hoc titulo: *Dictionnaire Etymologique; ou Origines de la L. Fr. &c. Paris. 1694. fol.* Luculentam huic editioni Besnierius Jesura Dissertationem præfixit, in qua non solum a malevolorum cavillis strenue Menagianam eruditionem, ingenium, famam, & laborem instruendo Etymologico, vindicatum it: sed & generatim de præstantia librorum hujus generis agit. Etymologica omnium prope gentium percenset: eorum antiquitatem e verustissimis temporibus, longoque seculorum usu, eruit: utilitatem in omni scientiarum genere commonstrat: & ipsius quoque artis etymologicæ principia proponit.

Neque quid nitidissime editioni deesset, adjecit insuper Val-Hebertus PETRI CASANOVÆ (Mr. de Caseneuve) *Origines*: quarum expectationem haud exiguam scriptor Vitæ ejus, Bern. Medonius, Nic. Heinsio nuncupatæ, his verbis jam olim excitaverat: *Linguae Gallicae Origines, opus summo acumine, ingenio, & multorum amorum emendationibus, elimatam ad finem usque perduxerat: quo sine dubio explevisset omnium expectationem, si ullis amicorum aut rationibus, aut precibus, adduci potuisset, ut mature typis mandaretur. Atqui solitus erat, hos ingenii sui factus ultra maturitatem fovere.* Idem prorsus cum Medonio de Casanova judicasse Menagius ipse deprehenditur; qui, in præfatione primæ suarum Originum editionis, & magni se ceteros viri ejus labores aestimare ait; &, si de illius Originibus quicquam re adhuc integra inaudivisset, suo se incepto destitutum fuisse fidem facit.

Neque vero solum de Etymologiis Gallicis bene mereri Menagius decrevit: 13 sed & de iis, quæ Grammaticæ constructionem & elegantias, attinent, quam in rem *Origines Proverbialium* apud Gallos locutionum meditabatur. Has vero cum non dedisset, dedit tamen orbi literato suas in Malberbam, Gallorum poetarum, ipso judice, principem; *Notas una cum ipso Poeta textu Paris. 1668. in 8.* quæ vel propter eam commendandæ sunt, quod varia ad Historiam literariam pertinentia una immiscet. Molitus, ut in præfatione refert, adhuc juvenis illas notas erat: primitias suarum lucubrationum daturus: sed a viro quodam docto monitus distulit: communicavit interim multas Observationum suarum cum Vaugelasio: cujus Observationes *Remarques sur la Langue Française* adeo celebres, totiesque recusæ sunt, ut

anonymus quidam Gallus auctor in libro, quem inscripsit: *Nouvelles Observations, ou Guerre civile des François sur la Langue Paris. 1668.* Menagium, Vaugelasium, & quem iis addit, Jesuitam Bouhursium, æque rigidum & inexorable iudicium circa suam linguam exercere perhibeat, ac apud inferos Minos, Æacus & Rhadamanthus, exercere olim crediti sunt. (Diceret, rigidiorum tamen adhuc, magisque inexorablem, *Academiam Francicam Parisiensem*: quæ ut ANTONIO FURETERIO, socio quondam suo, sed expulso: licentiam emittendi *Lexicon Universale* non invideret impedire, permoveri nullis rationibus, nullis quoque satyris, potuit. Notæ sunt illæ lites, nec hoc loco repeti opus habent. Prodiit tandem, post ingentem plurium annorum digladiationem, & post sævum grammaticale bellum, Roterodami apud Batavos, cum in Gallia bibliopolam non reperiret, *Lexicon Universale Antonii Fureterii; omnes Gallicas voces, antiquas ac recentiores, cum terminis quarumvis artium & scientiarum, evolvens*, An. 1690: ubi tamen per antiquas voces non veteres Francicæ Celticæve indignantur; sed, quæ præterlapsis postremis solum seculis usurpatæ, nunc in desuetudinem abierunt. Ex quo autem impressum publice Fureterii paulo ante impressionem defuncti opus est; Francicæ Academia in perficiendo simili fœtu, quem ultra 50. annos ingenti parturitione gestarat, non cessavit: ediditque tandem illum Paris. 1695. spissis duobus voluminibus comprehensum. Quanquam verò miris ex eo tempore laudum cumulis à panegyrista quodam vel onerata, vel ornata, Francicæ Academia sit: non tamen vicissim defuit, qui sub titulo *l'Apotheose du Dictionnaire de l'Academie Française* nuperrime barbarissimos, falsas vocum evolutiones, aliaque istiusmodi, partim in epistola Lexici nuncupatoria ad Regem, partim in ipso Opere, reperiunda falsè affluxe; sed ut plurimum non magni momenti sunt: cui rei Menagius *Supplicem Libellum Dictionarium Gallicorum* a se editum, & in Anti-Bailletto vindicatum, aptavit. Certatum quoque inter Gallos de lingua sua sæpius præter rem, & de lana caprina litem inter Grammaticos eorum motam nemo negaverit; nisi qui phrasas multas commendari ab hoc, & inter elegantissimas reponi, ignoret, quas alter non ut inelegantes solum rejicit, sed & ut barbaras proscribit. Næ faciunt quandoque intelligendo, ut nihil intelligant. Habet nimirum lingua Gallica suos Criticos, uti doctos, ita insulsos etiam & ineptos homines, æque ac Germanica nostra, cui a novis grammaticastris adeo facies sæpe descædata est; ut Slavonica potius, quam Germanica, videatur. Auctores, qui ad puritatem linguæ Gallicæ aliquid contulere, studiose enarrat peculiari capite *Sorellus in Bibliotheca Gallica*, & annectit iudicia.

- 14 Unum addimus tot Gallis Anglum, JACOBUM HOWELIUM, qui *Epistolarum familiar. volum. IV. ep. 19. prolixè de ortu, de mutatione ac variatione linguæ Gallicæ*, disquirat. Ortum e Britannia derivare vult, quia detur multorum veteris Britannicæ Gallicæque linguæ verborum manifesta cognatio: quia *Gallia*, nomen regionis, idem quod Britannorum *Wallia* sit: quia juncta olim fuerint isthmo re-
gna

gna Galliae & Britanniae, quae nunc freto a se invicem divelluntur: quia frequens olim Gallorum in Britanniam iter, ut a Druidibus instruerentur, quod sine cognitione linguae Britannicae fieri non poterat: & quae alia habet vir doctus argumenta parum utique firma, nisi Celticam antiquam (quam a Romanis rerum dominis plane apud Gallos extinctam vult) & Britannicam veterem ex una Scytharum lingua ortas, adeoque ea ratione cognatas inter se, arbitretur. Docte vero eadem epistola de expolitione linguae Gallicae, de variis ejus dialectis & proverbiiis, agit: inter alia celeberrimum istud lemma equirum periscelidis: *Honny soit, qui mal y pense*; ita explicat, ut a maculatis infantum fasciis metaphoram esse, deducam, & in malevolos dicitario applicatam, arbitretur. E Germanis JOH. HENR. OTTIUS in *Franco-Gallia* sua Gallicarum vocum e Germanis ortarum originem iradere aggressus est.

Grammaticas Gallorum non recensēbo, cum infinitae propemodum sint, & 15 quae prae ceteris emineant ubivis notae. Exactissimam parat adhuc Academia. Multo minus de librorum ea lingua scriptorum ingenti copia quisquam dubitat: cum jam superiore seculo magnum in folio volumen meris Gallicorum Auctorum librorumque recensitionibus adimplerit diligentissimus *Antonius Verderius*, nempe *Bibliothecam* suam, Lugduni 1585. editam. Cui successit Claud. Sorellus, & ipse talis Bibliothecae Auctor, ut & Franc. Grudeus Crucimanius (de la Croix du Maine) sive de Cruce Cenomanensi: de quibus omnibus vid. *T. I. Polyhist. lib. 1. c. 18. §§. 21. 22. 23. 25.* Posset tamen adhuc altero tomo minimum augeri Verderianus Sorellique labor, neque sic omnes recenserentur. De Poëtis infra mentio recurret. Politioris ingenii fetus plurimos ea lingua tulit, debita sane laude non fraudandos, modo non intolerandus tumor bona nonnullorum ingenia scedaret. Solos se homines, se solos ingenio praeditos, ridicula saepe ostentatione jactitant: (o) cum haud raro videas delicatulos nodum in scirpo quaerere: & cum plurima magno strepitu locuti sunt, nihil vel parum dicere. Certe non adeo obesae naris, vervecum ex patria, crasse sub aëre nati, sumus Germani (vel quaecunque demum illi nobis convitia impingant,) quin fumum vendi ab iis saepius, & praeter vocabula vix quicquam rei in ipsismet censorum rigidiorum scriptis occurrere, animadvertamus. Sed haec obiter.

ITALICA LINGUA gravior aliquando & severior Gallica est, magno in 16 pretio ipsis Gallis. E Gothica, Germanica & Latina coaluit: Syntaxis plane Germanica est. Uti vero Galli Francicam suam Academiam excolendae linguae vernaculae destinaram habent: ita jam ante hos Itali simile institutum tenuere, viguitque inprimis apud illos (ut jam Humoristarum Romanam, & Intronatorum Siennensium Acade-

(o) Scriptorum Galliae Modernorum Jactantiam, & Maledicentiam in Germanos, aliasque Gentes, efranam, iusta haut ita pridem *παραγγελία* castigavit Joh. Frid. Cramerus Consil. Brandenburgicus, in *Vindictis Nominis Germanici, contra quosdam Obsrectatores Gallos*, praefixis Solis Literis Nominis Initialibus J. F. C. Berolini A. 1694. in fol. editis, ac eodem mox Anno, Amstelodami in 8vo recufis.

Academias taceamus) Florentinorum *Academia della Crusca*, jam ante initium seculi hujus nostri clara: quippe cujus Dictionarium, seu, ut vocant, *Vocabularium* linguae suae jam 1592. in fol. Venetiis primo lucem publicam aspexit: recentiore dein editione plus semel recusum. Quamquam non eo apud omnes applausu, ut auctores quidem speraverant, receptum est: sed a *Paulo Benio*, tam strenue acriterque impugnatum, ut *Thomasinus* palmam *Benio* porrigendam judicaverit. Male *Benium* habuit, quod Academici debitis *Torquati Tassi* laudibus detraxisse videntur: cujus vero ille poëma de capta Hierosolymorum urbe tanti aestimat, ut *Homeri*, *Virgiliique* laboribus antereferendum ducat. Verum de *Tasso* reliquisque Poëtis Italis, qui & multi & egregii sunt, in *Poëtico Polybistore* dicendum erit. Illud non ferendum, quod communi cum Italis Gallisque multis, sed & praepostero amore suae vernaculae abreptus *Benius*, *Latinae* etiam & *Graecae* linguam *Italiam* praeferre non erubescit. Non potest vana ista jaectantia melius retundi, quam gravissimis rationibus, verbisque stomachabundis Itali doctrina & facundia praecedentis *Hier. Rorarii*, qui in tractatu, *Quod bruta melius ratione utantur homine, lib. II. p. 82.* postquam *lusciniis* singulari sui cantus excellentia contentas reliquos contemnere memorasset, subdit: *Quanto rationis capaciores, quam nostratium nonnulli, qui vernaculam linguam, vere vernaculam, a vernis Gothicis & Vandalis ortam, Latinae praeferre audent, cujus majestate amissum orbis imperium, ob eam unam non de possessione penitus dejectis adhuc retinente.* Hinc vilem redditurus linguam *Italicam*, cum *Gallos*, *Hispanos*, *Germanos*, *Turcas* irruentes, clademque *Italiae* inferentes, ei originem dedisse, narrasset: *I nunc, ait, & te Romanae stirpis propaginem jaeta. Ab his nempe barbaris haec lingua, quam veluti filiolam exoscularis, originem hausit: qui, cum Latine loqui vellent, nec possent ejus excellentiam magis exprimere, quam sturni nostram solent, praeclearam istam, quam Latine (si Deo placet) anteponis, condiderunt.* Dignissima lectu sunt, quae sequuntur, quippe in quibus eloquentiam & poësin veterum cum *Itala* recentiore confert, tum horum objectionibus satisfacit, exclamatque tandem: *Heracle non possum me continere, cum videam Latini sermonis candorem, & quasi sacramentum quoddam, quod per tot secula tam sancte, tam religiose custoditur, apud peregrinos, apud barbaros, apud hostes: a media in Italia natis non pollui modo, verum etiam aboleri, non ob aliud, quam ob imperitiam, & quod vel ad minimam eloquentiae partem ascendere posse desperant.* Qui ergo *Latinus sermo* barbaras gentes liberalibus artibus ditavit, qui leges docuit, mores instituit, viam ad omnem sapientiam munivit: quem ipse barbari tanquam Deum de caelo delapsum suspiciunt, ac venerantur, quod illo duce videant se in media barbarie natos sic erudiri, ut non amplius barbari dicantur: hunc *Itali*, ejus alumni, pravo judicio, insipido gustu, ferro, igne, quacunque vi, persequentes extinguere conabuntur.

DI prohibete minas: DI talem avertite casum!

Non piguit ista paulo prolixius referre: non, ac si penitus *Italiam* damnaremus linguam, quam potius magni aestimamus, fatemurque adeo, in scriptoribus Italis acumini magis, quam verbis inaniter sonantibus, studere; praestantesque plurimos illorum

rum Oratores proficere: sed ut justus matri Latinæ honos constet; & perverfus seculi novaturientis pruritus valeat abeatque.

Origines linguæ Italicæ, æque ac maternæ Gallicæ, scripsit ÆGIDIUS MENAGIUS, quarum editio postrema, Genevæ in fol. 1685. prodiit. Scriptas eas ab Auctore solum, ut in Italia inclaresceret, cum Sorberio asserere temerarium foret: neque diffidendum tamen est, in multis illum, ob ignorantiam Germanicæ linguæ, falli. Scripsit alias idem Vir doctissimus in Casam & Tassum, poëtas Italos: sed de quibus alibi. *Origines linguæ hujus* alias *Ost. Ferrarius Patavii 1672.* in fol. orbi erudito dedit: sed quas non vidi: uti nec *Origines Italicæ Monofini*, quas Menagius allegat. Primus ferme, qui magnam famam claritatemque linguæ Italicæ attulit, FRANCISCUS ALUNNUS, Ferrariensis, est, edito duplici fœtu bene meritus: quorum prior Dictionarium est, hoc lemmate: *Le Ricchezze della lingua vulgare Venet. 1551.* alter inscribitur *la Fabrica del Mondo; nella quale si trovano le voci del Dante, del Petrarca, del Boccacci &c. Venet. 1562.* Jac. Gaddius, de *Scriptoribus Non Ecclesiast. T. I. p. 24.* tertium quoque librum ejus viri addit *Osservatione sopra il Petrarca.* Reliquos, qui bene de Italica lingua meruere, non memoro, biga solum excepta Virorum, qui maxime in soluta ejus linguæ oratione excelluerunt. Unus illorum BENE-DICTUS FLORETTUS est, quem Erythræus *Pinacoth. II. p. 106.* refert, in cognoscendis funditisque percipiendis Etruscæ linguæ divitiis, omnes fere nervos ætatis industriæque suæ consumsisse: usque adeo, ut ad Cruseani lexici marginem, quo utebatur, multa perperam dicta correxerit, multa etiam nova atque egregia addiderit. Hinc ei libro tantus honor est habitus, ut e multis Viris illustribus atque summis expetitus tandem Joh. Carolo Mediceo, Ferdinandi Hetruriæ Ducis germano, cederet: qui thesaurum se accepisse ratus omni-custodiæ subjecit. Major tamen adhuc gloria est AUGUSTINI MASCARDI, cujus dignitatem eloquii, summamque in Hetrusca lingua dicendi peritiam, Tullianæ Latinæ comparandam censuit idem Janus Nic. Erythræus *Pinacoth. I. p. 112.* Verba hæc sunt, postquam a variarum rerum insigni peritia commendasset Mascardum. *Verum omnium in se oculos Hetrusci sermonis imprimis novitate convertit; qui sermo ita ejus est proprius, ut, quemadmodum a Marco Tullio Tullianum, a Salustio Salustianum dicendi genus, est ortum, ita etiam a peculiari ipsius dicendi scribendique ratione novum genus, Mascardio nomine, deducatur. Et enim in hujus orationem omnes virtutes conveniunt, quæ cadere in summam ac perfectam eloquentiam possunt; est enim translatis frequens, sententiis celebris, verborum luminibus splendida, compositione suavis: majestate sublimis, sine arrogantia gravis, sine vanitatis suspitione elata, sine circinnis, fæcque puerili ornata atque composita.* Hæc Erythræus, qui in sequentibus actionem quoque in eo viro summi Oratoris fuisse docet. Ceteros, uti dictum, Oratores Auctoresque Italos nunc præterimus: quos in omni scientiarum genere egregios abunde prodiisse nos non latet. Atque utinam, ad Gallorum exemplum, omnium eorum catalogus uno volumine comprehensus prostarer? Nimis enim exigua est ANT. FRANC. DONII Florentini, *Bibliotheca Italica*, scriptoribus atque translationibus Italis recensendis dicata equidem, sed longe impar. Prodiit Venet. 1550. in 12. multoties repetita. Grande opus Bibliothecæ Historicæ Italicæ, referente

rente Labbeo, *Raphael Triquetus*, *Traxineus*, moliebatur; sed nihil dedit. Parabat & Opus tale ANT. VERDIERIUS, supra laudatus: jamque maturandæ editionis ejus, in præfatione ad supplementum suum *Gesnerianum*, spem fecit his verbis: *Scito, lector, me nunc amplissimam scriptorum Italicorum nomenclaturam apparare, in qua diffuse, quos libros singuli eo sermone conscripserint, aperio: argumento quin etiam sapissime singulorum librorum explicato. Quod opus propediem, si Deus dederit, emittam: sicut enim Gallicam Bibliothecam nuper in vulgus protuli; ita non abs re mihi facturum videor, si & Italicam, ubi hominum ingenia florent, propter mirificum meum in eam linguam amorem, in studiosorum gratiam & utilitatem emisero.* Eo magis verò dolendum est, conatum hunc omnem penitus intercidisse, quo majori videbatur diligentia Verdierius eam historicam pertractaturus. (De Neapolitanis Scriptoribus, tum qui ex eo regno vel urbe orti sunt, tum qui illuc se contulerunt, amplum Opus habemus NICOLAI TOPPII Patricii Theatini & J. U. D. in II. Partes distinctum excusumque in fol. Neapoli A. 1678. hoc titulo: *Bibliotheca Neapolitana, & Apparato à gli Huomini Illustri in Lettere di Napoli, è del Regno; delle famiglie della città è religione, che sono nello stesso regno: delle loro origini per tutto l'anno 1678.* Prolixè ibi de Auctorum notitia adductis quoque aliorum scriptorum testimoniis & elogiis agitur; recensentur scripta non Italica solum, sed & Latina; adduntur quandoque epitaphia, & alia hujus generis studiose admodum colliguntur. Cum vero, ut in istiusmodi scriptionibus solet, multa adhuc deesse viderentur, supplementum Toppii *Addizioni Copiose* adornavit an. 1683. in fol. ibid. editum *Leonardus Nicodemus*: qui & Auctores plurimos addit, & Auctorum Toppio memoratorum scripta, quæ ille ignoravit. Uterque ordinem alphabeticum observat, & adeo veteres non negligunt, ut & Pythagoras apud Toppium compareat, quia Crotonæ obiit, & Cassiodorus aliique apud Nicodemum.)

18 Non adeo multum ab Italica lingua differt LINGUA HISPANICA, quam & inter eas, quæ e Latina ortæ sunt, matri proximam Barthius judicavit. Multa vulgo de illius majestate ab Hispanis creduntur, adeo, ut in proverbium abierit, *cum Deo Hispanice ob majestatem esse loquendum.* Orta vero una maxime e Gothicæ cum Latina commixtione est, &, quem esse genium Gothici idiomatis Baco de Verulamio observavit, lenes in aspiratas ut plurimum mediasve mutat. *Origines lingue Hispanica* a COVARRUVIA scriptas allegat atque spernit, in præfatione suarum *Originum Gall. Menagius.* Alias adornavit Romæ 1606. BERN. ALDRETE hoc titulo: *Origen, y principio de la lengua Castellana*: in 4. Habemus & ejusdem Auctoris *Antiquitates Hispanicæ & Africanas*, Castellano sermone Antwerpæ 1614. in 4. editas, quæ multas multarum vocum Hispanicarum origines simul pandunt. Libri cetera Hispanis nec pauci, nec justa, aut exquisita etiam, eruditione destituti, scribuntur; cum ipsa regio, uti post alios Erythreus refert *Pinacoth. III. p. 163.* magna cæli salubritate, puritateque spirituum, aptos præcipue suos incolas reddat, ingeneret una laborem, patientiam & sollicitudinem, ut non in theologia minus, quam bonis artibus excellent. Verum raro admodum ad nos isti libri perveniunt. Theologi supra modum scholasticæ philosophiæ addicti sunt. Politici & Poætæ laudem merent: ut alibi ostenderetur.

Restat

Restat adhuc ex Europæis vulgaribus LINGUA ANGLICA, quæ tamen ¹⁹ non propterea ultimo, si dignitatem spectes & necessitatem, loco ponenda est; imo potius ob quamplurima scripta Theologica, non practica minus, quam quæ scientiam pariunt, & Ecclesiasticas antiquitates mire illustrant: tum & philosophica, præsertim physica, quorum major est ibi, quam apud ullas alias gentes, copia, inprimis tenenda est. Ut nunc Historicos civiles libros, & ingenii elegantioris fœtus, queis se mutuo certatim exercent Angli, taceam. Fundamentum illius linguæ, & quasi solum lingua Saxonica est, unde & hodieque Anglo-Saxonica vocatur: quæ amplius quidem publica non est, sed qua leges patriæ & antiqua monumenta plurima conscripta sunt, quorum multa Speelmannus, Seldenus, alique, edidere. De harmonia linguæ Anglicæ veterisque Saxonice peculiare schediafma scripsit Thom. Brown, quod inter Opera ejus Anglico idiomate Lond. 1686. excusâ prodiit. Sed vero miscentur cum ista veteri Saxonica multæ Britannorum veterum voces, multa Latina, Græca, Danica, Gallica, quæ pro lubitu illis levi mutatione fiunt Anglica, de quibus mutationibus, earumque causis, doctè agit in præfatione Lexici sui *Wafius*: & *Joh. Wallisus* in præfatione *Grammaticæ suæ Anglicanæ*, quæ compendiosissima & fere optima est, prodiitque 1664. in 8. quamplurimis inde locis & annis repetita. De excellentia linguæ Anglicæ in *Guil. Cambdeni* libro, qui inscribitur *Remains* (i. e. *Reliquiæ*) reperitur aliquid, ut in ejus *Britannia* sparsim linguæ Origines quoque attinguntur, Lexicographi apud illos plurimi sunt: *Joh. Minsheu*, cujus *Dictionarium Hispano-Anglicum & Anglico-Hispanum* Londini 1623. excusum circa vocum origines nonnunquam curiosius exspatiatur: *Thomas Thomafius*, a quo *Dictionarium Latino-Anglicum, & Anglico-Latinum*, Lond. 1615. editum habemus: præterea *Wafius*, *Riderus*, *Gouldmanus*, *Colefius*, alique. Poëtas Anglos, contra Sorberium Gallos nimis extollentem, vindicavit *Thomas Spraat*, non minus eleganter, quam doctè, in Observationibus ad scriptum Sorberii Anglico sermone proculsis. Idem argumentum celeberrimus Anglorum Dramaticus, *Joh. Dryden*, tractavit in libro cui titulus: *An Essay of Dramatick Poesy*, Lond. 1668. in 4. evulgato. Et sane, ut, in Epico Carminum genere, *Joh. Miltoni* insigne poëma *The Paradis Lost* Gallos omnes in epicis infeliciores longo post se intervallo reliquit: ita & Drydeni aliorumque nonnullorum Dramata palmam iis si non præripere, profecto admodum dubiam reddere, possunt. Enimvero hæc hujus loci non sunt, sed in alium differenda. (p)

Ddd dd 2

CAP.

(p) Ducentos Poëtas Gentis Anglicæ celebriores, tum Vernaculos, tum Latinos, qui a Guilhelmi Conquæstoris ævo, ad Jacobi usque II. Imperium, floruerunt, Guilh. Winstanley peculiari celebravit Libro Anglico (*The Lives of the most famous English Poets*.) Londini A. 1687. in 8vo edito, & in *Actis eruditorum Lipsiensibus* M. Oct. A. 1687. p. 577-580. recensito. Dramaticorum Angliæ Poëtarum Vita & Characteres, a Langbainio inchoati, a Car. Hildono autem ad finem usque Sec. XVII. continuati, Vernaculo item Gentis illius Idiomate Londini A. 1699. in 8vo prodierunt. Vid. de iis Lipsiensis l. c. *M. Sept. A. 1699. p. 424-427.*

CAP. V.

DE

LINGUIS ORIENTALIBUS
ET COGNATIS.

§. I. *Quantam sibi illarum peritiam, itineribus in ipsum Orientem susceptis, Georg. Gentius & Guilb. Postellus paraverint. 2. Linguae Hebraeae Characterum, Vocalium & Accentuum, Antiquitas inter Criticos controversa. Grammaticorum ejus in docenda illa Cacoethes. Mich. Neandri Erotemata Grammatica commentata. Casp. Scioppij, in Diatriba de ratione eam addiscendi, turpe plagium. 3. Doctrinae Accentuum Hebraeorum Scriptores. 4. Lexicographi Hebraei. 5. Autores, qui Bibliothecas Scriptorum Hebraeorum, ac Rabbincorum, deque rebus Hebraeis commentatorum, congefserunt. Nonnulla obiter de Judaismo Aristotelis fictitio inspersa. J. C. Wagenfeilii Justa in Plagiarios Literaturae Rabbinae ineptos Invectiva. 6. Linguae Arabicae in Vocibus Luxuries ac Facunditas, aliquot Exemplis & Testimoniis ostensa. Usus ejusdem multiplex. Peregrinatores per Orientem, alique Eruditi, qui MSSSta Arabica, aliaque Orientalia, studiose collecta, in Europam invexerunt, celebrati. Herm. Conringius, ob iniquius de istis Judicium, notatus. De Versionibus & Lexicis Linguae Arabicae nonnulla. 7. Linguae Aegyptiae, seu Copticae, cum Graeca Cognatio. Ath. Kircheri in restituenda illa Labores. Ex. Vindingii de his Censura. 8. Linguae Punicae Historumena Thomae Reinesii. Fragmentum ejus insigne, in Plauti Penuulo reliquum, a Philologis compluribus illustratum. 9. Linguae Persicae, cum Germanica Convenientia, a J. Lipsio, Joh. Elichmanno & Sam. Bocharto, demonstrata. Aesopaeae ejus a Guilb. Burtono collecta. Lexica potiora a veteribus.*

EX Europa tendimus nunc in ORIENTEM, non fuisse, quid de LINGUIS illius dici posset, inquisituri, sed pro instituti nostri ratione paucis delibaturi, quae ab aliis operoso magnorum voluminum apparatu dicta sunt. Quemadmodum vero multum in omni genere studiorum prodesse linguarum Orientis peritiam facile omnium consensu constat: ita sunt, qui, earum flagrante cupidine incensi, orbem fere totum longis itineribus peragrarunt: ut eo promptiorem linguarum Asiae Africaeque sibi notitiam pararent. Est inter eos nomen haud incelebre GEORGII GENTII, cujus *Historiam Judaicam*, seu versionem libri *Schepbet Jebuda*, Amstel. 1651. excusam, aliaque pauca, habemus. Is olim aulae Saxonicae Electorali a ministeriis, studio linguarum orientis captus, munere abdicato Vienna Constantinopolim petiit, & hinc late Asiam omnem per complures annos emensus, rediit tandem in Bataviam, e Belgio Dresdam, linguarum omnium Medicae-

Medicæque artis apprime gnarus: ibi vero, cum & itineris diuturnitate ignotus esset omnibus factus, & morum inculta simplicitate nemini placere studeret, spreus in obscuro latuit, ab amico veteri, quem unum adhuc repererat, sustentatus: hoc autem defuncto, senex admodum & miser Berolinum abiit, ibidemque in summa pauperiæ, quam ostiatim perita stipe sublevabat, ferme præ senio delirus, fatis concessit, postquam ultra octuagesimum nostri seculi annum vitam protraxisset. Celebrior adhuc longe Gentio GVILIELMUS POSTELLUS superiore sæculo fuit, & ipse per annos bene multos Asiæ Africæque hospes: quas more antiquorum philosophorum discendi causâ peragravit. Linguarum adeo callens fuit, ut referente in Elogiis Teissierio; per universum orbem se sine interprete commeari posse jactarit. Edidit XII. *Linguarum characteres & legendi modum*: qui liber, Mich. Neandro in præfatione ad Erot. Ling. Ebrææ p. 11. referente, præceptiones Grammaticas XII. & *Lexicon totidem linguarum continet: Hebrææ videlicet, Chaldaica veteris, Chaldaicæ recentioris, quam a transitu fluminis vocant, Samaritanæ, quæ prisca Hebraica est; Arabica vel Punicæ; Indicæ; Græcæ, Georgianæ, Tzeruianæ, Hieronymianæ vel Illyricæ, Armenicæ & Latine.* Paris. 1538. Gesnerus in Bibliotheca fol. 292. dum hunc Postelli librum recenset, addit; in singulis illis (linguarum expositionibus) rarissimas Christianorum, in diversis orbis partibus agentium, historias haberi, quibus illæ linguæ sint in sacrorum usu. Nihilominus, post tantum de tot linguis strepitum, Jos. Scaliger de Postello aliter sensit: Arabismi imperitiam illi impingens, quam, partim e familiari conversatione, eodem cubiculo per aliquot dies usus, deprehenderit, partim e versione Alcorani ostendi posse persuasus est. *Sed nondum, ait, hebdomadem integram necum habitaverat, cum in carcerem conjectus fuit, homo, quem insania ab omni malitiæ suspitione vindicare poterat. Et qui aliter de eo judicant, longe decipiuntur.* Hæc Scaliger Epist. 362. Plura de Postello non addimus, de quo jam alibi a nobis dictum: unum addo, qui variorum de illo varia testimonia collegit, Paulum Colomesium in Gallia Orientali p. 60. seqq. qui videri poterit. Nunc ad linguas.

Earum princeps HEBRAICA habetur: quanquam non desint, qui ejus primatum impugnent. De antiquitate linguæ Hebrææ dictum jam supra. De characterum ejus, punctorum, vocalium, accentuumque antiquitate vel novitate inter criticos acriter disputatum est; quorum principes LUDOV. CAPPELLUS & JOH. BUXTORFFIUS, uterque suos affectas habuit, qui litem hanc strenue resumerunt. Literarum, quales hodie sunt, quadratarum antiquitatem præter alia argumenta ex numerorum veterum inscriptionibus vulgo impugnant: quo tamen argumentationis genere non usque adeo decidi rem, quin in adversam quoque partem ventilari posset, observat Vir in rei numariæ studio ante omnes alios laudem meritus EZECH. SPANHEMIUS *Dissert. II. de Præstantia & Usu Numism.* p. 66. ubi nonnulla de Samariticis & Hebræis characteribus e numis haurienda exponit. PETRUS LAMBECIUS in *Commentario de Bibl. Vindobon. lib. III. p. 55.* Codicem quemdam

dam Cæsareæ Bibliothecæ recenset, qui post alia Alphabetum quoque Hebraicum contineat, literis ab hodierna scribendi ratione valde diversis exaratum, & adjuncta explicatione Græca illustratum: cui subjuncta quoque Nomina Hebraica IV. Archangelorum, ceterorumque Angelorum, & IV. fluviorum paradisi, cum interpretatione. Figuras vero literarum non addit vir doctus, neque etiam, an Samaritano vel cui demum characteri accedant, quicquam dicit. Inquirant hoc, quibus id licet. De Grammaticis Hebræorum, earumque delectu, nihil dicam: abundet quilibet suo sensu: hoc certum, complures hodie discere docereque Grammaticam, non ut linguam sciant, sed ut fiant faciantque Grammaticos. Non trivis ignobilem viam hanc doctissimus MICHAEL NEANDER, cujus *Erotemata Linguae Hebraeae* e Grammaticis, quæ superiore seculo scriptæ sunt, sola profero, excusa Basil. 1567. in 8. Certe, si in eruditissima ejusdem præfatione, quam Erotematibus Græcis præfixit, quamplurima ad notitiam literariam contineri alibi dictum a nobis est: non minorem arbitror Hebrææ rei literariæ lucem Hebræis Erotematibus suis attulit. Ibi enim, in præfatione, de variis viris doctis in studio linguarum orientalium celebribus agit, ut & de lingua Hebræa in universum, deque Rabinorum scriptis: tum exhibet Erotemata: & Erotematibus annectit varia Rabinorum de Christo testimonia, haud utique contemnenda: hisque demum postponit Catalogum & Bibliorum, prout variis editionibus excusa sunt, & aliorum scriptorum plurium, quæ ad Orientales linguas spectant, maxima sane diligentia undique conquisitum, ita, ut æquiparari Græcis Erotematibus Neandri Hebræa absque hæsitatione possint. Aliud judicium meret GASPAR SCIOPPIUS, homo Latinæ quidem linguæ ad miraculum gnarus, ast non æque linguarum Orientis: quarum tamen ne imperitus videretur, *Diatribam* edidit *de compendiosa & facili linguam Hebraeam & Chaldaeam addiscendi ratione*, quæ tum separatim, tum cum aliis libellis de studiorum ratione, 1645. & 1658. in 12. apud Batavos excusa est. Verum turpi plagio surreptam Joh. Buxtorffio, Filio, totam hanc Diatriben observat Placcius de Pseudonymis p. 254.

3 In accentibus Hebræis quæsitâ nostro seculo nova aliqua doctrina est, cui occasionem primam dedit *Samuel Bohlius*. Hunc secutus *Caspar Ledebubrius*, improbo plane labore collectis e S. Codice exemplis, certis regularis rem complexus est. Hinc *Augustus Varenius*, Professor Theologus in Academia Rostochiensis, commentariis exegeticis in libros V. T. editis usum accentuationis ostendit, ac omne negotium accentuatorium diffusis præceptis jam a multis retro annis integro libro complexus est, sed qui hætenus nondum editus inter discipulorum, doctorumque virorum, manus lateat. Demum & *Cl. Matthias Wasmuthus* symbolam suam in rem accentuatoriam contulit in *Hebraisimo suo*, ut vocat, Restituto: ut aliorum nunc Spicilegia transeam.

4 Idem vero memoratus paulo ante Bohlius formales quasdam significationes radicum Ebraicarum quæsit: ad quas reliquæ unius radicis significationes, velut ad

ad genericos quosdam conceptus, referantur. Earum *Lexicon* aliquod MSS. olim inter schedas meas habui, quod nunc habet a me amicus. *Lexica Hebraica* Forsteri, Pagnini, Avenarii, Buxtorffii, Cocceji, aliorumque, satis nota sunt: & memorata studiose Aug. Pfeiffero in *Critica S. c. V. §. 10.* qui & multos inesse his omnibus defectus non diffiteretur. (q) Rarissimum linguæ Hebrææ *Lexicon*; & cujus nonnisi unum exemplar in toto orbe extare putat, Petrus Lambecius recenset inter libros MSS. qui a Sebast. Tengnagelio Cæsareæ Bibliothecæ legati sunt: titulus est *Mechaberoth*, seu Compositiones R. Salomonis ben R. Abraham. Antiquius istud *Lexicon* Kimchi Libro Radicum est, quippe jam seculo XII. scriptum, collectumque, ut additur, ex R. Saadi Gaon, R. Jehudæ B. Chiug, B. Jonæ, B. Gana, Arabicis Glosfariis: item e R. Samuel Hannaggid & R. Salomon Hakkaton. v. *Lambec. L. I. Bibl. Vind. p. 177.*

Qui vero plura de libris Hebraicis, Rabbincis, reliquisque Orientalibus, cognoscere desiderat, adeat Joh. Buxtorffii Bibliothecam Rabbincam, libro de Abbreuiaturis additam: J. Henr. Hottingeri Bibliothecam Orientalem, Heidelbergæ 1658. in 4. excusam: Johannis Plantavirii, Episcopi Lodovensis, Bibliothecam Rabbincam Florilegio ejusdem Hebraico, Lodovæ 1645. edito, subnexam: qui omnes magno studio suis laboribus functi sunt. Omnes autem locuplete librorum Auctorumque numero longe superavit Judæus de polyhistoria suæ gentis sollicitus R. SCHABTAI BEN JOSEPH, cujus liber inscriptus *Labia Dormientium*, excususque Amstelod. in 4. 1681. Hebraico idiomate ingentem segetem aperit, (r) in certas, haud incongruo ordine, classes distributam, scriptorum omnis generis Rabbincorum, quæ ut eo feliciter indagaret, varia per Europæ Syngaogas itinera multorum annorum spatio suscepit. Mole hunc, non Auctorum Apparatu, vicit JULIUS BARTOLOCCIIUS, emissis in lucem tribus sat magnis in fol. voluminibus, quæ *Bibliothecam magnam Rabbincam* inscripsit, ordine alphabetico juxta Auctorum nomina digestam; excusamque Romæ 1672. 1678. & 1683. Prolixe ibi de vita

(q) Fusius de Lexicis Hebraicis disseruit, eorumque Nomenclatorem egit & Censorem, idem (cujus *Criticæ Sacræ* de iis Locus hic allegatur) Aug. Pfeifferus, Superint. Lubecensis, in *Consultatione Epistolica de Editione Lexici* (quale ipsemet moliebatur) *Biblici Ebræo-Chaldaici Novi, mole modici, sed planioris atque plenioris omnibus hucusque editis*, Dreslæ A. 1679, in 4to excusa.

(r) Duplicem hætenus Bibliothecæ R. Schabtai Ben Joseph Rabbincæ (quam *Labia Dormientium* Autor appellavit) Versionem e Septentrione expectavimus Latinam, alteram Christiani Wormii, Edis Hassniensis Nicolaitanæ Antistitis Doctissimi, Notis adjectis illustrandam, quam, in *Prefat. Libri Secundi de Corruptis Antiquitatibus Hebraicarum apud Tacitum & Martialem Vestigiis*, A. 1694. est pollicitus; alteram Gustavi Peringeri, Strengensis, L. L. Or. in Academ. Upsal. olim Professoris, nunc autem Librorum in Regia Holmiensi Censoris, quam, Autoris ipsius concinnatam postulari, Anno jam 1690. ab eo jussit expectari. Magnus Rohnovius, Svecus, in *Notis ad Cod. Talmudicum de Æstimationibus p. 9.* Usinam alterutra saltem primo quoque tempore prodeat, & novam Orienti e Septentrionis tenebris lucem fœnetur.

vita & scriptis cujuscunque differit, & quandoque integras ferme dissertationes immiscet, qualis est; quam *de Judaismo Aristotelis* habet T. I. p. 471. ubi cujusdam R. Gedaliae Ben-Jachija infantiam recenset, Aristotelem Hierosolymitanum, Koliae filium, de tribu Benjamin, asserentis: eaque occasione fuse in originem putidi erroris inquirat, & non sine probabili ratione, e loco *Eusebii L. IX. c. 3. Prepar. Evang.* male intellecto deducit. Neque vero mirum cuiquam videatur, admissum inter Rabbinos Aristotelem: facilis enim & Christianis, & Gentilium Philosophis Medicisque, aditus sine invidia patefit, quotquot ulla ratione illuc referri posse videntur: adeo, ut *Aesopo etiam inter Rabbinos locus sit.* Mirum inde non est, licet in magnam molem Opus creverit, non tamen ad umbilicum per omnes alphabeti literas esse deductum. Supplementum Bartoloccio scripsit CAR. JOSEPHUS IMBONATUS, seu *Bibliothecam Latino-Rabbinicam*, Romae 1694. Verum & hic, dum Scriptores undecunque corradit, erroribus haud raro jocularibus locum dedit. Potest interim, ex his Bartoloccii atque Imbonati laboribus, longe plurimorum & recentioribus, qui Hebraeam eruditionem praese tulerunt, notitia hauriri. Quam juvabit quoque PAULI COLOMESII *Gallia Orientalis*, Hagae Com. 1665. in 4. edita, quae Gallorum, qui linguam Hebraeam, vel reliquas orientales, excoluerunt, Vitas, opera, & judicia variorum de iis, sistit. Daturus similis instituti libros de reliquis etiam Europae provinciis Colomesius *Italiam Orientalem* bibliopolae jamjam tradidisse fertur, sed quae nescio qua fraude surrepta est. Interim notari meret juxta celeberrimi WAGENSEILII expositio, qua, in *Sota p. 202.* in plagiosos Rabbinicae eruditionis invehitur; quorum neque finem esse, nec modum, indignatur, & oppido paucos, qui profiteantur, quorum corticibus narent, quibusve adjutoribus usi sint: sed se Talmud inspexisse, sibi lectos Rabbinos; suas se in medium versiones asferre, videri velint: idque eo aegius fert, quo se certius *in scenam producere posse novit Viros egregios, qui non contenti ea gloria, quam in divina humanaeque literatura partibus aliis, doctrina & industria sua, ad invidiam usque sibi paraverant, dum etiam reliquae scientiae insignem in Rabbinicis literis peritiam adjecisse se credi postulabant, & Rabbinorum dicta, Raymundis, Buxtorffius, Seldenis, Coccejis, Voisniis, Schikardis, clam erepta, cumularunt, hic quidem turpiter se dederint, eruditus suis alioquin scriptis foeda inurendo stigmata.* Monet vero Wagenseilius, nusquam periculosius, quam in hoc genere plagiorum, errari, quae se ut plurimum ipsa prodant. Nam, ait, dum non satis tenent, quid alii citent, aut quomodo, proinde ipsi nunc ex libris *Vulgarium Rabbinorum faciunt Talmudicos, nunc hos in illorum convertunt: jam propria nomina pro appellativis; appellativa pro propriis, accipiunt: conjungunt divellenda, separant quae cohaerent, commutant priora cum posterioribus: exscribunt testimonia cum vitis typographicis: laudant nobis R. Raddak, R. Raschi, R. Rambam, R. Smag. & si qui sunt spissi ridiculique errores alii.* Exempli loco dein Petrum Galatinum profert: & *Dominicum Garciam*, Hispanum, qui cum in Complutensi Academia Hebraeae linguae moderator primarius extitisset, edidissetque Caesaraugustae 1606. superbo titulo *Propugnacula Religionis Christianae contra obstinatam perfidiam*

diam Judaeorum, quibus confectam rem omnem ipse existimarat; puerili tamen errore R. Salomonem censuit esse auctorem libri, *Directoris Dubitantium* (qui Maïmonides est), aliosque errores plusquam putidos committit. Hæc e doctissimi viri libro excerptisse e re utique videbatur: simulque ista de Hebræa lingua sufficiant. De Antiquitatum enim Hebraicarum Scriptoribus alio in loco dicemus.

ARABICA Lingua omnium inter Orientales diffusissima est, ob infinitam pene vocabulorum multitudinem, dum una res, pro variis accidentibus, quibus distinguitur, varia habet nomina; ut ex Anton. Giggeji & Jac. Golii Lexicis patet; Quinimo tantam esse linguæ ejus luxuriam P. Angelus a S. Josepho in *Gazophylacio Persico*, observat, ut 1000. habeat vocabula, quæ gladium, 80. quæ mel, 500. quæ leonem, & 200. quæ serpentem significant. (s) Divina nomina, seu attributa uno plus mille, Arabice & Persice exarata, se Latine interpretaturum promisit Petrus a Valle, Epist. ad Tengnagelium. *Tantum est pelagus illius sermonis*, ait Josephus Scaliger Epist. 90. ad Casaubonum, *ut, quo plura in illo discimus, eo plura occurrant, quæ sine magistro nunquam didicero*. Hæc ille Scaliger, cui tam familiaris sermo Arabicus, ut ad lexicon Antonii Nebriffensis ultra 20000. vocum, & inter eas minimum 8000. radicum (alibi scribit 14000.) e variis Arabum variorum scriptis, collegerit: ut, in iisdem Epistolis p. 531. & 646.; refert. Nihilominus tamen, non obstante ejus difficultate, jamdudum salivam eruditae ea lingua movit, quod audirent, multos veterum philosophorum libros, in hanc linguam conversos, apud Arabes latitare, ut inde jactura eorum restaurari possit: multa enim Medicis ex Arabibus haurienda, quæ absque illorum lectione prorsus ignorarentur. Hinc Isaacus Casaubonus, jam ætate paulo provector, eam addiscere cæpit: quod idem Salmasius etiam vir fecit. Alii in Orientem profecti magna secum literata spolia retulerunt. *Petrus a Valle*; (qui ipse, in variis epistolis ad Morinum datis, ut & in ea, quam ad Sebast. Tengnagelium scripsit, quamque libro I. Comm. de Bibl. Vindob. Petrus Lambecius sub finem p. 165. sqq. inseruit, sua studiose recenset) *Reinardus* quidam Mathematicus (cujus bibliothecam Arabicam, summo labore & sumptu colle-

ctam

(s) Quæ de Linguæ Arabicæ Ubertate & Luxurie, fide Angeli a S. Josepho, *h. l.* narrantur, Monachus ille, ni fallor, Edvardo debet Pocockio, cujus ex *Nozis in Abulf.* p. 153. Aug. Pfeifferus (in *Introd. in Orientem, Diss. II. Qu. 9. p. 27. 28.* de eadem, qua Græcæ etiam superat, ubertate disserens) verba allegat sequentia, digna quæ & *h. l.* recitentur: *Quantum Græcæ, Latinæ, aliasque Linguarum præcipuas, verborum copia superet, hinc conjicere licet, quod aliquando vel sola diverfarum unius rei appellationem enumeratio & explicatio Justam Voluminis integri materiam præbuerit. Sic doctissimo Grammatico, Ebn. Chalawain, Libri unius Subjectum Leonis nomina, quæ quingenta; alterius Serpentis, quæ ducenta, teste Jallotoddino in Mezhar. Auctor Kamusi, Mohammed Al Eirauzabadius, Librum integrum de Mellis Appellationibus & Utilitate se conscripsisse ait, in quo cum 80. ejus nomina recensuerit nomenclaturam, eorum tamen ejus non absolvisse notatur. Testatur idem, Ensis appellationes ultra mille se in Libro, a se composito, enumerasse.*

etiam, absorptam tandem, post collectoris mortem, a Vaticana refert. atque dolet Holstenius in epistola ad eundem Tengnagelium, ap. Lambec. T. I. Comment. de Biblioth. Vindob. p. 110.), *Jac. Golius*, qui thesaurum suum Leydeni Bibliothecae intulit; de quo maxime Holstenius l. c. gaudet, & orbi Christiano gratulatur, incidisse in illorum manus, qui nihil publico invident, & qui ex isto thesauro evulgando laudis materiam querunt: *Nicol. Clemardus*, qui & linguarum & religionis causa fecerit in Africam, ac de fructu suae professionis in epistolis agit: *Christianus Ravius*, qui suorum librorum titulos Spolio Orientis annexuit: *Eduardus Pocockius*, aliique. *Nicol. Peirescius*, sublimis istud Galliae literatae fidus, cum in Orientem ipse proficisci non posset, nullo tamen sumtui, ut inde libri sibi asportarentur, pepercit, quorum aliquando numerum haud contemnendum naufragio amisit; ut e proluxa ejus ad Joh. Morinum epistola, quae inter Morinianas (sub titulo Antiquitatum Ecclesiae Or. emissas) 36. est, videre licet. Eodem tempore bis jam memoratus Vindobonensis Bibliothecae praefectus, *Sebast. Tengnagelius*, omnia tentavit, ut Caesarem Bibliothecam Arabicis quoque Persicisque libris, vel quicumque demum ex Oriente comparari possent, locupletaret: nam, ut erat studio earum linguarum mire deditus, suis sumptibus undique libros eos conquirit, praestititque etiam, ut insigni tandem copia abundaret, quae post ipsius mortem Augustae Caesaris suppellectili legata cessit. Catalogum exhibet Lambecius lib. I. a p. 168. usque ad 184. Verum, si Conringio aurem praebemus, non adeo magni Orientales libri aestimari merentur, qui scilicet, quicquid boni habent, a Graecis hausere, & magnam quoque partem merae Graecorum translationes sunt: quae vero propria Arabum, longe infra Graecam eruditionem subsident; Persicum vero, Copticum, vel Aethiopicum quid, aptum sapientiae, ne ex fama quidem accepimus, quod non liceat plenius ex editis aliorum scriptis addiscere. Ita quidem Conringius in *Epistola de Biblioth. Augusta* p. 64. sq. qui, ut ipse eodem loco historiam, excipit, ejusque e libris Orientalibus hauriendae aliam esse rationem fateretur: ita se non in omnibus audiendum simul subobscurum innuit; eamque solum ob rationem istud scripsisse videri posse, ne Augustae sui Principis Bibliothecae aliquid alicujus momenti deesse fateri necesse habeat. In eo autem Conringio haud sane cunctanter assentimur, tantos Principum, Rerumque publicarum sumtus, tantos privatorum labores, licet non sine aliquo successu fuerint, parum tamen in Auctorum veterum restitutione orbem literatum juvisse. Suntque inter ipsosmet barbaros libri melioris notae rari admodum, magno pretio veneunt, & rarius adhuc peregrino vendendi prostant: ut ex aliquot Petri a Valle epistolis liquet. De incomptis Arabum versionibus, quae Graecos Auctores male transfulerunt, earumque causis, videndus Salmasius, in praefatione ad Tabulam Cebetis, Graece & Arabice editam. Praeter Lexica linguae Arabicae, quae edita sunt, MSS. aliquot Glossaria atque Dictionaria, Arabica, Arabico-Turcica, Syro-Arabica, libellosque ejus linguae Grammaticos, in Caesarea Bibliotheca asservari Catalogus Tengnagelianus, apud Lambecium, l. c. fidem facit. Memorat & ibidem sua lexica MSS. P. a Valle. Salmasius l. c. refert, Joh. Elichmannum lexicon Arabicum locupletissimum absolutissimum parasse, cui

cui nihil nisi forma & ordo defuerit, materia jam undique congesta; Verum illud cum Auctore intercidit.

ÆGYPTIACA vel COPTICA lingua multum cum Graeca, & ratione 7
 characterum & vocum, affinitatis habet: ita, ut scribendi morem etiam Graecis
 veteribus usitatum observet: neque enim separat voces, sed literas unius lineae
 velut unicam vocem conjungit; Morino teste, in epistolis. De voce *Coptarum*
 unde derivanda sit, num a *Copto* celebri Ægypti emporio: an ab *Ægyptus*, quae et
 quandoque *Ægyptus* scribitur, quaerit Salmasius in Epist. p. 100. & 178. Loco po-
 steriorē admiratur laudatque Athan. Kircheri promissa, quae de restituenda anti-
 quissima ea lingua dederat: cum antea primum se existimasset Salmasius, qui ad id
 muneris obeundum animum applicuerit: Fecit etiam Kircherus quod poruit, tum
 in *Prodromo Copto*, tum in *Lexico*. An vero tam integram ille messem exhibuerit, ut
 ne quidem spicilegium supersit, quod e promissis concludebat Salmasius, dicant
 alii. Videatur interim, si tanti est, Erasmi Vindingii *Dissertatio de Linguae Graecae &
 Ægyptiacae affinitate*, in qua nonnulla contra Kircherum habet, produit Hafn. in 4.
 A. 1660. (t)

De PUNICA lingua tradit aliqua Thom. Reinesius, in libro, cui titulus: 8
Ἰσοῦμενα linguae Punicae, 1636. Altenb. in 4. (u) Superest ferme unum, sed inigne
 ejus linguae fragmentum, in *Plauti Paenulo*, quod doctorum ingenia exercuit. REI-
 NESIUS de illo, in epistolis ad Daunium, agit p. 309. SAM. PETITUS, diu ante
 illum in *Miscellaneis* eum Plauri locum explicare aggressus, Salmasio tamen Grotio-
 que se adeo non probavit, ut Plauto cecio rem illum in plerisque deprehendisse scri-
 bat Salmasius ad Grotium Ep. 18. Post eum itaque Samuel Bochartus feliciori even-
 tu istud negotium in se suscepit, deditque explicatos Plautinos versus P. II. Geogr.
 Sac, lib. II. c. 6. qui totum cetera eum librum evolvendae Phœniciae Punicacque lin-
 guae impendit, & si quis alius, de illa bene meritus est. Mentionem versuum Plau-
 tinorum alicubi in Epistolis Jos. Scaliger facit (ep. 362. p. 643.) putatque illam
 Pœnuli dialectum parum a puritate Hebraismi abesse. *Tempore enim Elisae*, ait, *quae
 coloniam Pœnorum in Africam deduxit, universa Phœnicia puro Hebraismo utebatur, ut &*

Eee ee 2

literis,

(t) Athanasio Kirchero, in *Copticis*, non satis tuto semper credi posse post Vindingium, Aug. etiam
 Pfeifferus monuit, sub finem Praefationis, *Introductioni in Orientem* praemissa, idque a se, in
Exerc. Bibl. p. 40. 50. aliquot exemplis ostensum esse testatur. Nova Luæ, quam *Literatura
 Coptica* a Theod. Petro, Flensburgensi, Civis mco, in *Lit. Or.* universis versatissimo, præter
Psalterii Coptico-Arabetico-Latini (cujus specimen sistit *Psalmus I.* Lugd. Bat. A. 1660. in 4to
 maj. editas) Editionem, *Lexicon* etiam in eandem *Copticum*, a se concinnatum, & *Angliae
 Philologis* summo opere probatum, pollicito, expectabat, obitus ipsius, secundum in Orientem
 iter meditantis, immaturus illam orbavit.

(u) Thomæ Reinesii *Ἰσοῦμενα* L. Punicæ recensa sunt in *Syntagm. Dissert. rariorum e Museo J. G.
 Gravii edito* Ultraj. A. 1702. in 4to.

literis, quæ hodie supersunt apud Samaritas, & quæ puræ sunt Phœnicie. Post hos omnes JOH. CLERICUS quoque prolixè satis in sensum versuum Plautinorum inquisivit, in nonnullis a Bocharto dissentiens T. X. *Biblioth. Univers. Histor.* Conferendus quoque huc Ant. Borremanus est, *Var. Lect. c. 14.*

9 (x) PERSICÆ linguæ cum Germana convenientiam integro libro ostendere voluit JOH. ELICHMANNUS, ut testatur Salmasius in præfatione ad Tab. Cebetis, cum Arabica Versione (Latine ab Elichmanno translatae) editam his verbis: *Quod ad hoc ævi latuit plerisque eruditorum, ex eadem origine compererat fluxisse Germanicam & Persicam linguam, ad hanc illum conjecturam ducente infinita vocum copia, utriusque linguæ communium, sed & verbis similiter terminatis, eodem modo compositis, aliisque multis argumentis.* Hæc de Elichmanno Salmasius, viro, cui, ipso iudice, in intima linguæ Persicæ cognitione vix videtur Europa parem tulisse, fortassean & vix feret. Verum immatura mors, quam acerbe ibi Salmasius deplorat, & conatum hunc egregium invertevit, & gloriam Germano nomini invidit. Ne vero effectui quid dedisset Salmasium, aut amor in linguam patriam Elichmannum, obvertas: en tibi Bochartum, qui, cum de Persarum lingua in suo *Phaleg* nonnulla differuisset; *lib. I. c. XV.* Hanc, ait, quod viri docti scribunt accedere ad Germanicam in tanta locorum intercapedine nemo sibi facile persuaderi suat. Tamen rei probandæ tot exempla congerunt, ut ab invitis pene fidem extorqueant Allegat insuper epistolam 44. Centur. III. ad Belgas Justii Lipsii, qui nempe jam ante Elichmannum simile quid in lingua Persica, adductis in medium exemplis, observavit. Quædam *λέξικα* veteris Linguæ Persicæ, quæ quidem apud præcos Scriptores reperiri poterant, collectiva edidit & explicavit Guil. Burtonus Londinensis, quæ adjecta sunt ejus *Historia Græcæ Linguæ.* *Lexicon Persicum præscarum vocum,* pretiosum volumen, possidere se refert in epistola ad Tengnagelium sæpius laudata, Petrus a Valle, *ætate nostra a docto viro (Persa) ingenti curâ elaboratum, & apud Persas magnæ existimationis, cujus exemplar, quod habeo, unicum, ut puto, in Europa auctoris nepos propria manu exaravit, ejusque descriptioni & auctor ipse adhuc vivens Sphabani, librumque novis quotidie observationibus augens plurimum diligentia adhibuit, ut illius opus in Europam non nisi correctum perfectumque asportaretur.* Ipse PETERUS a VALLE *Dictionarium sex mille circiter vocum Præscarum* Italica versione illustratarum composuit e Doctrina Christiana, quam Jesuitæ in regia Lahor elegantissimo tylo scripserunt. Quanquam vero omni studio nixus Petrus a Valle sit, ut im-

prime-

(x) De Linguarum Persicæ & Germanicæ convenientia plura, e variis Autoribus, erudite congestit Morhofius, P. I. *Commentarii sui Vernaculi, de Lingua & Poësi Germanica,* cap. 2. pag. 39-43. Marci Zuerii Boxhornii Epistola huc etiam spectat, ad Nicol. Blancardum Kal. Dec. A. 1648. scripta, qua Vocum, quæ apud Curtium supersunt, Veterum Præscarum Origines, e Lingua Germanica, satis feliciter detexit. Legitur illa inter reliquas ipsius Epistolas, Amstelodami A. 1662. in 12mo junctim editas, p. 220-229. Tâcito quoque ipse, ibidem A. præced. 1661. excusô, & Curtio etiam Nicol. Blancardi, ni fallor, subjuncta.

primeretur hoc Lexicon suum Romæ typis Congregationis de Prop. Fide: non id tamen, quantum memini, factum est: uti nec ingressum *Lexicon Lingua Persica*, quod ADAMUS OLEARIUS affectum habuit, sed an & ad finem perduxerit ignorô.

C A P. VI.

D E L I N G V A G R Æ C A.

- §. 1. *Lingua Græca Necessitas & Utilitas a Viris doctissimis inculcata.* 2. *An Judeis eam discere licuit, inquisitum.* 3. *Historia ejus tradita a Laur. Rhodomanno & Guilb. Burtono, Origines ab Ag. Menagio promissa.* De Literis Græcis Diss. Joh. Scaligeri. Franc. Guæti, J. Franc. Grandis, & aliorum, Labores in illa Etymologici. 4. *Grammatici Græci Veteres Inediti obiter memorati.* Ex Editis Basilus M. *Ἰεωδώνυμος*, Phrynichus, Helladius, Apollonius Dyscolus, Proclus, Moeris, Joh. Philoponus, Thom. Magister, Theod. Gaza, & alii, recensentur. Additur *πρᾶξις* de Græcis Literatura sua in Eurôpa Instauratoribus. 5. *Scholiasta Poëtarum Græcorum Veteres, lucem Grammatica sepe fænerantes, enumerantur.* 6. *Grammatici Græci Recentioris ævi ἑξοχώτεροι,* Ang. Caninius. 7. *Nic. Clenardus, Urbanus Bellunenſis.* 8. *Mich. Neander* (cujus etiam simul Discipulus, Laur. Rhodomanus, ob L. Gr. peritiam, & Venam in ea Poëticam præstantem, extollitur.) 9. *Matth. Devarius de Particulis L. Gr.* 10. *Franc. Vigerius de Idiotismis L. Gr.* 11. *Joh. Posselius, Ant. Schorus, aliique Phrasium & Adytorum Græcorum Collectores.* 12. *Fer. Tschonderus.* 13. *Mart. Crusius & Nicod. Frischlinis.* 14. *Grammatici alii moderni, uti & Scriptores de L. Gr. & Lat. convenientia.* 15. *Joh. Covr. Dieterici Chrestomathia Græca promissa.* 16. *Scriptores de Dialectis.* 17. *Scriptores de Accentibus.* *Origo & Novitas illorum a Cl. Salmasio, Jf. Vossio & Henr. Chr. Hennino, detecta.* *Bibliotheca Græca, ab Hennino & Joh. Meursio promissa.* 18. *Controversia de Pronunciatione Linguae Græca Historia & Scriptores.* 19. *Prolixior Historia Certaminum, de Dialecto Hellenistica, & Styli N. T. puritate, Literariorum.* 20. *Scriptores, qui Stylum Homericum cum Phrasi Librorum Sacrorum contulerunt.*

De GRÆCA lingua nunc, illa omnis eruditionis ac sapientiæ nutrice, dicendum est. Omnia, quæ ad illam spectant, persequi nostri instituti non est, utpote qui non Volumina scribimus, sed præcipua tantum sectamur, ac ab aliis omiſſa. De summa quidem ejus præstantia & necessitate convictos arbitror, quotquot in humanioribus studiis vel leviter saltem emergere laborant: atque, ut in uno historiæ literariæ capite persistamus; quot quæso nos Auctores laterent, si Græca literatura careremus? Enimvero, uti singulæ bonarum artium e Græcia suum ortum trahunt; ita verissime Erasmus lib. X. Epistolarum scribit: *Hoc unum expertus video, nullis in literis nos esse aliquid sine Græcitate.* Latius hoc argu-

mentum alii deduxere. Plena sunt istiusmodi commendationibus Mich. Neandri scripta. De praestantia & necessitate linguae Graecae Orationem *Matthaeus Dresserus* habuit *Orat. lib. III. p. 25.* Dissertationem de ea scripsit more suo egregiam *Ludovicus Cresfollius* in *Mystagogo*. Idem in libro de Natura & viribus Rythmi, *Isaacus Vossius* passim adstruit: & nihil tam enixe *Isaaco filio*, in *Salmuricensi Academia* degenti, commendavit *Claud. Sarravius*, (alter ille *Peirescius*, gente nobilis, dignitate nobilior, doctrina nobilissimus, amicitia clarissimus, ac studio erga literas & literatos omnibus suspiciendus: quo illum elogio *Steph. le Moyne* ornat) quam familiarem profus Graeci & Latini sermonis usum. Sed quid multis? nemo eruditus est, qui non Graeca summo studio perdiscenda ducat.

2 Quo in loco apud Judaeos Graeca lingua sit, eruditissimus *Wagenfilius* exponit in *Sota* p. 967. seqq. Nimirum pugnant inter se *Apellae* variis sententiis scilicet: cum ne *Gemarae* quidem, seu *Commentario Talmudico*, cum suo textu conveniat. Futile est, quod illa refert, *Chafamoneorum* temporibus, cum *Hyrchanus* & *Aristobulus* fratres in se mutua oppugnatione ruerent, execrabilem esse publico edicto declaratum, qui Graecam linguam filium edoceret: cum *Aristobulus Peripateticus*, *Philo* & *Josephus*, in Graecorum scriptis & sapientia mirum quantum versari, maximum quoque inter suos nomen habuerint. Non minus aperte falsum, quod *Mischna* refert, tempore belli cum *Tito* tale scitum produsse: nam usque ad *Justiniani Imper.* tempora Graecam Bibliorum interpretationem in *Synagogis* lectam, *Novella* nos ignorare non patitur. Successu temporis vero abrogata in *Synagogis* Graeca Legis lectio est, & plane in desuetudinem abiit; quod &, nisi fallor, unum *Maimonides* voluit in eo loco, ad quem *Celeb. Wagenfilius* stupet; cum ait *Maimon*: *pridem in desuetudinem abiit lingua Graeca, confusa est ac perit.* Non sane videtur de linguae interitu in universum loqui, sed de ejus usu in *Synagogis*. Hinc neque ipsemet ignoravit Graeca, nec *Judaei Hispani* pari cum antiquis infamia acti sunt: sed potius, observante eodem viro doctissimo, longe prudentiores se praestiterunt, dum *Philosophiam Graecam* discendi facultatem saltem iis, qui adultae aetatis sunt, adimere haud fuere ausi.

3 *Historiam Graecae Linguae* *LAURENTIUS RHODOMANNUS*, ipse linguae ejus peritissimus, peculiari oratione deduxit, quae addita est *Orationi Petri Mosellani* de variarum linguarum cognitione paranda, *Jenae 1634.* Versatur etiam hoc in argumento *GVIL. BURTONUS*, *Anglus*, qui peculiarem de eo libellum conscripsit, editum *Londini 1657. in 4.* & qui exigua brevitate sua non pauca continet ad *historiam Graecae linguae* pertinentia. (y) Multa habet imprimis de antiquo ejus in

(y) Post *Burtonum*, *Linguae Graecae Historiam* quadripartitam scripsit *Laur. Jugewaldi Elingius*, *Dalecarlus*, *Log. & Metaph.* in *Acad. Upsalensi Professor*, post *Autoris*, *A. 1688.* defuncti, obitum, ab *Ad. Rechenbergio*, *Theologo Lipsiensi*, cum *Præfat. sua*, *Lipsiae A. 1691. in 8vo* edi-

in Angliâ usu, deque scholis Græcis illic ante Christum natum institutis: de quo argumento agit quoque Ant. Wood in Antiquitatibus Oxon., sub initium: Adject quoque Burtonus λέξιων linguæ Persicæ, ut jam cap. anteced. dictum: sed, dum origines ejus ex Græcâ deducere molitur, fallitur, cum pleraque sint Germanica, ut ostendit Boxhornius in Dissert. peculiari ad Blancardum, Curtii editorem, scripta, quæ invenitur in editione Curtii Blancardiana. *Origines linguæ Græcæ promissit ÆGID. MENAGIUS Observ. in Malherb. p. 362. & 389. sed non dedit. De literis Jonicis ac Græcis, earumque cum Phœnicis affinitate, prolixam & eruditam Dissertationem Jos. SCALIGER suis Animadversionibus Eusebianis inferuit p. 110. seqq. in qua de inventione earum & natura fuse satis disquirat. JOH. FRANC. GRANDIS promissit librum, cui titulus: Demonstratio philologica; quâ patet, Hellenismi & totius ferme Grammaticæ Græcæ rationem, ipsamque anomaliâ, tam nominum, quam verborum, in sola literarum, sive alphabeti cognitione, constare. Ast non magis quicquam ejus libri prodiit, quam FRANCISCI GUIETI labor. Peculiare is aliquod consilium habuit Latinas voces a Græcis derivandi, in quo prima omnia, unde cetera deducerentur, monosyllaba esse voluit. Hoc profundum studii genus, quod ante ipsum nemini in mentem venerat, totum vitæ Guieti tempus occupavit. Sed, cum sollicite rem illam celaret, ne admittis quidem amicis intimioribus, post mortem ejus omnis industria periit, nec vel divinando e superstitionibus schedis rationem operis istius quisquam assequi potuit. Refert Anton. Periander, seu potius, qui sub ficto nomine isthoc latet, Joh. Albert. Portnerus, celebris Ratisbonensium JCtus, in vita Franc. Guieti, addita editioni Terentii Bæclerianæ. Originem linguæ Græcæ e monosyllabis hauriendam Isâacus quoque Vossius animadvertit, in libro de Natura Rythmi p. 44. cujus locum, cum & ad commendationem sermonis Græci, & ad illustrationem præsentis instituti, haud parum faciat, apponam. Sed neque invidiosum fore arbitror, præsertim apud gnaros, si dixerò: priscum Græcorum sermoem ex omnibus iis, quorum superest notitia, non primum tantum tenere locum, sed & illum tenere sine emulo, ne ipso quidem contradicente olim omnium gentium victore populo. Nec tamen existimandum, istiusmodi eum fuisse ab ipsis statim incunabulis. Primam quippe hujus si excutiamus originem, nibilo meliorem aliarum gentium linguis eam fuisse deprehendemus: asperam, scabram, & omnis dignitatis & elegantie expertem, fuisse, vel inde satis intelligas, quod vix alia, quam monosyllaba, præseis temporibus habuerit vocabula. seu illa nomina essent, seu verba. Hucusque Vossius, qui in sequentibus augere pergit istam antiquissimæ linguæ Græcæ barbariem, & modos, quibus illam ope Musices ac Poëseos expoliverint, exponit. Ceterum, quænam ineptiæ in vocum etymis, ob ignorantiam Græcæ linguæ, hic illic commissæ sint, singulari Oratione docuit JOH. CONRADUS DIETERICUS in Græciâ Exulante,*

tam. Autor, uti diligentia laude non est privandus, ita Eruditis Exteris vix approbabit multam, qua, Rudbeckii, aliorumque popularium, Hypotheses secutus erroneas, Literarum Græcarum Origines a Runis Gothorum derivavit, sententiam. Vid. de illo Joh. Schefferi *Steciam Literatam* p. 245. & nostra ad hanc *Hypomnemata* p. 431.

Exulante, five; de infelicitate seculi superioris ob Græca Lingua imperitiam Dissertatione, Marpurgi edita in 4. 1640.

Grammaticos Græcorum quod attinet, eorum sane & fuit olim, & est adhuc, larga fecunditas, & ferme dixerim abundans: nisi quod apud recentiores plus excubitur Grammaticarum, quam scribitur. Olim quidem magno numero prostitisse libros Grammaticos, qui modo linguam in universum, aut communem Phrasologiam, evolverant, modo unius solum dialecti, Atticæ inprimis, rem omnem fusius explicarant, non crebræ solum allegationes recensioneve Athenæi, Photii, Suidæ, Magni Etymologici, &c. facile probatum dant: sed & editi partim Græcorum veterum Grammaticorum fœtus; partim adhuc inter incolita bibliothecarum latentes, id ipsum extra omnem dubitationis aleam ponunt. (Ut taceam, jam Pompeji M. ævo Romæ Asclepiadem Grammaticum Opus de Grammaticis vastum conscripsisse, cujus sextum librum a Suida, undecimum ab auctore vitæ Arati allegari, observat Jonsius de Script. Histor. Philol. p. 205. sq.) Atque, ut ab ineditis incipiamus, magnam satis eorundem farraginem, e Regia maxime Parisiensi Bibliotheca, Phil. Labbe recenser in *Nova Bibliotheca MSSrum. P. IV. p. 103.* Non minore apparatus in Anglicis aliisque celebrioribus bibliothecis asservari, testantur, qui viderunt. Hi vero, qui typis editi prostant Græci veteres Grammatici, omnes tam antiqui non sunt, ut non magnam partem everfam Constantinopolim demum secuti sint. Quanquam enim sub MAGNI BASILII nomine *de Grammatica Exercitatione liber* Græce apud Morell. Paris. 1583. in 8. & jam diu ante Florentiæ 1515. lucem aspexerit: supposititium tamen esse fœtum, Manuelli Moschopulo debitum, jam pridem Rob. Stephanus in emendarissima sua editione An. 1545. monuit; observante Placcio *de Script. Pseudon. p. 185.* Antiquior Moschopulo & everfa Constantinopoli PHRYNICHUS, quippe jam Photio memoratus, & eodem referente sub Marco Aurelio & Commodo Imp. vivens, libellum reliquit *de Dictionibus Atticis*: cujus editio prima Zach. Calliergo debetur, Romæ 1517. inde repetita est Venetiis apud Asulanum, 1524. & Parisiis apud Vascosanum 1532. optima editio est & nitidissima Augustana 1601. in 4. studio Dav. Hæschelii, cum ejusdem, & prolixioribus Petri Joh. Nunneseii notis, in lucem publicam emissâ. Alios ejusdem Phrynichi tractatus Grammaticos, sed qui non supersunt, Photius atque Suidas recensent. Notandum vero, in ipsius Nunneseii notas Anonymum quandam eruditissimum, quem Casaubonum esse suspicantur aliqui, doctissimas notas confecisse: uti Menagius refert in *Anti-Baillæto T. I. p. 170.* ubi & errorem Bailleti castigat, qui, Heinsum Nunneseii notas publicasse pro suis, & proinde fugillatum a Salmasio fuisse, scribit: quod utrumque longe falsissimum est; cum Nansii correctiones in Epictetum pro suis ediderit Heinsius, & proinde sit a Salmasio in præfatione ad Simplicium censoria vîrgula percussus. Nihil ibi de Phrynicho, vel Nunneseio, cogitatum. Phrynicho jungit ob simile institutum Photius Cod. 158. HELLADIUM, cujus *Lexicon* Suidæ insertum inscriptio testatur: *Chrestomathiam* vero, prolixè idem Photius Cod. 279. excerpit. Verum quicquid hujus superest, non nisi

nisi fragmentum est. Totum habemus APOLLONII DYSCOLI (seu *Difficilis*, ut Gesnerus vertit,) Alexandrini Grammatici, & Phrynicho adhuc senioris, de *Constructione Orationis* librum, Græce Venet. 1495. apud Aldum excusum in fol. item Florentiæ 1515. in 8. & cum Latina versione Franc. Porti, ejusdemque & Frider. Sylburgii notis in 4. Francof. apud Wechelos 1590. Apollonio, in editione Augustana, adjuncta etiam PROCLI *Chrestomathia* est ab Andr. Schotto Græco-Latine, additis quoque Nunefii notis, edita. MOERIDIS *Atticistam* Photio olim lectum, nunc in Vaticana Bibliotheca latere Frisius refert: sed in Gallicis & Anglicis Bibliothecis esse narrat Salmasius, qui, in Comment. de Hellenistica, eum a se lectum passim allegat, & p. 46. in tota ejus συλλογή nihil frequentius notatum ait, quam differentiam nominum Atticorum & ἑλληνικῶν. Usus quoque eo libro est, cum Glossarium suum Græcum conscriberet, Carolus du Fresne: & Steph. le Moyne illud MSS. possedit, allegatque in Not. ad Var. Sacra p. 479. in eo tamen errat, quod Atticistam nomen viri putat, quod libri est. *Jobannem Grammaticum*, quem & Philoponum vocant, & *Corinthum* quendam, subjecit suo Linguae Græcæ Thesauro Henr. Stephanus, qui & cum Lexico Scapulæ edi solent. THOMÆ MAGISTRI *Selectæ Dictiones Atticæ* Romæ 1517. Paris. 1532. & nuperrime Franeckeræ 1690. prodierunt: (Constituerat aliquando Martinus Brunnerus, Gr. Linguae Professor Upsaliensis, Thomæ Magistri librum, recensitum a se, & cum Codicibus MSS. collatum, nova editione publicare: quam in rem subsidia If. Vossii per Nicol. Heinsium imploravit: uti constat ex epistola Heinsii ad Vossium, quæ inter Colomesii notas in Gyraldi Dialogos de Poëtis legitur p. 67. sed non credo editum esse quicquam.) Post everisam Constantinopolim THEODOR GAZA primus *Introductionem in Grammaticam* scripsit, magno omnium applausu, magnoque ad id stipendio conductus, Græce Venet. apud Aldum 1495. fol. excusam, repetitamque postmodum editione Græco-Latina Basileæ 1523. in 4. Nimirum erat inter novem exules e Græcia Romam profugos, qui præcipue Græcas literas in Occidentem & Septentrionem intulerunt, haudquaquam postremus. Sunt vero illi *Bessarion Cardinalis*, *Eman. Chrysoloras*, *Demetr. Chalcocondylas* tot egregiis discipulis clarus: *Leon. Aretino*, *Franc. Barbaro*, *Fr. Philelpho*, *Bapt. Guarino* & *Poggio Florentino*, cujus Institutiones Grammaticæ Græcæ variis locis impressæ sunt: *Theod. Gaza*, *Joh. Argypopolus*, *Georg. Trapezuntius*, *Marcus Musurus*, *Mich. Marullus*, & *Joh. Lascaris*: qui postremus, ex Illustri Lascarina Imperatorum familia oriundus, Medicæam Bibliothecam insigni Græcorum codicum thesauro ditavit; cum legatus a Laurentio Medicæo Constantinopolin ad Bajazetem missus omnes Græciæ Bibliothecas scrutaretur. Eodem Lascare auctore Leo X. Pontifex Romanus (Laurentii Medicæi Filius), ipsam propemodum Græciam in Italiam quasi in novam coloniam deduxit. Pueros enim ex tota Græcia, in quibus vis ingenii & bona indoles inesse videbatur, cum suis præceptoribus, Romam evocavit, ut linguam Romani suam ipsis commodius traderent, vicissimque suam illi Romanis. Vid. Miræi *Biblioth. Eccles. T. II. p. 17.* De singulis prolixè fati agit, eorumque simul icones e museo P. Jovii exhibet, Petrus Lambecius *T. VI. Comment.*

de Biblioth. Vindob. Addit. II. p. 274. sqq. Addendus vero his novem Græcis decimus Antonius Eparchus est, Corcyrensis, qui superiore seculo per aliquot annos Venetiis Græcas literas docuit, profecurusque est elegiacis versibus ruinam Constantinopolis, demum Corcyram regressus inter suorum literatos consenuit: is quoque centum codices Græcos secum attulit vanum, Imperatori Carolo V, & Francisco I. Galliarum Regi, oblatos: uti Lambecius *T. V. Bibl. Vind. p. us. refert*: e quo, & aliis, varia de Eparcho collegit Stephanus le Moyne, Proleg. ad varia Sacra, Lugd. Bat. 1685. in 4. edita: quæ nempe e codice Sarraviano, catalogum inseruit contentorum in volumine quodam, quod Eparchus olim Francisco R. dono obtulerat. Præterea e Græcis, quibus Græca eruditio multum debet, Hieronymus Spartiata, nec non Franciscus Portus Cretensis, & Æmylius, Francisci filius, memorandi sunt, omnes laboriosissimi: ut & Nicolaus & Zacharias Calliergi, Cretenses itidem, quorum utriusque curam impressi primo Magni Erymologici; posteriori insuper collectionem Scholiorum, Theocriti debemus.

5 Ceterum vendicant sibi suo jure præcipuum locum inter Grammaticos *Scholiasta Græci*, utpote quorum magna pars ad *Ἐξηγητικὴν* ferme tota componitur: quanquam & immista haud raro sint historica, & auctorum hodie incognitorum allegationes; quæ eo magis commendabiles illorum labores reddant. Familiam inter eos, nemine contradicente, ducit EUSTATHIUS, Theffalonicensis Sec. XII. Archiepiscopus, eruditissimus Commentator Homeri, cujus vastum Opus, & omni doctrina, grammatica præsertim atque historica, refertissimum, Romæ primum IV. Voluminibus 1550., & Basileæ Vol. III. Ann. 1560. prodiit. Priusquam vero recuderetur Opus integrum, epitomen ejus, sub titulo *Cornu Copiæ, sive Oceani Enarrationum Homericarum, ex Eustathio excerptarum*, concinnavit, atque uni justo Volumini inclusit, Hadr. Junius Basil. 1558., scilicet ne privarentur in universum labore Eustathii, quibus ad totum Opus coëmendum sumptus non sufficerent. Sunt præterea alia in Homerum *Scholia*, quæ Didymo vulgo adscribuntur, & sub ejus nomine tam apud Aldum & Basileæ aliquoties, cum Homeri textu, quam Lugduni Batav. ex editione Schreveliana, excusa sunt. Verum uti jam superiore seculo Jacobus Bedrotus, cum ea Scholia sine Homeri textu ederet. Argent. 1539. in 8., in præmissa præfatione, num recte illa Didymo tribuantur, dubitavit, & *ἀναρίη* potius esse censuit qui Didymum toties laudat & allegat; ita Henr. Stephanus quoque idem sensit, & Heracleoni potius vindicanda judicavit: quem secutus in Dissertat. de Strylo N. T. Thom. Gatakerus, quamplurimos, & tantum non omnes, secum sentientes reperit. Recentissima illorum Scholiorum optimaque editio, quæ simul inedita prius Scholia multa dedit, est nupera Cantabrigiensis 1689. in 4., sed Iliados tantum, cui ut succedat Odyssæa, optandum. Non longe ab Eustathio collocandus Apollonii Argonautæ *Scholiastes*; sed, quod aliis videtur, *Scholiasta tres, Lucillus, Sophocleus, Theon*, quorum labor in unum collectus apud Aldum primo, tum Basileæ 1521. & 1549., tum & apud Henricum Stephanum prodiit in 8. Utilissima Scholia illa sunt, & accurata, multumque ad veterem polyhistoriam

historiam conducunt. E reliquis præcipue commendari merent *Scholiales Aristophantis*, prorsus egregius ille, & inter optimæ notæ Commentatores numerandus; cujus editionem primam apud Aldum Marcus Musurus adornavit Venet. 1502. inde Florentiæ 1515. & Basil. 1548. recusam; revidit vero, cum antiquis Codicibus contulit, supplevit, suisque insuper Græcis quoque scholiis auxit Odoardus Bifetus, Genevæ 1607. *Scholiales Sophoclis*, Florentiæ apud Juntas, Venetiis apud Aldum, & Francofurti plus semel editus: *Isaaci Tzetzæ*, Johannis frater, *Lycophronis* Commentator, fratre multo eruditior, & inter optimos locum tenens: excusus una cum Joh. Meursii in Lycophronem Notis, Lugd. Batav. 1597. apud Rapphelegium: *Johannis Tzetzæ in Hesiodum Scholia*, una cum Scholiis Procli, Moschopuli, Johannis Diaconi, qui & Pediasimus & Galenus, Johannis cujusdam Protospatharii ἐξηγήσεις Φυσικῆ τῶν ἡμερῶν Ἡσιόδα & antiquis in Theogoniam Scholiis ἀνώγυμς, Venet. apud Trincavelum 1573. in 4. edita sunt; quæ postmodum nitido characterè denuo imprimi curavit Lugd. Batav. 1603. adhuc adolescens Dan. Heinsius: Ejusdem Johannis Tzetzæ Scholia in Homeri Iliadem, sed mutila, non contemnenda tamen, in Bibliotheca Paulina Lipsiensis Academiæ asservantur. Prætereo nunc Scholias Pindari, Æschyli, Euripidis, *Φαινόμενων* Arati. Theocriti supra jam memoratum; Thucydidis, aliosque plures: neque enim nunc instituti ratio patitur, ut de singulis fusius agamus. Optandum vero, ut curatius aliquando Scholiarum veterum Historia ex antiquorum monumentis erueretur: multum illa orbi literato prodesset: instigandusque adeo Vir ille eruditissimus e nostris est, qui spem ejus Historiæ aliquando fecit, ut eam impleat.

Pergimus ad *Grammaticos recentiores*: quos quidem si enumerare omnes animum foret, in immensum caput hoc extendi necessum foret. Enimvero paucos recensimus atque potiores. Primus sit ANGELUS CANINIUS, Italus sæculi superioris, Linguarum longe peritissimus, eoque nomine per Italiam, Hispaniam, Galliam & Hungariam, clarus doctor, *Hellenismum* scripsit, librum mole quidem non magnum, sed nec vulgaris etiam eruditionis. Equidem Josephus Scaliger Caninium plagii accusat, eumque e cujusdam Hispani Franc. Vergaræ Grammatica optima quæque desumpsisse, additis de suo nonnullis, criminatur, in Excerptis Putean. p. 248. Ast affectui Scaligerum indulgisse, & quanquam in primis Scaliger. p. 47. ei se nihil invidere profiteatur, invidisse tamen, dubitare nos non sinit subjuncta statim Tanaq. Fabri nota. *Is est Angelus Caninius, Anglarensis, quem nos, si quid in hoc genere sapiamus, omnibus Grammaticis Græcis quot sunt, quot fuerunt, longe anteponendum esse judicamus. Nam, quod quidam de Vergara dixerunt, id nec probatur, nec videtur verisimile. Liber ipsius editus est Lutetiæ Paris. 1555. apud Guil. Morellium, in 4. Thesaurus Hellenismi dici potest. Nunc illum cum maxime lego, neque pœnitet me opera.* Hæc Faber, candidior iudex, cui quodammodo præiit Jac. Gretserus, dum, in præfatione suæ Grammaticæ, Clenardo atque Varenio Vergaram facit longe inferiorem; & præsertim ordinem ejus perturbatum & implicatum notat. Ceterum editus etiam ille Caninii *Hellenismus* in 8. Paris. 1578. cum auctario Caroli Hauboessii, prodit.

Thuanus, Caninium suæ Historiæ inferiturus, de ejus patria, Scaligerum interrogavit, ut e Gallicis ad Scal. epistolis videre est p. 329.

7 Caninium sequatur NICOLAUS CLENARDUS, Vir doctissimus. Scripsit is *Institutiones Linguae Græcæ*, Paris. 1549. in 8. 1553. in 4. apud Wechelum & multoties alibi, impressas, quas pro absoluto perfectoque Opere habent nonnulli. De ejus tamen (ut & de Caninii) defectibus jamdudum monuit *Henr. Stephanus*, in *Dialogo de Infidis Linguae Græcæ magistris*: qui & supplementum scripsit hujus Grammatices, quod, una cum Frid. Sylburgii recognitione, Francofurti editum est. Gretserus, loco paulo ante cit., queritur, in singulos prope annos nova facie Clenardum prodire: novis notis, notationibus, animadversionibus, paralipomenis & censuris, quasi vinculis & compedibus onustum. *Scaligero* in *Scaligeranis Clenardus diligentissimus potius Grammaticus, quam doctus ulla in lingua, videtur*: Sed & hoc ego judicium nimis ambitiosum esse crediderim.

Adhuc ante Caninium & Clenardum, URBANI BELLUNENSIS, Monachi Franciscani, *Institutiones Grammaticæ* ab Aldo primum, tum a Curione summa cura Basileæ, cum præfatione Henrici Glareani, excusæ prostant 1524. 1535. & 1539. in 4. quo quidem in scripto Auctor non sane contemnendam operam posuit, & a viris doctis probatam. Et qui posset aliter, qui, ut in præfatione testatur, *Grammaticorum ingentem copiam ex omni propemodum Europa collegit, moxque eos omnes sane quam accurate perlegit, habitoque-delectu rerum annotatu dignarum, duos composuit libellos, quorum alter tyronibus manum leviter præberet, alter penitiora profectis paululum recluderet*. Atque, ut eo magis suum istud opusculum probarerur, laudabili instituto de passionibus dictionum ex Tryphone: de spiritibus ex Theodorito; ac de Dialectis ex Corintho excerpta, suis Institutionibus adjunxit.

8 Posthunc MICHAEL NEANDER memorandus est, ille meritissimus Gymnasii Ilfeldensis Rector, ubi rot præclaros Viros formavit, & inter alios LAURENTIUM RHODOMANNUM ex Gymnasii Stralsundensis Rectore Professore Historiarum Wittebergensem: cujus quidem promotio num Scaligeri commendatitiis, Electori monstratis, debeatur, ut ipsemet in Excerptis Puteanorum jactat incertum. Hoc certum, adeo in Græcis literis, & poëti inprimis, excelluisse Rhodomannum, ut admirationi stuporique fuerit ipsimet præceptor Neandro, ut & Dav. Chytræo, Joh. Caselio Marr. Crusio, Nicod. Frischlino, Joh. Leunclavio, Henr. Stephano, Christ. Plantino, aliisque Viris ejus ævi in Græca eruditione principibus, & ut idem *Scaliger Epist. 401.* ad illum data miris eum elogiis extollat, scribatque inter alia: *Equidem memini, quum illa tua inusitata venustatis Lætiaca, Iliaca, & reliqua, tacito nomine tuo prodissent, non potuisse me continere apud amicos, præsertim apud Germanos, quin ea dicerem cum præstantissimis Græcorum certare, multis etiam longe præstare: quod qui negare vellet, aut imperitum aut malignum esse*. Sic & Gallus Jesuita eruditissimus, *Franciscus Vavassor, lib. de Epigrammate c. 17.* Rhodomanni Græca poemata, qui rarus Gallorum in Germanos candor est, Jul. Cæsaris & Josephi Scaligerorum

ligerorum carminibus præfert, & ipsis antiquis dubiam reddere posse palmam censet. Optimis vero ejus poëmatibus accensenda imprimis etiam *Palaestina* est, purissimo versu Græco scripta, & ad invidiam usque nitida: cui præfationem in laudes Rhodomanni effusam Mich. Neander præfixit. Inter cetera Græca ejus poëmata *encomiasticon* quoque *carmen* in præceptorem suum, Michaëlem Neandrum, extat, (quem scilicet, ipso Neandro teste, in amore semper habere, amore etiam & sermone nunquam desit,) prolixum non minus ac egregium, quod in libro ejus *Phyfico* reperitur. Ceterum, ut ad Neandrum nunc propius a laude discipuli redeamus, ut ille Vir in omnibus pene disciplinis utilissimos longe libros scripsit; ita *Erotemata* ejus *Græca* aliquoties edita, satisque vel e nostris quoque superioribus libris nota sunt, ita, ut nec de prolixa præfatione, longe eruditissima, quæ nonnullis editionibus præfixa est, quicquam dicere attineat.

MATTHÆUS DEVARIUS, Vir Græcæ doctissimus, aureum plane librum *de particulis linguæ Græcæ* scripsit, qui olim Romæ An. 1588. in lucem emissus in 4., postea, A. 1657. in Anglia recusus est. Liber est omnibus elogiis dignus, & miror, illum tamdiu latere potuisse. Namque & nunc, recusus licet, etiamnum rarissimus est: (z) cum tamen ne unus quidem nec veterum, nec recentiorum, in hoc argumento quicquam tentarit, huic Operi comparandum, quod proin sedulo Juventuti harum rerum cupidæ commendandum existimamus, quippe in quo maxima elegantiae Græcæ pars proponitur. Ceterum idem ille Devarius est, qui copiosissimum indicem in Eustathium, Homeri interpretem summo utique labore confecit. Quinam vero reliqui ejus in Lingua Græca fuerint labores, ipse, in dedicatione & præfatione sui de particulis libri, exponit.

Ob similem laborem Devario FRANCISCUM VIGERUM, Gallum 10 Jesuitam, surrogamus, doctissimum: cujus *de Idiotismis præcipuis linguæ Græcæ* liber aliquoties, sine addito nomine Auctoris, lucem aspexit Paris. apud Sebast. Cramoyfium 1627. in 12. 1644. in 12., & alias: una cum nomine auctoris prodiit Lugd. Batav. in 12. 1680. Multa sunt in illo libro recondita, quæ ad Syntaxin Græcam spectant: magna etenim cum cura ac diligentia differentiam Attici sermonis notat, ceteraque linguæ Græcæ scita eleganter pertractat; quibuslibet sub certis regulis, juxta Grammatices ordinem, locatis. Certe faciem præfert Vigerus hoc suo libro ad pernoscenda linguæ Græcæ interiora. Consilium opusculi patet ex præfatione, quæ quasi in antecessum & *παρασκευὴν* legi potest.

JOHANNES POSSELIUS, Rostochiensis, Græcæ linguæ Professor, rem 11 Grammaticam Græcam variis libris a se editis locupletiolem reddidit. (aa) Ejus
Fff ff 3 extat

(z) Matthæi Devarii de Particulis Linguæ Græcæ liber nuperrime, uno eodemque Anno seculari 1700. duobus in locis est recusus, Noribergæ scilicet (in usum Scholarum Urbis illius) in 8vo, & Amstelodami in 12mo, nec proinde jam adeo rarus inventu.

(aa) De Joh. Posselii Senioris (Filius enim habuit *ὀμώμων*, Parentis in Lingua Græcæ Pro-

extat *Syntaxis Græcæ*, non contemnendum Opus. Scripsit & *Calligraphiam*, Francof. 1590. in 8. editam, librum ad conficiendam orationem Græcam utilissimum: quanquam omnibus numeris absolutus non sit; Benziique Thesaurus illi præstet. Est tamen usus apud tyrones non contemnendi. Multa sane ad perfectum aliquod Opus hujus argumenti requiruntur, neque illud studium Græcæ linguæ nunc est, ut quis hunc sibi laborem sumere velit: ideoque in pretio habendi, quos nancisci possumus. Maxime in hoc genere commendari meretur ANTONIUS SCHORUS, aurei libelli Auctor *de ratione docendæ discendæque Græcæ & Latine Linguae*, Argent. 1549. in 8. editi, in quo, ex Isocratis parænesi ad Demonicum, modum ostendit, quo phrasium in lingua Græca, quas perpetuo cum Latinis confert, observationes instituendæ sint. Extat & MICH. NEANDRI *phrasologia Socratis*, quam ille, ex hujus Orationibus collectam, & sub titulis locarum, recentis sui auctoris verbis integris, vulgavit. Basil. 1557. in 8. Ejusdem instituti est JACOBI BILLII, Abbatis Græcæ eruditissimi, *Locutionum Græcarum, in communes locos per alphabeti ordinem digestarum, volumen*: quod Paris., vergente ad finem superiore seculo, lucem publicam aspexit. Poëticarum phrasium congeriem collegit JOH. PHIL. PAREUS, in *Mellicio Attico*, quanquam & illic non minus, quam in *Calligraphia* ejus *Romana*, delectum majorem, & distinctiorem ordinem, quis requirat. Porro & in flosculis sententiarum, formularum solenniū, adagiorum, pro ornatu orationis colligendis, aliqui salubrem operam navarunt. Legas itaque Mich. Apostolii, Andr. Schotti *Proverbia*: JANI GRUTERI *Gnomas Jambicas*, quas, in Opere Adagiorum suorum, ex omnibus gentibus collectorum, congeffit Francof. 1610. in 8. Ex Homero sub titulis collectos habemus versus, qui Adagiorum instar nonnunquam Latino sermoni inspergi possunt, a JACOBO DUPORTO, in libro, cui titulus: *Gnomologia Homeri*, duplici parallelismo illustrata, uno ex locis S. Scripturæ, quibus gnomæ Homericæ aut prope adfines, aut non prorsus absimiles afferuntur, altero ex gentium scriptoribus. Cantabrigiæ 1660, in 4. Formulæ istiusmodi nemo aptius & adposite magis utitur, quam Casaubonus & Reinesius in suis epistolis: e quibus excerptæ illas potest, qui bilinguis in epistolis esse vult. Revertor nunc ad Grammaticos.

12 JEREMIAS TSCHONDERUS, in Gymnasio Vratislaviensi Græcæ Linguæ Professor, scripsit *Systema Grammaticæ Græcæ*, quod magno elogio extollit Caspar Scioppius. Nam in fine *Consultationum* suarum *de studiis*, ita habet: *Græcam Tschonderi Grammaticam qui nancisci potest, magno paradigmata, multasque regulas, addiscendi*

fessione Rostochii Successorem) in Literaturam Græcam Meritis, & Scriptis variis eam illustrantibus, toties cæcis ac recatis, in *Cimbria Literata* fusius sumus commentati, & Judicia de iisdem Eruditorum honorifica quamplurima collegimus. Nunc unci saltem de *Calligraphia Linguae Græcæ Oratoria* mentionem injiciemus: a Nicod. Frischlino, Poëta & Didactico celebri, profecti, qui, teste Petr. Bambamii *Posselio Redivivo*, tanti librum hunc fecit, ut Discipulos eum sibi, vel veste nummis permutata, comparare jussisset.

discendi labore se levatum letabitur. Et verum utique est, magna diligentia tradidisse Auctorem illum Grammatices præcepta: plenissime simul & compendiosissime Dialectorum & Poëtismorum ad singula præcepta applicationes instituit: syntaxin ordinate proponit; usumque particularum monstrat: quanquam Matth. Devarii liber in hoc labore multum illi profuerit; ut, præter alia, ex syllabo Auctorum patet; quos nominat. Editus est liber Jenæ Ann. 1618. in 8.

MARTINUS CRUSIUS, Professor Græcæ linguæ Tubingensis, multa ¹³ edidit in lingua Græca. Variæ ejus extant Commentationes Grammaticæ, & cum Nicodemo Frischlino lites, qui & ipse Grammaticam Græcam scripsit, & in ea, quavis data occasione, Crusium fugillat. Sed erat Frischlino ingenium satyricum, quo, magnas sibi calamitates, & exitium, attraxit. Equidem Crusius Vir non adeo emunctæ naris, sed diligens tamen & laboriosus erat, & in vulgari illa Græca versatissimus, cujus varia ab illo extant monumenta in ejus *Turco-Græcia*, Epistolarum ab ipso ad Græcos modernos, & horum vicissim ad illum, scriptarum: multos enim impendit sumtus in literas ultro citroque latas. Habetur vero in illis eximia notitia status religionis, qualis nunc est in Græcia, cujus cum nostra Ang. Confessione Symbolismus haud raro luculentus ostenditur.

Non vacat autem, recensere omnes Grammaticos, illos præcipue, quibus ¹⁴ pro lege est se mutuo exscribere, ut quidem recte mea sententia judicat Dietericus in *Specillo Chrestomathia Græca*, qui addit; *inter tot Grammaticorum compendiorum Auctores vix unum esse, quem in omnibus sequi possis.* Ostendimus Auctores præcipuos, unde plerique ceperunt sua, vel in compendium traxerunt: de reliquorum, qui supersunt, nonnullis, carptim brevia dicemus. Est nempe *Grammatica Ott. Gualtperii, Theoph. Golii, Jac. Gretseri* (sua utique laude non privanda, cujus jam septima editio ante An. 1606. Ingolstadii prodiit) JOHANNIS VARENNII, Mechliniensis, qui Lovanii Græcas literas docuit, *Syntaxis Græca*, Basil. An. 1536., & iterum cum annotatiunculis Joach. Camerarii, apud Oporinum Anno 1550. edita, quam laudat, & Vergaræ sine controversia præferendam ducit, Gretserus. Alex. Scoti, qui & in Clenardum scholia scripsit, prodiit Colon. An. 1633. in 8. Rich. Croci, Angli, in Grammaticam Gr. Introductiones & Tabulæ Grammaticæ Colon. An. 1510. excusæ commendantur a nonnullis; quos inter præcipue Erasinus eum Auctorem, ob linguæ Græcæ peritiam, vehementer extollit. Extat quoque PETRI RAMI *Grammatica Græca*, Paris. An. 1567. & Francof. 1580. in 8. edita. Alia item ejusdem Auctoris Francof. Ann. 1581. prodiit, quæ in id-scripta est, ut, *quantum differat lingua Latina a Græca*, ostendat: quod argumentum licet a Ramo plene pertractatum non sit, est tamen conatus Operis haud vulgaris. Utilissimum enim est, nosse differentiam linguarum a se invicem & convenientiam: cum utrumque faciat ad proprietatem Latinæ Linguæ, & ad Idiotismos rectius cognoscendos. Convenientiam Græcæ linguæ cum Latina descripsit DANIEL VECHNERUS, in libro, cui titulus *Hellenolexia*, seu *Parallelismus Græco-Latinus*, imitationem Græcorum in lingua Latina ostendens.

Liber non ita pridem recusatus est, utilissimus sane, e quo maxime patet græcissatio linguæ Latinæ: editus est dudum Argentorati Ann. 1630. in 8. JACOBI WELLERI *Grammatica* laudatur ob declinationum species in compendium redactas: verum non fuit hoc ejus inventum, sed Laurentii Rhodomanni, qui, in *Philomuso suo*, jam tum ejus meminit; quod Wellero dissimulatum. Extat quoque *Græca Grammatica* JOH. CASELII, a Nathane Chytræo edita Rostochii Ann. 1581. in 4. FRANCISCI SANCTII *Grammatica*, Antwerpiae eodem anno in 8. proculsa, exiguus libellus est, sed ob Auctoris nomen in aliquo pretio habendus, qui fuit in Salmanticensi Academia Rhetorices & Græcæ linguæ Professor. *Græca Vulgaris hodiernæ Grammaticam* SIMON PORTIUS, Theologus Romanus, scripsit, nuncupavitque Cardin. Richelieu Paris. 1638. in 8. quam tanti æstimavit Carolus du Fresne, ut reculam Glossario suo Græco præfigeret.

- 15 Dolendum vero, intercidisse consilium JOH. CONR. DIETERICI de *Opere χρησιμωτάτοις Græcæ*, cujus Synopsin, seu, ut ipse vocat, *Specillum*, editum habemus. Sex ille partes Operis ejus facit. I. *Breviarium*; in quo artem Grammaticam tradere meditatus est. II. *Radicale*, ut vocat, quod primitiva Græca, eorumque deducta, certis regulis proponere debuit, pene ea ratione, qua Andr. Pauli in *Thematologya* Novi Testamenti usus est. III. partem facit *Theatriolum sententiarum*, sex ordinibus distinctum: quo in loco multa de Auctorum Græcorum delectu non aspernanda habet. IV. Pars illi est *Inventarium Harmonicum*, quo recenset Vocabula ac Phrases cum Latinis convenientes, & e Græcis deductas voces Latinas (Quo consilio Jac. Masenius in *Palæstra Styli Romani*, l. II. c. 2. & 3. a Græcis derivata peculiari Lexidion complexus est). Sequitur apud Dietericum V. pars, *Rationale vocum*, ubi etyma ac origines Vocabulorum investigat. Sextam denique partem vocat *Flavissam Poeticam*, qua proponere voluit Lexidion vocum & translationum Poëticarum, quas quidem a ceteris optime sejunxit. Addit denique *Manuissam artificii mnemonici*, quam illorum ingeniis, qui non adeo incapaces artis istius sunt, tantum commendat. Memini, Henricum Schævium Eilhardi Lubini Clavem L. Gr. ad artes mnemonicas redegerisse, atque his non sine aliquo successu Græcæ linguæ radices pueros docuisse.

- 16 Hæc de Grammaticis in universum. Partes Grammaticas figillatim nonnulli peculiaribus libris exposuere. *Dialectorum Græcorum originem & naturam* prolixè, & more suo eruditissime, pertractavit SALMASIUS in suo *de Hellenistica Commentario*, in primis P. II. inter alia contendit, male κοινή dialectis annumerari: quippe quæ tum demum invaluerit apud Græcos, ubi ceteris dialectis abolitis sola ελληνική (quæ olim in dialectorum censu fuerat Thessaliæ ac Macedoniæ incolis usitata) per Macedones introducta ubique fuerit: qua remotos ait illius temporis Grammaticos, qui quatuor dialectos ab antiquis traditas scirent, viderentque vigere ubique locorum in Græcia linguam illam, quæ κοινή vocabatur, hanc quintam addidisse dialectis antiquis quatuor, quæ proprie tamen dialectus non sit. Egredietur quoque de dialectis fuscè HENR. STEPHA.

STEPHANUS in *Theſaurt parte ultima*. Omnem vero ejus aliorumque de dialectis doctrinam tabulis commode & succincte incluſit JACOBUS ZWINGERUS, Prof. Baſilæenſis, quæ cum Scapulæ Lexico edi ſolent.

De *Accentibus Græcis* peculiareſ libros ſcripſerunt ANTONIUS DANGALIERES ¹⁷ & PHIL. LABBE: quorum hic editus eſt Lugduni 1650. in 12. alter ibid. A. 1655. in 12. Et hi quidem nihil de accentuum novitate tradunt. CL. SALMASIUS, in ea epiſtola ad Sarravium, quam *libro I. T. I. noſtri Polyhiſtoris, c. 7.* totam excerptiſimus, Ariſtophanem primum & proſodiae, & accentuum, repertorem facit: Byzantium nempe, Grammaticum ſub Ptolomæis Philopatore & Epiphane clarum, ut in alia iterum epiſtola, inter Sarravianas p. 241. & 242. ſemet explicat. Neque id ſane falſum, quippe quod ex Apollonio, Arcadio, aliisque Græcorum Magiſtris, didicit: uti, poſt Salmaſium, ISAACUS VOSSIUS lib. *de Viribus Rythmi* obſervavit p. 18. qui ſimul brevem hiſtoriam Græcorum accentuum literariam ſubjungit, hiſ verbis: *Hujus (Ariſtophanis) diſcipulus Ariſtarchus, præceptoris inſiſtens veſtigii, auxit & illuſtravit accentuum numerum, idemque ſtadium tenuit Dionyſium Thracem, Ariſtarchi auditorem. Nec aliam inſtitere viam, qui poſtea in ſchola Alexandrina ſibi invicem ſucceſſere: Apollonius nempe Dyſcolus, Orion, Herodianus, Apollonii Dyſcoli filius, Alexander, Aſtyages, Origenes, Agapetus, Philoponus, Sergius, Apollonius junior, Ariſtarchus junior, Johannes Charax, Herodianus Magnus, Auxonius, Georgius Chæroboſcus: qui omnes quanto ætate poſteriores, tanto pluribus præceptis accentuum rationem involverunt, ut multa horum quæ ſuperſunt, ſatis declarant ſcripta. Quemadmodum vero Salmaſius l. c. negare non poteſt: non propterea, quod inventi dudum accentus fuerint, eorum quoque in ſcriptione marmorum, numiſmatorum, codicumve uſum fuiſſe: imo potius nullum codicem nongentorum aut mille annorum deprehendi fatetur, cui, niſi forte a recentiore manu, appicti accentus ulli ſint: ita hoc etiam inprimis Voſſius pro novitate accentuum hodiernorum urget: olim ſcilicet, florentibus etiamnum Græciæ rebus, longe aliam proſodiae & accentuum fuiſſe rationem perſuaſus: ad quæ roboranda veterum Grammaticorum Dionyſi Thracis, Apollonii Alexandrini, *Æl. Dionyſ. Halicarnaeſiſis, Ariſtarchi junioris, & aliorum*, quæ ſuperſunt ſcripta & fragmenta allegat, colligitque, non Grammaticorum olim ſed muſicorum fuiſſe officium, notas, ſeu diagrammata proſodica, unde cantus cognoſceretur, appingere poematis. E quibus omnibus concludit; repudiandos in poëtarum lectione Græculorum recentiorum accentus, qui nihil aliud ſignant, quam ſonum abſonum, ridiculum, & verſus, qui cantari nequeant, denique quidvis potius, quam carmen: contra apponendos alios, qui pedum ac rythmorum rationem obſervent: cujus laboris ſpecimen ipſe in tribus Homeri verſibus exhibet. Hiſ Voſſii aliisque novis rationibus nixus HENRICUS CHRISTIANUS HENNINIUS, idem *περὸς ἀκρότητες* eleganti diſſertatione adſerere conatus eſt, quæ ſub titulo *Ἐλληνισμῶς Ὁρθῶν* Trajecti ad Rhen. An. 1685. in 8. in publicum exiit. (bb) Sane,*

uti

(bb) Henninii de Accentuum Græcorum novitate Sententiam confirmare ulterius aggreſſus eſt Tomus I.

Ggg gg

uti hæc opinio fuis, probabilibus etiam, fundamentis destituta dici non potest, probataque Henninii dissertatio, ipsomet id referente, compluribus apud Belgas eruditius primi ordinis est: ita eo magis optandum, ut aliæ ejusdem viri duæ Dissertationes, quas se jam paratas habere ait, excudantur: quarum una inscribitur *ἑλληνισμός ἐν μὲν Ἰωνίῳ*, & annexum indicem *Bibliotheca Græca* habebit 1. *Philologorum*, seu *Grammaticarum*, *Lexicorum*, *Phrasæologiarum*, particularum linguæ Græcæ, similiarumque scriptorum. 2. *Literatorum*, qui Græcas antiquitates illustrarunt. 3. *Auctorum Græcorum*, qui ab Homero ad captam usque Constantinopolin urbem scripserunt. & 4. *MSS. Græcorum ἀνεκδότων*, quæ hic illic in Bibliothecis latent. Incidit hac occasione, ut id *ὡς ἐν προόδῳ*, sed tamen non extra oleas, addam JOHANNEM MEURSIUM, egregium illum Græcæ antiquitatis vindicem, sub manibus simili labore *Bibliothecam Græcam*, ac *Bibliothecam Atticam*, habuisse: Atque, ut erat prorsus eximia in eruendis colligendisque rebus Græcis solertia, stupendique laboris vir: ita neque hoc in opere cessavit: sed jam ad finem perduxerat Atticam Bibliothecam, quæ Scriptores Athenis oriundos continet: & in quatuor libros Alphabetico ordine distributa Holmiæ in Regia Suecorum Bibliotheca MSS. servatur: hinc vero ut communi eruditorum usui, per Clar. Normannum, vel alium Virum doctum, eruatur, sane perquam optandum est. *Græca* vero *Bibliotheca* Meursii, quæ ibidem latet, & omnium Græciæ provinciæ Auctores itidem alphabeti ordine digestos recensere debuerat, manca nimis est, & non ultra primam *δύαδα* literarum assurgit. (cc) His ita de Meursio inspersis, nunc ad Henninii

Medicus alter eruditus, Joh. Dan. Major, Prof. Kilomiensis, in *Epistola de Nummis Græce inscriptis*, ad D. Job. Dieckmannum, *Ducem Bremensis Ecclesiarum Supremum Antistitem*, quæ præcipue *Paradoxon Viri Cl. Henr. Christ. Henninii, Linguam Græcam non esse secundum Accensius pronuntiandam, Orbi Literato ulterius considerandum committitur*, Kilonii A. 1685. in 4to edita. Adjecta est illi *Appendix de suspecta, imo olim nulla, Fororum Subscriptione*.

(cc) Bibliotheca Joh. Meursii Senioris Græca Alphabetica, de Antiquis Scriptoribus Græcis, eorumque Operibus, tum etiamnum reliquis, tum deperditis, Libris IX. totidem Musarum nominibus, ad exemplum *Historiæ Herodoti*, insignitis, absoluta, sæpius ab Autore (*Lib. 2. Athen. Batav. p. 197. 198. in Lib. de Fortuna Attica c. 3. & in Lect. Theophrasticis cap. 1.*) est promissa, Editioque illius a Viris Eruditis; Andr. Schotto & Luca Holstenio (in *Epistolis ad eum ἀνεκδόταις*;) Phil. Labbeo (in *Biblioth. Bibliothecarum p. 205.*) Joh. Jonfio (*L. 3. de script. Hist. Philos. c. 20. p. 313.*) aliisque, vehementer desiderata. Superesse eam etiamnum inter *Ανεκδοτά* Bibliotheca Regiæ Svecicæ Holmiensis Meursiana, quæ Sam. Pufendorffius Joh. Georgio Gravio, ut, ipso curante, ederentur, transmisit, verum imperfectam nec ultra Literam H productam, Christ. Thomasi *Cogitata de Libris Recentioribus Jocosæ Germanicæ* (M. Nov. A. 1688. p. 585. 586.) testantur. Si Morhofio, vel interpolatori ejus (h. l.), credendum, longe adhuc magis est mutila & imperfecta, nec ultra primam Literarum *δύαδα* assurgit. Absolutam tamen ego illam ab autore esse non dubito, cum edendæ ejus potestatem Guilh. Noomfio, Arlanderveniæ Domino, Anno jam 1634. fecerit in *Epist. ad Gerh. Joh. Vossium d. 12. Jul. scripta*, & in *Appendice Vossianarum* (num. 200. p. 127.) obvia. Bibliothecam Atticam (*L. 2. Arber. Batav. p. 197. 198. in Præfat. Græciæ Ludibundæ, & in lib. de Fortuna Attica c. 8.*

Henninii promissam alteram Dissertationem revertor: eam inscribit *Πρωμίσσιον* *Βαρεβάριον*: demonstrabitque, Græcos hodiernos, eorumque sequaces, vitiose literas & diphthongos Hellenismi enunciare.

Atque ita nos manuducit sua hac promissione Henninius ad controversiam de 18
genuina lingua Græcæ pronunciatione, multa utrinque contentione, scriptisque multis, inter literatos agitatam: quibusdam hodiernum & vulgarem pronunciandi morem, quo diphthongos *ai* per simplex *e*, *oi* vel *es* per *i* simplex, efferunt, quemque nunc jotacismum appellare nobis liceat: aliis contra vehementer eam pronunciationem impugnantibus, & oppositum adeo esse clarum manifestumque contendentibus, ut contrahiscere idem sit, ac os nullum, vel potius pugilis, habere. Sic utraque causa suos patronos, sua etiam argumenta, habet. Mihi tamen semper potior est visa posteriorum sententia, qui jotacismum istum improbant. Id equidem præfracte adeo negare non ausim, aliquo tempore, & apud aliquos Græciæ populos fuisse talem pronunciationem in usu: namque observatum est in inscriptionibus Græcis vetustissimis (e quibus potissimum, & e versioribus Latinis, quando Græcas literas æquali charactere exprimunt, res decidenda est,) pro *η* & *oi* substitutum fuisse purum jota: sed tamen hæc rem nondum decidunt. ISAAC. VOSSIUS, qui, suarum in *Melan Observationum* l. I. c. 12. p. 65. se de *Literis & pronunciatione linguae Græcæ scripturum*, promiserat, in libro de *Natura Rythmi* p. 15. graviter in eos invehitur, qui credunt, *beta* literam sonasse ut *vita*, aut vocales *η*, *ι*, & *υ*, eodem pacto pronunciatas fuisse: contra is non solum florentibus adhuc Græciæ rebus, sed & quamdiu steterit Romanum imperium, diversum accidisse, audacter asserit: aliam tamen diphthongorum esse rationem faterur: quanquam enim utraque earundem vocalis exaudita in veterum pronunciatione fuerit, priusquam Græcia Romanis serviret: sub Nerone tamen, & Claudio, cum nimium delicatuli esse homines cœpissent, diphthongos Græcas una cum Latinis, frustra etiam renitente Claudio, expirasse. *Non tantum insolens quid* (ita Vossius p. 16.) *sed & vastum, & rusticum præ se ferre videbantur diphthongi AI & OI: Nec defuere credo, qui fauces non satis patere, nec sine dolore in tam latos sonos diduci & explicari posse, affirmarent. Sine mora itaque a Romanis transit vitiosus hic pronuntiandi ritus ad Græcos; gentem adulandi peritissimam, frustra reclamantibus doctis & antiqui moris studiosis: qui licet aliquandiu resistere, brevi tamen & ipsi quoque in mollius loquendi genus concessere: & adeo quidem, ut Trajani & Adriani seculo bivocalium usus penitus cessasse videatur. Hinc est, quod in illis marmoribus, quorum inscriptiones factæ sunt post ea tempora, mera diphthongorum confusio appareat, cum E pro AI,*

Ggg gg 2

I pro

promissam) Autor prælo itidem paratam habuit, ac Gerhard. Joh. Vossio Amstelodamum A. 1633. transmisit, ut illic, in Tomo Operum suorum Historico-Philologicorum Primo, ederetur. V. Epist. ejus ad Vossium, d. 20. Aug. A. 1633. exaratam, in *Appendice Vossianarum*, *num. 173. p. 113.*

I pro OI vel EI, passim occurrat, cum tamen in vetustioribus lapidibus orthographiæ ratio optime sibi constat. Hæc Vossius, cujus ego judicio multum in hoc negotio tribuo: est enim illarum literarum doctissimus, & in ista multitudine Auctorum, qui de hoc argumento scripsere, procul dubio nova quædam vidit & observavit. Scripserunt alioquin de pronuntiatione lingue Græcæ JOH. CHEKUS, Anglus, cujus de illa controversia disputationes, cum Stephani Wintoniensis Episcopi VII. epistolis, junctæ prodierunt Basil. An. 1555. THOMÆ SMITHI de recta & emendata pronuntiatione lingue Græcæ liber Paris. apud Rob. Stephanum an. 1568. in 4. excusus est. ADOLPHI MEKERCHI, Brugensis de veteri & recta pron. ling. Gr. scriptum Plantinianis typis Antwerp. 1576. in 8vo impressum est. HENR. STEPHANUS vero integrum corpus Auctorum, hanc materiam evolventium, collegit, hoc titulo: De lingua Græcæ ac Latine vera pronuntiatione commentarii doctissimorum virorum. An. 1587. in 8. Scripsit præterea JOH. CAJUS, Londinensis, Medicus clarissimus, πολύγλωστος (ut e Gaddio de Scriptor. Non-Ecclesiast. Præfatione Bibliotheca liquet) & Collegii cognominis apud Cantabrigienfes fundator, de Pronuntiatione lingue Græcæ & Latine, cum scriptione nova Londini. 1574. in 4. Adversus joracistas disputat quoque LAURENT. RAMIREZ de PRADO in Πεντηκοντάετος fuo Antwerp. 1612. edito, c. 34. qui & hac in parte profigare ignorantiam vulgarem voluit. Contra vero non ita pridem JOH. RUDOLPH. WETSTENIUS, Græcarum literarum in Academia Basil. Professor, doctusque vir, omnes has de pronuntiatione Græcæ linguæ lites, editis de illa Orationibus Amstelod. 1681. in 8. ita resumfit, ut joracistarum partes agat, & sollicitè ad adversariorum argumenta respondeat: nondum tamen persuasit.

- 19 Ad doctrinam de Dialectis, cujus supra mentionem fecimus, pertinet quoque πολυδιδάκτος illa, & tot infestis acerbisque scriptionibus actitata, de Hellenistica Lingua controversia: cui occasionem primam JOSEPHUS SCALIGER, tum in Animadversionibus Eusebianis pag. 134. tum in conversatione familiari dedit: a quo, magistro suo, haustam opinionem DANIEL HEINSIUS, in Prolegomenis suarum Exercitationum Sacrarum, earumque perpetuo decursu, magno conatu uberius expolire, peculiaremque Dialectum ejus, in translatione τῶν LXX. & stylo Novi Testamenti, obviam, constituere annis est. Cui vero se acri scriptione opposuit CLAUDIUS SALMASIUS, tum in Commentario de Hellenistica, Lugd. Bat. 1643. in 8. edito; tum in Funere & Ossilegio Hellenistica. ibidem eodemque anno proculso, cum Heinsius scripta dissertatione sui vindicias tentasset. Et scripsit quidem Salmasius eo eventu, ut causa Heinsium cecidisse viri docti palam tum judicarent. Ita enim Sarravius ad Alex. Morum Epistol. p. 71. Omnes docti & probi in amici nostri sententiam palam eunt. Familiam duxere Gerh. Vossius, Constantinus Imperator, Job. Latius: quos numeri innumeri secuti sunt. Hos inter non ultimum ipsummet Sarravium fuisse, alia ejus ad Gronovium, quem noverat Heinsii amicum, verba testantur Epist. p. 69. Sed quid de ejus (Salmasii) Hellenisticis censetis? Tu præsertim quid de Ossilegio? Nisi enim me viri amor turbat, vix aliquid majori cum fructu, venustate & elegantia, ab eo unquam scriptum

scriptum fuisse edico. Hinc cum MARTINUM SCHOOCKIUM, Ultrajectinum, Rogum Funeris Hellenistici moliri audivisset; *Viderit ille, inquit, num molesta tunica indutus in ipsa tæda lucere velit:* pag. 87. Nihil vero hujus edidit Schoockius: sed Auctor est Dissertationis *de Hellenistica lingua*, Lugd. Batav. 1643. in 8. evulgatæ, quam ab Heinſio ipſo ſcriptam male Salmaſius ſuſpicabatur, eapropter caſtigatus a Placcio in *Anon. Detectis* p. 66. Præter Salmaſium vero alium quoque adverſarium, non minus acrem, & eruditum, naſtus eſt Dan. Heinſius, amicum olim, & quod mireris, contra Balzacum defenſorem, JOH. CROJUM, cujus *Observationum Sacrarum Pars prior*, Genevæ 1645. in 4. publicata, Heinſii Prolegomena diſcutit; & multis profecto egregiis atque eruditiffimis obſervationibus ſcætet. Sarravius, quem paulo ante laudavimus, in *Epist. p. 135* ita de Croji libro ad Morum. *Reddita mihi ſunt amici tui obſervationes in Prolegomena jacentis & aſſiæti auctoris, pro quibus magnas tibi debeo & ago gratias. Opus eſt eruditum, varium, elegans, multijugi doctrina & lepore reſertum. Placet præſertim Δουδὸς ἀνῆνωε, quo hominem audaciter, nec ſub perſona, aggreditur. Si autem in ſolo pene hærens προποδαῖω tot iſcitia & ἀνεπίστος portentia proſigavit, quid non ſperemus amantæ, ubi ipſa adyta reſeraverit? Quæ ſequuntur, non addo, cum e Salmaſianis relationibus hauſta juſto acerbius Heinſium perſtringant; (de quo alibi in epistoſis dignius atque moderatius loquitur) ut recte etiam Colomeſius in Gallia Orientali p. 186. obſervavit. Certe, uti Leydenſes edita Ann. 1646. Apologia Heinſium tuiti ſunt, ita nihil amplius a Crojo lucem in hac controverſia aſpexit: quanquam ipſe plures adhuc Obſervationum, partes ſub finem editæ promiſerit. Utrum vero earundem editio a collegis Croji impedita ſit, (a quibus, cum barbarum iſtud facinus illis diſpliceret, Crojum ſui officii admonitum reſpuiſſe, Nicol. Heinſius, D. F., ſibi narratum reſert, *Not. in Ovid. T. I. p. 375. edit. in 12.*) an alia illum cauſa retardaverit, incertum. Servare partes reliquas Croji Obſervationum nepotem ejus D. Roure, e Colomeſio I. c. didici. Adeo vero rejicit Helleniſtarum nomen in LXX. Interpretibus Vir ille doctus, ut eos potius *Ex-Helleniſtas & Aphelleniſtas* dici debere, pag. 254. *Obſerv.* aſſerat. Neque etiam ſubſtitit inter hos triumviros controverſia: ſed & MATTHÆUS COTTERIUS, ſcripta *de Helleniſtis & lingua Helleniſtica Diſſertatione*, Heinſio ſe oppoſuit, & complures alii, modo pro Heinſio, modo contra illum, argumentum hoc pertractarunt; quos recensere nimis prolixum foret. Inprimis vero recrudit illa lis inter *Richardum Simonium & Iſ. Voſſium*: quorum ille, Salmaſium, nonniſi de umbra aſini diſputantem, lites de nomine tantum concitaſſe, ſcribit: hic vero Simonium vulgi more loqui ait, non attendentem, reſ eſſe mortuas, niſi vocum acceſſerit poteſtas. Videantur eorum ſcripta ἀποκρίσεις: *Simonii Caſtigations, & Voſſii Reſponſiones*. Quemadmodum vero plerisque negandum non videbatur, peculiarem eſſe librorum N. T. & LXX. Interpretum loquendi modum: ita *Græcum Synagoga* illum vocavit Simonius, cum *Helleniſticum* non vellet. Salmaſius vero *Idiotiſmos, ſolæciſmos, barbariſmos*, ſacro etiam textui immiſtos aſſerere non dubitat: quod cum nimis durum illis videretur, eo ipſi tetenderunt, ut puram omnino eſſe, nec Hebraiſmos, nec idiotiſmos,*

timos, & multo minus solæci quid barbarive, redolere evincerent. Hoc jam, ante lites Hellenisticas, probare Henr. Stephanus est conatus, in erudita quadam præfatione, quam novo Testamento a se in 12. edito præfixit: infesutus eum Sebastianus Pfochenius, *Diatriben de Lingua Græcæ puritate absque Hebraïsmis* edidit Amstel. 1629. in 8. inde aliquoties reculam. Post lites Heinianas idem valide, conquisitis undique scriptorum profanorum locutionibus, assertum ivit operoso *Annotationum in Nov. Test. volumine*, Wittebergenfis Academiæ clarum fidus, ERASMUS SCHMIDIUS; prodiit illud Noribergæ an. 1659. in fol. Haud segnior discipulus Schmidii, BALTHASAR STOLBERGIUS, & ipse Græcæ L. Professor Wittebergenfis, non solum variis *Exercitationibus*, quas uno *Tractatu comprehensas*, post Auctoris fata, *Clar. Schurzseischi* præfatione ornavit, Witteberg. 1685. in 4., solæcismos & barbarismos, Novi Fæderis dictioni tributos, profligare strenue molitus est: sed & paratum jam editioni Opus magnum reliquit, summa diligentia elaboratum, quo puritatem styli N. T. ostendere satagit. Servatur illud adhuc manu Auctoris scriptum a *Theod. Dassovio*, L. L. Or. in eadem Academia Professore, Viro clarissimo, & Stolbergiani tori successore: qui & edendi Operis plus semel ad amicos spem fecit. Eodem proposito scripti apud Anglos JOH. PRICÆI *Commentarii in Nov. Test.* sunt, qui & junctim uno Volumine Londini lucem aspexerunt An. 1669., & in Opus Criticorum S. Scripturæ Interpretum una recepti sunt, ut a barbarissimis Novi Testamenti phrasin vindicent. Enimvero, ut jam olim Pfochenio sese *Thomas Gatakerus* opposuit, magnum in omni re literaria nomen, edita *Dissertatione de stylo Novi Testamenti*, Londini 1648. in 4., utque *Jf. Casaubonus*, in *Notis ad N. T. a se editum*, auctoritati focieri sui Henr. Stephani non cessit: ita Wittebergenfis Viris doctis JOH. HENR. BOECLERUS brevi quidem, sed eruditissima *Dissertatione de Lingua N. T. originali* (quam recudi, suæque de eodem themate addi, *Celeb. Lipsienfium Theologus D. Joh. Olearius* curavit,) ea objecit, quæ nondum soluta, si verum fateri decet, etiamnum prævalent. Mediam ille viam tenet, & quid in Salmasii opinione, quid in sententia Heinffii, culpandum sit, egregie & cordate, relictis tamen semper nominibus, exponit. Contra eos vero, qui puritatem Græci sermonis in N. T. asserunt, multisque corrasis undique similibus locutionibus probant, illud inprimis monet: *non esse questionem, an phrasæ & verba, quæ in Novo Testamento occurrunt, e perreptatis scriptorum profanorum monumentis possint erui; (præsertim si raro hic, ibi vero semper, occurrant) sed, an tota dictionis indoles, faciesque styli, totumque orationis corpus, conveniat cum ea Gracitate, quæ in profanis scriptoribus occurrit. Ex hoc enim principio de idiomate esse judicandum.* Eandem cum Boeclero viam JAC. BOLIVS trivit, Regiomontanus Professor, qui an. 1647. in 4. peculiarem edidit dissertationem hoc titulo: *Justa & moderata absentia ab exequiis, & justis funebribus, funeri linguæ Hellenisticæ excusatio & venia, quam ab iis, qui, idiotissimum Hebræum in Tabulis Testamentariis Novi Fæderis Salvatoris nostri J. C. negando, funus linguæ Hellenisticæ procurant: iis vero, qui, Solæcismos & barbarismos eidem impingendo, prorsus efferunt & contumulant, -- impetrare conabitur &c.* uti Placcius loco sup. cit. indicat. Ex Italis doctæ & copiose materiam istam, in utramque partem differendo, tractasse *Pe-*
trum

trum *Lasenam* Erythræus in *Pinacoth. I. p. 108.* auctor est. Verum longe plures adhuc Philologi eruditi supersunt, quorum tractatibus illustrata & pertractata illa controversia est: *Glassius* noster & *Joh. Vorstius*; uterque in *Philologia Sacra*: ille carptim, hic luculenter: *Caspar Wyssius* in *Dialectologia Sacra*: *Georg. Pasor* in *Idea Dialectorum N. T.* *Joh. Olearius* supra laudatus in *Dissertatione de Stylo N. T.* *Anton. Borremansius* in *Variis Lectionibus c. 1.* *Joh. Leusdenius* in *Philologo Ebræo-Græco*: & tot alii, quos nunc præterimus.

Sunt alii, qui conformitatem phræseos Græcæ & Hebræicæ aliquot libris integris tradidere: *ZACHARIAS BOGANUS*, Anglus Devonienfis, cujus extat *Homerus Ἑοικῶν*, seu comparatio Homeri cum Scriptoribus Sacris, quoad normam loquendi: editus est ille liber Oxonii An. 1658. in 8. Simili labore *Homeri Hebraïsmos* annotavit *JACOBUS CAPPELLUS* in *Vindic. Casaub. L. IV. c. 11. 12.* Eandem operam phræseos Homeri cum *Syriasmō collatæ* jamdudum ante hos *ANGELUS CANINIUS* promiserat, Buchnero teste in *Paraphrasi suæ Eclogæ de Philosophia*: Idem promiserat & *Heinsius* in *Sacro Aristarcho*.

C A P. VII.

DE

LEXICOGRAPHIS GRÆCIS,
ET GLOSSARIIS ANTIQVIS.

- §. I. *Lexicorum Græcorum Historia Scriptores.* 2. *Lexicographi Veteres Editi, Autor se. Magni Etymologici.* 3. *Suidas.* 4. *Jul. Pollux,* 5. *Harpocraton.* 6. *Hesychius Alexandrinus.* 7. *Stephanus Byzantinus.* 8. *Lexicographi Veteres Inediti, Phrynichus, Helladius, Pausanias.* 9. *Photius (Patriarcha Constantinopolitanus.)* 10. *Joh. Zonaras, Eudemus, Arsenius.* 11. *Cyrillus Alexandrinus, alique complures, magnam partem Anonymi.* 12. *Glossariorum diversa acceptio. Glossariorum apud veteres Copia.* 13. *Glossariorum, a Pet. Daniele, Henr. Stephano, Bonav. Vulcanio, Car. Labbeo, J. Rutgersio, editorum, Historia.*

Uti præcipua Ἑλληνικῆς Græcæ pars e LEXICIS atque GLOSSIS haurienda est; imo & etymologiarum ratio ibi omnium maxime habetur; ita de his nunc post Grammaticas, quarum pars magna sunt, justam tractationem institui res ipsa jubet. De eorum ratione in universum, origine, instituto, differentiis, aliisque notatu dignis, magna sane diligentia, & judicio haud minore *Phil. Jac. Mauffacus* agit, in *Dissertatione Critica*, suis in *Harpocratonem* notis præmissa. Attigit quoque istud argumentum *Joh. Woverius* cap. IX. suæ *Polymathia*: quem *Mauffacus* identidem, sed nonnunquam immerentem, castigat. De Lexicis Græcis præ-

præterea Dissertationem edidit *Joh. Henr. Bœclerus*, quæ reperitur inter Dissertationes ejus Academicas: videndus quoque *Joh. Martinus*, in præfatione Lexici sui Philologici, (& post hos *Joh. Alb. Faber*, qui Exercitationem de Lexicis Græcis Decadi Decadum, Lipsiæ 1689. editæ, annexuit: quam verò nunc secundis curis plus altero tanto auctiorem, & accurato studio recognitam paratam habet, propediem editurus.)

Etymologiam vocum Græcarum non Platoni solum, cui primo illam curam Dionysius Halicarnassensis adscribit, sed & Philosophis aliis, nec non Jctis, Poëtis, Comicis, & Tragicis, imo & Christianæ Theologiæ Magistris, cordi fuisse eleganter Maussacus, ex ipsorum monumentis, ostendit. Hinc nata jam olim varia variorum Etymologica, quæ nunc perierè, & e quibus constat, quod superest adhuc, MAGNUM ETYMOLOGICUM est; pulcherrimum istud antiquitatis Græcæ fragmentum, magnumque penu Grammaticæ, in quo & originum & analogiæ doctrina, ex veterum sententiis, copiosissime proponitur; historiæ item & antiquitatis monumenta passim attinguntur: adeoque liber omnino necessarius ad linguæ rerumque Græcarum cultiorem notitiam. Auctor illius ignoratur, licet nonnulli *Marcum Musurum* (qui in Thomasi de Plagio Dissert. vitio typographi male *Martinus* scribitur,) alii *Nicolaum & Zachariam Calliergos*; *Nicam*, cum Politiano, alii, pro eo habeant. Musurus cum Calliergis primum editi ejus curam gessit, cum Venet. 1499. publicaretur: hinc nata de iis, ut Auctoribus, suspicio. Unde vero suam de Nica opinionem hauserit Politianus, & annon falli potuerit, incertum. Juvat illum, quod Phil. Labbe, in *Bibliotheca Nova MSS. Supplem. II. p. 170.* e Catalogo Scipionis Tettii, Neapolitani, Nicæ Lexicon quoque inter alia recenset. Quicquid sit, Christianum fuisse Compilatorem Etymologici, & non nimis antiquum, ea, quæ Maussacus profert, & allegationes Auctorum recentium, ignorare nos aut dubitare non patiuntur: Plagiariis eum accenset *Casaubonus*, & cum Casaubono Thomasius, qui etiam ab isto crimine non excusandum existimat l. c. §. 663. seqq. Interim pernecessarium & utilissimum Græcæ linguæ Studiosis librum esse, ipse usus omnium optime probat. Post primam ejus editionem, alteram Venetiis A. 1549. excudit, non Aldus, uti perperam Auctor Catalogi Thuanei prodit, (deceptus, ut videretur, Delphini anchoræ circumplexi pictura, quæ alias Aldi insigne est); sed *Federicus Turrisanus*, *Andrææ*, qui Socer Aldi fuerat, filius. Is non magno solum studio Etymologicum emendavit, verum & de suo adjecit nonnulla, asteriscis notata: quæ tamen adeo non spernenda *Frider. Sylburgius* judicavit, ut ea omnia novæ editioni a se procuratæ infereret: prodiit illa *Heidelbergæ* ex officina *Commeliniana* A. 1594. cum Sylburgii notis & indicibus præstantissimis. (*Isaacus Vossius* MSS. hujus Etymologi Codicem longe antiquissimum possedit, quem &, ne nimia vetustate exesæ literæ prorsus evanescant, describi summa fide curavit: est vero is edito longè amplior: atque utinam e *Leydensi Bibliotheca*, in quam cum reliquo ejus Viri librario apparatu transiit, editum aliquando iri spes esset: & non idem experiatur fatum, quod Catalogus Bibliothecæ *Vossii*, jussu *Guill. Sanceroffi*, Archiepiscopi olim *Cantuariensis*, a *Paulo Colomesio* elegantissimo ordine con-

confectus, jamque non solum paratus editioni, sed & Londinensi cuidam typogra-
pho ab amico, cujus relationi rem totam debeo, in manus traditus, ut propediem
edatur, cujus tamen editio vel dilata nimium, vel omnino omissa est.)

Præter Etymologicum Magnum ἀωνόμης, SUIDÆ ETYMOLOGI-
CUM quoque superesse, diversum a Lexico & ineditum, in Bibliotheca Palati-
na olim asservatum, sequentia Mauffaci verba evincunt, quæ cum ad pleniorē li-
bri notitiam haud parum conducant huc e Dissert. Crit. p. 341. sq. transcribam.
Ex professo (ita ille) *huic parti* (etymologicæ) *incubere ultimæ antiquitatis auctores, Sui-
das & Etymologus.* Et Suidas quidem, cujus Etymologicum, Mich. Apostolii manu in Cre-
ta, ἀπὸ πρωτότυπῆς πᾶσι διαφθαμένῃς (ut ipse testatum reliquit), descriptum, in luculen-
tissima Electoris Palatini Bibliotheca servatur. Opus, ut ego judico, pernecessarium; sed, nisi
me fallit conjectura, quamvis nunquam in illud inciderim, in glossarii modum potius, quam Ety-
mologici, confectum. In hanc sententiam me duxerunt varia, quæ a Joh. Meursio, in Glossa-
rio suo Græco-Barbaro, ex eo proferuntur fragmenta: quid enim illa præter verba κατὰ
γλῶσσας explicata? Cave in his Mauffaci verbis ultimam antiquitatem, pro ultima
abhinc, i. e. prima, accipias, cum ultimam ad nos versus indigitet, quæque antiqui-
tatis titulum ferme ultima promeretur. Sine dubio autem, cum universo Palati-
natus literati thesauro, in molem Vaticanam istud Suidæ Etymologicum transiit, e
quo aliquando liberatum iri compedibus spes nulla omnino est. Ceterum, quod
ad illam de Etymologico Suidæ in Glossarii modum scripto Mauffaci suspicionem
attinet; possunt utique glossemata etymologiis esse interspersa, quæ non statim fa-
ciem libri mutant: quemadmodum in magno Etymologico innumera vocabula
25. aut 30. diversarum nationum afferri, & glossematice explicari, ipsemet Mauff-
acus p. 360. l. c. refert, allatisque exemplis pluribus probatum dat. Nempe istius-
modi peregrina vocabula ortum primo Glossis, tum & Lexicis, præbuerunt, quæ
omnia fuscè laudatus Auctor exponit; & quid discriminis inter Glossas Lexicaque
sit, quod nullum arbitratur Casaubonus; magnum Woverius credit, ipse medius
commonstrat.

Negari interim non potest, adeo strenue Glossatores Lexicographos, & hos
illos vicissim, mutuo transcripsisse, compilasseque, ut in morem res prorsus abie-
rit. Postulatur vero inprimis ejus criminis SUIDAS, paulo ante memoratus, cu-
jus *Lexicon* nil nisi centonum, ex variis auctoribus, haud raro præter rem silentio
pressis, conquisitorum, congeriem, seu ἐκψωδιῶν potius esse, viri gravissimi Bea-
rus Rhenanus, H. Casaubonus, Andr. Schottus, alique haud pauci, non sine omni
stomachatione, memorant: a quibus non adeo multum in diversum abit Q. Septi-
mius Florens Christianus in Notis ad Ireneam Aristophanis; & Mauffacus, nisi
quod hic non succenset Suidæ, sed eum commendat potius, & de ejus nomine ali-
isque Suidis, contra Politianum & Gyraldum erudite differuit l. c. p. 373. sq. Ex-
cusandum quoque a plagio Suidam sibi sumit Thomafius *Dissert. de Plag. Liter.* §. 551.
quippe quem & fontes, e quibus hauserit, præmissis Lexicorum catalogo, indicasse,
& a recentiori manu plus semel interpolatum, haud immerito credi posse caufatur.
• Tomus I. Hhk hh Mereri

Mereri sane illud eruditionis & rerum quarumvis pretiosissimarum penū, ut hoc quicquid est plagii condonetur, cum Reinesio sciscit, cum id omne nonnisi in commodum Orbis eruditi vergat. Utiq̄ue, dum Philosophorum plerorumque Vitas exhibet, eo non infimum locum inter *ἑωυγαίφες* sibi vindicare Jonsius *de Scriptor. Historie Philos. l. III. c. 20. p. 308.* judicat, plura aliquando de eodem daturus, ni mors egregios conatus oppressisset: secutus autem in hoc de Suida Judicio Vossium *est de Philologia c. 14. §. 9.* Prima Suidæ, eademque rarissima, & longe emendatissima editio Græca, Mediolani prodiit An. 1499. in fol. summo studio DEMETRII CHALCONDYLÆ procurata: typis Joh. Bissoli & Bened. Mangoli Carpensium, quos eum in finem advocarat: sed id tamen, ne perfecta sit, incommodi habet, ut lemmatibus aliquot destituatur, quæ in Aldina editione anni 1515. conspiciuntur: habet tamen & ipsa quædam, quæ in Aldina non sunt, (siquidem non diffiteretur in Græca præfatione Chalcondylas, se ex aliis quoque libris Suidæ ingestisse, quæ deesse adhuc ipsi videbantur) sed pauciora. Post Aldinam prodiit tertia *Basileensis* An. 1544. Frobenianis typis exscripta, quæ nec ipsa in omnibus cum Aldina consentit. Tres has Græcas Suidæ editiones Latina excepit HIER. WOLFFII A. 1564. & secundis curis iterata 1581. sed quæ nonnisi Historica Suidæ selecta, & Latine translata, sistit. Suidam integrum Latine vertit Seculo jam XIII, ROBERTUS GROSSTHEAD, seu *Capito*, Episcopus Lincolnienfis, sui ævi miraculum & ob summam eruditionem stupor. Nondum quidem edita illa versio est, ut sunt plures ejus viri labores *ἀνέυδοτοι*, sed ejus tamen in Historia meminit Matthæus Paris, & ex hoc Balæus de Scriptor. Angl. Cent. IV. p. 306. qui & Roberti Animadversionum in Suidam librum allegat. Nostro seculo Suidam integrum Latine reddidit versione liberiore, notis insuper atque emendationibus illustratum ÆMIL. PORTUS, II. Tomis, Genevæ 1619. editum: ut adeo vastus liber sit. Enimvero non omnino probata eruditis ista Suidæ versio est; seu obtineat hic, quod sub finem suæ in Harpocr. præfationis laudatus sæpissime Maussacus verbis justo durioribus scribit; *sana mente præditis & literis, ut decet, imbutis ludibrio esse & contemptui, quotquot e trivio interpretum Pollucem, Suidam aliorve id genus auctores, in Latinam transfundere institunt: seu aliud obfuerit Porto, Viro cetera doctissimo.* [Ita enim non in versione solum, sed & emendationibus, impegisse illum Pearsonius, in eximiis ad Hieroclem Prolegomenis p. 31. notat. *Suidam, inquit, admodum infelicitè transtulit, maculisque pluribus aut affectum invenit, aut affectit.* Ipsummet vero JOH. PEARSONIUM novam & luculentam Suidæ editionem moliri, refert Mericus Casaubonus in Not. ad Hieroclem p. 181. Quodsi hanc molitionem absolvere datum fuisset Viro summo, haberemus hodie Suidam, emacularam, illustratam, & tantum non omnibus numeris absolutum. Hoc autem fata non sivere. Quæ supersunt apud Anglos ex ejus collectione, maximam partem spectant Auctorum nomina, e quibus exempla tories *ἀνωνύμως* producit Suidas; inspersis & hic illic emendationibus; ut ex ore Clar. Dodvelli amicus hausit. Plane itaque convenire videntur collectanea Pearsonii cum Reinesiano ad Suidam apparatus. Infinita siquidem THOMAS REINESIUS, profundæ eruditionis Vir ac inter præcipuos nostræ Germaniæ

manix numerandus, margini suæ Suidæ allevit, ad ejus illustrationem aut emendationem facientia. Nam & ipse aliquando Suidam edere meditabatur, nil utique, si perficere meditata ætas sivisset, concessurus Pearsonio. Sed & cum ipso omnis illa spes evanuit. Scrvatur interea Suidas Reinesii, ex Genev. editione, cum reliqua viri ejus supellectile in bibliotheca Cizensi: e qua illum aliquando videre licuit. Idem Reinesius, *Epist. XLVI. ad Rupertum*, Thomæ cujusdam Hieromonachi Cretenfis, Suidæ Epitomaroris, meminit, cujus liber MSS. in Dresdensi Seren. Electoris Bibliotheca asservatur, hoc titulo, *Ἀπὸ τῆς Σειδα παρεκβολὴ καὶ συναθροίσις λέξεων χρησίμων, τῶν μάλλον τετραμμένων ἐν λογογράφοις καὶ ῥήτοσι, κατὰ στοιχείον διηρησώμενη*. Brevissima vero est ea Epitome, & quodvis verbum uno tantum alio reddit: nulla nomina propria, nulla historica, nullas Scriptorum auctoritates, habet.] Vitæ Cæsarum, e Suida excerptas, Tomo III. Scriptorum Historiæ Rom. Minorum, Francof. apud Wechelos A. 1627. excuso, Græce & Lat. Frid. Sylburgius inseruit; quas jam A. 1557. in 8. Wittebergæ Latine edi curavit Hermannus Wittekindus. Taceo nunc Adagia, e Suida per Andr. Schottum excerpta, editaque cum Schollis Anwerp. 1612. in 4., & si quæ alia e Suida separatim prodierunt. Id unum addo, adeo multum juvare polyhistorem Suidæ Lexicon, ut ne carere quidem illo possit, quisquis vel tantillum in historia literaria antiquiore proficere animum induxit.

Strictior in Grammatices circulo observando, & qui nunquam temere excurrit, JULIUS POLLUX est; Grammaticus Commodi ævo clarus, cujus *Onomasticon*, X. libris constans, ac sub eleganti titulorum dispositione rerum nomina exhibens, habemus, primum ab Aldo Venetiis A. 1498. & 1502. tum Florentiæ apud Juntam & Basileæ, sed utrinque plane ad Aldinum exemplar, editum. Optima illius editio WOLFFGANGO SEBERO debetur, qui cum Palatinis atque Augustano Codicibus textum contulit, emendavit, notas & indices laboriosissimos adjunxit: atque adeo præclare de Polluce meritis est. Fatetur tamen Rod. Gualtheri versionem, quam adjecit, nimis castigatam non esse: (sicut & Scaliger, ea se magis traduxisse Gualtherum quam commendasse, scribit *Epist. p. 485.*) prædicit liber apud Wechelos An. 1608. in 4. Neque etiam ita emaculare potuit Pollucem Seberus, ut non quamplurima emendanda supersint: quod ipse etiam in præfatione agnovit, & hinc non solum Casauboni, atque Hæschelii, manus socias imploravit, sed & a Jungermanno e codice Pollucis MSS. nova ac non pœnitenda promissit. Colomesius, in *Biblioth. Choise p. 105. seq.* aliquot adhuc Onomastici codices MSS. recenset, atque refert, Bonav. Vulcanium aliquando novam ejus editionem promississe, mais, addit, *il s' est contenté de nous la promettre*. Extant breves quædam Notæ Joach. Kuhnii, Gryphiswaldensis, Professoris Argentinenfis, in hoc Onomasticon sane eruditissimæ, & magnam ostendunt hujus Viri in isto litteraturæ genere peritiam; impressæ sunt Argentorat. An. 1675. in 12. [Is ipse Vir celeberrimus, cui egregiam Pausaniæ editionem debemus, novam nunc Pollucis faciem apud Belgas excudendam summa diligentia parat; quæ ut optatum finem nanciscatur, in omnium votis est.]

Felicioꝝ Polluce HARPOCRATION eruditissimos longe viros nactus est, qui ei emendando bonas horas impenderent. Quamvis enim ejus *Lexicon Decem Oratorum* per integros centum & quod excurrit annos, a prima sui editione, quæ Venetiis ab Aldo 1503. una cum Ulpiani in Demosthenem commentariis data est, misere afflictum jacuerit; secunda editione Veneta Anni 1527. (quam ab Aldo itidem & Asulano procuratam nescio quo calami festinantis errore Maussacus afferit; cum Aldus jam An. 1516. diem clausisset supremum) magis etiam deformatum: Surrexit tamen, sub initium hujus Seculi, PHILIPPUS JACOBUS MAUSSACUS, tum juvenis, exquisiti judicii & subactæ eruditionis: postmodum Senatus Tholosani Præses: qui ope MSS. codicum, totum *Harpocratiōis Lexicon*, mancum hætenus & hiulcum, restituit, emendavit, *Dissertatione præliminari Critica*, toties jam nobis laudata, & notis uberioribus, illustravit, Parisiis An. 1614. in 4. nihilque oblitus est eorum, quæ ad commendandum Auctorem suam undecunque facerent. Anno sequente 1615. *Notarum in Harpocratiōem Appendicem*, Claud. Salmasio nuncupatam, edidit, Plutarcho de Fluviorum & Montium nominibus, Tholosæ a se primum edito, annexam in 8. *Lectiones vero Græcæ, Operis Harpocratiāni interpretes*, ut & volumen *de delectis ab Harpocratiōe vocabulis rhetoricis*, non dedit, licet in præfatione promiserit, uti nec *Indicem Auctorum* in Lexico allegatorum, quem privata industria sibi confecisse, & ad finem libri sui scripisse Alex. Morum, Colomefius in Bibliotheca selecta p. 113. refert; ubi & de Maussaci scriptis editis ac promissis, eruditione, morte, clarorumque virorum elogiis, succincte agit. Non tamen memorat singularem casum, quem illi accidisse referunt, ut, cum linguæ Græcæ extra controversiam longe peritissimus esset, ex morbo quodam adeo ejus usum perderet, ut ne legere quidem amplius Græcæ sciret. Obiit An. 1650. Post Maussacum Gallus alter celebris HENRICUS VALESIIUS, ille tot lucubrationibus exquisitis inter principes literatorum clarus, Harpocratiōi, quo frequentissime utebatur, manus obstetricantes admovit, ac tum in ipsum notas confecit, tum in Maussaci Dissertationem & Notas, novas denuo Animadversiones composuit: quas e Bibliotheca Guil. Prusteau, Antecessoris Aurelianensis, nactus vir celeberrimus, Jac. Gronovius, publico non invidit: sed Lugduni Batav. An. 1682. edidit: e quibus quamplurima, non Critica solum, sed & ad indagandam veteris fori Græci rationem, hauriri possunt. Nam cum id præcipue institutum tales Lexicographos, qualis est Harpocratiō, qualesque Julianum Diodorum, atque Philostratum, Photius in Biblioth. Cod. 150. recenset, tenuerit, ut e decem Rhetoribus, quorum vitas Plutarchus describit, Demosthene, Antiphonte, Andocide, Lyfia, Isocrate, Isæo, Æschyne, Lycurgo, Hyperide, & Dinarcho voces Alphabetico ordine dispositas explanarent, non potuit certe non quamplurimum fori veteris una inspergi: eoque magis commendandum Jurium Studiosis est Harpocratiōis Lexicon. Cujus, post Maussaci & Valesii curas, novam editionem NICOLAUS BLANCARDUS, cum sua Latina versione, Notis ac Dissertationibus Duumvirorum istorum Integris, nitidissimo charactere procuravit Lugd. Bat. 1683. in 4. additis, præter Auctorum ab Harpocratiōe allegatorum Catalogum, suis ipsiusmet annotationibus. [Enimvero

vero pessime a Jacobo Gronovio propterea exceptus, qui in novissima sua Harpocratonis editione, quam nuper cum optimæ notæ Codice Florentino & Aldina editione, Xylandri, Fabri, Sylburgii, Freheri, Rutgerfii & Heinsii, manibus notata, collatum, Lugd. Bat. 1696. in 4. emisit, quavis occasione data in Blancardum acerrime invehitur, tum versionem ejus, tum notas & emendationes, acerbissime perfricans. Illud præterea in præfatione, adductis Mauffaci ad Meursium literis, observat, Meursium ab edendo, ut constituerat, Harpocratonem, nonnisi precibus ac blanditiis Mauffaci morum, abstinuisse.]

HESYCHIUS *Alexandrinus*: quem cum Milesio ejus nominis plurimi per- 6
peram confundunt, ut jam olim in Bibliotheca Gesnerus animadvertit, non attendentibus id licet recentiorum haud paucis: *Lexicon* reliquit, ex antiquioribus, quorum nomina ipsemet in præfatione refert, collectum: quod in cælum alii laudibus extollunt, Auctoremque cum Heinsio *Grammaticæ eruditionis abyssum*, aut cum Sarravio *Jovem Grammaticorum*, nominant: alii cum Reinesio eruditionem, quæ passim illi tribuitur, potius Auctoribus, quos excerpfit, tribuendam judicant, nesciuntque, cum nihil pene ejus sit, quomodo eruditum *Ἐλαίστριος* fuisse colligere debeant? Vix vero dubitandum est, primorum judicia prævalere, tot magnis suffragiis Scalligerorum, Casaubonorum, Salmasiorum, Vossiorum aliorumque eruditorum tantum non omnium subnixâ. Quodsi enim centies *aliena passim ab indoctis inserta* cum Barthio Adverfar. lib. XLII. c. 26. asseramus, aut cum Tanaq. Fabro *pretiosissimo Hellenisni Thesauri carbonibus admixtos e Gracitate vulgari* concedamus: manet tamen thesaurus, & absque Hesychio plurima Græcorum magni etiam momenti, circa voces, antiquitates, Auctores ignorarentur: Magnam proinde gratiam eruditi orbis inivit ALDUS, qui, inter tot alios Scriptores Græcos, Hesychio quoque primus vitam dedit. Hujus editionem secuta *Hagenoensis*, anni 1521. quæ communissima, & *Basileensis* apud Cratandrum. Exinde multi nequaquam de plebe viri, cum depravatis lectionibus scaterere Auctorem optimum indignarentur, ad emendandum illum & perpoliendum manus sedulas admoveere cœperunt, certatim quasi novam ejus editionem promittentes: *Job. Meursius. Dan. Heinsius* juvenis adhuc, *Job. Casp. Suicerus*, qui per Vorstium Specimen suarum notarum ad Reinesium miserat, uti patet *ex Rein. Epist. 26. ad Vorstium p. 56. sqq.* Horum labores, cum separatim non prodiissent, nempe quod ad finem non sunt perducti, conjunctim tamen suo modo in nitidissimam Lugdunensem apud Batavos editionem Hesychii 1668. in 4. fluxere, quam CORNEL. SCHREVELIUS, dum viveret, adornavit variis virorum doctorum castigationibus ditiolem melioremque. Præterea cogitasse aliquando de editione Hesychii *Alex Morum*, e Sarravii epistola, An. 1639. ad illum data, liquet: ubi ita Senator Clarissimus: *Ante annos XL. ille Heinsius, magne tunc, quam nunc implevit, spei adolescens, totum se prædicabat in Hesychio adornando, ejusque editionem, ut opus confectum putares, proxime sequentibus scilicet nundinis, ut moris erat, pollicebatur. Credibile est, illum eam provinciam dudum Nicolao F. demandasse. Sed nunc hic tantum cogitat de Ovidio emaculando. Itaque occupa. Dignus enim Grammaticorum ille Jupiter, in quo tua defudet industria: tum, quia multa habet peregrina,*

grina, quæ non cuius sunt obvia, tum quia tot tantisque scætet lectionum monstris, ut in his debellandis non possis existimare operam tuam male positam. Omnes certe lingue Græcæ studiosos isto labore tibi devinxeris. Hæc Sarravius, in Heinsum utcumque vehementior quam decebat, non memor, susceptam & a Salmasio olim novam editionem Hesychii, quæ non prodiit, licet ejus, defuncti jam, emendationes Clementius, Vitæ scriptor, brevi excudendas promiserit. Morus vero nihil omnino præstitit. Quæ de peregrinis vocibus ait, Maussacus etiam in *Diff. Crit.* p. 356. uberius per exempla confirmat: & quoad Phœnicia Bocharus, *Chanaan. l. II. c. u.* (Apud Anglos is, qui Suidam edere moliebatur, *Joh. Pearsonius* de Hesychio idem, referente l. c. Merico Casaubono, cogitabat: sed utrumque cogitabat solum, Deo aliter disponente. *Richardus Bentlejus* vero, Anglus itidem doctissimus, in crudita illa ad *Clar. Joh. Millium* epistola, quam Historiæ *Joh. Malalæ*, Oxonii 1691. a se in 8. editæ, subnectit, post tot magnorum Criticorum castigationes de quinque plus minus millia mendorum in Hesychio, aliis nondum observata, posse producere, dato etiam specimen, profiteretur.)

7 Dubitari potest, num in Lexicographorum Græcorum censum STEPHANUS quoque BYZANTINUS Grammaticus, ἐτυμολόγος, referri debeat, quippe qui, licet ordine alphabeti procedat, præcipuum tamen scopum habet enumerationem provinciarum, gentium, urbium, marium, &c. adjectis una illorum originibus, conditoribus, aliisque, seu veris, seu fabulosis rebus: verbo: insignem ex instituto agit Geographum. Ast vero, secuti jam olim Guilh. Xylander in præfatione ad Stephanum observavit, ubique deprehendi in hoc Auctore permulta, quæ proprie pertineant ad Grammaticam Græcam & vocabulorum Græcorum etymologiam; illaque ipsa judicat præclara, multisque modis cognitu digna, atque etiam ad multa menda ex auctoribus tollenda plurimum conducere arbitratur: ita hoc idem Jacobus Gronovius inculcat: Theodorus Ryckius vero falli putat, quot Geographica pro scopo inprimis Stephano fuisse contendunt, cum ille ἐτυμολόγος scripserit, i. e. Gentilia, quæ a gentium, regionum, urbiumve nominibus, deducuntur, nomina scæminina æquè ac masculina, adeoque Opus mere Grammaticum scribere animum induxerit. Qua in re licet haud dubie fallatur, mixtusque ex utroque Stephani scopus sit, patet tamen hinc, eum haud injuria inter Lexicographos recenseri, cujus opus egregium *Lexicon Geographicum* est. Utinam integer Stephani labor (quem περί πόλεων alii, alii rectius ἐτυμολόγος, inscribunt) superesset: cum non nisi epitome Hermolai Grammatici Constantinop. qui juxta Suidam sub Justiniano claruit, omnium consensu restet. Multa enim ex Ethnicographi vasto Opere, quod ultra 30. libros complectebatur, in Excerptis Constantini Porphyrogeneti, seu, ut vulgo audiunt, Peirescianis, quæ cum suis notis Henr. Valesius edidit e Peirescii Bibliotheca deprompta, ut & in Eustathii Commentariis in Homerum ac Dionysium Periegetem, allegantur, quæ in compendio amplius non supersunt, uti post alios Berckelius observavit: & dubitationem hac in re omnem ademit fragmentum Stephani de *Oraculo Dodonæo*. quod, e Bibliotheca Seguieriana, Samuel Tennulius, Vir. Cl. & Jacobi Gronovii avunculus eruit, Amstel. 1669. editum in

4. & iterum a Gronovio ipso, cum triplici versione Lat., & Dissertationibus Lugd. B. 1681. in 4. editis Stephani exemplaribus longe auctius. Quinimo ne Hermolai quidem, quam habemus, Epitome omni parte sua satis integra est: potius multos hiatus habuit, quos partim supplevit Berckelius, partim vero & hiantes reliquit; ut in $\alpha\epsilon$ postrema & quæ sequuntur $\kappa\eta$, $\kappa\iota$, $\kappa\lambda$, $\kappa\nu$, & prima a $\alpha\omicron$ incipientia. Nicol. Lloydius integro Stephani exemplo usum Janum Parrhasium suspicatur, dissentientem Berckelio: & Jos. Scaliger ad Gruterum, in epistola quadam, Nicol. Sophianum, Corcyræum, medio superioris seculi clarum, præter alios Græcos codices multos, integrum quoque Stephanum, cum toto α & λ , possidisse scribit: uti Colomesius in *Biblioth. Sel. p. 49.* annotat. Magno autem in pretio semper Stephanum fuisse, ex eo colligi potest, quod, post primas ejus editiones, tot summi nominis Viri ad eum a mendis perpurgandum manum adjecerint: Primus, qui ederet, iterum ALDUS fuit, communis illerenaſcentium Auctorum Græcorum parens, Vener. 1502. quem secutus Junta Florentiæ 1521. eam editionem iteravit. Non multo post JOH. HARTUNGUS cum tot lectionum monstris Auctorem egregium deturpatum videret, ei emendando manum admovit: e cujus cura, & Oporini officina, propediem proditurum Stephanum, Simlerus in *Bibliotheca* promittit. Cum vero non sequeretur ista editio, aliam, suo tempore egregiam, GUILH. XYLANDER Basil. 1568. adornavit: non cum versione Latina, ut Simlerus refert, neque enim id ob tot Grammatica commode fieri posse in præfatione indicat, sed mere Græcam. Hujus margini plurimas emendationes inter legendum JOH. SCALIGER allevit, adeo, ut emptum illud exemplar Sebast. Tenignagelius, referente Lambecio, Cæsareæ Bibliothecæ inferret. Idem in Stephano, quod Scaliger, IC. CASaubonus fecit, qui & notas in eum Auctorem aliquando ad Canterum *Ep. 2.* scribens promissit: cujus codicem postmodum Luca Holstenio a Bibliothecario Regis Angliæ, Patric. Junio, communicatum novimus. Majore strepitu extremis Scaligeri temporibus, negotium emendandi, vertendi, & illustrandi Stephanum, in se CLAUD. SALMASIUS suscepit, sed absolvit nunquam: nisi quod suum exemplar duobus Codd. Palatinis MSS. magno studio contulit, & in Exercitationibus Plinianis sæpissime Stephanum emendat: Omnem vero lapidem, in ornando Stephano, movit LUCAS HOLSTENIUS (ille, qui magnum Synagma Geographorum Græcorum edere aliquando molitus est, quorum Catalogum Lambecius *T. I. Comment. de Bibl. Vindob. p. 113. sq.* recenset) qui Salmasii librum ab IC. Vossio impetravit, Codices, numos auctoresque inspexit, adeoque notas eruditissimas confecit, quas dudum post ejus mortem, e Bibliotheca Barberina nactus Theod. Ryckius tandem Lugd. Batav. 1684. separatim fausto omine evulgavit, quæ in omnium manibus nunc sunt: ut & recentissima & accurata Stephani ipsius editio a doctissimo viro, ABRAH. BERKELIO, plurimorum annorum sudoribus elucubrata, emissaque in lucem, post ejus mortem, cum versione Latina, notis ipsius laboriosissimis ut & Salmasianis, & Jac. Gronovii (qui postremus vir Cl. & insignem Codicem Perusinum, a se, dum apud Italos versaretur, collatum fundamento suarum annotationum habet, & in præfatione eximie modum librorum, in quos divisum olim Stephani Opus fuerat, ostendit) L. B. 1688. fol. Deceanio illam ante-

antecefferat Judæi Lusitani, THOMÆ de PINEDO, Amstelodamensis Editio; sed quam non admodum commendat Colomesius *Biblioth. Select. p. 46. seq.*, qui præterea *Bened. Ægium*, Spoletanum, *Ezech. Spanhemium*, & Venetorum Bibliothecarium, *Grademigum*, Stephano infudasse memorat. Ægii versionem Latinam Stephani, in Vaticana Bibliotheca servatam, ope Steph. Gradii, Bibliothecarii, descriptam impetravit Theod. Ryckius, secumque in Bataviam asportavit, illam cum notis Holstæni, ipsoque Stephani textu, editurus, ni jam a Pineda atque Berkelio se præventum vidisset.

8 Atque hæc de Lexicis Græcis antiquorum dicta sunt, quæ prodierunt. Sunt vero præterea plurima plurimorum adhuc, vel certorum Auctorum, vel ἀνωρύμων, ἀνεκδότα, quæ hic illic in Bibliothecis latent; aut quorum fragmenta etiamnum edita prostant; ut ea jam taceamus, quorum mentio apud Photium, Suidam, aliosque Auctores, fit, sed nil nisi nomen superest. De PHRYNICHII *Eclogis*, quæ per Dav. Hæschelium editæ sunt, supra jam dictum est: nullo modo autem illæ cum *Lexico* ejusdem Auctoris operoso admodum confundendæ sunt; cujus nempe 36. libros, a se visos, Photius in Bibliotheca Cod. 158., cum elogio insignis doctrinæ, sed nec sine censura prolixitatis nimix, & ἀκυρολογίας recenset. Servari hoc Phrynichi Lexicon alicubi MSS. e catalogis ineditorum, quos suo Supplemento Gesneriano Ant. Verdierius subjunxit, didici. Ceterum, quod de Phrynicho monebamus, idem de HELLADIO capiendum, cujus ætatem in Theodosii Jun. tempora incidisse, & *Lexicon* in Suidam transcriptum, Suidæ titulus testatur: sed qui non solum cum Helladio Besantino (quem ipsum a nonnullis perperam in duos dividi Jonsius *de Scriptor. Hist. Philos. p. 13.* monet) nequam confundendus est, quippe cum hic diu jam ante illum sub Licinio & Maximiano vixerit, juxta Photium, qui ex ejus *Chrestomathia* haud contemnenda nobis fragmenta Cod. 279. conservavit, & quæ separatim edidit cum notis Joh. Meursius: sed & *Lexicon* ipsum met mire esse epitomatum oportet. Nam Photius Cod. 145. integris septem voluminibus comprehenso se vasto Helladii Opere usum refert: tantæ molis erat: uti vero, non Scriptoribus solum, verum & reliquis, qui πολυμαθῶν in pretio habent, istud Helladii Lexicon prodesse, Photius l. c. animadvertit, quippe quod, præter voces, etiam elogia Rhetorum & celebrium Poëtarum continet: ita, quæ ex alterius Helladii Chrestomathia supersunt, Græcam profecto linguam haud vulgariter illustrant. EROTIANI *Lexicon Dictionum Hippocratis*, seu ut Græca habet inscriptio, τῶν παρ' Ἱπποκράτους λέξεων συναγωγή, ab Henr. Stephano primum A. 1564., tum Venetiis, cum Commentario Barthol. Eustachii A. 1566., edita, multum diffidii de vero Auctore inter eruditos peperit, cum Erotiani nomen alias inauditum esset. Omnium vero probabilissima videtur Maussaci opinio, qui, in *Dissert. Crit. ad Harpocr. p. 354.* scribarum vitio, pro *Herodiani* nomine, falsum *Erotiani* irrepsisse suspicatur. Fueritque adeo hoc etiam scriptum nonnisi quoddam ἀποσπασμάτιον de multis, quæ ab Herodiano, Alexandrino Grammatico, & sub Marco Imp. claro, confecta Suidas auctor est: sicut & Carolus du Fresne, in conficiendo Glossario suo Græco, Distributionibus Herodiani, ἐπιμνησμοῖς κατ' ἀλφάβητον, ab Eusta-

Eustathio laudatis, usus est. PAUSANIÆ *Lexicon*, ad evolvendas præcipue Atticas locutiones compositum, licet non nimis verbosum, adeo magni Photius æstimavit, ut id cum Æl. Dionysii Halicarnassensis Lexico ex duplici editione connectum sufficere existimaret ad pernoscendam Atticam dictionem, *Bibl. Cod. 153*. Hoc vero *Lexicon* adhuc superesse, catalogus Scipionis Tertii, Neapolitani, testatur, quem Labbeus *Novæ suæ Bibliothecæ MSS.* inseruit p. 171.

Sed & ipse PHOTIUS, ut erat inexhaustæ eruditionis promus condus, in Lexicographis nobis memorandus venit. Siquidem & ejus *Lexicon* multis virum, multisque, quod imprimatur, dignissimum judicatum est. Possidere illud illustrem Virum, Marq. Gudium, Tom. I. *nostri Polyhistoris lib. I. c. 16. §. 17.* dictum est. Antea eunden Codicem, crassum satis, se in Bibliotheca I. Vossii Hagæ Comitum vidisse, Colomesius, de Scriptis Photii in *Paralip. ad Caveum p. 273.* refert. Hæc & illud *Lexicon* olim Rich. Thomsonus, ex Italia secum asportatum, quod post reditum cum Jos. Scaligero communicavit, ut ex hujus *Ep. 235.* videre est, ubi Thomsonum ad id edendum instigavit. (Extrat præterea in Bibliotheca Mendociana & Schoziana, ut ex Labbei *Novæ MSS. Bibliothecæ p. 173.* constat, iste Photii liber: & in Angliâ Londini pars ejus apud Celeberrimum Thom. Galeum latet, qui ejus editionem aliquando moliebatur, eamque ob rem ad Marq. Gudium scripserat, ut vel ipsummet Photiani Lexici Codicem, vel sanè descriptum, bona fide edendum sibi mitteret; vel, si hoc etiam displiceret, acciperet ipse tamen sub conditione certa edendi, quæ Galeus prompto animo missurus erat, qui multa simul de antiquitate Codicis, & de reliquis, quæ ad illum pertinere existimabat, erat percontatus. Verum, cum, suero sibi more, Gudius conditiones nec audire, nec accipere, sustineret. Galeus etiam, mutilum edere librum nolens, ab incepto destitit. Utinam vero nunc tandem in reipublicæ literariæ bonum exeat: duriore, post mortem Viri Amplissimi, Domino liberatus. Vereor, tamen, ne nimia libri magnitudo & editorem absterreat, si quis forte de illo cogitaverit; & multo magis adhuc Bibliopolam: siquidem spissis duobus in fol. voluminibus constat. Efficit vero operæ pretium edi *Lexicon*, quod nec Grammaticarum, nec Literariam rerum copia Suidæ, Hesychiove, aut cuicumque demum alii *Lexico*, cedere fidem faciunt, qui viderunt.)

Non minore desiderio quam nos Phorianum Jos. Scaliger JOH. ZONARÆ *Lexicon* flagitavit. Nota alias Historia Zonaræ, qua perpetuum ille sibi nomen peperit. *Lexicon* vero, quod in Henr. Stephani *ævendōis* Codicibus latebat Scaliger scivit, his a Casaubono, illius genero, verbis *Ep. 46.* petiit: *Sed Lexicon Zonaræ, quod in illis ævendōis reperies, tuam quoque operam flagitat: quod utinam mentem unam habere liceret! certe neque te pæniteret expletæ sitis mææ (avidissime enim illud desidero,) neque operæ nostræ in illud collatæ; siquidem ejusmodi est, quale amici retulerunt. si vobis tanti, nostro voto satisfacere, nihil est, quod gratius nobis facere possit: sin autem, equo animo feremus.* Haud obscure inde conjici potest, quanta fuerit Scaligeri cupido: præsertim, cum *Ep. 48.* suam istam petitionem repetat. An indeptus sit, quod

petierat, incertum. Casaubonus equidem in se recepit quod potuit, sed videtur sibi non suffecisse. Digna sunt ejus verba, quæ apponantur: *de Zonara Lexico* (ita respondet Ep. 176. p. 199.) *subiraſcor tibi. Sic enim id petis a me, quasi diffideres daturum, si possem. Tene id de me potuisse cogitare? facis mihi magnam injuriam: restor Deum! Videbo igitur, quid possit fieri: & si ulla $\mu\upsilon\chi\alpha\sigma\upsilon\eta$ possum, statim id curabo ad te mittendum. Volo tamen scias, nondum mihi visam $\tau\acute{\epsilon}\varsigma \mu\omicron\upsilon\chi\alpha\sigma\upsilon\eta\varsigma$ Stephani Bibliothecam: non dico ab ejus obitu, sed omnino invisam esse eam nobis. Tanta fuit in optimo senecæ $\epsilon\iota\sigma\alpha\gamma\omicron\upsilon\sigma\iota\omicron\varsigma \tau\omicron\upsilon\upsilon \tau\epsilon\omicron\pi\omicron\upsilon\upsilon$. Hæc Casaubonus, qui in sequenti epistola, se id negotii apud Paulum Stephanum, affinem, serio acturum, denuo spondet. Mireris interea inconditam Henrici austeritatem. (Zonaræ Lexicon vero ter in Vindobonensi Casarea Bibliotheca MSS. adest: ut e Dan. Nesselii *Supplem. Lambeciano* liquet: in qua & Eudemi Lexicon: quod a Suida in titulo operis laudatur, atque e Regia Galliæ Bibliotheca usurpatum Carolo du Fresne est; & Arsenii, asservantur.)*

II. CYRILLI, Archi-Episcopi Alexandrini, *Lexicon*, juxta ordinem Alphabeti compositum, in Regia Parisiensi & Colbertina Bibliothecis extare, indicat laudatus Vir maximus du Fresne: qui & hoc, & præterea Philemonis Lexico Technologico; Nicomedis Jatrophiastæ, & $\alpha\epsilon\upsilon\alpha\nu\acute{\omicron}\nu\mu\omicron\upsilon\upsilon$ XVII. Auctorum, Lexicis; (e quibus unum notæ optimæ, foliis 167. constans, ante omnia commendat.) Etymologico item ex Orione Thebano in compendium contracto; alioque Etymologico $\alpha\epsilon\upsilon\alpha\nu\acute{\omicron}\nu\mu\omicron\upsilon\upsilon$, in conscribendo laboriosissimo Græcitatæ mediæ infimæque Glossario, usus est. Ant. Verdierius, in catalogis MSSrum, quos suo Supplemento Gesneriano addidit, Cyrilli Lexicon ter etiam relatum sistit. Sed, cum id tertia vice refert, nescio quid Scriptori ejus Catalogi in mentem venerit, recensenti: *S. Cyrilli Archi-Episcopi Alexandrini Lexicon de Legibus Matthæi Blastaris, in charta bebraina.* Nempe earum legum Cyrillus Lexicon confecit, quas ferme integro post ejus ævum millenario Matthæus Blastares in unum Syntagma compilavit! Fuit, cum suspicarer, Glossographum forte Cyrillum innui, de quo paulo post: sed nec hoc quadrat. Dicendum igitur, somniasse Catalogi auctorem, cum hæc scriberet; aut Codicem vitiosissime inscriptum fuisse. Et sunt sane, in iis Catalogis Verdierianis, libri complures, ad quorum titulos rideas: v. g. *Cyrilli Alex. Expositio in S. Hierotheon Arcopagitam: Justinii Philosophi & Martyris Explicatio in S. Dionysii Arcop., Episcopi Atheniensis, Hierarchiam Eccles. S. Apostoli; Lucæ Evangelistæ Medicinale, continens præparationes seu curas, quas se vivo fecerit; liber appellatur XII. curarum. Liber sancti & justi Lazari, qui IV. diebus sepultus fuit apud inferos, & quemadmodum excitavit illum Christus; libri IV., quos videntes Apostoli tres eorum absconderunt, unusque inventus est, estque primus, in urbe Roma, prout Cardinalis S. Crucis retulit: & aliæ istiusmodi nugæ. Sunt tamen & immisti libri egregii. Ut in Lexicis tantum subsistamus, videas ibi Joh. Tzetæ Lexicon Rhetoricum juxta alphas: Lexicon Justiniani Magni (quis ille, non capio) bis relatum: & Cabi Polydori Lexicon. Cyrilli Lexicon Herbarum in catalogo Scipionis Tertii, apud Labbeum, est *l. sapius cit.*, quod iterum alterius Cyrilli, alteriusque generis, est ab eo,*

eo quod du Fresne ad manus habuit. Allegatur & ibi Athanasii Lexicon artis sacrae, quod alias est ignotum: & si per τὴν ἱερὰν τέχνην chemia intelligitur, ut alias in istiusmodi Lexicis librisque illa communiter indigitari consuevit, annotante Cangio, sine controversia spurium. *vid. du Fresne presat. Gloss. Gr. §. XXII.* Non desunt tamen & sacra, id est, Biblica sive Christiana Lexica: ut enim Glossas in Jobum, Proverbia, aliosque libros Biblicos; item in Athanasium a Cangio allegatas usurpatasque, non memorem, integrum Lexicon Biblicum Salmasius vidit. *Vidi integrum (ita ipse de Hellenistica p. 157.) Lexicon satis crassum Anonymi MSS., quo Veteris & Nov. Testamenti voces exponuntur, quod & totum percurri.* Tale Lexicon in Augustana etiam Bibliotheca servatur: *Expositio vocum occurrentium in Epistolis D. Pauli, & XII. Prophetarum, & libris Regum.* Vid. Catal. Reiseri p. 80., ubi & aliud refertur *Dictionaryum vocum Græcarum, collectum ex Autoribus variis, tam sacris, quam profanis.* Claudat agmen Lexicographorum (non enim nimium de iis dicendum est) Auctor Anonymus, cujus insigne Lexicon, multis veterum fragmentis refertum, in Collegio Jesuitarum Claromontano se vidisse Colomesius in Particularibus p. 104. his verbis refert: *Etant au College de Clermont, avec Mr. Vossius, je me souviens, qu'entre autres Manuscrits, que nous montra le P. Cossart Bibliothecaire il y avoit un Lexicon Grec in folio, sans nom d' Auteur, fort bien écrit, où je lis quelques fragmens tres-considerables d' Auteurs, que nous n' avons. Si quelcun vient à avoir assez de credit sur l' esprit des Jesuites, pour les obliger à les publier, ou à permettre, qu' on le publie, j' ose me persuader, que les Doctes n' en tireront moins de profit, qu' ils font tous les jours de Pollux, & Hesychius & de Suidas.* (Possent adhuc plura de Lexicis Diogeniani (quod Hesychius compilavit) Juliani, Maximi (quæ in Labbei Bibliotheca MSS. nominantur,) Longini περὶ λέξεων Ἀττικῶν (cujus meminit in præfatione ad Longinum de Sublimi Tullius: & Suidas in titulo) Pollionis, Timæi, Boëthi, aliorumque, apud Photium recensitis, addi: sed nimium excreset tractatio, quæ nunc potius contrahenda est. Sufficiat adhuc animadvertisse summam Græcorum veterum in Lexicis adornandis exactitudinem, qua non solum dialectis, sed & singulis dicendi generibus, peculiaria aptarunt. Hinc Lexica X. Oratorum; Lexica Puræ Ideæ, Styli Gravis, Sermonis Politici: Platonica: aliæque horum generum: quæ sane, quantopere expoliverint suam linguam Græci, abunde manifestum reddunt.)

Aliud adhuc Lexicorum genus *Glossæ* sunt, seu GLOSSARIA, a variis varie collecta. Et primitus quidem, uti γλώσσης per ἀποξενομένην διάλεκτον, aut ἀπεριήπτες τὰς τῶν βαρβάρων φωνάς, interpretabantur, vel etiam omne id, quod inusitatus & per metaphoram dictum erat, sub *Glossarum* nomine comprehendebant: ita præci, quos apud Athenæum & Suidam passim laudatos legimus, γλωσσολογοίφοι, Callimachus, Democritus, Seleucus, Phileras, Simmias Rhodius, Philemon, Pamphilus, Clitarchus, Timachides, Hermonax, Nicander Colobonius, Amemon Mæcedo, aliæque, nihil aliud maximam partem egisse credendi sunt, quam ut, non observato semper Alphabeti ordine, peregrinas, aut insolitas voces notioribus

redderent: *vid. Wowerii Polymath. c. IX. & Mauffaci Dissertatio Crit. p. 362. sq.* Recte vero Henr. Stephanus, *in præfat. Glossarii a se editi*, recentiorem vocat eam Glossarum significationem, qua pro scholiis & interpretatione linguæ secretioris accipiuntur, abusumque potius, quam usum vocis: recte etiam, ex loco Quintiliani, male intellecto, errorem eum haustum animadvertit, e quo se, ut id credat, inductum ingenue Cujacius, *in Orat. de ratione docendi Juris*, faretur: cum tamen apud veteres, ipsumque adeo Fabium, eodem Stephano monente, Glossæ non expositiones vocum obscuriorum & minus frequentium, aut etiam peregrinarum, vocatæ sint; sed illæ ipsæ voces, quæ tales erant. Verum invaluit nunc penitus consuetudo, ut priori significato Glossas & Glossaria capiamus. Fuisse vero priscis etiam temporibus insignem Glossarum istiusmodi copiam, vel sola Parisiensis Regia & Colbertina Bibliothecæ luculenter evincunt: quæ nimirum Carolo du Fresnoie XXII. Glossaria variorum generum suppeditarunt: partim Grammatica ad Aristophanem, Lucianum, Herodotum, Homerum, &c. partim Exotica: ut & Chemicæ: jatræ: Botanica: Juridica: partim Ecclesiastica in Athanasium & Gregorium Naz. & Biblica: *vid. Index Auctor. Cangii p. 35. seq.* ut adeo nullum studii genus sine glossis facile fuerit.

13 Quanti vero pretii Glossæ istæ sint, vel ex eo concludi potest, quod statim, ac innotescere eruditæ superiori seculo cœpere, omnium applausu & elogiis exceptæ sunt. Primus, qui e Monasterio S. Germani a Pratis Glossas Græcas atque Latinas eruit, PETRUS DANIEL, Jctus Aurelianensis celeberrimus, cui & Servium, Virgili Scholiastæ, debemus, extitit. Hic primum Adr. Turnebo, & Cujacio inde misit, apud quem Scaliger illas quoque vidit. Exinde in manus HENR. STEPHANI, quanquam non ex eodem codice, similes Glossæ pervenerunt: qui cum insigne illarum pretium perpenderet, & quantum illæ vocum antiquarum egregie explicent, primi plurimarum in Græca æque & Latina lingua vocum Doctores, pensitaret, non ultra celandum ratus, quod proderat. An. 1573. Glossaria duo, unum Latino-Græcum, & Græco-Latinum alterum, quasi in Supplementum sui Thesauri, anno præcedente editi, cum annotationibus & excerptis ex ineditis Glossariis aliis, evulgavit, e duobus vetustis Codicibus: Et quidem obrinuit certe apud eruditos, quod cupiebat, Stephanus, nempe ut eas Glossas antiquissimas, magnæque auctoritatis, pronuntiarent, Philoxenum auctorem rati, qui sub Justino Seniore Consul Romanus fuit: quæ tamen in re dubium magis illos, quam verum, asseruisse, Auctor præfationis ad novissimam Editionem Labbeanam observat. Post Stephanum eadem Glossaria, sub Philoxeni nomine, Lugd. Batav. edidit BONAVENT. VULCANIUS, emendationibus munita A. 1600. adjunctis una Isidori Hispal. Glossis Latinis; nec non Grammaticis nonnullis, qui de proprietate utriusque linguæ scripserunt, Collectione vocum Græcarum, in quibus diversus accentus significationem immutat, &c. Longe feliciter vero, & majore nisu, aggressus Glossariorum editionem CAROLUS LABBEUS, a Petro fratre adjutus, illa inter se conrulit: & post emissas in lucem primo Glossas Basilicorum seu Juris Græci, quas e variis Regiis Codd.

Codd. MSS. collegerat, notisque etiam illustrarat, Paris. 1607. universa Cyrilli, Philoxeni, aliorumque Glossaria in partes duas, Græco-Latinam & Latino-Græcam digessit, cum MSS. contulit, castigaciones adjecit, omnemque adhibuit laborem, quo emendata fatis & nitida illa in orbem denuo exirent. Vere autem Jos. Scaliger, qui præcipuus Labbeo ad id laboris in se suscipiendum suasor impulsorque fuerat, divinavit, fore, ut molestia, ipsi a typographorum imperitia creetur, *Ep. 232. p. 594.* liquidem, cum jam anno seculi nostri IV. laborem in dirigendo absolvisset Vir doctus, adeo tamen editio non festinavit, ut ne ipse quidem, A. 57. hujus ævi defunctus; illam viderit, sed demum A. 1679. Parisiis illa, obstetricante alio quodam Viro erudito, tandem carceribus liberata prodit. Quodsi vero e Barthio, *Advers. l. I. c. 1.* Glossæ Basilicæ extolli meruere: & idem alibi, lib. XIV. c. 8. recte judicat: *Glossas veteres Latinas, Græcasque, copiæ bonarum rerum cornu dicas, adeo profunde eruenda quedam, nec pauca, in illis habeas, si inquirere velis;* merito, sane in pretio Glossæ Labbeanæ habentur, quæ & apud Salmasium in ejus scriptis paginam utramque faciunt. Non tamen æqua omnium Glossarum auctoritas statuatur. Cur Cyrillo tribuantur, auctor præfationis ad Gloss. Labb. aperit; nempe, quod H. Stephanus eas se ad calcem scriptorum nonnullorum Cyrilli reperisse testatur. Incertum igitur adhuc, an Cyrillus sit auctor? & quis ille Cyrillus, multo incertius. Alexandrinum esse Episcopum, nemo, quod sciam, credit: licet mille abhinc annis antiquiorem complures statuunt. Verum, quicquid hujus sit, parum interest: modo de bona libri ipsius nota constet. Aliud Glossarium Græcum, a vetusto Codice, *Janus Rutgersus* Lugdun. Batav. 1618. una cum libris VI. Variarum Lectionum suarum, edidit. Iterum aliud MSS. *Casp. Barthius* possedit: aliudque allegat variis in locis *Salmasius*. Neque omnino dubium est, varia adhuc, quæ nescimus, Glossaria hic illic in Bibliothecis celebrioribus latitare.

C A P. VIII.

DE LEXICOGRAPHIS GRÆCIS
RECENTIORIBUS.

- §. I. Ex istis celebrantur, *Joh. Crestonus.* 2. *Varinus Phavorinus Camers.* 3. *Guilh. Budæus.* 4. *Joach. Camerarius.* 5. *Lexicon VII. Autorum Basileense.* 6. *Henr. Stephanus, ejusque Epitomator Joh. Scapula, & Emendator Joh. Conr. Dietericus.* 7. *Rob. Constantinus, Guilh. Robertsonus, Joh. Crispinus.* 8. *Joh. Bentzius.* 9. *Joh. Casp. Suicerus, cujus etiam Thesaurus commendatur Ecclesiasticus, e Patribus Græcis congestus.* 10. *Lexicorum ac Indicum in certos Auctores Architecti, Corn. Schrevelius, Am. Portus, Wolfg. Seberus, &c.* 11. *Linguae Græco-Barbaræ modernæ Lexicographi: Sim. Portus, Nic. Rigaltius, Joh. Meursius, &c.* 12. *Car. du Fresne, reliquorum omnium recentissimus pariter atque præstantissimus.* 13. *Monita nonnulla de Autorum Græcorum, Juventuti proponendorum, delectu, Versionum*

Latinarum fide lubrica & defectibus, & Latinis Oratoribus, Historicis ac Poëtis, Græcos studiose semper imitatis. Animadversio in L. Allatii de Thucydide Errorem.
 14. *Scriptores moderni, de Græcorum Poëtis & arte Poëtica commentati.*

Post enumerata *Veterum Lexica Glossasque* jure merito addimus nunc, veluti partem prioris tractationis, recentiorum, non omnium sed optimorum tamen, **LEXICORUM recensioem.** Nec enim poterat iste labor capite antecedente una tractari, quo suum tamen sibi locum vindicare aliquatenus visus est; ne in molem caput unum excreceret, justamque mensuram suam excedat. Omnium vero primus, qui, post renatas e veteri lethargo literas, Lexico Græco-Latino conficiendo manus admovit, JOH. CRESTONUS, seu, ut alii vocant, CRASTONUS fuit, Placentinus, Italus natione, Carmelita & Doctor Papiensis. Hic enim, circa A. D. 1480. & sequentes clarus, atque, ob eruditionem, referente Simlero in Bibliotheca, a Gvil. Tardivo, Bono Accursio, Franc. Philolpho & Ptolem. Spagnolo, commendatus, præter Grammaticam Græcam *Lexicon* quoque *Græco-Latinum* scripsit, Venetiis 1492. editum. Uti vero rum infantilis adhuc renascentium literarum ætas exitit, ita non adeo mirandum, si, post complures in eo deprehensos errores, varii ad illud Opus accurandum aut supplendum accesserint: quod quidem non adeo accurate factum Henr. Stephanus, in epistola de statu suæ typographiæ, his verbis perstringit. *His, quæ circumferuntur, Lexicis Græco-Latinis primam imposuit manum monachus quidam, F. Joh. Crastonus, Placentinus, Carmelitanus: sed, quum is jejunis expositionibus (in quibus vernaculo etiam sermone interdum, i. e. Italico, utitur) contentus fuisset, perfunctorie item constructiones verborum indicasset, nullos auctorum locos profereus, ex quibus illa pariter & significationes cognosci possent, multi postea certatim multa, hinc inde sine ullo delectu ac judicio excerpta, inseruerunt: donec tandem, indoctis typographis de augenda Lexicorum mole inter se certantibus, & præmia iis, qui id præstarent, proponentibus, quæ jejuna, & si ita loqui liceat, macilentæ antea erant expositiones, adeo pingues & crassæ reddita sunt, ut in illis nihil aliud, quam Bæoticam suam, agnoscamus.* Nimirum sugillat Stephanus, quæ sub variorum auctorum nomine Lexica sæpius, variato semper habitu, recusa & recocta Basileæ sunt, sed de quibus paulo post.

2 Crestono longe accuratior VARINUS PHAVORINUS CAMERS, Episcopus Nucernus, sub initium sæculi superioris, utilissimam Græcæ Linguae Studiosis operam duplici nomine navavit: dum & *Thesaurum Græcum, seu Cornucopia & Hortus Adonidis*, apud Aldum in fol. A. 1504. edidit, eoque insignem veterum Grammaticorum collectionem (qui in Bibliotheca Gesneriana enumerantur) complexus est: & *Lexicon*, seu uberrimos Græcæ totius linguae commentarios, ita adprænavit, ut Hesychii, Suidæ, Harpocratonis, aliisque ineditorum adhuc Lexicorum laboribus compilatis, in unum corpus, quicquid ad explicandas voces Græcas pertinuit, omissis historiis & nominibus propriis, conflaret. Editum primo est Romæ An. 1523. deinde Basileæ mox repetitum A. 1538. cum uberrimo indice, minutissimi

mis tamen typis: Simlerus & tertiam Parisinam editionem addit Morellii, sed de qua certi quid mihi alias non constat. Ceterum, ut jam olim Gesnerus mirabatur, non memoratos, in præfatione Varini, Suidam & Hesychium, quos tamen totos ille transcripsit: ita, post edita ipsorum horum Lexicographorum volumina, non adeo magni usus esse Varinum, licet in magna gratia apud Studiosos sit, Jos. Scaliger *Epist. 235.* judicat: cui succinens etiam Mauflacus, in *Dissert. Crit. ad Harpocr.*, illud insuper observat, errores, quos Phavorinus forte in Suida & Hesychio invenit, retentos tantum non omnes & in corpus unum redactos. Sunt tamen alii, qui & emendatiorem nonnunquam in Varino, quam in editis Suidæ & Hesychii exemplaribus, lectionem offendi animadvertunt, & usum ejus non nimis extenuandum censent, cum multa præsertim habeat Varinus, quæ, ex aliis haud dubie ineditis adhuc lexicis hausta, frustra in Suida, Hesychio & Harpocrate quaeruntur.

Varinum excipiat GVILIELMUS BUDÆUS, magnus ille non generis, 3
munerumve splendore minus, quam literis, in Gallia suo tempore Vir, Consiliarius Regius, & libellorum supplicum magister; omnis literaturæ lumen, qui primus in Gallia suscitavit bonarum literarum amorem. Erasmo par habitus fuit, imo superior a nonnullis. Et sane, quamvis arctam, ut ex epistolis colligi potest, amicitiam cum Budæo Erasmus coluisse videri voluerit: ab eo tamen præreptam sibi pulcherrimam doctrinæ gloriam æmularum calumniis aliorum faces admovisse, cumque Budæo principem in literis locum invideret, tacite illius existimationem, quam aperte invadere ausus non sit, cuniculis oppugnare non desuisse, Sammarthanus in *Elogiis* auctor est: quod & non adeo a vero ablimile videtur. Uti vero Græcam inprimis linguam Budæus ita percalluit, ut nemo illum ejus peritia vinceret: judiceque Græcorum doctissimo, Jano Lascare, Vir ille summus, quod nulli dum extra Græciam nato contigerat, veterem Atticorum facundiam adæquavit: quod eodem loco Sammarthanus refert: ita, plus eum in Græcis calluisse Erasmo, dubium ferme nullum est. Testantur de hac ejus incomparabili prorsus eruditione *Commentarii Græcæ Linguae*; in quibus an immensam lectionem potius, an judicium exasciatum, aut rerum insignem varietatem, primo stupeas incertum. Prodierunt primo Parisiis A. 1529. Franciscò Regi Græca-epistola nuncupati, tum apud Basileenses recusi 1530. Sub vitæ finem vero Budæus plus tertia parte auxit illos, editos post mortem auctoris ex officina Rob. Stephani Paris. 1548., quam editionem itidem Basileenses A. 1556. repetivere. Ex hoc fonte omnes sua hauserunt Lexicographi recentiores: adeo omnia diligenter est persecutus. Probe id suo tempore jam agnovit Jos. Scaliger: qui nunc quidem, post Budæi commentarios, facile esse Græcis incumbere, judicavit, cum omnem ille ejus linguæ naturam, omnes elegantias exhaustisset: omnium Græcorum totius Europæ maximus, & cui similem Gallia non datura sit. *vid. Excerpta Scalig. utraque.* Displicuit tamen, quod nullo ordine more Locorum communium, suos Commentarios scripsit: Alii ex Oratoribus & Historicis, Philosophisque illum omnia protulisse observant, e Poëtis parum. Franciscus Floridus ægre tulit, nihil Budæum Latinis, nec eruditionis, nec judicii, reliquisse, præfer-

præferreque vilissima Græcorum præstantissimis Romanorum: apud Gaddium de Scriptor. Non-Eccles. T. I. p. 98. Verum hæc nihil quicquam obsunt Budæo; neque summam Operis elegantiam minorem reddunt.

4 Jungimus Budæo suo merito JOACHIMUM CAMERARIUM. Erat ille, dum viveret, apud Germanos vere literatorum Hercules, & non cum vulgo nominandus: Sed potius sui temporis phoenix, omnium doctrinarum non superficialia, sed solida scientia, instructus: ubique domi fuit, seu in Mathematicis, seu in enarratione auctorum, seu Philologicis, aliquid susceperit. Ejus quoque extant *Commentarii utriusque linguae, in quibus est diligens exquisitio hominum, quibus partes corporis humani appellari solent, additis & eorum functionum nomenclaturis, & aliis his accedentibus, positis fere contra se Græcis & Latinis vocabulis.* Basil. 1551. apud Hervagium. Hic titulus libri est, qui satis, quid se contineatur, aperit: sane quamplurima de Græcarum vocum origine, aliisque scitu necessariis, inibi notata non solum inspectio probat, sed &, quod ejus plumis se ornare non desinunt lexicographi. Nempe ubi primam glaciem herodes fregerunt, viamque patefecerunt, facile suo exemplo alios excitarunt, linguae istius adornandæ socios.

5 Interea temporis, dum Budæus atque Camerarius Basileensium præla fatigabant: variis sæpe formis prodiit a variis Auctoribus recognitum, emendatum, interpolatum, donec in spissam tandem libri molem excresceret, LEXICON VII-AUCTORUM BASILENSE, cui Viri, si titulum spectes, sine controversia eruditissimi suas curas impenderunt; nempe G. Budæus, Jac. Tufanus, Conr. Gesnerus, Hadr. Junius, Rob. Constantinus, Joh. Hartungus & Joach. Hopperus; adeo, ut putares, nil nisi exactum a tantis nominibus tibi expectandum. Sed tamen hoc ipsum lexicon illud est, quod paulo superius §. 1. ab Henr. Stephano traductum animadvertebamus, & quod ille, uberiori deductione, infinitis scaterere erroribus vitiiisque, ostendit: dum contraria vocibus nonnunquam significatio detur; conflentur voces duæ in unam, aut novæ & Græcis inauditæ cudantur; auctorum loca perperam allegentur, aut duo itidem malo omine confundantur & quas alias ille errorum gravissimorum classes magno numero recenset. Et, ne in virorum doctissimorum, qui præfigurantur, nomina injurius videretur: *Pauca, dicit, ex Budæo, aliisque idoneis auctoribus, & ea quidem parum fideliter descripta: (utpote parum intellecta,) multa contra ex Lapo Florentino, Leonb. Aretino, aliisque ejusdem farinae interpretibus (ut similes haberent labra lactucas,) in opus illud transfulerunt. Ex iis quidem certe locis, in quorum interpretatione felix fuit Laur. Valla, paucissimos protulerunt; sed, pro perverso suo judicio, perversissimas quasque ejus interpretationes delegerunt egregii illi Lexicorum, seu consarcinatores, seu interpolatores, quibus tanquam gemmis illa insignirent.* Hæc Stephanus, in Epistola de sue typogr. statu, ab Almeloventio Vitis Stephanorum subjuncta: quem, ne affectibus abreptum in sui Thesauri laudes hæc præpostere criminatum, suspicaris; consentit illi Conr. Gesnerus, in Catalogo librorum suorum: nam, cum ab initio statim revisum a se aliquoties, & ex Auctoribus fide optima emendatum;

tum, Lexicon Græcum retulisset; licet non semper promotus ea fide, qua decuit, a typographo labor sit:). *Quod si alii etiam, addit, multi Lexicorum corruptores potius, quam Authores; observassent, non usque adeo aliquot millibus locorum corrupta hæc volumina hætenus in publicum prodissent, non solum typographicis erratis passim innumeris absurdissime referta, propter imperitiam illorum, qui ad præla corrigunt; sed ipsorum etiam Authorum, quorum plurimos idcirco sua nomina profiteri püduit.* Discrimen tamen inter illas editiones faciendum est, nec omnes promiscue pro mendosis & conspurcatis rejiciendæ: ultimam, a se locupletatam, ex officina Hier. Curionis, Basil. 1560. prodidisse Gesnerus scribit, & sunt adhuc aliæ, e quibus hæud utique contemnendum fructum Studiosi hauriant; licet mala etiam bonis immixta deprehendantur. Usus tali Lexico Basileensi semper ad manus olim est celeberrimum Jenensis Academiæ decus, Joh. Andr. Bostius, atque ad ejus marginem plurima annotavit. Omnium præcipuus ille defectus est, quod vocabula non solum sub radicibus non ordinantur, sed ad illas ne remittuntur quidem.

Longe accuratior proinde HENRICUS STEPHANUS, Alpha illud Lexicographorum Græcorum, sub primitivorum serie derivata, & sub derivatis composita & decomposita, primus omnium, Herculeo labore, & exquisitissimo omnis Græcæ literaturæ apparatu, congeffit, in *Thesauro Lingua Græcæ*, qui vere promptuarium & horreum totius Græcismi est: cujus vasta IV. voluminum moles multo vastiorem Auctoris peritiam, & prodigiosum laborem, abunde testatum reddit. Absoluta ejus impressio est An. 1572. cum hoc Epigrammate in fronte tituli. *Theaurus Læctori:*

*Nunc alii intrepide vestigia nostra sequantur:
Mè duce plana via est, quæ salebrosa fuit.*

Nec vanum certe istud Stephani distichon fuisse eventus docuit. Omnes enim illam exscribunt. Inprimis vero dolendum, post exantlatos rot immensos labores, impensamque in Theauri impressionem suam omnem substantiam, bonum Stephanum, lucri loco, quod hæud vulgare inde speraverat, damnium rei familiaris irreparabile sensisse: cum non solum a principio statim, & priusquam liber totus imprimeretur, nonnulli, nimiam molem veriti, ejus institutum averfarentur: sed & maxime propterea, quod in epitomen redigendum Theaurum JOH. SCAPULA, olim famulus Henr: Stephani, suscepit: qua re ut de juventutis commodo non male, imo optime, ita de Stephano longe pessime, meritus est: omnes enim, relicto Thesauro, Scapulæ Epitomen sibi compararunt, ut adeo ad extremam ferme pauperiem miser redactus sit. Luxit ipse suam sortem hoc Epigrammate:

*Theauri momento alii ditantque beantque,
Et faciunt Cræsum, qui prior Irus erat.
At Theaurus me hic ex divite reddit egenum,
Et facit, ut juvenem ruga senilis aret.
Sed mihi opum levis est, levis & jactura juvenæ,
Judicio hæud levis est si labor iste tuo.*

Sunt nihilominus, qui post distracta prioris editionis exemplaria, Stephanum suum Thesaurum recudisse perhibent, præfixo in titulo epigrammate, quo falsè Scapulam exagitarit; dum se ægrum prius a scapulis nunc sanum in theatrum redire scribat. Verum, si quicquam hujus epigrammatis in libri titulo excusum est, citius titulum, quam universum Thesaurum, denuo impressum crediderim: nunquam enim etiã vires Stephano rediere. Quanquam vero summo, quod in hominem cadit, studio confectus ille Thesaurus sit; non tamen immunem ab erroribus, aut Auctor unquam ipsemet venditavit, aut crediderunt alii. Ipse, in laudata sæpius epistola de statu Typographiæ suæ, postquam fuscè suum Thesaurum cum reliquis Lexicis composuisset: *Abstet*, inquit, *ut sibi quisquam persuadeat, ita me aliorum errata proferre, quasi ipse sum ἀνεπιμαρτυρητος, & hominem me esse non meminero, i. e. eum, cujus sit errare, labi, nescire, decipi.* Imo vero me & colloco in hoc numero, & jam nunc in meo opere esse, in quibus lapsus me existimem, ingenue fateor. Idem & alii observant.

JOHAN. CONR. DIETERICUS, Professor Academiæ Giessensis, variis commentariis in Historicis & S. Codicem notissimus, *Auctarium* quoddam sub manu habuit ad illum *Stephani Thesaurum*, in quo crassos ejus errores se detecturum est pollicitus; Sed, cum viveret, non invenit typographum, & post mortem ejus omnis ille labor in irritum cecidit. Fuit autem Vir ille linguæ Græcæ peritissimus, & deprehendere id quodammodo licet e quibusdam libellis exiguis, *Marpurgi Cattorum editis*: inter quos est *Dissertatio*, cui titulus: *Græciæ Exulans, seu de infelicitate sæculi superioris in Græcarum literarum ignorantia*: & alia quoque *Dissertatio*, sub titulo *Specilli Chrestomathici Græci*, ibid. 1649. in 4. edita, ubi varia sunt, quæ spectant ad Veneres Græcæ linguæ, copiam & ornatum verborum, tam in oratione soluta, quam ligata. Ad Scapulam ut redeam, prima ejus editio Basileæ 1579. lucem publicam aspexit: ultima, & usui commodissima, prodiit Amstelodami apud Elzevirios, cum Latino Indice copiosissimo, quem Laurent. Martius, Palatinus, summa diligentia confecit, ediditque primum Basil. 1630. Adjectæ præterea, ut in ultimis Basileensibus, Jac. Zwingeri, Medici & Philologi insignis, de *Dialectis Græcorum*, uberrima hypotyposi deductis, tabulæ: *Corinthus de Dialectis*: ut & epitome quædam *Glossariorum Græco-barbarorum Rigaltii & Meurfii*; & *Epitome etymologica*, ex Magno *Etymologico* contracta. Prodiit ista Scapulæ nitidissima plane editio Lugd. Bat. 1650. in fol.

7 Priusquam Thesaurus Stephani prodisset, alium *Græcæ Linguae Thesaurum* ROBERTUS CONSTANTINUS congestit, qui etiam haud parum eruditus probatur. Bæclero certe majori cum judicio scriptus, quam Thesaurus Stephani, visus aliquando est: & quanti Conr. Gesnerus Constantinum æstimavit, satis hæc ejus verba indicant, quæ in Catalogo librorum suorum, post mentionem de Lexicis Græcis Basileensibus, habet: *Ceterum hoc anno*, inquit, *quo hæc scribo, 1662. Geneva prodisse audio longe copiosissimum emendatissimumque Græcæ linguæ Thesaurum, a Rob. Constantino, incomparabilis doctrinæ viro, adornatum, ex Job. Crispini officina.* Constat hic Thesaurus II. Tomis, & secunda editio ab Æmil. Porto auctus est *Genev. 1592.* Quodsi Colomelio

mesio credimus, GUILIELMUS ROBERTSONUS etiam Græcæ Linguae Thesaurum scripsit, quem, 80000. vocabulis ab Hillio quodam Anglo auctum, Londini A. 1676. in 4. prodiisse, auctor est in *Bibliothec. Selecta* p. 80. Mihi alias nil de Robertsoni Thesaurum constar; & vereor, ne cum Roberto Constantino forte confundatur Robertsonus: quanquam & hunc, tot millibus vocabulorum auctum, in 4. prodiisse, cum antea iusta duo in fol. volumina complevisset, credibile nullo modo sit (*ad*). Viderit itaque Colomesius oportet, quod nos laet: quemadmodum & eodem loco Joh. Crispini, Genevensis typographi, Lexicon ab Eduardo Grant. 4. aut 5000. vocum auctum, Londini 1581. in 4. excusum narrat.

Alium adhuc *Thesaurum Elocutionis Oratoriae Græco-Latinum* scripsit JOH. BENZIUS, Bruxellensis, qui Argentorati Græcas literas docuit, ex officina Hervagiana Basil. 1581. in fol. in lucem emissum. Magnam Vir ille operam in ornanda Græca lingua locavit; quamvis non tam pertineat ad auctores Grammaticos aut Lexicographos, quippe qui ornatum potius verborum spectat, & ad Rhetores magis referendus est. Non incommodè tamen huc referri potest. Neque vero ordinè alphabeti suum hunc laborem digessit, sed sub 66. titulis generalibus, seu locis totidem communibus, ad quos præcipua universitatis rerum commodissimæ revocari posse persuasus erat. Sub his titulis primo loco abstracta posuit, sive substantiva; post hæc adjectiva, seu concreta: tandem verba: tandem adverbia. Iterum vero sub unoquoque horum, veluti tot titulis specialibus, exempla ex Auctoribus optimis locavit: tum σύνθετα, seu complexas voces, quibus varie rem unam Oratores eloquuntur: porro ἐπιθετα illarum vocum: & tandem ipsammet phrasium atque elegantiarum περίη: subjecto Latino indice uberrimo. Eundem ordinem, in Thesaurum Eloq. Latine, tenuerat, (edoctus illum a Joh. Sturmio, magno in Germania Rhetore.) de quo *T. I. hujus nostri Operis lib. 3. c. 2. §. 14. seqq.* dictum fuit. Auctores Græci, e quibus Thesaurum compilavit, præcipui sunt, Demosthenes & Isocrates: præterea Plato, Aristoteles, Xenophon. Non habemus profecto Autorem ullum, qui Veneres linguæ Græcæ diligentius, & majori judicio, congesserit: quas enim alias habemus Calligraphias, vel Posselii, vel Neandri, vel Paræi, non sunt cum hoc labore conferendæ.

Kkk kk 2

JOH.

(*ad*) Fallitur *h. l.* Morhofius, dum Guilielmi Robertsoni Thesaurum Linguæ Græcæ, a Colomesio laudatum, haud diversum esse conjicit a Rob. Constantini Opere sive Lexico Græco ejusdem Tituli eximio. Revera enim Guilielmus ille, quem Noster ignoravit, Robertsonus, gente Anglus, & Artium Magister, *Thesaurum Linguæ Græcæ edidit Referatum*, & huic postea A. 1686. *Thesaurum* quoque *Linguæ sanctæ* subjunxit, sive *Lexicon Concordantiæ Hebræo-Latino-Biblicum*, in quo *Lexica omnia Hebræica, hucusque edita, Methodice, succincte, & quasi συνοπτικῶς, una cum Concordantiis singularum Vocum Biblicarum, Grammaticæ sub Radicibus suis resolutarum, Hebræicis, exhibentur*, Londini in 4to excusum. Vid. de utroque isto Lexico, imprimis tamen de Hebræico; *Acta Eruditorum Lipsensia, M. Jun. A. 1687. p. 308-311.*

9 JOH. CASP. SUICERUS duplici nomine suum, inter Lexicographos Græcos, locum meret: partim ob *Lexicon*, quod concinno non minus ordine, quam insigni vocabulorum copia, magno labore adornavit, Tiguri 1683. in 4. editum: quod sane usui Studiosorum maxime accommodatum ac proficuum est. Quemadmodum vero idipsum nonnisi minus *Lexicon* est, & quasi epitome Majoris, quod, immenso prope labore collectum & dispositum, ordine naturali, duobus in fol. Tomis, aliquando se editurum spem fecit: ita multo majorem gloriam Viro Clarissimo paravit *Thesaurus Ecclesiasticus*; Amstelodami 1682. in fol. in lucem datus: in quem dum voces & locutiones Patrum Græcorum, a Lexicographis vulgo vel omittas, vel non pro dignitate expositas, summo plurimorum annorum studio, congestit, ritus simul, & alia ad Antiquitatem Ecclesiasticam pertinentia, magno numero immiscet: ut adeo non possit non *Φιλαρχαίσις* in re Ecclesiastica longe plurimum prodesse. Quanquam, ut sunt labores hominum imperfecti, & huic Thesauro deesse quædam, eruditorum aliqui observarunt: quos inter Cl. Schurtzschichius, in Dissertatione Academ. de *χρηστολογία* §. 14.

10 Taceo nunc *Lexica Græco-Latina* minora, & quæ uni inprimis Auctori, aut dialecto, scripta sunt, sua tamen laude minime carent: ut sunt *Cornel. Schrevelii* *Lexicon*, quod præcipue Homero resolvendo inservit: *Amyl. Porti* *Lexicon Pindaricum*, Hanov. 1606. in 8. *Lexicon Jonicum*, Herodoto illustrando; & *Doricum*, Theocrito, Moscho, Bioni, aliisque explanandis accommodatum: Hanov. 1603. in 8., quo Dictionariorum genere non minus certe incipientium inprimis labor juvari solet, quam indicibus quibusdam, qui suo modo ad *Lexica* reduci possunt: partim, quod omnium sunt absolutissimi, ut *Wolffg. Seberi* *Index in Homerum* est: partim quod una verborum, in illo auctore occurrentium, *Analysin* dant, qualibus instructos habemus *Heriodum*, cura Schrevelii: *Herodianum* cura Balth. Scheidii, aliosque.

11 Ceterum, cum successu temporum Græcitas regionis genium imitaretur, atque, ut hæc variis variorum barbarorum irruptionibus patuit, eorumque domicilium facta est: ita & lingua sensim sensimque tantum barbaris attraxit, ut hodie Græciam in Achaja media atque Peloponneso quæras: nullibi que corruptior Græca lingua sit, quam Athenis, & in Areopago. Factum hinc, ut in Patrum, Auctorumque aliorum ævi recentioris, scriptis ubivis iste se barbarissimus prodar, fueritque adeo necessum, ad Byzantinorum scriptorum lectionem peculiaria quoque *Lexica Græco-Barbara* strui. CAROLUS du FRESNE, qui in hoc studio omnes omnium labores longo post se intervallo reliquit, & de quo mox aliquanto prolixius agendum erit, in *præfatione sui Glossarii Græco-Barbari* §. II. enumerat eos, qui ante se simile quid in ornanda illa sparta tentarunt: Stephanum a Solio; Dion. Gothofredum; Nic. Rigaltium; Joh. Meursium; Christoph. Germanum; Gerasimum Vlachum; Simonem Portium; Carol. Annibalem Fabrotum; Jac. Gretserum; Joh. Morinum, & Jacobum Goarum. Ex his aliqui particularia tantum Scriptoribus Byzantinis Glossaria subjecerunt: alii sparsim illud negotium in suis scriptis notisve attigerunt: alii forte aliter;

aliter; neque enim omnes visi nobis sunt. SIMON PORTIUS Romanus, Doctor Theologus, is ipse, qui τῆς Ρωμαϊκῆς γλώσσης, i. e. Græcæ vulgaris, Grammaticam, Cangii Glossario præfixam, dedit, *Lexicon Latinum, Græco-Barbarum & Græco-Literatum* edidit Paris. 1635. NICOLAUS RIGALTIIUS, celeberrimus olim Regiæ Parisiensis Bibliothecæ custos, *de verbis, quæ in Novellis Constitut. post Justinianum occurrunt, Glossarium μὴ ὁμοειδῶν* Paris. 1601. in 4. edidit, atque, ut erat in suis laboribus exactissimus: iudiceque Scaligero vir talis, e cuius quotidiano congressu aliquid semper disci poterat; quamobrem & Carolo Labbeo, Glossariorum supra recensitorum editori, ut Rigaltium amicum habeat, omnique officiorum genere profèquatur auctor est: *Epist. p. 591.* ita, in Glossario etiam, suis partibus strenue functus deprehenditur: nisi quod, dum exiguam solum barbarorum vocabulorum particulam, nempe Juridicam, selegit, imperfectus nimium labor est. Ueberior JOH. MEURSIUS *Glossarium suum Græco-Barbarum* primo An. 1610. apud Elzevirios in 4. tum, secunda editione 1800, vocibus auctum, ibid. 1614. dedit.

Verum, cum & ab hoc nequaquam e materiæ dignitate pertractatum opus videretur, exhaustumque vocum Græco-Barbararum pelagus; Joh. Bapt. Corelerius, & Emericus Bigotius, Viri duo Clarissimi, quos, Cangio dicente, in perfectâ Græcæ linguæ, ut & ceterarum disciplinarum, cognitione consummatissimos esse, nemo nescit, CAROLUM du FRESNE, Dominum du CANGE, adierunt, ut, quemadmodum Latinitati mediæ atquæ infimæ vasto III. Voluminum Glossario lucem prorsus egregiam affuderat, ita & Græcitatẽ eodem modo illustrandam in manus sumeret. Id quod & ille, senex admodum licet & jam morti vicinus, non minus prompte quam feliciter, in se suscepit; conquistis undique, & immenâ diligentia pervoluratis, editis, ineditis, Theologorum, Jctorum, Medicorum, Chymicorum, Philosophorum, Grammaticorum, Historicorum, ætatis mediæ atque infimæ, monumentis longe plurimis: e quorum accurata pervestigatione emerit tandem *Glossarium ad Scriptores Mediæ & Infimæ Græcitatẽ*, non minus vocabulorum, quam omnis generis rerum, una insperatarum insigni copia admirandum. In præfatione, luculenter admodum causas corruptionis linguæ Græcæ exponit, totiusque declinationis ejus historiam. Prodiit illustre Opus Lugduni 1688. in fol. II. Tomis, ultimusque Viri laboriosissimi conatus est, qui, paulo post absolutam ejus editionem, prope stans obiit; de Byzantina Historia inprimis ante alios omnes meritis, quam non suo solum peculiari volumine, ingenti eruditionis apparatu, illustratam dedit, sed & in ornandis edendisque Chronico Paschali, Zonara, Annæ Comnenæ Alexiade, aliisque Auctoribus, insigniter juvit. Hæc vero cum hujus loci non sunt, prætereo. Non silebõ tamen elegans epigramma, quo doctus quidam inter Gallos vir *de la Monnoye*, in Latinum & Græcum Cangii Glossariâ ingeniosè lusit h. m.

Ausonios postquam Grajosque effusa per agros
Barbariẽ Romam pressit utramque diu:
Cangius, hanc vinculis qui tandem & carcere frenet,
Res mira! e Gallis ecce Camillus adest.

Kkk kk 3

Et

13

Et hæc de Lexicis iusticiant; quorum usus juventuti vel ob id maxime commendandus est, ut ad colendam linguam pulcherrimam eo alacrius accedant. Quoc vero Auctorum Græcorum delectum attinet, certum est, antiquos recentioribus præferendos: ac tyronibus quidem inservire possunt *Orationes Historicorum Græcorum* ab Henr. Stephano & Eilhardo Lubino collectæ. Quamquam enim vulgè Novum Testamentum eligere soleant; negari tamen non potest, peregrinitatem aliquam dictionis Græcæ illic occurrere: adeoque, licet ante omnia Novum Testamentum ab adolescentibus penitus imbibendum sit; addi tamen & alios prisco auctores Græcos oportet. Neque enim in lectione veterum a Latinis interpretibus standum, quos sæpe multumque insigniter falli fallereque videt, quisquis Græca consultat; & apparet idem ex frequentibus eorundem castigationibus, quæ in Virorum doctorum scriptis passim obvias sese præbent. Unus instar omnium Barthius recentiores illas antiquorum auctorum versiones, prout vulgo excudi solent, adeo non fert, ut novam inde barbariem extimescat. Nam dum, *l. XI Adversar. c. 19.* de Epistolis Græcænicis loquitur, quæ Genevæ junctim excusæ sunt Dolui, inquit, cum earum interpretationem dari Jac. Cujacio vidi, & Juris, Antiquitatumque, & linguæ Græcæ, solertissimo: qua jurare ausim tota Latinitate futiliorem non inveniri traductionem: licet in hoc campo ad arbitrium fere suum debacebentur homines de Scholis qui neminem ullum Græcum auctorem sine futili versione jam fere excudi faciunt: adeo denu in judiciis vulgi regnare incipiunt, quibus uno jam fere seculo ipsorum tyrannis excussa erat. Idem, lib. XLV. c. 6. istud de versionibus auctorum Græcorum argumentum resumit, ostenditque, quanti momenti res sit, Latine Græcum exprimere: quo quidem omnium optime Josiam Mercèrum, interpretem Aristæneti, fecisse putat. Conferendi insuper de Latinis Græcorum translationibus sunt Pet. Nannii *Συμπλήτων lib. I. c. 3.*, & Ant. Borremanii *Var. Lection. c. 11.* Sane Latini ipsimet suam semper linguam Græcæ postposuere, pauperemque arbitrati sunt, si cum illi componeretur: quod non probat Barthius *lib. LVIII. c. 9.* multum errari in judicii talibus persuasus. Negari interim non potest, tum demum Romanos ad aliquem in scribendo, vel perorando, canendove, gradum sublimiorem ascendisse, cum Græcos sibi imitandos sumserunt, uti Cicero Demosthenem, Thucydidem aliosque, Livius, & Virgilius Homerum. De Thucydide illud obiter memorandum graviter hallucinatum, Leonem Allatium, dum eum a Cicerone *pene pusillum* dicit perhibere: cum tamen non solum absurda hæc locutio foret, sed & Cicero, *l. II Epist. ad Quintum F. ep. 12.* de Philisto Syracusio verba faciens dicat: *Sculus ille capitis talis, creber, acutus, brevis, pene pusillus Thucydides*: longe alio sensu, uti cuiusvis patet quam quem Allatius male ceperat, haud immerito proin a Franc. Vavassore notatus, de *Dictione Ludicra p. 167.* Quæ de poetis Græcis Theocrito, Homero, Hesiodo, Virgilius sua fecerit, singulari industria collegit Fulvius Ursinus libro Antwerpiæ in 8. edito hujus tituli: *Virgilius collectione Græcorum scriptorum illustratus* cui rei præterea inservire possunt Germani Valentis Guellii *Commentationes & Paralipomena in Virgilium*; Antwerp. apud Plantinum in fol. A. 1580. excusa.

De Poëtis Græcis eorumque ætatibus peculiari libro posthumo egit Gerh. 14
 Joh. Vossius, quem tamen ineditum mansisse mallet Colomelius in Bibliotheca Se-
 lecta. Artem Poëticam, quantitatem syllabarum, phrasas etiam poëticas, tradide-
 runt Colemannus, Neander, Pareus. Satyricam Græcorum Poësin peculiari tra-
 ctatu exposuit Isaacus Casaubonus, in duos libros diviso, editoque Paris. 1605. in 8.
 sed is dudum rarior esse cœpit. (ee)

CAP. IX.

DE LINGUA LATINA.

- §. I. Scriptores de Literis Latinis atque Orthographici, quorum Princeps est Cl. Dausquejus.
 2. Originum Ling. Lat. Scrutatores Etymologici, Isidorus Hispalensis (merus Rhapso-
 dus,) Jul. Caf. Scaliger, Celsus Cittadinus. 3. Melch. Inchoferus, Seb. Corradus,
 Joh. Nieff. (Historiam Ling. Lat. Libris persecuti peculiaribus). 4. Gerh. Joh. Vos-
 sius, Matth. Martinus, Joh. Fungerus, Chr. Becmannus, Chr. Daumius. 5. Lati-
 nitatis Priscæ & Agrestis rudera, seu Vocum antiquatarum, Collectores, Eüb. Lubin-
 us & Janus Guilh. Laurenbergius, additis Recentioribus quibusdam, vetusto isto Ser-
 mone commentatis. 6. Nomenclatorum Scriptores, Hadr. Junius, Henr. Schævius,
 Joh. Joach. Beccherus (de cujus etiam Scriptis aliis Didacticis fertur Judicium,) Jac.
 Engelbrecht. 7. Lexicaon perfectum Lingue Latine deest. 8. Lexicographi Ævi
 barbari rudiores, Papias, Nestor Dionysius, &c. 9. Recentiores, qui post Literarum
 vixere πάλι γυγιεσίων, Nicol. scil. Perottus, Ambr. Calepinus. 10. Rob. Stephanus,
 ejusque σύνεργος hic Plagiarium, Epitomator item Marcus Frid. Wendelinus. 11. Steph.
 Doletus, Joh. Frisius. 12. Marius Nizolius, ejusque Thesauri Ciceroniani Continua-
 tores, & Ant. Schorus, Thesauri itidem Ciceroniani Scriptor. 13. Henr. Decimator.
 14. Casp. Scioppius, cujus Mercurius cōvēδωτος est. 15. Ol. Borrichius, G. M. Kö-
 nigius. 16. Easil. Faber, ejusque Continuatores, Aug. Buchnerus, Jac. Thomasius,
 Christoph. Cellarius, Tob. Magirus. Monita de subsidiis Lexici conficiendi, imprimis Au-
 torum Indicibus. 17. Latinitatis Ævi mediū corruptæ Lexicographi, Gerh. Joh.
 Vossius, Joh. Pet. Titius, Joh. Vorstius; 18. Car. du Fresne, Vossio, & ceteris omni-
 bus luculentior. 19. Solecismi Virorum Doctorum a Casp. Scioppio, Franc. Vavas-
 sore & Joh. Pet. Titio, notati. 20. Phrasum Ling. Lat. (quarum Sectus prudentis
 simul inculcatur necessitas) Collectores, Hadrianus VI, Pont. Rom. Aldus Manutius,
 Ant. Schorus, C. Scioppius, Georg. Grauserus, Wolfg. Schönledeus, Hub. Gifanius, &c.
 Barn. Brissonii Opus de Formulæ & solemnibus Verbis Pop. Rom. commendatur, & a
 Scaligeri Censura vindicatur.

A Græca

(ee) Is Casauboni Tractatus de Satyrica Græcorum Poësi (de quo Autor, in Polyhistore Poëtico, sive
 lib. VII. c. 1. §. 11. plurima monuit) a Thoma Crenio haud ita pridem, in Museo Historico &
 Philologico, Lugd. Bat. A. 1699. in 8vo edito, denuo est recensitus.

1 **A** *Græca Lingua*, cujus beneficio omnes scientiæ ad Romanos, omnesque artes transferunt, ad LINGUAM LATINAM nunc progredimur, de qua συλλή-
 ἔδην quædam dicturi sumus, cum plenius alibi egerimus. De literis videatur Hermannus Hugo in libro de prisca scribendi origine, supra laudato: Vossius in Arte Grammatica: Scioppius in Arte Critica, Noribergæ 1597. & Amstel. An. 1668. in 8. edita: ubi multa habet scitu necessaria de literis, quorum beneficio MSSrum antiquitas vel novitas internosci potest. *Bivocales*, sive *diphthongos* quasdam vir summi apud Anglos ob inexhaustum plane doctrinam nominis, *Thomas Gatakerus*, peculiari Dissertatione, Londini 1646. in lucem emissa, impugnavit: ubi etiam multa differit de literarum quarundam sono germano, natura genuina, figura nova, idonea scriptura veteri atque vera. Inprimis vero diligenter *orthographiam Latinam*, juxta temporum seriem explicatam, dedit CLAUDIUS DAUSQUEIUS, seu *Dausquius* libro, cui titulum fecit *Antiqui novique Latii Orthographia*, II. Tomis in fol. Tornaci An. 1632. Magna profecto cura Opus elaboratum est, atque ita omnem apud veteres scribendi rationem evolvit, ut illa in lapidibus, inscriptionibus, monumentisque publicis, variavit: atque adeo utilissimam arti Criticæ operam navavit. Non parum enim negotiū faceffit scripturæ varietas in veteribus monumentis, e qua tamen, bene intellecta, statim judicium de antiquitate scripti formari potest: quare, ut characteres hi accuratius dignoscantur, opera danda est. Attingit nonnihil ejus argumenti Henr. Stephanus, in præfatione Glossariorum a se editorum: sed parcissimus est, pleniorque & illo, & reliquis ad unum omnibus, Dausqueji liber, complexus omnia, quæ tum veteres, tum recentiores, de hoc argumento scripsere. Sunt autem illi *Victorinus Velius Longus*, qui Romæ prodiit An. 1587. in 8. *Cassiodorus*, cujus de Orthographia libellus prodiit separatim, cum notis Carionali, Antwerpæ 1597. in 8. *Bede* liber de Orthographia, quem Hanoviæ 1609. imprimi curavit Hel. Putschius. *Aldi Manutii junioris*, Pauli F., opusculum de Orthographia diligentissime e libris antiquis, tabulis, numis, lapidibus, congestum editumque ab ipsomet Venetiis 1566. in 8. *Hier. Cardani* de Orthographia tractatus, qui T. I. ejus Operum reperitur: & forsitan alii.

2 *Origines* atque *etymologia* Latinae Linguae Veteres jam Grammatici, Varro, Festus, Flaccus, Isidorus pertractarunt, conatu non nimium felice: vapulatque, ob compilatos veteres, ISIDORUS præsertim plurimis; quapropter haud raro castigantur: qui modo *rhapsodiam* vocant ejus Origines, e pluribus undecunque *con-sarcinatam*, quod B. Rhehani judicium est: mox cum Jano Douſa auctorem ipsummet *facto*ribus *Semiprisca* annumerant, *centonumque sarcinato*rem vocant: qua de re *Jac. Thomastus* *Diff. de Plagio* §. 474. Poteſt cetera veteribus suo modo adnumerari nomenclatura variorum utensilium, alias ignota, quæ in *Instrumento plena Securitat*is, a Naudæo e Bibliotheca Paris. Regia Romæ in 4. edito, continentur. E recentioribus JULIUS CÆSAR SCALIGER magni *Opus Originum lingue Latine* moliebatur, 24. libris absolvendum; quod una cum ipſo ta-
 men

men intercidit. Nec adeo multum, si prodiisset etiam, inde fructus speravit Menagius, in sua *Originum Ling. Gallicæ ad Puteanum epistola nuncupatoria*, hunc in modum scribens: *Jule Cesar Scaliger, un des premiers Critiques, & le premier Philosophe de son tems, a composé des Origines de la Langue Latine jusqu'à 24. livres. La grosseur de cet ouvrage étoit si prodigieuse, que durant sa vie il ne se trouvoit point de Libraire, qui en voulut entreprendre l'impression, & il a été perdu après sa mort: Mais pour les etymologies, qu'il a inseré en son livre des Causes de Langue Latine, & qui ne sont pas meilleures que celles des anciens, nous pouvons juger, que cette perte n'a pas été grande.* Post Scaligerum, **CELSUS CITTADINUS**, Vir, judice Erythraeo in legendis explicandisque veterum Latinorum monumentis, ea eruditione ac scientia præditus, ut paucos pares, superiorem haberet neminem: & qui specimen suæ eruditionis dedit *Dialogum de Origine Usus, quo plurali numero singularis persona cæpta est nominari*, referente eodem J. Nicio Pinacoth. II. p. 71. is, inquam, Celsus præ manibus habuit *Opus de Ortu & progressu lingue Latine & vulgaris Italice*: prout Gassendus in *Vita Peiresciana* memorat: verum ne ab hoc quidem aliquid in lucem exiit.

MELCHIOR INCHOFERUS, Jesuita Bavarus, aliqua ex parte hunc 3 utriusque defectum supplevit *Historia sua Sacra Latinitatis*, quam libris VI. comprehendit, ediditque Monachii An. 1638. in 8. Optimus profecto liber est, multaque proponit eruditissima, & scitu maxime digna, quæ spectant ad ortum, progressum & mutationes istius lingue, quæ præcipue ab illo sunt tradita; dum statum Latine lingue, per omnia secula, usque ad ipsam barbariem & recentiora tempora, deducit. Habentur præterea singularia nonnulla de causis corruptæ lingue Latine, ejusdemque ad nostra usque tempora conservationis. Gothos, qui vulgo corruptæ Latinitatis incusantur, ille ab hoc crimine absolvit, eosque potius, ut Latine lingue conservatores, honorandos existimat; non omisis quoque Curie Romanæ laudibus, quam scilicet de propagata, imo canonizata lingua Latina præclare meruisse persuasus est; qua in re non quidem omnino fallitur; sed simul tamen, monachorum fœcordia misere deturpatam linguam pulcerrimam, negare non poterit. Laudandum, quod *lib. III. c. 10.* confutandos sibi Laboremium & Sorberium sumit, Latine lingue prærogativam præ Gallica debitis argumentis extollit. Illud vero perridiculum, quod, *lib. 5. c. 2.* beatos in cælo Latine aliquando locuturos existimat. Ante Inchoferum, **SEBAST. CORRADUS** luculentum *librum de lingua Latina* scripsit, in quo multa continentur de mutationibus ejus lingue, aliæque observationes egregiæ: quapropter & eum librum maxime commendo. Versatus in eodem argumento est **JOHANNES NIESS** in *libro de ortu & occasu Latine lingue, cum ejusdem instauranda modo*, qui tamen non ea diligentia, quæ poterat, argumentum istud tractavit, Dilingæ 1627. in 12.

Præcipuum vero in hoc studiorum genere, ut in aliis fere omnibus, nomen 4 acquisivit **GERH. JOH. VOSSIUS** *Etymologico suo* (quod hæud ita pridem, Tomus I. LII II Isaci

Isaaci Filii additamentis auctum, nova facie prodit.) Multum illud præcellit *Lexico* MARTINII, qui Vossii præceptor erat, sed multa immiscet aliena, quæ iudicium ejus tantum non esse produnt, quantum erat discipuli: quanquam & in discipulo passim deprehendas præceptoris sui vestigia, adeo quidem clara, ut typographus, qui Martinii *Lexicon* edidit, sibi ab opère Vossiano damnum metuens, plagi crimen intentasse dicatur hujus editori, Elzevirio, qui id An. 1662. in fol. primum excudit. Præfixus est utilissimus liber de *permutatione literarum in etymologia investiganda*, quam doctrinam Vossius eo loco plenissime proponit, cum, qui ante illum in hoc argumento fuere occupati Grammatici, leviter illud saltem attigerint. (ff) JOH. FUNGERI *Etymologicum Latinum* Francof. in 8. An. 1605. editum, & CHRIST. BECMANNI *Origines*, cum his quidem comparari non possunt, habent tamen interdum, quæ in aliis non invenias: Becmannus inprimis, qui erat elegantis ingenii Vir, & in luculenta sua præfatione de Latinitate non pauca notatu digna observat. Versabatur usque ad vitæ finem eo in argumento CHRISTIANUS DAUMIUS, qui Indices Latinae linguæ Analogicos, & Indagatorem Radicum, dudum promisit, ut patet ex Epistolis Reinesio-Daumianis, ubi multa inveniuntur ejus argumenti. Ac publicavit jam pridem Daumius tractatum *de causis amissarum quarundam Latinae linguæ radicum, ut & multarum vocum derivatarum*: quod est *Commentationum* ejus de Latinae linguæ ἀναλογίαι & usu ἀποσπασμέτιον, Cygneæ 1642. in 8. eoque libro contineri fundamenta quædam voluit magni Operis, quod moliebatur: absoluri nimirum suis numeris *Lexici Latini*, præcipue illarum vocum, quæ ætate sequiore in usu fuerunt; quam ob causam magna diligentia pervolvavit omnia illa, quæ nancisci potuit, scripta eorum temporum, edita, vel inedita. Etsi vero in ejus *Dissertatione*, quæ prodit, omnia non probem; multa tamen inibi habentur & docta, & subtiliter excogitata; & solidiora haud dubie ab illo expectanda fuerant, ni mors illum una cum conatibus intercepisset.

5 Antiquas veteris illius & agrestis Latinae linguæ voces e paucis, quæ hic illic in fragmentis Nævii, Pacuvii, &c. supersunt, ejus ruderibus utili labore collegit, post EILHARDUM LUBINUM (qui jam An. 1594. Amstelod. in 8. edito *Antiquario*, seu prisicarum & minus usitatarum vocum interpretatione, id tentavit) JANUS GUILH. LAURENBERGIUS, qui & ipse, sub *Antiquarii* titulo, collegit omnes voces antiquas & obsoletas, easque explicuit, Lugdun. Batav. 1622. in 4. Adjecit & in fine veteres glossas quasdam Græco-Latinas, quas ediderat
Henr.

(ff) Gerh. Vossii *Etymologicum Linguae Latinae*, cum præfixo de permutatione Literarum Tractatu, quamplurimis H. Vossii, Autoris Filii, observationibus auctum, Amstelodami An. 1695. in fol. est recensum. Matthiae Martini *Lexicon Philologicum*, adjectis ejusdem Cadmo Græco-Phœnice, sive *Etymologico*, & Isidori *Glossario*, per Joh. Georg. Gravium emendato, suisque annotationibus, & aliorum collectaneis, illustrato, Trajecti ad Rhenum A. 1697. in fol. Gravio curante itidem denuo prodit.

Henr. Stephanus; & ex iis tantum excerpfit, quantum ad illustrationem hujus sui Antiquarii facere existimabat. Continentur enim in Glossariis illis voces, quarum nec vola, nec vestigium, in ipsis Auctoribus est: unde apparet, fuisse in ipsa etiam aurea aetate plebejas voces in publico usu, sed non ita foro & civitate donatas, ut in orationis civilis usum cooptarentur. Inveniuntur in iis interdum voces, e quibus restitui suspecta Autorum loca possunt, cum occurrant ibi vocabula, quae homo imperitus facile, ut peregrina & barbara, expungeret, quae tamen genuina & Latina sunt, quanquam rarioris usus. Fuere autem aliqui inter eruditos, qui, dedita opera, ex praeteritis illis vocibus orationem contexuerunt ingenii ostentandi gratia: inter quos doctissimus Mariangelus Accursius in Dialogo, quem *Oscos & Volscos* inscribit: Jul. Caes. Scaliger in *Poematibus, libro Teretismatum p. 103.* ubi paedagogum aliquem inducit antiquo isto sermone loquentem: & Jac. Balde in *Dramate quodam Osco*. Referendum quoque huc carmen Philoxeni Gonæi, seu qui se illo nomine texit, Casp. Barthii, ea lingua scriptum, quod statuæ suæ Mercuriali Henr. Jul. Scheurlius adjecit.

Ad voces linguae Latinae perdiscendas comprehendendasque, Nomenclatores partim, partim & Lexicographi data opera manuducunt. (gg) Optimus HADRIANI JUNII *Nomenclator*, Antwerpiae in 8. Ann. 1577. editus, tanta cura adornatus est, ut non ignominiae sibi Auctor duxerit, quandoque in media opificum viliorum turba in cauponis federe, unaque computare, quo accuratius, vel inter pocula instrumentorum proprias appellationes in lingua vernacula edisceret: teste Colomesio in particularibus relationibus, quae inter ejus Opuscula habentur: p. 131. sq. qui & addit, Joh. Sambucum propterea alieniorem a Junio factum; cum causam fordidae societatis ignoraret. Alium *Nomenclatorem* HENR. SCHÆVIUS edidit *Mnemonicum*: atque ut erat Vir doctissimus, & in omni disciplinarum genere versatissimus; ita hic etiam contemnendus non est; *Masculina* nigro; *feminina* rubro caractere signavit: *neutra* utroque comparent. Consilium nomenclaturae prolixius exponitur in praefatione libri, ejus altera editio prodiit Heidelbergae 1673. in 8. Mihi commodius videtur, verba nominibus suis jungi eo, quo derivantur, ordine, quod consilium nuper amplexus est JOH. JOACH. BECCHERUS, Vir, qui omnibus pene disciplinis se immiscuit, adeo ad Latinae etiam linguae rudimenta feliciter tractanda consilia proposuit, in *Methodo sua didactica*: in *Praxi ejus methodi*, & in *Organo* suo, quomodo possit tyro rerum vocabula, Grammaticam, & significationem integri sermonis, addiscere beneficio derivationis a primitivis; cui rei potissimum infervit Praxis illa, velut in specimen primo loco procusa. Fateor, non remnendam esse ejus Viri industriam; sed fuit illius

LII II 2

dili-

(gg) De Nomenclatoris Hadr. Junii Historia, Variis Editionibus, Prærogativa, Navis, & horum Censoribus, plurima lectu digna congeffit, & proinde ad *b. l.* conferri meretur, Thom. Crenius, *Vir Cl. Parte I. Animadversionum Philologicarum & Historicarum, t. 3. §. 1-5. p. 33-44.*

diligentia pene nimia & superstitiosa. Collegit ille sub suis primitivis derivativa, quæ non sunt omnia notæ melioris: citra delectum enim obsoleta, & nova, & barbara, simul proponuntur tyronibus ediscenda, quod illorum animos imbuit non optimo colore. Ut in vocabulis praxin suam ostendit, ita aliud subsidium est commentus in enunciationibus formandis, & sententiis: cui scopo scripsit novum Organon, in quo sub classibus conceptuum universalium ac prædicamentalium disponit voces: cujus quidem dispositionis usus, præter illum, quem ipse intendit, alius quoque esse possit non contemnendus in inveniendis conceptibus argutis: nam cum hi fundentur in analogismo rerum, quilibet intelligit, eo felicior fore hanc operam, si directorio indicum istiusmodi categoricorum uti possimus. *Methodus Didactica* edita est una cum *Appendice* Monachii An. 1668. in 4. *Novum Organon* Viennæ 1671., quod postea distinctius prodit, & cum Germanicæ linguæ additione, & cum subdivisione paragraphorum, Francofurti, si recte memini, in 8. Tertius tomus illorum librorum nondum lucem vidit, quo proponere argumentationum fontes voluit: sed, ut ipse nihil certi promisit, ita nec dedit quicquam, dum viveret, aliis nempe per plurimos occupationibus negotiisque distractus.

Becchero, ob argumenti similitudinem, jungimus JACOBUM ENGELBRECHT, qui *Complementum Latine Linguae* scripsit: quo, certæ methodi beneficio, derivata & composita omnia, e facillima suis in classibus analogia, solo aspectu tyronum memoriæ insigantur. Distinguit nimirum voces secundum classes rerum & terminationes: & sane in terminationibus, nisi fallor, idea totius linguæ latet; ut ego quidem existimem, totam aliquam linguam breviori spatio posse comprehendere, si quis ad terminationes illas respiciat: prout enim sunt conceptus de rebus, ita pene ipsa natura determinat terminationes, quæ si respiciantur statim judicari de ipsa vocis significatione potest. Primitiva enim & simplicia pauca sunt, quæ, si memoria teneat puer, & ideam harum terminationum habeat, ipse sponte eliciet, & sine operosa memoria, voces a primitivis secundum hunc ordinem derivatas. Hoc consilium fuit Engelbrechti, quod in lingua Græca præterea secutus est Andr. Pauli, qui *Thematalogiam Novi Testamenti* concinnavit, qua docet secundum hunc ordinem investigare significationes vocum. Ejus consilii ratio explicatur in præfatione libri, qui prodit Lubecæ 1661. in 12. Verum de methodis hujus generis alibi.

7 Nomenclatoribus Lexicographi succedant. Hic verò cum pudore nostri seculi dicendum est, non habere nos perfectum aliquod Lexicon Latinum. Græca lingua ea parte longe felicior: nam Thesaurus Stephani adeo copiosum dedit apparatus, ut paucis vel emendari, vel augeri, possit: at in Latina lingua omnium opera fuit imperfecta, & in partibus tantum exulta. Conquestus est ea de re Olaus Borrichius in libello *de Lexicorum Latinorum Fejunitate*; ubi pluribus demonstrat, quætopere laborent vulgaria illa Lexica, etiam optima: & illud sub *Fori Romani* nomine toties repetitum, & a novis plagiariis interpolatum. Hactenus tamen tot prodierunt instrumenta conficiendi plenioris Lexici, ut mera ignavia sit, non impendi operam diligentiorum. Habemus notas, commentationes, indices doctis.

doctissimorum virorum in Auctores pene omnes, e quibus vel folis si conferantur, & cum iudicio digerantur, Lexicon egregium confici possit. Atque illa cura pertineret ad voces tantum, non ad phrasés, in quibus congerendis laboriosum est Forum Romanum; cui certe ex his virorum doctorum curis magna fieri accessio posset, qua parte sæpe Forum Romanum deficit.

Nón potuere vero non lurulenti esse Lexicographi, qui e luto barbariei seculorum superiorum vix tandem conspurcari misere emerferunt: namque, ut ex aqua nascitur Venus, non ex luto; ita nec linguæ Latinæ Veneres e barbarorum temporum sterquilinio peti possunt. Eapropter sufficiat, nomina illorum apposuisse, ne ignorentur: quanquam & occurrant interdum apud illos nonnullæ glossulæ, quas e vetustioribus Auctoribus transcripserunt. Primus illorum PAPIAS est, Lombardus circa A. C. 1200. clarus, juxta Trithemium, qui eum scribit, Grammaticorum omnium suo tempore fuisse clarissimum, Græco & Latino sermone instructum: Scaligero, in *Excerptis Putcan.*, futilis est, & tot errores habet, quot verba. Contra vero Casp. Barthius, primo statim suorum Adversariorum capite, *non semper futilem veterum glossariorum compilatorem* vocat: imo, *lib. LV. c. 4.* quæ ex veteribus Grammaticis undecunque corraferit, *raro non notabili aliqua explicatione ornasse* ait: dissidet etiam quoad ejus ætatem a Trithemio, &, *lib. III. c. 3. Adv.*, non diu post Henrici II. Imp. tempora, i. e. post A. C. 1000. eum scripssisse e Catalogo Imperatorum colligit, quem in voce *Ætas Papias* habet, ubi in Henrico II. definit. *Vocabularium* vero Papiæ, de quo nobis hic sermo, & quod aliquamdiu apud imperitos auctoritatis aliquid obtinuisse Raphael Volaterranus memorat, Venetiis A. 1491. impressum prodiit. Secuti hunc NESTOR DIONYSIUS, Novariensis Minorita, Papiam in ordinem redigens, ipse ab aliis redigendus, cujus *Dictionarium Argentorati A. 1507.* excusum est: Joh. Werdena in sua *Gemma Gemmarum*: Johannes de Janua, & Simón Januensis, qui tamen vix ab illo ipso limine, quod nomen profiteretur, linguam Latinam salutarunt.

Nebulas horum hominum dissipavit NICOLAUS PEROTTUS, Saxoferratenensis, Sipontinus Episcopus: cujus præclarum opus *Cornu Copiæ*, seu Commentariorum Latinæ linguæ volumen (quod idem commentarius in Martialem est,) omnem Latini sermonis elegantiam & rationem nisu eximio complectitur, tum quæ apud Martialem occurrit, tum quæ ad Martialem ex aliis ab ipso afferuntur. Optima ejus editio prodiit apud Aldum Venetiis An. 1513. quæ postmodum Basileæ apud Curionem & Walderum aliquoties iterata est. Et sane honor illi Viro habendus, primo purioris Latinæ linguæ collectori, unde sua præcipue derivarunt, qui post illum scripsere. Equidem amolitur a se intentatum crimen istud Angelus Politianus in *Miscellaneis*, cui objectum fuerat, factam ipsi ante Perotti editionem ejus archetypi inspiciendi copiam, Urbinatum Duce in gratiam Laurentii Medicis tradente. Verum id omne ita a se depellit Politianus, ut ad editi exemplaris *avrospicy* provocet. *vid. Thomastus de Plagio §. 525.* Sed si excusandus est Angelus, certe non idem merentur alii Perotti strenui transcriptores. Hos inter non minimus AMBROSIUS CALEPINUS: qui quidem, si in

nomine aliquod omen est, per anagrammatismum *Pellicanus*, sanguine suo & succo minorum gentium Lexicographis vitam dedit: fuitque diu sacra studiorum anchora, ad quam confugiebant, qui in Latina lingua se exercere volebant. Sed ipse interim Calepinus merus Perotti descriptor est, quapropter acerbis passim censuris Scioppii & Franc. Floridi vexatur: a quibus non adeo multum abludivit Erythræus, *Pinacotheca II. p. 202.* Stetit olim, & in scholis regnavit, adversus omnes censuras, & præla typographorum calefecit, ac loculos ditavit, bonus ille Calepinus, qui toties coctus & recoctus parum sapit. Illi enim aliena ova supposuerunt passim nonnulli, & fetus quoscunque, undecunque corrasos, sub Calepini persona in theatrum produxere: tandem & nova mole, novarum linguarum multitudine, auctior liber ille prodit, quasi conjuratum esset ab omnibus typographis in unum hoc Lexicorum chaos, quo, tanquam illo Bacchi dolio, & cicer, & pisa, & allium, & lana, & omnia, continebantur. Quæ, cum omnia illic sint permixta, nihil solidi & genuini deprehendes: non possunt enim simul & semel disci & colligi tam diversa; quoque ornatus magis illis auctariis liber fuit, eo magis deformatus, & ut simius ille apud Claudianum, claro deformis amictu. Prodit post longe plurimas editiones Lugduni A. 1587. recognitus a Jano Passeratius, & Ludovico la Cerda: sed, ut putat, abusi sunt typographi horum virorum nomine, ut eo promptiores invenirent suis mercibus emptores. Videatur de hoc Passeratii Calepino Borrichius *de Lexicorum Latinorum Jesuitate.*

10 Longe vero vicit Calepinum, quacunque etiam manu auctum emendatumve, exquisito labore ROBERTUS STEPHANUS, dum ab aliis decem viris Tusano, Budæo, Baifio, similibusque doctissimis adjutus incomparabilem illum Latine Linguae Thesaurum elucubravit; cujus hic titulus est: *Dictionarium, seu Latina Linguae Thesaurus, non singulas modo dictiones continens, sed integras quoque Latine & loquendi & scribendi formulas, ex Catone, Cicerone, Plinio, Avunculo, Terentio, Varrone, Livio, Plinio secundo, Virgilio, Casare, Columella, Plauto, Martiale: cum Latina tum Grammaticorum tum varii generis scriptorum, interpretatime, Paris. 1536. fol.* Nova editione ingenti accessione auctus III. Tomis prodit A. 1542. tandem & Lugduni 1573. reperitus, sed dempta tamen male præfatione, in qua suos adjutores Stephanus enumeraverat. Mirum, quam a plagiariis conspiratum sit in hoc Opus: nam tanquam ad prandium paratum venerunt, non suis laboribus Opus alienum exornaturi, sed submoro Auctoris nomine suum impudentissima audacia reposituri. Ita CÆLIUS SECUNDUS CURIO, sub *Romani fori* nomine, THEODOSIUS TREBELLIVS, sub titulo *Promptuarii*, Basil. apud Oporinum 1542. excusi, alii sub aliis titulis, presso veri Auctoris nomine, Thesaurum Stephani ediderunt, cujus facti, certe minus ingenui, nulla ab ipsis ratio redditur: nisi forte eam ob causam hoc evenit, quod, ascitis in societatem Viris tot eruditis, partem aliquam hujus laboris in se jure quodam derivare voluerint. Alii, ne nihil omnino in Opere recuso viderentur egisse, auctius id, & si Dis placeret, emendatius procudere amittebantur, intrusis vocibus & loquendi modis, qui, a genuina Latinitate alieni prius a Step-
no

no ob id ipsum repudiati fuerant: qua de re lepidam historiolum refert Henricus, Roberti F. Stephanus, in *Epistola de Statu sua Typographia* p. 161. edit. Almelov. Quum pater meus, ait, Venetiis agens, quandam officinam typographicam ingressus esset, in qua exudebatur ejus *Theaurus lingue Latine*, sumpta in manus charta, oculos statim in quoddam vocabulum coniecit, quod se olim rejecisse, dum opus illud construeret, recordabatur. Miratus ergo suum exemplar afferri ad se jussit, quod memorie sue non omnino fidendum putaret. Ibi certe vocabulum illud non invenit, sed margini adscriptum, ut insereretur, videt. Tunc eum, cuius manu adscriptum erat, convenire, & quo id consilio fecisset, interrogare. Hic vero non aliud respondere, quam se non vocabulum hoc solum, sed aliquot alia itidem adiecisse: quæ cum patri meo ostendisset, ea ipsa esse comperit, quæ itidem olim rejecerat. Quæ ex re tanto dolore exarsit, ut continere se non potuerit, quin illum aliosque, qui ad ditandum præclaris hisce divitiis *Theaurum operam suam itidem locarant*, asinos *Arcadicos* vocaret. Hæc dum narrat Henr. Stephanus, suo Græcæ L. *Theauro* paria plane fata ominatur; eadem & secuto tempore, si non graviora expertus. Ceterum habet tamen & hoc Rob. Stephani *Lexicon* suos defectus: sæpe enim e corruptis Auctorum exemplaribus loca non sana afferuntur: multa quoque παραρρήματα in ipsa phrasi: sed tamen ob phraseologiam quam maxime commendari meret: nullum enim habemus *Lexicon* ea parte plenius instructiusque. Excerptis ex illo *Metallam suam Latinitatis* MARCUS FRID. WENDELINUS, addido in tyronum usum locupletissimo indice Germanico. Liber non contemnendus est, de quo in præfatione Wendelinus multa magnifica promittit, putatque ex nullo libro commodius addisci posse linguam Latinam, quam ex hoc, si perpetuæ instituantur imitationes, & sermones continui ex istis phrasibus connexi, qui, Germanica propositi lingua, in Latinam converti debeant. Sed, quod primarium est in imitatione, hic deficit: sermonis scilicet nexus, unde potissimum dependet omnis linguæ genius: deinde sermones ita concinnati nescio quid inepti sapiunt, si secundum ordinem istum alphabeticum instituantur, quod παντόλογον & jejunum videtur. Quanquam enim obtendit Wendelinus, longo tempore opus esse, si ex lectione proficere velimus; omniumque rerum Latinitatem uno Auctore minime comprehendendi: tanti tamen omnino res esse videtur, ut plus temporis illi impendatur ab initio, quam ut immatura festinatione ista tela præter rem abrumpatur. Deinde, postquam structura sermonis ex lectione Auctorum satis in solido locata est, facile in ceteris, ubi auctores deficiunt, *Lexicorum* opem implorare possumus.

Inter plagiarios Rob. Stephani STEPHANUS DOLETUS, Lugdunensis typographus eruditus, etiam referendus est, sed subtiliores: namque alia methodo disposuit Opus suum, & e Stephani materia novum ædificium extruxit. Commendari quoque meret labor illius: nam, quæ tumultuarie apud Stephanum, hic distincto secundum significationes suas ordine exhibentur. Neque tamen propterea a plagii crimine absolvendus est, licet ipsemet adhuc illud, sibi a Carolo Stephano objectum, diluere omni studio sit annisus; qua de re legi potest Thomasius de *Plagio Literario* §. 409-412. Nempe nimium subito creverunt in molem *Latine Lingue*

Lingua Commentarii, qui ante *Theſaurum Rob. Stephani*, & *Nizolii* magnitudine *Laur. Vallæ* *Elegantias* non ſuperabant: fruſtraque exſcribendi licentiam *Lexicographis* conceſſam *Doletus* præterdit, qui *Barthol. Riccio* inſuper atque *Lazarus Bayſio* eum in modum turpiter abuſus eſt, nunquam eos nominans, niſi ubi calligat. Prodiere *Tomi II. Commentariorum* *Lugduni* apud *Sebaſt. Gryphium* A. 1538. in fol. *Guilh. Budæo* nuncupati. Tertium adhuc tomum addere ſibi propoſuerat Auctor, collocatione oratoria, composito & numeroſo dicendi genere in univerſum acturum; ſed quo minus deſtinata perficeret, fati acerbitate factum, quippe vivicomburio miſer ob religionem exuſtus eſt, meliore fortuna dignus utique, & Vir doctus. Extat in mortem ejus epigramma *Theodori Bezae*, quod legitur in *Deliciis Poëtarum Gallorum*, ſub nomine *Adeodati Sebae*. Erat unus e præcipuis *Ciceronis* admiratoribus, quapropter *Eraſmi Ciceronianum*, tum in præſatione ſui *Operis*, tum in ipſomet *Commentationum* corpore, haud raro acriter ſi gillat. Scripſit & libellum *de phraſibus Latine Linguae*, qui ſolet edi cum *Huberti Suſannæi* *Connubio adverbiorum Ciceronianorum*. Dedit etiam *Formulas Latinarum locutionum* illuſtriorum, quæ ferme in *Commentariorum* ſupplementum ſcriptæ ſunt. Cum vero jam tum, paulo poſtquam excuſi ſunt, *Commentarii* nimio venire pluribus viderentur, *Compendium Doleti* Vir quidam doctus *Baſilæ* A. 1540. adornavit: ſuntque etiamnum *Commentarii* ipſimet rariffimi. Uti vero *Doletus* e *Theſauro Steſni* ſua maximam partem hauſit; ita genuina *Fori Romani* filia eſt *Lexicon Trilingue Joh. Friſii*: totum nempe *Opus* ex illo *Foro* excerptum eſt, auctorum nomina negligenter addita libris capitibusque omiſſis. Prodiit *Argentorari* A. 1612. fol. Minoris formæ *Lexicon Friſii* in 8. *Tiguri* 1586. sæpeque alias, excuſum proſtat.

12 Superiore ſeculo, cum in unum *Ciceronem* quaſi conjuratum eſſet ab eruditis, ſtudioſe admodum collectæ ſunt voces *Ciceroniæ* ac phraſes: fuitque; *MARIUS NIZOLIUS*, *Brixellensis*, qui *Theſaurum Ciceronianum*, ſeu, ut primo vocabantur, *Observationes in Ciceronem*; ordine alphabetico digeſtas, ſcriberet, prima vice An. 1520. *Baſil.* apud *Rob. Winter* editas. Exinde vero plurimis iſtum *Theſaurum* acceſſionibus auxerunt *Baſilius Zanchius*, *Cælius Secundus Curio*, *Marcellus Squarcialupus*, & *Jacobus Cellarius*. Atque eſt utique præclarus liber, & ad *Latinitatem Ciceronis* utiliſſimus: tamen & multa ei *Operi* deſunt. Neque enim exiſtimandum eſt, quæ a *Cicerone* prætereuntur, *barbara eſſe* aut *rejicienda*: hinc fit, ut illa vocum barbararum ſarrago, quam adjecit *Operi* *Cellarius*, ſub iſto ordine multa recenſeat, quæ non erant atro carbone notanda. Poſtremo prodiit, niſi fallor, ex officina *Hervagiana* *Baſil.* An. 1583. in fol. Videnda vero de hoc *Nizolii* *Lexico* *Leibnützi* præſatio in *Nizolium de Natura Philoſophandi*.

Alium a *Nizolio* *Theſaurum Ciceronianum* *ANTON. SCHORUS* edidit, is ipſe Vir laude digniſſimus, qui primus incorruptam pandere viam ad *Latinitatem* veram aggreſſus eſt, & ejus præſationem in *Phraſes Ciceronianas*, *Coloniæ* 1578. in 8. editas, auream *Franciſcus Vavaſſor* vocat, ob egregie monſtratam obſervandi e veteribus rationem. *Theſaurus Ciceronianus* vere brevis quidem eſt, nec omnia diſertiſſimi

mi Oratoris comprehendit, sed pleraque singularia, & significationibus divisa. Edidit illum, cum præfatione & elogio suo, Joh. Sturmius Argentorati apud Rihemum 1580. in 8: apud quem ejusdem doctissimi Auctoris libri II. *de ratione discende docendæque Latine & Græcæ lingue* prodierunt An. 1571. in 8. Utinam ejus liber de Particulis Linguae Latinae non intercideret, habuissent profecto Thesaurum auro cariorem.

HENRICI DECIMATORIS *Thesaurum* miror pretium aliquod Borrichium struere, homo enim ineptus fuit, & in Latinitate nihilo plus sapuit, quam occisa sus, quod ex ejus Sylva vocabulorum deprehendas, quam miris modis exaggerat Siberus passim in Epistolis & opusculis suis, monetque, ceu pestem fugiendam esse tironibus. Monendum tamen, fuisse inter utrumque lites agitatae publicae, ac argutissima sunt, quæ in Decimatorem scripta edidit Adamus Siberus.

Quodsi prodiisset *Mercurius Trilinguis* CASP. SCIOPPII, id est, *Lexicon*, quod 14 præ manibus habuit, & absolvit; haberemus omnino, de quo nobis præclara quæque polliceri possemus. Fuit enim Scioppius homo, licet summe maledicus, in Grammaticis tamen, si quis alius, nasutus & doctus. Servatur istud *Lexicon* adhuc *avéridoro* Patavii apud Joh. Michaëlem Pieruccium, Professore Juris, ubi & reliqua ejus scripta latent, recte Gaddio *T. I. de Scriptor. Non-Eccles. pag. 210.* Vidit & legit illum Abram Marq. Gudius, qui mihi asseveravit, esse dignissimum, qui publicis typis excriscatur: esse enim accuratas imbi de lingua Latina observationes.

OLAUS BORRICHIVS, cujus de Jejunitate Lexicorum Latinorum *Dissertatio* 15 tionem jam aliquoties allegavimus, librum conscripsit integrum, cui titulus: *Cogitationes de variis Latine lingue ætatibus*: quibus integrum continetur *Lexicon* vocum Latinitati restitutarum, quæ a Vossio, Scioppio, aliisque rejectæ erant. Præmisit elegantem *Dissertationem de variis variæ Latine lingue ætatibus, & caractere scriptorum secundum genium temporum illorum.* Editus est liber Hassniæ Ann. 1675. in 4. Præcesserat jam istas *Cogitationes Syllabus quarundam vocum*, quæ tanquam barbaræ rejiciuntur a Vossio, adversus censuram illius vindicatarum. Feliciter, quod nec ipse diffiteretur, in eo labore usus est Borrichius **GEORG. MATTHIÆ KOENIGII**, Professoris Altdorffini, *Lexico*, seu, ut ipse appellat, *Gazophylacio Latinitatis*, qui liber ante annos non ita multos prodiit, in 4. modicus, nec tam diffusus, ut alii: & multa tamen in eo habentur, quæ frustra in operosissimis aliis Lexicis quærentur, ipsoque adeo Foro Romano. Usus vero est in concinnando hoc *Lexico* opera Christiani Daurmii, qui magnam impendit curam, ac sollicitè disquisivit Latinitatem genuinam. Comparent in illo voces, aliis ut barbaræ notatæ & rejectæ, quarum ille auctoritatem diligentissime apposuit.

Omniū nunc manibus teritur, velut in Calepini locum surrogatus, **BASILII** 16 **FABRI** *Thesaurus Eruditionis Scholasticæ*, secundum ordinem primitivorum & derivativo-
Tomus I. Mmm mm vativo-

vativorum collocatus: cujus quidem exigua primum ipse rudimenta posuerat Lipsiæ An. 1571. impressa, & reperito sæpe labore dehinc auxerat, sed imperfectum tamen reliquit. Admovit postea illi expoliendo manus AUGUSTUS BUCHNERUS, & Auctariis insignibus locupletavit: verum unus Vir tam vasto labori non suffecit, quanquam illa, quæ adjecit, optima sint, & ex optimis observationibus, tam suis, quam aliorum, deprompta. Nova Buchneri Additamenta, post Auctoris mortem, ab ejus hæredibus Bibliopola editor coemit, queis nonnulla addit JACOBUS THOMASIVS. Dicitur & Francofurti ad Viadrum laterior latere vocabulorum collectio, quam TOBIAS MAGIRUS ad Fabrum sibi collegerit, quod si verum est, non inanis forrasse fuerit labor ille, si e ceteris Magiri, Viri diligentissimi, scriptis eum judicare velimus. Miror autem Bœclerum Foro Romano Fabrum a Buchnero revisum præferre, in *Dissertatione de Lexicis*. Quaravis enim illi sui defectus sint, quos præter alios, Caspar quoque Scroppius in *Consultatione II.* notavit: longe plura tamen jure in Fabro desiderari possunt, adeo ut causa, cur præferatur Foro Romano, nulla omnino sit. Reperiuntur equidem in Fabro quædam notatu singularia, quæque alibi frustra quæras: ast vero parciore illorum numerus est, quam ut Lexici perfecti nomen sustinere queat. (Quapropter & toties jam, post Buchnerum atque Thomassium, CHRISTOPH. CELLARIUS, Vir Celeberrimus, & si quis alius, peritia linguæ Latinæ exquisita clarus, Fabrum auxit, locis innumeris emendavit, rescavavit quæ nihil attingebant poni, Auctorum loca diligentius apposuit, atque adeo totum pene Fabram recudit: subinde tamen vel addenda vel corrigenda denuo deprehendens.) Nec potest adornari Lexicon justum, suisque partibus absolutum, ni operas inter se conferant Viri eruditi, ut unus hunc, alter alterum Auctorem, secundum indices componat, unde postea Lexicon aliquod universale formetur: quod consilium est Borrichii. Tot vero sunt hodie observationes egregiæ Grammaticorum atque Criticorum, indicesque luculenti, e quibus confici tale Lexicon possit, ut longe maxima laboris parte sublevatos se sint sensuri, quotquot tale Opus aggredientur. Discernendi tamen indices sunt, nec promiscue omnes commendandi: ante omnes alios commendari merent Bœcleriani & Freinshemiani in *Historicos*; quemadmodum Giffanii in *Lucretium*: ceteri non sunt pari cura congesti; sed, contenti nuda nomenclatura, de usu & acceptione vocum civili nihil monent, quod tamen fecisse maxime e re erat. De defectibus indicum istorum vide Vorstii præfationem in *Cornel. Nepotem a se editum*. De usu Indicum in Poëtis legi potest *Horatius Tuscanella* in præfatione ad *Catulli, Tibulli, Propertii*que opera, a se in indices digesta: Basil. 1569.

- 17 Ne vero barbaris quoque sæculis aliquid deesset, aut linguæ Latinæ in pejus mutaræ copia ignoraretur, cura Duumvirorum, eruditione ac meritis longe clarissimorum, obstitit: P̄ior GERHARDUS JOH. VOSSIVS de *Vitis Latini, sermoris, & Glossæmatæ Latino barbaris*, libros IV. dedit Amstelodami An. 1645. in 4. collegitque in iis vocēs, quæ barbaræ sunt & exoticæ. Sed dum in earum
- censum

cenſum etiam illas refert, quæ reverà barbaræ non ſunt, cenſuram incurrit Scioppii primo, qui peculiari libello, Ravennæ 1647. edito, Voſſium caſtigat, & poſtmodum Borrichii. Nobis non placet, amiſcuiffe illum barbariſmos omnibus notos reliquis, qui minus cogniti & vulgo etiam apud literatos in uſu ſunt. Nam gloſſemata quidem, & voces barbaræ, prima ſtatim fronte occurrunt, apparentque tales: ſed quæ, ſub ſpecie Latinitatis, vel oculariſſimos fallunt, eæ fuiſſent a ceteris ſeparanda. Nec tamen illæ omnes ea diligentia ſunt hic notatæ, qua fieri poterat: ſed longe plures adhuc reſtant. In compendium tamen illas traxit JOH. PETR. TITIUS in *Mamuductione ad Excerptum*, adjectis aliis nonnullis: ſum quoque JOH. VORSTIUS in libris de *Latinitate falſo & merito ſuſpecta*, qui tamen id argumentum plenius copioſiusque exſecutus eſt: Sed vero barbaræ & peregrinæ voces longe plures ſunt, quam notavit in hoc exiguo libro Vorſtius. Voſſii libros multò auctiores edere in ſol. Iſaacus filius aliquando ſibi propoſuerat, quod ex ejus ore Colomeſius refert, in Bibliotheca Selecta p. 146., qui tamen dilationem promiſſi non nimium ægre fert. *Mr. Voſſius, ait ille, promettoit de faire & imprimer ce livre de M. ſon Pere in folio, beaucoup plus ample. Cependant nous n'avons pas vû juſqu'ici l'effet de ſa promeſſe. Quand cet ouvrage ne paraitroit point, nous n'aurions pas de peine à nous en conſoler, puis que le docte & inſatigable, M. du Cange vient de nous donner ſon Gloſſaire en trois volumes in folio.*

Nempe Voſſium longo poſt ſe intervallo reliquit alter, qui in hoc immenſo 18 .
prope vocum barbararum campo defudavit, CAROLUS du FRESNE. Dicitur vix poſſe, quantum ſtudii attulerit Vir ille ſummus, & quanta ex innumeris prope monumentis copia, non res minus, quam voces atque phraſes ſemi-barbaras, depromat in *Gloſſario ſuo Latinitatis mediæ atque infimæ*, Pariſiis An. 1678. III. voluminibus edito. Profecto Augiæ ſtabulum illo, ſtupendo plane, labore non tam repurgavit, quam ornavit, potuiſſetque ſummo jure Herculem *κορυδαλον* inſcribere Opus ſuum, quem titulum olim Caſpar Scioppius Inveſtivæ in Scaligeri, Caſauboni, aliorumque Virorum doctiſſimorum, nævos grammaticos, a ſe colligendos, deſtinaverat. Aurea vero in illo Gloſſarii Cangiani ſtercore longe plurima ſunt, & veluti in fodina ſcoriis circumſepta latent. Præmittitur elegans Diſſertatio de *cauſis corruptæ Latinitatis*: & ſubjungitur alia de *inferioris ævi numiſmatibus*, præcipue Conſtantinopolitanis; qualia & in luculentiſſimo de Familis Byzantinis Opere infinita producit illuſtratque. Reuſum Gloſſarium Latinum eſt Franc. An. 1687. Tomis II. Appendix ad illud in Gloſſario Græco reperitur, nequaquam ſpernenda.

Ceterum, quod de Scioppii in colligendis virorum doctorum ſolæciſmis inſtituto diximus, illud ex parte in *Inſania Famiani* ipſo jam opere effectum dedit, notavitque varios Famæ, Stradæ, cui præcipue libellus ille oppoſitus eſt, Scaligeri, Caſauboni, Lipſii, barbariſmos. Mirum enim eſt, quam ſæpe Viris etiam magnis, & Linguae Latinae ſine controverſia longe gnariſſimis, ſolæciſmi atque barbariſmi excidant: qui quidem tum eo magis feriunt oculos, cum ab iis prolati ſunt, qui adverſarios ſuos, forte in pari paroramate deprehenſos, acriter ſugillare ſolent.

Hos inter Josephus Scaliger crebro aliis vitia istiusmodi orationis objiciebat, ipse interim adeo non immunis, ut Alexander Morus magnam suæ præfationis partem, quam secundæ editioni Thesauri Temporum Scaligeriani præmisit, similibus peccatis, sive excusandis, seu emolliendis, impenderit. Idem in Salmatio notata: cui, cum præfervidus atque præceps fuerit, solcecismorum affatim excidisse, non adeo miratur Franc. Vavassor: quam quod Joh. Miltonus, probri loco eam Salmasio segetem vitiorum objiciens, festive eopse loco Solcecismi flagitium admittat, dum dicit; *vapulandum se præbuit.* Vid. *Vavassor de Epigrammate c. 22. p. 39. seqq.*, qui præterea Thuani, Bezae, Casauboni & Rich. Montacutii, lapsus similes, sed modeste, ostendit; in postremo tamen ægre fert, quod, qui nec satis pure, nec sine solcecismis, Epistolas Photianas transtulerit, ipsum tamen Photium turgentem atque inflatum in epistolis, atque Asiaticum dicere audeat: quod secus Vavassori videtur in eo Auctore, cujus tam prudens de multiplici ratione scribendi optimorum Auctorum, tamque sincerum habeamus judicium. Conferatur quoque Titius in *Manuductione ad Excerpt. p. 157.* qui quasi per lancem saturam pluscula istius generis exempla collegit.

20 Lexicis Auctoribus, (ut nunc in viam e diverticulo redeamus) annumerandi sunt etiam illi, qui phrasas Latinæ linguæ collegerunt, quorum magnus est numerus. Est vero in selectu phrasium magna quoque cautio adhibenda: multa enim sunt phrasas, quæ communiter pro bonis & optimis habentur, & sunt tamen sæpe a recentioribus absque veterum auctoritate confictæ. Ita ut hic, si quid bene judico, maxime audiendus sit Franc. Vavassor, qui, in hanc materiam *libro de Epigrammate c. 14. p. 162.* forte data occasione delatus, monet, in excerptendis phrasibus Scriptoribus antiquis novos non admisceri debere, cum novi illi, etsi maxime laudabiles, atque ad veterum bonitatem & præstantiam aspirent, non ii tamen sint, quibus in dictione utriusque linguæ, quæ jamdudum in usu esse desit, recte credatur. Itaque, ait porro, *probare nunquam potui aut Rob. Constantinum, qui in Lexico Græco-Latino, quemudmodum appellat, Budæi epistolas proferret; aut Justum Lipsium, qui in epistolis Angelum Politianum Ciceroni & Plinio socium adjungeret, aut Franc. Sylvium, qui recentioribus aliis quibusdam locum esse vellet inter antiquos.* Quam enim fidem obtinere ista novitas potest apud eruditos, nisi, quam ab annis & antiquitate acceperit? Quo magis etiam prudentiam requiro non paucorum tantum hominum, sed nationum & Academiarum, quæ superiore seculo prælegerent pueris, & traderent in manus docendi causa, & editis quoque commentariis illustrarent, fabulas Æsopi Planudas, Emblemata Alciati, Erasmi Colloquia, Dialogos aliorum: non contemnenda quidem illa singula, sed tamen auctoritate carentia, quam sola potest afferre seculi vetustas, quo linguæ, nunc quidem intermortuæ, maxime vigerent. Hæc Vavassor, qui Hadrianum Cardinalem in *libro de modis Latinæ loquendi*; Aldum in *Elegantiarum libello*, & Anton. Schorum in *libr. de phrasibus Latinæ linguæ*, diligenter & curiose partibus suis functos judicat. Est vero HADRIANUS is ipse Caroli V. Imp. præceptor, qui postea factus Pontifex Rom. nomen suum retinuit, & Hadrianus VI. vocatus est: licet id non animadverterit in Bibliotheca sua

sua Jofias Simlerus, sed ex uno perperam duos fecerit: qui error in Bodlejanum quoque catalogum irrepsit. Prodiit vero ejus opusculum, Carolo, tum Principi Hispaniarum, inscriptum, aliquoties: Basileæ 1518. Coloniae 1522. 1528. 1533. Cui postremæ editioni ejusdem Hadriani Venatio, hendecasyllabis purissimis descripta, & Iter Julii II. heroico carmine expressum, accessere. De *СНОКО* dictum jam est, qui primas in hoc genere sine dubio tener, & hinc a Vavassore plus semel legendus recte judicatur. Secutus quoque ejus consilia SCIOPPIUS in breviorum ordinem phrasas Schori redegit, ut ipse testatur in *Epistola de compendiosa lingua Latinae cognoscendi ratione*, quæ additur libro ejus *de Arte Critica*. Equidem scriptor vitæ Scioppii, Confutationi Tabulæ Burdonianæ præmissæ, Giphanio furtim surreptas a Scioppio refert Observaciones Latinæ linguæ, & ex iis corrasa ejus opuscula, queis primum orbi innotuit, conqueritur: prout videre est apud Thomastum *de Plagio* §. 542. Verum potius ea Schori videntur: quem præterea excrispsit ante annos aliquot Georg. Crauserus, editis *Scintillis Tullianis*, quas Schoro pene unice debet, nisi quod interdum ex alijs Auctoribus quædam admisceat, & Germanica addat. Sunt tamen & Schori phrasas cum Germanis editæ. Quid de Wendelini labore judicem, paulo ante dictum. Magis laudari meretur WOLFG. SCHÖNSLEDERI *Apparatus Eloquæntiæ*, qui sub communibus vocibus phrasas synonymicas, ex optimis auctoribus selectas, sistit, ut antea ex solo Terentio fecerat Basilius Faber. *Promptuarium* Schönslederi tyronibus inservit. De utroque ejus libro judicium vid. apud Titium in *Mauuduct. ad Excerpt. §. 18. & 21.* Oberti Giphanii Observaciones linguæ Latinæ, quas a Scioppio compilatas modo retulimus, prodierunt Francof. 1624. in 8. sua utique laude non privandæ: post quas memorandæ etiam Stephani Doleti Formulæ Latinæ linguæ, & Joh. Godeschalci observationes Latini sermonis, Coloniae 1540. auctiores editæ. Pene oblitus fueram operis aurei, quod primo etiam loco memorandum fuerat BARNABÆ BRISSONII *de Formulis & Solemnibus Populi Rom. verbis*, Parisiis A. 1583., Francofurti, & Genevæ, plurimis vicibus recusus. Magno usui opus hoc ad proprietatem linguæ Latinæ & eloquentiam civilem futurum non immerito commendat Bæclerus, in *Dissertatione de comparanda lingua Latinæ facultate* (si modo ea Bæcleri est, contra quam in præfatione ad Notitiam Imperii tam acriter protestatur.) Longe aliter de Brissonio judicat Scaliger tum in *Epistolis lib. 1. ep. 8. & 9.*, tum in *Excerptis Scaligeranis* utrisque. *Immanem vocat librum de Formulis, in quo plus laboris, quam industriæ sit collatum: pauca in eo bona, maximamque partem a studiosis esse coacervatum: Brissonium nihil tam metuisse, quam ne liber nimis brevis sit: neque sic tamen collectas omnes formulas. Vellem omnes colligi, & edi selectiores; Brissonus in suo munere capiebat utraque manu.* Hæc & alia Scaliger, qui idem de libro ejus de Regno Persarum judicat, parumque dignitati arque existimationi suæ illum consuluisse censet. Quicquid autem hujus sit, non nimium certe deprimendus Brissonii labor, sed, ut ipse Scaliger nec judicium, nec delectum in scriptis ipsius deesse fassus est, ita, quin in plurimis bene cesserint illius conatus, dubitari non decet.

CAP. X.

DE GRAMMATICIS LINGUÆ LATINÆ.

- §. I. *Grammaticæ Latine Subtilitas & Difficultas*, 2. *Grammatici Veteres, & seorsum editi, & junctim a Dion. Gothofredo ac El. Putschio evulgati.* 3. *Inter Recentiores eminent Eman. Alvarez, Franc. Sanctius.* 4. *Casp. Scioppius (cujus genus male-dicus obiter notatur).* 5. *Jul. Scaliger.* 6. *Laur. Valla, & Elegantiarum ejus Scho'iasta.* 7. *Q. Marius Corradus.* 8. *Gerh. Joh. Vossius, omnium optimus, Thom. Bangius.* 9. *Joh. Matthia, Autor Gallus de la Nouvelle Methode pour apprendre facilement la Langue Latine.* 10. *Joh. Rivinus, Nicod. Frischlinus, Thom. Linacer, Joh. Ern. Büttnerus, Guilb. Batcus, Cæl. Secundus Curio.* *Additur Censura de Joh. Georgii Seyboldi, J. A. Comenii, Caramuelis & Thome Campanella, Laboribus exigui pretii Grammaticis.* 11. *Scriptores varii de Particulis & elegantius L. Lat. Desid. Erasmi Lib. de Copia Verborum & Rerum commendatus.*

1 **P**rocedamus nunc ad Auctores, qui structuram Latini sermonis ad regulas vocarunt, i. e. GRAMMATICOS. Hujus vero artis subtilitates longe majores sunt, quam quis parum in iis exercitatus credat: æque enim difficilis est Grammatica, quam vel Metaphysica vel Logica, ideoque non cadit in pueros, qui rectius ex usu linguam Latinam, quam e regulis Grammaticis, discunt: sunt tamen iis communissima quædam artis principia imprimenda, artificio potius aliquo mnemonicò, quam regularum multitudine.

2 *Veterum Grammaticorum* partim integra adhuc scripta supersunt, partim eorundem fragmenta. Familiam inter omnes ducit *M. Terentius Varro*, cujus de Lingua Latina librorum 24: quod superest, virorum doctissimorum Anton. Augustini, Adriani Turnebi, Petri Victorii, Jos. Scaligeri notis & emendationibus ornatum variis in locis prodiit; optima Editio est, quam, cum horum omnium notis junctim collectis, publicavit Henr. Stephanus An. 1581. in 8. *Pompejum Festum & M. Verrium Flaccum* itidem Jos. Scaliger post alios castigavit; & ante illum adhuc Ant. Augustinus Venet. 1560. & Paris. 1576. in 8. *Nonium Marcellum* præter alios notis illustravit Josias Mercerus Paris. 1614: cum prima ejus editio Tusculani Ann. 1522. una cum Varrone & Festo, fuisset procurata. Collegit hos atque alios plures veteres Grammaticos in unum corpus DIONYS. GÖTHOFREDUS, suasque ad illos notas addidit, Genevæ 1595. in 4. Quamquam, si verum fateri velimus, Auctores hi etymologiam potius tractant, quam ut artis Grammaticæ regulas pertractent: suntque in iis etymologiis multa eorundem deliria: cum nemo infelicius in hoc studiorum genere sit veratus, quam ipsi Romani, ut sunt plerique nationis vernaculæ Grammatici pessimi verborum interpretes. Aliud corpus veterum Grammaticorum, & quod propius ad artem, prout nunc eam accipimus, accedit,

ab ELIA PUTSCHIO collectum, & e MSS. veteribus restitutum, Hanoviae lucem publicam aspexit A. 1601. in 4. maj.

Deliria veterum Grammaticorum primus ostendit, & saniora substituit, EMANUEL ALVAREZ, Hispanus, e qua natione primi orti sunt linguae Latinae restauratores, quod Grammaticam attinet: est enim illa gens praeter ceteris perspicax, & in occultis rebus indagandis haudquaquam infelix: veruntamen Alvarez non absolvit omnia, sed aliis post se aliquid elaborandum reliquit. Prodiit ejus *Grammatica Dilligae* in 8. A. 1574. & Venetiis 1580. Absolvit autem felicissime, quod alii inceperant, Hispanus alter, FRANCISCUS SANCTIUS: multa enim Latinae linguae abdita primus revelavit, ac infinitos Grammaticorum veterum errores redarguit. Ejus extat *Minerva*, seu *de causis Latinae linguae commentarius*; in quo multas Grammaticorum regulas explodit, & sub constructione elliptica multa in Latina lingua fieri ostendit, de quibus alii regulas superfluas condunt. Rarior ille liber fuit olim in Germania, quem ipse Auctor Salmanticae in 8. An. 1587., & in Italia etiam, ediderat; donec eum apud Batavos e Bibliotheca sua recudi curaret Marqv. Gadius, qui & praefationem dignam lectu praefixit. Atque hic Sanctius auctor fuit, qui fenestram ceteris patefecit, tum Scioppio, cui & Auctarium Sanctii debemus, (& post quem Jac. Perizonius *Minervam Sanctii* multo etiam insignioribus additamentis auxit Franeker. 1687. in 8.) tum Vossio, aliisque: cujus adhuc plura extant opuscula, quae apud nos raro videntur, digna, quae in lucem protrahantur: vide de illis Nicol. Antonium in *Bibliotheca Hispana Nova*. Adscribi etiam haud abs re solet Sanctio Laurentii Ramiresii de Prado *Pentecontarchus*: sub hoc enim thraconico atque prorsus inepto titulo insignem librum edidit, optimis observationibus criticis plenum, Antwerp. A. 1612. in 4. Et forte constituerat stipendio suum hunc Pentecontarchum Ramiresius: nam Fr. Sanctius genuinus ejus Auctor est.

Præter notas vero, in *Minervam Sanctii* scriptas, CASPAR SCIOPPIUS *Grammaticam* quoque *Philosophicam* edidit, hoc titulo propterea insignitam, quod causas Latinae linguae accuratius indaget: Verum, si recte hunc titulum tueri velit, poterat aliter suam methodum instituisse. Habentur autem in eo libro multa Grammatica problemata, accurate excussa, multaque ex occultis protracta quasi & denudata. Prodiit Amstelodami A. 1659. in 8. & secunda editione plurimis in locis insigniter e schedis auctoris, qui paulo ante mortem accuratius omnia recognovit, locupletata, A. 1664. Grammaticae plura alia adduntur sub fictis nominibus; v. g. Mariangeli a Fano Benedicti Auctarium ad Grammaticam Philosophicam, Pascaſii Grosſippi: (i. e. Casp. Scioppii) Paradoxa Literaria: item Animadversiones in Vossium de vitis Latini sermonis, de quibus supra. Nempe in id unum maxime incumberebat Scioppius, ut maximos quosque Viros aggredereſſet, & ut plurimum acerbissimis scommatibus perulantissime profcinderet, qua in re magnus artifex erat, deditque specimen illius insigne libro scdissimo, quem *Scaligerum Hypobo-*

Hypobolimeum, i. e. Elenchum Epistolæ Josephi Burdonis Pseudo-Scaligeri de virtute & splendore gentis Scaligeræ nuncupat. Moguntiae 1607. in 4. editum: & in quo innumerabilia habentur scommata; elegans convitiarum & calumniarum Interquilinium sistentia. Verum hæc non sunt hujus loci

5 Diu ante Sanctium ac Scioppium, bene meruit de Latina lingua JULIUS CÆSAR SCALIGER, a Burden, Josephi pater, qui novæ suo cognomine ansam fabulæ Burdonianæ, a Scioppio excogitatæ & in scenam productæ, dedit. Is, ut erat acutissimus rerum non minus philosophicarum, quam philologicarum observator, ita de *Causis Latinæ linguae*, ad Sylvium Cæsarem, filium, libros XIII. subtilissimos composuit, Lugduni primum A. 1540. apud Sebast. Gryphium publici juris factos: qui, uti primus signum in isto studio sustulit, quod alii deinde secuti sunt, ita primo etiam loco numerari debuisset. Multa profecto docet egregia, & quæ a vulgaribus illorum temporum fordibus erant maxime aliena, quæ etiam se non studiis nullo non tempore sectatum, ipsemet, in præfixa ad Sebast. Gryphium epistola, non diffitetur.

6 Scaligerum in sedulo linguæ Latinæ cultu ætatè adhuc antecessit LAURENTIUS VALLA, celebris suo tempore Scriptor, & rigidissimus Latini sermonis custos. (bb) Scripsit *Elegantiarum Latinæ linguae libros VI.* qui tum inter opera Vallæ Basileæ A. 1540. alibique separatim excusi sunt, tum scholiis Guyberti Longolii, aliorumque doctorum Virorum, illustrati Colonia apud Joh. Gymnicum 1539. Cum Poggio Florentino controversias Grammaticas Valla aluit, & uterque se mutuis maledictis lacerarunt. Exstant ejus in *Poggium Antidoti Libri IV.* quibus ventilantur & vellicantur multa Latinæ linguæ interiora, Coloniae 1527. in 8. Prodiere etiam cujusdam Joh. Theodorici, Joh. Rænerii, aliorumque nonnullorum, annotationes in Vallæ libros de *Elegantiiis Basil.* 1541. in 8. Præterea eosdem suis notis ac observationibus illustrasse Angelum Roccam, Bibliothecarium Vaticanum, Erythræus in *Pinacoth. I. p. 105.* refert, ubi & Observationes latinæ linguæ, de occultis ejusdem locis, ac de scribendis epistolis lucubrationes, recenset. Priusquam vero adhuc prodissent *Elegantiae Vallæ,*

eaq

(bb) Arguta sunt, & quæ b. l. recitentur, digna, Tria, quibus Laurentium Vallam, Assertorem Latinitatis purioris strenuum, sed in dissentientes justo acerbiorum, post obitum; Viri aliquot avitius Eruditi perstrinxerunt, Epigrammata. Primum horum est sequens Tetraſtichon:

Postquam nunc manes defunctus Valla perivit,

Non audet Phuro verba Latina loqui.

Jupiter hunc cæli dignatus sede fuisse,

Censorem lingue sed timet esse sue.

Alterum Franc. Sweertius in *Selectis Orbis Christiani Deliciis p. 45.* recitat:

Tandem Valla jacet, solitus qui parcere nulli:

Si quæris, quid agat, nunc quoque mordet humum.

Tertium apud Sweertium l. c. itidem obvium, una cum illo Adversarium ejus, Bartholom. Facium, brevi post ipsum tempore extinctum, ita perstringit:

Ne vel in Elisi sine vindice Valla susurret,

Faciens haud multos post obit ipse dies.

eas furto ablatas pro suis edidisse Antonium Raudenseni, atque intentatum a Val-
la crimen plagii joco & urbanitate depulisse, Jac. Thomafius observat *Dissert. de
Plagio* §. 531.

Vallæ subjungimus Italum alium, QUINTUM MARIUM CORRA-
DUM Martianum, qui de *Copia Latini Sermonis* libros scripsit, Venetiis An. 1582.
in 8. edstros. Non usque adeo autem convenit ille titulus libro huic: est enim
grammaticus, & de analogia verborum agit; copia autem verborum ad Rhetores
pertinet. Utilissimus cetera liber est, quanquam sententiæ quædam apud illum
sint, quas sequi nollem: magnam enim licentiam admittit in vocum analogia, pu-
ratque, licitum esse fingere voces ad aliarum compositionem, quod minime tamen
feri potest: qua de re merito illum reprehendit Olaus Borrichius, in cogitatis suis
de Variis Latinæ Linguae ætatibus, in præfatione: qui tamen, exceptis his, p. 211.
vocat. *Virum acerrimi judicii & dictionis cultissima.*

Omnibus vero Grammaticis Latinis palmam facile præripuit maximæ dili-
gentiæ Vir, GERH. JOH. VOSSIUS, cui consummarum Opus de *Arte Gram-
matica* debemus, Amstel. An. 1635. in 4. editum, & secunda vice, post Auctoris
obitum, A. 1653. sub *Aristarchi* titulo, multo auctius recusum. Sane hoc quoddam
quasi penu est rerum Latinarum: sed sunt tamen in magno illo cumulo non
pauca, quæ vel censuram aliquam mererentur, vel ab illo omissa suppleri poterant.
Interim nemo hactenus fuit, qui perfectius absolutiusque Opus Grammaticum de-
derit, Sanctii vestigia quædam in eo deprehenduntur, quæ interdum sequitur, in-
terdum refutat. Subjungi autem Vossio possunt, & una cum illo adhiberi, THO-
MÆ BANGII *Observationum Philologicarum libri II.*, Hafniæ 1640. in 8. excusi. Nam-
que, ut magnam habuit ille Vir rerum Grammaticarum peritiam, curiosa varia suis
his *Observationibus* immiscuit, & subtilitates Grammaticas, de quibus nihil inno-
tuit Vossio, vel minimum non notatæ sunt. Additus est sub finem index absolu-
tissimus triplex, in quo omnes minutiae quæri ac inveniri poterunt.

CHRISTINA Sueciæ Regina, in sui usum conscribi etiam *Grammaticam Re-
giam*, ut vocatur, curavit, quæ quidem exiguo libello traditur, & in titulo JOHAN-
NI MATTHIÆ, Episcopo in Suecia Strengnensi, adscribitur, a nonnullis vero pro
M. Z. Boxhornii factu reputatur, cujus de *Symphonia Linguarum* Dissertatio illi ad-
jecta est (ii). Nihil autem habet admodum peculiare Auctor, quicumque demum
ille

(ii) Grammatica Regia, seu nova & Facilis Latinæ Linguae Præcepta discendi Ratio, in Christina, Suecorum Regina, usum, Holmiæ An. 1635. in 12mo, a vero illius Autore, Johanne Mat-
thiæ, Ostrogotho, Studiorum tunc Reginae Moderatore, postea autem Doctore Theologo &
Episcopo in Suecia Strengnensi, est edita. Boxhornius illam, tribus post lustris, adjecta sua
de Linguarum Symphonia Dissertatione, recudi tantum Lugd. Batav. An. 1650. in 12mo cu-
ravit. V. de illa, ac ejus. Autore, Joh. Schefferi *Sveciam Literatam* p. 123-126. & nostra ad
hanc *Hypomnemata*, p. 387. 388. 389.

ille fit, cum non nisi in Compendio Grammaticam Latinam tradere sibi propofuerit. Dignior est, qui non sine laudis præfamine in hanc Grammaticorum classem referatur, *Gallus auctor anonymus*, qui & compendiosam & copiosam scripsit *Grammaticam*. Complexus scilicet omnia suorum antecessorum, Sanctii, Vossii, aliorumque necessaria multitudinem tantum exemplorum abstinuit. Hinc liber non adeo spissus est, minuto tamen caractere in 8. majori impressus. Scriptus est lingua Gallica, in gratiam Gallicanæ juventutis: maluit enim sequi Auctor ille Rolandi Maresii consilium, qui Grammaticam linguæ ignotæ eadem lingua scriptam pro absurda & inepta re habet: cujus quoque consilium, alias inter Epistolas Maresianas reperit dum, præfixit operi suo Gallus. Titulus libri hic est: *Nouvelle Methode pour apprendre facilement la langue Latine; contenant les regles des Genres, des Declinaisons, des Preterits, de la Syntaxe, de la Quantité, & des Accents Latins, mises en François, avec un ordre tres-clair & tres-abregé: présentée au Roy, augmentée d'un grand nombre des remarques tres-solides, & non moins nécessaires pour la parfaite connoissance de la Langue Latine, que pour l'intelligence des bons Auteurs. Tirée de tous ceux, qui ont travaillé sur cette langue, avec plus de soins, & plus de lumiere: avec un traité de la Poësie Latine, & une brieve instruction sur les regles de la Poësie Françoisse.* Septieme edition, chez Pierre le Petit, A. 1667. Præmissa est præfatio Rolandi Maresii. Haud immerito autem mirifice istum librum probat Placcius de *Scriptor. Anon.* pag. 109. seq. qui D. Trigny ejus auctorem facit, & dignissimum judicat, qui, a capite ad calcem in Latinam linguam translatus, ab eruditis legatur, quapropter & ipse versionem in se suscepit, eam, ni majora obstent negotia, aliquando daturus.

- 10 Addi Grammaticis memoratis possunt JOH. RIVII, Viri doctissimi, & qui inter præcipuos nostræ Germaniæ eruditos locum tuetur, *Grammaticæ libri VIII.* omni laude dignissimi, Lugduni An. 1591. in 8. excusi. NICODEMI FRISCHLINI *Syntaxis Latina*, maximo opere commendata a Scioppio in Epistola de compendiosa Linguæ Latinæ cognoscendæ ratione. EDMUNDI RICHERII *Ars Figurarum*, Paris. 1605. edita. THOMÆ LINACRI *de Emendata structura Latini Sermonis libri VI.* Parisiis An. 1532. & Coloniae dein ac Basileæ, repetitis identidem editionibus, proculsi. Maximo opere enim Viris doctis superioris Seculi commendantur: sic multa Latinæ linguæ mysteria in iis ostensa Ludov. Vives judicat *de Discipl.* pag. 521. Erasmus, in Epistolis, passim prolixius in ejus laudes est; exacti Virum judicii & severi vocat, qui non quemlibet temere probet; ac, de Operibus ejus apud Badium imprimendis loquens, nil ab eo non omnibus numeris absolutissimum expectare se profiteretur. Mich. Neander, in Præfatione ad *Erot. Græcæ L.* p. 122. libros emendata structura copiosos vocat, doctos, & omnium in hoc genere præstantissimos. JOH. ERNESTI BYTHNERI, Correct. Stadenfis, *Grammatica* etiam non contemnenda est. Fuit ille Vir doctus, & e Sanctio & Scioppio inprimis, collatis etiam aliis, præcipua in compendium elegantissimum rededit, rei Grammaticæ, ut videtur, præ aliis peritus: quid in ea præstiterit, & amplius sit præstiturus, docet luculentissima libri præfatio, in qua generalis habe-

tur recensio Grammaticorum, praecipue recentiorum, e quibus quid in usum suum converterit, magna cura & industria proponit. Laudandum in hoc compendio, quod ordinatiores regulas instituat, quam ipse Scioppius & Sanctius, quodque exempla regularum consistant in meris sententiis, ne pueri inutili exemplorum farragine graventur, & simul tamen ea discant, quae usui esse possint. Placet & illud, quod Germanico idiomate Grammaticam Latinam molitur, in usum incipientium, & aliam, qua una eademque opera possint Graecam & Latinam linguam tyrones, secundum easdem regulas, perdiscere. Et haec omnia quidem satis bene instituta sunt; praestat enim Grammaticas concinnare omnium optimas, ad quas recurrere puer saepe possit. Interim ego potius suaserim, non esse ab initio fatigandos puerorum animos his subtilitatibus, sed, ubi prima jacta sunt rudimenta Declinationum, Conjugationum, praecipuarumque Regularum, rectius usu ipso, quam multitudine praceptorum, perdisci linguam Latinam, pene ad eum modum, quo Nic. Clenardus usus est, de quo alibi. Habemus quidem & JOH. GEORGII SEYBOLDI alicujus varia adminicula & tirocinia Grammatica, sed lutulenta sunt illa, & ab homine ejus linguae non admodum gnaro scripta: vix itaque adhiberi possunt, nisi probe emaculata & perpurgata. Quod idem judicium de JOH. AMOSI COMENII *Janua* ferendum, licet ea multis probetur, & ipsemet apologiam ejus scripserit. Non citius barbarismorum scabies affricatur, quam prima illa institutione, majorique negotio res dediscitur, quam discitur. Aliam *Januam Linguarum*, nomine Hibernorum Salmanticensium Jesuitarum, a GUILH. BATTEO quodam, ejus Societatis Hiberno, Salmanticae An. 1611. editam, & ad Latinam praecipue linguam accommodatam, refert Placcius in *Catal. Pseudon. p. 207.* idque opus a Philippo Alegambio admirabile vocari annotat. Legi etiam de re Grammatica potest Caëli Sec. Curionis *Dissertatio de Perfecto Grammatico*, tribus libris deducta, & ejusdem *de Literis doctrinaeque puerili* libri V. & libellus *de ratione docendi Grammaticam*. Caramuelis & Campanellae *Grammatica* nugatoria est, & pene fanatica.

De *particulis*, quarum accuratissima cognitio esse debet, egerunt Hadrianus II Cardinalis, Pareus, Durerus, Godsch. Stewechius, Horat. Turfelinus: qui omnes diligenter legendi. Ant. Schori liber *de particulis*, ut jam supra monitum, nunquam prodiit. *Elegantias* vero, praeter Vallam, & qui in eum commentati sunt, collegit FRANCISCUS SYLVIVS, *Ambianus*, de quo illud imprimis notatu dignum, quod, cum prius horride, insolenter, & ad claustralem usque fetorem barbaram, scripserit, adeo tamen sedula bonorum Auctorum tractatione sermonem suum emendaverit, ut a se totus diversus, & alius plane Scriptor, visus sit: aliisque regulas haudquaquam contemnendas dedit: qua de re Franciscus Vavassor *de Epigramm. p. 256. seq.* legi potest. AUGUSTINUS DATHUS, Senensis, Orator & Philosophus, atavorum memoria ingenii & eloquentiae non vulgaris Scriptor, juxta Barthium *Adversar. lib. LIII. c. 13. pag. 2513.* & ipse *Elegantias* edidit, sed quae multi adeo pretii non sunt, cum ipsemet Auctor contra illas haud raro peccet. Pertinet quoque huc JACOBI LUDOV. STREBÆI *de verborum electione, & collatione oratoria libri II*, Basil. 1539. in publicam emissi:

PAREI *Observationes & Elegantiæ Calligraphiæ additæ*: Joh. Buchleri & Georg. Vogelmanni *Regulæ elegantiarum*; &, qui se ex omnibus istis quasi Pinnam fecisse putat, CHRISTOPHORUS ARNOLDUS in *Ornatu Linguae Latine*. Subjungendus qui *de copia verborum & rerum agit*, aureus libellus ERASMI, in quem commentarium non contemnendum scripsit Joh. Micrælius.

CAP. XI.

DE LINGUÆ LATINÆ AUTORIBUS
AUREÆ ÆTATIS.

[De horum, uti & tribus seqq. Capitibus, de Argentæ, Æneæ ac Ferreæ Ætatis Scriptorum, Vita, Biographis, Stylo ac Genio, Scriptis (editis, ineditis ac deperditis) Editionibus, Commentatoribus, Censoribus æquis pariter ac iniquis, aliisque ad illorum accuratiorem spectantibus noticiam, ἀξιολογηθέντα & rariora quamplurima, diligenter undecunque conquisita, larga manu exhibentur.]

- §. I. *Catalogus Scriptorum Recentiorum, de Antiquis Linguae Lat. Autoribus ex professo commentatorum.* 2. *Monitum, quorum Typographorum Editiones aliis sint præferende, & Invektiva in Editiones Variorum (quas vocant) Batavicas.* 3. *Divisio Scriptorum Linguae Lat. Veterum in Quatuor ætates, Stylique in singulis mutatio. Impositura Literaria Car. Sigonii & M. Ant. Mureti, suos factus Autoribus priscis supponere aggressorum. Mich. Hospitalii de Lite, Satyra Vetusti Poëtæ esse falso ab Henr. Stephano, Casp. Barthio, aliisque, credita. Styli multiplex in singulis etiam ætatibus variatio, Criticis non raro crucem figens.* 4. *Inter Scriptores Ætatis Auræ primi celebrantur Ennius Lucilius, ceterique, quorum Fragmenta tantum supersunt, Poëtæ Latini vetustissimi ac rudiores, M. item Porcius Cato, qua occasione de Distichis etiam Moralibus Dionysii Catonis, longe Junioris, differitur.* 5. *M. Plautus, (ubi obiter Judicium additur de Editionibus Vet. Autorum Gallicis, in Delphini usum publicatis.)* 6. *P. Terentius.* 7. *M. Tullius Cicero, de ejus etiam Scholiastis Vetustioribus, Asconio Pediano, Mario Victorino, aliisque, complura insperguntur.* 8. *C. Sallustius Crispus.* 9. *C. Julius Cæsar & A. Hirtius Pansa.* 10. *Cornelius Nepos, ubi obiter etiam nonnulla adduntur de Josepho Iscarno, Poëtæ Sec. XIII. Anglo, ejusque Historia Belli Trojani, Nepoti olim perperam adscripta.* 11. *T. Livius.* 12. *T. Lucretius Carus.* 13. *C. Valer. Catullus, Alb. Tibullus & Sex. Aurelius Propertius.* 14. *P. Virgilius Maro, ubi etiam de Servio, aliisque Virgilli Exegetis Veteribus, Nicolaique Erythræi Indice Virgiliano, & Scriptis plurimis effectis, differitur.* 15. *Q. Horatius Flaccus.* 16. *P. Ovidius Naso.* 17. *M. Vitruvius Pollio.* 18. *Æthicus Ister, controversæ ætatis Cosmographus.*

Dicen-

Dicendum nunc de AUCTORIBUS LATINÆ LINGUÆ, eorumque optimis editionibus, quos nosse præcipuum sane est, quanquam omnes editiones cumulare velle ineptissimum foret. Jamdudum hoc argumentum Viris doctissimis dignum visum est, quod suis commentationibus illustrarent. De antiquis quidem editionibus consuli cum fructu possunt Conr. Gesnerus, & Continuatores ejus, Jos. Simlerus & Joh. Jac. Frisius, in Bibliotheca: atque Israël Spachius in Nomenclatore Scriptorum Philosophicorum & Philologicorum, Argent. 1598. in 8. edito. Auctores ipsos plurimi commemorant: *Hadrianus Cardinalis* (secuto post tempore ejus nominis VI. Pontifex,) in elegantissimo de Latino Sermone commentariolo, quem suo de Modis Latine loquendi libro præfixit, & in quo Auctorum in certas ætates divisorum dictionem accuratè examinat: *Franc. Floridus Sabinus*, qui in calumniatores Plauti simul & aliorum Latinæ linguæ Scriptorum Apologiam scripsit, Basil. 1540. editam: *Balthasar Castilioneus*, P. I. Aulici sui Venetiis 1587. Italico sermone excusi: *Ludov. Vives* in Tr. de Disciplinis: *David Chytraeus* in lib. de Ratione Discendi, & ordine studiorum in singulis disciplinis instituendo: *Degoreus Whear*, in Relectionibus Hyemalibus de ratione & methodo legendi utrasque historias, Civiles & Ecclesiasticas; Oxon. 1625. & 1635. editis, & in Germania Norib. An. 1660. in 12. curante Christoph. Arnoldo, recusis: *Balth. Bonifacius* in Historia Ludicra, lib. XV. c. 2-8. ubi diligenter varia de Auctoribus Latinis collegit: quanquam jam antea quoque 1627, Venetiis de Romanæ historiæ Scriptoribus Excerpta dederit, Helmsstadii A. 1674. curante Joh. Eberh. Busmanno, iterum in 4to publicata: *Casp. Scioppius* in Consultationibus: *Gerh. Joh. Vossius* in Historicis & Poëtis Latinis, nec non in Arte Historica, alibique passim; *Casp. Barthius* in recensione Auctorum Latinorum, eorumque editionum, quam sedecennis adhuc adolescentulus ediderat, sed cujus senem adeo non pœnituit, ut in Adversariorum Opus lib. L. c. 9. omnem transcriberet: *Olaus Borrichius* in Cogitationibus: *Joh. Elew. Bæclerus* in libello de Scriptoribus Græcis & Latinis; ut & Dissertatione de Eloquentia Civili: *Henr. Jul. Scheurlius* in Statua Mercuriali: *Val. Henr. Volgerus* in Introductione in Notitiam Scriptorum, quam haud ira pridem Vir Cl. Henr. Meibomius novo additamento auctam prodire jussit: *Mart. Hanckius* in Libb. duobus de Rerum Romanarum Scriptoribus: *Leo Allatius* in Tr. de Erroribus magnorum virorum in dicendo: *Franc. Vavassor* in libris de Dictione Ludicra, de Epigrammate, alibique: *Melch. Inchoferus* in Historia linguæ Latinæ: *Mart. Zeilerus* in Indice Historicorum: *Christ. Daumius* in lib. de Amissis radicibus linguæ Latinæ: *Gabr. Naudeus* in epistola quadam de studio humanitatis: *Franc. Mottæus Vayerus* in peculiari quodam Opusculo de Historicis Latinis: (& ut alios nunc taceamus, nuperrime *Joh. Alb. Fabricius* in diligentissima Bibliotheca Latina, Hamburgi edita 1697. in 8.)

Præius vero, quam ad specialem recensioem ipsorummet Auctorum pergamus, pauca solum generaliora de editionibus ac de ætatibus præmonenda sunt. Nimirum, quanquam recentiorum longe plurimum editorum ea laus sit, ut, ob

infignes curas, Auctoribus a se castigatis editisque impensas, haud immerito palmam vetustioribus nonnullis editionibus præferant: ita negari tamen vicissim nequaquam potest, multum hic subesse discriminis, & quicquid ex Manutiorum, Stephanorum, Juntarum, Gryphii, Plantini, Frobenii, & similibus officinis, prodiit, adeo sæpe nihil recentioribus concedere, ut potius harum etiam haud paucis præstent, pretioque MSSis codicibus (e quibus opera doctissimorum virorum ea omnia emendatissima prodire) non multum inferiores a Viris Criticis existimentur. Sane ne comparandæ quidem illis sunt ineptæ Variorum editiones, quam nuper pestem bonis Auctoribus Bibliopolæ Batavi inducere cœperunt, reclamantibus frustra Viris doctis: nec defuerunt emtores, stultitia quidem Bibliopolis pares, qui se sic sumtum atque operæ compendium facere posse existimabant. Illi interea, lucri spe, non cessabant in honorum Commentatorum sævire viscera, & quomodocunque lacinias aliquas consuere: operam venalem commodantibus pædagogis nescio quibus, qui in Auctorum scriptis nihilo plus sapiebant, quam suis occisa. Variæ sunt variorum Criticorum de his editionibus querelæ & regulæ, Gronovii, Grævii, Heinsii: Mericus Casaubonus, in peculiari dissertazione de editione Homerica Belgarum, vehementer illos typographos exagitat. (kk) Vid. Borremansii *Lect. Var. c. 7.* & Sarravii *Epistolæ p. 317.* ubi solam typorum elegantiam commendare scribit doctissimus Senator, Curtium, Suetonium, Florum, quos ita cum variorum notis Belgæ ediderant; non vero laborem editorum: atque eos proinde cum Gronovii altioribus in Senecam curis ne quidem comparandos jure merito censet. Olim editiones variorum parabantur, cum junctim uno corpore exhiberentur integri Virorum doctorum Commentarii, non mutilati, ut habemus Livium, Cæsarem, Suetonium, aliosque hac forma editos: isti sunt e Commentariis optimi: quanquam e recentioribus etiam Commentarios variorum habeamus

non

(kk) In Typographos Batavos, eorumque Administratos, Eclogarios & Literatores Semidoctos, qui Scripta Veterum cum Notis Variorum publicare aggressi, e Virorum Superioris ævi in ista Annotationibus & Commentariis, improbo ausu misere mutilatis, aliisque, quibus *σποράδιον* illustrata eadem erant, Monumentis (omissa pterunque Librorum & Caputum Mentione,) solas Varias Lectiones, similesque Minutias Grammaticas, neglectis Observationibus majoris momenti egregiis, indicibusque utilissimis, absque Judicio excerpterunt, & Lectoribus obtruserunt, præter Morhofium, & quos ille laudavit, Gronovium, Grævium, Nic. Heinsium, Mericum Casaubonum, Sarravium, Borremansum, alii etiam Viri Eruditissimi serio sunt inveci. V. Joh. Galloesii (*Excerpta talia in Præjudicium magis Literarum, quam utilitatem, cedere, judicantis*) *Ephem. IV. Erud. Gall. An. 1667. (ad d. 7. Febr.) p. 619. 620. Edit. Lat. Nisibiana, Casp. Sagittarii Commentationem de Vita & Scriptis Plauti, Terentii ac Ciceronis, pag. 67. 68. 69. Adr. Baileti Tomum III. Judiciorum de Eruditis Gallicorum p. 583. & seqq. Joh. Clerici Artem Criticam, P. I. c. 2. p. 67. 68. & Tomum I. Parrhasianorum, sub Theod. Parrhasii larva, Gallici, Amstelodami An. 1699. editorum, p. 226-234. Henr. Christ. Hemmii *Præf. Juvénalis sui*, & qui hunc allegat, Joh. Alb. Fabricii *Biblioth. Latin. p. 86. Pet. Burmanni Præfat. novissima sue Fabularum Phædri Editionis, eumque laudantis Thomæ Crenii Partem V. Animadversionum. Philol. & Histor. c. 1. p. 21. 22.**

non contemnendos, qui curante Gronovio, Heinsio atque Grævio prodierunt: nam & ipsi notas suas adjecerunt integras, & ex aliis commentationibus excerpserunt ea, quæ essent optima: quorum iudicio itaque cum collectanea ista instituta sint, haberi in pretio debent: Clar. tamen Grævius, quantum in se est, hanc pestem abolere conatur, editis plus semel integris Auctorum annotationibus. Sic Suetonium, sic Ciceronis Epistolas, edidit, aliaque quotidie molitur. Bene etiam rei literariæ consulit, qui editioni Scriptorum Historiæ Augustæ apud Belgas A. 1671. recusæ præfuit, curavitque, ut non truncatæ prodirent Gruteri, Casauboni Salmasiique notæ, sed integræ: quod in repetita editione Sallustii, & aliis forsân adhuc, recte factum.

Solent Latini Auctores in *ætates* certas distingui, quarum vulgo quatuor enumerantur; *aurea, argentea, ænea, ferrea*: queis Scioppius *luteam*, atque *ligneam* addit; ipse tamen in Indice Auctorum, Paradoxis Literariis subjuncto, & in Consultationibus, non satis secum convenit. Possunt vero, secundum diversitatem ætatum illarum, notari Linguae Latinae mutationes, tam in vocibus simplicibus, quam in phrasibus, dictione tota, imo & scriptione: Quare, qui emunctioris naris sunt Critici, statim e dictione libri divinant, cujusnam ille non tantum ætatis, sed & Auctoris, Opus sit. Verum longo ad hanc rem opus est exercitio, cujus peritiam tamen Guil. Cantero, Critico sagacissimo, Melch. Adamus in illius vita adscribit. Vix autem sperare in quoquam tantum peritiæ criticæ poterimus, ut non decipi aliquando se patiatur: imo, quam sæpe viri etiam summi ea in re decepti sint, aliquot exemplis superiore atque nostro seculo patuit. Ita *Consolatio Ciceronis* diu ambiguos Viros doctos tenuit; nec defuere, qui ab ipsomet scriptam Romano eloquentissimo Consule judicarent: donec omnibus manifestum fieret, a *Car. Sigonio* scriptam, callideque Ciceroni suppositam. Josephus Scaliger, quo Viro nemo magis intima quæque secreta Critices penetravit, sibi tamen insigni fraude vidit a *Mureto*, qui carmen a se compositum, pro veteri, nuper e vetusto codice eruto, ipsi obruserat, & in assensum quoque pertraxerat Virum magnum: qui tamen, postquam secuto tempore sibi fuisse illusum comperisset, adeo graviter tulit Mureti dolum, ut sese vindicandum falso hoc Epigrammate putaverit:

*Qui rigide flammæ evaserat ante Tolosæ,
Muretus, fumos vendidit ille mihi.*

Reus autem actus aliquando Muretus Tolosæ criminis Sodomiae fuerat, & jam ignis supplicio destinatus, fuga sibi consuluit: quæ res occasionem dedit epigrammati. Vid. Colomes. *Cimel. Liter. c. 19. Opusculorum p. 39. seq.* & Erythræi *Pinacoth. I. p. 13.* Henr. Stephanus, inter alia veterum opuscula, Saryram edidit *de Lite*, scriptam a veteri poeta rarus, quem ignoto Galeoti nomine designat. Eam Saryram Casp. Barthius quoque rotam suis Adversariis *lib. V. c. 17.* inseruit, & in eam *ῥοίσω* exercens, homini prisco aut semiprisco adscribit: ut a recentiore aliquo scriptam, & vetustæ ætatis nomen mentitam, crederet, a se impetrare non potuit: Et tamen *Michaëlem Hospitalium*,
Can-

Cancellarium Gallicum, ejus esse Auctorem non solum Deliciæ Poëtarum Gallo-
rum, a Ranutio Gherò collectæ, evincunt, quarum Parti II. p. 71., inter Hospi-
tali Poëmata, ista quoque de Lite satyra inserta est: sed & Ant. Verderius, qui, in
Bibliotheca sua Gallica, diserte Hospitalio istam Satyram deberi testatur. (II) At-
que adeo deceprus haud dubie Casp. Barthius est. Ita & alii seducti, qui nimium
in hac arte sibi tribuebant; magna enim ac circumspecta cautione hic opus est.
Sane, si priscus etiam haud dubie Auctor sit, nec certo tamen seculo definiri ætas
illius possit, multis sæpe disputationibus, dissensuque multo inter doctos agi con-
suevit; cum, quod imprimis etiam annotandum, non ejusdem notæ omnes unius
ætatis Scriptores sint: Imo habet aurea ætas interdum, quos aliquis ad ferream re-
jiceret, si solam dictionem videas. Nam, ut varia est Scriptorum indoles, va-
rius status & conditio; ita sermonem temperabant: aliter scribet e plebe homo,
aliter, qui reipublicæ administrandæ adhibetur, & civili eloquentiæ adfuerus est.
Hinc non mirum, si fallat interdum unius ætatis dictio. Justinum aliqui ad ar-
genteam ætatem referunt, ut qui Trogi Pompeji, purissimi Scriptoris, historiam in
epitomen redegerit: sed falluntur illi vehementer suo judicio: Sic enim & Flo-
rum Livio quis æquiparare possit, cum ejus Historiam in epitomen redegerit;
& tamen ænea sunt illa Flori scripta præ Livii aureis: est enim totus tumi-
dus ac ineptus phrasi & dictione, ideoque cum judicio legendus, nec ad Lati-
nitatem formandam adhibendus, quanquam utile compendium Historiæ Romanæ
exhibeat.

- 4 Ceterum ut ad Auctores nunc ipsos propius accedamus, ENNIUS
agmen ducat, inter antiquos Ciceronis ævum adhuc antegressos imprimis clarus:
Ovidii judicio ingenio maximus, arte rudis, erat: illum tamen vehementer extul-
lit Josephus Scaliger, scripta ejus, si solum integra haberi possent, omnium juni-
orum, Lucanii, Stati, Sillii Italici, & similium, jactura facile redempturus; pro-
ut in Excerptis Scalig. Puteanorum est. Verum nihil integrum Ennii ha-
bemus. *Fragmenta Enniana* huc illuc e scriptis veterum in unum corpus col-
ligere jam olim in animo habuit Ludov. Vives, ut pollicetur in Not. ad Au-
gustinum *de Civ. Dei lib. II. c. 21.*: id vero nunquam ab illo est præstitum. Tenta-
runt idem Robertus ac Henricus Stephani in *Fragmentis Veterum Poëtarum*; sed
postea Hieronymus Columna separatim illa collegit, & cum Notis suis ac *Vita En-
nii* edidit Neapoli 1590. in 4. Hinc Paulus Merula Ennii *Annales & Fragmenta*,
cum *Commentario*, denuo edidit Lugd. Batav. in 4. De emendatione versuum quo-
rundam Ennianorum apud Gell. *lib. XII. c. 4.* quam Hub. Gifanio per insigne plagium
surre-

(II) Præter Henr. Stephanum & Casp. Barthium, Marcus etiam Zuerius Boxhornius Mich. Hospitali
de Lite Satyram pro Veteris Poëtæ fetu habuit, & in *Syntagmate Poëtarum Satyricorum Mi-
norum de corrupto Reipublicæ Statu*, Lugd. Bat. An. 1633. in 12mo excusos, una cum Sulpitiæ
Satyra, ac Valerii Catonis *Diris*, præfixo *Satyrae Anonymi Auctoris Franci de Lite* Titulo, edi-
dit, Notisque propriis (quibus Jani etiam Doussæ & Casp. Barthii in Sulpitiæ Poëmation ob-
servaciones accesserunt) illustravit.

ptam Lipsium sibi tribuisse narrat Scioppius, videndus Thomafius est in *Catal. Plagiar.* §. 492. Ennii aequales sunt *Livius Andronicus, Naevius, Caecilius Statius, Pacuvius, Attilius, Lucilius, Afranius, M. Porc. Cato*: quorum omnium vitam Casp. Sagittarius speciali commentatione persecutus est: libellus prodiit Altenburgi 1672. in 8. *Luciliana* Fragmenta edidit singulari libro, cum commentario, Franc. Douza Lugd. Batav. 1597. in 4. Ceterorum fragmenta solent cum Ennianis jungi. Adscribuntur CATONI quoque *libri Originum*, quorum fragmenta Joh. Annius Viterbiensis cum aliis ejusdem generis publicavit. Uti vero e tot verustorum Scriptorum testimoniis dubium nullum est, a Catone libros Originum olim scriptos fuisse; ita quae publicavit Annitius, dudum sunt a Viris doctis proscripita: quamvis Mazzam & Macedum Annius suos vicissim habuerit defensores; de quibus *Lib. I. cap. 6. Polyhistoris nostri Literarii* abunde. Alia Catonis fragmenta collegit ediditque Anton. Riccobonus, quae habentur in ejus de Historia libro Venetiis 1568. in 8. Basil. 1589. edito. Eadem auctiora postmodum edidit, libris Catonis *de Re Rustica* adjunxit, & notis illustravit Antonius Popma, Frisius, optime, Scioppio judicante, de illo Auctore meritis: post cujus editionem suas quoque Joh. Meursius illi curas impendit, ediditque Popmae ac suis notis instructum Catonem Lugd. Bat. apud Raphelengium 1597. quae editio Franeckeræ 1620. repetita est: Libros Catonis de Re Rustica, praeter Popmam & Meursium, ediderunt Aldus, Venetiis 1514. in 4. una cum Varrone, Palladio atque Columella, ejusdem argumenti Scriptoribus: & Rob. Stephanus, iidem Scriptorum Rei Rusticae collector, nitidissima editione Paris. 1543. in 8. A Marco Porcio Catone vero plane alius est junior quidam, *distichorum moralium* Auctor, cui Catonis nomen praefigitur, non quod Vir ejus nominis illa scripserit, sed quod dignae Catone sententiae videantur. Dionysii nomen illi praefigi solet: quod inde fieri Lambecius suspicatur; quoniam *dium* veteres Catonem vocaverint: ut Horatius *Serm. I. I. Sat. 2.*

Maeste

Virtute esto: inquit sententia dia Catonis.

Sed hanc conjecturam suo loco relinquo. Dignum certe libellum Josephus Scaliger habuit, quem, post Maximum Planudem, Graecis distichis conversum exprimeret: quod & idem Joh. Mylius & Matth. Zuberus fecerunt. Horum omnium versiones, & Germanicam insuper Mart. Opitii, conjunctim, una cum Scaligeri suisque notis, edidit Christianus Daumius, Cygnae 1672. in 8. Olim in emendando Catone hoc, diem unum consumpsit Desiderius Erasmus: ob quem laborem a Budæo reprehensus est, quod exiguum adeo opusculum tanto Viro indignum videretur: verum non siluit ad eas incusationes Erasmus, nec se praeter rem aliquid suscepisse est passus: ut ex *Epistolarum libro I.* videre est.

Ennium & Catonem sequatur PLAUTUS, qui inter primos Latinae linguae Auctores est, non tamen pueris, ut quidam volvere, praegendus, nisi id fiat a Viris judicii subactioris, qui multiplicem dictionem Plauti, neque ita promiscue ad usum & imitationem commendandam, probe discernere noverunt. EDMUNDUS certe RITOMUS I.

Ooo oo

CHE:

CHERIUS, in *Obſetricæ animorum*, prolixè agit de *Plauti Latinitate* e puerorum manibus executianda. Notum est HORATII iudicium in *Arte Poëtica*:

*At noſtri proavi Plautinos & numeros &
Laudavere ſales: nimium patienter utrumque,
Ne dicam ſtulte mirati; ſi modo ego & vos
Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto,
Legitimumque ſonum digitis callemus & aure;*

quod ſane verum eſt, quicquid etiam alii iudicent adverſus Horatium. Legi poteſt Diſſertatio Dan. Heiſii de hoc loco Horatiano, quæ addi ſolet Terentii editionibus. Scripſit & HENR. STEPHANUS diſſertationem de *Plauti Latinitate*, quæ addita eſt Diſſertationi ejus de Latinitate falſo ſuſpecta; ubi ſecundum certas claſſes diſponit inſolentiores Plauti voces & phraſes. Plane vero miror, quid BARTHIIUM moverit, lib. L. Adverſar. c. 9. ut prolixè Plautinam lectionem Tullii ac Terentii præferendam ſuaderet. Nemo, inquit, Plauto *magis proprie locutus eſt, nemo magis ad uſum: ut, qui Ciceronem, hoc ſepoſito, juventuti prælegunt, hoc mihi videantur agere, ut ſcilicet, priuſquam Latine, eloquenter doceant tironem ſcribere.* Verum valeat ille cum ſuo iudicio: neque enim ſtatim ab orationibus elaboratiſſimis quis incipere ſuadebit tironibus. Plautus vero, quanquam in phraſi purus ſit, quod in illo agnoſcit FRANC. VAVASSOR in libro de Ludicra dictione; tamen, ob admixtos archaiſmos multos, phraſes fictas & ex ingenio perſonæ inventas, ineptit, qui puerum in has ambages ducere velit. LIPSIUS Plautum prætulit Terentio; qua in re merito reprehenditur a Balzaco, in ſuis Diſſertationibus, Gallica lingua editis, quæ adjiçuntur Socrati ejus Chriſtiano, p. 83. 84. Nec mirum hoc Lipſii iudicium cuiquam videri debet: nam, ut ipſe fuit in oratione mire interdum *καυόζηλος*, ita ex ſuo ingenio iudicavit Plautum. Præferendum hic potius ſæculi Auguſtei iudicium, quod expreſſit, ut vidimus, in ſua *Arte Poëtica* Horatius. Plauti editiones variæ recenſentur a Geſnero & Spachio in *Nomenclat. Philoſophico* p. 207. de quibus illic legi poteſt. Varii ſunt in illum ſcripti *Commentarii*, tum cum auctore junctim, tum ſeorſim editi. Antiqua variorum editio prodiit Venetiis in fol. 1511. & iterum 1522. in 4. Pariſiis apud Rob. Stephanum in fol. & Lugduni apud Seb. Gryphium 1540. in 8. *Commentarii* ſic junctim editi ſunt Bern. Saraceni, Joh. Petri Vallæ, Pii Bononiensis, Pyladis Brixiani, Ugoleti, & Franc. Marii Grapaldi. Joach. Camerarius & Georg. Fabricius verſus in ordinem redegerunt, & breves notulas addiderunt, uti & Joh. Sambucus: Dionyf. Lambinus *commentarium* in illum ſcripſit, qui in fol. editus eſt Pariſ. 1587. Janus Douſa Plautinas *Explicationes* ſeorſim, & auctori junctas: Valens Acidalius *divinationes* in Plautum ſcripſere. Edidit & Philipp. Pareus Plautum cum ſuo *Commentario* & *Lexico*, qui liber editus eſt Francof. 1610. in 8. ſed huic quidem viro ſolemne eſt alios exſcribere, & male audit, ut fucus ad Criticorum pabula: ideo enim *Lexica* ſcribit, ut poſſit *commentarios* aliorum, diſſimulatis ſemper nominibus, in ordinem alphabeticum compilare. Multo utiliorem Plauto navavit operam *Frider. Taubmannus*, e cujus editio-

ne ter iste Comicus lucem vidit, non solum luculento Commentario illustratus, sed & iis fragmentis auctus; quæ e deperditis fabulis pauca adhuc vetustas nobis servavit. Secunda editio Francof. 1621. in 4. & tertia Wittebergæ prodiit: Præterea Boxhornius Plauto operam impendit, cujus notæ cum excerptis variorum prodierunt Lugd. Batav. 1645. in 8. Aliam exinde dedit Joh. Frider. Gronovius. Comœdia Plauti, quæ Queroli sive Aululariæ habet titulum, & ab Aulularia inter Plautinas omnium consensu receptas diversa est, primum est a Petro Daniele edita, cum notis, apud Rob. Stephanum Paris. 1564. eandem postmodum, ad Camerarii codicem collatam, in versus digestam, & præterea elegiaco Vitalis Gallici novo carmine expressam, cum Notis P. Danielis, Conr. Rittershusii & Jani Gruteri, Heidelbergensès Commelini 1595. repetivere; & tandem Phil. Pareus secundæ sui Plauti editioni Spiræ 1619. in 4. illam addidit. Enimvero satis constat, fabulam illam ad Plautinam ætatem nullo modo quadrare: & videndus de illa Barthius lib. XLIV. *Adversar. c. 13.* qui Plautum equidem, sed multo juniorem, illius Auctorem facit. Punicorum, quæ in Pœnulo Plautino sunt, explicationem primus tentavit Josephus Scaliger in libris de Emendatione Temporum, qua de re ipse etiam in Excerptis Puteanorum gloriatur: post illum Grotius in Epistolistad Gallos, Ep. 113. ad Salmasium, aliqua ejus comœdiæ est interpretatus: de ceteris Punicarum reliquiarum interpretibus, Thoma Reinesio, Sam. Petito, Sam. Bocharto, Joh. Clerico *supra c. V.* diximus. Novissimam Plauti editionem, in Delphini Galliæ usum, adornavit Praef. 1679. in 4. Jac. Operarius. Non autem hic diffidendum existimamus, Auctorem illorum, quotquot ea ratione in Gallia prodire, perpauco esse, quorum editio novi quid secum afferat, aliisve præferri tantopere mereatur, nisi quod magnificus plane atque splendidissimus typorum chartæque nitor gloriam Regis indicant, harum etiam rerum curam gerentis. Ea vero methodo editores isti utuntur, ut interpretationem seu paraphrasin Latinam Auctoris primo præmittant, deinde notas adjiciant veteres, si vetus aliquis Commentator reperiat; secus aliorum Auctorum e fontibus decerptas, ita ut non integra illorum verba retineantur, quod in Batavis variorum editionibus fit; sed aliis reddantur. Index subjicitur plenior, ad verborum structuram & ad phrasin accommodatus, ut Latinæ linguæ simul ratio haberi possit.

Post Plautum Comicus alter in scenam prodeat TERENCEIUS, optimus 6 linguæ Latinæ Auctor, quem GROTIUS quidem tanti faciebat, ut secum semper ferret: ac propterea increpatus a Viro quodam politico, respondit: *alia in illo legere pueros, alia viros.* Magna enim in ejus fabulis elucet morum actionumque civilium diversitas, & quidam quasi character. Plauto longe superior judicio est: & rectè omnino pronuntiavit in Epistolis ERASMUS pag. 1700. in una Comœdia Terentiana plus judicii esse, quam in omnibus Plautinis: quicquid etiam contradicât. SCHEURLIUS, qui aliud, non e singulis tantum fabulis sed & e fabellarum pagellis, patere falso persuasus est, *Stat. Mercurial. P. II. Sect. II. c. 3. p. 91.* Idem tamen c. 4. in laudes Terentii non parvus, eum a Jos. Scaligero sene semper lectum, & a Joh.

Casellio etiam, inter deambulandum colloquendumque cum suis, in manibus perpetuo gestatum refert. *Veteres* quidam GRAMMATICI inepte de Terentio judicarunt, dum nonnisi verborum ac dictionis proprietatem in illo laudant, in assequendo vero comœdiæ genio ignaviorem censent: Sane hic ut minuti Grammatici judicarunt, nec se Possæos, nec Rhetorices, nec civilis prudentiæ, gnaros haud obscure fassi: quorum qui non omnia arcana plane excussa habet, frustra de Comœdia judicabit: est enim *Comœdia imitatio omnium actionum humanarum in societate civili, quæ tantum artis habet, quantum ipsamet actio.* Atque in hoc artificio Terentius Plautum longe superat; cujus propterea lectionem Casp. Barlæus Luneburgensibus quoque Ducibus, in epistola ad illos scripta, commendandam duxit. *Editiones* Terentii plurimæ omnino sunt: magnam earundem copiam recenset Spachius in Nomencl. p. 208. seqq. Haud immerito autem Barthio lib. L. Advers. c. 9. elegantissima omnium & nitidissima habetur, quæ cum commentario Æl. Donati a Frid. Lindenbrogio Francof. 1623. in 4. curata, & in paucorum manibus est. (*mm*) Tritior *Bœcleriana*, quæ prodit Argentorati 1627. in 8., ceteris etiam jure merito præferenda, non solum ob elegantem commentarium, & accuratas metri recensiones, sed & ob Chrestomathiam Terentianam, quæ adjicitur: id est, indi-

(*mm*) Terentii Comœdiæ, & in eas Æl. Donati, V. C. Oratoris Urbis Romæ, & Eugraphii, Veteris Scyoliastæ, Commentaria, a Frid. Lindenbrogio, collatis MSSis, Veteribus Exemplaribus, recensita, aucta & observationibus, Indiceque uberrimo, illustrata, Anno jam 1602. Parisiis, ubi Lindenbrogius tunc vivebat, in 4to prodierunt. E Parisina hac expressa est altera, quam Morhofius laudat, Editio Francofurtensis Anni 1623. Heringiana. Terentium ipsum, ad *cujus nitelam & splendorem quod facere possit, nihil se in hac Editione, Ergodiocta Joh. Scaligero (Epist. 213. & 216. p. 464. 466.) maturata, scienter omisisse, vix in Præfatione affirmat, e Codice Bibliothecæ Regiæ Parisinæ optimo & antiquissimo, duobus Pet. & Francisci Pithoeorum Exemplaribus, manu utriusque emendatis, aliisque nonnullis MSSis, recensuit. In Donati Commentario, quem Textui interferuit, lacunas plurimas supplevit, & Errata infinita emendavit, adjutus, tum duobus Exemplaribus, accurata Fratrum Pithoeorum diligentia ad MSS. Ant. Contii & Jac. Cujacii collatis, tum Collectaneis Bibliothecæ Regiæ, & Schedis Petri Daniëlis Veteribus. Eugraphii, sub finem Comœdiarum omnium adjecti, cum paucis tantum in Italia olim Gabr. Faernus edidisset, ipse longe plura, ex Codice Ant. Loiscelli, J.Cti, antiquissimo, primus publicavit, & quæ huic deerant ex altero Franc. Olivarii supplevit. Lindenbrogii ipsius Observationes breves sunt, & circa Varietatem Lectionis potius, quam Textus explicationem, occupantur. Hæc Sciographia est compendiaria Editionis istius Geminæ Terentianæ Lindenbrogii, quæ (imprimis Parisina, ipsi ignota Morhofio) hodie est rarior, sed omnium tamen, unanimi criticorum plerorumque consensu, optima & elegantissima. Nec enim Barthius & Morhofius soli ceteris eam præferunt, sed Casp. etiam Scioppius, *Consult. 11. de Scholis & Studiorum ratione p. 64.* Joh. Henr. Bœclerus in *Comm. de Script. Gr. & Lat. p. 38.* Henr. Jul. Scheurlius (Indicem imprimis uberrimum extollens) *P. II. Statuæ Mercurialis, c. 4. p. 97.* Casp. Sagittarius in *Comm. de Vita Terentii p. 61. 66.* Adr. Bailletus (Textum in ea judicans exhiberi emendatissimum) *T. IV. Judiciorum de Eruditio Gallicorum, P. II, p. 69.* Joh. Alb. Fabricius *P. I. Biblioth. Lat. p. 5.* aliique, quos taceo, complures.*

indicem elegantiarum Terentianarum. Quanquam enim jam antea Jac. Kockertus indicem adornaverit non contemnendum, Bœclerianus tamen ille est ad usum accommodatior: est & in Terentium index Augustini Gambarellæ, quem nunquam vidi: Adjecto vero suæ editioni Bœclerus notas Franc. Guyeti, Galli doctissimi, sed morosioris, de quo jam superius aliquando dictum. Est & quædam variorum editio, Lugd. Batav. 1644. excusa, sed non magni momenti. In Delphini usum prodiit Terentius, cum interpretatione ac notis Nicol. Cami, Paris. 1675. Vitas Plauti, Terentii ac Ciceronis, peculiari commentatiuncula exposuit Casp. Saggiarius, ediditque Altenburgi 1671. in 8.

Incedat nunc M. TULLIUS CICERO, prioribus duobus multis modis illustrior, & in aurea Latinae linguæ ætate primas extra controversiam tenens: cujus aurei Oratoris si libros omnes, & librorum editiones, persequi vellemus, multarum paginarum res foret: nos igitur tantum potiora sectabimur. In illo Viro majestas Romanæ eloquentiæ & sapientiæ summum apicem est consecuta. ~~For~~ seculorum judicio princeps habitus, obrectatores non invenit, nisi homines malos aut indoctos. Fuere inter antiquos tales malevoli ASINIUS uterque: Pollio pater, & Gallus filius; quorum ille quidem permultis occasionibus inimicum animum, succo loliginis atræ plenum, in Ciceronem ostendit, ut ex Senecæ Suavoria VI, & Gellii lib. XVII. c. i. Noct. Att. jam alibi observavimus, cum ejusdem de Livii Paravinitate convitium abstergeremus: hic vero, infantiæ paternæ hæres, libros Ciceronis sui que patris Asinii comparatione scripsit, in iisque hunc illi longissime anteposuit, & indigna multa evomuit in Ciceronem: quæ non solum ut prodigiosa Gellius execratur, sed dudum ante Gellium Claudius Imperator Ciceronis defensionem satis eruditam, memorante Suetonio c. 41. adversus Asinii Galli libros concinnavit. Ejusdem cum Asiniis fursuris LARGUS LICINIUS fuit, cujus liber infando, ut ait Gellius, titulo Ciceromastix ferebatur. His constans reliquorum veterum, in laudando veris elogiis Cicerone, consensus, atque etiam indignatio in vituperatores istos, haud abs re potest atque debet opponi. Fassi enim omnes cum QUINTILIANO Instit. Orat. lib. XII. c. i. sunt, stetit illum in fastigio eloquentiæ, cui quid adjici posset etiam ignorare sese aiebant. Et, quamquam nec ipse Cicero sua omnia, præsertim juvenilia, approbarit, sed & coercuerit ipse, & ab amicis Bruto, Calvoque observata æquo animo rulerit: quamvis etiam Quintilianus summam Ciceroni perfectionem adscribere vereatur, quippe cui nonnihil vitiorum etiam adhæsisse non dubitat, adeoque perfectum omnibus partibus Oratorem adhuc quaerat; mox tamen addit: *ego non audeam dicere, aliquid in hac, quæ superest, æternitate inveniri posse, eo quod fuerit perfectius.* Hæc cum veteres magni nominis Oratores judicaverint, & quæ vis veritatis est, ne ipse quidem juratus hostis, Asinius Pollio, in Historia sua justum Ciceroni elogium (quod M. Seneca Suavor. VII. nobis conservavit (denegare sit ausus; quid tandem de recentioribus nonnullis Ciceromastix dicemus, quos inter eminent PETRUS RAMUS, qui, in ejus eloquentia, si DIs placet, aliquam multa desideravit,

sciulus & sophista potius, quam verus Philosophus. Alii quidam ἑλληνομανεῖς, inter quos BUDÆUS, Latinos omnes præ Græcis contemnentes, etiam de Cicerone minus honorifice sentiunt: sed illi sunt ingenio suo relinquendi. Budæus certe in phrasi Latina nihil habet, quod magnopere laudari debeat, utut cetera vir doctissimus. Verum sane est, multa Græcis debuisse Ciceronem; sed ita tamen debuit, ut magistros deinde Græcos superaret, quod nec ipsimet diffitebantur: uti vel ex uno DION. LONGINO perspici potest, qui in eruditissimo suo; de Sublimitate, libro, Sect. XII. eleganter admodum ostendit, quid inter Demosthenem atque Ciceronem intersit. Extat hujus argumenti integra atque luculenta RENATI RAPINI dissertatio, Gallico idiomate scripta, qua copiosius, & per partes, Auctor exsecutus est, qua in re alter alteri, vel præster, vel par sit. Conferendus præterea in hanc rem Leo Allatius lib. de Erroribus magnorum virorum in dicendo p. 48. sq. & Erasmus in Epistolis p. 1708. Quæ ad vitam Ciceronis attinent, singularibus libris sunt descripta, qui vehementer conducunt ad intelligentiam rerum, quæ in Cicerone sunt. Ex antiquis Scriptoribus vitam Ciceronis, eo modo consignatam, reliquit Plutarchus in Parallelis: sed cum ab eo multa ommissa deprehendisset LEONHARDUS ARETINUS, supplenda censuit illa scribendumque librum de Vita Ciceronis peculiarem, quem propterea *Ciceronem Novum*, vocabat: teste Jac. Gaddio *de Scriptor. Non-Eccles.* P. I. p. 136. in *Cicerone*, & in *Leon. Aretino* P. II. SEBASTIANUS CORRADUS, vir doctissimus, inter alia, quibus optime de bonis literis meruit, eruditissimum de *Questura* librum reliquit, Venetiis 1537. excusum, in quo non solum Ciceronis vita per dialogum proponitur; sed & imprimis multa, quæ ad Opera ejus atque scripta pertinent, afferuntur: quinimo describuntur eodem libro M. Ciceronis filii vita; Q. T. Ciceronis fratris, & eorum tandem, qui scribunt ad Ciceronem: ut adeo, judice Mich. Neandro in præfat. *Gr. Ling.* p. 154. omnibus Ciceronem lecturis & exposituris non solum lectu dignus, sed & necessarius & utilis sit. Rarissimus olim fuit, donec Joh. Frider. Gronovius Lugd. Batav. 1667. eum nova editione nitidiorum in 12. edi curaret. Extat & FRANCISCI FABRICII, Marcodurani, *Historia Ciceronis* ad rationes temporum alligata: dum scilicet, secundum annos Urbis & Consulium, scripta & res gestas Ciceronis distinxit. Liber ad lectionem Ciceronis utilissimus, ac propterea aliquoties recusus: secunda editio prodiit Coloniae 1570. in 8. estque dehinc nonnullis Ciceronis editionibus addita. Post hunc alii fuere, qui Ciceronis vitam scripserunt: Christoph. Preisius, Pannonius; Benedictus Herbestus, Polonus; Jac. Angelus de Scarparia; qui nonnunquam conjunctim edi solent: postremi librum ab interitu vindicavit, Romæ inventum, atque in lucem emisit Berolini 1553. in 8. Wolffg. Peristerus, Borussia. Verum hi omnes compendiosam magis, quam locuplerem, Ciceronis historiam ediderunt; quibus accensendi etiam Jacobus Mafenius l. II. *Palæstræ Orat. carptim vitam Ciceronis percurrens*, Petr. Ramus, in cuius Ciceroniano varia occurrunt, quæ ad Ciceronis vitæ, laborum, ac periculorum historiam pertinent, & CASP. SAGITTARIUS in libello *de Vita Ciceronis*, qui imprimis Fabricium sibi, quem sequatur, proposuit. Et sane hujus librum nil venustius

flius fieri posse judicat ANDR. SCHOTTUS, qui & ipse de interpretibus Ciceronis, historia operum illius, eloquentia & imitatione, elegantissimum librum scripsit, eique titulum fecit *Tullianarum Questionum*: qui editus est Antwerp. 1610. in 8. Multa hic discutiuntur, quae spectant ad imitationem & lectionem tam genuinam, quam pravam. Notum est, quam superiore seculo κακοζήλως Ciceronis insaniverint nonnulli, quos integris libris acerbissime Viri quidam doctissimi exagitarunt. Spectat huc ERASMI *Dialogus Ciceronianus*, quem ille juvenis adversus hos homines conscripsit: male propterea exceptus a Jul. Caesare Scaligero, qui acerrimas in Erasmus invectivas edidit pro Cicerone. Sed Erasmus praecipuum iudicium suum postea correxit ipse, & Ciceronis lectionem atque imitationem praecipue omnibus inculcavit: quemadmodum & non minus Scaligerum suae in Erasmus acerbitalis plus semel paenituit. De hac re vero, & de prava illa imitandi ratione, alibi a nobis dictum est. MARIUS NIZOLIUS huic fini scripserat *Thesaurum suum Ciceronianum*, quem HENR. STÉPHANUS libello peculiari exagitavit, cui titulum fecit *Nizoliodidascalus*, seu Monitor Ciceronianorum Nizolianorum; ubi defectus ejus lexicis plenius recensentur, Paris. 1578. in 8. Edidit quoque Stephanus *Dialogum alterum*, cui titulus *Pseudo-Cicero*: in quo non solum de multis ad Ciceronis sermonem pertinentibus monetur, sed & quis delectus editio, & quae in legendo cautio adhibenda sit, Paris. 1577. in 8. apud auctorem. Plura de his Ciceronianis κακοζήλως legi possunt apud Taubmannum in Dissert. de Lingua Latina. Pergimus nunc ad editiones Operum Ciceronianorum. De *ineditis* videatur Hieron. Cardanns in libro de clarorum Virorum vita & libris; qui reperitur in operum ejus Tomo X. Illustre inter deperdita Ciceronis *Opus est de Republica*, cujus jacturam merito lugemus: supererat adhuc tempore Petri Pictaviensis monachi, observante Barthio Adversar. l. XXXII. c. 5. Idem Barthius ibidem c. 18. refert, superfuisse illum ante annos non adeo multos in monasterio quodam Rittershusio, cujus in rei fidem citat Joh. Henr. Meibomium: Verum errat procul dubio Barthius, tum in nomine Monasterii; quod nequaquam Rittershusium, sed Riddaghusanum, dici debuerat; tum in nomine ipsius Meibomii: nam Henricus Meibomius, pater, quem is intelligit, quodam loco hujus libri faciens mentionem, perit, inquit, *iste thesaurus in bello Germanico*. Perierunt quoque libri Ciceronis *de Gloria*: nisi, quod magnam partem transcriptos illos a Petro Alcyonio in libro de Exilio, quem conscripsit, Colomesius annotat Cimel. Literar. c. 15. Operum, quae supersunt, editiones plurimae sunt. Venetae editiones male audiunt apud Scioppium in Syllabo Latinae linguae, Paradoxis Literariis adjecto; ubi sic ille: *Ciceronis editiones Venetae recentiores flammis aboleri debebant, cruces vero signi typographis ut documento sint aliis, ne tam deformem Veneto nomini maculam imprimant*. Quam ille causam tam acerbii iudicii habuerit dicere non possum: neque etiam Aldi aut Pauli Manutiorum editiones eum his verbis fugillare opinor, quorum ille primus Opera Ciceronis junctim edidit: hic vero inter praecipuos ejusdem M. Tullii emendatores & commentatores omnium consensu numerari meruit. Prodiit editio Pauli Venet. 1540.

& 41. Aldinae magnitudinem & paginas planè exprimit Riheliana Argentinae 1540. post Andr. Naugerii & P. Victorii correctiones, a Joh. Sturmio emendata. Uno anno hanc anteverit editio Ciceronis a Roberto Stephano Paris. An. 1539. elegantissimis typis data e codicibus Petri Victorii. Ipse vero Victorius omnium, iudice Cl. Graevio, ingeniorum sui temporis princeps, & cui uni præ reliquis salutem M. Tullius debet, a verustissimo Mediceo codice illum primo Venet. 1537. edidit: postremas vero ejusdem curas optima editione Juntae Florentini an. 1571. dederunt. Dionysii Gothofredi editio vehementer placuit Barthio Adversar. l. l. c. 9. & index in Ciceronem, quem ille multis Nizolianis habet præstantiorem. Ceteroquin inter Ciceronis editiones optima est Hamburgensis illa Frobeniana, A. 1618. fol. excusa. Debetur potissimum *Jano Guilielmo*, Lubecensi, juveni doctissimo, qui nullis laboribus in hoc operè procurando pepercit. Ejus conatus a *Suffrido Petro*, Frisio, adjuti sunt, qui collationem cum MSS. diligenter a se institutam cum Guilielmo communicavit. Adjectus est Operi index; cui titulus: *Penu Tullianum decem cellis seu indicibus expromens, quicquid uspiam divitiarum in Ciceronis opibus habetur.* Collegit Georgius Ludov. Frobenius: procuravit editionem Janus Gruterus, in cujus manus & Suffridi Petri & Jani Guilielmi notæ pervenerant: ceterum index ille separatim quoque editus prostat. Fuerunt alii, qui in animo habuerunt universa Ciceronis Opera edere: quos inter Andr. Schottus, cujus conatus mors interrupit. In Belgio prodiit nitida satis editio, Cornelio Screvelio accurante, cui Guilielmi & Gruteri aliorumque notæ, sed selectæ, additæ sunt, 1661. in 4. eadem deinde 1687. Genevæ (licet Basileam titulus præ se ferat) recusa est. Integram vero Hamburgensem Gruteri editionem recuderunt Londinenses typographi in fol. sed nitoris magis; ut videtur, quam emendationis habita ratione, demptis quoque præter rem capitum numeris, Lond. 1681. [Male vero omnes fecisse, & nescio quo se conspurcasse luto, Vir Cl. *Jac. Gronovius* arbitratur, quotquot in recudendis Ciceronis Operibus Gruterianum textum secuti sint, quem scilicet ipse pro mendosissimo habet, & occasionem inde arripuit novam Ciceronis editionem, cum variis Codicibus MSS. collatam, & a se emendatam, publicandi: quod Lugduni Bat. 1692. forma duplici in 4. & in 12. præstitit: præter Gruteri atque Guilielmi notas, suas quoque adjiciens: Orationibus insuper totum Asconii Pediani Commentarium, & Anonymum Scholiasten addens.] Jamdudum quoque adornandam per partes Ciceronis editionem absolutissimam vir magnus, *Joh. Georg. Graevius*, sibi sumsit; deditque orbi literato Epistolas Ciceronis ad Atticum & ad Familiares, ut & libros Officiorum, cum P. Manutii aliorumque integris, & suis notis: nunc Orationes pari instituto parat: adeo, ut spes sit, nos ab ejus manu locupletissimum Opus aliquando habituros. Reliquas editiones Elzevirianam 1642. X. tomis minoribus comprehensam: Blavianam 1657. tomis totidem; Hervagianam tomis 4. aliasque Basileenses, Lugdunenses, Parisienses, Francofurrenses, Genevenses, nil moror: jam enim plus satis de editionibus dictum est. Habentur inter Opera Ciceronis quædam, quæ nomen illius mentiuntur: ut *Orationes ille Ciceronis & Salustii mutua*; de quibus vid. Sanctius in Minervap. 258.

qui

qui miratur Quintilianum, Linacrum, Vallam & ceteros, putidas istas & barbaras oratiunculas non vidisse ab aliquo sciolo & barbaro esse compositas. Longe rectius id animadvertisse monuisseque Pet. Victorium & Seb. Corradum. Idem Sanctius l. c. p. 253. Pauli Manutii oscitantiam castigat, qui rirulos Paradoxorum ipsimet Ciceroni adscripsit: cum nugæ sint ea lemmata ab imperitis Grammaticastris præfixa: velut omnes istiusmodi tituli ad Martialis Epigrammata, ad Horatii Odas, & ad Valerium Maximum: non solum alieni ab instituto Aurorum, sed & alienissimi haud raro. De *Orpheo Ciceronis* dubitandum non est, quin supposititius sit, idque deprehendet, qui vel unam solum alteramve periodum perlegerit. De *Consolatione* diximus jam, eam a Car. Sigonio confictam, ut imponeret doctis personata eloquentia sua: sed fucus haud diu post animadversus est. Historia ejus rei continetur in Epistolis quibusdam, quæ habentur in Ant. Riccoboni Descriptione Gymnasii Patavini. *Commentatores* Ciceronis tam in omnia ejus opera, quam in libros singulares, sunt longe plurimi. E veteribus ad nos pervenit Asconius Pedianus, qui Vespasiani ævo floruit, cujus tamen Commentariorum maxima pars injuria temporum intercidit: in reliquis emendandis & restituendis laborarunt Paulus Manutius, Franc. Hotomannus, Titus Popma Frisius: (& post hos omnes Joh. Frid. Gronovius, e cujus emendatione Jacobus filius Asconium, uti diximus, publicavit. Primus Asconium in Helvetia, in monasterio S. Galli, invenit Poggius Florentinus; Aldus postea impressit. Præter Pedianum vero restat adhuc alius quoque Scholiastes Antiquus, quem nescio qua occasione acquisitum sive Pithæus seu Petavius ad If. Vossium misit, & ab hoc impetravit Jac. Gronovius, ediditque.) In libros de Inventione scripsit Marius Victorinus, Seculi IV. Scriptor, ac præceptor Hieronymi: cujus in Ciceronem Commentarius Venetiis. 1500. Coloniae 1535. apud Joh. Gymnicum. & 1537. Parisiis apud Rob. Stephanum, ex castigatione Guyb. Longolii, alibique lucem publicam aspexit. Veteram editionem inprimis commendat Casp. Barthius, eamque facile locum codicis MSS. tueri censet: qui cetera ipsummet Victorinum optimæ notæ veteribus Criticis accensendum plane non dubitat, Adversar. lib. XXXVI. cap. 1. E recentioribus in singulos Ciceronis libros complures extant Commentatores. Librum de claris Oratoribus exposuit Sebast. Corradus: estque hic ejus Commentarius impressus Florentiæ 1552. Idem in epistolas Ciceronis omnes, tam familiares, quam ad Atticum, justa commentaria scripsit, quorum illa Basileæ, hæc Venetiis excusa sunt. In Partitiones Oratorias Claudius Minos scripsit, Francof. 1584. In Oratorem, post Corradum, Melch. Junius, Argent. 1585. Joh. Sturmius quoque, magnus eloquentiæ per Germaniam magister, edidit in eundem librum commentaria. Existunt præterea ejusdem Sturmii & Claudii Minois Commentarii in speciales quasdam Orationes. In omnes Ciceronis Orationes varios variorum Commentarios Franc. Hotomanni, Joach. Camerarii, M. Ant. Mureti, Adr. Turnebi, Val. Erythraei, aliorumque, in unum corpus congestos, junctim edidit Oporinus Basil. 1553. in fol. quem Lugdunenses An. 1574. secuti sunt. Vastum volumen, seu potius tomos II. Commentariorum in tertiâ Orationum Ciceronianarum

rum partem, struxit ediditque Paris. A. 1631. Nicol. Abramus, Soc. Jesu (is ipse, qui Nonni Paraphrasin Johanneam cum notis suis, sane doctissimis, eleganti editione Cramoissiana 1623. dedit,) in quo Commentario tam historica, quam rhetorica & grammatica longe plurima, expediuntur. Plures Orationum Cicer. explanatores recenset magno numero Spachius Nomencl. Philos. p. 239. seqq. Commentarii P. Victorii, & doctorum Virorum plurium in libros Cic. de arte Rhetorica in unum quodque corpus collecti sunt; editique ab Aldo juniore Vener. 1546. in fol. quos etiam Basileæ nescio quo anno reculos vidi. Qui in Epistolas Ciceronis scripserunt, magno numero apud Spachium l. c. p. 313. seqq. ut & a Cl. Grævio, post præfationem in Epistolas Famil. recensentur. Atque hic etiam omnes illos novissima editione sua collegit. Eminent vero inter omnes Paulus Manutius, cui palmam in eo genere nemo dubiam redder. Gaddius T. I. p. 98. Budæum quoque refert Commentarium in Epistolas familiares scripsisse, de quo nihil alias mihi constat. Philosophica Ciceronis a variis illustrata sunt. Libri de Legibus prodierunt cum Commentario Adr. Turnebi, Paris. 1557. in 4. Tusculanæ Quæstiones cum Commentario Joach. Camerarii Paris. 1558. & cum notis Franc. Fabricii 1568. Academica Quæstiones cum Commentario Turnebi 1553. Libri de Officiis, primus recentis typographiæ parvus extiterunt, editi añ. 1466. Commentatores eorum sunt Aldus Manutius, Car. Langius, Fulv. Ursinus, Dion. Lambinus, Franc. Fabricius, Des. Erasmus, M. Ant. Muretus, Joach. Camerarius, Petr. Victorius, Phil. Melanchthon, Hier. Wolffius, Xyftus Berulejus, Wolffg. Anemæcius, Pet. Balduinus, Pet. Ramus, Franc. Sylvius, El. Vinetus, Sam. Rachelius, alii. Tanti nempe omni tempore Viris doctis Officia Ciceronis visa sunt; quorum pretio vel inde etiam decedere aliquid Hugo Grotius olim existimabat, quod omnium manibus terantur. Ceterum Commentatores modo laudatos quinque priores integros, reliquos omnes magno cum judicio excerptos, dedit, suasque insuper notas, verbis ac rei lucem uberissimam affundentes adjecit in exquisitissima Editione sua Joh. Georg. Grævius, Amstelod. 1688. in 8. Cato Major Ciceronis, Lælius, Paradoxa, & Somnium Scipionis jurgi solent Officiis, & hinc plurimorum quoque laboribus illustrantur. Seorsim Catonem Majorem illustravit Ludov. Vives libello, cui titulus, Animæ Senis: cui addi quoque potest Gabr. Paleotus in Tr. de Bono Senectutis. Lælium, seu de Amicitia Dialogum, illustravit Victorius Strigelius, & alii nonnulli. In Paradoxa fuse, copiose, & ut Wolffius judicat, ad ostentationem ingenii sui, scripsit M. Anton. Majoragius. In fragmentum libri VI. de Republica, quod sub titulo Somnii Scipionis superest, e veteribus copiose scripsit Macrobius: in quod etiam extant Ludov. Vivis Vigiliæ. Atque hæc de editionibus & Commentatoribus Ciceronis dicta sufficiant. Ceterum, si eloquentiæ Ciceronianæ reprehenses supra enumeravimus, paucis etiam *censores* alii nunc sunt enarrandi. Exquisitissimos Ciceronis libros Officiorum aggredi, & criminationibus seu calumniis potius variis onerare, veritus non est Cælius Calcagninus, editis eam in rem anno 1543. Disquisitionibus: sed queis M. Anton. Majoragius & Jacobus Grifolus commodum occursum ivere, ille Dispunctionibus, hic Defensionibus, maledica convitiato-

ris crimina dispungentes: ac proinde etiam dignas merito judicavit Cl. Grævius, Dispunctiones Majoragii, quæ una cum Calcagnini Disquisitionibus, in nova sua Officiorum Cic. editione reciderentur. Verum ipse ille Defensor Ciceronis MAJORAGIUS alia ratione Censor illius est, seu iniquus potius reprehensor, dum nempe Paradoxis Ciceronianis *Anti-Paradoxa* opposuit, Ciceronem plane ignarum Philosophiæ, & torius Dialectices expertem, demonstraturus: quam scedissimam calumniam vocat, & contundendam sibi sumit Sanctius in *Minerva* p. 252. seq. Jam olim vero Marius Nizolius, non diu post edita *Anti-Paradoxa*, Majoragium data ad illum objurgatrice Epistola confutare instituit: sed pessime ab hoc exceptus primo Apologia, tum &, cum Nizolius Antapologiam opposuisset, duobus Reprehensionum libris, Mediolani Ann. 1549. editis. Conciliatorem inter litigantes egit Seb. Corradus: prout *Tom. I. Polyhistoris lib. I. c. 25. §. 26. sqq.* ex epistolis ineditis Guadianis, commemoravimus, (quæ, cum editæ jam sint, dicta tum temporis confirmant; suntque hoc ordiné legendæ. Nizolii epistola ad Majoragium num. XLVII. p. 132. seqq. Majoragii ad Cicerinum n. XL. & XLI. p. 126. & tres Corradi ad Major. XXXIV. XXXV. XXXVI. p. 121. seqq.) Versus Ciceronis, in quibus pangendis non nimium felix videbatur Orator incomparabilis, ludum etiam de se jocumque inimicis dedisse notum in vulgus est. Sed tamen jocos illos magis lingua, quam animo, fuisse dictos Janus Nic. Erythræus existimat, cui versus M. Tullii nitidissimi lepidissimique videntur. Idem Nicius ægre fert, objectam Ciceroni ab Hieronymo imperitiam linguæ Græcæ, ac si vim ejus sermonis in vertendo parum feliciter esset affecutus. Ipse vero se magna perfundi voluptate profiteretur, quoties dulces ac perspicuos locos illos perlegat: *quod sibi non contingere ait in iis, qui, hanc bene interpretandi laudem suam esse propriam ajentes, ita perplexe, ita insuaviter, ita inamene loquuntur, ut celeriter fastidio & satietate a se homines abalienent.* Neque etiam credibile ullo modo esse addit, eum, qui in ipsa Græcia a magistris optimis edoctus toties Græcæ declamarit, ac commentatus sit, Græci sermonis proprietatem ignorasse. vid. *Pinacoth. III. p. 34. 35.* De plagii crimine, cujus a Græcis jam olim reus postulatus Cicero, ab Hieronymo autem absolutus est, vid. *Thomas. de Plag. Liter. §. 392.* Nos, de Cicerone plus fatis pro instituti ratione dictum putantes, ad alios nunc Auctores Latinos pergimus.

• Et quidem is, qui Historiam ejus, quod Catilinariam conspiracyonem attinet, exposuit, cetera non usque adeo amicus Ciceroni, CRISPUS SALLUSTIUS, eum primo excipiat: qui non eandem ab omnibus laudem retulit: inveniunt enim multi in eo, quod reprehendant. Brevitatem illi tribuunt omnes: ea vero, judice QUINTELIANO l. X. c. 1. nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius: illi contra vitio illam ei vertunt. Quos inter JOH. PETRUM MAFFEJUM quoque fuisse Erythræus refert *Pinacoth. II. p. 53.* *Illud, inquit, in eo ferendum non erat, quod Sallustium Crispum, Romanæ decus historiæ, ad sui judicii calculum revocare & damnare videbat; ideo fortasse, quod divinam ejus prudentiam, illustremque brevitatem, qua nihil est in historia dulcius, se imitari posse dissideret: nam tantum quisque laudat, quantum se*

imitari posse non desperat. JUL. CÆS. SCALIGER *lib. IV. Poëtices* c. 24. plane miratur, & sibi nondum compertum ait, quamobrem Sallustio attributa sit ab omnibus præter ceteros brevitatis: qui enim prælongas haud raro conciones inserat, quas nullus habuerit Imperator; qui toties ad alia a proposito exspatiatur; qui, Catiliniæ conjurationis historiam traditurus, ipsamet urbis Romæ initia arcessat; illum vero prolixum potius, vel etiam nimium, supervacuumque, vocandum censet. Sub finem capituli tamen, in eo ipse brevitatem Sallustii agnoscit, quod tribus verbis integras expleat sententias, non circumducatur, non interponatur, asyndetis utatur, & omittat verba. Quapropter causas omnino habuit, ut Scaligerum confutaret, Leo Allatius, in libro de Erroribus magnorum virorum in dicendo p. 36. qui legi potest. Judicium BARTHII de Sallustio vid. Adversar. l. XLVIII. c. 19. SCHEURLII in Statua Mercur. Sect. II. P. II. c. 8. & BOECLERI in Dissert. de Eloq. Civili. SCIOPIUS, in Dissertatione de Rhetoricarum Exercitationum generibus pag. 13. & 14. Sallustium exagitat, ut κακόζηλον, verborum obsoletorum & archaismorum strenuum affectatorem; quod etiam non omnino falsum est. In scribenda historia Crispus Thucydidem sibi imitandum fuit: uti deinde Sallustium imitatus Tacitus est. Fuit, cum Sallustius, doctorum apud Romanos hominum judicio, primas inter Historiographos Latinos partes obtinere visus est. Hinc Martialis:

*Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Primus Romana Crispus in historia.*

Editiones ejus variæ sunt. Ut enim Aldinas, Argentoratenses, Colonienfes, raceamus: prodiit in fol. Sallustius cum notis integris Variorum Basil. 1564. Auctores notarum atque commentariorum illorum sunt Barthol. Zanchus, Henr. Glareanus, Jac. Bononiensis, Joh. Chrysof. Soldus, Jod. Badius Ascensius, Laur. Valla, Omnibonus Leonicensis, Vincent. Castilioneus. Aliam editionem integris notis variorum H. Glareani, Joh. Rivii, A. Manutii, Auf. Popmæ, J. Palmerii, Pet. Ciacconii, Fulv. Ursini, El. Putschii, J. Doufa, & suis, instructam Francof. in 8. edi curavit Jans Gruterus. Similiter Ludovicus Carrio Sallustium a se recensitum, suisque & Joh. Rivii, Manutii, Cypriani a Popma notis illustratum, e Plantiniana officina in 8. 1597. prodire jussit. Est quoque inter optimas Auctoris hujus editiones memoranda, quæ ex recensione Pet. Victorii Florentiæ apud Juntas 1576. in 8. excusa est. In Belgio Ant. Thysius, cum selectis variorum notis, Sallustium prodire jussit Lugd. Bat. 1649. in 8. Aliam integris aliquorum notis instructam ejus editionem accuravit Joh. Frid. Gronovius 1665. 8. Joh. Jansonius nitidam quoque Sallustii editionem dedit Amstel. 1667. in 12. vel propterea commendandam, quod quamplurimam deperditorum veterum Historicorum fragmenta, ab Aufon. Popma collecta, subjuncta habet. In usum Delphini Sallustium Dan. Crispinus edidit Paris. 1674. in 4. Præter illos vero Commentatores, quos diximus, Laurent. Crassus Paulum quoque Benium, morosum istum veterum Auctorum censorem, memorat in Elogiis Hominum Literator. P. II. p. 83. & Iohannem Delphinum, patritium Venerum, Patriarcham Aquilejensem,

sem, quem in Bellum Catilinarium scripsisse refert p. 209. & 211. Notis politicis & historicis Sallustium illustravit Christoph. Ad. Rupertus, Noribergae 1671. in 8vo.

Sallustio atque Ciceroni coævus, C. JULIUS CÆSAR, tot rebus maximis gestis æternum per universum orbem nomen adeptus, inter Auctores etiam Latinæ linguæ præcipuos locum haudquaquam infimum sibi vindicat; nempe non minus insigni facundia, quam fortitudine exquisita, clarus. Illum certe MANUTIUS Historicis Latinorum omnibus præfert, in *præfatione Commentarii in Cæsarem*; & LUDOV. VIVES, in *Lib. de Tradendis Disciplinis*, adeo Cæsaris libros commendat, ut prima etiam ætate, una cum Epistolis Ciceronianis, legendos existimet: quem tamen ea in re haud immerito confutavit Joh. Schefferus *lib. de Stylo*. Sunt, qui putent, librorum de Bello Gallico auctorem Cæsarem non esse, uti nec eorum, de civili sive Pompæjano: de prioribus id LUDOV. CARRIO, de posterioribus FRANC. FLORIDUS SABINUS affirmavit, Julio nempe Celso (qui tamen seculi XV. Scriptor non nisi recensuit commentarios Cæsaris & emendavit) eos adscribentes: quos Ludovicus Caduccus male Orosum secutus Suetonii opus esse, existimabat. Verum iis omnibus satisfecit Gerh. Joh. Vossius, in *Historicis Lat. l. I. c. 13. pag. 62.* quanquam & jam olim Lipsius dissensum suum ad Carrionem non dissimularit, *Epistolic. Quæstion. l. II. ep. 2.* (Hujus tamen, ut puto, Carrionis vestigiis inhæsit auctor ridiculæ opinionis nescio quis; quem Isaacus Vossius, prudentem cetera, magnæque apud suos auctoritatis, vocat, sibi que in familiari congressu sæpius affirmasse refert: scripam a se, post plurium annorum cogitationes, luculentam de Cæsaris de Bello Gallico Commentariis dissertationem; quæ invictissimis argumentis omnia illa falsa esse evinceret: nec Cæsarem transiisse unquam Alpes, nec vidisse Galliam. Quæsitum vero, quibus rationibus & testibus tantam rem peregisset? respondisse: mille testium loca, ad hoc probandum, suffecisse sibi rectos bonosque sensus, quos semper sequitur. *vid. Jf. Voss. Respons. ad objecta Crit. Sim. p. 336.* Sane vix poterat quicquam magis ab omni ratione bonisque sensibus alienum excogitari: si modo ira censuerit serio quispiam, & non joco Vossius suis lectoribus imponat.) Stylum Cæsaris, quem in commentariis adhibet, strigosum MASENIUS vocat: ineptæ sane: non poterat enim alio sermonis genere uti Cæsar, Commentarios scribens, quibus succi plena aliqua Oratio non conveniebat. Et adeo quidem nihil purissimæ Cæsaris Latinitati quicquam præjudicat istud Masenii judicium, aut Lipsii quoque, qui lib. IV. Poliorcet. Dial. IX. non nimium præclare de illa sentit, ut eis contra facile Quintilianus, peritissimus dicendi magister, os obstruat; cum lib. X. c. 1. Instit. ait: *C. Cæsar, si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur tantâ in eo vis est, id acumen, ea concitatio; ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat. Exornat tamen hæc omnia mira sermonis, cui proprie studiosus fuit, elegantia.* Exprimendum sibi e Græcis Cæsar haud infeliciter sumit Xenophontem. Fidem in Commentariis C. Cæsaris desiderant nonnulli, quos inter olim Asinius Pollio imprimis multa desideravit: sed qui assiduus erat optimorum quorumvis calumniator;

non adeo a nobis attendi meret, vid. de ea re Vossius pater in *Histor. Lat. l. c.* & Scheurl. in *Stat. Mercuriali. P. II. Sect. II. c. 9.* Septem de bello Gallico libris Commentariorum Cæsaris octavum adjecit A. HIRTIUS PANSÆ, familiaris ejus, Balbo nuncupatum. Idem & Commentarios de Bello Alexandrino, & de Africano cum Juba, composuisse eo majore consensu creditur, quod ipsemet in epistola ad Baldum a se scriptam bellorum eorum historiam fidem facit. Sed tamen, jam Suetonii tempore, dubitatum fuit, Hirtius an Oppius horum æque & Hispaniensis bellorum in commentariis relatorum auctor sit: ita tamen, ut Suetonius ipse magis ad Hirtium propendere videatur. vid. *Sueton. Cas. c. 56.* Hispaniense bellum a Balbo descriptum suspicatur Vossius. Idem Julii Celsi Commentarios de Vita Cæsaris, an. 1473. editos, primus indicavit. (Clar. Grævius vero in elegantissima Cæsaris editione nupera A. 1697. in 8. denuo eos edidit.) Græcus librorum de Bello Gallico interpres, quem, ex Bibliotheca Pauli Petavii, primus Godofr. Jungermannus edidit, num Theodoros Gaza, an vero Maximus Planudes, sit, ambigit, in lib. de Claris Interpr. Huetius; ita tamen de illa judicat, ut nec impuram dicat esse, nec inventam. Prodiit illa Jungermanniana Cæsaris variorum Henr. Glareani, Aldi Manutii, Franc. Hotomanni, Joh. Brantii, Andr. Schotti, Fulvii Ursini, aliorumque, & ipsiusmet Jungermanni, Commentariis integris illustrati editio Francofurti 1606. in 4. etiam 1669, sed parum feliciter, recusa. Plurimæ vero sunt Cæsaris editiones aliæ, Aldinæ, Gryphianæ, Plantinianæ, Basileenses, Parisinæ, &c. quas recensere hic nimis longum foret. Ex recensione Jos. Scaligeri. prodiit Cæsar Lugd. Batav. 1606. in 8. sæpe per Germaniam, sed, ut sit, infelicius semper recusus. Cum variorum selectis notis Cæsarem Arnoldus Montanus Lugd. Bat. 1651. & 1680. in 8. dedit: in usum Delphini Paris. 1678. Joh. Godwinus. Dedit etiam superiore seculo Cæsaris Commentaria, a se emendata, suisque & Hotomanni commentariis illustrata, Jac. Strada, Francof. in fol. quæ editio plane egregia est. Ineditas Dionysii Vossii notas in Cæsarem in Isaci fratris bibliotheca latuisse, Colomesius in Opusculis p. 141. refert. Silentio autem hic prætermitti non debet inigne plagium Fulv. Ursini, quem suas in Cæsarem notas maximam partem Petro Ciacconio, amico, debuisse, & illius tacito nomine vulgasse, jam olim Joh. Brantius, & ex eo Thomafius Diff. de Plag. Liter. §. 583. annotavit. Namque, ut erat Ciacconius in emendandis Auctoribus mire sagax, adeo, ut, dicente Erythræo Pinac. I. pag. 192. Auctorum eorundem animi immigrasse quasi in ipsum, suamque illi de iis rebus, quæ erant in quæstione, sententiam quodammodo aperuisse, viderentur: ita nihil minus erat, quam suarum rerum ambitiosus aut invidus, sed cum amicis quam lubentissime omnia communicavit. Ita factum, ut & ad Fulvium notæ in Cæsarem pervenirent: quas cum, post Ciacconii mortem, ab Andr. Schotto Joh. Brantius accepisset, suo domino a Fulvianis separatas restituit. Ceterum est quædam Italica Operum Cæsaris translatio, ab Andr. Palladio, architecturæ civilis & militaris peritissimo virò, adornata, editaque Venetiis 1619. in 4to. quæ maximi habenda est, omnibus quippe commentariis accuratior meliorque, ob exquisitam rerum & actionum per imagines repræsentationem. (Parem imaginum curam Clar. Grævius quoque

quoque gessit in postrema, quam nuperrime dedit, Jul. Cæsaris nitidissima editione, A. 1697. una cum Jul. Celsi libro de vita Cæsaris, Ultrajecti, uti diximus, emissa.)

Ante Cæsaris dictaturam, eo Dictatore, & postea, vixit CORNELIUS NEPOS, M. Tullii amicus, familiarisque, teste Gellio, optimus Latinitatis Auctor, e cujus tot scriptis, quæ apud Veteres laudantur, & quorum historiam accurate Vossius exposuit *Hist. Latin. l. I. c. 19.* nonnisi *Vita illustrium Imperatorum*, nec eæ quidem integræ, hodie supersunt: siquidem quæ de Romanis Imperatoribus scripsit, excepta Attici Vita, & Catonis Vitæ compendio, perierunt. Vulgo *Æmilius Probus* dicitur, & sub hoc nomine veteres aliquot editiones prodierunt: suntque haud pauci, qui *Æmilium* auctorem putant esse *Vitarum*, quæ exteros Imperatores sistunt. Sed eos vehementer falli, & *Æmilium Probum* librarii fuisse nomen, qui *Cornelii Nepotis* vitas *Theodosio Imp.* obtulit post *Savaronem*, Vossius l. c. ostendit. Idem, tacito quidem nomine, *Barthium* confutat, existimantem, *Vitas* illas *Cornelii ab Æm. Probo* in compendium esse redactas, solamque *Attici* vitam integram adhuc atque genuinam superesse: qua in re multum falli *Barthium*, nec operis concinnitatem ævum *Theodosianum* admittere, non Vossius solum ostendit: sed & *Janus Gebhardus*, in *Spicilegio* suo ad præfationem *Corn. Nepotis*, & in *Not. ad vitam Datamis*: *Scioppius* quoque, nascutus adeo veterum Auctorum censor, nihil in *Nepote* reperit, quod sequiorem ætatem spiret. Utinam haberemus ceteros ejus Auctoris libros *Chronicorum*, exemplorum, *librum Illustrium Virorum*, qui scriptis inclauerunt, qualem de *Historicis Græcis* se scripsisse in *vita Dionis* auctor est, & de *Latinis Historicis*, alium ab illo structum, tum ex antiquo *Gifanii* quodam Codice, tum ex rationibus aliis, Vossius observat: neque dubitat, vitam *Attici*, *Ciceronis*, ampliolem *Catonis*, singulas ejus libri partes fuisse. Quicquid ejus sit, haberemus utique, si modo superessent plures præstantissimi Scriptoris fœtus, magnos historię & Latinitatis thesauros. Prodierunt Opera *Nepotis*, quæ supersunt, cum emendationibus & notis *Dion. Lambini*, *Parisi* in 4to 1569. quamquam *Obertus Gifanius* multum de surreptis sibi a *Lambino* per plagium notis suis conquestus sit: qua de re vid. *Thomasius de Plagio Liter. §. 448. lit. e.* In colligendis fragmentis *Nepotianis* omnes facile vicit *Andr. Schottus*, a cujus manu eximiam habemus *Nepotis* editionem, *Francofurti* in fol. 1609. excusam. Eodem loco anno præcedente 1608. Vitæ imperatorum *Cornelii*, cum notis *Lambini*, *Guyb. Longolii*, *Hier. Magii* & *Joh. Savaronis*, lucem aspexerunt. *Savaroniana* editio primo *Parisi* minuitiore forma An. 1602. prodit. *Jani Gebhardi* *Lugd. Bat.* 1644. in 12. & *Lipsiæ* An. 1653. *JOH. HENR. BOECLERI* editio sexties minimum prodit *Argentorati*: nam hoc ipse in præfatione testatur sextæ suæ, A. 1656. cum egregio *Commentario pragmatico*, ut solent esse *Bœcleriani*, & indice doctissimo, excusæ. *Indicem* illum *Bœcleri Vorstius* augere voluit, falsa se etiam expunxisse, & transposita suis locis reddidisse, gloriatus in præfat. suæ editionis, A. 1662. *Lipsiæ* in 8. vulgaræ: ubi multa de *Corneliani*, aliorumque indicum, defectu habet. Enimvero malam ea re gratiam iniit apud *Bœclerum*, qui multa reprehendit in hoc indicis sui augmento, præfatione *Comment. sui in Vellejam*. Apud *Bata-*

Baravos cum notis variorum, Rob. Keuchenio curante, in lucem emissus est Ne-
 pos Lugd. Bat. 1675. in 8. quo ipso anno Parisiis, in Delphini usum, Nicol. Cour-
 tin eundem edidit. Est & quædam hujus anni Oxoniensis editio, e Theatro Shel-
 doniano profecta, quæ reliquis Græcorum Impp. ex MSS. vitam Aristomenis
 Messenii additam habet. Aug. Buchneri notulæ, cum quibus aliquoties excusus
 Cornelius est, ab Auctore minime videntur eum in finem scriptæ, ut ederentur: si
 quidem nuda tantum est paraphrasis Latina atque Germanica. Omnium vero Ne-
 potis editionum absolutissima mihi videtur, quam adornavit JOH. ANDR. BO-
 SIUS, secundavice, cum luculentissimo indice, suisque notis edita Jenæ in 8. 1675.
 (Commodissima etiam est, quam ad juventutis usum, Chronologicis atque Geogra-
 phicis tabulis, notisque novis, instructam emisit Clar. CHRISTOPH. CELLARIUS
 Lipsiæ 1689. in 12.) Pomponii Attici vitam separatim, cum notis, Glossario, &
 Nomenclatore, Henr. Ernstius apparavit Lugd. Bat. 1637. in 16. *Daretis Phrygii*,
 qui circumferuntur, de *Bello Trajano libros VI.* a Corn. Nepote translatos credide-
 runt olim nonnulli; nemo hodie, cum omnes immane dictionis discrimen videant:
 ut adeo Vossius haud abs re in Glandorpio id credente judicium desiderarit: de
Histor. Lat. l. III. p. 701. Interim ex hac de Nepote, Daretis interprete, fama erro-
 nea error alius, atque is multo gravior, ortus est: ut nempe Cornelio adscribere-
 tur *Carmen heroicum libris VI. historiam belli Trojani pandens*, exprimensque Daretem,
 cujus Autor prima etiam facie sese prodit recentiorem, quamquam non indoctus
 ille sit, imò sæpe plusquam opus erat, argutus: cujus Censuram instituit Mase-
 nius in *Palestra Eloq. Ligata l. II. c. 6. § 14.* Est vero is auctor Josephus Iscanus, sive
 Devonienfis, vel Devonius, sive demum Excestriensis (omnibus enim istis nomini-
 bus compellatur, viderique potest ratio illorum apud Vossium *l. c. p. 450.*) sub ini-
 tium Seculi XIII. Johanne tùm apud Anglos scepra moderante, clarus: Balduino
 Cantuariensi Archi-Episcopo, patrono suo, & hos, & alios libros plures, nuncu-
 pans. Adeo magni vero istud Iscani de bello Trojano carmen, tot figuris atque
 descriptionibus ornatum, facit Gabr. Naudæus, in Addition. ad Historiam Ludo-
 vici XI. pag. 149. ut cum Joviano Pontano & Hier. Fracastorio ejus Auctorem
 comparet. Fatendum tamen, quanquam in illo sint non pauca, quæ laudem, præ-
 fertim in ea seculorum barbarie, justissimam utique merentur, longe tamen inesse
 plurima frigida atque affectata. Primus illud Poëma publicavit Albanus Tori-
 nus, Basil. 1541. in 8. nostro autem seculo An. 1620. cum notis Samuel
 Dresenius, Dithmarsus: qui &, in præfatione ad lectorem, de Iscano auctore
 multa habet.

- II De TITO LIVIO, historiæ Latinæ principe indubio, aurei Augustei ævi
 maximo ornamento, & in quo grandior sublimitas dictionis cum lactea ubertate
 summum fere apicem consecuta viderur, eo nobis nunc brevioribus esse licet, quo
 plenius de illius sermone, libris, deperditorum spe vel exigua vel nulla, monumen-
 tis, æmulis, Criminatoribus &c. in Dissertatione satis ampla de *Livii Patavinitate* egi-
 mus, quam hic in compendium contrahere plane non lubet. Tantum de *editionibus*
 quædam commemorabimus. Omnium primæ sunt Romanæ duæ, quas eodem
 tempo-

tempore bini Italiae Episcopi, Joh. Andreas Aleriensis, & Joh. Anton. Campanus Interamniensis, adornarunt dederuntque novo tunc imprimendi artificio excusas, ille an. 1470. hic 1471. & 1472. Ista infecuta sunt Mediolanensis 1478. Tarvisina a Luc. Porro recensita 1482. Venetæ duæ apud Barth. Zanetum una a Porrefio An. 1498. & altera a Geörg. de Rufconibus, Mediolanensi, 1501. procurata. Inde Jodocus Badius, Ascensius, Paris. An. 1513. munitam variis lectionibus Livii editionem exhibuit: Et, cum omnes hætenus editiones in libro 33. & magna parte quadragesimi, finiissent auctorem, Moguntinenses An. 1618. ediderunt, Ulr. Hutteni & Erasmi Epistolis honestatam. Eodem anno, & infecutis duobus, Aldina minoris formæ III. tomis apud Afulanum excusa est, cum quamplurimis optimæ notæ Codicibus collata: quam hæredes Phil. Juntæ Florentiæ A. 1522. denuo expresserunt. Post hæc Editiones memoranda præcipue Basileensis Frobeniana A. 1535. quæ non solum tres Decades, ab aliis jam excusas, stirit, sed & dimidiam, quartam e monasterii Lauriffeni bibliotheca erutam: curam gerentibus Sim. Grynæo, Erasmo & B. Rhenano, una cum notis virorum doctõrum quorundam, & Chronologia Henr. Glareani. Exinde epitomas amissorum librorum, quas reliqui hætenus neglexerant, studiose adjecit, Liviumque omnem, serio castigatum, suis scholiis & nova Chronologia illustravit, Car. Sigonius, operæ impensas ferente Paulo Manutio, Venet. 1555. qui denuo editionem istam A. 1566. repetiit, demptis tamen nonnullis Sigonii scholiis, & interspersis aliquibus Franc. Robortelli atque Glareani: hæc tamen iterum omisit Aldus nepos, & Sigonianam editionem solam tertium expressit A. 1592. Manutianum textum expresserunt quoque Francofurtenses, & notas variorum Virorum doctõrum adjecerunt Tomis II. in fol. 1578. Aliæ sunt Francofurtensium editiones, quæ Jani Gruteri nomen præscriptum habent in fol. & in 8. 1619. sed quæ non adeo multum ejus curæ accessit, cum, ob absentiam viri docti, mendosissime excuderentur. Adjectæ sunt illis editionibus notæ in Livium Wilhelmi Godelevæi, cum quibus antea Londini A. 1589. in 8vo jam excusis erat. Transeo nunc editiones alias Francofurtenses, Basileenses, Argentoratenses, Lugdunenses, Parisienses (nisi quod ex his ultimis unam Mich. Vascosani de anno 1551. commemorabo,) & quæ aliis etiam in locis infinitæ propemodum excusæ sunt. Lib. XLIII. initium, quod ad eum usque diem deerat, e Bambergensi quodam perversto Codice, eruit An. 1615, Joh. Horrion, Jesuita illius loci, qui descriptum illud Barthol. Urbinati transmisit, hujus cura mox Venetiis, cum notulis, Ant. Quærengi, editum: sed An. 1617. ipsemet Horrion inventor, emendatius multo fragmentum illud Paderbornæ, tacito licet suonomine, vulgavit. Et quanquam Vossius, in *Hist. Lat.* p. 94. fucum fecisse Horrionem non dubitet, nec genuinum esse Livii factum partem illam credat; vindicat tamen illam animose Joh. Frid. Gronovius, Vir eruditissimus, & cui uni Livius longe plurimum debet, in *præfat. suæ edit.* in qua & magno studio Livianas editiones recenset, & de suo instituto ita differit, ut nihil ab eo esse prætermisum, quod ad ornandum ullo modo Auctorem præstantissimum pertinere existimabat, facile videas; idque magis adhuc, si textum ipsum atque notas evolvas. Ter autem editio Gronoviana

semper emendatior nitidiorque in lucem prodit: primo quidem in 12. an. 1645. 4. volum. tum tribus in 8. maj. A. 1665: subjectis unicuique paginae, non (ut in prima editione factum) separatim excusis notis Gronovii, quæ Sigonii integræ, & selectæ Variorum adjiciuntur: demum tertia vice A. 1679. eadem forma, filio Jacobo obstetricante, edita est, & ab hoc etiam adjectæ notæ novæ. (Nec vero dubium, quin idem Vir Cl. JAC. GRONOVIVS, si quando forte nova editione repeti Livius opus habeat, eum multo emendatiorem adhuc edirurus sit, cum Marqu. Gudii Livium, cum triginta circiter MSS. codicibus studiosissime collatum, interea nactus sit, ingens novæ editionis adjumentum.) Ante Gronovium Dan. Heinsius quoque in restituto Livio laboravit, & recensitum a se ex officina Elzeviriana tribus tomis in 12mo. A. 1634. emisit, quæ editio A. 1653. repetita est. His omnibus tamen editionibus præstat adhuc Parisina, in Delphini usum a Joh. Doujatio luculente admodum, tomis V. A. 1678. 80. & 81. adornata: quæ, præter interpretationem vocum difficiliorum, notas tam Criticas, quam historicas aut Philologicas, Effigies clarorum Romanorum e numis petitas, fastos magistratuum, aliæque ad illustrandum Livium pertinentia, Supplementa etiam Liviana integra, a Joh. Freinshemio CV. libris adornata, continet. Nempe, cum maxima Operum Livianorum pars intercederit, absque etiam magna recuperandi spe: medelam ingenti jacturæ haudquam vilipendendam attulit JOH. FREINSHEMIUS, & ex aliis Scriptoribus, stilo non inconcinno *Supplementa Liviana* struxit: quorum quidem libros X. primos, secundæ Decadis supplementum, Holmiæ A. 1649. in 12. Christinae Suec. Reginae nuncupatos, edidit: redux ex itinere munereque Suecico, decem illis, jam editis, 50. alios adjecit, nempe Decadis quintæ dimidium, tum integras sextam, septimam, octavam, nonam, decimamque dimidiatam, Argent. A. 1654. recusas ibidem 1672. in 4. Reliquos autem 45. libros, decadis decimæ partem posteriorem, tum undecimam, duodecimam, decimam tertiam atque decimam quartam, cum apud Hæredes diu in scriniis delituisse, ab iisdem redemptos, tandem DOUJATIUS publicavit: ut adeo justum nobis historiæ Romanæ Systema dederit; Priores 60. libros Freinshemianos Gallice quoque, una cum Livii operibus transtulit Gallus auctoris hujus interpres, Petrus Ryerius, Lugduni A. 1663. in 12. tom. XIV: Itala veste Livium induit Jac. Nardus, Venet. in fol. 1554. Germanicæ etiam versiones Livii duæ sunt, Zachar. Münzeri, una Hanov. An. 1568. fol. & recentior altera Argentinenfis A. 1574. cui nomen Interpretis additum non est. Hæc de editionibus atque translationibus Livianis: nunc de *Vite ejus historia* duobus verbis quædam annectemus. Sebastianum Maccium de Historia Liviana volumen integrum, idque satis amplum, scripsisse Jan. Nic. Erythræus Pinac. I. imag. 152. testatur. Vitam Livii singulari etiam libro descripsit Jac. Phil. Thomasinus, in quo magno cum apparatu recensetur fabula de brachio Livii reperto, & Patavii denuo non sine magna pompa sepulto, exstructo etiam una monumento: qua de re Laur. Pignori quoque in Originibus Paduanis, Ital. Idiomate scriptis, agit. Verum non recte cepisse bonos illos Viros inscriptionem, quæ de Livio quodam liberto agit, primus illos Marqu. Gudius monuit, cui tamen aurem non præbuere, ne scilicet pretiosum

sum antiquitatis *καμψύλιον* ipsis interiret. Aliter tamen sensit Gronovius, qui, cum in prima editione inscriptionem istam proposuisset, monitus in iterata delevit. Conf. Vossius de *Histor. Lat. l. I. c. 19.* & Scheurlius *Stat. Mercur. P. II. Sect. II. c. 9. pag. 125. sq.*

Ab Historicis aureæ ætatis ad Poëtas vel pergimus, vel revertimur, 12 postquam scilicet supra jam de eorum aliquibus dictum est. Primum vero hic nominamus celebrem Epicuræ Philosophiæ sectatorem, TITUM LUCRETIVM CARUM cujus *de Rerum Natura libros VI.* per intervalla furoris, e poculo amatorio contracti, scriptos, & a Cicerone postmodum emendatos, habemus. Latinitatem ejus tanti æstimavit Jos. SCALIGER, ut eo ne quidem esse meliorem Latinae linguæ Auctorem judicaverit *Prim. Scalig. p. 104.* Utrum plures quam VI. qui supersunt, libros scripserit, quod contra aliorum opinionem Lambinus probatum it, in medio relinquimus: illud haud dubie verum est, graviter, eleganter & docte scriptos esse libros, quos habemus, quod CONR. GESNERI judicium est: nec desunt, quæ ad loca Ciceronis atque Quintiliani, Lucretio facilitatem sermonis & ingenium abrogantia, obverti possunt; prout inter alios monet Henr. Jul. Scheurlius *Stat. Mercur. P. II. Sect. II. c. 5. de Lucretio prolixè agens.* Primus Lucretium e veteribus membranarum edidit Hieron. Avantius apud Aldum Venet. A. 1500. in 4to & 1515. in 8. inde Florentiæ atque Basileæ recusum: sed, cum mendis pene infinitis scateret, medicas illi manus admoveere cœpit Mich. Marullus, ipse tamen audaci nimis correctione plurima corrumpens; sed in aliquibus interim non infelix. Post hunc idem Joh. Bapt. Pius tentavit: cum cujus commentario Lucretius A. 1514. apud Joh. Badium Paris. editus est in fol. Utroque longe fuit felicior Dionys. Lambinus, qui edidit probe castigatum a se Lucretium cum commentariis Paris. in 4. 1563. Hanc editionem Gifaniana secuta est: ab Oberto nempe Gifanio mille locis emendata, notis ac imprimis indice copiosissimo instructa, Antwerp. 1566. in 8. & Lugduni Batav. apud Raphelengium 1595. recusa: qui etiam multa in illa editione præstitisse sibi met ipsi visus est; verum pessime cum illo labore suo exceptus Gifanius, triplicisque plagii reus verbis atque carminibus mordacissimis a Jano Doufa & Lambino actus; ac si nempe, in emendando Lucretio, serinia Lucæ Fruterii, (popularis sui eruditissimi juvenis, Brugensis, qui moriens commentationes suas amico Gifanio publicandas commiserat,) Victoris Gifelini, ipsiusque adeo Lambini, compilasset: qua de re prolixè admodum Thomafius *Dissert. de Plagio Litterar. §. 445. 446. 447. 448.* agit, ipse ad excusandum in lite cum Lambino Gifanium eo promptior, quo iniquiorem callidioremque illius animum ex epistolis Mureti atque Gifanii muruis collegit. (Enimvero, etsi de Lambini maligno etiam animo nobis constet, non minor tamen impudentia Gifanii quoque fuit, si Scaligerum audias, in epistola ad Scip. Gentilem, quæ est in Appendice Gudianarum. XXV. pag. 356. ita scribentem: *Audî Gifanium testamento sua opuscula & lucubrationes Rittershusio legasse. ea conditione, ut ab eo ederentur. Memini me ante biennium illi longam epistolam scripsisse, in qua non solum locos Lucretii, de quibus consuluerat me, explicabam, sed & multa alia adjeceram, quibus editionem Lucretianam exornaret: quam, tametsi ac-*

cepisset, tanta tamen fuit ejus impudentia, ut negaret, ad se pervenisse. Idque semper solebat facere, ut sibi attribueret ea, quæ ab aliis didicerat, & si quis plagii eum postulare vellet, habere: ἀποδοσίου paratam, se nullas literas accepisse. Bis terve ausus est apud amicos nostros queri se nihil literarum a nobis accepisse, qui omnes, quas illi scripsi, recte accepit. Sed eum hominem nunquam fuisse puto, qui & in illis sordibus, quas omnes norunt, vixit, & nullum amicum sibi quaesivit; & qui bene de illo meriti erant, illis se quoque nihil debere profitebatur. Interest tamen Reip. literariae, ejus lucubrationes edi. Fuit enim doctior, quam probior; & nos ejus doctrinam probamus, mores execramur. Hæc Scaliger, qui ferme eadem de Gifanio in Excerptis Puteanorum narrat, fordidam inprimis ejus avaritiam in magno divitiarum apparatu dominantem perstringens, sed Lucretium tamen magni æstimat. Post ejus mortem, ait, Jesuitam nescio quem complures schedarum Gifanianarum surreptas Romam abstulisse.) Ceterum Lambini editio multoties quoque repetita est, cum in tertiæ demum præfatione Gifanium sit aggressus, & illam tamen antè annum 1569. prodiisse necesse est; quo ipso nempe hic de illata sibi gravi injuria queritur ad Muretum. Editionem Parisiensem An. 1570. expressit Francofurtana An. 1583. in 8. Nostro sæculo Dan. Pareus Lucretium, cum notis suis, atque Lexico elegantiarum Lucretianarum, in lucem emisit Francof. 1631. in 8. sed Lexicon istud maximam partem è Gifanii indice compilatum est. Post hunc Johannes Nardus Florentiæ An. 1647. in 4. Lucretium, paraphrastica explanatione, & annotationibus illustratum, dedit, physice tamen magis, quam philologice, commentatus. Exinde strenuam, in emendando Lucretio, operam navavit Tanaquil. Faber, cui debemus Poëtam istum, Salmurii An. 1662. in 4. typis exscriptum, & Fabri annotationibus expolitum. (Editionem illam, absque tamen Fabri notis, additisque Mich. Fayi argumentis librorum, minuto admodum caractere, repetiit Neapoli Bulifonius An. 1693. in 12.) Prodiit & apud Belgas Lucretius. In usum Delphini Michaël Fayus eundem apparavit Paris. 1680. (infelicissime tamen istud negotium aggressus, censente nepere Lucretii editore, Thoma Creechio. qui rejecta Fayi barbara, ut vocat, interpretatione, novam paraphrasin atque notas uberiores adjecit; præter ceteros interpretes bonæ notæ Gifanium, Lambinum, & alios, inprimis etiam secutus Gassendum, quippe quem lucem maximam Lucretio, in suo de Epicuri Philosophia Opere, affudisse recte animadvertit. Prodiit illa Creechii Editio Londini A. 1695. in 8. cum antè 13. A. 1682. ibidem Anglica ejusdem versio prodiisset, magno Anglorum omnium applausu. Gallice poëtam illum, cum notis suis, edidit, Baro de Coutures Paris. 1685. in 8.)

33 Prodeant nunc Triumviri amorum, purissimi nequitiarum Scriptorum, C. VALER. CATULLUS, ALBIUS TIBULLUS, & SEXT. AUR. PROPERTIUS, in quibus sane omnia sunt mollicula, delicatula, tersa, limpidæque Latinitatis. Ut a Catullo incipiam, nolo prolixior esse in ejus elogio, non possum tamen præterire stultos censes, & inter illos præcipue JACOBUM GADDIUM, qui libro suo de Scriptoribus Non-Ecclesiast. T. I. p. 125. ita loquitur, vel rudit potius: Majoris fame ac existimati-

mationis poëta quam præstantiæ & molis, cum pauca poemata ediderit. Docti nomen obtinuit, cujus rationem ignoro, & libere fateor ignorantiam meam. His ita pro insigni sapientia sua dictis, Pet. Victorii judicium de Catullo carpit, qui Var. Lect. l. XXIV. c. 15. *Catullo nihil ingeniosius, nihil expeditius, excogitari posse, dicit. Gaddius contra iterum pag. 186. sub Florido Sabino: Judicarem doctum, ait, Catullum, si non legissem ejus carmina, in quibus nullam inveni doctrinam.* Sed nos hominem illum inficetum cum bellis suis judiciis valere jurebimus, qui ad censuram de poëtis ferendam æque aptus est, ac asinus ad lyræ cantum judicandum. Firmiora sunt tot seculorum testimonia, a quibus Docti cognomen velut proprium Catullus indeptus est, tot eruditissimorum Virorum judicia, quam ut turbare nos possit aliquis Gaddius. Cum quo eandem fovit sententiam seu furorem JOHANNES CIAMPOLUS, qui cum Virginio Cæsarino & aliis, inito quasi fœdere, vetera, pura atque incorrupto nitore fulgentia contemnens, ea de causâ in Catullum quoque graviter invehctus est, sed neminem sapientem movit: vid. *Erythrei Pinac. III. pag. 214.* JUL. CÆS. SCALIGER, Docti nomen male Catullo esse ab antiquis tributum, autumavit, cujus rationem ignorat ipse, & nil nisi vulgare reperit. Verum ei respondit Henr. Jul. Scheurlus in *Stat. Mercurial. P. II. Sect. II. c. 6.* & Catullum ex merito defendit; quem alibi ipse etiam ille Scaliger contra Cardanum strenue tueretur *Exerc. 341. de Subtil.* Ast tamen non audiri MURETUM cupio, qui, perverso quodam affectu raptus, ita extollit Catullum in epigrammate & elegia, ut omnes alios præ illo contemnat. Martialem, si cum illo comparetur, vocat aliquem e trivio scurram; plane ut Ovidii elegias Victorius nescio cujus barbarissimi, vernilitatis & affectationis, incusat: Hi vero distinguere non norunt inter elegiæ naturam, & inter dictionis characterem: utut enim Catullus superet dictionis puritate, epigrammatis tamen genio superatur. ANDR. NAUGERIUS, nobilis & poëta Italus, quotannis solenne instituebat, quo Manibus Catullianis tria exemplaria Martialis, velut victimam, immolabat, JOSEPHUS SCALIGER, Jul. Cæs. F. *nunquam plura apud ullos auctores se legisse dicebat, quæ se magis ad interpretationem S. Literarum ducerent, quam apud Aristophanem, Catullum, Tibullum, Propertium, & ejusmodi salacissimos auctores. Prim. Scaliger. pag. 20.* ad quæ verba Tanaq. Faber annotat, respexisse Scaligerum haud dubie ad locos nonnullos Mosis, Canticum Canticorum, Historiolam, quæ in libris Regum est, librum Ruth, versiculos aliquot epistolæ ad Romanos, & similia. Verum nimis profane locurus uterque est: nec decent Christianos istiusmodi cogitationes: neque verum est, si demum e lascivis istis stercorebus auri quid forte peti potest, e profanis Scriptoribus aliis non multo etiam plura, ad S. Scripturæ illustrationem, hauriri. De Catullo alias pluribus agunt Vives p. 541. Bœclerus de Scriptor. Gr. & Lat. p. 43. seqq. Barthius in Adversariis passim, lib. LII. c. 15. l. VIII. c. 22. & alibi. Idem de Tibullo l. IX. c. 19. de Propertio l. XXXII. c. 9. Catullum primus e tenebris eruit, judiceque Barthio, ex membranis vetustis, bona fide exhibuit, simul & recensitum suis commentariis illustravit, Ant. Parthenius, Lacius, Veronenfis, Venetiis A. 1488. per Andream de Patascichis excusum. An. 1493. recusa editio

ista ibidem est, additque Tibullus cum Bernardini Veronenſis, & Propertius cum Phil. Beroaldi Commentariis. Hinc ſecuti Commentatores alii magno numero: & ut plurimum junctim triga iſta Poëtarum lucem aſpexit. Sic illos edidit, ſuis commentariis & ſcholiis illuſtratos, Muretus apud Aldum jun. Venet. 1562. in 8. Joſ. Scaliger, cum caſtigationibus eruditiffimis, queis tamen, ut ipſe jurat, nonniſi Menſem unicum impendit, ex officina Pariſſoniana Pariſ. 1577. in 8. Junctim deinde horum duumvirorum labores Antwerpiae 1582. in 8. recuſi ſunt: Scaligeri etiam apud Commelinos Heidelbergæ 1600. auctiores. Interea etiam cum Achillis Stati, Luſitani, commentario Catullus impreſſus eſt Venet. 1566. in 8. & e recognitione Jani Douſæ Lugduni Bat. apud Raphelengium 1592. in 12. Indicem in tres hos Poëtas laborioſiſſimus Horatius Tuſcanella compoſuit, emiſitque cum iisdem Baſileæ 1569. recuſum Hanoviæ 1608. in 8vo ſed recte Bœclerus illum indicem magis laborioſe, quam erudite, ſcriptum judicat. Vaſtiorẽ adhuc indicem, & præterea vaſtum quoque commentarium & abſolutiſſimum, in eoſdem Poëtas ſcripſit Joh. Paſſeratius, Pariſ. in fol. A. 1608. emiſſum; quo opere nihil perfectius eſſe viſum Scioppius cenſet. Joh. Livineji & Jani Gebhardi Commentarios, cum indice Tuſcanellæ, Catullo, Tibullo atque Propertio adjunxerunt Francofurtenſes A. 1621. in 8. Omnium Commentarios, notas, obſervationes, emendationes, paraphraſes, in unum corpus congeſſit Pariſienſis typographus, Ourrius, A. L. 1604. in fol. Apud Belgas cum variorum notis Triumviros noſtros procaravit Simon Abbes Gabbema, Friſius: multo accuratiorem vero editionem, cum integris aliorum & nonnullorum ſelectis notis, exhibuit Clar. Grævius Lugduni Batav. A. 1630. qui in præſatione rationem inſtituti abunde aperit. Poſt hos omnes novo commentario Catullum explanavit Iſaac. Voſſius, & in primis bene de illo meruit Londini 1684. in 4. apud Belgas paulo poſt reperitum ſuum laborem videns. Moliebatuſ ſimilem in Tibullum atque Propertium, ſed non dedit. In Delphini uſum Pariſiis 1685. omnes tres ita publicavit Philippus Sylvius, ut obſcena, queis ſcæteat iſti amorum impuriorum magiſtri, & ob quæ merito Chriſtianis exoti ſunt, e corpore ipſo carminum reſecaret, & ſub finem libri adjiceret; qua re num conſuluerit magis caſto pudori, an laſcivam ſalacitatem juviſſe etiam haud parum videri queat, aliorum eſto judicium. De Tibullo atque Propertio illud præterea annotandum, Elegias illorum, plerumque more Græco ſcriptas, ad venuſtatem Ovidianam haudquaquam accedere: deeſt enim ornatus ille figurarum & argutiarum, quem dum alij Victorius, Muretus, Vavaſſor, reprehendunt, male judicant. Epiſtolia amatoria, quæ lib. IV. carminum Tibulli extant, & a nomine Sulpitiæ ordiuntur, Barthius Adverſar. l. LIX. c. 16. p. 2811. cum a Tibulli ſtylo plane abſcedere, ſeculumque aliud ſapere, videret, Sulpitiæ illius poëtriæ eſſe ſuſpicatur, quæ ſub Domitiano cum marito ſuo Galeno clara fuerat, & cujus ſatyra apud Juvenalem, & Aufonium reperitur.

14 Incedat poſt hos Phœnix ille poëtarum Latinorum, P. VIRGILIUS MARO, cujus tot ſunt Editiones atque Commentatores, ut numerari vix poſſint: tot nempe

ne circumducit ille secum aquilas, philomelas, sed & addo regulos & graculos atque picas: non enim omnes, qui in illum scripsere, paris praestantiae sunt. Nihil vero sapit in poeticae eruditionis genere, cui Virgilius non sapit: quem, praeter Poeticae facultatis laudem, ad quam adspirare nemini licet, in omni doctrinae & eruditionis genere excelluisse, peculiari libro, eoque satis amplo, ostendit SEBAST. MACCIUS, de quo vid. Erythraeus, Pinac. I. imag. 152. Fuere quidem, & olim, & nostro tempore *Virgiliomastiges* nonnulli, ingenio non destituti, sed nullius plane iudicii. Militant contra pro Virgilio omnium seculorum suffragia, quorum iudicio potius standum, quam unius alteriusve hominis inepti. Frustra ipsi obicitur aliena inventio, cum a Graecis illum omnia hausisse ajunt: nam, si vel maxime illud indubium magna sui parte vocari non potest, ruderata tamen ille veterum ita coagmentavit, ut splendidiorum domum inde extrueret, quam a Graecis factum usquam repererat. vid. Thomasiai *Diss. de Plagio Lit.* §. 576, sq. Haud dubie etiam ex dignitate materiam isthanc pertractasset Menagius, si *Dissertationem de plagio, Furtis & imitatione Poetarum*, quam in not. in Malherb. p. 27. promiserat, per fata absolvere illi licuisset. Nihil sane decedit famae eximii pictoris, qui antiquam aliquam historiam penicillo suo delineat: ingenium siquidem & iudicium illius vel in minimis quoque circumstantiis elucescit. Quare inepti sunt, qui inventionem in Virgilio desiderant; nam tam in toto, quam in partibus Operum illius, ea elucet. Quid Homero praestet, dudum notavit JUL. CAES. SCALIGER, in *lib. V. de Re Poetica. c. 2. & 3.* ubi luculenter istud argumentum exsequitur: BARTHIOQUE *Adversus lib. LVIII. c. 9.* iudice haud immerito totius antiquitatis iudicio opponi potest, quippe qui non rationibus, sed demonstrationibus, egit: adeo quidem certis, ut neminem fuisse aut futurum etiam esse credat, qui eas possit ita confutare, ut liberi iudicii hominem in contrariam partem pro Scaligero sententiam deducere possit. Haec Barthius, quem hic profecto sui plane immemorem fuisse oportuit, quippe qui alio in loco, *lib. XLVII. Adv. c. 22.* postquam de imitatione Homeri, quam perpetuo sectatus Virgilius est, disseruerat, ita scribit: *Et haec Virgiliana imitatio adeo mihi omni comparationi Homerum eximere videtur, ut, illum ipsum Scaligerum uno perpetuo errore totos illos suos divinos de Poetica commentarios attaminasse, saepius dixerim, dum Virgilium Homero opponere, aut etiam praeferre, molitur. Nihil enim aliud agit ista molitio, nisi quod in summa peritia summam ostendit imperitiam: non videns aut attendens, minime convelere Homerum ex usu esse Virgilium laudantis; sed ita in hoc Latino agnosci demum posse perfectionem, si perfectiorem etiam, quam vel perfectissima esse possit, in fonte, doctore, magistro, modimperatore, unicoque omnis Poeseos Apolline contempleret. Poterantne magis contraria ab eodem dici? Sed pergimus.* Post Scaligerum idem argumentum latius summaque eruditione pertractat RENATUS RAPINUS, Jesuita Gallus, elegantissimo libello, quem *Comparaison d'Homere & de Virgile* inscripsit, & qui Parisiis primo A. 1669. in 12. editus, ibidem postea A. 1684. in 4. una cum aliis istiusmodi comparationibus Rapinianis recusus, in Belgio Gallice & Latine etiam prodit. (JACOBUS TOLLIVS quoque in *Accessione Animadversionum suarum ad Longinum*, Trajecti ad Rhen. 1684. in 4to nitidissima editione a se editum, comparatio-

rationem Virgillii & Homeri instituit pag. 271. sqq. & imitationem Homeri in Virgilio plane non negat, sed ita, ut omnia in hoc compta magis, & omni cultu curaque exornata, grandia simul, magnifica, illustria, splendida, & quamvis laudem vincuntia, deprehendat: in eo tantum Homericis inferiora, quod, ad illam affectuum veritatem atque *δενόνητα* non accedere ipsi videntur: quod aliis tamen Viris doctis longe secus videtur.) Quid in Eclogis Virgilio Theocritus, & hic illi vicissim præster, docuit nos elegantissima Dissertazione de Carmine Pastoralis idem, quem modo laudavimus, Ren. Rapinus cum Eclogis ejus edita Paris. 1659. 4. & apud Batavos in 12. recusa, & Barthius, postquam *Adversar. lib. XLI. c. 26.* plurima esse Theocriti inaccessa Maroni, plurima vicissim Virgillii Theocriticis meliora, esset fassus: *Tamen, ait, Græcus scriptor immensi intervallo Latinum relinquere videtur.* Hinc & alibi idem Barthius inconvenientia quædam in Eclogis Virgilianis notat: quale est, cum Ecl. I. pastorem Virgilius inducit, vicinam urbem Romam quæ aut qualis sit ignorantem, & eundem tamen mox de Arari atque Tigri, remotissimis imperii Romani fluminibus, perite differentem, *vid. Adversar. lib. XXVII. cap. 3. & 4. Idem lib. XXX. cap. 24.* Bucolica ista Virgillii triennio esse scripta, e scriptore vitæ Virgillii observat; quem, vel Tiberium vel Ælium Donatum esse, sine ratione a quibusdam viris doctis dubitari judicat. Tanaqu. Faber nonnunquam Virgilium nimis esse turgidum putat. *In ea sum sententia* (ait in Not. ad Longin. p. 250.) *Virgilium sæpe hypertragicum esse, & ditthyrambico tumore turgidum; qui tumor tamen fere plerumque ὑπόκεινος, & inanis plenus reperietur, si omnia πρὸς ἀντὶς ἀνασκοπήσῃς.* Promittit & ibi Faber, se aliquando ejus rei exempla prolaturum. *Commentarios* in Virgilium tum totum, tum speciales ejus libros, habemus permultos: neminem vero, qui artificium Poëticum Virgillii, quod summum est, laus data opera ostenderit. In animo illud habebat BERNARDINUS PARTHENIUS, *Spilenbergius*, ut ipse meminit in præfatione Commentarii Horatiani: sed in lucem illum unquam editum fuisse dubito. Fuiisset autem præclarum Opus, quantum conjicere licet ex commentario ejus Horatiano, de quo postea. *Editio-nes* Virgillii longe plurimæ sunt. Inter primas est, quam Aldus Venetis in 8. an. 1503. edidit. Cum Servii commentariis pulcherrima editio Rob. Stephanus Paris. 1532. in fol. Virgilium exhibuit, ibidem 1541. in 4. recusum. Cum Servii, Donati, Probi Grammatici, Julii Pomponii Sabini (cujus in Virgilium commentarios jam antea separatim Oporinus A. 1544. excuderat) Phil. Beroaldi, Joh. Harungii, Jod. Willichii, Georg. Fabricii, Ludov. Vivis, Adriani Barlandi, & aliorum, Commentariis in fol. Basileæ 1575. Virgillii Opera prodierunt. Plures alias Basileenses non tango. Mauri Servii Honorati (hoc enim integrum docti Commentatoris nomen est) Commentarios, eruditis omnibus longe acceptissimos, ex antiquissimis exemplaribus, meliores atque auctiores protraxit, deditque summa cura una cum Virgilio ipso recensitos, Petrus Daniel, Paris. 1600. fol. quæ editio reliquis merito præfertur, & in pretio viris literatis est, Servium quippe multo plenior, & haud paulo accuratior, sistens. Eandem deinde, Salmasii manibus tritam, & hic illic ad oram codicis emendatam, laudabili studio expresserunt Baravi in

Haec editio, quam cum integris Servii ac Donati, & selectis variorum notis, in Lugduni 1646. nitidissimis & emendatissimis typis, publice excipserunt, obstante Cornelio Screvelio, qui & alteram editionem Lugduno-Batavam in 8. priorē recentiorē, e Servii & Donati aliorumque Commentariis compilatam, adornavit, sed quae cum priorē in censum non venit. Præter Servium ac Donatum alium quoque veterem Virgillii Glossatorem optimae notae laudat vehementer Barthius Advers. l. XXXIII. c. 13. qui e priscis nempe Grammaticis interlinearia præstantissimi Codicis annotata congefferit: sed eundem, nescio cujus tenebrionis imperitia, maxima glossarum parte truncatum non sine multa indignatione commemorat. Libri Aeneidos, cum allegoriis Platonis Christoph. Landini (a Florido Sabino acriter alicubi traductis) Venetiis 1507. in 4. & Basileae editi sunt: cum Lamberti Hortensii Commentariis ibid. 1596. Joh. Ludov. de la Cerda commentarii perpetui primum per partes Madriti 1608. & Lugduni 1612. & 1617. tandem & junctim Coloniae, duobus in fol. tomis, editi, magna diligentia omnia ferme explicant, quae in Virgilio occurrunt: adjicitur & paraphrasis, qualem in aliquor Aeneidos & Georgicorum libros jam ante instituerant Nicod. Frischlinus & Jac. Pontanus, cum cujus commentariis Virgilius August. Vindel. 1599. lucem aspexit. Editio Frider. Taubmanni, Francof. 1618. in 4. procusa, commodo usui est: & adjecta quoque duo poemata, Culicem & Cirin, alias ut plurimum omissa, habet. An. 1589. ex officina Commeliniana in 8. prodiit Virgilius ex correctione Joh. Pierii Valeriani, una cum Fabii Planciadis Fulgentii libro de expositione Virgilianae continentiae, Junii Philargyri commentario in Bucolica & Georgica, Fulvii Ursini notis, Velio Longo, & Cassiodoro de orthographia. Phocae nescio cujus Grammatici Vitam Virgillii, versibus descriptam, cum Operibus Virgillii Genevenses 1610. ediderunt. Germanus Valens Guellius commentationes & paralipomena in Virgilium Antwerp. 1575. fol. una cum ipso Auctore, edita scripsit, in quibus accurate parallelismi Graeci notantur: eodem scilicet instituto, quo jam olim Paulus Manutius locorum Homeri insigniorum, quae Virgilius imitatus est, comparisonem instituit; & Georgius Fabricius in Imitationibus Virgilianae lectionis: quos etiam FULV. URSINUS secutus est, dum Homeri, Theocriti, Hesiodique Graeca, quae Virgilius versibus Latinis expresserat, collegit, ediditque sub hoc titulo: *Virgilius cum Graecis Auctoribus collatus*. Antwerp. in 8. 1568. In restituendo Virgilio multum operae impendit quoque superiore seculo NICOLAUS ERYTHREUS, inprimis utilissimum & plenissimum *indicem* conficiendo, in quo tamen illud desideres, quod nudae voces absque ullis interpretationibus ponuntur, cum haec tamen necessariae omnino fuissent. Editus primum est Venetiis 1539. postmodum saepius eadem in urbe repetitus, sed adeo putidis mendis conspurcatus, ut nil supra: quapropter Joh. Opsopæus atque Frider. Sylburgius castigandum tum auctorem, tum indicem, magno in se labore susceperunt, edideruntque Francof. 1583. in 8. quae editio Venetis omnibus præferenda. Nuncupavit illam Sylburgius Natali Comiti, memoratque in epistola ista plures Erythraei tractatus, quos vel absolutos, vel inchoatos, vel ipsummet hic illic in Indice Virgiliano

allegare observat, nempe *Indices in Ovidium, Martialem, Theocritum, Callimachum: Lucretium non solum indicem, sed & annotationes.* Inprimis vero, ait Sylburgius, exodus videtur index in Homerum, in quo exponi a se scribit, quid Græcorum & Latinorum veterum quisque ex uberrimo isto fonte acceperit. Nec minus expectandos reor, quos in Sallustium, Cæsaris Commentarios & Ciceronem, conscripsit Indices. Jctis quidem certe non inutilis fuerit index, quem in Pandectas Juris Civiles edere paravit. Præter hos indices meminit etiam aliarum lucubrationum: e quibus Commentarios de Lingua Latina, mox post Virgilium, a Studiosis expectari jubet: Stoicum quoque, seu Etymologicum, a se scriptum testatur; & Mithridatem 60. & amplius linguarum a se concinnari, itemque librum de origine lingue vernacule: de Alliteratione quoque, seu Syllabarum allusione, justum a se esse libellum confectum, nec non de pathetico Virgiliana pœseos schemate: præterea librum de Pœtica & perfecto, pœta. Adhæc justum librum de dignitatum nominibus ac titulis: de vocibus animalium: de coloribus: de micum, malorum, pirorum, ficuum, uvarum & olearum generibus: de insulis duos item libros, quorum alteri Navis, alteri Equi titulum fecerit: & tertium de Ventis, quem Æolian inscripserit. Hanc adeo largam segetem librorum promiserat Erythræus: & nihil omnino tamen ejus in lucem prædiit, quod haud immerito Sylburgius l. c. miratur. Ceterum, indicem ejus Virgilianum, ad quem nunc regredimur, Batavi etiam in illa editione recuderunt, quam tribus tomis in 8. cum Servii & Donati integris, & variorum selectis notis, Jac. Emmenestio curante, adornarunt Lugd. Batav. 1680. In Delphini usum Paris. 1675. Virgilius prædiit, cum notis Caroli de la Rue, five Ruei, illius scilicet, cujus Idyllia elegantissima extant. Thom. Farnabii & Joh. Minellii editiones Virgilianas, in Belgio & Germania identidem repetitas, norunt omnes: tyronibus inserviunt eorundem labores, & ex alienis ut plurimum hausti sunt. *Catalecta Virgilii*, quæ adjici Operibus illius solent, & quorum dubia est auctoritas, peculiari commentario illustrata sunt a Jos. Scaligero & Frider. Lindenbrogio, cum quorum notis prædiit *Appendix Virgiliana* Lugd. Batav. 1595. in 8. & 1617. Præter *Catalecta* vero, quæ diximus, *Appendici* alia quædam, & quamplurima veterum pœtarum deperditorum fragmenta, adjecta sunt. Priapeja etiam carmina illi insunt, fœdissima illa, sed eleganter scripta; quæ, post Scaligerum Scioppius quoque recensuit: dignum patellæ operculum: e cujus cura Patavii 1664. in 8. & Amstelodami seorsim, & una cum Operibus Scioppii, edita sunt. Equidem Angelus Politianus Priapejorum Virgilio tributorum auctorem Ovidium esse persuasus fuerat, sed haud immerito dissentit ad illa Claud. Verdierius *Censur. in Auct. pag. 156.* Ceterum adeo omnium nationum applausum tulit Virgilius, ut in singularum prope vernaculas etiam transfusus sit, Hispanicam, Italicam, Gallicam, Anglicam, Germanicam: sed non eadem apud omnes felicitate.

75 Pœtarum vel omnino omnium, vel certe Latinorum, principi addendus nunc suo merito, qui dextrum latus claudat, Lyricorum Princeps, Pindarique, velut Virgilius Homeri, assiduus imitator erat Q. HORATIUS FLACCUS, quem GODELLUS in suis ad Malherbiam Pœtam Gal.

Gallum Dissertationibus (*Mons. Godeau Discours sur les Poèmes de Malherbe.*) tantifecit, ut ejus Odas Graecis praeferre haudquaquam dubitaverit. FRANC. FLO-
 RIDO SABINO Sermones ac Epistolas Horatius tam venuste condidisse visus est,
 ut in illis egregius, in his autem prope inimitabilis, videretur, referente Gaddio
T.I. de Scriptor. Non-Eccl. pag. 135. poteritque ipse Floridus conferri *Lectio. Subci-
 siv. pag. 120.* MICH. NEANDER Artem Poeticam Horatii equidem sine
 arte tractam; sed libros Carminum, vel jucunda inventionem, vel puritate ser-
 monis, vel figurarum cum novitate, tum varietate, majores omni non solum vi-
 tuperatione, sed etiam laude judicat: Pindaricis nempe accuratiores, & sententias
 crebriores: ut nectar merum Criticis interdum videantur: *Præf. Erot. Gr. L. pag.
 192.* Hæc illi. Contra Horatio non admodum æquus est CLAUD. VERDIERIUS,
 cujus tamen ineptum de Horatio judicium nequaquam dignum, quod hic appo-
 natur, existimamus. Legi potest in ejus *Censura Aucto. pag. 57.* Præterea inter
 adversarios Horatii numeratur JUL. CÆS. SCALIGER, qui non solum de illius
 Arte Poetica abjecte sentit, satyræ propius accedere torum opus, quam arti; sed
 & in Hypercritico in eundem indignis sane modis invehitur: quamobrem non so-
 lum a Wallio in *Poëmatibus pag. 224.* iterum ipse Scaliger castigatus est; nec non a
 G. Joh. Vossio *de Poëtis Lat. pag. 29.* (qui observat, inscriptionem libri de Arte
 Poetica non magis ab Horatio ipsomet fluxisse, quam titulum Epistolæ ad Augu-
 stum de veteribus & novis Poëtis, aut illius ad Numicium de Finibus Bonorum;
 Veram itaque libri de Arte Poetica inscriptionem esse Epistolam ad Pisones.)
 Sed multo amplius etiam confutatur Scaliger a strenuo Horatii defensore, eodem-
 que luculento admodum Commentatore, BERNARDINO PARTHENIO, Spi-
 lenbergio, qui tam solide, tam eleganter, adversus Scaligerum omnia illa loca,
 quæ atro iste lapillo notaverat, vindicavit, ut vix credam hincere adversus illum
 quenquam posse. Non nisi semel vero mihi contigit Viri eruditissimi Commenta-
 rium Horatianum videre, A. 1584. Venet. in 4. apud Dominicum Nicolinum im-
 pressum: & crediderim pauca ejus exemplaria esse excusa, cum in nullis pene Bi-
 bliothecis publicis, quarum ego Catalogos pervolvi, inveniantur. Et tamen lon-
 ge præstantissimus ille est: novam siquidem commentandi viam ingressus Au-
 ctor, de verbis Horatii enodandis non adeo sollicitus, artificium poeticum magno
 studio ostendit, atque ita perspicue ob oculos ponit, ut neminem in eo genere ha-
 beat, qui cum ipso conferri possit. Dolendum, non in omnes Horatii libros il-
 lum scripsisse: neque enim satyras, nec Epistolas, attingit, sed tantum Carminum
 atque Epodon libros. Scripsit idem Carmina varia: & de Imitatione Poetica li-
 bros V. ad Maximilianum Imp., Venet. 1565, in 4. editos: sed quos hæcenus non
 vidi. Ex antiquis Horatii *Commentatoribus scholiasta* supersunt, Helenius Acron, &
 Porphyrio, quos jam superiore seculo Henr. Petri, Horatio junctos, Basil. 1545.
 in lucem emisit: quanquam commentarios istos Auctorum nomina mentiri,
 cucullatamque barbariem inepte tam præcellentibus Scriptoribus, Acroni & Por-
 phirio, nuncupari Reinesius judicat *Defens. Var. Lect. p. 107.* Eosdem tamen decen-
 nio post emendavit, admiscuitque C. Æmilii, Junii Modesti & Terentii Scauri anno-

ratiumculas, Georg. Fabricius, Basil. 1555. fol. Ipsius Horatii editiones longo ordine recenset Spachius *Nomencl. Philos. pag. 197. 198. 199.* Antiqua admodum est Argentinenfis An. 1478. cum commentariis Jac. Locheri. Ex Aldi officina Venetijs A. 1519. prodit. Inter Commentatores optimus videtur Lævinus Torrentius, cujus Commentarius in Horatium, cum ipsomet Auctore, & Pet. Nannio in Arrem Poëticam Horatii, Antwerp. An. 1608. in 4. apud Balth. Moretum lucem vidit. Pet. Gualtherus Chabotius vastos in Horatium commentarios confarcinavit, Grammaticos, Logicos, Rhetoricos, nimia, & plusquam pædagogica diligentia, Basil. A. 1591. quanquam Torrentius illo etiam usus deprehendatur, & quæ in eo bona repererat, in suum inde commentarium transtulisse videri queat. Dionysius Lambinus inprimis multum Horatio emendando atque illustrando impendit, cum cujus prolixo commentario prodit Poëta noster Francofurti ex officina Wecheliana A. 1577. in fol., repetita editione postmodum denuo Paris. 1605. fol., una cum Adriani Turnebi atque Theodori Marcilii Lectionibus Horatianis datus. Memini & recentiore Francofurtensem in 4. vidisse. Ceterum insigne plagium Lambini, in explicando suis commentationibus Horatio, ex Mureti epistolis, Thomafius annotavit *de Plag. Lit. §. 448. pag. 200.* Scilicet, cum admonitus a Mureto Lambinus esset, de locis quibusdam Horatianis, quos adeo imperite erat interpretatus, ut omnibus eruditis debere ludibrium videretur; ille non est veritus dicere & scribere, eam ipsam sententiam, a qua monitu Mureti discesserat, ipsiusmet Mureti fuisse, eaque propter his ipsis argumentis Muretum exagitare instituit, quæ ab hoc in suæ sententiæ oppugnationem acceperat. Veteres Scholiastas, Acronem & Porphyriionem, si modo genuini sint, auctiores, cum suis in Horatium Commentariis, edidit Jac. Cruquius Antwerp. 1578. in 4. Cruquianos autem commentarios parvi pendunt Tanaq. Faber *P. I. & II. Epistolar. ep. 2. & 54.* & Barthius *Adversar. lib. XLII. c. 22.* Eodem circiter tempore Guillh. Xylander, doctissimus vir, Horatium, ad optimas quasque editiones accuratissime castigatum, & copiosis annotationibus illustratum, emisit Heidelberg. 1585. in 8. Quinquennio post Basileæ A. 1580. Horatius, cum omnium, quotquot tunc noti erant, 40. circiter veterum & recentiorum commentatorum, curis in fol. editus est. Jani Rutgerfii Editio, quæ primum apud Rob. Stephanum juniorem Paris. 1613., & deinde apud Jansonium Amstel. 1619., edita, præter præclaras in Horatium ipsum emendationes, insignes quoque in vitam Horatii, a Suetonio haud dubie scriptam, ac ut plurimum ejus Poëmaribus præfigi solitam, castigationes continet, cum prius esset illa inquinatissima. Dan. Heinsius bene etiam de Horatio meruit duplici editione; prima apud Raphelengium Lugd. Bat. 1609. in 8., & auctiore multo curis posterioribus, præfixoque libro de Satyra Horatiana eleganti utique, & quimulta de Satyræ natura, & Scriptoribus satyricis, præclara habet: nec non fragmentis Lucilii ac Timonis, apud Elzevir. 1612. Joh. Bondii & Minellii paraphrases marginales, quemadmodum Farnabianæ in Virgilium & Martialem, tironibus utiles sunt; sed illi alieno ingenio sapiunt, & interdum verba Auctorum, quos excerpere aggrediuntur, corrumpunt. Minelliana tamen paraphrasis Lipsiæ, cum Com-

Lentario Frider. Rappolti in Satyras, Epistolas, Artemque Poëticam, plane exilio, est recusa. Supplementum Commentariis Rappoltianis addidit gener Joach. Kellerus Lipsiæ 1675. in 8. Tom. II. In Delphini usum bina vice Horatius, & a duobus etiam viris, adornatus est, Petro Rondelio primum, Jesuita Tolosano, Tolosæ 1683. in 8., tum & a Ludov. Desprezio, Paris. in 4., quæ posterior, jussu Regis adornata, priore melior est, indiceque omnium verborum auctior. Dudum verotalem Indicem confecit Thom. Treterus; ediditque Antwerpiae apud Plantinum 1576. in 8., quem postea omnibus Horatii editionibus accommodavit Dan. Avemannus, in libro, cui titulus, *Hodogeta Horatianus*, qui editus est Brunswigæ 1667. in 8. oblongo. Paraphrases in Horatium ediderunt Anton. Cerutus, & Eilhardus Lubinus, quibus sensus verborum commode explicatur. Cum variorum notis Corn. Screevelius Horatium edidit Lugd. Batav. 1663. in 8. Memoranda adhuc editio Horatii ab Henr. Stephano profecta, scholiisque & argumentis ab eodem illustrata: cujus secundæ editioni, Genevæ 1588. editæ in 8., Diatriben de hac sua editione Horatii, & variis in eum observationibus, adjecit. Artem Poëticam separatim paraphrasi & commentariolo explicavit Joh. Sambucus A. 1564. in 8. editam: nec non Franc. Robortellus, Pet. Victorius, F. Luisinius, Vincent. Madius, Paulus Benius, aliique. Epistolarum libri prælectionibus methodicis Claudii Minois explanati sunt, iisdemque Logica analysis & moralis doctrinæ ratio illustrata. Paris. 1584. in 4. Præterimus Theod. Pulmanni, Joh. Hartungi, M. Ant. Mureti, Franc. Irenici, aliorumque annotationes, commentationes atque editiones Horatianas, aliunde vel satis notas, vel hauriendas. Non vero hic prætermittendus Mæcenus Joh. Henrici Meibomii, liber doctissimus, & qui ad Horatii ac æqualium Poëtarum intellectum haud parum facit. Nec sine magno fructu etiam amcenissima Horatii cum Pindaro comparatio legi potest, quam Gallico sermone scripsit Franc. Blondellus, ediditque Paris. 1673. in 12., & quæ a Batavis recusa, ut plurimum Rapiinianis comparationibus addi solet, nimirum ob materiæ atque eruditionis paritatem simillima. Alius e Gallis, Vir eruditissimus, Andr. Dacerius, Annæ, Tanaq. Fabri doctissimæ filia, maritus, Horatium in vernaculum sermonem transfudit, & non solum, in præfigenda uberiore vita Horatii, scriptorumque serie juxta temporum rationes collocanda, occupatus fuit, sed & amplissimis commentariis ita exornatum dedit, ut nec vocum figurarumque & epithetorum sedula enodatio, nec sensus allegorici evolutio, neque adeo ad verborum aut artis explicationem quicquam, jure desiderari possit. Prodiit voluminosum opus tomis X. Paris. 1691. Anglicis Verbis Horatianas Odas, & librum Epodon, Thom. Hawkins, & Henr. Ridder expresserunt, Londini aliquoties editas.

• Alterum Virgilii latus occupet jam, qui, per complures annos in Augusti Imp. 16 mla æque gratus acceptusque, tandem sinistro fati acerbioris sidere in exilium pulsus est, P. OVIDIUS NASO, Scriptor terribissimus, & merito ætati aureæ accensendus, quicquid etiam contradicant alii, ad argenteam illum, qua vi, qua injuria, rapientes. Sane Veneres omnes in Ovidium quasi conjurarunt, adeo totus mol-

lis est, delicatulus, venustus, argutus. Neque est, quod morosos istos Censorum PET. VICTORIUM, qui inclementissimo iudicio, corruptam, nescio quam, Latinitatem in Ovidio reprehendit; MURETUM, SCRIVERIUM, VAVASSOREM, vel idem Poëta pulcherrimo accusantes, vel declamatorium nescio quid infra aurei seculi genium deprehendentes, aut, quod Lipsius fecit, non bonum iudicantes Poëtam Ovidium. Scilicet, suos interdum in iudicando manes patiuntur Viri doctissimi; & ut palatis hominum, ita & ingenii, aliquid indulgendum est. Mihi quidem barbarus videtur, qui barbarissimi arguat elegantias Ovidianas, quæ ille Carmen Elegiacum plane ad fastigium deduxit, adeo ut Elegiarum pulchritudini vix quicquam additæ iam posse videatur. Non omnino tamen luxurians ejusdem ingenium, & qui sequebantur exinde, nævos defendimus: quos a veteribus, Seneca, *Natural. Quest. lib. III. c. 27.* Quintiliano *l. X. Institut. c. 1.* aliisque, notatos, a recentioribus denuo sub eundem vocatos, scimus. Et hos inter BUCHNERUS etiam est, *libro de Commutata Rat. Dicendi pag. 237. & 407.*, qui inprimis nimium in synonymis & ταυτολογία esse Ovidium animadvertit. Non satis ex dignitate illum semper scripsisse, præsertim in Metamorphoseon libris, notat aliquot locis Adversariorum BARTHIUS *l. XLII. c. 18. l. LVIII. c. 9. 10. & c.*, qui tamen elegantissimum, ingeniosissimum & eruditissimum cetera fuisse, non diffiteretur. Inensus olim Ovidio erat MARCUS MARULUS, sed adversus istum defensionem Ovidii in se suscepit Franc. Floridus, Sabinus *Apolo- log. p. 48.* (e qua nos etiam aliqua excerpta damus libro de Patavinitate Livii; ubi Dan. Heinsium quoque, copiam Ovidii defendentem allegamus.) Conf. Vives *de Disciplinis p. 541.* Erasmus *l. I. de Copia Verb. c. 3.* Vossius in Institutionibus Oratoris & Poëticis, aliique. *Editiones Ovidii & Commentatores* varios Spachius recenset *pag. 193.* Vetusta est editio Aldina & rarior, Vener. 1502. & 1503. tribus voluminibus in 8. impressa: quamvis jam ante hanc Venera A. 1485. & Parmensis 1489. prodierit. Cum variorum notis, commentariis ac scholiis integris. Opera Ovidii ediderunt Joh. Hervagius Basil. 1550. fol., & multo amplius, III. in fol. voluminibus, Wechliani Francof. A. 1601. Eminent autem inter eos, qui, vel emendando, vel illustrando Ovidio, operam navarunt, *Hercules Giofanius*, Sulmonensis, adeoque popularis Ovidii, cujus in omnia Ovidii opera observationes, una cum præmissa poëtæ vita, Plantinus excudit Antwerp. A. 1583. in 8., & quas nonnullis in locis Barthius castigat *Advers. lib. XXXI. c. 3.* *Raph. Regius & Jac. Micyllus*, quorum notis illustratum Ovidium Hervagius impressit Basil. 1543. fol. *Andr. Naugertius*, e cujus castigatione purior Naso prodiit ex officina Plantiniana 1566. in 12. *Jac. Pontanus*, cujus in Metamorphoseon opus extat commentarius, una cum Valerii Andr. Desseli in Ibin & Franc. Sanctii notis, Antwerpæ 1618. fol. proculus: Tristium & de Ponto libri jam, cum ejusdem Pontani commentario, & Hortulo Ovidiano, præcesserant Ingolstadt. 1610. fol. Ut in libros Amorum & Heroides scriberet, sanctitas Jesuitica non permittebat. *Carolus Neapolis*, qui in Fastos Ovidianos scripsit Commentarium, Antwerp. A. 1639. publici juris factum, sed qui mihi sapere Puteaneam officinam videtur. In eodem Fastos scripsit etiam *J. Bapt. Guarinus*, teste Gaddio p. 219. *Dan. Heinsius*, e cujus recensione Ovidius Lugd. Bat. An. 1628. 3. vol. in 12. in orbem exiit. *Vicit tamen omnes*

Omnes filius Danielis, *Nicolaus Heinsius* quem ipsum Ovidii genium appelles, adeo feliciter in carmine illum imitatur. Propterea eundem sibi etiam elegit, quem in primis magno studio emacularet: & cum id per annos plusculos praese ferret, inoniam Sarravii evitare non potuit, prout ex Epistola hujus ad Alex. Morum pag. 15. patet. Dedit tamen, magno cum Virorum doctorum applausu, Heinsius primo Ovidium a se recensitum Amstelod. A. 1658. in 12., mox iterum 1661. in 12. voluminibus, cum notis suis, quae editio, & nitore, & praestantia, reliquas fere omnes superat. Excusat equidem Heinsius festinationem editionis: sed non nimiam tamen illam fuisse, ex epistola Sarraviana modo allegata discimus, quae scilicet, jam A. 1639. scripta, occupatissimum Ovidiano labore Heinsium nobis narrat. Heinsianum textum servarunt postmodum reliqui Editores omnes Ovidii, Corn. Screvelius, qui eum Lugd. Bat. 1661. in 8. 3. volum. cum variorum notis, dedit; Burchardus Cnipplingius, alterius Batavae editionis, cum Nicol. Heinsii omnibus, & variorum selectis notis, editae, curator Amstelodami 1670. 3. volum. in 8. atque Daniel Crispinus, Helvetius, qui, in Delphini Galliae usum, Lugdun. A. 1689. in 4. Ovidium, interpretatione ac notis, indiceque omnium vocabulorum, ornatum exhibuit. Gallicos in Ovidii Heroides Commentarios scripsit Claudius Bachetus Meziriacus, quos eruditissimos vocat, commendatque lectoribus suis Menagius *Observ. in Malherb. p. 329.* Prodierunt Burgi Sebusianorum An. 1626. in 8vo., Proposuerat etiam sibi aliquando Salmasius emendationes & notas in Ovidium scribere, teste Crasso *in Elogiis T. II. p. 21.* Verum, inter tot alios Viri summi conatus, iste quoque una evanuit. Metamorphoseos Ovidianae Epiromatorem, qui prosa oratione libros singulos in compendium redegit, Lutatium Placidum, laudat Barthius *Advers. l. X. c. 8.,* idem, de Haliectico male Ovidio tributo, *l. XLVIII. c. u.* alibi, videndus.

Claudat agmen scriptorum Latinorum aureae aetatis vir Mathematicis artibus 17 aeo Augusteo clarissimus M. VITRUVIUS POLLIO, quem pro Marco Lucium, in editione Florentina anni 1496. contra codicum plerorumque fidem, dici, Vossius *de Scientiis Mathematic. p. 292.* observat. Aliter circa nomen Vitruvii errare Andr. Alciatum; qui Pollionis nomen labefactavit, & Janum Parrhasium, qui Veturrium Rufum nostrum auctorem hunc appellari voluit, CASP. BARTHIUS annotat *Advers. l. 1. c. 10.,* ibidem de stylo Vitruvii tale ferens iudicium. *Est styli genus in hoc auctore, quod alii aeo cuilibet potius des, (quam Augusteo,) si certa fides absit: coactum nimirum eruditionem Graecam sapiens, & manum opificis, non ingenium scriptoris, olens.* Sic & Sciorpius peregrinitatem & plebitatem in Vitruvio agnoscit: hoc item alii & hinc, post curas aliquot Virorum doctissimorum, obscurus tamen & difficilis Scriptor est. Post illam antiquissimam Florentinam editionem, quam diximus, Vitruvii de Architectura libros X. ad Augustum Imp. castigatos a se, Venetiis A. 1511. dedit Joh. Joecundus, quae editio apud Juntas Florentiae A. 1522. recusa est. Inde Guil. Philander Castilionus, emendando illustrandoque nostro manus admovens, praestantissimas notas, quae praeter ceteris commendari merent, in eundem conscripsit; ediditque ita Vitruvium primo Romae A. 1544. ap. Joh. Andr. Dossenam: qui, mox Parisiis 1545. & Argentinae 1550. re-

pētra, tandem cum auctioribus notis Lugduni 1552. in 4. prodiit. Post Philandrum, Daniel Barbarus ad ornandum Vitruvium accessit, ediditque & Latinum cum notis suis atque figuris, & Italice a se versum Venetiis 1567. in 4. Inde Bernardino Baldo, Urbinati, occasionem Vitruvii illustrandi VESPASIANUS GONZAGA, Sabioneræ Princeps, dedit, qui Virum istum doctissimum, præter prodigiosam linguarum variarum peritiam (de qua alibi hoc ipso commentario actum,) Mathematicas etiam artes omnes apprime callentem, accersivit ad se, & in locis Vitruvii obscurissimis difficillimisque, præter eum, alio interprete aut magistro usus non est. Atque hinc natum præclarum Opus *de verborum Vitruvianorum significatione*, seu perpetuus in Vitruvium Commentarius: præfixa ejusdem vita, Augustæ Vindel. 1613. in 4. emissum: quod, uti loquitur Erythræus *Pinacoth. I. p. 5.* immortalem illi famam apud Transalpinos homines peperit. Conf. Gaddius de Script. T. I. p. 81. cujus de Baldo judicium quid obstat quo minus hic apponamus: *Bernard. Baldus, ait, vir doctissimus fuit, multarum linguarum, multarum scientiarum. Scripsit & Latina poemata omnis generis, in singulis, præcipuos imitatus. Edidit quoque varia Mathematica & Theologica. Omnium regionum historiam ac descriptionem aggressus absolovere non potuit.* Totum vero Baldi Lexicon Vitruvianum, integras item Guil. Philandri notas, & excerptas Dan. Barbari, una cum adpersis Claud. Salmasii haud paucis, & Scamilli Imparibus Vitruvianis nova ratione expositis, quæ olim Augustæ separatim prodierunt, in nova atque nitidissima editione sua, multis iconibus æri incisfis exornata, junxit Joh. de Laet Lugd. Batav. 1647. in fol. Cum autem e lectione Vitruvii ad architectos etiam, Latinæ linguæ ignaros, multum fructus redundet, mirum non est, si in vulgares etiam linguas translatus sit. Sic, præter illam Barbari, quam diximus, Italiam versionem, alia antiquior, Mediolani A. 1521. cum commentario Cæsaris Cæsareani excusa, extat Germanica etiam versio Vitruvii a Gualthero Rivio, Medicinæ D. adornata, Basileæ A. 1575. fol. lucem aspexit. Gallice autem ut quam accuratissime redderetur Architecturæ magister Pollio, ipse etiam Colbertus, dum in aula Regis Gall. primas teneret, curam gessit, deditque id negotii Claudio Perralto Medico & regię Scientiarum Academiae membro insigni, qui An. 1673. sex priores de Architectura libros, figuris affatim, suisque etiam notis, illustratos, Paris. fol. prodire fecit. Molitus etiam aliquando in Vitruvium aliquid Hier. Cardanus erat, sed nihil dedit. Conf. alias de Vitruvio Vives *de Disciplinis* p. 524. & Vossius *de Scient. Mathem.* p. 463. ubi docet, extare etiam incertum, seu veterem fortasse scriptorem, qui ex Vitruvio Architecturam compendio construxerit, editum a Guilh. Postello Paris. 1540. apud. Mich. Vascosanum.

18. Quod si Barthio aurem præbeamus, pertinet adhuc ad ætatem Latinitatis auream ÆTHICUS, *Ister*, cujus *Cosmographia* cum *Antonini Itinerario* semper excudi solet. Hujus enim stylum adeo Vitruvianum genus scribendi referre ait, ut nihil similius viderit: censerque adeo BARTHIVS, fuisse Æthicum quendam mechanicum, Julii Cæsaris ætate, qui primum forte Cosmographiam literis conceperit, *Advers. l. XLV. c. 13. & 18;* ubi interpolatum tamen mirum quantum a Christianis eum Scriptorem suspicatur, & in pri-

Impressis ab homine aëvo Theodosii M. claro. Contra G. J. Vossius, qui non te Barthium cepit, ad Theodosii tempora ipsiusmet Aethici aetatem, cum Simle- & aliis, collocat, quanguam non nihil fluctuabundus *de Hist. Lat. p. 692. & de Scient. Mathem. p. 411.* Sunt utrique suae rationes, quae commodius ibi legi possunt. Antonini Itinerarium Barthius haud dubie etiam ab eodem Aethico scriptum rerur: quam recte, non dico, nec inquiri nunc, sed me magis cum Vossio sentire fateor *de Philologia p. 52.* Plane autem insaniunt, qui Cosmographiam Aethici, seu Julii Oratoris (ut habent codicum aliqui,) Julio Caesari adscribunt. Prodiit jam apud Aldum Vener. A. 1513. in 8. Aethicus cum Antonino, exinde Lugduni, recusis, & Basil. A. 1574. cum scholiis Josiae Simleri, & additis fragmentis similibus e bibliotheca P. Pithoei; prodiitque illa editio etiam Parisiis 1577. Auctiorem & emendatiorem editionem, ex antiquissimis schedis, Cl. Salmasius promiserat: verum satis habuit promississe.

C A P. XII.

IN QUO PARI CELEBRANTUR DILIGENTIA ET
ACCURATIONE CRITICA,

AUTORES LINGUAE LATINAE EX AETATE
ARGENTEAE.

1. M. Manilius. 2. C. Julius Hyginus. 3. Caesar Germanicus Aratorum Interpres.
4. T. Phadrus. 5. Vellejus Paterculius. 6. Valerius Maximus. 7. Corn. Celsus.
8. L. Annaeus Seneca, Philosophus, M. Annaeus Seneca, Rhetor, & Seneca Tragicus.
9. M. Annaeus Lucanus. 10. T. Petronius Arbitrator. 11. Pomponius Mela.
12. Gratius, Cynegetici Scriptor. 13. A. Persius Flaccus. 14. Q. Curtius Rufus.

Excrevit praeter opinionem in molem iusto majorem caput praecedens, quod I
SCRIPTORES LATINOS, ad AETATEM AUREAM pertinentes, recensuit.
Nunc ad ARGENTEAM AETATEM, quae ab Imperii Tiberiani temporibus
ad Vespasianorum usque tempora supputari solet, pedem promovemus. Et
in ea primum ponimus MARCUM MANILIUM, Poetam & Astrologum
celeberrimum: ut sic a Mathematico scriptore caput istud incipiat, velut praede-
denti colophonem Vitruvius atque Aethicus imposuere. Quod vero Manilium
attinet, seu, ut alii vocant, Plinii praesertim adducti auctoritate, Manilium, cujus
poema Astronomicum ad Augustum Imp. scriptum habemus, diversa admodum de ejus
aetate recentiorum est opinio. Quamplurimi enim nequaquam ad argenteum, sed
omnino ad aureum seculum illum referendum ajunt, quippe qui sub Augusto vixe-
rit, extremis ejus temporibus scribens. Alii contra demum ad ferream aetatem
Manilium relegant: qua in sententia fuit Gaspar Gevartius in *Electis*, idemque sen-
sit olim G. J. Vossius lib. II. de *Arte Grammat. c. 26.*, nempe Theodosii temporibus
Tonius I. Sss ss eum.

eum demum vixisse tradentes, celebratum a peritia Astronomica a Claudiano Poëta & Julium Firmicum, qui sub Constantino M. vixerat, etiam imitatum. Verum vocavit deinde istam sententiam suam Vossius *de Poëtis Lat. p. 36.*, & legenti sibi Manilium iterum iterumque omnia Augusti temporibus convenire videri, falsus est. Hinc Buchnerus, neque Gevartii, neque Vossii, rationibus adductum se profiterur, ut Manilium Augusteo ævo eximat; *de Commut. Rat. Dic. p. 326.*, & Barthius sub Augusto scripsisse Poëtam hunc dubitare non posse certo pronuntiat, quicumque modo finem libri primi perlegerit. Quod idem etiam assèverat Salmasius, & male Theodorum Manilium, quem Consulem creatum laudat Claudianus, & qui pedestri sermone librum de Rerum Natura, causis naturalibus & astris scripserat, cum Manilio Poëta confundi, notat: *præfat. ad Luc. Ampelium suum.* Et quemadmodum, hoc semel posito, plane absurdum est, Firmicum a Manilio, multo quippe antiquiore, usurpatum existimare; contra neque Manilium a Firmico visum, aut ad imitationem propositum, unquam fuisse, pluribus argumentis se ostendere posse idem Salmasius fidem facit, *de Annis Climacter. p. 587.*, cum alias Scaliger exscriptum haud raro totidem verbis a Jul. Firmico Manilium contendat, & assentiarur G. J. Vossius. Ceterum, uti stylus Manilii jam asperior nonnihil ævo aureo est, & extremis ejusdem annis cufus; ita non male adeo fecisse putabimus, si Scriptorem, cujus vita ad Tiberium magna ex parte pertigit, Scioppium secuti ad argenteam ætatem referimus. Neque vero integrum ejus Astronomicon superest, sed solum libri V., & quinto tamen aliquid deest. Idem libri Maniliani ob res & materiam difficiles admodum & obscuri sunt. Interim Auctorem eorundem, quanquam non principibus poëtis annumerandum, ornatissimum tamen vatem, & multis ex tumidis buccinatoribus ingenio priorem, recte Barthius judicat, *Advers. l. X. c. 26.* Lud. Vives de Discipl. p. 541. *Manilii Astronomicon, ait, grave est, sed didascalicon & sine motu, quemadmodum de Arato Quintilianus inquit: etsi hic noster assurgit nonnunquam, & ardentius spirat.* Primus Manilium edidit Poggius Florentinus Bononiæ A. 1474. quam editionem MSto Codice haudquaquam minorem habet Barthius *l. c. 8.* Decennio post Florentiæ Laurent. Bonincontrius, cum notis suis, eundem evulgavit 1484., postmodum ab Aldo editus est Venet. 1499. fol. & ab Hervagio Basileæ 1551. fol. utrique cum Firmico, Arato Græco & Latina Germanici Cæsaris versione, aliisque adhuc similis instituti Scriptoris. Editus etiam est Romæ apud Mazochium in 4., & Lugduni apud Tornesium 1566. in 16., Jos. Scaliger autem, cum in Manilio complurima inquinata, corrupta, aut obscura, deprehendisset, ad emendandum non minus quam illustrandum Romanum Astronomum sese applicuit, atque id suis Annotationibus consecutus est, ut omnium vel laudes, vel invidiam, mereretur. Edidit primo Paris. A. 1577. apud Marnertum Parissonum in 8. quæ editio apud Commelinum Heidelb. 1590. in 8. denuo prodiit, Franc. Junii Variis Lectionibus & notis auctior: (in quibus præclare multa esse observata, Gerh. Joh. Vossius monet, eaque minus candide a Scaligero celata ait, Epist. 24. ad Hug. Grot. p. 82.) Auctior secundis curis Scaligeriana editio, a Raphelengio Lugd. Bat. in 4. 1600. excusa est. Tertiam vero, multis iterum additionibus locu-

reoccupatam, una cum Thomæ Reinesii & Ism. Bullialdi quibusdam animadvertionibus, Argentinae procuravit Joh. Henr. Bœclerus A. 1655. in 4. Quanquam vero tantum sibi ipsi tribuerit Scaliger, ut neminem ita, prout ipse, Manilium, intelligere posse, jactarit, Juniumque accusarit delirii ob tentatam locorum aliquot correctionem in *Excerpt. Putcan. p. 215.* non semper tamen acuram tetigisse Scaligerum, sed in emendationibus crebro impegisse, aliquando non satis bene intellexisse Manilium, Casp. Barthius passim in *Adversariis* animadvertit, *l. I. c. 8. IV. 3. VI. 10. XVIII. 12. & 18. XXII. 15. & c.* Qui & Franc. Junium parum attente codice suo, quem postmodum Barthius etiam inspexit, usum observat. Colomescius in *Opusculis* p. 101. Casp. Gevartium, ait, sibi Commentaria in Manilium, jam parata typis, & propediem edenda, monstrasse. Nihil tamen eorum prodiit. Salmasius vero multum inseruit Manilio illustrando tum in *Exercitationibus Plinianis*, tum in *Diatriba de Annis Climactericis & Astrologiae veritate.* In usum Delphini editus est Manilius, cum *Commentar. Mich. Fayi, Scaligerique & Pet. Dan. Huetii* notis, Paris. 1679. in 4. Guido Fabricius Boderianus Manilium Gallicis versibus exprimere olim cepit, jamque librum primum ad finem se perduxisse ad Scaligerum scribit, reliquos etiam adjecturus, ad quod negotium curas Scaligerianas sibi longe plurimum profuturas ait. *Vid. Ep. Gall. ad Scal. l. I. ep. 17. p. 28.*

Cum Manilii Astronomico, in Aldina & Hervagiana Editionibus, excudii etiam solet C. JUL. HYGINI *Astronomicum Poëticum*, seu *Historia siderum*: fabulas de eorum in caelum translatione narrans. Non in eodem vero pretio Hyginus apud omnes habetur. Nam, qui eum Augusti Cæsaris libertum credunt, Polyhistorum, & Palatinae Bibliothecae praefectum, de quo Suetonius agit de *Illustr. Grammaticis* c. 20. illi ad aetatem auream eum referunt, quod BORRICHIVS facit, & alii. Contra nonnullos deprehensa in Hygini scriptis barbaries offendit, ne idem crederent, & mentio *suorum Imperatorum*, quae Augusti aevò non convenit; adeoque ad Antoninos potius illum Auctorem referendum censet BARTHIVS *lib. II. Advers. c. 20.* aut potius veterem Hyginum ab alio, nescio quo, recentioris aevi homuncione contractum putat, simul & alia quaedam ex aliis Autoribus constipata, ut non integer Hyginus amplius superfit, sed contractus parum judiciose & interpolatus. Priori Barthii opinioni non multum adversatur VOSSIUS *de Scientiis Mathem. c. 34. §. 8.*, & adstipulatur JOH. SCHEFFERUS, qui conjunctim Hygini opera Hamburgi & Amstelodami A. 1674. in 8. edidit, in *Dissertatione* de vero hujus operis Auctore, aetate atque stylo, quam libro praefixit. Addidit vero etiam Schefferus tum suos, tum Thomæ Munckeri Commentarios. Separatim alias Hygini *Liber Fabularum* editus Basileae 1570. Heidelbergae 1599. Poëticon Astronomicum praeter alias editiones Venetiis 1485. lucem publicam aspexit. *Gromaticon* ejus, sive librum *de Castrametatione*, primus edidit Adr. Turnebus Paris. 1554. in 4., postmodum Nicol. Rigaltius illum notis illustravit, & Petr. Scriverius suo Vegetio adjunxit Lugd. Batav. 1607. *Fabularum liber* cum Palæphato, Phurnuto, Fulgentio, aliisque Scriptoribus mythicis, Paris. 1578. in 8. editus est, & Amstelodami 1681. cum notis Th. Munckeri.

3 Non minus ratione instituti, quam temporis, jungi prioribus duobus, Manilio & Hygino, solet CÆSAR GERMANICUS, qui Arati Poëtæ Græci Phaenomena Latino carmine expressit. Equidem hunc Cæsarem Suidas & Julius Firmicus C. Julium Cæsarem, Dictatorem, fuisse scribunt: sed eos falli, & Cæsarem Domitianum, a victis Germanis Germanicum dictum, ejus μεταφράσεως autorem esse, Vossius contendit *de Pœtis Lat. pag. 48.* Plurimi Cæsarem Germanicum esse magni illum Augusti Imp. nepotem, Drusi F., credunt, quod etiam haud improbabile. Præter Bononiensem editionem anni 1474., Aldinam & Hervagianam, quæ Manilium, Hyginum, Firmicum, ipsumque Aratum, aliosque, una cum metaphrasi Germanici, exhibent, omnium optima est & elegantissima Arateorum editio, quam Hugo Grotius Lugd. Bat. in 4. A. 1600. adornavit.

4 Hyginum Augusti Imp. libertum diximus. Alius ejusdem Imperatoris libertus est TITUS PHÆDRUS, Thrax, cujus *Fabula*, sub Tiberio Imp. scriptæ, elegantissimæ Latinitatis, & plane aureæ, certatim commentariis Virorum doctissimorum illustratæ sunt. Expertus equidem & hic Autor rigidos Latinitatis suæ Censores est, delicatulos illos, qui omnem fere cibum fastidiunt: sed represit illos, atque optimi sermonis Auctorem strenue defendit, JOH. SCHEFFERUS. Vide, si placet, quæ de ea re libro *de Patavinitate Livii p. 159.* diximus. Diu autem in scriniis veluti sepultus delituit Phædrus, donec illum protraheret, ederetque libros ejus V. Fabularum Æsopicarum, jambis elegantissimis scriptos, Petrus Pithæus, cum Notis suis, Cont. Rittershusii & Gasp. Scioppii, qui postremus Auctarium quoque fabellarum ex aliis auctoribus adjecit, Augustoduni 1596. in 12., repetita mox illa editione Lugduni Batav. 1598. in 8. Insequente anno Nic. Rigaltius Parisiis Phædrum cum suis notis emisit: estque ea editio curis secundis Rigaltii Paris. 1617. & tertiis 1630. recusa. Rigaltianis notis suas adjecit in librum I. Phædri Petrus Axeniüs Hamburgi A. 1671. in 8. Textrum ex emendatione Rigaltii retinuit, suasque Phædro notas, & Gallicam Albini nescio cujus versionem, apposuit Tanaq. Faber, Salmurii 1657. in 4. & 1658. (Verum & de Rigaltianis, & Fabri curis, abjectissime judicat MARQ. GUDIUS Epist. VII. ad Nic. Heinsium p. 8., ubi postquam factis diu in Tanaqu. Fabri Epistolas & alia varia φλυαρίας, ut ille loquitur, documenta, esset invecus: de Phædro etiam ejus ira scribit. *Quam sunt inanes ad Phædrum conjecturæ, in quibus nihil sani reperio: misere omnem operam ludit ὁ κριτικός. Si quis mihi fidem non habeat, loquatur Phædrus ipse:*

- - - Materiam tanta abundat copia,
Labori Faber ut desit, non Fabro labor.

Inspecte locum, & ridebis presagientis sibi suavissimi fabulatoris venustum oraculum: non indigna est ἐπιγροφή, quæ curis Salmurienensibus presagatur. Hoc imprimis non possum exputare, quod judicio Rigaltianam tertiam editionem typis repeti curaverit. Nulla est minoris fidei & probitatis. Rigaltius ibi contra veterum librorum Auctoritatem, locis paulo corruptioribus, aut plane deletis, aut frivole mutatis, suo arbitrato textum turpiter deformavit, pessimo exemplo, ut lectori ne minimam quidem rationem audaciæ suæ redderet. Pergit Gudius, idque exemplo

plo probare, & tum in Salmasii emendationes nonnullas Phædri stylium stringit) Fabrum in adornando suis studiis Phædro excepit Joh. Schefferus, & omnino textum edidit, suis & Franc. Gueteri notis, indiceque Freinsheimii locupletissimo, illustratum, Upsalæ 1663. 1666. & Hamburgi 1673. in 8. Addidit quoque Albini versionem Gallicam. Posthumas Joh. Freinsheimii in Phædrum notas cum indice Henr. Holstius Argent. 1664. in 8. edidit. Scripsit & in eundem Auctorem notulas quasdam Isaac. Nevelerus, & Joh. Ludov. Praschius. In usum Delphini illum edidit Paris. 1675. in 4. Petrus Danetus. Apud Batavos, cum figuris æneis & notis Variorum, Joh. Laurentius: Amstelod. 1667. in 8. Post tot multorum Criticorum labores, multi supersunt tamen in textu Phædri errores, ac vincet omnium conatus, si quando in lucem prodibit, Marq. Gudii Commentarius (m) qui Vir Illustris, Rigaltiano codice usus, magnam invenit emendationum copiam, quas non observaverat Rigaltius ipse. (Rogatus fuerat olim Gudius a Scheffero, ut ipsi Phædrum edituro notas suas una edendas communicaret, verum abnuvit ille, quanquam paucis diebus colligi sua, & in ordinem digeri posse, falsus, rationem vero denegati officii istius adjecit graviora in itinere suo negotia. vid. Epist. cit. Nihil omnino dedit autem ille, dum viveret: nunc post mortem ejus, in Belgio esse, qui digerat, & qui editionem Phædri parat, ajunt: quod ut quamprimum fiat optandum est: neque enim vulgaria Gudius promittit) Refert in Epistolis ad Scaligerum Gallicis Nicol. Fabricius Peirescius, se ex Pinello aliquoties audivisse, Scaligerum esse in Phædrum aliqua molitum, cujus rei certitudinem exposcit. Verum nihil earum Animadversionum unquam comparuit. vid. Ep. 46. lib. I. & ep. 39. lib. III. In Rigaltiana Phædri editione multas esse notas Salmasianas Laur. Crassius testatur Elogior. P. II. p. 210. Ceterum de dictione Phædri inprimis etiam conferri merent Vavassor de Ludicra Dictione p. 205. seqq. & Barthius Adversus. l. XLVII. c. 10. & l. LIII. c. 3. qui eum a censura nasutulorum defendit, simul loca quaedam illustrat.

Poëtas insequatur elegans ejus temporis Historiæ Romanæ Scriptor, VEL-
LEJUS PATERCULUS, seu Cajus ille, seu Publius, sive demum Marcus vocatus fuerit, miles olim, & sub Tiberio in Germanico bello peditum præfectus, in Pannonico sub eodem legatus; postea, abdicata militia, Historiam rei Romanæ scribere aggressus est, librisque duobus compendium illius dedit; quorum prior tamen, gentium aliarum historiam enarrans, magna sui parte mutilus est. Postquam Vellejum primus Beatus Rhenanus, cum quibusdam notis Joh. Alb. Burerii, e typographia

S s s s s 3

(m) Marq. Gudii in Phædrum Commentationes, in Joh. Georgii Grævii manus, post Autoris mortem, delatae, & hujus Viri Summi ductu atque auspiciis, à Pet. Burmanno, Ultrajectino, e Schedis minutis ac palantibus, magno cum labore, collectæ digestæque, in Editione Phædri Amstelodamensi, a Burmanno A. 1698. in 8vo curata, Notisque Variorum insuper aliis, partim integris, partim excerptis, locupletata, lucem jam aspexerunt publicam, & a Literarum istarum Amasis ingenti cum applausu sunt exceptæ.

phia Frobeniana, Basileæ A. 1520. in lucem protulisset, nescio quid ANDR. ASULANO in mentem venerit, ut, in *Prefatione ad Livium* a se editum, graviter ob id in Basileenses inveheretur, velut spurii Scriptoris intempestivo, admodum protrusores, queis omni modo propterea detractum cupit. Verum longe aliter omnes eruditi judicarunt, queis Vellejum inspiciendi cura fuit: recteque LIL. GREG. GYRALDUS, *Dial. II. de Poëtis*, insulsam vocat sequiorem illam suspicionem Asulani. Atque hinc certatim Vellejum *illustrarunt* Jac. Bongarsius, Valens Acidalius, Janus Gruterus, Justus Lipsius, Jac. Schegkius, Aldus Manutius junior, Fulv. Ursinus, Frid. Sylburgius, Godeschalcus Stewechius, Gerhardus Vossius adolescens, Gerhardi Johannis F. Christoph. Ad. Rupertus Joh. H. Bœclerus, alii, quibus ob passim observata in Vellejum etiam Scaliger & Salmasius annumerari merent. Ex omnium horum laboribus notas, quas præcipuas judicabat, excerptit, ediditque ita, Anton. Thysius Lugd. Bat. 1668. in 8. Bœcleri editio duplici vice prodiit, elegantissimo commentario instructa: semel illi adjecta etiam est dissertatio de Amnestia, sed quæ in editione secunda, Argent. 1663. in 8. excusa deest, & loco ejus adsunt *Characteres politici Vellejani*, elegans libellus, seorsim & ipse A. 1672. editus, quo examinat Auctor descriptiones personarum, quas instituit Vellejus coloribus politicis. Editio Lipsii cum Tacito præcurata est apud Moretum Antwerpæ A. 1607. postquam A. 1592. jam cum illius emendationibus prodisset. Aldus Manutius suam Venet. A. 1581. in 8: exhibuit. In Delphini usum Rob. Riguez, Jesuita, Vellejum, paraphrasi, notis & indice vocabulorum omnium, instructum, dedit Paris. 1675. in 4to. (Nuper etiam An. 1693. Vellejus Oxonii editus ab anonymo quodam Virro docto est, additque Henr. Dodwelli, Viri eruditissimi, Annales Vellejani.) *Fragmentum* quoddam *Velleji* magno strepitu Wolffg. Lazius e bibliotheca Cæsarea protulit; sed cui se opponunt; falsique nominis fragmentum, ex Abbate Urspergenfi depromptum, ostendunt Velferus & Vosius, ille *Rer. Augustan. l. III. hic de Hist. Lat. l. I. c. 24. p. 120. seq.*

- 6 Sub eodem Imp. Tiberio vixit VALERIUS MAXIMUS, paulo tamen, ut observat Vosius, post Vellejum, quippe qui Sejano turpiter adhuc adulatur, quem contra Valerius interemptum jam vehementer exagitet. Dicitio tamen ejus tam aspera est horridaque, ut jam olim ERASMUS, in *Ciceroniano*, Astro magis similem esse, quam Italo, eum Auctorem judicavit, nec magis Ciceroni similem, quam homini mulus. Hinc in varias opiniones itum a Viris doctis. Plerique non integrum Valerium, sed ejus epitomen, tantum superesse volunt: quod tamen non usque adeo certum. Reliquit *Exemplorum factorumque memorabilium, libros IX.* In exemplaribus hujus Auctoris tantam esse varietatem, notat BARTHIVS *Advers. l. XIX. c. 15.* ut componere nova veteribus adorsus vix scias, quorsum vertere sententiam velis. Idem Barthius *l. I. c. 10.* Valerium Maximum, minime ex genio seculi locutum, Vitruvio levio rem invidiam facere posse ait: adeoque quin ipsiusmet Valerii labor is, quem habemus, hodieque superfit, non dubitat. Conf. Ludov. Vives de *Discipl. p. 521.* Antiquissima Valerii Maximi editio est Veneta, quæ apud Joh. Forolivium cum Omniboni Leonicensi commentariis, An. 1482. in fol. prodiit. Alia Veneta est anni 1494. cum

commentario Oliverii Arzignanensis, cui postmodum Jod. Badius Ascensius notas suas adjecit, & recudit ita Valerium Paris. 1522. Prodiit & Aldina Valerii Maximi editio, aliæque iterum Veneta, cum notis Sebast. Corradi: Basileenses aliquot suis notis illustravit Henr. Glareanus: Steph. Pighius autem repurgando e codicibus MSS. Auctori horas bonas optimo cum successu impendit, & locis sexcentis castigatum, cum suis notis edidit apud Christ. Plantinum A. 1567. in 8. Repetitis inde editionibus Justus Lipsius quoque suas notas adjecit: ibid. 1585. & 1592. in 8. Hanovienses Lipsii Pighiique curis Christoph. Coleri animadversiones adjecerunt A. 1614. in 8. Extant & in Valerium CHRIST. AD. RUPERTI *Dissertationes & observationes*, seorsim editæ, una cum observationibus ad Vellejum, quibus multa, quæ ad variam eruditionem & civilem prudentiam spectant, continentur. Ex his omnibus excerptis systema editionis Valerii cum variorum notis confecit Anton. Thysius Lugd. Bat. 1651. 1655. & 1670. in 8. Joh. Vorstii editionem Berol. 1672. in 8. nemo ignorat. In Delphini usum edidit Valerium Maximum Petrus Josephus Cantelius Paris. 1679. in 4.

Ad hanc classẽm Auctorum etiam pertinet CORNELIUS CELSUS, qui castissima Latinitate sua, qua rem difficillimam, artem Medicam, expressit, id consecutus est, ut *Latinorum Hippocrates, & Medicorum Cicero*, diceretur. Sed mendis plena sunt hætenus Opera ejus. *Primum prodire* apud Joh. Rubeum, cum ejusdem notis, Venet. 1493. in fol. inde sæpius Venetiis, Parisiis, Basileæ, Lugduni, Aureliæ Allobrogum, Hagenoæ repetita sunt, & notis identidem variorum doctorum virorum, Bapt. Egnatii, Guil. Pantini, Rob. Constantini, Jerem, Thriverii Brachellii, Balduini Ronsssei, Pet. Pauwii, Joh. Cæsarii, Joh. Ant. van der Linden, emendatus illustratusve est, sed multa tamen supersunt in ipso textu sphalmata, MSS. codicum & Criticorum defectu nondum sublata. Et miror sane, ex tam ampla Criticorum gente neminem fuisse hætenus, qui sufficientem laboranti medico manum medicam adhibere voluerit. Optima fere est editio, quæ cum notis Brachellii & Ronsssei Lugd. Batav. 1592. apud Franc. Raphelengium, in 4. excusa est: Lindeniana Elzevirianis typis in 12. 1657. prodiit. Nuper vero A. 1687. insignis ille Philologus atque Medicus, Theodorus Janfonius ab Almeloveen, non minus nitidam, quam emendatam Celsi editionem, Amstelodami in 12. adornavit, inseruitque illi Scholia, quæ inter legendum suo codici Isæacus Casaubonus adscripserat, addit & Rob. Constantini notulas, tum locos ubique parallelas, tam ex ipsomet Celso, quam quæ ex Hippocrate ad eum illustrandum facerent, appinxit, indiceque rerum & verborum locupleravit. *Uberimum indicem*, seu *Lexicon* potius, in Celsum, una cum *Variis lectionibus & notis*, olim JOH. RHODIUS confecerat, quæ, cum amplissimis suis commentariis medicis, Philologicis, Antiquariis, in Celsum edere moliebatur Thomas Bartholinus, verum utriusque curas longe utilissimas ferale Bibliothecæ Bartholinianæ incendium sufflaminauit: qua de re Bartholinus in Epistola de incendio Bibliothecæ suæ queritur. E laboribus Rhodii Vita tamen Celsi superstes mansit, quam editioni suæ Almeloveenius præmisit. Ceterum aliorum quoque Virorum doctorum molitiones in Celsum evanuerunt. Fuit Tonningæ Medicus quidam doctiss.

Ætissimus JACOBUS HOLSTIUS, qui a multis annis faxum hoc volvit: ac videtur ipse aliquando *commentarii* ejus partem aliquam, quem ille triplicem struxit, *Medicum, Philologicum & Grammaticum*: sed, cum MSS. codicum copia fuerit destitutus, non satis feliciter hoc in argumento versari poterat: ast tamen luce dignus labor illius est, quam an aliquando aspecturus sit, dubito, cum jam ipse fati concesserit. Similiter Jos. Scaligeri, Joh. Walæi, Ælii Everh. Vorstii, Jac. Mentelii, conatus in Celsum perierunt.

- 8 Quod si vero de Justino, num recte ad æratem argenteam referatur, dubitarunt aliqui, de M. ANNÆO, & L. AN. SENEÆ dubitari haudquaquam potest. Pulcherrima utriusque Rhetoris ac Philosophi, Opera illa sunt, & inprimis hujus scripta sapientiæ moralis plenissima. De stylo Senecæ jam tunc aliquid a nobis dictum, cum de ejus Epistolis ageremus *lib. I.* Recte sane judicavit QUINTILIANUS, *Inst. lib. X. c. 1.* ejus imitationem adolescentum manibus excutiendam, cum Eloquentia Senecæ dulcibus vitiis abundet, quæ facilius, quam saniora, a juventute in imitationem trahuntur: quare, ut a robustioris ingenii hominibus, & severiori lectione satis firmatis, legatur, suadet. Luculentum de Seneca, & prolixum judicium ERASMI vid. in Epistolis ejus, lib. XXVIII. ep. 12. pag. 1663. cui addi etiam potest GRONOVIVS in epistola nuncupatoria sui Senecæ: PATINUS tantæ Senecam fecit, ut eum, Plutarcho & Aristoteli junctum, Bibliothecam integram constituere posse crediderit. Præcipuæ Senecæ *editiones* sunt Parisiensis, quæ cum Ferd. Pinciani, M. Ant. Mureri, Nicol. Fabri, Jani Gruteri, Franc. Jureti, Andr. Schotti, aliorumque, notis A. 1637. in fol. excusa est: Lipsianæ aliquot, Antwerpia, Lugduni Batav. & Amstelodami, diversis formis editæ, & identidem a Lipsio revisæ: inprimis vero ceteris præstant Gronovianæ duæ, quarum prior Amstelodami apud Elzevirios 1659. in 12. IV. voluminibus, lucem publicam aspexit; posterior junctas quoque Lipsii notas, integras, & in Rhetorem Senecam Andr. Schotti curas, ut & notas Joh. Schultingii, habet, proditque iterum apud Elzevirios 1672. in 8. voluminibus tribus. Miserat jam olim GRONOVIVS A. 1650. suas in Senecam notas, tum adhuc MSS. Sarravio, ejusque judicium flagitarat: ad quod peritum ita Sarravivus Epist. p. 317. *Naudæo tuas in Senecæ notas tradidi. Mibi sane eximia videntur: fere enim omnes ad ipsum textum contuli, ut melius de illis judicarem. Tibi gratulor, quod istis nactus sis typographum, virum honestum & locupletem: neq. possit typos suos nobilitare meliori & magis vendibili libro. Perge ergo in isto quoque Seneca literas demereri. Te sane solum istis in regionibus excellere video; & eruditam crisin exercere.* Moliebatur jam tum quoque Gronovivus Senecæ Tragicæ editionem, ut ex eadem epistola Sarravii clarum sit, in qua monet, ne curam ejus suscepti in se operis deponat. Neque etiam factum id, sed, inprimis ope cujusdam Florentini optimæ notæ codicis, Tragicum Senecam esse præclarissime emendatam res ipsa probavit, cum An. 1661. ille in 8. cum notis Gronovii prodiret. Notas autem ex Autographo parentis auxit, adjecitque variorum selectas, Jac. Gronovivus Amstelod. 1682. in 8. Quam alias circa Senecam Tragicum inrer se variant Autores, & ut a nonnullis ille idem cum Philosopho judi-

judicetur, ab aliis ejusdem filius: rursus ab aliis frater, aut ex fratre nepos: demum a nonnullis non unus omnium Tragediarum Auctor, sed varii reputentur, ut hic prolixè recenseatur, opus non est, cum ex aliorum scriptis abunde notum sit. Tantum de *dissensu Lipsii & Scaligeri* aliqua subnotabimus. Mutarat ordinem Tragediarum Lipsius, Troadas magistelli potius, quam Senecæ opus esse judicabat, Octaviam plane spreverat, & sub Domitiano scriptam futilem & ineptam ajebat. Contra Scaliger pueriliter maximum Criticum judicasse inquit; Troadas divinam tragediam, omniumque principem, vocat, neminemque Lipsio assensurum confidenter affirmat, nisi imperitos. Novem illarum unum genium, unum parentem agnoscit. Octaviam optimum poemâ a domestico Octaviæ, Senecæque amico scriptum autumat. Et id quidem eo animo dicit Scaliger, ut, se nemini ista Critica sua concessurum, multa cum confidentia inculcet. *Epist. 247. & 414.* Neque tamen propterea omnibus persuasit: sed aliter, præter multos, quos non nomino, judicarunt Gronovius, & Barthius *Advers. lib. XLIV. c. 25.* Jac. Gaddius Franc. Florido Sabino succenset, quod *Lectio. Subciv. p. 119.* Senecam Tragicum nullo in subsellio ponat, cum tamen comparate solum Floridus loquatur, & si Græcis comparatur Tragicis Seneca, illum multo esse minorem dicat: adeoque malè idem Gaddius: *Erratum palmare*, ait, *vel flagitium potius, committeret (Sabinius) suo judicio, dum Senecam, Latine Tragedia Monarcham vel Dictatorem ne nominat quidam inter Latii Tragicos imitandos; sed nos mittit ad Græcos, illo iniquissime præterito. Hic me continere non possum.* Verum, seu se continere possit Gaddius, sive nequeat, parum interest, cum Hispanicus ille rumor in Seneca a nemine peritiorum negetur. Ampliore commentario illustravit Senecam Tragicum M. Anton. Del Rio, ediditque Antwerpæ 1576. in 4. Jamdudum ante hanc editionem apud Jodocum Badium Ascensium, cum ejusdem & Bernardi Marmiteæ Cajetani commentariis, 1514. Seneca Tragicus in fol. & apud Aldum 1517. prodierat, ab Hier. Avantio castigatus, & præmissa hujus de variis carminum Senecæ generibus Dissertatio. Avantii Dissertationem, cum alia de eodem argumento Georgii Fabricii, copulavit, adjecitque suæ editioni Petrus Scriverius, quam ex recensione sua, cum integris J. Lipsii, Franc. Raphelengii, Q. Septimii Florentis Christiani, Hier. Commelini, Joh. Scaligeri, Jani Gruteri, Dan. Heinsii & Joh. Il. Pontani, Lugd. Batav. 1621. in 8. emisit. Scripserat etiam *Lectiones in Senecæ Tragedias* Mich. Piccartus: verum illæ in manus rapaces inciderunt, atque ob id ipsum suppressæ sunt, ut eo tutius plagio aliorum infervirent: prout ex epistola Nic. Rittershuffii ad Richterum notat Thomafius *Dissert. de Plagio §. 288.* Cum novis selectis variorum edidit Senecam Ant. Thyfius Lugd. Batav. 1651. in 8. brevissimis vero notulis instructam Oxonienses e theatro Sheldoniano 1679. in 12. dederunt. Farnabianam editionem taceo, quæ etiam spernenda non est.

Senecæ Nepotem ex fratre addimus M. ANN. LUCANUM, Cordubensem Poëtam, cujus *Pharsalia* varia doctorum virorum judicia subiit. HUGO GROTIUS tanti eum fecit, ut, referente Patino in Epistolis, illum perpetuo in

finu gestaret, & nunquam ambularet sine Lucano. E contrario tantopere illum spernunt alii, ut ne quidem inter Poëtas ferant, sed ad Historicos ablegent. Sic jam olim coævus scriptor PETRONIUS illum fugillavit: *Ecce, scribens in Satyrico, belli civilis ingens opus quisquis attigerit, nisi plenis literis, sub onere labetur. Non enim res gesta versibus comprehendenda sunt, quod longe melius historici faciunt, sed per ambages, Deorumque ministeria, & fabulosum sententiarum tormentum præcipitandus est liber spiritus, ut potius furentis animi vaticinatio appareat, quam religiose orationis sub testibus fides.* Idem etiam noto epigrammate innuit Martialis, de quo vid. Vossius de Histor. Lat. l. I. c. 26. QUINTILIANUS *Instit. l. X. c. 1.* Oratoribus magis, quam Poëtis annumerandum censet Lucanum, ardentem, & concitatum, & sententiis clarissimum. Nihilominus illum adeo magni fecit TRAJANUS BOCCALINUS, ut *Relat. 86.* cum Virgilium Imperatorem Heroicorum constituisset, Lucanum ejus faciat Vicarium. Male utique, cum Statius minimum par, melior autem Claudianus sit. Ceterum Statius, quem modo diximus, *Genethliacon Lucani* scripsit, quod in Sylvis ejusdem reperitur, & in eo versum quoque hunc posuit.

Batim Mantua provocare noli.

Hunc versum cum Anton. Mancinellus pro Lucano, Virgilio præferendo, allegasset; FRANC. FLORIDUS Sabinus, acerrimus Mancinelli hostis, longe aliter & in opprobrium Lucani explicat, quasi nempe a Statio Virgilius admoneretur ironice, ne Lucanum, miserum poëtam, provocet ad certamen, eadem ratione, ac si fortissimum Achillem moneres, ne imbellem Thersitem forte sibi adversarium posceret. Addit Floridus, *Subcisiv. Lect. l. II. c. 20.* *Quod si non hæc fuit Statii sententia, nihil unquam stultius prolatum fuisse affirmarem.* Persuasissimus enim est Sabinus, ne juvenilia quidem Virgilii carmina cum Lucano ulla ratione comparari posse, sed *Culicem* Maronis plus artis & elegantiae habere, quam omnia ad unum Lucani scripta: unicamque Eclogam Virgilianam sexcentas Thebaidas Statianas ingenio, judicio, candore, antecellere. Adeo autem ægre fert istud Floridi judicium JAC. GADDIUS, ut, postquam illa verba: *Quod si non hæc &c.* recensuisset, pag. 185. T. II. mox ita suam epicrisin addat: *Hæc merito possem usurpare de Florido scribente. Intolerabile est hoc judicium sine judicio, cum Eclogæ illæ sint longe impares mole ac dignitate poematibus epicis Statii, Lucani, Ovidii, Claudiani, Valer. Flacci: ut præteream Tragica Senecæ, Lyrica Horatii: aliorum Latii principum elegias, satyras. Impares etiam illas judico poematibus heroicis Sarnazarrii, Pontani, Fracastoris, Vide, Politiani, & recentiorum.* Verum hoc longe ineptius est hominis imperiti judicium, quam ut ullo etiam modo ferri possit. Ita vero semper judicat Gaddius, & ineptit, ne sui dissimilis forte videatur. Simile est, cum alibi Lucanum aut orationis præstantia meliorem Homero, nec deteriorem Virgilio, videri posse, quicquid etiam scripserint Jul. Cæs. Scaliger, Idololatra Virgilii, & Lil. Gyraldus, Virgilii & Homeri nimius cultor. Nempe his longe præstat judicio Gaddius, sæpe vix mentis compos SCALIGER, *de Re Poëtica l. III. c. 26.* Lucani orationem vocat superbam, & minacem, quæ auditorem invitum, atque alibi animo hærenrem, ubi vult tenere aut trahere, abigit: tyranno haud absimilem, qui mavult metui, quam amari.

amari. Idem prolixè, in comparatione Lucani cum Nicandro, ostendit *lib. V. cap. 15. GYRALDUS in Historia Poëtar. Dial. IV. (Operum nuper editorum P. II. p. 238.)* De Lucano, ait, sic statuatis velim, ut cum non modo cum Virgilio non conferatis, ut Statius fecit & Marcialis, sed cum neque secundum, neque tertium, dicatis: vel, si dixeritis,

Longo proximus intervallo:

cum neque in quadrigis cum secundum numeremus, aut tertium, qui vix e carceribus exierit, cum palmam jam primus acceperit: ita nec in poetis, qui tantum absit a primo, vix ut in eodem curriculo esse videatur. Sunt tamen quaedam in Lucano, quae qui sine Virgilio comparationis spectavit, satis magna dicat, quae, si cum judicio & delectu legantur, non indigna sint imitatione: id tamen caute, & diligenter, ne vitia specie virtutis irrepaunt. - - - Illud autem de Lucano affirmare, quod M. Tullius de Cordubensibus suorum temporum poetis: qui eos nescio quid pingue & peregrinum sonare putabat. Hæc ibi Gyraldus, qui in sequentibus etiam præcipitem Lucani calorem notare pergit. De comparatione ejus cum Virgilio, agit AUGUST. MASCARDUS de arte Historica pag. 444. atque idem, quam non habeatur poeta, pag. 551. conferendus. Peritiam rei Astronomicæ hauriri etiam e Lucano posse, crediderunt nonnulli, & cum JOS. SCALIGER, in libris de Emendatione Temporum, illorum errorem castigasset, seu potius notasset errata Lucani, hyperaspiten Poëtæ egit FRANC. INSULANUS, Parisiensis, edita adversus Scaligerum Apologia Mathematica pro Lucano Paris. 1582. in 4. Verum acri Epistola, ad Mamertum Patissonum scripta librum illum excepit Scaliger, nec magis scientiæ astronomicæ Insulano, quam Lucano ipsi, relinquit: Ait inter alia: Tu (Insulanum ita alloquitur,) qui neque, quid sit poësis, quod quidem aperte clamant tua carmina, neque quid astronomia, nisi quod quidam tibi dictavit, scis; tu, inquam, nos docebis & poësi Lucani & Astronomiam: qui, si propius totum opus Lucani putare volueris, non solum nullam Astronomiæ peritiam in eo homine reperies, sed & importune semper interjectam rerum celestium mentionem, & levem, vanum & ostentatorem juvenem illum fuisse deprehendes. Sed quorsum ea nos hic apponemus, quæ prolixè apud Scaligerum ipsum met Ep. 3. tota legi possunt. Interim, licet nævis hæc, notatis hæctenus, scaterere Lucanum negari utique non possit, recte tamen in eo aliqui entheum ardorem & furorem illum poëticum animadverterunt: & inter alios quoque GADDIUS, qui libro V. tali furore abreptum præcipue agnoscit: ubi describens maximam tempestatem, qua jactitatus in navicula Cæsar est, extraordinarias animi conceptiones & hyperbolas effudit, immodicas certe, sed sublime & peracutum Poëtæ ingenium indicantes; quæ hac ætate Italis placerent, supra modum amantibus & admirantibus acumina & sensa inusitata, ac supra commune fastigium evecta. Et eundem quoque eloquentiæ genium seculo Neroniano fuisse, probe BARTHIUS animadvertit, adeoque condonandum aliquid, vel ex isto quoque capite Lucano, haud abs re monens: ipse etiam in eodem doctrinam haud vulgarem, spiritumque prorsus heroicum, agnoscit: propter grave, nervosum & acutum vibransque & penetrabile sententiarum pondus, quibus universa ejus oratio mirifice floret adeo, ut

in eo genere parem nullum unquam habuerit. vid. Advers. Lib. LIII. c. 6. toto: & de auctore vitæ Lucani l. XXIII, c. 3. Conf. Roland. Marefius Epist. l. I. ep. 8. Hallervordius, in Spicilegio p. 126. Mich. Neander Erotem. Gr. L. præfat. p. 192. seq. Vivès de Disciplinis p. 527. (quem tamen, dum Virgilio Lucanum præfert, falli, Scaliger haud abs re in Primis Scaligeranis p. 149. monet,) & alii. Est vero Lucanus inter primos Latinæ linguæ Auctores, qui, post artis typographicæ inventionem, typis exscripti sunt, nimirum Romæ A. 1469. cura Joh. Andreae, Episcopi Alerienfis, impressus in fol. Eodem seculo Venetiis, & haud multo post initium insequentis Parisiis, in lucem prodiit Lucanus variis Virorum doctorum, Joh. Sulpicii, Verulani, Phil. Beroaldi, M. Anton. Sabellici, & qui Parisiis eum suis typis excudit, Jodoci Badii Ascensii, aliorumque, illustratus: repetita quoque ejus Editio cum Lamberti Hortensii, Sulpicii que, notis Basil. 1578. in fol. & Francofurti, cum Jac. Micylli aliorumque annotationibus in 4. Nemo vero diligentioreni utilioreve operam Lucano navavit, quam Hugo Grotius, e cujus recensione primo prodiit ille apud Raphelengium Lugd. Batav. 1614. in 8. cum notis: hinc altera vice una cum notis Farnabii editus in 12. 1651. Uberrimum indicem Theod. Pulmannus adjecit. Servavit hunc; & Grotii, Farnabii que integras, reliquorum selectas notas, collegit in sua Lucani cum variorum notis editione Corn. Screevelius, Amstelod. 1658. in 8. cui quoque Supplementum *Pharsaliæ* Lucani libris VII. ab Anglo homine, Thoma Majo, scriptum adjecit, quod antea separatim A. 1640. Lugd. Batav. prodierat. Eadem vero editio Screeveliana Lugduni in Gallia A. 1670. repetita est. Jac. Gaddius refert, Joh. Bapt. Guarinum aliquid in Lucanum scripsisse: sed nihil vidi. Forte igitur ineditum illud est, velut notæ Joh. Wowerii in eundem Poëtam, quæ MSS. in Bibliotheca Gortorpiensi adservantur.

10 Quem paulo antea Lucani *Pharsaliæ* fugillasse diximus, T. PETRONIUM ARBITRUM, in eadem Neronis Imp. aula vixit, Massiliensis, Eques Romanus, atque etiam aliquando Consul, nulla alia ferme re, quam erudito luxu ad id famæ atque dignitatis prolatus, referente Tacito, atque hinc inter paucos familiarium Neroni adsumtus est, elegantiae arbiter, dum nihil amicum aut molle affluentia putaret, nisi quod Petronius approbavisset. Tandem vero tamen ab æmulis Cæsari redditus invisus, venas sibi præcidit, per intervalla obligatas iterum, resolutasque, ut eo mollius vitam expelleret, essetque coacta mors fortuitæ similis. Impurissimum ille *Satyricum* moriens jam loco testamenti conscripsit, in quo Principis flagitia sub nominibus exolorum, feminarumque, lascivissima scriptio-
ne, sed tersa tamen nitidaque perstrinxit. Fuerunt, qui Petronium, *Satyrici* Auctorem, eundem cum Petronio Bononiensi Episcopo fuisse arbitrarentur, seculi post C. N. quinti præfule, vitæ sanctitate claro. Verum iis haud immerito succenset, acriterque turpem adeo *ἀνισογενεῖαν* castigat, Lil. Gyraldus de Poët. Dial. IV. Quanquam autem non integer superfit Petronius, sed primo exiguum tantum ejus fragmentum prædierit, idque immani lascivarum spurcitierum ingluvie scærens; mirum tamen, quam multi Christianorum restituendo, illustrandoque turpi

turpi nequitiarum promocondo infudarint, bonasque interdum horas male perdid-
 derint. Prima ejus editio est Veneta A. 1499. quam infinitae propemodum aliae
 sunt secutae: nos paucas tantum recensebimus. A. 1510. Helenopoli, ut titulus praef-
 se fert, Melech. Heimsfeldius Goldastus, cum variorum notis, Petronii Satyricon
 dedit. Francofurti alia, cum variorum integris notis An. 1621. in 8. prodit, &
 alia multo amplior in 4. 1629. in quam Pet. Pithcei, Joh. Wowerii, Joh. Alex.
 Brassicani, Joh. Aurati, Erici Memmii, Alph. Delbenii, Claud. Puteani, Jac. Bon-
 garfii, Mam. Patissonii, & Joh. Weizii notae, emendationes & observationes, ac
 Josephi Anton. Gonzalez Commentarii, confluerunt, adjectis praeterea Joh.
 Pet. Lotichii vastis Excurfibus Physico-Medicis, quae longe plurima ad rem Ve-
 neream facientia continentur: hac enim parte ad superstitionem usque diligens
 fuit LOTICHIUS, eamque in rem, ne forte aliquid talium elegantiarum deesset,
 Scioppii notulas adiecit, quae hic venereas phrasas in Petronio occurrentes ver-
 bis Germanici exprimit, nempe, ut se diligentem ostenderet Commentatorem,
 monstraretque similes habere labra lactucas. Perstringit illum Lotichii commen-
 tarium satis acriter Goldastus in Epistola quadam ad Casp. Hoffmannum,
 quae in Mantissa secunda Epistolarum, Georg. Richteri Epistolis addi solita-
 rum, pag. 555. legitur. Ita autem ibi Goldastus. *Vides, quantum a te, tuo insti-
 tuto ac judicio, Lotichius dissideat. Volebam hominem amicum hac occasione ad lectionem
 veterum Medicorum deducere, quorum illum prorsus expertem & negligentem esse adver-
 tebam: sed judicio destitutus, nec in bonis Auctoribus versatus, nobis undiquaque compila-
 vit, quae ad grandem efficiendum librum convasare, ex Cornucopia, Calepino, Textoris
 officina, Erasmi Chiliadibus, & consimilibus scriptis, poterat, ut tandem monstruosum, hor-
 rendum & insanum magnum istud commentum pareret.* Ceterum est & quaedam Pe-
 tronii editio, cum notis Joh. Burdelotii criticis & glossario Lugduni Batav. 1645.
 in 12. vulgata. Eodem anno Ultrajecti Petronium, cum notis variorum, in lu-
 cem emisit Simon Abbes Gabbema. Posthaec insigne aliud fragmentum Petronii,
 integram fere Ccenam Trimalcionis describens, in Dalmatia Tragurii, e Nicol.
 Cippici Bibliotheca, eruit Marinus Statilius, i. e. vero nomine Petrus Petitus:
 atque id Oratore Veneto, qui tum Romae degebat, auctore a Paulo Frambotto,
 typographo Patavino, editum est Patavii Ann. 1664. praemissa praefatione, quae
 rem omnem uberius edocet. Hoc exemplum Nicol. Heins. ad Joh. Schefferum
 transmisit, qui Upsaliae A. 1665. recudi curavit, cum notis indiceque suo, & Dis-
 sertatione praelimirari, qua genuinum istud fragmentum asserit. Hinc edidit
 Thom. Reinesius Lipsiae 1665. in 8. cum Schefferi suisque notis: is quidem non
 omnia supposita, sed tamen aliqua a barbara manu agnoscit; dissentitque in non-
 nullis a Scheffero, qui vicissim illi quaedam reposuit in appendice seorsim edita.
 Sequenti Anno 1667. Christoph. Arnoldus fragmentum Petronii Tragurianum
 denuo edidit Noribergae in 8. cum Joh. Caji Tilebomeni conjecturis, Hadriani
 Valesii & Joh. Chr. Wagenfeilii Dissertationibus Epistolicis, & aliorum Clari-
 simorum virorum judiciis, quibus res illa in utramque partem disputata est. Tile-
 bomenius, quem per anagramma Jacobum Mentelium esse Placcius aperit de Pseu-
 don.

don. pag. 266. genuinum, ut viderur, agnoscit, cujus præfatio multa prolixè de Petronianis editionibus in universum commemorat: Valefius, Wagenfeilius, & alii quidam, diverfium judicant, de fide Statilii & MSS. codicis dubitantes: queis accedunt etiam Placcius l. c. & Joh. Frid. Gronovius, lib. Novo Observat. pag. 198. & Franc. Vavaffor Epigrammatum lib. II. ep. 81. 82. 83. Tandem vero productus codex MSS. ille Dalmaticus Romæ est, & fcriptura ejus fatis antiqua observata, ut dubium quoque amplius nullum superesset. Id docent me literæ Clar. Schefferi, Ann. 1669. Mense Martio ad me fcriptæ, quarum verba apponam. *Ego nihil habeo, quod nunciem, nisi hoc unicum, quod scribam non meis, sed Clar. Falconerii Serbis, ex Epistola Romæ exarata ante sex hebdomadas ad Nobil. Nicol. Heinsium. Exciderat, inquit, pene, quod Cl. Schefferum scire præcipue interest, allatum huc tandem e Dalmatia Petroniani fragmenti codicem, quem, constanti eruditorum omnium suffragio, ante 300. circiter annos scriptum fuisse constat: ut inde validissimum argumentum peti possit ad eorum opinionem evertendam, qui id fragmentum supposititium asserere præcipiti judicio conati sunt. Nemo enim erit, cui persuadeant, ea ætate quenquam fuisse, cui Petronii larvam gestare, atque in Autore supposito parvo edendo, qui ea tempestate, ut credibile est, vix eruditioribus notus fuerit, gloriam quaerere in mentem venire potuerit. Ex his verbis, inquit porrò Schefferus, poterit intelligere, me non esse tam stolidum, ut visus sum aliquibus per Germaniam. Post tantas iraque magnorum virorum litas, tandem istud fragmentum suo loco apud Petronium insertum est, in optima Editione, quam, cum Variorum Commentariis, Amstel. 1669. in 8. Mich. Hadrianides procuravit. (Exinde vero surrexit, qui, præter istud fragmentum Petronianum, non alia solum multa, sed totum, si credere fas est, Sartyricon Petronii, Albæ Regali a Christianis A. 1688. expugnatae, erutum, sibi que a Du Pinio quodam, Gallo nobili, sub Imperatore stipendia merente, communicatum Franc. Nodotius, iidem miles, Roterodami An. 1693. in 12. in lucem publicam exire jussit, non sine confidentissima Criticorum provocatione, quos non temere nova fragmenta ista rejecturos autumat. Atque idem etiam Gallus alius, Sartyrici Interpres sensit: cujus versio, cum Latino Nodotii, apud Belgas Amstelodami (etiamsi Coloniam titulus præ se ferat) An. 1694. in 12. prodiit. Verum is nimis Petronii petulantiarum amator est, adeoque non mirum, si avide, quæ ad eum supplendum Nodotius produserat, approbavit. Sunt alii, neque ii in arte Critica postremi, queis de Nodoriani Petronii Editione aliter visum est.)*

POMPONIVS MELA, Geographus Latinorum celeberrimus, collocari adhuc ante Senecas debuisset, si strictam adeo ætatis feriem in singulis Auctoribus sequeremur. Namque is sub Claudio Imp. vixit, Hispanus natione. Libri ejus III. *de Situ Orbis* primum ab Aldo Venetiis, tum & Florentiæ apud Juntas editi sunt: scholiis, emendationibus ac animadversionibus illustrati castigatique a Joh. Pet. Olivario, Joach. Vadiano, Hermolao Barbaro, Ferdinando Nonio Pintiano, aliisque. Posteriorum duorum castigationes Melæ, a se emendato, & spicilegio notarum aucto, addidit Andr. Schottus Antwerp: 1582. in 4. Sed tamen nemo melius, aut tam bene de Mela meruit, quam ISAACUS VOSSIUS, qui Autorem illum e plurimis

rimis MSS. codicibus emendatum, & eruditissimis longe Animadversionibus illustratum, Hagæ Com. 1658. in 4. non sine magno doctissimorum Virorum applausu, dedit. Sed, cum in notis suis nimis frequenter, & præter rem etiam, Salmasii Pli-
nians in Solinum Exercitationibus insultasse JAC. GRONOVIO Vossius videretur; nova ille editio Melam Lugd. Batav. 1685. in 8. cum suis annotationibus, dedit, Vossium subinde haud paulo vehementius castigans. Verum neque Vossius impu-
ne se perstringi passus est, edita Londini 1686. in 4. Appendice observationum ad Melam, in qua Gronovium strenue depexum dat: (quam tamen acerbitatem Gronovius cum concoquere non posset, magno animi efferati impetu in nova sua Melæ editio-
ne, nuper A. 1696. post obitum Vossii, vindicavit.) Refert alias Scioppius, se Madriti, apud Joh. Fonsecam, Petri Ciacconii Commentarium MSS. in Melæ de Situ Orbis libros vidisse.

Meruerat quoque supra jamdudum memorari GRATIUS, Poëta Augu-
sto rerum potente clarus, memoratusque Ovidio, quique adeo magis ad ætatem auream referendus foret. Scripsit *Cynegeticon*, sive *de Venatione librum*, qui hodie-
que, sed non integer, superest: editus a Sebast. Gryphio Lugduni cum aliis An. 1537. a Petro Pithceo inter Poëmata veterum Parisiis 1590. in 12. a Casp. Barthio, tum duodecenni (vid. Advers. lib. LVII. c. 17.), Hanov. 1613. in 8. & qui com-
mentarium elegantissimum in Gratium scripsit, a Joh. Ulitio Lugd. Batav. 1653. in 8. Sed, cum hic Barthium, in eo commentario suo, sæpe & acriter refutasset, occasionem Matthæo Lego dedit, ut singulari Dissertatiuncula Barthium adversus
Ulitium tueretur, Lipsiæ 1659. in 4. Manutius in quadam epistola de Gratii Cynegetico judicat, eidemque, quod miror, Petrum Bargæum, novitium Scriptorem, præfert.

Ceterum refertur etiam ad argenteam ætatem Lucaño coævus Poëta alius,
A. PERSIUS FLACCUS, Satyricus sæpe plus quam ferreus, imo saxeus: nam satyrica ejus dictio supra modum horrida est, & Juvenali, ætate licet inferiori, postponenda. Extat antiquus in illum *Scholias*tes, non Cornutus, licet id nomen in Codicibus aliquibus præ se ferat, cum tamen Cornutus fuerit Persii Præceptor, sed Acron, ut probabilius aliqui opinantur: vid. Placcius *de Pseudon.* p. 179. Indiget autem aliquo scholiaste Persius, nimium alias obscurus, & propterea contemptus Scaligero aliisque nonnullis: sed quem tamen recentiores aliquot Commentatores adeo egregie illustrarunt, ut vix quicquam amplius desiderari jure queat. Antecellit omnes ISAACUS CASAUBONUS, cujus *Commentarium* Jos. Scaliger in epistolis satis extollere non potest, prodiit primo Parisi. 1605. in 8. aliquoties deinde recusus: optima editio est, quæ Londini a filio Merico Casaubono Lond. A. 1647. in 8vo est procurata. Veterem scholiasten e Bibliotheca sua primus Pet. Pithceus publicavit. Cum variorum integris commentariis, El. Vineri, Joh. Britannici, Phil. Beroaldi, Ang. Politiani, Pet. Pithcei, Theod. Marcilli, prodiit Lutetiæ 1613. in 4to Jodoci Badii, Joh. Britannici, Joh. Bapt. Plautii, Ant. Nebriffensis & Joh. Murmelii Commentaria jam A. 1551. fol. junxerat Basileæ Frobenius. *Paraphrasin* in Persium scripsit Eilhardus Lubinus, quæ additur ejus *Commentario* in Juve-

Juvenalem, (cum quo scilicet ut plurimum edi Persius consuevit) Hanov. 1629. in 8. Scripsit & Frider. Ceruthus paraphrasin, quæ Verostæ A. 1600. prodiit in 4. Indicem omnium vocabulorum Jos. Langius composuit, cum Juvenale Friburgi A. 1608. in 8. editum. Barthol. Fontii commentarium eximium in Persium, alias *ἀνέκδοτον*, Augustus, Dux Brunsvicensis, adhuc Junior, edidit, memorante Conringio de Biblioth. Augusta p. 86. Cl. Salmasii notas etiam plusculas accessisse ad nitidissimam Juvenalis & Persii editionem Lugduno-Batavam, quæ, Screvelio procurante, cum scholiis veteribus, A. 1648. edita est, Laur. Crassus Tom. II. Elogior. p. 210. & Clementius in Vita Salmasii p. 67. testantur. Alia editio Batava cum notis variorum A. 1684. prodiit. In usum Delphini a Ludov. Prateo Persius est, una cum Juvenale, datus Paris. 1684. in 4. Th. Farnabii, Wedderburnii & Joh. Bondii labores tiro-nibus inservire possunt. De patria Persii singularem dissertationem scripsit Ludov. Aprosius teste Greg. Leti Ital. Regn. P. I. l. III. p. 372. seq.

14 Obscurum Poëtam Historicus excellentissimus, Q. CURTIUS RUFFUS, excipiat, cujus dictio omnium consensu præ ceteris, ob nitorem in verbis, argutiam in sententiis & orationibus, & periodorum concinnitatem, commendanda est. De ætate autem infinitæ propemodum eruditorum Virorum lites: dum aliqui ad Augustum, ad Claudium alii, ejus tempora referenda putant; Trajanum nonnulli imperasse autumant, cum scriberet Curtius, pluiimi Vespasianum: Barthius ad Theodosiana tempora illum refert. Demum nonnulli plane suppositivum esse scerum censent, ab Italo nescio quo, ante hos trecentos annos, effictum. Nolumus, in allegandis variarum opinionum Auctoribus, esse prolixiores, quandoquidem id non solum a Vossio in Historicis Latinis, lib. I. c. 28. factum, sed & multo adhuc fufius a Freinshemio, qui omnes, quotquot reperire potuit, Virorum doctorum de Curtio opiniones suæ editioni inseruit. Declsmatorium quid, & argutias scholæ umbram ostentantes, in illa floriditate Curtii BARTHIVS agnovit, l. XXVII. Adversar. c. 15. atque id in orationibus præcipue patet fieri contendit: cui non obscure consentit etiam BUCHNERUS, Epist. P. II. Ep. 32. p. 116. seq. qui argutam comulamque brevitate Curtii, & propius ad dulcia illa, quæ Fabius vocat, vitia accedentem, adolescentibus unice ad imitandum proponi non probat; cum multo citius illi simplicem Cæsaris Neposisque facilitatem, aut fufam orationem Tullii, quam anxium istud & elaboratum, demorfosque sapiens unguis dicendi genus affecuturi victeantur. Interim tamen neque rejicit Curtium, neque inter fictos ab impostoribus Auctores ablegat: quod præter illos, qui a Freinshemio allegantur, fecit quoque nescio quis Gallus, Guidonis Patini præceptor, de quo Patinus ipse Epist. 27. pag. 96. seq. videri potest. [Multo majore vero, quam omnes, qui præcesserant, apparatus JOH. CLERICUS, Vir Cl. in libro *de Arte Critica*, nuperrime in lucem emisso, Curtium e genuinorum Latinorum auctorum numero excludere allaborat, eique rei probandæ totum partis secundæ librum impendit. Enimvero, si in Bibliotheca Florentina Codex Curtii, septingentis minimum abhinc annis, Luca Holstenio judicante, scriptus, later, & si eum vidit in illa Bibliotheca Celeb. Wagenfeilius, approbatque

Holstenianum iudicium (quod utrumque in Pera Juvenil. Libror. T. IV. p. 178. testatur, & facit) frustra profecto e scribendi ratione, e vitiis in Geographia commissis, similibusque aliis, Curtius Auctor novellus esse impostor probatur; ut alias multas rationes taceam, quas loco cit. Auctor celeberrimus apponit.] *Editio* Curtii studiosissime recenset Joh. Freinshemius, qui cum egregius plane supplementis, Commentario luculento, & omnigena eruditione referto, indiceque amplissimo, Curtium Argentorati An. 1640. 2. tomis in 8. edidit. Ea editio Freinshemiana postmodum semper reliquis omnibus praestare existimata est, & recusa Argentorati 1670. in 4to. a Belgis autem excerptae Freinshemii notae ceteris variorum adjectae sunt. Praeterea suas curas Curtio impenderunt Franc. Modius & Valens Acidalius, nec non Matthaeus Raderus, cum cujus commentario Curtius Coloniae An. 1628. in fol. editus est. Elegantem quoque editionem Curtii, iconis multis interstitam, & notis ad explicationem Auctoris facientibus illustratam, dedit Ultrajecti A. 1685. in 8. Sam. Pitiscus: nec non aliam, a se novis supplementis, notis, tabulisque Geographicis, instructam, Christoph. Cellarius Lipsiae 1688. in 12. (Utraque verò tum Pitisci tum Cellariana, A. 1693. iterum recusa est.)

C A P. XIII.

QUO AUTORES AETATIS AENEAE LATINI
RE C E N S E N T U R.

1. C. Plinius Secundus, Hist. Nat. Scriptor. 2. C. Plinius Cecilius Secundus, Epistolographus, & Panegyrista Veteres, Pacatus, Mamertinus, Nazarius, &c. 3. M. Fabius Quintilianus, & Declamationes ei jungi solite. 4. C. Cornelius Tacitus, & Autor Dialogi de Causis Corruptae Eloquentiae. 5. Sex. Julius Frontinus. 6. L. Annaeus Florus. 7. Silius Italicus. 8. Valer. Flaccus. 9. Papinius Statius. 10. Dec. Junius Juvenalis. 11. M. Valer. Marzialis. 12. Sulpitia Poetria. 13. C. Suetonius Tranquillus.

Sub Vespasianis, ad quorum tempora Curtium a nonnullis relatum paulo antea diximus, AENEAM LATINORUM SCRIPTORUM AETATEM coepisse, argentea nonnihil pejorem, sed tamen meliorem ferrea, statuentibus multis assentimur. Sit itaque primus, qui in aula Vespasiani magni nominis Vir fuit, & familiariter admodum Imperatoribus usus est, C. PLINIUS SECUNDUS, *Naturalis Historiae* conditor, ob quod Opus servatum causam profecto habet literaturae orbis, cur sibi gratuletur: ut vicissim etiam tot aliorum ejus laborum (quos longo ordine Plinius junior recenset Epist. lib. III. ep. 5.) jacturam aegre fert; inprimis dolet Germania deperditos *de Bellis Germanicis libros XX.* Nam, licet, eos in Bibliotheca Augustana latere, se alicubi legisse Gesnerus in Bibliotheca memoret, nihil tamen ejus in Catalogis MSS. Augustanae Bibliothecae reperitur: nec abs re

G. Joh. Vossius Gesnero esse fucum per epistolam ab aliquo actum suspicatur, cum jam Symmachi ævo non usque adeo obvii illi Commentarii fuerint, de Histor. Lat. lib. I. c. 29. Indignum quoque profecto, nondum hætenus prodiiſſe Naturalis Historiæ editionem tam docto sæculo dignam, sed in tenebris macularum suarum tam pulchrum Opus diu adeo delituisse. Neque enim ullum e veteribus Auctoribus esse credo, qui scædioribus erroribus sit oppletus, queis non sine magno labore medicina adhiberi potest. Nec suppetit ea MSS. Codicum copia, quibus supplere hos defectus possimus: nam & qui adsunt Codices, corruptissimi sunt, si Jos. Scaligero & Tanaq. Fabro fides Prim. Scalig. p. 20. a descriptoribus nempe, Monachis ut plurimum Benedictinis, imperitissimis rerum harum, depravati. Est tamen Codex unus Plinii notæ optimæ in Bibliotheca Gottorpensi. Primus emendando Plinio manus admovit Hermol. Barbarus, postea Sigism. Gelenius, & Beatus Rhenanus, e quorum curis aliquoties Basileæ Plinius prodit: Ferdin. Nunnuz, seu Nonius, Pintianus, & Steph. Aquæus, Commentariis & Observationibus Plinium illustrarunt, ille MSS. duobus usus. Post hos, JACOBUS DALECHAMPIUS Plinium ad MSS. Codices recognovit, suisque notis ac observationibus illustratum dedit Lugduni in fol. 1587. sed quem non adeo feliciter suo labore functum Scaliger testatur Prim. Scaligeran. p. 69. ubi ita: *Dalechampius, vir alioqui bene doctus, Plinium emendandum & excudendum suscepit: sed, qua est audacia, omnia invertet & corrumpet: quia, quod multi solent, si hoc illi idve vocabulum non arridet, statim immutat, ac sepe in deterius.* (Varem fuisse Scaligerum, & audaciusculas esse omnes Dalechampii conjecturas, nec ulla omnino ex iis fat felices, Joh. Harduinus ait, adeoque non pauciores sibi pugnas cum illo, quam cum Amanuensibus corruptoribus, conferendas fuisse adjicit.) Recusa est editio Dalechampii Francof. 1608. in 8. Cum emendationibus Salmasii Plinius Lugd. Barav. apud Elzevirios, tribus in 12. tomis, editus 1631. Cum Variorum, Pintiani, Gelenii, &c. suisque notis eum procuravit Joh. Frid. Gronovius Lugd. Bat. 1669. 3. vol. in 8. sed commentaria tenuia sunt, & lectorem sæpissime destituunt. (Interim, quas Gronovius notas in libros posteriores Plinii, inde a viceſimo incipiens anno 1648. ediderat, tanti Harduinus, haudquaquam prodigus aliorum encomiastes, æstimat, ut suas observationes illis similes universas optet.) Extat & Jac. Milichii Commentarius in librum secundum Plinii, Lipsiæ editus apud Vægelium: sed ille res potius ipsas tractat, quam sensum Auctoris investigat. (Sunt præterea longe plurimi, qui per partes Plinium illustrarunt, modo librum integrum, modo libri particulam, aut Operis totius prologum, sibi explicandum sumentes, quorum integrum Catalogum Harduinus recenset.) Insignes in Plinium labores elucubraverat, & typis mandaverat, Augustus Valdus, sed qui maligno fato a militibus discerpti sunt & incendio consumti, referente Pierio Valeriano de infelicitate Literator. pag. 44. Locum Tom. I. nostri Polyhistoris, lib. I. c. 25. §. 25. excerptimus. Perrum Ciacconium notas in Plinium scripsisse testatur Scioppius, eidemque consentiens Jan. Nic. Erythræus, Ciacconii Majorum Vigiliarum Opus in Plinium extare scribit Pinacoth. I. pag. 191. quod tamen editum non credo. (Sane nec Harduinus, diligentissimus talium librorum investi-

vestigator, illud novit, adeoque ne quidem nominat.) Quam maxime vero ad Plinii illustrationem faciunt CLAUD. SALMASII *Exercitationes Plinianae*, quae nihil aliud sunt, quam vastissimus in C. Jul. Solinum, Plinii exscriptorem & epitomatorem coævum, Commentarius, Parisiis A. 1629. duobus in fol. voluminibus, primum vulgatus: & recusus A. 1689. Trajecti ad Rhenum: in quod opus Salmasius omnes fere vastae eruditionis suae thesauros, credo, exhaustit: omniumque meruit admirationem. (Sed tamen infensior illis HARDUINUS est, & licet plurima iis inesse erudite dicta non neget, esse tamen ait plurima ab illustrando Plinio aliena: difficillima pleraque sicco pede transmissa queritur, quae bona sint & Plinianis locis aliquid lucis afferant, ea fere tota ex alienis hortis esse subrepta: quae ab ipso primum excogitata, pleraque nigrum theta poscere. Haec de Salmasianis Exercitationibus justo (si maxime deprecetur) acerbiora Joh. Harduinus, celeberrimus Jesuita Gallus: qui Plinium nova ac splendidissima facie, & a sordibus mirifice perpurgata, Parisiis, in usum Delphini, A. 1685. quinque voluminibus in 4. dedit, exquisitum Opus & aeternitate dignissimum: ad quod edolandum non solum MSS. codicibus Regiis, Colbertinis, Vaticanis, Lugdunensibus, San-Victorino, Rhedonensi, usus est, sed & editos omnes libros Plinii, & Commentatores, & veteres scriptores Graecos Latinosque magna copia, nec minore diligentia judiciove, evolvit, ut sic Plinium sibi redderet, interpretatione ac notis eruditissimis illustraret, nec non indicibus amplissimis ornaret. In praefatione Editores & commentatores omnes longo ordine, addita de quamplurimis crisi sua, commemorat, tum & uberrime instituti rationem exponit. Praeterea, cum librum primum, qui nihil aliud, quam index totius Operis ab ipso met Plinio confectus est, simulque Auctores, quibus usus erat in conscribenda sua Historia Naturali Plinius, studiosissime recenset, cum eum, inquam, hactenus mire corruptum, ope codicum MSS. egregie restituisset, Indicem Auctorum illi annexuit, quo juxta seriem alphabeti dispositorum Auctorum, quotquot a Plinio usquam allegati sunt, omnium historiam pro instituti ratione luculenter exponit: adeoque modis omnibus de suo auctore bene mereri studuit.)

Referemus huc quoque haud immerito Plinii ex sorore Nepotem & ex adoptio-² ne filium, C. PLINIUM CAECILIUM SECUNDUM, qui & *Plinius minor* dicitur, ille Trajani Imp. familiaris, splendidissimis muneribus functus. Ejus extat *Panegyricus* arte magna, nec minore dictionis concinnitate, compositus, & haud abs re prudentiae civilis Imperatoriae penu dicas: & *Epistolae* elegantissimae, quas ob concinnam adeo breviter, ipsismet Ciceronianis nonnulli praefereunt; cum contra Politianus (*Epist. I.*) & alii, totum illud Plinii seculum aspernantes, Plinius etiam Senecis judicent ratione styli deteriores. Conjunctim *Panegyricus* & *Epistolae* aliquoties prodierunt: imprimis vero commendanda editio, quae, cum J. Casauboni notis, adjectis una Pacati, Mamertini atque Nazarii *Panegyricis*, ex officina H. Stephani A. 1591. in 12. prodiit. *Panegyricum* seorsim, cum doctorum Virorum notis, edidit Matth. Berneggerus Argentinae 1635. in 4. Alios quosdam Commentatores in illum videas in *Opere Panegyricorum*, 1643. edito in 12. *Epistolas* notis ac observationibus, indicibusque amplissimis, illustravit Claud. Minos Parisi 1588. in 12. quae rarior editio est, nec notae

illæ comparent in editione Buchneriana, Francofurt. ad Viadrum 1664. in 8. excusa, cum notis Aug. Buchneri ipsiusmet & aliorum, addito quoque Plinii Panegyrico, ceterisque Panegyristis Latinis, sed sine commentario. Multum operæ, post hunc & alios, in Plinii epistolis emendandis illustrandisque, posuit JAC. THOMASIVS, qui præfatione fufe de singulis Editionibus agit; tum ipsimet libro suas & aliorum, partim integras, partim selectas, animadversiones adiecit, Lipsiæ 1675. in 8. & 1685. (Denique nuper etiam A. 1693. CHRISTOPH. CELLARIUS Plinii Epistolas, & Panegyricum, cum novis suis Commentariis, sane quam elegantissimis, tabulis nonnullis Geographis, queis ad intellectum Epistolarum Plinianarum opus esse putabat, & novo Latinitatis indice, Lipsiæ in 12. exhibuit.) Memoranda inter epistolas Plinii potissimum illa, qua Christianorum mores describit, adeoque causam agit persecutionem passorum: quam præter alios noster etiam Chr. Kortholtus peculiari commentario 1674. Kilonii illustravit (oo) Veteres Panegyricos, adeoque in iis etiam Plinium, in usum Delphini, edidit Jacobus de la Baune Paris. 1676. Est vero, ut hoc obiter hic addamus, pro temporum varietate, varia quoque horum Panegyristarum Latinitas; inceduntque ii, qui post Plinium scripsere, miro dictionis tumore verborumque intempestivo admodum potissimo: ut adeo non temere iis uti quis debeat, nisi qui prius aureæ ætatis Scriporibus se firmaverit.

- 3 Plinii junioris præceptor fuit, prout ipse id Epist. lib. II. ep. 14. indicat, M. FABIVS QUINTILIANVS, ille veteris eloquentiæ strenuus resuscitator, totiusque Italiæ magister optimus: in quo Hispanitatem (erat enim Calaguri, oppido Hispaniæ, natus) perperam a Franc. Philelpho esse notatam, libro de Patavinitate Livii dictum a nobis est c. 9. Ejus Institutiones Oratorias, sub Domitiano Imp. scriptas, elegantissimum Opus, primus in Constantiensi Concilio, in Salsamentarii officina, reperit Poggius Brandolinus, seu Florentinus, referente in Elogiis Jovis. Eæ vero multoties per Italiam, Germaniam, Galliam, Belgium & Angliam impressæ sunt. Adscribuntur illi quæque Declamationes XIX, quæ in quamplurimis Editionibus, una cum

(oo) Ante Christ. Kortholtum, Theologum Kiloniensem (cujus Commentarius Kilonii A. 1674. & seqq. Disputationibus ventilatus est publicis) Plinii Junioris de Christianis Epistolam seorsim illustrarunt Franc. Balduinus, Atrebas, Jctus Seculi XVI. eximius, in Legibus & Edictis Veterum Imperatorum de Christianis, ab ipso collectis, explanatis, ac Basileæ in 8vo editis, & Gerh. Joh. Vossius, ejus in eam Commentarius haud adeo magnæ molis, una cum Opusculis de Cognitione sui, & Ratione Studiorum, Amstelodami A. 1656. in 12mo prodiit. Pliniani Panegyrici illustratoribus addantur Marcus Zuer. Boxhornius, qui seorsim eum Lugd. Bat. 1632. in 12mo, & deinde junctim cum epistolis ibidem A. 1648. & Amstelodami An. 1659. in 12mo, recensuit; Johannesque Henricus Bæclerus, ejus Commentationes Pliniana; quibus præcipue incomparabilis Panegyrici maturitæ explicantur, Argentorati A. 1640. in 8vo sunt excusæ. Dominici Baudii Commentarium itidem, a nonnullis video allegari, mihi nunquam visum, cui sola ejus impotuit Oratio in C. Plinii Panegyricum Auspicialis, publicis in eum Lectionibus præmissa, quæ inter Orationes ejus, junctum cum epistolis sæpius publicatas, est Septima.

cum Institutionibus, conjunguntur, sed quas non esse hujus Quintiliani, jam olim Erasmus, & cum eo non pauci, dubitarunt. Alias itidem CXLV. *Declamationes* Quintiliani, quæ ex 388. supersunt, a Pet. Pithæo partim emendatæ, partim primum editæ, pariter ejus nomen mentiri, longe plurimi arbitrantur. Prodiit illa Editio Pithæana, Paris. apud Mamertum Patissonum 1580. in 8. recusa Heidelbergæ apud Commelinum 1594. in 8. & una cum Institutionibus Genevæ 1591. ac 1604. in 8. Alias memoratu digna est editio illa Quintiliani, quam, cum Pet. Mossellani, Joach. Camerarii, Ant. Pini suisque commentariis, Petr. Gallandius Paris. 1549. apud Vascofanum in fol. publicavit. Edidit illum quoque cum suis commentariis DAN. PARÆUS: sed, ut ille semper est plagiarium, & Criticorum potius simius, quam filius; ita hic quoque Ludov. Cresollii *Theatrum Rhetorum*, *Vacationes Autumnales*, librosque de pronuntiatione & actione, strenue exscripsit. Editio variorum Quintiliani prodiit Lugd. Bat. 1665. in 8. Breves notulæ Pauli Colomesii in Institutiones Quintiliani in ejus Opusculis, Ultrajecti 1668. in 12. editis, leguntur. (Oxonii haud ita pridem EDMUNDUS GISSON Institutiones Quintiliani nova editione in lucem emisit, e tribus MSS. codicibus emendatas, & novæ cujusdam hactenus ineditæ declamationis (cum reliquæ alias editæ non adsint) accessione locupletatas. Memorât quoque Henr. Dodwellum, V. Cl. *Annales* Quintilianeos apud se confectos habere, viram Oratoris hujus uberrime exponentes. Prodiit liber Oxon. 1693. in 4. ajuntque nunc Argentinæ illum denuo recudi. Anno præcedente 1692. Oxonienses Quintiliani *Declamationes* ediderant, & quidem solas XIX. priores, miserâ illas, quas vocant 145. a Pithæo editas, ne quidem suis laboribus dignas judicantes. Adjectus vero etiam est *Dialogus de causis corruptæ eloquentiæ*, qui a nonnullis, sed male adscriptus Tacito, cum ejus *Operibus* una edi solet, ab aliis Quintiliano, & hinc in Genevensi aliisque editionibus hujus reperitur: de quo paulo post.)

Eodem cum Plinio & Quintiliano tempore vixit C. CORNELIUS TACITUS, nempe qui a Vespasiano inde ad Trajanum publicis muneribus functus est; Plinio etiam, prout ex *Epistolis* liquet, familiaris; plane singularis prudentiæ Vir, eamque ob causam maximis quibusque principibus semper in oculis gestatus. Maledicum enim est judicium SCROPPII, qui libro suo *de Stylo Historico* Tacitum malignum & solæcum Autorem, adeo nequitiarum Magistrum juventuti e manibus excutiendum putat: substitutus (quæ pietas viri est) Siracidis sententiis & Machiavello. Non magis sanum erat, quod de stylo ejus dixit Alciatus, eum præ Pauli Jovii scriptis mera esse senticera; aut quod Æmil. Ferrerus Tacitum non satis Latine scribere judicabat. Satis duobus his obviam ivit Vossius *de Histor. Lat. l. 1. c. 30.* qui tersam, elegantem & limatam Taciti dictionem agnoscit. Sed tamen nonnunquam Tacitum nimis Politico ingenio suo indulgisse, magisque finxisse, quam indagasse aut exposuisse actionem eorum Imperatorum, quorum historiam exponit, causas, haud abs re aliqui animadverterunt, Rupertus sc. in *Observat. ad Histor. Univ. Besoldi p. 281. sq.* &, qui consentit illi, Gallus Jesuita

BOHURSIUS, in libello elegantissimo *εὐνομήτως* edito, quem inscribit *La maniere de bien penser sur les ouvrages de l'esprit* p. 308. ubi hunc in modum de Tacito: Tacito est à la verité un grand Politique, & un bel esprit, mais ce n'est pas un excellent Historien. Il n'a ni la simplicité, ni la clarté, que l'histoire demande: il raisonne trop sur les faits: il devine les intentions des Princes plutôt qu'il ne les découvre: il ne raconte pas les choses, comme elles ont été; mais comme il s'imagine, qu'elles auroient pu être. Enfin, ses reflexions sont souvent trop fines, & peu vraisemblables. Conferendus etiam huc Scriptör plane eximus, RENATUS RAPINUS, in Meditationibus suis ad Historiam (*Reflexions sur l'Histoire*) pag. 293. sq. qui, quid in Tacito laudem, quid vituperium mereatur, candidè exponit. Ceterum Commentariorum in hunc auctorem integra pene Bibliotheca extrahitur, quorum catalogum inire peculiaris Dissertationis res est. Sunt, qui in illum Criticas notas; sunt, qui Politica commentaria scripserunt. E Criticis, seu Philologis, post Franc. Puteolanum, Phil. Beroaldum, Beat. Rhenanum, Andr. Alciatum, Vincent. Lupanum, Marcell. Donatum, Æmil. Ferrerum, M. Vetrarium Maurium, Fulv. Ursinum, Josiam Mercerum, Curtium Pichenam & M. Ant. Muretum, imprimis clarus Taciti Commentator JUSTUS LIPSIUS est, qui tanto eum amore deperibat, ut integrum teneret memoria, nullusque dubitaret, quin, etiam si inieret Tacitus, e sua, Lipsii, memoria restitui commode iterum posset: Juvenis cum primo edidit Antwerpæ 1574. in 8. mox secundum, deinde tertium, quartum, atque quintum revidit. Et post tot tamen suas repetitas identidem curas atque emendationes Lipsium Tacitum non intellexisse, & nihil minus fecisse, quam ut eundem illustraret, Bohursius, libello allegato p. 358. contendit: quod tamen judicium nimis acerbum est. Alias non diu post editum primo Tacitum Lipsius cum Mureto de locorum quorundam emendatione acriter digladiavit, dum nempe Muretus eas Emendationes sibi surreptas quereretur, & vero pernegaret Lipsius. Historiam fuse satis Jac. Thomasius exponit *Dissert. de Plagio Liter. §. iv. seqq. & 222.* qui Lipsium non omnino a plagii crimine absolvit. Tendit eodem laticula, quam cum personato Scriptore, Pompejo Lampugnano (Palatini Electoris Confiliario,) Lipsius aluit, & quæ, tum e Thomasio ll. cc. tum e Placcio de *Pseudonymis* p. 216. peti potest. Post eum LUDOV. AURELIANENSIS (d'Orleans,) in Tacito emendando, suam operam collocavit Paris. 1622. in fol. editam: sed parum feliciter omnino; quandoquidem audacissimus in corrigendo, seu potius, quo nihil pejus in arte Critica, ex ingenio suo depravando Auctore est, neque adeo multam gratiam promeruit. Cum Variorum notis Tacitum Janus Gruterus edidit Francof. 1607. in 8. Si indicem velis, Tacitus Matth. Berneggeri præstat ceteris, editus Argentorati 1664. in 8. cui nempe præstantissimum indicem Melchior Freinsheimius (Johannis aut frater, aut Agnatus) subjecit. Moliebatur Johannes Freinsheimius, qui præfationem præmisit, longe amplio rem Taciti editionem, paraphrasi, commentariis indiceque luculentissimis instructam; jamque ediderat A. 1641. Specimen Paraphræos Cornelianæ in Tiberiani Principatus annos XV. cum versionibus quinque linguarum comparatam; quod si ad finem perduxisset, non fuisset labor inutilis. In Germaniam Taciti seorsim editi sunt Commentarii Andr. Altham-

Althammeri, Jod. Willichii, Cyriaci Lentuli, Georg. Casp. Kirchmajeri, Herm. Conringii. In Agricolam extat Commentarius Mich. Virdungi, Matth. Berneggeri, Marc. Zuer. Boxhornii. Commentatores Politici hujus quidem loci non sunt, sed notari tamen nomina nonnullorum possunt: Scipio Ammiratus, qui inter optimos est, cujusque in Tacitum Discursus Italico sermone conscriptos Junta 1598. in 4. Florentiæ excuderunt: Phil. Cauriana, itidem Italus, qui vernaculo sermone in quinque primos annalium libros scripsit Romæ 1609. in 4to, & Trajanus Boccalini itidem peculiari commentario Italico; qui & in Relationibus suis ex Parnasso hic illic de Tacito lectu dignissima & jucunda inspergit. Latine in Tacitum Commentarios Politicos adornarunt Annibal Scotus Francof. An. 1609. qui aphorismos politicos extraxit: Christoph. Forstnerus, cujus notæ & dissertationes elegantissimæ, Argentorati & in Belgio, nisi fallor, impressæ, in omnium manibus sunt: Joh. Henr. Bœclerus, a quo Notas Politicas in primordia Annalium Taciti & Historiarum libros, Argent. An. 1664. editas, habemus: Andr. Canonherius, a quo Quæstiones & discursus in primos duos Taciti libros, Romæ 1609. in 4. editi, fluxerunt: & forsân alii. Pulcherrima editio Taciti, cum notis Variorum, a Joh. Frid. Gronovio adornata, prodiit Lugduni Bat. tomis II. in 8. quam ille moriens Regi Galliæ inscripsit. Integre illic notæ sunt Lipsii, Rhenani, Ursini, Mureti, Pichenæ, Merceri, Grueteri, Acidalii, Grotii, Freinsheimii, & selectæ aliorum. Gronovius integras notas suas adjecit, quas seorsim antea publicaverat: adjecit iis quoque Excerpta variarum lectionum e codice Oxoniensi Jac. Gronovius. In Delphini usum Abbas quidam Julianus Pichon, tomis quatuor, ab anno 1682. ad 1687. Tacitum edidit: Post hunc vero Theod. Ryckius, cum MSS. codicibus collatum, suisque illustratum animadversionibus, Lugd. Bat. 1687. in 12. emisit. Solet cum Taciti Operibus una excudi *Dialogus de causis corruptæ Eloquentiæ*, quem tamen ejus non esse, ob evidentissimam maximamque styli disparitatem, docti fere omnes consentiunt. Quintiliano autem, qui alicubi se talem librum scripsisse refert, tribuunt plerique, queis tamen contradicunt Lipsius, Barthius, Vossius, & Tanaq. Faber, incertum ejus Auctorem existimantes, & propterea abjudicantes Fabio, quod Auctor dicit, se quæsturam, tribunatum, præturam, Romæ accepisse; cum de Quintiliano constet, eum nihil unquam dignitatis in republica esse consecutum. Vid. Voss. Hist. Lat. pag. 159. cujus in eo quoque judicium approbamus, quod Autorem Dialogi, quisquis demum ille sit, disertum & sani omnino judicii fuisse scribit. Conf. Barthii Advers. lib. XLIV. c. 8. Placcius de Pseudon p. 261. Tap. Faber Not. ad Longin. pag. 239. & Ger. Langbainius ad eund. qui satis etiam exinde concludi posse, falso tribui Quintiliano dialogum istum, arbitratur, si quis ea, quæ ad finem libri octavi dicit Quintilianus, cum iis, quæ in Dialogo dicuntur, conferat. Vossius alibi, nempe de Natura Rhetor. c. 15. pag. 107. præter Tacitum & Quintilianum, quibus Dialogus adscribi solet, Junium quoque Gallionem nominat, M. Annæi Senecæ filium secundo genitum, Luciique fratrem, quem Eloquentia claros etiam suæ ætatis viros vicisse ex ipsius patris, tum & Statii, testimoniis confirmat. Ceterum

rerum, cum se Tacitus politicis adeo probarit, mirum non est, si in omnium cultioris Europæ gentium linguas translatus sit, Italicam, Gallicam, Germanicam, Belgicam, Hispanicam, Anglicam: & in aliquibus etiam plus semel versus compareat. Sed tamen non ejusdem quoque generis versiones omnes sunt: sane enim, quantis obscuritatibus Tacitum Itala versione sua involverit Bernardus de Avanzatis, Interpres nē quidem ipfismet suis civibus, Florentinis, intellectus, sed e Latino semper Taciti textu explicandus, enarrat prolixè Erythræus Pinacoth. III. pag. 218. seq.

Sub iisdem plane Imperatoribus, sub quæis clari erant Tacitus, Pliniusque, floruit quoque SEXT. JULIUS FRONTINUS, cujus *Stratagemata una cum Vegetio* Paris. 1607. edita sunt. Ejusdem de *Aquæductibus & Cloacis* libelli ab Onuphrio Panvinio Commentariis Reip. Romanæ inserti sunt Paris. 1588. in 8vo. Opera omnia, cum notis variorum Arnhemii prodierunt: ut & Amstelodami 1661. in 8. curante Rob. Keuchenio, qui suas quoque Notas adjecit.

Frontino L. ANNÆUM FLORUM addimus, Historiæ Romanæ Scriptorem compendiarium qui sub Trajano Imp. scripsit: quanquam & Hadriani tempora illum attigisse, eumque ipsum fuisse Poëtam, cujus in Cæsarem, & Hadriani vicissim in illum, versiculos Spartianus narrat, persuasus non sine ratione est Vossius, de Histor. Lat. l. I. c. 30. Dictionem si spectes, ad ætatem ferream referendus videtur, adeo multa in illo sunt non tantum non Latine, sed etiam stulte, dicta. Est enim in illo nescio quæ ventosa & panegyrica loquacitas, metaphoræ ineptæ & pueriles: ut adeo pessime faciant, quotquot ipsum ad Latinitatem tironibus commendant. Est tamen historiæ Romanæ non inutile compendium, cujus jacturam facilius ferremus, si Livium haberemus integrum. Florum insigni plagio excipit; nulla ejus facta mentione JORNANDES GOTHUS, historiæ rei Romanæ a Romulo ad Augustum narrans; sed & idem barbaro, qui sequitur, stylo suæ sorex sui ipsius proditor. vid. Thomaf. de Plagio §. 475. qui e Vossio eam observationem hausit. Variæ vero sunt *Editiones* Flori. Prodiit Venetiis apud Aldum 1521. una cum Polybio a Nic. Perotto Latine reddito: cum annotationibus Joh. Camertis Basileæ 1528. & 1532. cum Frid. Sylburgii notis Francof. 1588. Tom. I. Scriptorum Historiæ Rom. ex recensione & cum notis Eliæ Vineti Pictavii 1554. cum notis Jan. Gruteri & Claud. Salmasii, tum adolescentuli adhuc, Heidelberg. 1609. neque virum Salmasium ejus in Florum collatæ operæ pudit, quippe qui Florum denuo, cum amplioribus notis, & Luc. Ampelii Libro memoriali, Lugd. Bat. 1638. in 12. vulgavit. Freinsheimiana Flori Editio Argentorati An. 1632. & iterum 1636. in 8. summo studio est adornata, nec temere cuiquam alii concedit, seu textum, seu notas, & chronologiam, sive demum indicem, spectes: recusa etiam A. 1669. Extant & *Observationes Politicæ & Philologicæ in Florum*, CHRISTOPH. AD. RUPERTI, seorsim editæ, in quibus multum bonæ frugis est. Optime enim de Historicis meritis est Vir ille, ut testatur ejus scripta, pleraque posthuma: nam ipse mature satis concessit. A. 1680. Celeb. JOH. GEORG. GRÆVIUS Florum, cum suis unius notis, editit Ultrajecti, in qua Editione illud præcipue laudandum, quod subjecerit imagines & nu-

& numos, in quibus vel Imperatores, vel alii clarissimi Viri, vel Actus denique rei-publicæ & antiquitates repræsentantur: quibus oculo una cum historia objectis, tenacior inhaeret memoria rerum illarum. Præmisit & luculentam Dissertationem de Flori stylo, in qua per totum Florum excerpit inepte ac affectate dicta, a quibus cavere sibi debeant, qui eum legunt. In usum Delphini prodiit Florus, notis illustratus ab Anna, Tanaqu. Fabri filia, virgine tum, nunc uxore Andr. Dacerii, cujus fama cum Patris fama pari passu ambulat. Paris. 1674. in 4.

Paulo ante Florum, nempe sub Domitiano, *Historiam belli Hannibalici, sive Puni- ei II.* heroico carmine descripsit SILIUS ITALICUS, magnis dignitatibus in republica functus, (eo enim anno, quo Nero periit, Consul erat) opibusque clarissimus: sed minorum gentium Poëta, quippe qui magis fidem historicam, quam ingenium, in subsidium adhibuisse videtur. Sane illum Poëtam omnium antiquorum maxime tautologum, & ingenio postremum, vocat Barthius Advers. lib. XXXIII. c. 3. idque plenius ostendit c. 4. secutus jam olim ita censentem Plinium juniorem Epist. l. III. ep. 6. Scripsit in illum Dan. Heinsius, 12. circiter aut 14. annos natus; *Crepundia* quæ vocat, i. e. notas Lugduni Batav. apud Raphelengium 1600. & Cantabrigiæ in 12. edita: quibus additur quoque Dissertatio de veræ criticæ apud veteres orru, progressu, usuque. Jam vero An. 1483 Venetiis, cum Petri Marfi commentariis, Silius editus est: & cum locuplete Commentario Claud. Dausqueji An. 1618. in 8vo. (Nuper etiam a Christ. Cellario Lipsiæ, cum notis, vulgatus.)

Ut erat ferax Virorum doctorum ætas, qua Vespasiani imperabant, ita per-8
finent quoque huc Poëtæ M. Valer. Flaccus, Statius, Martialis, Juvenalis, de quibus nunc sigillatim dicendum. Et quod quidem VALERIUM FLACCUM at-
tinet, qui ætate reliquos antecedit, illum unum e Latinis felicissimum in Epico carmine, post Virgilium, fuisse Nicol. Heinsius, peritissimus de his judicandi artifex, censuit. *Argonautica* ejus (quæ morte præventus juvenis ad finem perducere non poterat,) post alios Commentatores, notis egregiis illustravit Ludov. Carrio, Ant-
verp. 1585. in 8. apud Plantinum, una cum Flacco primum editis, & deinde additis Justi Zinzerlingii notis, Lugduni 1617. in 12. denuo recensis. Inde Lamperus
Alardus Flaccum, cum suis, Christoph. Bulæi & Joh. Weizii notis, adjecto indice luculente, edidit Lipsiæ in 8. 1630. omissis tamen notis Zinzerlingianis, quas inter-
rim subinde compilavit: volueratque illas vindicare Zinzerlingii filius, si supervi-
xisset. Nitidissima autem est & emendatissima editio Valerii Flacci, quam Amste-
lodami A. 1680. Nicol. Heinsius edidit, cum præfatione, in qua de curatoribus priorum editionum, notarumque Auctoribus, agit.

Flaccum sequatur Epicus poëta alius, PAPINIUS STATIUS, generosus Va- 9
tes, ut eum Buchnerus nuncupat, magni, si quisquam alius, spiritus, & haud procul
a Virgilio locandus. Quanquam enim longe illo minor sit, ob tumorem istum &
Tomus I. Xxx xx loquen-

loquendi catachresticum morem; ingenii tamen in eo magna est præstantia. Putarim interim cum judicio legendum: multa enim sunt apud illum audaci furore dicta, quæ temere imitari nemo debet. Dissuadeo igitur omnino ejus lectionem in prima ætate, in qua ad imitationem optima sunt proponenda. Nam plus est in illo phantasiæ, quam judicii, ac verissimum, quod Borrichius de illo dicit, eum instar Alexandri, ut magnis virtutibus, ita magnis vitiis, scatere. PAGANINUS GAUDENTIUS peculiarem librum *de audacia styli Statiani* conscripserat; de quo sic ipse in Epistola ad Jac. Gaddium, quæ præfixa est hujus libro de Scriptoribus Non-Ecclesiasticis: *Librum ego scripsi, editionique paratum habeo, de Audacia styli Statiani, cui multa antiquaria philosophica atque alia, admiscuntur. Magni nempe facio Statii subline ingenium. Dum autem audaciam illi tribuo, non hoc ago, ut eum reprehendam: tantum cupio lectorem cogitare, an imitatione dignos judicet quosdam dicendi modos, qui in Thebaide, atque alibi, occurrunt.* Hæc ibi Gaudentius: sed cujus liber non magis in publicum exiit, quantum scio, quam similis Casp. Barthii, quo contra Scaligerum demonstratum dare volebat, non frustra Statium tumiditatis argui: vid. *Adversar. l. II. c. 18.* Prodiit Statius, ut editiones alias taceamus, ex emendatione cum scholiis Joh. Bernartii, Antwerpæ 1595. in 8. Sed vehementer illam editionem perstringit Barthius *Adversar. lib. VI. c. 4.* Cum notis Casp. Gevartii editus est Lugduni Batav. 1616. in 8. Sylvarum libri cum paraphrasi marginali Thomæ Stephani, ut & libri duo Achilleidos, prodierunt Cantabrigiæ 1651. in 8. Commentarium in Statii Sylvas scripsit Domitius Calderinus, quem vero Dominicum de Caldariis vocari debere alicubi Colomesius annotat, editum separatim Venetiis, & Paris. 1600. Cura Joh. Frid. Gronovii recensitus prodiiit Statius Amstelod. 1653. in 12. cum jam antea A. 1637. Hagæ Comitum ejus in Statium Diatribæ editæ fuissent. Est vero illi de notis in Statii Sylvas lis nata cum Emerico Cruceo, qui se Mercurium Frondatorem vocat; quem eleganti & festivo scripto, cui titulus Elenchus Anti-Diatribes, Paris. 1640. in 8. Gronovius retudit. (pp) Anno 1664. Cygnea

(pp) Historiam Certaminis inter Joh. Frid. Gronovium & Emericum Cruceum, Monachum, & Collegii cujusdam Parisiensis Pedagogum, de Statio Literarii cum obiter saltem Morhofius attigerit paucis, e *Cimbria nostra Literata*, & Elogio Gronovii, isti inserto, exponemus. Statium, cum Veterum & Recentiorum Commentariis, edidit Cruceus Parisiis An. 1618. in 4to. Hanc ejus Editionem cum Gronovius, in sua *ad Libros V. Sylvarum Statii Diatriba*, Hagæ An. 1637. in 8vo publicata, & Grotio, Salmasio, Heinsii, Vinc. Fabricio, aliisque Reip. Literariæ Principibus summopere probata, Virgula subinde notasset Censoria, Cruceus, sua vindicaturus, sub larva *Mercurii Frondatoris* (quam, ante Morhofium, Chr. Ad. Rupertus, in *Annot. ad Synopsis Historicam Chr. Besoldi p. 29.* cumque secutus Vinc. Placcius in *Tr. de Scriptoribus Anonymis & Pseudonymis pag. 225.* nec non Adr. Bailletus in *Tr. Gallico de Sæyris Personalibus, T. II. p. 328.* illi detraxerunt,) *Antidiatriben, seu Frondationem Sylvarum Papinii Statii*, Stylo insigniter maledico, Parisiis An. 1639. in 24. ei opposuit. A Gronovio vicissim Cruceo repositus *Elenchus Antidiatribes Mercurii Frondatoris ad Statii Sylvas*, Libellus adversarium facete admodum exagitans, Parisiisque A. 1640. in 8vo, una cum Claudii Salmasii (cujus nonnulla Cruceus itidem vellicaverat)

BOURBON
1799

gnae in lucem editus est vastissimus Casp. Barthii in Statium commentarius, duobus spissis in 4. voluminibus constans, cum indice Christ. Daumii; in quo quamquam non pauca sint laudabilia, longe tamen plura limam merentur. Veterem Scholiasten Placidum Luctatium (quem Scaliger & alii Lactantium vocant) produxit, suasque adjecit notas, Frid. Lindembrogius Paris. 1600. in 4to. (99) Magnam illi operam olim Henr. Schævius impendit, cujus paraphrasis & Lexicon Statianum prælo paratum erat, sed illius morte omnis labor periit. Sic & periit labor Wouwerianus, de quo Jos. Scaliger in Epistolis pag. 658. aliam tamen ob causam, nescio quam, sufflaminatus. Gallice Statium convertit Mich. Marollus Paris. 1658. in 8vo. Prodiit & Paraphrasis Gallica, cum notulis Franc. Guyeri & aliorum.

XXX XX 2

DEC.

ad Gronovium Epistola, excusus. De hoc Elencho Claud. Sarravius, Ep. 10. ad Vinc. Fabricium (p. m. 16.), sequens Anno jam 1649. antequam prodisset, tulit judicium: *Dabit Gronovius noster Elenchum Anridiaribes Emerici Crucei, in quo miser ille Cruciaris miris vapulas & torquetur modis. Nil mihi dudum lectum est amenius hoc postremo Amici nostri Opere, quod sub prælo sudat.* Novam adversus Elenchum hunc Gronovianum Apologiam Cruceus, teste Chr. Ad. Ruperto (in Epist. ad Georg. Richterum An. 1641. scripta.) minatus quidem est, sed in lucem nunquam protulit. Cæterum de Meritis Gronovii in Statium Joh. Veenhufius, in *Præfaz. suæ Editionis Poetæ ejusdem*, vere ita judicavit: *Gronovio præ reliquis tantum Scævius debet, quantum cæteris omnibus, qui aliquid lucis ei affuderunt.* Plura vero haud dubie Poëta hic eidem debebit, si reliquæ ad eum Diatribæ, Observationes in Opera illius omnia, & Commentaria in Thebaidem & Achilleidem, quæ superstes publice promisit, e Scribis defuncti aliquando prodierint.

- (99) Uti omnes Auctorum Veterum, quas Frid. Lindembrogius curavit, Editiones eximiae sunt, ita etiam Statiana, quam, e MSS. Pauli Petavii, Pet. Danielis, Putcanorum & Nicol. Fabri, accurate emendatam, adjectis, præter Placidi Lactantii in Thebaida & Achilleida Commentarium, e Codd. Biblioth. Regiæ & Pithecanæ recensitum, locisque infinitis emaculatum, suis Variar. Lectionum Observationibus, Indiceque uberrimo, Parisiis, apud Andream Pétier, An. 1600. in 4to maj. evulgavit. Accessit ei, biennio post (An. 1602.) Appendix, ibidem Claudii Morelli Typis excusa, quæ Frid. Morelli Commentationes & Conjectanea, Domitii Calderini Commentarium, & Lindembrogii ipsius Breve Corollarium Observationum suarum in Statii Sylvas, complectitur. Editionem hanc (quam, novis in Statium pariter atque interpretem ejus, Lactantium Placidum, Observationibus atque Emendationibus *αυτογράφοις* a Lindembrogio auctam, in Bibliotheca vidisse recorder Hamburgensi) aliis præferunt; nec immerito, Ol. Borrichius *Diff. II. de poetis p. m. 62.* Joh. Hallervordius in *Biblioth. Curiosa pag. 303.* & Joh. Alb. Fabricius in *Biblioth. Latina, P. I. p. 101.* Quorum Ultimus recte effectam tum Statii, tum Placidi Lactantii, quam sociata opera An. 1600. moliebantur, Editionem, Parisiensi hac, eodem Anno, a Lindembrogio, Wouwerii Æmulo, vulgata, esse sufflaminatam. Consuli de Conatibus his Wouwerii & Sacligeri possunt Wouwerii Ep. IV. & XIV. *Cent. II. ad Scaligerum p. 214.* 239. ac Scaligeri Ep. 374. ad Wouwerium p. 716. & seqq.

10 DEC. JUNIUS JUVENALIS, Poëta satyricus post Horatium primo statim loco ponendus est. Quanquam enim non desint Viri eruditissimi, qui Juvenalem Satyræ leges minime implevisse judicant, ut Buchnerus de Commut. Rat. dicendi p. 28. observavit; sunt tamen vicissim, qui immerito iniquius de illo censerent autumant. Ita JAC. GADDIUS de Scriptoribus Non-Eccles. T. I. p. 264. *Juvenalem ait, quidam existimantes non Satyricum poetam, sed declamatorem, Horatio in Satyricis impari, perperam judicarunt: siquidem, cum prima satyræ pars sit objurgatio, in hac unice regnat & triumphat Juvenalis. Nec desideratur in eo risus aliquando, excitatus à festiva & falsa urbanitate. Admirandis autem Acuminibus & sententiis vicit Horatium in satyris. Sextam Juvenalis satyram Scaliger divinam totam vocat, & quæ grandem spiret poetam: primam valde celebrat: decimam vero appellat optimam, ac longe præfert primæ Horatii.* JOS. SCALIGER, in *Excerptis Putcan.* p. 133. *Juvenal est un admirable Poëte: il y a de belles choses à dire là dessus: c'est un si beau poëte à prix de Perse, qui s'est plus à écrire obscurément: Idem, in Primis Scalig.* p. 95. Juvenalem excellentem poetam vocat, & in quo præclara multa sint. Miratur tantum, cur se dicat scripsisse stylo Lucilii, cum nihil sit dissimilius. Non minora loquitur MICH. NEANDER in *prefat. Erotem. Ling. Gr.* p. 192. qui Horatium Juvenali, neque argumentorum varietate, neque dexteritate inventionis, neque crebritate sententiarum, neque acrimonia reprehensionis, neque acumine dicendi, neque faciliis aut urbanitate, parem judicat: sed Juvenalem longe accuratioris satyræ auctorem esse, candidum, ac Satyricorum facile principem. Extrat in Juvenalem Vetus Scholiastes, cum ipsis Satyris à Pet. Pithæo editus Paris 1603. in 4. Hunc Scholiasten, cum per vetusto quodam & optimæ notæ codice MSS. Gerh. J. Vossii (cui multa quoque Anonymi scholiastæ annotationa erant addita) collatum, auctiorem & emendatiorem edere olim Pet. Lambecius moliebat, eaque in re Avunculum suum Luc. Holstenium consuluit: cui vero hic Epist. 8. ita respondit. *Probo eam, quam Juvenali, veterique scholiastæ, operam impendis, cum & me aliquando idem studium inceserit. Sed quotquot istorum Scholiorum exemplaria inspexi, inspexi autem plurima & antiquissima: à Pithæanis illa toto, quod ajunt, celo discrepant, ut frustra ex illis medelam locis huicis speres.* Labores Lambeciani in lucem non prodierunt, sed extant tamen in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi. Solet Persio jungi Juvenalis: atque adeo pleræque editiones, quas sub Persio enumeravimus, etiam ad hunc sunt referendæ. Addendus iis commentarius in satyras Juvenalis, à Domitio Calderino scriptus, editusque Romæ 1474. in fol. Juvenalis Nicol. Rigaltii prodiit apud Stephanum 1613. Bonav. Gangrei Paris. 1614. in 8. cum Cælii Curionis, Britannici, aliorumque notis, Basil. 1551. fol. Sunt & aliæ ejus editiones, de quibus sub Persio egimus.

11 M. VALERIUS MARTIALIS, argutissimus *Epigrammatum* scriptor longe magis adhuc quam Juvenalis adversa Criticorum judicia expertus est, Mureti, Gyraldi, Volaterrani, Naugerii, de quibus in libro de Patavinitate Livii nos aliquid *cap. 9. p. 128.* memorasse meminimus: addimusque nunc solum ea, quæ indignabundus BALTH. BONIFACIUS, in *Conjecturis in Martialem*, dicit, cum ait:
Ælius

Ælius Verus *Cæsar*, apud *Spartianum*, diu noctuque hunc poetam evolvens, & *Virgilium* suam appellavit: at non tetricus ille censor *Claudius Verdicrius*, qui eum parasiten obscurum, & Poëtam scurrilem, impudentissime nominavit: at non atrox ille incendiarius, vir alioquin eruditus ac nobilis (*Andr. Naugerius*), cujus nomini mea *Musa* parcendum existimavit, qui *Martialem* quotannis, quod virgunculas *Musas* deprædicasset, publice comburebat. Cujus facti indignitate commotus me non continui, quin conceptam inde indignationem effunderem. *MICH. NEANDER*. l. c. p. 194. postquam obscenitatem *Martialis* devitandam monuisset, de reliquis ejus ira judicat. Multa ejus *Epigrammata* divina plane sunt, in quibus & sermonis castitas, & argumenti species luculentâ est: versus vero candidi, numerosi, pleni, denique optimi. Obscœna refecare e *Martiali* visum nonnullis est, unde nati ejusdem *Castratores*, *Conr. Gesnerus*, *Matth. Raderus*, aliique plures, quorum aliqui, in titulo mira de hoc suo refecandi studio promittentes, nihil tamen in textu ipsomet præstiterunt: de quibus omnino consulendus *Vavassor* lib. de *Epigrammate* c. 20. qui de toto hoc studio detruncandi plura lectu dignissima affert. (rr) Scripsit *Commentarium* in *Martialem* jam decimo quinto ruente seculo *Domitius Calderinus*, *Laurentio Mediceo* nuncupatum, editumque *Venet.* 1493. in fol. in quo præter

XXX XX 3

emmen-

(rr) Inter *Castratores* *Martialis* primus fuit *Conr. Gesnerus*, *Medicus* & *Polyhistor* *Civitatis Tigurinae* inelytus, qui *Tiguri* A. 1544. in 8vo edidit *Epigrammata* ejus recens ab omni *Verbõrum obscenitate*, in *Adolescentium* præcipue *Scholarumque usum*, expurgata, & in *Locos Communes LXXXIV. digesta*, una cum *Tribus Dialogis*, quibus ratio hujus *Instituti* redditur, & *Jac. Micylli* in *Martialem* *Annotationibus*. Secuti sunt hujus *Exemplum* *Jesuitæ* nonnulli, *Andr. scil. Frusius*, *Carnutensis Gallus*; cujus *Martialis repurgatus* *ὀρθόμωμος* (teste *Biblioth. Jesuitica*, *Phil. Alegambii* & *Nath. Sothwelli p. m. 51.*) *Romæ* A. 1558. in 8vo, & *Lugd. Gall.* A. 1598. in 16. prodiit, *Matthæus Raderus*, *Tyrolensis*, qui *Martialem*, ommissis obscœniis, emendatum, ac *Commentariis illustratum*, ter edidit, ac tertiis quidem curis auctiorem *Moguntia: An.* 1627. in fol. & *Pet. Rodelius*, qui libros V. *Epigrammatum*, refectis itidem lascivis, e *Poëta* hoc collectos, cum *Notis suis*, *Folose* A. 1680. in 8vo. (referente *Joh. Alb. Fabricio P. I. Biblioth. Lat. p. 113. 114.*) publicavit. Non desunt *Instituto* huic sui *Patroni*, *Vinc. Placcius* in *Tr. de Scripioribus Anonymis & Pseudonymis detectis*, P. I. c. 10. p. 79. 80. *Ol. Borrichius* *Diss. II. de Poëtis Latinis*, §. 39. p. 63. 64. & ut alios fileam, *Conr. Gesnerus* in tribus, quos suæ *Editioni* annexuit, *Dialogis*, paulo ante laudatis. In quorum *Tertio* *Rhadamanthus* *Judex*, post causam hanc in utramque partem, a *Mitione* & *Demea*, coram *tribunali suo*, fusc disceptatam, sequentem fert sententiam: *M. Val. Martialis principio castrari debet, dein ferro membram discindi, ita ut nulli arvis ei cohereant amplius: mox diligenter a perito aliquo Medico, quæcumque particula ulla lue infectæ fuerint, igne urentur: reliquæ de integro in corpus novum articularim concinnatæ conglutinentur; quemadmodum Æsculapius olim fertur ab equis discerpta Hippolyti Atheniensis membra, ex artis Medicæ, in pristinam integritatem reduxisse. Quod si temere quisquam huic sententiæ meæ contradixerit, in illo quoque castrationis pœnam exerceri volo.* Sed nec eidem sui desuere *Censores*, iique *patronis* longe numerosiores. Quos inter, ex ipsis *Pontificis* atque *Hispanis*, *Laur. Ramirez de Prado*, in *Hypomn. ad Martialis Amphitheatr. Epigr. 27.* acerbe satis in *Raderum* *Jesuitam*, *Castratorum* istorum celeberrimum, invehitur. *Morhofio* nostro, istud *Institutum* itidem non admodum fuisse probatum, satis arguit argutum ejus ad *Joh. Ovenum*, *Epigrammatographum* *Anglum* *Martialis Æmulum*, a *Jesuitis* pariter castratum, *Tetrastichon*, in *Epigrammatibus Selectis p. m. 28.* obvium.

emendationem Autoris, quam e quinque codicibus MSS. instituit, multa e veterum Græcorum, Latinorumque disciplina observat. Nostro seculo similem Commentarium struxit adolescens, ac pene puer adhuc, Laurent. Ramirez. de Prado, Paris. in 4. 1607. editum: in quem tamen multa congesta sunt, quæ jam prius ab aliis erant observata, annotante Scaligero Epist. 466. Hinc non adeo mirum, si ex Pierii Hieroglyphicis, aut ex Raderi Annotationibus, etiam nonnulla, tacitis Auctoribus, videantur subrepta; qua de re Jac. Pontani & Raderi verba allegat Thomafius *de Plagio Liter. §. 137.* & Placcius *de Pseudon. p. 228.* integrum librum Claudii Musamberti, seu, ut evolvit ille Theodori Marcilii, Commentariorum in Laur. Ramiresii Hypomnemata ad Martialem, Paris. 1607. in 8. impressum, memorat, quo Ramiresius traducitur. Verum haud abs re addit Placcius, longe magis esse audiendum l. c. Scaligerum; qui, si puerilem ardorem inclarescendi, nimiumque alios viruperandi prurimum, demas, egregiam adolescentis indolem vehementer etiam collaudandam putat, parumque abest, quin ipsi præferat Theod. Marcilio. Idem Placcius, *eod. lib. p. 243.* in eam adducitur suspicionem, ut non tam Ramiresium adolescentulum discipulumque, quam Franc. Sanctium, ejus præceptorem, Auctorem esse commentariorum in Martialem conjiciat; velut & Latine Grammaticæ, seu (quo nomine notior est) Minervæ Sanctianæ auctor aliquando Ramiresius falso jactatus est. Matth. Raderi vastus in Martialem commentarius Mogunt. in fol. A. 1627. prodiit. Ex emendatione Hadr. Junii, cum indice omnium vocabulorum, cura Ios. Langii, Martialis Argentinæ An. 1595. in 12. lucem aspexit: cum commentariis Variorum, & indice Langii, Paris. 1607. in 4. Prodiit & Editio, cum notis Variorum integris, e museo Pet. Scriverii, Lugduni Bat. 1619. in 12. De Thom. Farnabii notis, sive paraphrasi potius, parum benigne judicat Franc. Vavassor, in lib. de Epigrammate pag. 288. If. Vossius commentarium quoque in Martialem scripturus fuit, si credendum Colomesio. Desid. Heraldus, jam in scribendis animadversionibus in Martialem accinctus, Scaligerum, ut suppetias suarum notarum mitteret, oravit Ep. 67. Ep. Galli ad Scaligerum. Scaliger autem quædam Martialis Epigrammata Græce vertit, quæ, cum præfatione If. Casauboni Paris. in 8. edita sunt. In catalogo Bibliothecæ Thuanæ reperitur Index in Martialem seorsim editus Auctore Per. Erloisio in 8. de quo tamen nihil mihi constat. Cæsaris Zarotti, Philosophi & Medici Veneri, Commentaria in Martialem Medica Venetiis A. 1657. in 4. prodierunt.

12 Ne vero viri solum famam eruditionis sibi eo tempore vindicare possent, SULTITIA effecit Poëtria, quæ *de corrupto Reipublicæ statu*, cum Domitianus publico edito

Pegasus ergo tuus factus Cantherius eben!
Ipsæque Apollo tuus factus Apella fuit!
O scelus! aut illos Eunuchos convenit esse, aut
Marsia ad exemplum crimina pelle luat.

sto philosophos urbe exegisset, *satyram* scripsit. Reperitur illa in libello, quo continentur Epigrammata & Poëmata veterum, e Bibliotheca Pet. Pithœi edita, Paris. 1590. in 16. Reperitur & inter poëtas satyricos minores, quos M. Z. Boxhornius recensuit, atque Commentariis illustravit Lugd. Batav. 1633. in 12. Accedit & Jani Doufæ Schediasma in Sulpitiæ satyram, A. 1633. (ss).

Agmen Auctorum æneæ ætatis claudat præclarus Vitarum veterum Imperatorum Scriptor, qui sub Trajano atque Hadriano inprimis claruit, C. SUETONIUS TRANQUILLUS, cujus, ut jam ceteras taceamus, elegans editio prodiit cum Commentariis variorum integris, Phil. Beroaldi, Lev. Torrentii & H. Casauboni (qui alias & seorsim singuli prodire) Paris. 1620. in fol. Casauboni Commentarium, qui ceteris fere omnibus præstat, & a Scaligero satis laudari non potest, J. H. Bœclerus, cum suis Dissertationibus politicis, edidit Argentor. in 4. 1647. adjuncto indice locupletissimo. Sunt & Matthiæ Berneggeri Dissertationes in Suetonii Cæsares aliquot, Argentor. 1655. in 4. editæ. Quæ cum notis Variorum Lugdun. Batav. Ann. 1656. in 8. lucem aspexit, Editio Suetonii Joh. Schildio curante, bona est, in qua multa nova sunt, ab aliis non observata; Salmasianæ etiam observationes multæ. Omnium optima vero illa Editio, quam Ultrajecti A. 1672. in 4. Joh. Geörg. Grævius nobis dedit, cum integris Commentariis atque notis Lev. Torrentii, H. Casauboni, Theod. Marcilii, Franc. Guicti, Joh. Frid. Gronovii, & ipsiusmêt Grævii: Achilliis Statii item & Eliæ Vineti ad libros de Grammaticis & Rhetoribus: denique etiam adjectus index copiosissimus Berneggeri, quem Typographus a Freinsheimii hæredibus redemit. Edidit quoque Suetonium Carolus Patinus, suisque notis, ac præcipue numismatibus, illustravit Basil. 1675. in 4. Longe pluribus autem Iconibus & selectis notis Suetonium illustratum dedit Sam. Pitiscus Ultraject. 1690. 2. Volum. in 8. In usum Delphini August. Babelonius Paris. 1684. In Suetonii Julium Cæsarem exstant Jac. Zevcotii Observata Politica elegantissima, qui & in ceteros Cæsares Notas Politicas scripsit, sed breviores.

C A P. XIV.

QUO AUTORES LATINI ÆTATIS FERREÆ
RE C E N S E N T U R.

1. *Justinus Historicus, Trogi Epitomator.* 2. *Aulus Gellius.* 3. *Apulejus.* 4. *Q. Sept. Florens Tertullianus.* 5. *Censorinus.* 6. *Julius Obsequens, M. Aur. Olympius Neme-*

(ss) Sulpitiæ Poëtiæ Epistolas Amatorias, Libro IV. Carminum Tibulli insertas, vindicat, & Tibullo adjudicat, Casp. Barthius, styli dissimilitudinem, aliaque argumenta, pro sententia hac sua, allegans, *Lib. 59. Adversar. c. 16. p. 281.* Conf. Placcium verba ejus quædam recitantem, in *Tr. de Script. Anon. & Pseudon. P. II. p. 265. 266.*

Nemesianus, T. Jul. Calpurnius, Q. Serenus Sammonicus, Rutilius Numatianus.
 7. Scriptores Sex Historie Augustæ, Æl. Spartianus, Jul. Capitolinus, Æl. Lampridius,
 Vulcatius Gallicanus, Trebellius Pollio & Flav. Vopiscus. 8. Sex. Aurelius Victor.
 9. Minutius Felix. 10. Arnobius. 11. L. Cæ. Lactantius. 12. Ammianus Mar-
 cellinus. 13. Flav. Vegetius Renatus. 14. Q. Aurelius Symmachus. 15. Dec. Ma-
 gnus Ausonius. 16. Cl. Claudianus. 17. Aurelius Prudentius, & Poëta Christiani ce-
 teri, a Georg. Fabricio junctim editi. 18. Dracontius & Venantius Fortunatus.
 19. Macrobius. 20. Severus Sulpitius. 21. C. Sollius Apollinaris Sidonius. 22. Mar-
 tianus Capella. 23. Anicius Manlius Sever. Boethius. 24. M. Aurelius Cassiodorus,
 25. Scriptores Finium Regendorum. Accedunt Monita de Latinitate Pandectarum,
 uti & Scriptoribus Ævi Medii, ob Historiam, non autem Stylum, legendis, generalia.
 25. Appendix de Inscriptionibus Antiquis, Latinis pariter atque Græcis, earumque
 Collectoribus, inprimis Jano Grutero, Thoma Reinesio, Marq. Gudio, Raph. Fabretto,
 Seb. Maccio, Joh. Zaratino, Joh. Seldeno, Jac. Sponio, Guilb. Fleetwodo, &c.

Ab Antoninis FERREAM ÆTATEM LATINI SERMONIS supputari debere
 judicant haud abs re plerique. Sed tamen sunt, qui sub iis Imperatoribus
 vixerunt, Auctores bini, de quibus non recte severam adeo sententiam pro-
 nuntiari aliqui putant. Prior illorum est Justinus, alter Gellius. JUSTI-
 NUM equidem inter Argentææ etiam ætatis Scriptores cooptant, cum Trogus ille,
 cujus Epitomen ipse contexit, Augusti vixerit ævo, & verò probabile sit, Justi-
 num Trogi verba in pluribus retinuisse. Sed enimvero supra monuimus, ita Flo-
 rum etiam ætati præstantiori, quam æneæ, adscribendum fore, qui Livium in epi-
 tomen contraxit. Rectius itaque Scioppius, Justinæ ætatem, qua vixit atque scri-
 psit considerans, eum ferreæ ætati adscripsit: quamvis diffidendum non sit, ejus
 Latinitatem non esse usque adeo ferream: imo Floro multo melior est puriorque.
 Ceterum primos libros ejus Historiarum (ut vocavit ipse) Philippicarum XLIV,
 maximi sane æstimandos, edidit Aldus Manutius, de Externis Historiis inscriptos: at-
 que is Aldus etiam sibi ab Amico quodam persuaderi passus est, extare in illius bi-
 bliotheca Trogum ipsum, & brevi etiam edendum: sed deceptus insigniter, vid.
 Vossius de Histor. Lat. l. I. c. 19. p. 100. Præterea apud Rob. Stephanum in lu-
 cem emissus est Justinus Paris. A. 1543. in 8. Ibidem ex emendatione Jac. Bongar-
 sii, cum ejusdem notis, A. 1581. in 8. Cum Bongarsii, Franc. Modii & Matthiæ
 Berneggeri notis, indiceque luculento Joh. Freinsheimii, Argentor. 1631. in 8. Cum
 notis II. Vossii, Lugduni Bat. apud Elzevirios in 12. 1640. Cum notis Variorum,
 curante Ant. Thyso, ibid. 1650. & alia ex officina Hackiana nitidior multo melior-
 que, cura Grævii, qui notas integras Virorum doctorum atque suas, una cum in-
 dice Freinsheimiano, per Schefferum & Vorstium aucto, adjecit A. 1683. in 8.
 Prodiit & editio Tanaqu. Fabri, cum notis ejus, Salmurii A. 1671.

AULUM GELLIUM vero seu, ut alii scribunt, Agellium ad ferream ætatem
 a Scioppio ablegari, non fert Vavassor de Ludicra Dictione pag. 270. sed, quod &
 Lipsius

Lipſius fecit, optimæ Latinitatis autorem vocat. Variæ ſunt ejus *Editiones*, quam multo plures a Viris doctis promiſſæ, varia culpa ſeu infortunio, interierint. Inſumſit noctes aliquas Gellio eximio cum ſucceſſu HENR. STEPHANUS, queis propterea nomen quoque fecit: *Noctes Pariſine Atticis Gellii invigilate*, quas, cum Ludov. Carrionis notis in Gellium imperfectis junctas, edidit Pariſ. 1585. in 8. Adjecit quoque Noctibus illis ſuis Apologiam pro Gellio contra iniquam Ludov. Vives cenſuram, cui nimirum Gellius vocatur *homo rhapsodus plane, congeſtor potius, quam digeſtor, & oſtinator, quam peritus: loquaculus ſine eruditione, in verbis ac ſententiis putidulus: legendus quidem, ſed ita, ut te rem levi inſpicere ſcias: & quæ alia indigniſſima & ſe & Gellio convitia Vives cumulat de Diſciplinis l. III. p. 532. & 537.* Quapropter & Joſ. Scaliger, in Excerptis Putean. p. 253. Vivem, ait, malo animo de Gellio judicaſſe: miror tamen, quod addat; *ſed tamen bene.* Melius profecto egit Stephanus, qui defendit Gellium. Sed in eo male conſuluit orbi literato Stephanus, quod Carrionis notas, quas perfectas jam, ut mandaret typis, acceperat, imperfectas tamen reliquit: cujus rei cauſam eam aperit in libris de Vita ſua Thuanus; quod, ob rei familiaris anguſtias, cum jam non amplius ſufficeret Gellio, Stephanus ſuis typis edendo, ad conducendos ab alio typos fuerit coactus: ortis autem inter utrumque rixis (ut erat plane moroſus rixoſusque Stephanus,) ita ſuppreſſæ doctiſſimi Carrionis egregiæ animadverſiones ſunt. Quod, cum non noſſet Barthius Adverſ. lib. XXXV. c. 6. male Carrionem ipſummet ſuas notas ad finem perducere non potuiſſe exiſtimavit: recte cetera eas præſtantiſſimas judicans: atque idem de nomine A. Gellii locisque aliquot cap. ſeq. 7. conferendus. PET. LAMBECIUS, inter alia molimina ſua, *Lucubrationes* quoque in *Gellium Criticas* numeravit, earumque *Prodromum*, una cum diſſertatione de Vita & nomine Auli Gellii, Pariſ. 1647. in 8. apud Seb. Cramoyſium edidit: ſed hunc *Prodromum Epidromus* non magis ſecutus eſt, quam imperfectas Carrionis notas perfectas. Similiter inter promiſſa evanuerunt Cl. Salmaſii *Commentarius in Gellium*; de quo, tum Clementius in Catalogo Operum Salmaſii, qui ejus Vitæ *Epistoſis præmiſſæ* annectitur, p. 68. tum Laur. Craſſus *Elogior.* T. II. p. 211. videri poſſunt: Richardi Thomſoni nova editio Gellii, quam, e Codice MSS. bonæ notæ, meditabatur, reſte Joh. de Bumery in *Epistoſ. Gall. ad Scalig. lib. III. ep. 9.* editio Oberti Giphanii, quam, e ſpoliis Lucæ Früterii, doctiſſimi juvenis, cui paratum jam editioni Gellium ſurripuerat, inſigni plagio parabat; reſte Scaligero in *Excerptis Putean.* p. 87. & 94. aliæque. Philippi Caroli *Animadverſiones poſthumas in Gellium*, ſed nec eas ob fatum Auctoris integras, publicavit, cum præſatione de Gellio, Chriſtoph. Arnoldus Noribergæ 1663. in 8. additis quoque ejusdem *Animadverſionibus in Curtium, & Diſſertatione de Criticis.* Jodoci Badii & Petri Moſellani notæ Pariſ. junctim A. 1536. prodierunt. Cum Variorum notis, apud Belgas Gellium Lugd. Batav. A. 1656. in 8. apparavit Ant. Thyſius: cum ſuis & aliorum caſtigacionibus obſervationibuſque, Joh. Frid. Gronovius Lugd. Bat. 1687. in 8. cui editioni Index quoque Auctorum a Gellio citatorum acceſſit.

3. APULEJUM Afrum, monstrosæ & vere Africanæ dictionis Auctorem, ad ferream ætatem, non solum Antoninorum tempus, quo vixit, sed & ipsemet tumidus ac ineptus sermonis character, ablegant. Melanclithon dicebat illum rudere cum Asino suo. Et tamen is adeo nonnullis amatoribus suis perplacet, ut non solum pro fatis Latino venditent, Plautique imitatore, sed & Phil. Beroaldus non dubitaverit, Musas Apuleji sermone locuturas, si Latine loqui vellent. Vicissim vero Franc. Floridus Sabinus acriter in Beroaldum, ob præposterum illum Apulejum imitandi amorem, invectus est. *Vitiosissimum scribendi genus, dicebat, ex Apulejo, Martiano, Capella, Sidonio, & similibus, primus suis temporibus excitavit, & in multas Europæ partes, e quibus undique ad eum consuebant Auditores, ita diffudit, ut plurima adhuc supersint ejus vestigia, nec penitus deleri possint.* Hanc Floridi vocem de Beroaldo annotavit Gaddius T. I. Scriptor. Non-Ecclesiast. p. 79. ubi prolixè fatis de Philippo Beroaldo utroque: (senior enim atque junior fuerunt) de illius virtutibus, vitiis ac operibus agit. Idem Gaddius, cum de Apulejo agit, l. c. p. 33. varia quoque de illo judicia variorum apponit: in eo tamen, ut mihi videtur, ineptus, quod Apuleji stylo nimis faveat, putetque, condonari illi figuras quasdam, Epitheta, & hujus generis alia, quoque posse; quia non scribat dogmata religionis, aut arcana Politices, aut historiam gravem. Sed non òmittit tamen etiam allegare rigidos Apuleji censores; veluti Laur. Vallam, lib. in Antonium Raudensem; Jan. Parrhasium Epist. cent. II. Jac. Pontanum Progymnasim. P. I. n. 25. Franc. Robortellum, Joh. Bapt. Pium, Jac. Durantium Casellium, Justum Liplium, Janum Guilielmium, Raph. Volaterranum; quorum singulorum loca adducit. Potest his addi, præter alios, Buchnerus de Commutata Rat. dicendi c. 13. p. 228. seq. & Daunius in lib. de Causis amissarum Lat. linguæ radicum, ubi pluribus agit de Apulejo. Conf. quoque Jul. Cæs. Capaccius Elogior. lib. II. p. 242. Prodierunt Apuleji Opera, post Romanas, Aldinas, Basileenses editiones aliquot, Lugduni Batav. ap. Raphelengium 1588. in 8. cum notis Petri Colvii, Brugensis; cujus Viri singulare illud fatum fuit, quod calce mulæ ictus perierit: a mula scilicet referens pretium laborum in Asinum Apulejanum impensorum. Extant de eo bina Jani Doussæ Epigrammata, quæ reperiuntur lib. V. Epigramm. p. 138. seq. Phil. Beroaldi prolixus est in Apulejum Commentarius, qui in 8. Basil. 1550. 3. Volum. & una cum notis Godeschalci Stewechii, in fol. ibidem editus est. Scripsit & Apuleji Vitam Beroaldus. Sed quid de illo senserit Floridus, dictum jam. Multo abjectius adhuc illius mentionem facit Claud. Verdierius, cum in Censura Auctorum pag. 158. ita inquit: *Phil. Beroaldus vir dictionariis quibusdam addictus fuit, e quibus sua eruit omnia: segnissimus: in Apulejum oscitat. Hujus si vellem errata omnia persequi, magni voluminis liber emittendus esset.* Extat verò elegantissimus Angli doctissimi, Joh. Pricæi, Commentarius in Asinum Apuleji, Goudæ A. 1650. in 8. vulgatus. Opera ejus Geverh. Elmenhorstius Francof. 1621. in 8. cum suis & aliorum notis, egregia editione in lucem prodire jussit: cum castigationibus suis Bonav. Vulcanius An. 1594. Lugduni Bat. Apologiam Apuleji Commentario illustrarunt. If. Casaubonus Paris. 1594. in 4to, Scipio Gentilis, Hanovix 1607. in 8. & Joh. Pricæus Paris.

1636. in 8. Casp. Scioppii Symbola in Apulejum recusa sunt Amstelod. 1664. in 8vo.

Immiscendi nunc, ferentibus ita seculis, Christiani quoque Paganis sunt, atque 4 hos inter prodeat primus Afer, quem Africitatis multum habere, asperum & in verbis monstrosum, alibi diximus, Q. SEPTIMIUS FLOR. TERTULLIANUS, omni sane eruditionis genere tinctus, verum dictionis & ingenii elegantias ordinemque aspernantis. Primus eum edidit, e MSS. duobus, Basil. An. 1521. Beat. Rhenanus, cum notis haud quaquam aspernantis; quae editio ter postmodum Basileae, & bis Parisiis, repetita est: praestat reliquis vero, quae, Paris. 1566. duobus in 8. tomis, nitidissimo caractere, impressa, integram quoque Franc. Zephyri paraphrasin Apologetici habet, quae alias tota nusquam reperitur: observante Colomesio Biblioth. Choisie p. 163. Jac. Pamelius exinde, cum notis suis, edidit Tertullianum Antwerp. An. 1579. quam editionem Parisienses An. 1583. recuderunt, & Colonenses An. 1617. Commentatus in eundem est LUDOV. de la CERDA amplissime, & tres Tertulliani suis notis illustrati tomis edidit 1624. 1630. & 1641. neque tamen ad finem opus perduxit, & ut varia Philologica atque antiquaria sacra coacervat; ita supervacua nimis frequenter immiscet. Non minus prolixè in eundem Auctorem scripsit Georgius Ambianensis, edito tribus vastis voluminibus Tertulliano Resuscitato, Paris. 1648. & 1650. sed minus tamen illo probatur. Pamelianis notis Franc. Junius suas addidit Francof. A. 1597. Omnium optime vero de Tertulliano meritis est NICOL. RIGALTIVS, quippe qui & summo studio illum cum MSS. codicibus contulit atque emendavit, & suis illum notis atque observationibus doctissimis illustravit: primo quidem novem solum ejus libros edens, Paris. An. 1627. sed deinde Tertullianum integrum An. 1634. Librarius, qui eam Editionem imprimebat, ne quid illi deesset, Anno sequente 1635. Tomum peculiarem adjecit notarum & Commentariorum Rhenani, Pamelii, Junii, aliorumque, qui in Tertullianum scripserant. Sunt & singulares libri Tertulliani aliquorum commentariis illustrati: ut ejus liber de Pallio cum notis Latinis & interpretatione Gallica Edm. Richerii Paris. 1600. cum notis Cl. Salmasii Paris. 1622. quas tamen Dion. Petavius, sub ficto Ant. Cercocœtii nomine latens, Animadversionibus suis, Rhedonis (Paris.) An. 1622. in 8. editis, impugnavit: & cum se Salmasius, Franc. Franci nomen assumens, anno sq. 1623. vindicasset, edita Confutatione Animadversionum Cercocœtii, hic An. 1624. Mastigophoros tres in Elenchum Franci edidit: atque hinc postmodum irreconciliabiles inter utrumque lites, odiaque immensa nata. Affectas vero Salmasius notas quoque habebat in Tertulliani Apologeticum, libros de corona Militis, de Spectaculis, de Habitu mulierum & cultu sceminarum: prout Laur. Crassus in Elogiis T. II. pag. 211. testis est: sed nihil eorum dedit. Apologeticum Desider. Heraldus, cum notis suis, Paris. 1613. in 4. vulgavit: Ejus ad Nationes libros Jac. Gothofredus An. 1625. in 4. itidem notis illustratos. In Poëmata Tertulliani notas scripsit, post Junium, aliosque, Andr. Rivinus, Lipsiæ A. 1651. Omnium Tertulliani Operum nitidissima editio est, quam Paris.

A. 1663. cum Notis integris Nicol. Rigaltii suisque, & selectis Pamelii, Lacerdæ, aliorumque, Phil. Priorius edidit, & quæ ibidem A. 1675. recusa est.

5 Paulo post Tertullianum, nempe sub Alexandro Severo, CENSORI-
NUS scripsit librum *de Die Natali*, quem pereruditum, & Chronologis, ob con-
nexas egregie æras potiores, utilissimum esse, jamdudum Vossius monuit de Hi-
stor. Lat. lib. II. c. 3. Nimiam tamen dictionis simplicitatem in eo Barthius notat
Adversar. lib. XIII. cap. 14. ubi locis ejusdem aliquot, e codice MSS. lucem affert.
Prodiit vero libellus ille, ex officina Aldi, Venet. An. 1528. cum notis Ludov.
Carrionis & Petri Joh. Nunneseii Hanov. 1615. ex recensione Eliæ Vineri, una
cum Solino ejusdem, Pictavii in 4. A. 1558. Optima editio est Henrici Linden-
brogii, Hamburgi primum An. 1614. in 4. & deinde emendatior Lugduni Batav.
1642. in 8. impressa.

6 Memorandi porro carptim nonnulli, quorum fama non adeo magna est, &
ætas tamen in hæc tempora incidit. JULIUS OBSEQUENS, cujus de
Prodiis, quæ Romæ & in vicinia acciderunt, lib. II. post Aldinam editionem An.
1508. in 8. aliasque plures, Amstelodami An. 1689. cum notis Joh. Schefferi
prodierunt in 8. M. AUREL. OLYMPIUS NEMESIANUS, cujus *Cy-
negetica*, & T. JUL. CALPURNIUS, cujus *Bucolica* ad Nemesianum super-
sunt; uterque, cum Rob. Titii notis, Florentiæ in 4. & in Venatione Novantiquæ
Jani Ulitii, seu Venaticis & Bucolicis Poëtis, quos Ulitius cum notis Lugduni Bat.
in 12. An. 1645. edidit, una cum Gratio prodierunt: ut & cum Casp. Barthii, duo
decennis adolescentuli, notis Hanov. An. 1613. QV. SERENUS SAMMO-
NICUS, cujus *Carmen de Medicina* extat inter Poëmata Vetera a Pithæo edita Pa-
ris. An. 1590. RUTILIUS NUMATIUS, cujus *Itinerarium* ab eodem
Pithæo, eodemque libro, editum est; quamvis jam antea Romæ An. 1582. in 8.
Josepho Castalione evulgatum, notisque illustratum.

7 Majoris longe momenti sunt, qui vocantur SCRIPTORES HISTO-
RIÆ AUGUSTÆ, *Ælius Spartianus, Julius Capitolinus, Ælius Lampridius, Vulcatius
Galicanus, Trebellius Pollio atque Flavius Vopiscus*, quorum omnium ætas in Diocletia-
num, Constantium Chlorum, ejusque filium Constantinum M. cadit. Quamvis au-
tem certo non satis constet, quæ Vitæ a quibus sigillatim scriptæ sint: nec prætere-
dictionis character aut Latinitas ea reperiatur, quæ tuto in imitationem trahi pos-
set: nihilominus, ob rerum, quas tradunt, magna pondera, maximi haud immeri-
to æstimantur; præsertim, postquam exquisitissimis I. Casauboni Salmassique an-
notationibus illustrati sunt. Junctim labores horum Duumvirorum, una cum sex
iis Scriptoribus, prodierunt Paris. 1620. in fol. Prodierant jam antea Francofurti
A. 1588. apud Wechelos, cura Frider. Sylburgii, *Scriptores Historiæ Augustæ minores*;
sed multi erant illi collectioni, præter hos sex, additi: velut & in Editione Jati
Gruteri factum; qui Scriptores Historiæ Aug. a Jul. Cæsare usque ad Carolum M.
collectos, cum notis suis, in fol. A. 1611. Hanoviæ excudi curavit. Sed & ad illam
Editionem Scriptorum Historiæ Aug. quam M. Z. Boxhornius Lugduni Batav. A.
1632. 4. voluminibus in 12. procuravit, plures pertinent: in qua scilicet Suetonius,

nisi fallor, auspicatur, atque finit Ammianus Marcellinus. Sciendum vero, esse nonnulla commentatum ibi Boxhornium, quæ ipsemet alibi non scripta mallet. Vid. Not. in Taciti Vit. Agric. pag. 174. (Vossius profecto, cum infeliciter adeo tractatum ab illo Suetonium deprehendisset, nec de Historiæ Augustæ Scriptoribus sibi magnam spem fecit: sed, postquam ingenue, quid monendum in Suetonio Boxhornii sit, data ad ipsummet Epistola significasset: *Laudo, pergit, quod etiam cogites de aliis historia Augustæ scriptoribus: etsi difficile sit post Homerum (Salmasium Casaubonumque) Iliada scribere. Verum χαλεπὸς τὸ καλόν. Nec tu, ut censeo, tam messem uberem, quam spicilegium, promittis: atque id colligo ex parte ea, quam miseris. Legi in iis, quæ satis arriderent, sed cogitare de singulis non licuit.* &c.) Ceterum recudendam sibi nitidissimis characteribus, sed minore forma, Batavi Editionem sex Scriptorum horum sumserunt Lugd. Batav. An. 1670. 2. vol. in 8. ex officina Hackiana, & præter Casauboni, & Salmasii notas integras Gruterianas etiam adjecerunt. Longe inferior illa est, quæ cum notis Variorum selectis, per Corn. Screvelium An. 1661. est exhibita. Commoda vero atque emendatissima, quæ cum notis Ulrici Obrechtii, Argentorati A. 1677. in 8. lucem aspexit.

In Collectionibus illis Scriptorum Historiæ Augustæ, quas a Sylburgio atque Grutero editas modo commemoravimus, reperitur quoque **SEXTUS AURELIUS VICTOR**, cujus libri *de origine gentis Romanæ, de viris illustribus, & de Cæsaribus*, ibi reperiuntur. Non spernendæ vero Latinitatis auctor est, & sub Constantio Imp. claruit. Libellum de Cæsaribus, ab Augusto ad Constantium, primus protulit Andr. Schottus Antwerpæ An. 1579. in 8. Prodiit deinde aliqua ejus Editio, cum Notis Variorum, And. Schotti, El. Vineti, H. Casauboni, Just. Lipsii, Jani Gruteri, integris, Lugduni Batav. An. 1670. in 8. (& non ita pridem novam struxit Cl. Joh. Georg. Grævius Ultrajecti. In usum Delphini Anna Dacera, Tanaq. Fabri filia, dedit Paris. 1681. in 4.)

Anteverterunt adhuc ætatem Aur. Victoris Christiani aliquot Scriptores, **Minutius Felix, Arnobius & Lactantius**. **MIN. FELICEM** jam Lactantius commendavit. Extat ejus *Octavius, i. e. Dialogus de vanitate idololatriæ, & veritate religionis Christianæ*, stylo satis pro illorum temporum ratione terfo atque puro compositus, nec minus ingeniose. Diu jam & aliquoties editus fuerat Dialogus ille, priusquam extrare crederetur: nempe qui pro octavo Arnobii contra gentes libro reputabatur, cum quo semper etiam prodiit. Verum animadvertit errorem, primusque derexit Jctus celebris, Franc. Balduinus, edito, cum proluxa præfatione, Minutio Felice Heidelbergæ A. 1569. in 8. quem secuti postmodum Fulv. Urfinus, Joh. Wowerius, Geverh. Elmenhorstius, Desid. Heraldus, & Nic. Rigaltius, Minutium suis Commentationibus illustrarunt. Horum omnium notas conjuxit, & stipatum iis Minutium, a se denovo recensitum, una cum Jul. Firmico Materno de errore profanarum religionum, Wowerii notis illustrato, edidit Lugd. Batav. 1651. in 4to. Jacobus Oizelius. Sed, quod obiter addo, Oizelius ille plagiarium est, cui corniculæ jamdudum Numæ sunt evulsæ: ut patet ex Commentario, quem in Caji Institutiones scripsit,

& qui pene totus ex Hier. Alexandri commentario desumptus est. Ceterum Minutius etiam, cum selectis Variorum notis, prodit Lugd. Batav. 1572. in 8.

10 ARNOBII, qui sub finem secundi & initio tertii post C. N. Seculi clarus fuit, Latinitas mediocris est, sed sequior tamen. Barthius facundum atque doctum Scriptorem, suo quodam & Afro dicendi genere, penetrante quidem & nervoso, sed parum polito & jucundo, usum, non male censet, Advers. Lib. XLVIII. c. 4. Septem ejus libri adversus Gentes extant, quorum optima Editio est, quæ textum ex emendatione Cl. Salmasii accuratum, notas autem (ut titulus præ se fert) omnium, simul comprehendit, Theodori Canteri, Des. Heraldii, Gev. Elmenhorstii, & Godesch. Stewechii, Lugduni Batav. 1651. in 4. Omissæ tamen sunt notæ Pet. Ciacconii & Fulvii Ursini emendationes, quæ Romæ A. 1583. in 4. cum Minutio & Arnobio, prodierunt. Omissus itidem Criticus Arnobianus Joh. Meursii Lugd. Batav. 1598. in 8. una cum ejusdem Hypercritico Minutiano, editus: cujus ne obiter quidem meminisse bonos illos tam curatæ editionis Curatores, haud abs re miratur Phil. Labbe Dissert. de Scriptor. Eccl. T. I. p. 105. Meursiumque ornat elogio illustratoris Athenarum Lugduno-Batavarum, de tota Hollandia, adeoque & universâ re literaria, bene meriti. Parabat justum Commentarium in Arnobium Salmasius, eique præfigendam Dissertationem de ratione nominum, cognominum & agnominum apud veteres: de quo suo proposito, tum ipse passim in Epistolis, tum & Cl. Sarravius, strenuus instigator in literis ad eundem, meminere: & ex his Ant. Clementius, in Catalogo Operum affectorum Salmasii, & Laur. Crassus in Elogiis. Sed evanuit tamen omne, quod sperabatur. Casp. Barthius, Adversar. l. XLIII. c. 2. ægre fert, Arnobium ab Hieronymo inæqualem nimium, & absque operis sui partitione confusum, dici: cum in præstantissimo Auctore ordo satis formosus, etsi minime Scholasticis Rhetorum legibus alligatus, compareat: Quapropter & Hieronymi locum pro suspecto habet, & (non satis tamen feliciter) emendat: Observat ceteroquin, Arnobium fuisse Lucretii imitorem, cujus sæpe res & verba exprimat. Loca etiam aliquot l. c. c. 6. & lib. XLIV. c. 1. seu tentat, seu restituit; Gellenianæ inprimis editioni Arnobii non satis æquus, quippe quam totam ad Editoris captum reformatam, seu transformatam potius, animadvertit.

11 Multo autem Arnobio præferri meret L. CÆL. LACTANTIUS, ejusdem discipulus, & Crispi Cæsaris magister, cujus Tulliana Latinitas vehementer plurimis probatur. Et sane fluida est atque mire decora: non tamen usquequaque pura; sed sunt & huic Auctori admisti barbarissimi: ut in ea ætate vix quisquam ab iis sibi satis cavere poterat. Infinitæ propemodum ejus Editiones sunt. Præcipuæ: Xyfti Beruleji, Basil. in fol. An. 1563. cum pereruditis, Lambecio judice, Commentariis: Mich. Thomassii, Antwerp. 1587, apud Plantinum in 8. Josephi Isæi in fol. Cæsenæ 1646. Ant. Thyssii, cum notis Variorum, Lugduni Batav. 1652. in 8. Servatii Gallæi, quæ & ipsa cum notis Variorum, ipsiusque Gallæi; Lugd. Bat. 1660. in 8. Thom. Sparckii Oxon. 1684. in 8. &c. Varias lectiones quasdam, e Codice Vindobonensi, excerpfit Lambecius lib. II. de Bibl. Vindobon. p. 288. In editione Oxoniensi Sparckii, ut & in Cap-

tabrigiensi Anni 1685. in 8. compareret etiam Lactantii liber *de Mortibus Persecutorum*, exiguus quidem ille, sed usus maximi: quem primus e Colbertino codice quodam eruit, & Miscellaneorum Tom. II. Paris. A. 1679. inferuit, Steph. Baluzius, notis doctissimis illustratum: inde variis Virorum doctorum observationibus atque notis illustrior redditus ille libellus est, Gisberti Cuperi, Joh. Columbi, Nic. Toinardi: Gallica etiam Maucroixii, atque Anglica Gilb. Burneti, versione donatus. (Notas omnium collegit, & secundis curis auctiores multo Baluzianas, non Cuperi solum, Columbi atque Toinardi, sed & J. G. Grævii, Eliæ Boherelli, Thom. Galei, Jac. Töllii, suisque, junxit Paulus Bauldri, Ultraj. A. 1692. in 8. adjecta etiam Dissertatione Henr. Dodwelli, & Theod. Ruinarti praefatione ad Acta Martyrum: nempe quas ad Lactantium partim, partim ad historiam persecutionum facere arbitrabatur. Parat nunc novam Operum Lactantii editionem Chr. Cellarius) (rr) Poëmata quaedam de Paschate, de Resurrectione, de Passione Domini, falso Lactantio adscribi nemo dubitat; ut carmen de Phœnice, & Luctatii commentarium in Tacitum, non dicam: notha omnia, vid. præter alios complures, Placcius de Pseudon. p. 216. (iii).

Incedat nunc gravis Historicus, AMMIANUS MARCELLINUS, homo 12 natione Græcus, & miles, & gentilium superstitioni addictus: sed qui optima fide res gestas Romanorum Imperatorum, inde a Nerva usque ad Valentis interitum, XXXI. libris, quorum XIII. tamen primi primi periere, descripsit: Latinitate tali, quæ expectari a tali homine, atque eo tempore, poterat Gaddius, T. I. de Scriptor. p. 27. stylum ejus esse poëticum dicendum putat: sed est potius, pro ratione temporum illorum, aspere tumidus, & inflatione affectata horrens. Prodiit ille in Collectionibus Scriptorum historię Augustæ Sylburgiana, Gruteriana, & Boxhorniana, in qua simul notis aliquibus est illustratus, sed quæ non semper magni adeo momenti sunt. Longe majoris ducendæ animadversiones Frider. Lindenbrogii, cum sequibus Hamburgi. An. 1609. in 4to. Ammianus prodiit. Postmodum Henr. Valesius eruditissimas notas in eundem composuit, ediditque Paris. 1636. in 4. Erat olim ille liber rarissimus: sed recusus postmodum est Paris. A. 1681. in fol. magnifica ac eleganti Editione. Frater Henrici, Hadrianus Valesius, Historiographus Regius, illam procuravit, addiditque Lindenbrogii observationes, & fratris annotationes, utrasque auctiores, collectanea variarum lectio-
num

(rr) Novissimam omnium Lactantii Operum (quibus Libellus quoque de Persecutorum Mortibus accessit) Editionem; ad IV. Codicum (Trium scil. Bibliothecæ Academicæ Lipsiensis, uniusque Saxo-Gothani) fidem denuo emendatam, & Annotationibus suis atque aliorum insigniter illustratam, Typis Lipsiensibus, Batavicos nitore propemodum æquantibus, A. 1698. in 8vo dedit Christoph. Cellarius, Lit. Elog. in Acad. Saxo-Halensi Professor. Recensum illius ac Laudes V. in *Actis Erud. Lipsiensibus*, M. Nov. A. 1698. p. 535. 536.

(iii) Placidum Lactantium, sive Luctatium, a L. Cælio Lactantio, Scriptore Ecclesiastico, recte Morhofius, Placcium secutus, distinguit, sed incaute ἀμείβηται ejus μνημονίων, alibi a nobis jam notatum, transcribendo suum facit, dum priori (Placido scilicet), Statii Poëtæ Interpreti, *Commentarium in Tacitum* perperam attribuit.

num e codice Colbertino, suasque notas: ut & vitam Ammiani, a Claudio Chiffletio compositam. (Et tamen, quod vix sperandum videbatur; adhuc præstantiorem Marcelli Editionem elucubravir Jac. Gronovius, præter omnes eorum, quos enumeravimus suis quoque notis insignitam, & præterea faciebus Imperatorum, numis, obelisco, variisque imaginibus aliis, æri incisus, & ad explicationem illustrationemve Auctoris mire facientibus, exornatam, Lugduni Batav. 1693. in fol. & in 4.)

- 13 Militem historicum excipiat Auctor de re militari scripto agens, FLAV. VEGETIUS RENATUS, cujus *de Re militari lib. V.* cum Commentario Godeschalci Stewechii, prodierunt in 4. Paris. 1607. postmodum Lugduni Batav. Coloniae, alibique, plus semel reclusi. Extrat & editio Perri Scriverii, cum ejusdem notis, Lugduni Batav. 1633. in 8. & alia iterum Franc. Modii. Omnium trium annotationes junctim cum Vegetio prodierunt Vefaliae 1670. in 8vo. Idem Auctor *de Veterinaria, seu Mulomedicina*, editus est a Joh. Sambuco A. 1574. quamvis & jam antea Basil. 1528. apud Fabrum Emmeum fuerit excusus. In eum Vegetii librum Joh. Rhodii Emendationes & notæ servabantur in Bibliotheca Thomæ Bartholini, sed quæ, una cum Lexico, quod additum fuerat, in ferali illius incendio conflarunt.
- 14 Eodem seculo, sub Valentiniano atque Theodosio Imp. clarus erat Q. AUREL. SYMMACHUS, Vir Consularis ac doctissimus, sed infensus Christianis. Ejus *Epistola*, cum Franc. Jureti & Job. Lectii notis, prodierunt Genevæ 1587. in 8. & cum additis X. Miscellaneorum libris Paris. 1604. in 8. Equidem Juretum Petrus Faber plagii postulavit, ob aliquam observationem notis ad Symmachum insertam; quam sibi surreptam ait: verum non tanti crimen est, ut attendi mereatur. vid. Thomafius de Plagio Liter. §. 425. & 477. Magis insigne est, digniusque notatu, plagium CASP. SCIOPPII, qui Oberto Giphanio, hospiti suo, integrum codicem MSS. Symmachi surripuit, & ex eo postmodum suas emendationes magnam partem hausit: tum quas in editione Symmachi Moguntiae A. 1608. in 4to publicavit, tum quas in libris Verisimilium, in quibus quamplurima ejus loca restituit. Edidit Symmachum etiam Phil. Pareus cum Electis, Lexico & Calligraphia Symmachianis, Neapoli Nemetum A. 1618. in 8. Latinus Latinus quoque in Bibliotheca Profana Symmachi locis aliquibus medelam tulit.
- 15 Symmacho coævus D. MAGNUS AUSONIUS, Poëta pro illa ætate non contemnendus est; quanquam Jos. Scaliger vellet, illum nunquam *Epigramma* scripsisse. Ejus *Latinitatem* tanti BARTHIIUS æstimavit, ut, quicquid apud eum legitur, pro vere Latino habendum existimarit. Nil enim quicquam, ait, sine antiquitatis exemplo posuit, ut fuit eruditior, quam pro eo. ævo, & scriptorum eorum amator, qui nobis adempti sunt, nec sperantur unquam e tenebris emersuri oblivionis. *Adversar. lib. III. c. 7.* Idem quoque divinitatem Ausonianæ poëseos admiratur cap. 18. alibique passim eum Scriptoribus suæ ætatis longe præfert. *Epistolam* vero, quæ sub Theodosio, Imp. nomine ad Ausonium scripta libro *Epigrammatum* præfigi solet, plane spuriam judicat.

judicat, L. XII. c. 12. ut jam ante nos Placcius annotavit de Pseudon. p. 264. MICH. NEANDER librum Epigrammatum Aufonii, magnam partem a Græcis acceptum, mira elegantia, parique ingenio, translatum ait: Præf. Erotem. Gr. L. p. 196. (Ita & BOHURSIUS, rigidus alias veterum æque ac recentiorum Auctorum censor, nihil concinnius Epigrammate Aufoniano esse posse ait, in quo omnia miro artificio quadrent. vid. *la Maniere de bien Penſer* p. 41.) FRANC. VAVASSOR, lib. de Epigrammate c. 15. p. 171. de Aufonio. *Repreſentare nobis Aufonius Græcos velle viſus eſt, quippe cum epigrammata ſcripſerit: pauca ſupra centum, a Græcis amplius quinquaginta ſumſerit, vel ut amulus, vel ut interpolator.* Idem vero JOS. SCALIGER, quem de Epigrammatibus Aufonianis non ſatis ex dignitate judicaffe diximus, ſingularem tamen curam auctori illi impendit; ediditque adeo Lectiones Aufonianas, in quibus multa ejus emaculat, vitamque Aufonii capite ultimo ſuccincte tradit. Prodierunt iſtæ Scaligeri Lectiones, cum Aufonio, adjectis quibusdam notulis Ad. Turnebi, Adr. Junii, Gu. Canteri, J. Lipſii, El. Vineri, Genevæ 1588. in 12. apud Jac. Stœrrium. Plenior eſt editio Eliæ Vineri, unâ cum Scaligeri Lectionibus Aufonianis edita Burdegalæ A. 1590. in 4. quibus acceſſit Rerum Burdegalenſium Chronicon, auctore Gabr. Lurbeo. Arque hæc eſt illa ſecunda editio Vineri, cujus poſt mortem Vineri editæ Scaliger in Epistoſis meminit: Ep. 199. quæ & ipſa Aufonio illuſtrando tota inſumitur, ubi ſimul parum æque judicat de Vineri. Franc. Sylvius quoque vapulat, qui in Gryphum Aufonii erat commentatus. Nil eum niſi triviali moneta percuffiſſe Scaliger ait: cum tamen multum bonarum rerum, ex philologiâ ſatis accurata depromptum, habeat, judice Ludov. Vive de Diſciplinis p. 542. qui nullum ſe in bonis literis doctiorem noſſe ait. Ceterum optima Aufonii editio eſt, quam procuravit Jac. Tollius, cum notis integris Joſ. Scaligeri, Mariangeli Accurſii, Marq. Freheri, Pet. Scriverii: ſelectis El. Vineri, C. Barthii, Val. Acidalii, J. F. Gronovii, J. G. Grævii, aliorumque Amſtelodami apud Blavios 1671. in 8.

Aufonio addimus æqualem temporis ratione Poëtam alium, CL. CLAUDIANUM, qui ultra genium ſeculi ſui floridus eſt, elegans, ac numeroſus, ſed in phraſeologiâ intemperans, &, dum ſublime ſectaretur, κακίζηλος luxurie ſua: quam ob rem a compluribus Viris doctis notatur. Vid. præter alios VAVASSOR de Epigramm. c. 15. p. 170. 171. qui miratur, atque etiam ægre fert, Claudianum vulgo, ut puriſſimæ Latinitatis Scriptorem, aut etiam Poëtam exquisitiſſimum ab aliis proponi, cum non major tamen ejus auctoritas ſit, quam Aufonii & Prudentii. *Eſt ille quidem, ait, & dulcior ſtructura verſuum, quam Aufonius; & ſyllabarum meſura emendatior, quam Prudentius cum Aufonio: non tamen, qui ad auream antiquitatem adſpiret, neque dignus, qui conferatur cum Martiale, aut qui per æque ac Catullus diſcentium manibus teratur. Sed eſt hoc præclarum judicium ſeculi noſtri quorundam, qui quanti pretii quiſque apud nos ſcriptor eſſe debeat, maxime ignari, ſummis Poëtis medios anteponunt, inſimos & recentiores utriſque. Dixi porro, dulciorem Claudianum conſtructione verſuum ſacili & expediã, & ſine ullis ſalebris, aut eliſionum quaſi ſcabritie ac nodis.*

dis: sed ea tamen dulcedine parum suavis & jucundus, quod idem omnium versuum cursus, idem tenor, nihil mutatis, quas vocant, caeteris, varietur, ut, qui tres numero versus legerit, omnes legerit. Pro Christiano eum habent aliqui, sed pro gentili plerique, Augustini ac Orosii testimoniis subnixi. Barthius Victori Gisellino præcipue indignatur, quod is, dum Prudentii nonnulla loca enarrat, Claudianum & Antonium Christianos fuisse, sed a Symmacho paganismo redditos, confidenter affirmavit, absque tamen addito ullo tantæ assertionis testimonio. Ipse simulatorem credit fuisse Claudianum, animive dubium, qui nec a Christianismo, nec a Paganismo abhorruerit, *lib. 1. Adversar. c. 7.* Quæ vero sententia suo auctori relinquenda. Memorat Gregorius Leti, Ital. Regnante P. IV. 1. III. p. 335. Mazzam aliquem Vitam Claudiani, & Analogiam, quod fuerit Christianus, conscripsisse. Aliis longe satius, ut videtur, carmina in Christi honorem scripta, quæ inter Claudiana reperiuntur, ad Damasum pertinere. Prodierunt Opera Claudiani cum notis Steph. Claverii, Jani Parrhasii, & Marci Ant. Detrii Paris. A. 1602. in 4. Jam antea Theod. Pulmannus Claudianum, ope veterum codicum restituerat, emiseratque in lucem Antwerp. 1571. in 16. Cum Casp. Barthii commentario vasto, sed mendosissime edito, prodit Cladianus Hamburgi 1650. in 4. cum jam ex ejusdem emendatione, & cum animadversionum libris, antea A. 1612. minore forma in 8. Hanovix lucem aspexisset. Inde Nicol. Heinsius, Claudiani præcipuus Cultor, illum edidit elegantissime impressum, cum notis, Lugduni Batav. 1641. in 12. qui in multis reprehendit Barthium, cum notis variorum, Heinsiique integris, eundem Poëtam nobis dedit Corn. Schrevelius Lugd. Batav. A. 1665. in 4. In usum Delphini ejus editionem adornavit, cum notis, Guilh. Pyrrhus 1677. Paris. in 4.

7 Accedat tertius Poëta sed haud dubie Christianus, optimusque morum magister, licet non optima semper arte carmina pangendi instructus, AURELIUS PRUDENTIUS; quem adeo in oculis tulit miratusque est olim LUCAS HOLSTENIUS, ut animam jam agens ac moribundus per Ferdinandum Fürstenbergium, incomparabilis eruditionis Principem, & Episcopum postea Paderbornensem ac Monasteriensem, hymnum eum ex Cathemerinis Prudentianis, qui exsequiis defunctorum datur, recitari voluerit, atque eò pacto in solatium vitæ melioris mente erectus expiraverit: referente in Epistola nuncupatoria ad Ferdinandum Nic. Heinsio, qui, post aliorum omnium labores, in Prudentio emendando, egregiam plane operam navavit, ediditque librum nitidissima editione apud Elzevirios Amstelod. 1667. in 12. Antea dudum Victor Giselinus Prudentium ediderat, junctis quoque Theodori Pulmanni notis, Antwerp. A. 1564. in 8. Variorum Commentarios integros collegit, atque unacum Prudentio, a se castigato, emisit Joh. Weizius, Hanov. 1613. in 8. quæ editio præstantissima est. Ceterum in systemate Poëtarum Christianorum, a Georg. Fabricio edito Basileæ An. 1564. in 4to, Prudentius quoque locum haudquaquam infimum tuerur. Sunt autem illi Poëtæ, qui corpore isto continentur, Tertullianus, Cyprianus, Victorinus Pirabionensis, Juvenus, Hilarius, Paulinus, Ambrosius, Damasus Papa, Victorinus Afer, Draconius,

contius, quos non omnes tamen ea, qua decuit, fide Fabricius edidit. Meminit Heinſius, in præſatione ſuo Prudentio præmiſſa, Editionis Joh. Sichardi, quam mire depravatam ait; impreſſa eſt Antwerpiae A. 1536, & poſtea Baſil. 1540: imo &, antequam Antwerpiae ederetur. Baſileae primo prodiit apud Cratandrum A. 1527. Huic Varias e codicibus variis lectiones, ſimulque conjecturas ſuas, alleverant Joh. Cauchius & Cl. Salmaſius, queis poſtmodum uſus in Editione ſua Heinſius eſt, qui & Grævio ſe adjutum profiteretur, memoratque præterea, Franc. Jurem aliquando de edendo Prudentio cogitaſſe, ut & Geverh. Elmenhorſtium: ſed a neutro eſſe præſtitum quicquam: uti nec lucem aſpexerunt notæ in eundem Auctorem Oberi Giphanii, quas reliquiſſe in Prudentium fertur, cum emendationibus Lucretianis ſparſim nonnulla ejusdem loca correxiſſet. Aug. Buchnerus etiam in hymnos aliquot Prudentianos aliquid commentatus eſt.

Duobus verbis etiam de duobus Poëtis aliis dicemus. **DRACONTIUM** 18 ſeparatim edidit, cum notis, indice, & glosſario, Joh. Weitzius Francofurt. A. 1610. in 8. Male autem Voſſius de Poëtis ævo poſt Carolum M. adſcribit Dracontium, cum ad Theodoſium Junioſem Elegiam ſcripſerit: ut jam ab aliis eſt notatum. **VENANTII FORTUNATI** Poëmata apud Oporinum edita ſunt Baſil. An. 1562. Hymnum ejus de Reſurrectione Aug. Buchnerus edidit cum ſuis notis. Edita quoque ſunt Venantii poëmata a Chriſtoph. Browero Moguntiae 1603. in 4. Fuit autem hic ſexti ſeculi Scriptor.

Antevertit igitur illum plus integro ſeculo **MACROBIUS AURELIUS** 19 **THEODOSIUS**, qui ſub Honorio & Theodoſio juniore vixit, magnis in aula dignitatibus functus: cujus Opera varia maximam partem ex aliis Græcis & Latinis Auctoribus collecta ſunt, quapropter & vehementer vapulat aliquibus ille, maleque inter plagiariorum collocatur, cum ipſe tamen in præſatione ſuum colligendi inſtitutum haudquaquam diſſimulet: quamobrem non immerito Virum doctiſſimum a plagii intentato crimine Thomafius, cum Conr. Heresbachio, Ludov. Vive ac Thoma Reineſio, vindicatum ir, Diſſ. de Plag. Liter. §. 503. Prodiſerunt Opera Macrobiani, cum Caſtigatone Joh. Iſaaci Pontani & Joh. Meurfii, Lugduni Batav. A. 1597. in 8. iterum 1628. reuſa. Poſtmodum vero revidit Macrobius J. Fr. Gronovius, ac præcedentium Duumvirorum notis ſuas quoque adjecit Lugd. Batav. 1670. in 8. quæ editio optima. Præter hos in Macrobio emendando multum operæ ſtudioque poſuit Nicol. Heinſius, reſte Luca Holſtenio, qui antiquiſſimi exemplaris Neapolitani indicium illi feciſſe narrat Epiſt. 14. ad Lambecium, qui & ipſe ſe Macrobio operam impendiſſe refert. Verum apud utrumque res intra conatus ſubſtitit.

Non omittendus vero nunc, qui Macrobius ætate adhuc ſuperavit, ab initio 20 ſtatim ſeculi quinti clarus, **SEVERUS SULPITIUS**, Scriptor elegantia Latinitatis ſuam ætatem plane ſuperat. Editus eſt olim apud Oporinum, per Matth. Flacium Illyricum, in 8. ut cum notis Pet. Gaſefinii Romæ 1564. Scholia Gelafinii retulit, & emendatum denuo, illuſtratumque, adjecta chronologia, Sulpitium Severum edidit Antwer-

piæ Victor Gifelinus A. 1574. in 8. Historiam ejus Sacram Carolus Sigonius quoque Commentario illustravit, Bonon. 1581. in 8. nec non Joh. Drufius Franekeræ 1607. in 8., & Joh. Vorstius Berolini A. 1668. in 12. Vastum opus vero in eandem Severi Sacram Historiam, sub titulo *Bibliotheca Sacrae*, conscripsit Christianus Schotanus Franeck. fol. 1664. Omnium, quæ tum habebantur, Sulpitii Operum Editio nitidissima plane est Elzeviriana A. 1656. in 12. & alia, quæ cum notis Variorum a Georg. Hornio procurata est aliquoties, Lugduni Batav. impressa A. 1647. 1654. 1665. in 8. cui editioni Salmasianæ etiam notæ aliquæ accesserunt. Neque tamen adeo præclare sua illa editione meritum Hornium, sed plurima male posita aut omiſsa esse, peculiari dissertatione Sam. Bochartus offendit: cujus dum meminit Colomesius, & simul Epistolas aliquot Sulpitii Severi a Dacherio & Baluzio editas, nulli adhuc Editioni operum illius illatas refert, optat, ut nova Severi editio a Viro quodam docto suscipiatur, Biblioth. Select. p. 99. seq.

- 21 Eodem quidem seculo vixit, sed non eodem dictionis genere eademve puritate scripsit, C. SOLLIUS APOLLINARIS SIDONIUS, Vir genere illustris, & reipublicæ primum, dein & Ecclesiæ, magna pars. Ejus extant *Epistolæ & poemata*. Quod profam ejus attinet, plena est peregrinitatis, ac Latinitatem habet plane ferream: Poësis vero est tolerabilis. Id enim observare possumus in Scriptoribus illis, Poësin tardius degenerasse, quam profam: eam ob causam, quia in Carmine major vocum delectus adhibebatur, atque imitatio veterum necessaria quadam lege præscribatur, vide, quæ de Sidonio diximus, *Tom. I. Polybistoris lib. I. c. 23. §. 25.* Editus est Sidonius cum Commentario Joh. Bapt. Pii Basil. A. 1542. in 4. decennio post Lugduni ab Elia Vinero recognitus. Inde Joh. Savaro, Claromontanus, Vir Illustris, doctissimum Commentarium edidit in Apollinarium, Paris. 1599. in 4., & post eum Jac. Sirmondus, e Soc. Jesu, Paris. 1614., & cum auctioribus notis An. 1652. in 4. Ambo doctissimi longe Viri sunt, ac in mediis temporis Scriptoribus versatissimi. (xx)

- 22 Longe inferior adhuc Apollinaris Latinitate MARTIANI CAPELLÆ stylus est, quem *pecudalis eloquentiæ auctorem* C. Barthius vocat Adversar. lib. XXV. c. 13. *Encyclopediam* scripsit, sub forma fabulæ alicujus de Nuptiis Philologiæ & Mercurii, ac septem artibus liberalibus; sermone pedestri scriptam, sed cui metra sparsim admixta

(xx) Inter Sidonii Apollinaris Editiones præstantiores, mentionem etiam honestam mereri mihi videntur duæ Wowerianæ, h. l. præteritæ, Parisiensis scilicet, ab ipso Johanne Wowerio A. 1593. in 8vo publicata, Textumque, Autoris e Codicibus, tum suo, tum Gallicis compluribus, dextre emendatum, ac Notis præterea Criticis illustratum exhibens, ac Hanoviensis posthuma, quam, ex postrema Wowerii ad Codicem Achillis Statii Romanum Recognitione, Civis ejus, Geverh. Elmenhorstius, apud Aubrios, A. 1617. in 8vo edidit, & a se itidem ad Vett. Codd. fidem locis infinitis emaculatam, indice quoque Vocum Sidonii obscurarum copioso instruxit.

mixta sunt. Tota hæc inventio Africam sapit, quæ plerumque monstri aliquid, & novi, parit. Stylus quoque ipse patriam Auctoris spirat: pinguis dictio, audaces metaphoræ, verba insolita: sed tamen ingenio privandus non est.— In eum Hugo Grotius annos XIV. natus commentatus est Lugd. Barav. 1600 in 8. Postea Joh. Frid. Gronovius illi emendando tempus aliquod impendit. Ita enim in epistola ad Virdungum (quæ reperitur in Mantissa V. Epistolar. Richterianar.) scribit. *Incidit in MSS. Capella codicem, quem cum editione Grotii conferre cepi: non est quidem antiquissimus, sed ex antiquo tamen & probo exemplari descriptus. Non est quidem auctor ejus nota, ut multum temporis in illo sit impendendum; quem barbarum Scaliger, lippitudinem Latinitatis vocat Scrioverius: interim, cum nihil agam, hoc nihil agere aliquid agere est.* Primus imprimi Martianum curavit Vincentiæ An. 1499. Franc. Vitalis Badianus, postquam Thadæus Ugolenus illum semel in lucem protraxisset. vid. Voss. de Histor. Lat. lib. III. p. 713.

Sequenti ævo, sexto post C. N. floruit Vir, præter generis muniorumve ²³ splendorem, omni doctrinarum genere abundantissime excultus, ANICIUS MANLIUS SEVERINUS BOETHIUS, cujus num philosophiam, an eloquentiam, aut poësin, potius admirare, dubium est. Plane enim excellit, ac, doctissimorum quorumvis judicio, cuilibet superiorum & magnorum comparandus est. Ut vero cetera ejus plurima Opera omittamus, libellus de *Consolatione Philosophiæ*, quem, in mediis calamitatibus carceris, partim profaico, partim metrico scribendi genere composuit, incomparabilis fere est, totusque etiam imbibendus. Prodiit apud Jodocum Badium Afcensium Paris. An. 1502. cum ejusdem notis: additus Thomæ Aquinatis commentarius apud eundem 1514. Theod. Pulmannus illum e codicibus MSS. emendatum dedit Antwerpiæ in 12. Conr. Rittershusius Lugd. Barav. 1600. Joh. Bernartius, cum notis, Antwerp. 1607. in 8. Petrus Bertius 1633. & si recte memini, etiam cum variorum notis prodiit. Opera Boëthii omnia cum variorum notis Basîl. An. 1570. in fol. lucem aspexerunt: jam antea ibidem 1546. & Venetiis 1491. excusa. (Libellus ille de Consolatione Philosophiæ in Gallicam quoque Anglicamque linguam translatus est: imo & in Germanicam eodem plane dicendi genere, quo est a Boëthio scriptus; nempe, ut profaicæ dictioni versus immisceantur, iique haud parum profecto apti concinnique; operam commodante Viro illustri, dum viveret, Christiano Knorrio, Lib. Barone de Rosenroth. Editus est post translatoris mortem secunda vice cum præfatione Franc. Mercurii Helmontii.)

Quam inter Gothos absterfit pro viribus Latini sermonis peregrinam sribli- ²⁴ ginem Boëthius, ea undiquaque conspersus incedit, qui in eadem Theodorici Regis Goth. & successorum aliquot, aula summis muniis functus est MAGNUS AURELIUS CASSIODORUS; cujus Opera tam junctim, quam seorsim, prodire. Conjunctim illa publicavit, duobus in 8. voluminibus comprehensa, suisque illustrata notis; Guil. Fornerius, Paris. An. 1588. Genevæ in 4. Pet. Brossæus 1601.

& 1650. in 4. Tandem studiosissime omnia collegit, & emendata suis insuper notis ac dissertationibus illustravit, Joh. Garretus, Bened. Monachus Rothomagi 1679. in fol. 2. Tomis.

25 Sunt & non pauci incertæ ætatis: ut (quos unos e pluribus nominamus) AUCTORES FINIUM REGUNDORUM, quos cum observationibus suis Nicol. Rigaltius edidit, in præfatione de ætate singulorum disquirens, Paris. 1614. in 4. quosque postmodum iterara Editione, cum amplissimo Commentario, publicavit Wilhelmus Gæsius Amstelod. in 4. 1674. De Jurisconsultorum Latinitate, quæ in Pandectis reperitur, optime Sanctius judicavit Minervæ p. 259. male omnino illos facere, qui eos cum Cicerone comparant, aut Latini sermonis puritatem inde hauriri posse credunt. Non illud fuisse seculum Justinianeum, quod Latinas literas poliret: imo multa in Pandectis reperiri, quæ a genuina Latinitate abhorreant. Satis superque gloriæ Scriptoribus juris tribui, si inter sui seculi homines eos præstantissimos dicamus. *Medii ævi Auctores* plurimi sunt, quos ad ligneam, luteam, saxeamque ætatem Scioppius refert, & quos, ob barbaram sermonis stribliginem, neque legendos styli causa, neque etiam sollicitè recensendos, puto. Quamvis non negem, esse inter illos, qui ultra genium seculi sese erigant: sed tamen iis securè fides in Latinitate haberi non potest. Plerique illorum vel Historici sunt, quorum Catalogum magno studio a Gerh. Joh. Vossio, & qui notas in eum scripsit, Christ. Sandio, congestum invenies: vel Poëtræ, alios recenset idem Vossius in Dissertat. de Poëtis Latinis. Peritissimi in illorum lectione fuere Casp. Barthius, Thom. Reinesius, Chr. Daumius, qui in scriptis suis hic illic flosculos ex iisdem decerpunt. Barthius in nonnullos integros commentarios scripsit: ut in Guil. Britonem poëtræ. Ego Latinitatis causa sterquilinum hoc movere consultum non puto: nec certe legerim, nisi ob historiam, cui singularem nonnunquam lucem præferunt, & in principum rerumque publicarum controversiis magna cum utilitate a politicis leguntur. Excelluit quoque, eam unam ob rationem inductus, in Scriptorum medii ævi lectione Pet. Pithæus: cui addendi e Germanis Frid. Lindenbrogius, & Herm. Conringius: e Gallis Jac. Sirmondus, & qui instar omnium fere unus est, Carolus du Fresne, seu Cangius: nec non superstes hodieque Vir summus, Stephanus Baluzius: aliique. De temporibus obscurorum Virorum dicere operæ pretium non erit. De Auctoribus, qui sub *παλιγγενεσιαν* Latinitatis orti fuere, dici quidem hic aliqua possent; sed commodius eos suis locis reservabimus: præsertim, cum de eorum bona parte jam dictum sit, quum de *Epistolographis* ageremus: ceteros inter Oratores enumerabimus.

26 Jure meritò autem inter antiquæ Latinitatis mōnumenta locum sibi vendicant INSCRIPTIONES, quarum ingens Volumen, auspiciis Jos. Scaligeri & Marci Velsæri, promotoribus compluribus Viris doctis, collegit ediditque Heidelbergæ 1603. fol. JANUS GRUTERUS, cum uberrimis indicibus, quos ipsemet Scaliger summa cura, maximoque integrorum decem mensium, labore, confecit: & qui ta-

men a nominis sui mentione omnino abstinere voluit. vid. Epist. 413. & seq. Scaligeri pag. 703. Jam ante Gruterum Inscriptiones antiquas tales colligere cœperunt Conr. Peutingerus, Marc. Velferus, Jac. Mazochius, Pet. Appianus, Mart. Smetius, alique: sed minor est collectarum numerus, quam ut cum Gruteriano opere comparari queat. Sed, cum & hic deesse adhuc longe plurimas accuratior secutæ ætatis investigatio demonstrasset, supplementum velut illius, eadem plane methodo, adornavit volumen aliud, ferme non minus vastum, idque Commentariis illustravit, THOMAS REINESIUS; quod post mortem viri doctissimi Lipsiæ A. 1681. fol. lucem adspexit. Aliud adhuc Volumen præ manibus habet MARQ. GUDIUS, Gruteriano & Reinesiano longe accuratius: totam enim Italiam perreptavit ad congerendos hosce thesauros. (Verum, uti Vir ille summus, nescio qua invidia, maluit secum retinere premereque quod habuit, quam cum erudito orbe communicare; ita inscriptiones quoque suas in tres quidem tomos eleganter admodum digessit, nec tamen alii, quamdiu viveret, edendas permisit. Nunc, post ejus mortem, in Clar. Grævii manus eas omnes pervenisse fama aliquando fuit; sed & illam non satis certam exinde comperi: potius adhuc in Gudiana Bibliotheca tres illos Tomos asservari fidem ἀποκρίσεως aliqui fecerunt: ut adeo ne nunc quidem eas Inscriptiones in lucem emissum iri spes sit. Interea Supplementum tale Gruterianum ac Reinesianum Italus quidam eruditissimus, Raphaël Fabrettus, moliri cœpit, jamque pars operis Romæ impressa est, dubiumque nullum, integrum proditurum, cum id urgeat Editor. Continebit ultra duo Inscriptionum, alias ignotarum, millia.) Præter hos Inscriptionum colligendarum edendarumque curam in se susceperunt Sebast. Maccius, qui e tota Italia congeffit illas, comprehenditque uno volumine: teste Erythræo Pinac. I. pag. 278. Joh. Zaratinus Castellinius: adeo: referente eodem Erythræo l. c. pag. 51. *Inscriptionum veterum studiosus, ut in eis perquirendis interpretandisque pene mori videretur. Hinc fiebat, ut, quoad Romæ vixit, nullus fere dies fuerit paulo serenior, quin in aliquo prædio vel agro conspiceretur, ubi ex veterum villarum ruinis saxa vel lapides effoderentur: ut, si que in eis tabule marmoreæ, Græcis vel Latinis notis insculptæ, inventæ essent; vel eas precio auferret, vel quod in eis scriptum esset, in sua pugillaria referret:* Georg. Gualtherus, cui collectionem Inscriptionum & tabularum Siciliæ atque Brutiorum debemus, cum animadversionibus ejusdem Messanæ 1624. in 4to editam: Carolus Cæsar Malvasia, qui *Marmora Felsinea, seu Bononiensia*, Bononiæ An. 1690. in fol. publicavit: Henricus (Cardinalis) Norisius, cui *Cajii & Lucii Cesarum Cenotaphia Pisana*, eruditissimis longe dissertationibus illustrata, & Venetiis in fol. 1681. edita, in acceptis ferimus. Sertorius Ursatus, qui *Monumenta Patavina* collegit, digessit, atque commentariis illustriora reddidit Patav. 1652. in fol. Joh. Jac. Boissardus in *Antiquitatibus urbis Romæ* Francof. 1692. in fol. Paul. Aringhus in *Roma Subterranea* Romæ 1651. fol. J. Bapt. Ferretius in *Mysis Lapidarius*: Joh. Seidenus, qui *Marmora Arundelianâ*, Græcè inscripta & ex Oriente in Angliam allata, cum aliis vetustis Inscriptionibus, Commentariis suis illustravit Londini 1629. in 4. quibus

bus postmodum Oxonii 167. in theatro Sheldoniano splendide recufis, & auctis; suas quoque notas adjecit Humphridus Prideaux. Exinde Græcarum Inſcriptionum major apparatus comparere cœpit: ſiquidem JAC. SPONIUS, Græcarum antiquitatum vindex, in itinere ſuo per Orientem nihil ferme tam avidè inquiſivit, ac propterea magnam Inſcriptionum vim partim Itinerario ſuo literatiſſimo inſeruit (cui in ſupplementum Georg. Wheleri, quem comitem itineris Sponius habebat, Itinerarium addi meret,) partim Curioſæ Antiquitatum Investigationi, Lugduni 1683. in 4. Gallico idiomate excuſa. Idem Sponius Supplementum quoque Gruterianum edidit Lugduni A. 1679. in fol. quod & 1683. recuſum eſt; titulum dedit: *Miſcellanea Erudita Antiquitatis*: queis ſecundum quoque Tomium A. 1685. adjecit. Taceo nunc Claud. Salmaſii Explicationem duarum Inſcriptionum Herodis Attici rheroris, & Regillæ conjugis, una cum notis ad Doſiadæ aram, Pariſ. 1619. in 4. ediram. Caroli Patini Commentarium in tres inſcriptiones Smyrnenſes; Patavii 1685. in 4. Joh. Smetii antiquitates Noviomagenſes: Giſb. Cuperi Syllogen variarum veterum inſcriptionum, ejus Harpocrati ſubjectarum: atque alia hujus generis ſcripta plura, quæ indies fere creſcunt. E vaſtis illis Gruteri, Reineſii, Sponii, aliorumque corporibus Inſcriptionum Syllogen præcipuarum ſelegit ediditque Londini in 8. A. 1691. *Guil. Fleetwodi*; quæ cupidos antiquitatum talium ſtudioſos, & tamen emendis ſumptuoſis voluminibus impares, juvare poteſt. De inſcriptionum veterum ætate dignoſcenda, & ſtylo, quædam docere poterit Octavius Boldonius, in Epigraphica ſua, vaſtiſſimo Opere, nec ita tamen adornato, ut fieri vel poterat, vel debebat, Auguſtæ Peruſiæ 1660. fol. de quo alibi mentio recurret.

FINIS LIBRI QUARTI.



dignoscendis ac dijudicandis omnis generis Auctorum, Græcorum, Latinorum, Sacrorum, profanorum, scriptis; in castigandis, emendandis ac restituendis iisdem, & quæ alia artis exquisitissimæ munia sunt: ii demum recte intelligunt, qui, sine illius adjumento, confusa omnia, & miserimis imposturis plena, fore animadvertunt.

- 2 Sunt, qui de illius usu aliqua generatim scripsere. Inservit huic instituto *Joh. Woverius* cap. 16. 17. & 18. suæ Polymathiae, qui haud contemnenda in medium profert. *Phil. Jac. Mauffacus*, in præclara illa Dissertatione Critica, quam Lexico Harpocratonis præfixit; quanquam iniquiori animo in Casauboni plagiarium, ut male suspicatur, doctissimum Woverium sit, eumque toties, quoties potest, carpat. *a)* *Henr. Stephanus* in Dissertatione de Criticis Veteribus Græcis & Latinis, Paris. 1587. in 4. edita: & *Dan. Heinsius* in Dissert. de veræ Criticæ apud veteres ortu, progressu, usuque, tum in disciplinis ceteris, tum in sacris, quæ una cum Crepundiis ejus Silianis, & Lugduni Batav. prodiit, & Cantabrigiæ 1646. in 12. est recusa. Qui Artem Criticam ad regulas redegerit, novi neminem, nisi *Franc. Robortellum*, cujus ea de re exiguus libellus exstat, Patavii 1557. & Francof. 1604. in 8. excusus; & *Gasp. Scioppius*, qui & hunc Auctorem, & suum Commentarium de arte Critica, & præcipue de altera ejus parte, emendatrice, edidit Noribergæ 1597. in 8. quem *Jodoc. Pluymerus*, Amstelodamensis typographus, A. 1662. in 8. recudi fecit: Docet imprimis eo libello Auctor, quænam ratio in emendandis ex ingenio Latinis Scriptoribus observari debeat. De ratione emendandi Græcos auctores peculiare Syntagma conscripsit *Guil. Canterus*, quod Novis ejus Lectionibus additum prodiit Antwerp. 1571. in 8. & separatim Basileæ 1566. fol. (Nuperrime An. 1697. duobus in 8. tomis, Artem Criticam, a se compositam, Amstelodami orbi erudito dedit *Vir doctissimus Joh. Clericus*, sed non talem tamen, cui non addi etiam adhuc aliqua possint.)

- 3 Ceterum orta primum superiore seculo accuratior illa Critices tractatio est paucis ante Scaligeros annis: quibus ipsismet deinde signa tollentibus, secuti magno numero sunt Scriptores, quos omnes hic recensere non lubet, maxime, cum non unius commatis sint. Neque enim hic diffirendum, quemadmodum nonnullorum e veteribus Criticis nimius emendandi pruritus rei literariæ vehementer obfuit, & ridiculos non solum ipsosmet illos Criticistros reddidit, sed & immani lectionum Variantium, arque haud raro monstrorum, mole optimos Auctores pessime inquinavit: qua de re Veteres passim conqueruntur: ita recentiorum quoque

a) Commentarium de Critica promissit *J. Casaubonus*, de quo, uti & *Joh. Woverii* & *Phil. Jac. Mauffaci* Operibus affectis de Studiis Veterum eidem Argumento illustrando præcipue destinatis, *Jac. Thomafius*, in Prolegomenis Editionis Tractatus de Polymathia Wouweriani Lipsiensis, An. 1665. publicatae, plurima collegit, & nos etiam in Woverii (cujus Polymathiam plagii in Commentarium Casauboni, modo laudatum, *Jos. Scaliger*, *Mauffacus*, & alii, insinularunt) *Elogio*, *Cimbriae Literatae* inferendo, fufius aliquando differemus.

que Criticorum non pauciores, dum medicam manum admovere Autoribus tentant, magis lacerant illos corrumpuntque: nimirum vel ea, quæ non intelligunt, in alia omnia pro capru inepte sapius transmutantes; aut intempestiva corrigendi libidine, ut ingenium ostentent, nihil non, ut corruptum, mira audacia tentantes. Illorum ineptias castigant Henr. Stephanus in Epistola de statu typographiæ suæ: & Vaco Verulamius lib. VI. de Augm. Scient. c. 4. qui propterea recte monet: *nisi Critici fuerint eruditi in scientiis illis, de quibus libri ab illis editi tractant, periculo diligentiam illorum non vacare.* Hos vero non minus depingit graphice, quam castigat, Vir doctus, Phil. Priorius in præfatione ad Optatum Milevitanum, sæculi IV. scriptorem Afrum, a se Paris. 1679. fol. editum, cum ait: *De meo illud assero, abstinuisse me ab illa Critica pruriginè, quæ sciorum animis insedit, qui nihil præter mendosam scripturam crepant, luxatum locum, desperatum, depravatum, clamitant, & a se feliciter restitutum unius literule mutatione. Permulti sane sunt hisce temporibus, quorum intra has metas eruditio tota consistit, & qui, solidioris literaturæ ope destituti, in minutis ejusmodi & λεπτολογήμασι tempus omne & ætatem misere impendunt. Hos bene valere jubeo: iis bonam mentem opto. Nobis non licet eo audaciæ perrumpere, ut veterum scripta tam temere corrumpamus.* Scilicet, uti nihil adeo infigne est, cui non ob id ipsum aliquis abusus adhæreat, ita cum Critice idem actum.

• Insigniores ævi superioris Critici, qui non nimis vastos commentarios scribere, collecti sunt, septemque tomis in 8. chartæ majoris editi, a JANO GRUTERO sub titulo *Faciæ Liberalium artium, seu Thesauri Critici*, Francofurti 1601. 1604. 1605. 1606. 1607. & 1623. Sed de ultimo isthoc tomo, qui tam magno a prioribus intervallo prodiit, sciendum, illum non a Grutero fuisse curatum, ut reliqui, sed a Dan. Pareo suppositum, quo ille Gruterum fugillat, & acerbe in eundem invehitur, vindicaturus nempe hac demum ratione se a conviciis, quibus passim illum Critici exceperunt. Nihil atinet eos, qui his tomis congesti sunt, recensere: sufficiat illuc remississe, indicasseque, Thesaurum illum quasi Pandectarum instar esse Criticarum. Nos hic sparsim aliquam multos enumerabimus velut per lancem saturam Auctores, qui in illa Face non sunt. Fuit, cum in catalogo nundinarum Francofurtensium accessorius Faci novus tomus promitteretur: sed nec prodiit, neque, ut nunc sunt tempora, facile prodibit: solent enim illi Catalogi promissis esse divites, & corvos deludere hiantes.

Solent vero Critici suas divinationes, conjectanea, racemationes, præcidanea, verosimilia, suspiciones, Lectiones, Castigationes, pericula, &c. vel Autoribus ipsis adjungere; quorum multos jamdum supra recensuimus: vel eas edere separatim. Aliqui facultatum cerrarum Auctores emendare solent, atque hinc habemus Criticos Sacros, Criticos in libros Juris, Criticos Medicos in Hippocratem, Galenum aliosque, de quibus suo loco. Nunc tantum aliquos commemorabimus, qui vagi argumenti libros scripserunt, nec in certos Auctores, nec de certis argumentis. Sunt tales PETRI VICTORII *Varie lectiones*, libris XXV. constantes, multa refertæ eruditione & observationibus in bonos Auctores linguæ utriusque; quæ Florentiæ 1553. in fol. apud Tor-

rentinum, & ibidem A. 1582. apud Juntas, prodierunt. Erat Vir ille sine dubio literatissimus, & non per Italiam solum, sed & per totum orbem literatum, celeberrimus, nec Philologus tantum, sed & Philosophus & Orator insignis, quod doctissima ejus in Aristotelem atque Ciceronem Commentaria abunde testantur. Parum benigne alias de illo Jos. Scaliger judicavit in Excerptis Putean. Scalig. pag. 251. Doctum vocat ibi, sed vulgare ingenium: se juvenem magni aliquando Virias Lectiones illius aestimasse, in quibus tamen non habet nisi verba, & paucas conjecturas bonas, quippe qui multum in libris conferendis fecerit, sed non habuerit genium librorum. Miseras ait illum Epistolas scribere, & cum magnis ambagibus: &c. Quamquam vero postremum crimen aliqua ex parte verum sit: nam regnabat tum apud Italos circumducta illa & fusa scribendi ratio, & pene superstitiosa imitatio Ciceronis; quo factum, ut saepe magis verborum culturae incumberent Viri eruditi, quam rebus ipsis; cum insectis temporibus pressior dictio doctis placere cœperit: esse tamen a Scaligero in Victorium aliqua inclementius dicta, ut sunt in iis Excerptis plurima, negari non potest.

6 ADRIANI TURNEBI *Adversaria*, elegans ac doctum Opus, varia in Latinos Auctores varios observata continet, Paris. 1580. in fol. Tomis duobus editum, & recusum Argentorati 1599. De illo tam splendide Scaliger libro citato judicat, ut uno ejus libro plus haberi censet, quam Victorii totis 25. & alia Turnebus in Latinos Auctores eruditissima, tum & alia nonnulla, inter quæ est elegans *Dissertatiuncula adversus vini potum*: in qua plane alia sentit, quam popularis ejus Guyetus. Lepidum est, quod de se puerulo Thuanus lib. I. de Vita sua narrat, se, cum aliquando obambulans in platea Adrianus Turnebus monstraretur, tanta aviditate faciem viri oculis suis hausisse, suoque impressisse animo, ut continuas aliquot noctes nil nisi Turnebum somniaret: nempe, qui tum jam incredibili doctorum Virorum amore tenella ætarula flagrabat.

7 De Ludov. Cælio Rhodigino diximus in Locorum Communium scriptoribus, qui & huc referri potest: multa habet ad emendationem Auctorum spectantia. JUSTI LIPSII *Opera Critica*, ut sunt Antiquæ lectiones, Epistolicae quæstiones, Electa, Variæ Lectiones, &c. variæ sunt eruditionis: nam & antiquaria multa habet & emendat in Auctoribus. Sed plagii ille accusatur a multis, & forte non injuria. Nam Petrus Faber olim Agonistica sua ab illo in Variis libris suis, qui similis argumenti sunt, compilata clamavit, & novâ tantum styli Lipsiani veste induta: & Jos. Scaliger refert, in libris de Militia Romana Lipsium omnia cepisse ex Franc. Patricio, qui Italice ea de re scripserit, scilicet in tractatu, quem inscripsit *La Militia Romana di Polibio, di Tito Livio, e di Dionigi Alicarnasseo dichiarata, e con varie figure illustrata*. Ferrara 1583. in 4. Ingenium de Lipsio judicium est Jul. Cæs. Buelengeri, Viri alioquin non adeo acuti, cum Historiar. lib. XII. pag. 389. illum, cum Scaligero & Casaubono comparatum, utroque minorem facit.

8 JAC. CUJACIUS *Observationes* scripsit, plerasque super textus Juris, sed quibus tamen

tamen immiscentur multa ad alios Auctores pertinentia. Vir fuit doctissimus, a quo se multa didicisse agnoscit Scaliger: cum se nauseantem jam omni bonorum studiorum gustu reficeret Cujacius, languentem recrearet, & jam prope deploratum, & sibi suisque rebus omnibus diffidentem, ad lucem iterum revocaret. vid. Epist. Scalig. 32. Eundem de se bene meritum Pet. Pithæus, Jac. Aug. Thuanus, aliique summis elogiis extulere. Observationes ejus, quas diximus, editæ sunt Coloniae 1598. in 8. In illas promiserat Jac. Franc. Grandis accuratam Criticam, sed quam ego nunquam esse editam comperi. GUIL. CANTERI *novæ Lectiones* additæ sunt Faci Criticæ Gruterianæ: ut & Franc. Floridi Sabini Subseciva. Sed & plura scripsit Floridus, quam ibi habentur, & plura etiam Canterus. Canteri Syntagma de ratione emendandi Græcos Auctores supra memoravimus. Novas Lectiones aliquoties recensuit auxitque & libellum Variarum Lectionum in Græcis Bibliis a Plantino excusum concinnavit. Neque dubium, quin multo plura etiam ab illo expectanda fuerint, ni mors juvenem anno æt. 33. abripuisset. In laudata sæpius jam Face Critica habentur YVONIS VILLIOMARI *Animadversa in locos controversos Rob. Titii*. Sciendum, sub illo nomine latitare Jos. Scaligerum, qui tum, ut famam aucuparetur, Rob. Titium adortus est. Erant, priusquam verum nomen Auctoris ejus libelli innotesceret, qui Cujacium ipsummet sub Yvone personato latere suspicarentur, sed mox Scaliger innotuit: qui tantum sibi ipsi cum sua illa scriptione placebat, ut Cujacium edendæ tali imparem judicaverit. *Mons. Cujas n'eust scœu écrire comme Yvo Villiomarus*: inquit in Excerptis Scal. p. 60.

THOMÆ REINESII *Varia Lectiones* Opus sunt multa doctrina refertissimum: in quo varia habentur ad historiam Romanam spectantia, ad genealogias, item Medica. Jungi iis possunt Epistolæ ad Hofmannum & Rupertum, nec non ad Daumium & ad Nesteros: de quibus alibi. Adversus Lectiones Varias scripserat quædam *Andr. Rivinus*, Professor Poëseos apud Lipsienses: sed mox iterum a Reinesio confutatus, qui Variarum Lectionum suarum Defensionem Rostochii 1659. in 4. edidit. CASP. HOFMANNUS ipse etiam *Varias Lectiones* scripsit, quæ ratiores sunt, & multas habent emendationes locorum Dioscoridis, Athenæi, Plinii, Hippocratis. Editæ sunt Lipsiæ 1619. in 8. JACOBI PALMERII de Grentemesnil *Exercitationes* extant in *Græcos Auctores*, in quibus multa præclare emendantur Græcorum poëtarum, historicorum, oratorum loca. Vir enim ille in Græcis Scriptoribus multum operæ impendit, belli, pacis ac literarum artibus ac disciplinis inclutus, ut eum Steph. Le Moyne vocat. Exercitationes ejus editæ sunt Lugduni Batav. apud Gaesbergios 1668. in 4. Ejusdem *Græcia Antiqua*, posthumus liber, decennio post editus est apud eosdem 1678. in 4. una cum præmissa Autoris vita.

ANDRÆ SCHOTTI, Jesuitarum, Scaligero judice, doctissimi, *Observationes Humanæ & Nodi Ciceroniani* multa in Cicerone, Græcisque & Latinis Auctoribus aliis, pulcre emendant, in lucem prodierunt Hanoviæ 1615. in 4. In CASP. BARTHII *Adversariis*, vastissimo Opere, vel potius vastioris Operis parte (longe etiam plures

plures libri, ut audio, adhuc inediti servantur, multa quidem non contemnenda reperiuntur loca, & Auctores haud raro eximie explicantur: sed tamen non usque adeo placet eruditioribus: est enim in judiciis præceps, in emiendando temerarius, pluribus etiam frivolis & inanibus indulget. Atque, ut Vir mirifici ingenii fuit & morosus, qua de re lepidæ aliquot historiolæ in Epistolis Buchnerianis leguntur; ita etiam Adversaria genium Scriptoris retinere. Excusa sunt Francofurti 1624. fol. b)

II JANI RUTGERSII *Variarum Lectionum Opus* Lugduni Batav. 1618. editum eruditissimum est. Nec spernendæ *Lectiones Variæ* JOSEPHI CASTALIONIS, quas, Romæ 1605. impressas, extinctam propemodum apud Transalpinos, de Itolorum eruditione laudem revocasse Nicius Erythraeus auctor est Pinacoth. I. p. 168. refertque, se a Mcurso audivisse, *Varias Lectiones Castalionis, cum essent Lugdunum Batavorum allata, cum omnium risu exceptas fuisse, quod existimaretur, luteum esse negotium, nec dignum, quod lucem aspiceret, quoniam nullum jamdiu eruditum opus ex Italia prodisset: sed, simul inspectum hoc, adeo probatum esse, ut sententiam mutaverint, statuerintque, esse Italis ingenium, dummodo adsit studium & exercitatio.* SAMUE- LIS PETITI *Observationes* Paris. 1614. in 4. item *Variæ ejus Lectiones* A. 1633. nec non *Miscellanea* A. 1630. edita, multa habent Chronologica notata, & in Græcos Auctores animadversiones. THOMÆ GATAKERI *Adversaria* Londini 1659. in fol. item *Cinnus* ejusdem, seu *Animadversionum variarum liber*, in 4. 1651. emissâ; multa emendant in Patribus Græcis, multa observant in textu Græco Bibliorum, & incidenter in aliis quoque Auctoribus profanis. Vir enim fuit stupendæ lectionis, magnique judicii, & qui in commentando diligens atque operosus est. c) Similiter. SAM. BO-
CHARTI

b) Casp. Barthii *Adversariorum Libri LX.* tantum priores Francofurti A. 1624. in fol. sunt editi, Libri autem CXX. residui Hareduin, vel negligentia, vel malignitate, perierunt, qua de jactura Christ. Daumius Amicorum Autoris Intimus, in Scriptis & Epistolis suis, passim conqueritur. Sequius de iis, ante Morhofium, etiam alii judicaverunt Eruditiores. E quibus solos jam allegabo Triumviros in Literis Elegantioribus paucis secundos, Thomam Reinesium (cujus *Variarum Lectionum Libri*, Apologia contra Andr. Rivinum, & Epistolæ ad Christ. Daumium, tantum non ubique Barthii crebra in hoc Opere παραρρήματα & lapsus detegunt, inque eos Virgula sæviunt Censoria), Vinc. Fabricium (qui in *Pransu Pavato*, sive Satyra in Poetas, ac horum Contemptores, satis acerbè eadem perstrinxit), & Paulum Colomæsum, cui (in *Opusc. Literariis* p. 250.) Barthius *Vir audit multa quidem lectionis, sed naris haud prorsus emunctæ.*

c) Thomæ Gatakeri *Opera Critica omnia* (1. *Diss. de N. T. Stylo adversus Sebast. Pfoehonium*; 2. *Cinnus*, sive *Adversaria Miscellanea*; 3. *Adversaria Posthuma*, a Carolo Filio publicata; 4. *M. Antonini, Imperatoris, Libri XII. περί τῶν εἰς ἑαυτὸν*, Latine versi, & Commentario illustrati; 5. *Diss. de Diphthongis seu Bivocalibus*; 6. *Dissertationes duæ pro Nominis Πηνη vulgari pronuntiatione*; 7. *Disceptatio cum Sam. Wardo de Baptismi infantilis Vi & Efficacia*) junctim, curante Herm. Witfio Theologo Ultrajectino, cum ejusdem Præfatione, Trajecti ad Rhenum A.

CHARTI scripta, *Hierozoicon, Geographia Sacra*, Criticis observationibus abundant, & in hac quoque arte excelluisse Virum cetera eruditione omni cumulatissime instructum, probant.

Nemo tamen adeo ut propriam, suamque veluti regnum, sibi Criticem vindicatum ivit, ac CLAUD. SALMASIUS, qui, quemadmodum nihil unquam scripsit, in quo non insignia multa Artis Criticæ vestigia deprehendas, ita inprimis, ut Autores cum notis & castigationibus absolutissimis editos taceamus, vaste illo *Plinianarum Exercitationum Opere*, quantum in eo eruditionis genere valeret, demonstratum dedit: nec minus in libris *de Ufuris, Fœnere Trapezitico, Nautico*, critica varia coacervat. Sed tamen suos quoque manes passus est incomparabilis Vir, dum quandoque pro suis venditaret emendationes, quas dudum ante illum, aut Scaliger, aut alii Critici insignes, posuerant: quandoque etiam, intempestiva invidia percitus, ab aliis idonei quid scribi non ferret, suæ id decedere famæ arbitratus, quicquid aliorum laudi, accresceret. Questus est inprimis de maligno isthoc animo Salmasii, magnum quondam nostri seculi decus, JOH. FRIDER. GRONOVIVS, in *Epistola ad Anton. Clementium*, Epistolarum Salmasianarum Editorem. Nam cum hic Epistolam quandam Salmasii ad Sarravium, Gronoviano de Sestertiis tractatui haud paulo iniquiorem, secum servaret, & licet metu Gronovii, ejus editionem supprimeret, legendam tamen describendamque aliis permetteret; Gronovius ab ea se contumelia vindicare decrevit, ediditque adeo acriorem epistolam ad Clementium, in qua mores Salmasii malos vivis coloribus depingit, ejusque simul plagia Critica pluscula recenset. Editæ sunt illæ epistolæ tum Salmasiana tum Gronoviana, ad calcem novæ editionis libri *de Pecunia Veteri Romanorum, seu de Sestertiis*, Gronovii: quem, cum primum vidisset legissetque Sarravius, plenum bonæ frugis esse censuit: licet postmodum, in Salmasii gratiam, aliter judicaret. Propterea autem Salmasius edito illi Operi succensebat, quod sibi partem ablatam quereretur vastissimi Operis, quod *de Re Numaria veterum* moliebatur. Sed, cum de mole illa ne particula quidem unquam prodierit: laudandus vel maxime Gronovius ob insignem fœtum: qui primo editus est Daventriæ 1644. in 8. tum auctior Amstelodami 1656. in 8. & tandem, tertiis curis e MS. Auctoris auctus, a filio Jacobo Grono-

1698. in fol. nitide sunt recusa. Recensum illorum exhibent, justasque simul iis laudes admittuntur, *Acta Erud. Lipsensia, M. Febr. A. 1699. p. 63. 64.* Eadem felicitate Sam. Bocharti Opera omnia, tum antehac edita (Phaleg sc. & Canaan, sive Geographia sacra, & Hierozoicon), tum hactenus inedita, aut Latine e L. Gall. nunc demum versa (Dissertationucula scil. & Epistolæ varii argumenti, circiter quadraginta), una cum Steph. Morini (in Cadomensi olim Munere Ecclesiastico ipsius Collega) Vita Auctoris, & Paradisi Terrestris ad mentem ejus Recensione, curantibus eodem Morino, Joh. Leusdenio & Petro de Villamandi, tribus inclusa Voluminibus, & longe, quam antehac, auctiora atque emendatiora, Lugdani Batav. & Ultrajecti luce in tertio An. 1692. aspexerunt publicam. V. & de iis *Acta Erud. Lips. M. Mart. A. 1693. p. 97-105.*

Gronovio Lugduni Batav. in 4. 1691. Idem Gronovius Pater, ut erat in emendandis bonis Auctoribus accuratissimus diligentissimusque; ita more Criticorum seorsim quoque *Observationum libros tres* publicavit Amstelodami 1639. in 8. & *Daventriæ Monobiblon Observatorum in Scriptoribus Ecclesiasticis*, 1651. in 8. nec non *novum Observationum librum* in 12. 1652. in quibus plurima sunt ad profanos & Ecclesiasticos Scriptores erudite & ingeniose excogitata: ne quid dicam de aliis ejus Observationibus seorsim editis in Statium, & Livium. Librum ejus de Sestertiis in compendium rededit Joh. Pet. Titius, addiditque Manuductioni suæ ad excerpendum.

- 13 DESIDERIUS HERALDUS in hunc quoque censum pertinet, qui tam in scriptis suis adversus Salmasium, quam in *adversariorum libris, & observationibus ad Ius Atticum & Romanum*, aliisque similibus, non pauca critica erudita continet. Ut & LAURENT. RAMIREZ de PRADO in *Pentecontarcho* suo, de quo libro jam supra aliquid nos dixisse meminimus. Sunt qui Franc. Sanctio, Ramiresii Præceptorum librum illum adscribunt: alii, ut Nicol. Antonius in Bibliotheca Hispana annotavit, ejus Sanctii genero, cujus nomen jam non succurrit. Verum Antonius, ipsimet Ramiresio, tot aliis nempe scriptis induto, adscribi debere Pentecontarchum, haudquaquam dubitat. LATINI LATINII *Bibliotheca Latina* nihil aliud est, quam Criticarum observationum in varios Auctores collectio, justis encomiis extollenda; quippe quæ præstantissime multa observata habet, TANAQVILIS FABRI *Epistola Critica*, duobus voluminibus Salmurii 1659. in 4. excusæ, huc quoque pertinent, quamvis jam inter Epistolographos earundem mentio facta sit. Variorum enim Auctorum, & inprimis Ovidii atque Aristophanis, loca corrupta emendant, in quibus ille suum ingenium satis exercet: nam pleraque conjecturis suis restaurare nititur, ingeniosis quidem, sed quæ solæ rem non conficiunt absque MSSorum ope. Guidonis Pancirolli *Lectiones Variæ*, Ant. Augustini *Emendationes & Opiniones*, Jac. Rævardi *Conjecturæ*, Scipionis Gentilis *Parerga*, juridica tractant, sed quæ tamen subinde in campos optimorum Auctorum excurrunt, ac flores ibi colligunt. JOH. MEURSIUS longe plurimam scripsit, quæ spectant ad illustrationem Græcorum Auctorum, Græcæque antiquitatis. Is ipse scripsit etiam *Exercitationes Criticas*, Lugduni Batav. 1599. in 8. editas, quarum pars prima emendationes in Plautum, altera *Miscellanea* continet. Publicavit etiam *Observationum librum* GISEBERTUS CUPERUS Vir illustris, qui in Senatu Ordinem Belgii Fœderati conscriptis Patribus annumeratur; atque ut est inusitatæ prorsus eruditionis, plurima habet singularia observata. Prodiit liber Ultrajecti 1670. in 8. Novimus alias ejus Apotheosin Homeri, Harpocratæ (Notas in Lactantium de Mortibus Persecutorum) præter profundam omnium antiquitatum peritiam Criticæ exactissimam indicantes. Alii præterea Belgium, tot olim illustrium ingeniorum mater, duumviros in arte Criticâ præstantissimos, Joh. Georg. Grævium, & Jac. Gronovium: queis Joh. Clericus etiam addi meret, & qui haudquaquam omittendus, ultimove loco ponendus fuerat, Marcum Meibomium. Heinsios, Grotios, Doussas, Vossios, & qui præterea olim de principatu Critico inter sese certarunt inclutæ Bataviæ filii,

fili, jam commemoravimus, cum de Auctoribus Latinis, eorundemque editionibus, verba faceremus.

ISAACI CASAUBONI etiam mentio tum plus semel facta, quem virum a 14
 Jos. Scaligero doctis omnibus sui temporis prælatum nemo ignorat: & quem pe-
 vitia artis Criticæ paucos sui similes habuisse, invidi etiam æmuli atque hostes fa-
 tentur. Sufficiat ejus *Annotationes in Athenæi Dipnosophiæ libros* commemorasse, qui in-
 structissimum penus Criticæ eruditionis sunt. Idem tot aliæ ejus in bonos Auctores
 notæ abunde restarum reddunt. Neque hic sunt omitrendi HENRICUS atque HA-
 DRIANUS fratres VALESII, quos tum Ammianus Marcellinus, tum notæ in excer-
 pta, quæ vocantur, Peiresciana, Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores Græci, notis am-
 plissimis instructi, aliaque, quanti fuerint, satis declarant. ÆGIDII MENAGII
 peritiam in re Criticâ ostendit luculentissimus in *Diogenem Laërtium Commentarius*, &
 liber de *Amœnitatibus Juris Civilis*. d) Verum in omnibus iis recensendis Auctoribus,
 qui huc spectant, nimis operosi esse non possumus. Neque tanta est hodie illo-
 rum seges, qualis superiore seculo, aut hoc nostro ineunte fuit: vergentibus ad bar-
 bariem literis, paucisque superstitionibus, qui lacertos adversus segenem temporum
 nostrorum ignaviam movent.

C A P. II.

DE SCRIPTORIBUS ANTIQUARIIS.

- §. 1. *Monita de Antiquitatum Græcarum & Romanarum Scriptoribus generalia.* 2. *Scriptorum Rei Nummarie, imprimis Ezech. Spanhemii, Commendatio.* 3. *Antiquitatum Græcarum Scriptores, Joh. Phil. Pfcifferus & Joh. Meursus.* 4. *Antiquitatum Romanarum Scriptores præcipui, Joh. Rosinus, Thom. Dempsterus, Henr. Kippingius, Jac. Masenius, Pet. Jos. Cantelius.* 5. *Scriptores varii de Urbe Romana, ejusque Aedificiis, Familiis, Nominibus, Ordinibus & Cryptis Subterraneis.* 6. *Scriptores de Gentiliis, imprimis Græcorum & Romanorum, Düs, Religione, Sacris, Sacerdotibus, Festsis, Templis, Fastis, Annis, reliquisque temporibus.* 7. *De Græcorum & Romanorum Magistratibus, horumque etiam Jure, Legibus, Judiciis & Comitibus.* 8. *De Ritibus Nuptiarum, Puerperii, Dierum Natalium & Funerum.* 9. *De Re Vestiaria, tam in genere, quam in specie, Coma item, Annulis, Torquibus, &c.* 10. *De Re Militari, Nautica, Donariis & Strenis.* 11. *De Conviviis & Jure Hospitii.* 12. *De Ludis, tum Scenicis, tum aliis ac Certaminibus Gymnasticis.* 13. *De Poculis, Sellis, Campa- nis,*

d) Æg. Menagium in *Comm. in Diogenem Laërtium Joh. Jonßii Libros IV. de Scriptoribus Historiæ Philosophicæ*, in *Amœnitatibus Juris Civilis* autem, Lutetiæ An. 1664. in 8vo, editis, Scipionis Gentilis Libros II. *Parergorum ad Pandectas*, strenue compilasse Morhofius, in *Prælect. Polybistoricis MSS.* observat.

nis, Tintinnabulis, Vehiculis, Fibulis, aliisque supellectile. 14. De Suppliciiis, Cruce, Statuis & Pictura. 15. De Acclamationibus & Blausu, Triumphis, Archis, Iurejurando & Auctionibus. 16. Scriptores de Antiquitatibus Romanis potiores, a Ioh. Georg. Grævio, in Thesauro illarum, junctim recensiti.

1 **S**ubjungimus ANTIQUARIOS Criticis, ut qui inter se sunt quam maxime cognati: in eadem enim aurifodina utrique laborant, Græcis scilicet & Latinis Auctoribus, & ut plurimum fit, ut, qui antiquitates scribunt, iidem *νετικην* in Auctores varios exercent. Intellectos igitur hic præcipue Græcarum Latinarumque antiquitatum Collectores atque vindices volumus, cum Septentrionalium populorum antiquitates proprie huc non spectent, utpote quæ parum ad elegantiam literarum conferunt. Proinde huc pertinent Auctores, qui primo in genere agunt de variis antiquitatibus miscellaneis sine certo aliquo ordine, seu id sub Polymathia, seu sub electorum, alioue titulo, factum sit; Sunt enim illi in hoc genere velut Locorum Communium Scriptores: quorum etiam tum aliquam sylvam declinamus, cum de Locorum Communium Scriptoribus ageremus: queis accenserî merito possunt Alexandri ab Alexandro Dies Geniales, præsertim cum Andr. Tiraquelli & Christ. Coleri commentariis editi, Francof. 1594. etiam in Batavia recusi.

2 Multum quoque studium Antiquariorum juvant Inscriptiones, de quibus supra: nec minus Numismata vetera Græca & Romana. Adeo multi vero rem nummariam veterem excoluerunt excoluntque indies, ut integram constituere Bibliothecam possint. Eos sic satis diligentèr colligit Phil. Labbe in Bibliotheca Nummaria, quæ Bibliothecæ Bibliothecarum annexa est: sed tamen quamplurimi adhuc, præsertim qui post Labbeum inclaruerunt, addi possent, si istud nunc ageremus. e) Nemo melius usum numismatum declaravit, quam EZECHIEL SPANHEMIUS, Vir illustris, in peculiari Opere de *Præstantia & Usu Numismatum*, in quod non Criticarum minus, quam aliarum omnis generis observationum exquisitarum, magnum thesaurum congeffit. Editum est illud opus primo Romæ 1664. in 4. & deinde multo auctius, apud Elzevirios Belgas, An. 1671. in 4. Præmissa est operi Præfatio de Autoribus omnis generis Nummariis, editis atque ineditis. Batavica Lingua prodiit Joachimi Oudaan *Rommische Moogenheit*, (i. e. Romana Potentia,) quo in Libro Autor, Vir quidem non adeo literatus, sed Historiæ peritus, & instructissimus gavisus Nummophylacio, magna cura Historiam Romanam, ex nummis

e) Scriptores Rei Nummaria, non Alphabetico (quem Labbeus elegit), sed materiarum Ordine, commode digestos, diligenter, additis etiam judiciis, recensuerunt Car. Patinus, Studii istius nostro ævo principibus merito annumeratus, in Introductione ad Historiam & Cognitionem rei Nummaria, quæ Gallice Parisiis An. 1665. Latine autem Amstelod. An. 1683. in 12. prodiit, istique ob Scriptorum hujus generis recentissimorum notitiam, jungendus Burch. Gotthilfus Struvius, Acad. Patriæ Jenensis Bibliothecarius, in Bibliotheca Nummificata, ante lustrum circiter unicum Jenæ in 12. publicata.

mis praeceptis instauravit & illustravit. Et sane Nummi interdum plus loquuntur, quam ipsi Auctores, & repraesentata in iis picta rerum publice gestarum, antiquitatum, historia rerum harum indagatores mire juvat. Spectant etiam huc gemmae, annuli & similia, quae insculptas ex antiquitate imagines varias ostendunt.

Ceterum, qui de *Græcis Antiquitatibus* aliquod systema scriberet, neminem habuimus, antequam JOH. PHIL. PFEIFFERUS Regiomonti A. 1689. in 4. libris IV. comprehensum nobis daret; quod opus studiosis tironibus inservire satis commode potest, pro perfecto autem Graecarum Antiquitatum corpore nequaquam habendum. Eminet alias inter Antiquitatum illarum Evolutores, qui per partes rem strenue egerunt, JOH. MEURSIUS, Vir in isto praesertim eruditionis genere summus, & cujus pene extat librorum Bibliotheca. Atticas antiquitates inprimis sedulo illustravit, ut testantur varia ejus scripta, de quibus postea in specialibus illis classibus videbimus.

Corpus Antiquitatum Romanarum curatum est a quodam JOHANNE ROSINO, 4 sed quod verius Sceleton appellaveris: namque omnis auctoris opera in eo versatur, quod lacinias Auctorum sub suis quibusdam titulis congescit. f) In illum THOM. DEMPSTERUS, Scorus, notas scripsit plenas bonae frugis & doctissimas. Saepe Commentarius ille una cum Rosino prodiit, additis figuris ligno incisis, Parisiis, Genevae atque Coloniae Agrippinae; sed nitidior editio est, quae cum figuris aeri incisis lucem aspexit Lugduni Batavorum. Verum, uti longe plura huic argumento addi possent; ita, si quis justum Opus vellent conficere, tot conficiendi nunc instrumenta haberet, ut, praeter laborem & mediocre judicium, non multum requiratur. Edidit quoque HENR. KIPPINGIUS collectanea quaedam Antiquaria sub generalibus illis titulis, quales nobis exhibet Rosinus; labor est non omnino inutilis: occurrunt enim ab illo interdum quaedam notata, quae aliis forte in mentem non venerant: editus est liber Bremæ 1684. in 8. sub titulo: *Recensio Antiquitatum Romanarum novus & methodicus. Compendiolum earundem Antiquitatum* non inelegans paravit JACOBUS MASENIUS, quod reperitur in ejus Palæstra styli Romani hunc in finem ab illo scriptum, ut haberent tirones quasi uno in conspectu posita summa illa Antiquitatum

Bbb bbb 2

Roma-

f) Plenius omnibus hactenus editis Antiquitatum Romanarum Systematibus pariter atque Compendiis est grande & quadripartitum istud earum Syntagma, quod Vir Doctissimus, Burch. Grottilfius Struvius molitur, & ob judicii præterea atque ordinis *επιχειρῶν* commendandum. Liber Primus de Ritibus & Antiquitatibus Sacris, cum præmissa Bibliotheca Antiquitatum Romanarum Historico-Critica eleganti Jenæ, A. 1701. in 4to. jam prodiit. Sequentur hunc, uti speramus propediem, & non minorem Eruditorum reportabunt applausum, tres reliqui de Antiquitatibus Civilibus, Militaribus & Oeconomicis. Post laborem istum absolutum, se Antiquitates etiam Veteris Ecclesiæ Christianæ Sacras, nec non Ægyptiacas, Longobardicas, aliarumque Gentium Barbararum, Methodo simili, propositurum & illustraturum pollicetur.

Romanarum capita. Cui tamen rei longe melius adhuc infervit *Compendium* aliud, a doctissimo Jesuita Gallo, PETRO JOSEPHO CANTELIO, compositum, alteraque vice editum Ultrajecti 1688. in 12. quod de Romana Republica inscribitur, & civiles æque ac militares ejusdem res, non minus studio accurato, quam concinno ordine, exhibet.

5 Quodsi vero speciatim de certis Antiquariorum classibus agi deceat, ponendi sunt primo loco *Autores, qui de urbe Roma, ejus amplitudine, ædificiis, &c.* scripserunt. Habemus vero non paucos hic, qui istud argumentum tractarunt. Sunt Justi Lipsii *Admiranda urbis Romæ, ante quæ tamen & Itali fuere, qui viam huic operi straverunt.* Est Alex. Donati *Roma Vetus & Nova; liber doctus & olim rarissimus, editus Romæ 1639. in 4. sed postmodum in Batavia bis recusus.* Est Georg. Fabricii *Roma, Basil. 1587. in 8. edita, Joh. Barthol. Marliani Topographia urbis Romæ, cum præmissis observationibus de prænomine, nomine & cognomine Romæ 1544. & Basil. 1550. publicata, atque illustrata Iconibus in fol. Justi Rycquii liber de Capitolio Romano, qui primum Gandavi in 4. 1617. prodiit; tum & a Gaesbergio A. 1669. in 12. Lugduni Batav. est recusus.* Italice idem argumentum tractavit Lucius Faunus, edito libro delle Antichita della Cita di Roma Venet. 1558. in 8. Fauno jungendi sunt Pyrrhus Ligorius, Lucas Maurus, Ul. Aldrovandus & Vincent. Scamozzi, omnes Itali, & in describendis sermone vernaculo Romanis antiquitatibus occupati. Andr. Marianus Bononiæ in 8vo edidit de Ruinis urbis Romæ *Epigrammata A. 1641. quibus, ut titulus habet, miranda Urbis cognoscuntur, Sacra visitantur, Nova & Vetera Elogiis recensentur.* Sed parum ea in ipsis ruderibus ob oculos ponendis laborant, licet non spernendæ illis insint argutiæ *Epigrammaticæ, Pet. Angelus Bargeus de publicorum & privatorum urbis Romæ ædificiorum Everforibus. Iconifinos ædificiorum veterum elegantes dedit Ægidius Sadeler, sculptor Cæsareus, libro Italice scripto, sub titulo: Vestigi della Antichita di Roma, Pragæ 1606. fol. Jac. Laurus scripsit de Antiquo Urbis splendore librum, qui prodiit Romæ 1612. in 4. Andr. Fulvius de eodem argumento librum edidit, cum annotationibus Hier. Ferrucci editum, Venet. 1588. in 8. De Familiis Romanorum velut per lancem saturam & lexicon egit Joh. Glandorpius, in Onomastico Historiæ Rom. Francos. fol. An. 1569. edito, qui liber rudimentum tantum operi justo præbet, & multis modis augeri posset: & auxit illum sane postea Fulv. Ursinus singulari libro de Familiis Romanorum, cui Anron. Augustini simile plane Opus de XXX. familiis Romanorum adjunctum est, Romæ 1577. in 4. Uti vero e numis veteribus inprimis ista familiarum Romanarum historia hausta est; ita auxit illam, recognitam prius a se atque restitutam, Carol. Patinus Paris. 1663. fol. De nominibus Romanorum Franc. Robortellus librum scripsit Florent. 1548. & alium Onuphrius Panvinius Venet. 1550. cui & de ludis Romanorum secularibus librum debemus: uti Robortello de Victu & Vita Populi Romani Paris. 1565. Generalia quædam, ad Ordines reipublicæ Romanæ & familias spectantia, tractavit Pet. Servius, in Juvenilibus Feriis, seu Antiquitatum Romanarum Miscellaneis Romæ*

1640. in 8. editis. Romanorum officiales sub Imperatoribus in peculiari & diffuso libro descripsit Jac. Gutherius, quem de Officiis. Dominus Augustæ inscripsit Paris. 1628. in 4. estque is liber haud ita pridem Lipsiæ recusus. Roma subterranea, seu structuræ & cryptæ Veterum Christianorum subterraneæ, cum iconibus repræsentatæ sunt ab Ant. Bosio Romæ 1632. Librum hunc, in Latinam linguam conversum, notis postmodum illustravit, ediditque duobus tomis in fol. Paulus Aringhus Romæ 1651. magnificum opus, & quod historiam Ecclesiasticam attinet, commendandum: multa enim in illis notis habentur, ad hoc argumentum spectantia: In Epitomen postea redactus est liber a quodam Arnaldo Lubecensi, sub titulo: *Unterirdisches Rom.* Amstel. in 12.

Veniamus nunc ad Auctores, qui de *Græcis Latinisque antiquitatibus particulatim* 6 egere: & primo hic compareant libri, qui de *Diis & religione gentilium* agunt. Vossius in libris suis de Idololatria hic omne punctum ferat: de quibus alibi a nobis abunde dictum. Diu ante illum de Diis Syntagmata aliquot publicavit Lil. Gregor. Gyraldus, varia eruditione, ut sunt omnia ejus viri, referatissima. Subtilius de Idololatria gentilium philosophatus est, & errorum origines indagavit, libro peculiari eam, in rem scripto, Eduardus Herbertus, Baro de Cherbury, Amstelod. 1663. in 4. Verum ille tam inter Antiquitatum Scriptores, quam inter philosophos, commemorandus est. Systema Theologiæ Gentilis adornavit Tob. Pfannerus. (De Idololatriæ Origine. & progressu nuperrime Anton. van Dalen librum edidit lectu dignissimum, Amstel. 1696. in 4.) JOH. FRIEDER. HERWARTUS *Admiranda Theologiæ Ethnicæ mysteria*, ut titulus habet, in lucem emisit Ingolstadii 1623. in 4to, quò in libro demonstrare laborat, magnetem lapidem antiquissimis populis pro Deo esse cultum: quam sententiam suam ut stabiliat, pleraque Orientalium, Græcorum, Ægyptiorum, sacra huic argumento applicat, mirificis interpretationibus, ut facile est ingeniosis hominibus in interpretamentis suarum deliciarum. Reinelius illum quodam in loco ingeniosè ridiculum vocat. De *Sacris, Sacrificiis & Sacerdotibus*, sunt qui singularibus libris egerunt. Hoc in argumento commendari merèt Guilielmi du Choul, consiliarii regii, liber de Religione veterum Romanorum, Lugduni in fol. lingua Gallica excusus, ubi & Italice & Hispanice prodiit. De *Sacris & Sacrificiis* Joh. Guil. Stuckius librum in fol. edidit Tiguri (nuper in Belgio, cum Antiquitatibus Convivalibus reliquisque Stuckianis Operibus recusum), in quo multa sunt parum accurate & confuse tradita. De eodem argumento peculiari libro Jenæ 1659. in 8. edito egit Joh. Saubertus. De vasis, quæ ad Deorum sacrificia, & eorum ceremonias pertinent, scripsit Lil. Gyraldus. De *Vesta & Vestalibus* speciatim Lipsius scripsit. De *Ceris Eleusiniæ Sacris* apud Græcos Joh. Meursius in Eleusiniâ Lugd. Bar. 1619. qui & de festo gemino Minervæ in Panathenæa & de festis Græcorum in Græcia Feriata egit: edidit quoque de Festis Græcorum singularem librum Pet. Castellanus, sed infra Meursium est. Saturnalia Lipsius exposuit libro peculiari. De *Templis & ædificiis* publicis scripserunt non tam generatim, quam speciatim nonnulli, ut de Capitolio Justus Rycquius, de quo dictum. Petrus Bartholdus peculiarem librum de Ara scripsit: Joh.

Bapt. Bellus de Partibus templi auguralis, Tolosæ 1607. in 8. Joseph. Maria Suarezus de foraminibus lapidum in præcis ædificiis diatriben: Lugduni 1642. in 8. Niccol. Alemanni Diss. de Parietinis Lateranensibus, Romæ 1626. in 4to. De Fastis Romanorum e veteribus Ovidius superest, in quem extat Commentarius Caroli Neapolis, sub titulo: Anaptyxis ad Ovidii Fastos: Antwerpæ 1639. editus, & Erycii Puteani sapiens officinam. Cujus Puteani de Nundinis Romanorum Libellus exiguus Lovanii An. 1646. in 12mo prodijt. De Annis, mensibus, diebus & horis veterum librum, cum Calendario Græco Romano, edidit Lilius Gyraldus. Multo autem præstantius Romanum calendarium illud est, quod Ægid. Bucherius Antwerpæ An. 1633. in fol. publici juris fecit, postquam jam An. 1600. Amstelodami Sibrandus Siccam Calendarium fastorum ex veteribus monumentis, marmoribus, numismatibus aliisque antiquitatum fragmentis, auctum atque emendarum dedisset. De Veterum Romanorum Anno Seculari seu jubilæo, ejusque per seculares celebritate, eorumque chronologia, scripsit Pet. Taffinus, liber editus est Tornaci Nerviorum 1641. in 4. ut & Justus Rycquius, cujus liber prodijt Antwerp. in 8. A. 1625.

- 7 De Magistratu, Comitibus, Legibus, Judiciis Romanorum varii sunt Auctores. Extat Wolffg. Lazii commentarius Reip. Romanæ, in quo multa de iis: ut & in Pet. Fabri Semestribus. Scripsit & Franc. Hottomannus de Magistratu Romano, item M. Anton. Majoragius: nec non Paulus Manutius de Senatu Romano & de Legibus: Nic. Gruchius de Comitibus Parisiis A. 1555. in folio, adversus quem Carolus Sigonius tres Sententiarum libros scripsit: is ipse, qui antea de antiquo jure civium Rom. de Jure Italiæ: nec non de Jure Provinciarum: ut & de lege curiata magistratum & Imperatorum, & de ejus jure: de judiciis jurisprudentiæ Romanæ; de Consulibus, Dictatoribus & Censuribus, sigillatim libros plures ediderat. Andr. Alciatus de Magistratibus civilibus & militaribus Romanorum scripsit, edita simul notitia utriusque Imperii. Guido Pancirollus de Magistratibus Municipalibus: & ipse Editor Notitiæ Imperii. Pertinet quoque huc Jac. Gutheri Notitia Domus Augustæ: Jul. Cæs. Bulengeri de Imperatore & Imperio Romano, ut & de vectigalibus reliquisque dignitatibus ac officiis Lugd. 1618. in fol. De Senatu Romano Car. Sigonius, g) sub ficto Joh. Sarii Zamoscii nomine, librum scripsit editum Venet.

g) Liber de Senatu Romano, sub Joh. Sarii Zamoscii nomine aliquoties editus, Carolo Sigonio recte h. l. vindicatur. Non tamen fictum, uti Morhofius credidisse videtur, Non enim est Joh. Sarii Zamoscii. Est enim is Heros hujus nominis, Arte pariter atque Marte Seculo XVI. famam adeptus immortalē, Regni Polonici Cancellarius & Archistrategus, aliis quoque monumentis Literariis, & Academia Zamosciana, suis sumptibus erecta, de Patria & Orbe Literato optime meritus. Liber hic (quem Sim. Staravolscius, in *Centuria Scriptorum Polonorum*, num. 19. ipsi tribuit, Henr. Ernstius autem, *Lib. 2. Observat. Var. c. 36.* & Joh. Rhodius, in *Catalogo Autorum Suppositivorum, cum Vinc. Placchi Notis edito*, num. 19. Sigonio, ejus, cum in Italia studiorum gratia versaretur, Præceptor, asseruerunt) non videtur mihi per ipsum Magistro plagio, turpi esse subreptus, sed a Sigonio potius Discipulo huic generoso benevole, ut famæ illius velificaretur,

net. 1563. in 4. & recusum Argentor. 1608. in 8vo cui editioni additus etiam est Joach. Mercurii de Græcorum & Romanorum Magistratibus liber: ubi conferuntur utriusque gentis magistratus ac utriusque etiam parallelismus ostenditur: adjectus præterea Wilh. Possardi liber de Atheniensium magistratibus, eorumque cum Romanis, Gallis, Veneris, Turcis, comparatione. Sed de Atticis Magistratibus accuratius libris aliquot egit Joh. Meursius, uno Regnum Atticum, altero Archontes, tertio Senatum Areopagiticum pertractans. Habebat in animo Cl. Salmasius ingens opus de Officiis domus Augustæ, recte Laur. Crasso in elogis T. II. p. 211. sed nihil dedit, nisi, quod sparsim, in notis ad Scriptores Historiæ Augustæ, illud argumentum attingit. De Comitibus egit P. Manutius singulari libro, edito Bononiæ 1580. in fol.

De nuptiis, earumque ritibus Andr. Tiraquellus, Barn. Briffonius, Franc. Hotomanus, Albericus Gentilis, & alii, tractatus peculiare conscripserunt. De Coronis nuptialibus quædam collegit Joh. Joach. Maderus, maximam tamen partem e Car. Paschalii libro de Coronis excerpta, qui recusus est Lugduni Batav. 1671. in 8. De *Puerperio* Joh. Meursius scripsit: de cujus ritibus vastum quoque librum parabat olim Thomas Bartholinus incendio absumtum. Ejus Synopsis misit ad filium Casparem, in eodem argumento occupatum: quippe cujus extat expositio Veteris in puerperio ritus, ex Arca sepulchrali antiqua desumpti: quæ edita est Romæ 1677. in 8. Referendus hic quoque Censorinus de *Die natali*, de quo supra: & Martini de Roa liber de Natali sacro & profano. Extat & Joach. Hildebrandi de Natalitiis Christianorum Libellus. De *ritibus Funerum* Thomas Porcachius, homo Italus, vernaculo sermone scripsit, sed pauca, & non magnæ rei, Venet. 1574. 4. Scripsit dehinc Claud. Guichardus Gallica lingua librum de Funeribus Romanorum, Græcorum, aliarumque gentium. Lugduni Gall. 1581. in 4. Utrumque præcesserat Lil. Greg. Gyraldus, de Sepulchris & vario sepeliendi ritu scribens Bas. 1539. in 8vo, quem cum Animadversionibus suis recudi fecit Helmstadii Joh. Faes A. 1676. in 4. Præcesserat & Onuphrii Panvini liber de ritu sepeliendi. Joh. Meursii de funeribus Romanorum liber Hagæ Com. An. 1604. in 8. prodiit: & anno sequente 1605. Hamburgi luculentius de eodem argumento opus Jo. Kirchmanni. De Funeribus Christianorum Jac. Greiserus, Schegckius, & J. Andr. Quenstedius egerunt.

De Vestitu multi sunt Variorum Commentarii. Primus, qui eam materiam pertractavit, est Lazarus Baysius: sed pauca sunt, quæ scripsit, & admodum imperfecta. Postea Octavius Ferrarius libros tres de Re Vestitiaria edidit Patavii 1642. in 8vo, & quatuor alios ibidem in 4. 1654. Opus profecto doctissimum, & quod argumentum hoc haud vulgariter illustrat. Idem postea continuavit Albertus Rubenius, qui supplet

transcriptus. Quo pacto Scholia etiam sua in Oraciones Ciceronis & Comm. in Or. de Legge Agraria, sub Bernh. Lauredani, Commentarium autem in Epistolas ejusdem Familiares, sub Hier. Ragazoni, utriusque Auditoris sui, Nominibus prodire, A. 1558. & 1555. est passus. V. Rhodium & Placcium, loco cit. num. 19. 20. 21.

plet & emendat Ferrarium, addiditque nonnulla de lato clavo, & vestibus laticlavii. Antwerp. An. 1665. in 4. Verum indigne id ferente Ferrario, quod a Rubenio subinde stringi non passus, Analec̄ta de Re Vestiar̄ia illi opposuit Patavii An. 1676. quæ & 1685. denuo ibidem recusa sunt, in quibus Rubenium satis acriter castigat. Jam ante hos Claud. Salmasius rem vestiar̄iam erat explicando aggressus, in suis notis ad Terrullianum de Pallio: promisitque tum amplissimos de omni hoc argumento Commentarios, quibus se infudare haud raro in Epistolis memorat. Verum, etsi adversus Kerkc̄etium, i. e. Dion. Petavium, suas has in Terrullianum notas, sub Franc. Franci nomine, etiam circa rem vestiar̄iam defenderit Salmasius, Commentarios tamen illos non publicavit. Absolvit attamen, & eorum etiam proxime edendorum spem Orbi literato fecit Divionensis senator, Jo. Bapt. Lantinus, cui Salmasianum de Homonymis Hyles Iatricæ Commentarium, Plinianis Exercitationibus, in Belgio editis, adjunctum, in acceptis ferimus. (Interea, cum Salmasius penitiorē rei nummar̄iæ notitia fuerit destitutus, e qua tamen quamplurima ad rem vestiar̄iam hauriri potuissent alias non observata, nihil ab eo perfectum sperat Vir Illustris, Ez. Spanhemius, Epistola III. ad Morellium p. 189. qui & propterea laudabilem Ferrarii Rubenique industriam magis attigisse celebre argumentum, quam pertractasse, judicat: & priorem inprimis Latinis magis litteris, quam Græcis, accurate doctum, tum a tractatione veteris hujus amplissimæ, minimeque antea obvix supellec̄tilis, si vulgares nummos, eosque jam tum editos, excipias, imparaturus, ait in id argumentum incubuisse.) Separatim de Calceo Bened. Balduinus scripsit, cujus librum recudi fecit Amstelodami Andr. Frisius, addiditque Jul. Nigrorum de caligis. De Personis & Larvis, earumque apud Verēres Usū & Origine Ageſtaus Mareſcottus Librum Romæ A. 1639. in 8vo publicavit, qui rarissimus est. De Pileo, ceterisque capitis tegminibus, tam sacris, quam profanis, Anselmus Solerius librum singularem scripsit, Lugduni editum A. 1655. in 4. qui postmodum in 12. Amstelodami recusus A. 1662. prodiit, addito vero Autoris nomine Theophili Raynaudi, qui sub Anf. Solerio delituerat. De pileo etiam egit singulari Dissertatione Hēnricus Thomas Chiffletius, quæ Lugduni An. 1665. in 4. edita est. Orationem de eodem argumento elegantem habuit Ant. Matthæus, Jctus celebris. De Capillamentis. Conr. Tyburt. Rango singularem librum scripsit, Māgdeb. An. 1662. in 12. editum. De Coma Hadrianus Junius & Cl. Salmasius, de Barba Ant. Hotomannus egit. De Penula Bartolus Bartholinus & Joh. Bapt. Donius. De Toga, tunica & ribiis veterum scripsit Aldus. De Annulis Fort. Licetus; postea Joh. Kirchmannus de eodem argumento: & multo latius, cum iconibus annulorum, Abr. Gorlæus in Dactyliothea, Amstelod. 1670. publici juris facta; (& nuper aucta explanationibus Jac. Gronovii Lugd. Bat. 1695. in 4.) Egit quoque de Annulis Salmasius in libro adversus Heraldum scripto, de Testamentis subscribendis. De Annulis Signatoriis Georg. Longi prodiit Opusculum. De Torquibus aureis extat elegans Syntagma Joh. Schefferi, quod additum est Edmundi Figrelii libro de Statuis Romanorum, Upsalix An. 1656. edito in 8. De Armillis veterum librum scripsit Thom. Bartholinus.

De Militia Romana singularem librum Justus Lipsius scripsit, cui & Poliorceti- 10
con ejusdem addi solet: in quo multa de Machinis & Instrumentis militaribus ha-
bet, secutusque est, ut supra dictum, non sine plagii crimine Franc. Patricium. De
militia Equestri antiqua & nova librum peculiarem Antwerpiae An. 1631. in fol.
edidit Hermannus Hugo. De Militia Romana multa etiam praeclara annotarunt
Henr. Savilius: & qui plurima se nova reperisse plane persuasus erat, Claud. Sal-
masius libro eam in rom, jussu Principis Auriaci, scripto, quem Latine Georg. Hor-
nius Lugd. Bat. An. 1657. edidit. Gallicos autem longe fusiores Commentarios,
prout a Salmasio scripti sunt, idem, qui Opus de Re Vestiaria possidet, Lantinus ha-
bet, ejusque Scripti nobis aliquando potiundi spem fecit. Commentatores Aelia-
ni, Vegetii, Frontini, aliorumque, supra jam memoratos, studio nunc praeterimus.
De Scutis Signisque militaribus non Romanorum solum, sed & aliarum gentium,
egerunt Henr. Speelmannus in Aspidologia sua, & Nicol. Uptonus de studio mi-
litari, qui libri Londini simul editi sunt in fol. An. 1654. De studio militari, ejus-
que ritibus & legibus, prolixè egit Gabr. Naudæus integro libro Romæ A. 1637.
in 4. Exstant & Rob. Valturii libri XII. de Re militari, Veronæ A. 1472. & Pari-
siis apud Andr. Wechelum A. 1532. in fol. editi. De militia navali Joh. Schefferus,
ante annos complures, Upsaliae A. 1654. in 4. librum ediderat, quem altero tanto
auctorem dudum edidisset, si per typographi moras licuisset: miserat enim ad El-
zevirium. Sed interim prodiit vastus liber Belgica lingua de Navium Architektu-
ra scriptus, Auctore Witsenio, in quo multa deprehendisse sibi visus fuit Scheffe-
rus, e schedis suis deprompta, ut ipse in literis ad me conquerebatur. b) De Do-
nariis & votivis tabellis veterum Jac. Phil. Thomasinus singulari libro egit, Urini
An. 1639. & postmodum Patavii quoque 1654. in lucem emisso, quem Joh.
Rhodio Colomesius in Opusculis Literariis vindicat. Pertinet quoque huc
materia de *Strenis*, de quibus Theod. Marcilius quaedam scripsit i). Integrum hu-
jus

b) Nicol. Witsenius, quem Joh. Schefferus Plagii b. l. Interprete Morhofio, infamulavit, Consul est Reip.
Amstelodamensis, hodie num, nisi fallor, superstes, & accuratiore Geographia, aliarumque Ma-
theseos partium, peritia inelytus. Opus ejus de Architectura Nautica Belgice, Amstelodami An.
1671. in fol. sub hoc prodiit titulo: *Anlände en Hedendaegsche Scheepsbouw en besitter-Waer
in wiiitloopigh werd verhandelt de wijsse van Scheepstimmeren bey Grincken en Romeynen,
Scheepsöffeningen, Striden, Jucht, Straffe, Wetten. en Gewonten: Beneffens evenmatige
Groothen van Scheepen onses tijds, ontleet en alle hare deelen: Verschill van bouwen tischen
inheemschen en onsen landaert: Indisch en Nisch Waerturgh, Galeybouw, hedendaeghsche
Scheepsplichten: Verriickt niet een reep verklaerde Anmmanus spreckworden en Benamingen.*
V. Corn. a Bueghem *Bibliogr. Marbem. p. 458.*

i) In *Prælect. Polyhistoris MSS. c. 15.* Morhofius, inter Scriptores de *Strenis*, commendat, præter Mar-
cilium, Joh. Strauchii, Jcti Celebris, *Diff. de Votorum Oblatione & Calendis Januariis.* In Mart.
Lipenii, Conrectoris Lubecensis, *Strenarum Civilium integra, a prima origine, per diversas Regum,*

jus argumenti Commentarium de Re Donatica veterum promisit Valer. Chimentellius, cujus Synopsis adjecit libro suo de Sellis veterum, addito Glossario omnium Donaticorum, quæ habentur apud veteres.

- 11 *De Conviviis* extat Joh. Guil. Stuckii liber, cui titulus: Antiquitates Convivales, in quo multa non recte, aut non suo loco, posita. Eryci Puteani Reliquiæ convivii prisca Mediolani 1598. in 4. excusæ; & Joh. Manelphi liber, cui titulus: Mensa Romana: Romæ 1650. in 4. editus. De Triclinio Romano eruditissimum Tractatum scripsit Fulv. Ursinus, cui Petrus Ciacconius viam monstravit, quippe cujus extat peculiaris quoque liber de Triclinio, 8. editus Romæ; una cum Ursini labore (quem hic non nisi Appendicis loco ad Ciacconium esse voluit) 1588. postmodum plus semel apud Batavos recusatus. Scripsit quoque de Conviviis Jul. Cæs. Bulengerus, Lugduni 1624. in 8. Pertinet quoque huc Jac. Phil. Thomasini liber de Tessera hospitalitatis & *jure hospitii*, quem, primo Utini in 4. 1647. editum, Andr. Frisius Amstelodami 1670. in 12. recudit.
- 12 *De ludis*, prout varia illorum genera sunt, multi scripsere. De Theatro & ludis Scenicis in genere egit Bulengerus libro, Tricassibus An. 1603. in 8. edito, sed privatos tantum eo labore ac domesticos ludos exsecutus est, non publicos. Idem tamen & de Circo, ludisque Circensibus, qui publici sane erant, peculiarem tractatum composuit; de quibus itidem scripsit On. Panvinius. De Gladiatoribus & Amphitheatro Romano egit Justus Lipsius, antequam Petrus Faber (qui plagium Lipsium postulavit, Vid. Thomas. de Plagio, §. 487. & seq.) libros Ἀγωνισμῶν scripsit. Editus est liber Lipsii Lugduni Batav. 1592. De arte Gymnastica speciatim Hier. Mercurius scripsit Venet. 1573. quem librum, curis novis interpolatum, editurum se promiserat aliquando Andr. Frisius, & si recte memini, dedit. De Alca Veterum Car. Paschalius & Andr. Senftlebius egerunt. De Saltationibus legendus est Joh. Meursius in Orchestra sua, quæ edita est Lugduni Batav. 1618. in 4. Scripsit idem de Græcis ludis tractatum, sub titulo Græciæ Ludibundæ, ibid. 1622. in 8vo.
- 13 *De Instrumentis Romanorum*, & suppellectile varia, multi egerunt. De Vasculis & Poculis Lazarus Baysius, sed modice tantum rem eam tangit, & hunc poculorum fundum non exhaustit: longe enim plura de eo scribere poterat. Extat & Nicol. Guyberti de Murthinis poculis Dissertatio, Francofurti edita 1579. in 8vo. De Sellis veterum extat Dissertatio Valerii Chimentellii, addita Marmoris Pisano de Honore Bisellii; Bononiæ, in 4. 1666. De Campanis ac tintinnabulis Commentarium Angelus Rocha in lucem emisit Romæ 1612. in 4. Scripsit & Hier. Magius eo de

Consulum & Imperatorum Romanorum, nec non Episcoporum, ætates, ad nostra usque tempora deducenda, quæ Lipsiæ A. 1670. in 4to prodiit, multa judicat miseri, quæ commode poterant omitti, multa queque inepte cumulari. Dissertationem tandem Joh. Gothardi Bœckelii Philologicam de Novo Anno, jusque Ritibus, Rostochii A. 1663. in 4to editam, sibi vindicat, e Prælectionibus quippe suis privatis ab illo, istarum Auditore, haustam.

de argumēto librum, sed plane extemporalem, quod nec ipse diffitetur: prodiit scetus Autoris posthumus, cum notis Franc. Sweertii, Hanoviae 1658. in 8. & Amstelodami apud Andr. Frisium in 12. 1664. est recusus. Est & Henr. Arnoldus Stockfleth, qui de campanarum usu apud veteres aliqua collegit, & edidit Altorfii A. 1665. in 12. De *Curribus* & Re vehicularia absolutum & plane perfectum Commentarium, duobus libris constantem, adornavit Joh. Schefferus, qui, una cum Pyrrhi Ligorii de eodem argumento fragmento, Francofurti in 4. 1671. prodiit. Valentinus Paschalius, Urinensis, de Curru carmen aliquod facerum composuit, cum notis, in quibus habentur Antiquaria quaedam, ad rem vehiculariam spectantia. Carmen autem in eos scriptum est, qui curru tum in rei familiaris, tum in salutis jacturam, abutuntur, eosque potius pedibus, quam curru, ire juber: impressum est Bracciani 1637. in 4. De hoc Paschalio videndus Erythraeus Pinacoth. I. imag. 142. Non viderat hunc librum Schefferus, primum a me monitus. De varia veterum Romanorum suppellectile, e terra effossa prope Noviomagum, agit in *Antiquitatibus Noviomagensibus* (Amst. 1645. in 4to.) Joh. Smetius, copiosiore quoque de iisdem Tractatum promittens; sed, qui lucem, quantum memini, non vidit. Multa in Smerio praeter alia de *fibulis* veterum Romanorum, quod argumentum, quatenus usum praestat in re Medica, exsecutus est Joh. Rhodius libro de *Acia*, quem edidit Thom. Bartholinus Hafniae in 4. A. 1672. qui & libellum ejusdem Rhodii de *Ponderibus* & *mensuris Medicis* adjunxit.

De *suppliciis* & *torturis* extat Ant. Gallonii tractatus, in Batavis recusus, uti & 14 Bourdelotii de eodem argumento. De *Cruce* Justus Lipsius scripsit, cui addita quaedam subjunxere Georg. Calixtus, Thom. Bartholinus & Claud. Salmasius. Edidit & Jac. Gretserus amplissimum de *Cruce* Opus, quod in fol. & in 4to Ingolstadiæ, multoties excusum est. De *Statuis* & statuariis Edmundi Figrellii, Viri doctissimi, extat liber, Holmiae An. 1656. in 8. excusus, de quo paulo ante dictum, cum Schefferi de torquibus librum commemoraremus. Fuit FIGRELIUS Regis Sueciae, Caroli XI. praceptor, & ex Upsaliensi Professore Regius Consiliarius, sub nomine Greiffenhelmii notus. De *Pictura plastica* & statuaria librum scripsit Jul. Caes. Bulengerus, Lugduni 1637. editum. De *Pictura* veterum Opus insigne scripsit, ediditque jam olim Amstelodami An. 1637. Franc. Junius in 4. quo tantopere plausum Virorum doctorum temporis illius meruit, ut in Anglicum Belgicumque sermonem converteretur. Restat vero adhuc aliud ejus de *Pictoribus* celebribus Opus, cujus tum una spem fecit. (Neque passus est diutius illo orbem literatum carere Clar. I. G. Graevius: sed cum catalogum pictorum, statuariorum, caelatorum, tornatorum, aliorumque artificum, a doctissimo Junio confectum, apud aliquem propinquorum ejus latere sciret; & praeterea ipsum de *Pictura* Opus, amplissimis additamentis ubique auctum, ibidem servari didicisset; impletum utrumque Opus conjunctim edidit, &, ut nil quicquam splendori ejusdem debito parceretur, curam gessit, Roterodami 1694. fol.) Iconismos antiquarum statuarum collegit Ioh. Bapt. Cavalerius Romae 1569. & 1583. Principia artis Pi-

istoriæ e Veteribus Auctoribus tradidit Joh. Schefferus, in Graphice, Noribergæ 1669. in 8. edita.

- 15 Variæ præterea sunt singulares materiæ, quæ ad certa capita reduci commode non possunt, sed de quibus tamen speciatim nonnulli egerunt. Sic de veterum *acclamationibus & plausu* libros VII. scripsit Franc. Bernardinus Ferrarius, Mediolani 1628. editos in 4. De *Triumphis* Onuphr. Panvinius Commentarium, ex veterum lapidum monumentis, composuit ediditque Vener. 1571. in fol. qui Antwerpia A. 1596. & Helmstadii etiam cura Joh. Joach. Maderi recusatus est, qui suas notas addidit. Exstant & Franc. Modii Pandectæ Triumphales, quibus varios Iconismos repræsentat Triumphorum. De *Archivis* librum composuit Balth. Bonifacius, Vener. 1632. in 4. editum, & Helmstadii Maderi cura, in Syntagmate Scriptorum variorum de Bibliothecis atque Archivis, A. 1666. recusum. De *Iurejurando* Veterum peculiari tractatu egit Joh. Bapt. Hanfenius Tolosæ 1694. edito in 4. De *Origine, ratione ac solemnibus Auctionum* Junius Rabirius scripsit Paris. 1554. in 4.


- 16 Atque hæc per lancem saturam de Antiquariis Scriptoribus dicta sufficient, (quorum magnam partem, nempe præcipuos, qui antiquitates Romanas illustrarunt, collegit nuperrime, in vasto non minus ac præclaro Antiquitatum Romanarum Thesauro, celeberrimus JOH. GEORG. GRÆVIUS, A) unoque corpore longè splendidissimo junctos publico dedit, cum alias ægre hic illic solummodo pars offenderetur.) Occurrunt quidem adhuc alia minutiora, sed quæ omnia persequi nostri instituti ratio non permittit. Præstantiora tamen, & quæ scire imprimis interest, indicavimus. Procedimus nunc ad Rhetores atque Oratores.

h) Joh. Georgii Grævii Diligentiam in Scriptoribus Antiquitatum Romanarum colligendis, junctimque in ipsarum Thesauro, Vasto Opere, Decem, ni fallor, Tomis Trajecti ad Rhenum, ab A. 1695. ad 1700. in fol. edito, publicandis, laudabilem feliciter æmulatus Jac. Gronovius, similem Græcarum Antiquitatum Thesaurum A. 1698. Lugd. Bat. in fol. cepit edere, cujus Volumina tria priora Virorum Illustrium Icones & alias Græcarum Antiquitatum reliquias, in Metallo Lapidibusve olim expressas, æri nunc incisas, & Observationibus eruditissimis illustratas, exhibent; Quartum autem, A. 1699. juris factum publici, Libros Antiquariorum Græcorum de variis hujus generis argumentis Selectiores quamplurimos studiose sistit congestos, & eleganter nitideque reculos, Auctores, in Opere utroque denuo evulgatos, enumerare non vacat, præsertim cum Ephemerides pleræque Eruditorum Recentiores, locis diversis, in recensu illorum jam fuerint occupata.

FINIS LIBRI QUINTI



POLY-



POLYHISTORIS LITERARII

LIB. VI.

ORATORIIUS.

CAP. I.

DE

SCRIPTORIBUS RHETORICIS.

- §. I. *Rhetorica Grammatica & Critices cognitionem praequirir.* 2. *Scriptores ejus Graeci, Princeps scil. omnium Aristoteles, ejusque Commentatores.* 3. *Demetrius Phalereus ó Δεμότριος, ejusque Exegetae, quibus alii de Periodis Scriptores adduntur.* 4. *Dionysius Halicarnassensis.* 5. *Hermogenes, variique ejus Commentatores.* 6. *Dionysius Longinus Cassius, ejusque Editores, Interpretes & Illustratores.* 7. *Rhetores alii Graeci, ab Aldo Manutio & Leone Allatio junctim editi. (Additur Monitum de Sophistis in genere.)* 8. *Aphthonius, Theon, & Ulpianus, Demosthenis Explanator.* 9. *Rhetores Antiqui Latini, Cicero sc. Quintilianus, & complures alii, junctim a Pet. Pitbaeo editi.* 10. *Scriptores Rhetorici Recentiores, Ant. sc. Lullus.* 11. *Franc. Robortellus.* 12. *Franc. Patricius & Thom. Campanella, Novatores, Paulus Benius.* 13. *Joh. Sturmius.* 14. *Melch. Junius.* 15. *Aug. Buchnerus.* 16. *Valent. Thilo.* 17. *Lud. Cressollius, Nicol. Caussin, Jac. Masenius, Alb. de Albertis, Franc. Vavassor, omnes Jesuitae.* 18. *Franc. Pomey, Janus Cæcil. Frey, Mich. Radau, Novatores, & Eloquentiae (de qua simul fertur h. l. judicium) Extemporaneæ Magistri: Sigism. Lauxmin & Jac. Hugues, Jesuitae.* 19. *Georg. Trapezuntius.* 20. *Joh. Lud. Vives.* 21. *Er. Roterodamus, Edm. Richerius, Iac. Omphalius, Joh. Benzius, Nicol. Susius, Joh. Schefferus, Iovita Rappicius, Iac. Lud. Strebæus.* 22. *Gerh. Joh. Vossius, Rhetorum modernorum Princeps.* 23. *Pet. Nunnescus, cui adduntur Epithetorum, Adverbiorum, Synonymorum & Antithetorum, Collectores (Seb. Figulus, Hub. Susanneus, Steph. Ubelius & Aug. Gambarella.)* 24. *Wolffg. Schœnsleckerus.* 25. *Joh. Tesmarus, M. Z. Boxhornius & Chr. Schraderus, Dispositi. Oratoriarum Scriptores.* 26. *Melch. de la Cerda & Joh. Matth.*

Mayfartus, quorum Collectanea Oratoria obelo notantur. 27. *Ioh. Clarekius & Car. Pajor, Rhapsoda ineptientes.* 28. *Car. Sigonius.* 29. *Seb. Maccius, & Aug. Mascardus, Styli Historici Censores.* 30. *Leo Allatius, qui de Erroribus magnorum Virorum in dicendo scripsit, explosus.* 31. *Rhetores e Gallis Vernaculi, Ren. Rapius, Dom. Bouhoursius, & aliquot Anonymi.* 32. *Rhetores Germania Vernaculi, Christ. Weisus & Rud. Sadelerus.*

Ex quo de *Grammaticis Criticisque* Scriptoribus, & quos his anneximus, *Antiquarius*, actum a nobis est, nihil magis concinnum, quam ut ad RHETORES nunc vel ORATORES progrediamur; videlicet quorum ars, si velit esse aliqujus momenti, Grammaticen Criticenque haud dubie praequirat: quum sine iudicio, & Antiquitatum cognitione, infelix plane Orator sit, nedum Grammatices scientia destitutus eum in censum venire ullo modo queat. Contra subactus probe iis artibus animus magno se in Oratoria arte adjumento esse levatum, longaeque felicius, quam si careret, progredi posse sentiet.

Ut autem communis omnis sapientiae Arriumque omnium fons e Graecia accessendus est: ita sane Eloquentiae flumen haudquaquam ex alia regione profluit: sed inde potius hausisse sua Latinos magnos etiam & incomparabiles Oratores, cernimus, atque ea unda toros prolii sese passos, quotquot usquam clari Rhetores extiterunt. Sed vero inter Graecos etiam Rhetores late regnum tenet optimus maximusque eloquentiae magister, ARISTOTELES, quo Viro nemo plenius, in ista brevitate, subtiliusque artem Oratoriam tradit, quam exigua trium librorum mole fere omnem exhaustam cernas: excepta solum figurarum doctrina, quae ab ipso non est exculta; neque Characterum diversitas, in quibus ceteri post Aristotelem praeclearam operam posuerunt. Extat vero in Rhetoricis illius libros integra *Commentatorum* sylvae, quos Israel Spachius, in *Nomenclatore Scriptorum Philosophicorum*, recenset. Graecorum veterum *ἀναγωγῶν* Volumen Paris 1539. in fol. publicavit. Contr. Neobarius. E recentioribus M. Ant. Majoragius, Ant. Riccobonus, Pet. Victorius, ceteris meliores sunt; & praesertim praestat postremus, Florent. 1579. apud Juntas in fol. excusus: sed, si usum spectes, omnibus antecellit Christoph. Schraderus, Professor Helmstadiensis, cujus extat *Commentarius in Aristotelis Rhetorica uberrimus Helmstadii 1674. in 4. editus.* Solet alias objici Aristoteli aridum dicendi genus, & quod nihil minus, quam eloquentiam praese ferat. Artamen, & eloquentem illum fuisse, & male tantum ab interpretibus acceptum, defendit Leon. Aretinus *Epist. lib. IV. p. 177.*

Proximus ab Aristotele Rhetor, cujus scripta nostram aetatem attingerant, est DEMETRIUS PHALEREUS, si modo genuinus ille Auctor libri *περὶ ἑρμηνείας, de Interpretatione*, seu, ut alii vertunt de Elocutione, quem, sub Demetrii nomine, primus edidit Aldus Venet. Graece in fol. An. 1508. & quem non solum Fred. Morellus Paris. 1555. in 8. recudit, sed & quem suis *Commentationibus* illustrandum sumere Viri doctissimi, Petrus Victorius Florent. An. 1562. Stanislaus Illovius Basil. 1557. Franc. Panigarola, paraphrasi Italice scripta, cui titulus, *II. Predicatoris,*

catore, ovvero *Parafrafe all libro dell' Elocutione di Demetrio Falereo*: Venet. 1609. Joh. Caselius; aliique. Panigarola etiam inprimis in eo occupatus est, ut præcepta Demetrii ad sacram Elocutionem applicet. Sed tamen non desunt interim rationes, quæ falso adscribi Demetrio illum librum persuadeant: quas inter inprimis eminet illa, quod Auctor libri Demetrii testimonio in tertia persona utatur. Ob hanc, & alias, Nic. Caussin, in libro de Elocutione, Demetrio scærum illum abjudicat. Et, quanquam Gaddius, T. I. de Scriptoribus Non-Eccles. p. 155. affirmativam adversus Caussinum tueatur: male tamen id fieri, perperamque tribui Demetrio librum, qui Dioysii Halicarnassei sit, H. Vossius de Poëmatum cantu p. 91. monet. Ceterum extant præterea quædam opuscula Demetrii, quibus præcepta continentur de membris & incis: de periodo ejusque partibus; de componendis Epistolis, & de Characteribus dicendi: quæ Latine apud Rob. Winter in 4. ex interpretatione M. Antonii Antimachi, Basileæ edita sunt: & ob egregie monstratam periodorum rationem, legi omnino debent. Jungi iis possunt, ob vicinitatem materiæ, e recentioribus Sirebæus de Electione verborum; Jovianus Rapita, Brixianus de Numero Oratorio: Sigism. Lauxmin in Praxi Oratoria: Joh. Sturmius & Val. Erythræus de Periodis: Pascutius de dignitate, copia, pedibus in oratione servandis: Joach. Fortius de formis dicendi & periodis: &c. sed de quibus paulo fufius infra.

Is vero **DIONYSIUS HALICARNASSÆUS**, cui librum *περὶ ἑρμηνείας*, 4. Demetrio male adscriptum, deberi paulo ante e Vossio monebamus, aliis quoque scriptis editis de Rhetorice præclare meruit. Prostat enim *Art. ejus Rhetorica* de compositione orationis, elocutione, præceptis orationis panegyricæ, nuptialis, natalitiæ, &c. quam Græce primus excudit Aldus Venet. 1508. Latine postmodum transtulit M. Anton. Antimachus, & Basil. 1539. in 4. publicavit. Extat ejus de *Compositione Orationis liber scriptus ad Ruffum*, editusque Græce, una cum *Arte Rhetorica* Paris. 1547. apud Rob. Stephanum nitidissime. Extant *Judicia de prisicis Oratoribus, eorumque Characteribus*, qui liber eruditione multa & judicio inprimis refertus est, separatim editus Venetiis An. 1513. apud Aldum. Pertinet quoque huc libellus *περὶ συνθέσεως ὀνομασιῶν*, de *nominum collatione*, Argentorati a Joh. Sturmio, in ejus libello de Periodis publici juris factus. Ut adeo non historici minus, quam clarissimi Rhetoris Criticique, nomen doctissimis lucubrationibus sibi paraverit Dionysius.

Sed tamen superatur in Rhetorice tractanda, a duobus aliis, quos posterior ætas tulit, **HERMOGENE**, qui Marci Aurelii tempore clarus erat, & **LONGINO**, quem, Zenobiæ in pretio habitum, interemit Aurelianus: uterque inter Rhetores magnum nomen. Et prior quidem ille plus valuit adolescens juvenisque, quam vir aut senex: quippe qui anno ætatis 15. tanto cum applausu docuit, ut Marcum quoque Aurelium Imp. ad se audiendum acciret, haberetque admiratorem: contra vero, 24. natus annos, omnem illam ingenii præcocis vim, miro naturæ deliquio, absque morbi ullius vi, amisit penitus, & sibi met ipsi dissimillimus vulgaribus e plebe hominibus posthac accensu.

censitus est: non sine falso Adversariorum scommate, qui Hermogenem *inter pueros senem; & inter senes puerum*, dictitabant: proat e Philostrato refert Suidas. Decimo octavo autem ætatis anno libros scripsit, qui & tunc probati omnibus una consensione sunt, & hodie superstites inter præcipua artis Rhetoricæ *κειμήλια* numerantur. Suntque illi; *liber de Statibus: de Inventione libri IV. & liber de Ideis*: quos primus Græce Aldus edidit Venet. An. 1608. tum Wechelus Paris. 1530. in 4to. Exin latine vertit, sed ineptissime & infelicissime (Conr. Gesnero in Bibliotheca annotante) Anton. Bonfinius, publicique juris fecit Lugduni in 8. An. 1538. apud Gryphium. Longe felicius vero, & vertit Hermogenem Latine, & Scholiis doctis illustravit Joh. Sturmius Argent. 1570. in 8. eo ipso anno, quo Franc. Portus Herennium Græce solum, cum scholiis Græcis, ediderat Genevæ recensitum a se. Post hos tandem novis Hermogenem commentariis illustravit, emisitque Græco-Latinum, Genevæ 1614. in 8. Gasp. Laurentius. E veterioribus supersunt quoque tres in Hermogenem Commentatores, Syrianus, Sopater & Marcellinus, quos, in Corpore Rhetorum veterum XII. Græcorum, Venetiis 1508. in fol. excudit Aldus. Hermogenis de Ideis libros tantopere laudat æstimatque Andr. Schottus; ut & methodum ejus Aristotelea ac Tulliana longe censeat subtiliorem, putetque, & olim fuisse paucos, & esse hodie, inter tot admiratores Hermogenis, ejusdem imitatores. *Præter Dionysium enim Halicarnassæum (ait) in Rhetoricis, & Ulpianum, Græcum Demosthenis explanatorem, quotus eum quisque hoc seculo tractat? Trapezuntii olim talem Rhetoricum cum stupore vidit Italia: duos fortasse Germania numeravit, Sturmium & Erythreum: Gallia Jul. Scaligerum libris de Poëtica: Hispania unum literis cogitum laudare potest, Pet. Nonesium, Rhetorem ac Philosophum, editis Rhetoricum libris IV. Hermogenis quidem præceptionibus & Aphthonii & Theonis; sed Tullianis exemplis. Hæc ille in Prolegom. ad Phorium, quem, Hermogenis methodo, ubique Auctoribus suam *μεθόδον* addidisse observat.*

- 6 Et si vero ita celebre Hermogenis nomen sit, cedit illud tamen DIONYSIO LONGINO CASSIO, cujus plane aureolus *περί ὑψηλῶς, de Sublimitate*, Commentarius ingens doctis omnibus desiderium excitavit reliquarum Viri in eloquentia & Philosophia incomparabilis lucubrationum, quæ perierunt. Erat ille Malchi Porphyræ præceptor; & Zenobiæ, Orientis Reginæ a consiliis, & in studio Græcæ linguæ magister: quem, quod superioris Epistolæ, a Zenobiæ ad Aurelianum Imp. scriptæ, Auctor præcipuus suo consilio extitisset, occidi imperavit Cæsar gravi omnibus, ut Vopiscus refert, supplicio. Libellum, quem laudavimus, non minus accurata sublimitatis in oratione præcepta-maximo lectorum bono supeditantem, quam sublimi scriptione conditum ipsummet, primus a tenebris eruit, atque Græce evulgavit cum notulis, Basileæ 1554. in 4. Franc. Robortellus, mox anno sequente Venetiis recusum. Inde An. 1569. recensuit librum, scholiisque Græcis illustravit Genevæ in 8. Franc. Portus. Latinam ejus versionem suscipere quidem in se, promiseruntque, M. Ant. Muretus in Commentario ad Catullum, & Andr. Dudithiis, cujus versionem Latinam Hermogenis Longini *περί ὑψηλῶς* (ita enim non satis accuratè conjungit), inter impressa Dudithii opera, recensit.

set Clar. Teiffierius, Addit. ad Elogia Thuan. T. II. p. 133. sed rectius tamen puto Tanaq. Fabrum, tum Mureti, tum Dudithii, versiones sufflaminatas, vel fato, vel alia causa, credere. Fueritque adeo primus, qui Longinum in sermonem Latinum haud infeliciter convertit, Gabriel a Petra, atque sic Græco-Latinum Genevæ 1612. in 8. notis suis instructum, edidit. Fuere quidem, præter illum, nescio quis Paganus, aliusque Pizimentius, Latini interpretes Longini: quorum versiones etiam Versioni Petræ, & Græco textui, junxit, suisque simul Auctorem prælectionibus illustrare conatus est Carolus Malonesius, Bononiæ 1644. in 4. Enimvero adeo infelices interpretes illos judicavit Gallus interpres Boileavius, ut ne nominare quidem sustineat, scilicet, ne plus gratiarum reddere videretur incolis, quam merebantur. Et Tanaquil. Faber itidem, in Latio atque Græcia plane hospites illos atque peregrinos judicans, rotam editionem Bononiensem temnit, dignitate, ut ait, omnium postremam. Ipseque adeo potius apparavit novam cum Versione Petræ, & castigationibus notisque suis, Salmurii in 12. 1663. Promisit etiam notas uberiores: sed quas fato præventus non dedit. (Splendidissima vero est & emendatissima Longini Editio, quam Jac. Tollio debemus, post omnes Virorum doctorum, qui præcessere, curas, e quinque MSS. codicibus eximie emendata, & notis illustrata eruditissimis uberrimisque. Ac, ne quid elegantia deesser, adjuncta quoque est nitidissima Gallica versio celeb. Boileavii, antea Parisiis duplici vice, cum ejusdem Andr. Dacerii notis evulgata, sed & ipsa nunc novis notis Gallicis aucta a Tollio. Prodiit liber Ultrajecti 1694. in 4. maj.) Ceterum, quantopere præclarissima illa de sublimitate præcepta inserviant Oratori, dici vix potest: neque id profano solum, sed & sacro, si quis ea commode applicare queat: ut adeo libellus, ob eximium plane usum, omnibus commendandus, omniumque terendus manibus sit. Solet a nonnullis quaeri, cur de eodem argumento scribentes, Longinus atque Hermogenes, idem tamen tam diversa & a se dissentiente ratione tractaverint? cui quaestioni Faber ita commodissime responderi posse putat, si dicatur, μέγεθος Orationis, de quo Hermogenes, & ἕσος, de quo Longinus, omnino a se invicem differre. Vid. ejus præfatio lectu dignissima, quam Longino præmisit.

Præter hos vero, quos diximus, Græcos Rhetores, sunt & alii adhuc, quorum labores ad nostram usque ætatem pervenerunt, & quos, prioribus (si Longinum excipias) junctos, uno corpore & typographia sua ALDUS An. 1508. in fol. 2. voluminibus, Venetiis edidit, complexus est. Videlicet Aristides de Civili Oratione, περί λέγῃ πολιτικῆ, qui μελέταις Sophistarum, i. e. Scholasticis declamationibus opponebatur, & cujus ingenis Lexicon ἀνωνύμῃ Photius recenset Biblioth. cod. 148. Apolini de Arte Rhetorica præcepta. Sopatri Quaestiones de componendis declamationibus. Alexandri Sophistæ de figuris sensus & dictionis liber. Menandri divisio causarum in genere demonstrativo: atque Cyrus sophista de statuum differentiis. Aliam collectionem, seu, ut ipse vocat, *Excerpta varia Sophistarum & Rhetorum*, Græce & Latine LEO ALLATIUS Romæ 1641. in 8. publicavit. Verum hi omnes, quanquam sua laude privandi non sint, ad priorum tamen illorum gloriam haudquaquam ascendunt. Erat

quidem laudabile Sophistarum, i. e. Rhetorum ævi recentioris, studium in colenda & perpolianda, cui inprimis studebant, orationis suavitate & concinnitate periodorum ac veluti quadam modulatione. Sed id ipsum, dum in eo nimii essent, κακοζήλας effecit, & nimia figurarum affectataque frequentia ridiculos & elumbes: quod vitium cum jam olim multos tenuerit, haud injuria etiam a Longino & Quintiliano notatum est. E recentioribus vero nemo melius id explicuit Ludovico Cresfollio, qui, in Theatro Rhetorum A. 1620. in 8vo. Parisiis edito, & progressus in illo cultu orationis, & vitiorum historiam, habet.

- 8 Inferra quoque conspiciuntur Corpori Rhetorum Aldino, quod diximus, APHTHONII Sophistæ *progymnasmata*, seu Exercitamenta quædam orationis, quibus tirones solent exerceri. Liber utilis, sed cujus non omnia eloquentiæ studio sunt necessaria: cum multa habeat ad sophisticas tantum declamationes excogitata: quibus repudiatis ea tantum servari ad imitationem par est, quæ justæ orationi infervire possunt. Vid. de iisdem Schefferus in *Gymnasio Stryli*, qui de his progymnasmatum speciebus utilia multa annotavit. *Commentati* vero in Aphthonium sunt varii: quos recenset Spachius in *Nomenclatore*. *Editus* est cum notis a Joh. Maria Cataneo, Basil. apud Frobenium in 4. An. 1521. a Joach. Camerario Lipsiæ 1570. in 8. & ab aliis, quos hic commemorare non vacat. Additur iis aliquando THEON Sophista, ipse etiam Progymnasmatum Auctor, a Joh. Schefferò etiam, una cum Aphthonio, Upsaliæ A. 1670. in 8vo. Græco-Latinè editus, & Notis illustratus brevioribus. Addi tandem & Rhetoribus Græcis meret ULPIANUS, Græcus Demosthenis explanator, cum quo & in Aldina & Basileensibus Editionibus Græcis, aut Græco-Latinis, edi consuevit.

- 9 Inter Latinos Rhetores summus eloquentiæ Magister, CICERO, principatum tenet. Noti sunt ejus *libri Rhetorici*, in quos multi multorum Commentarii sunt, ut jam supra dictum, & e Spachio luculentius liquet: Sebast. Corradus, Claud. Minos, Joh. Sturmus, Melch. Junius, præferri ceteris debent. E Ciceronis præceptis fusioribus Compendium elegans extraxit Guilh. Mechovius, cui titulum dedit *Tulliola*, Cellis 167. in 8. Post Ciceronem Quintilianus est, cujus *Institutiones Oratoriæ* liberiores sunt, quam ipsiusmet Ciceronis scripta. Sane, non potest quis solidum de oratione ferre judicium, nisi etiam Quintilianum perlegerit, cujus sunt de quacunque dictione & caractere, & omni orationis parte, præcepta utilissima. Sed de illo æque ac de Cicerone supra diximus: Succedunt Quintiliano *Rhetores illi antiqui*, quos uno Volumine collegit Pet. Pithæus, editos in 4. Paris. 1599. Illa enim Editio auctior multo est pleniorque, quam quæ prædiit Basileæ An. 1521. in 4. Sed sunt tamen alii adhuc plures Veterum Rhetorum, qui vel seorsim prodierunt, vel MSti adhuc in bibliothecis delitescunt. Edidit bis Leo Allatius Collectiones duas Rhetorum & Sophistarum antiquorum, quorum fragmenta servavit, & Latine vertit. Nos vero, missis nunc veteribus, ad recentiores sparsum enumerandos progredimur.

- 10 Occurrit inter hos primus ANTONIUS LULLIUS, Balearis: a Raymundo Lullio, extemporaneæ istius loquacitatis intempestivo doctore, ut nemo non videt, plane

plane alius. Scripsit de oratione libros VII. quibus non solum Hermogenes ipse totus, verum etiam quicquid fere a reliquis Græcis & Latinis de arte dicendi traditum est, explicatur. Magna cura scriptus liber est, quem adhibuit sæpe Vossius in concinnandis suis institutionibus Oratoriis, sæpe etiam refutavit. Editus est Basileæ in fol. A. 1558. Extant alias ejusdem de *Exercitatione Grammatica* liber, aliusque *Progymnasmata Rhetorica* tradens.

Eodem tempore clarus erat Rhetor Patavii FRANC. ROBORELLUS, ¹¹ cujus beneficio extractum primo e tenebris Longinum nos debere supra indicabamus, Vir doctissimus, & eloquentia inprimis insignis. Scripsit varia ad Rhetoricen spectantia de *Rhetorica facultate* librum, Florentiæ editum A. 1518. ut & alium de *artificio orationis*; in quo præcipue figurarum doctrina ad fontes & capita sua revocatur, & differentia oratoricæ & Poëticæ dictionis ostenditur. Instituit & Catalogum figurarum omnium, ex omnibus Auctoribus Græcis & Latinis, & ad generales quasdam divisiones reduxit, secundum animi vel conceptus, vel motus. Memorabile est, quod de hoc Viro Joh. Imperialis refert in Museo Historico: eum, quum facundia longe plurimum valeret, ac sæpissime publicis in solennibus perorasset, infelici tamen conatu Carolum V. Imperatorem defunctum oratione panegyrica laudare conatum vix Exordium absolvisse, cum memoria ipsum destituerit, ut recitandæ Orationi par amplius plane non esset. Accusant in illo aliqui superbiam, nimiumque in exercendis adversus pares aut superiores inimicitias factum, quo Sigonium, Egnatium, Muretum, Manutium, H. Stephanum, aliosque contemptim habere, & ludibrio aliorum pro viribus exponere, veritus non sit. Verum hæc non obstant, quo minus Rhetor ingeniosissimus dici haberique jure poterit.

Quemadmodum vero Robortellus Veterum, quos magno studio sectabatur, ¹² placitis, & in arte Rhetorica præceptis, ubivis insistere solebat: ita alia plane via incessit eruditissimus Itatorum, FRANC. PATRITIUS, cujus Viri multa fuere circa singulas fere disciplinas nova. Neque vero contentus in Philosophia innovasse omni, in Rhetorice insuper & Poësi nova multa dedit. Prodierunt Italica lingua ejus *decem Dialogi della Rhetorica*, Venet. 1560. in 4. Sed quænam præcipue illa sua scriptione intenderit, dicere nequeo, cum librum ipsum nunquam viderim. Addi vero meret Patritio THOM. CAMPANELLA, qui æque ut in aliis rebus omnibus, ita & in Rhetorica, mirus novator est; prout e *Rhetoricis* ejus liquet, quæ una cum *Dialecticis & Poëticis* suis edidit Paris. 1638. in 8. Neque tamen est hujus loci, recensere omnes Viri Paradoxologias. Ceterum eadem in Patavina Academia, in qua Patritius per annos aliquot publicum Philosophiæ doctorem egit, Eloquentiam e prima sede, per annos 24. professus est PAULUS BENIUS, Eugubinus: cujus extant *Oratoria Disputationes* seu Rhetoricæ controversiæ, in quibus cum Veterum multorum, tum inprimis etiam Aristotelis, præcepta explanantur, & cum Platone Ciceroneque conferuntur. Prodierunt Venet. 1624. in fol.

E Germanis de Rhetorice nemo melius meruit JOHANNES STURMIO, quem ¹³ Virum

Virum quanti in eloquentia æstimarit, & quantopere aliis antefulerit, Andr. Schottus, paulo ante monitum. Et fuit sane in oratoria facultate summus, suoque tempore communis fere scholarum per Germaniam moderator: cujus proinde longe plurimi sunt ad id studium libelli: de informanda juventute, de informatione Principum & nobilium: Epistolæ classicæ: liber de resolvendæ linguæ Latinæ ratione (Argent. 1581. in 8.) In partitiones oratorias Ciceronis Dialogos duos composuit Argentorati, 1539. in 8. editas, una cum libro de amissa dicendi ratione, & quomodo ea recuperari possit. Liber ejus de Periodis, cum scholiis Valentini Erythraei, editus est ibid. 1567. in 8. - Liber de imitatione prodit A. 1576. Hi omnes in pretio habendi, iisque jungendi plures alii, quos qui nancisci omnes poterit, non parum Eloquentiæ studium augebit.

14 E Sturmii schola prodit MELCHIOR JUNIUS, orationis quidem facultate Sturmio inferior, sed præceptis, ac artificio dicendi, non postponendus. Diligentia enim sua superavit magistri industriam; & tironibus eam ob causam aptior est, quod ad minutias se demittat, ad quas se Sturmius non demittit. *Exstat ejus Eloquentiæ comparandæ methodus*, Argentorati 1591. in 8. excusus liber, quo multa tradidit utilissima ad facultatem oratoriam sibi parandam, quæ subsidio esse possunt, si quis exercere vires suas velit. *Exstant Scholæ ejus Rhetorica* de contextendiarum Epistolarum ratione: utilissimus profecto liber, qui Ciceronis Epistolas, secundum omnia genera epistolarum, & singulorum generum argumenta, disposuit, adjecta semper imitatione. Recusus est ille liber, cum Commentario Phil. Horstii, Jenæ in 8, & sub *Epistolographia* titulo editus. Scripta insuper est a Junio Resolutio Orationum Ciceronis, secundum causarum genera, orationum partes & materias; unde præclara possunt haberi orationis amplificandæ subsidia, quacunque in parte Orationis aut cujuscunque generis versetur: nam Enthymemata, in singulis a Cicerone adhibita, diligenter notavit, quorum usus insignis esse potest, si quis in simili argumento occupetur. Adjectus est index utilissimus, ubi *ὡς ἐν τύπῳ* proponitur omnium Orationum atque argumentorum summa & idea; Argentorat. 1594. in 8. Nec prætereundus hic ille Junii liber utilissimus, quem pro invenientis argumentis Ethicis & Patheticis scripsit, & sub titulo: *Animorum consiliandorum ac movendorum rationis* in lucem emisit Montisbelgardi 1596. in 8. ubi singula illa capita tam morum, quam affectuum, ab Aristotele proposita, exemplis, non tantum e Cicerone, sed & e Græcis Auctoribus, illustrat: atque adeo egregiè inservit eloquentiæ, sive sacræ, sive humanæ, studiosis: quibus & aliis rebus multis esse commodo quæsit: Collectione brevium orationum Politicarum, quas ex historicis, tam Græcis, quam Latinis, collegit, præfixa semper dispositione Rhetorica: congectione Epistolarum: editione Orationum, sub ejus directione Argentorati habitaram, quarum integri aliquot tomi profant, & in quibus occurrunt penè omnia, quæ sub argumentum orationis venire possunt. Tam diligens erat ille Vir, & in professione sua ornanda profecto, si quis alius, sollicitus.

15 Non minoris, nisi ætate, sed eruditione etiam multo major Wittebergensis Eloquentiæ Professor, AUGUSTUS BUCHNERUS, Orator atque Philologus cele-

celeberrimus, librum *de commutata ratione dicendi* scripsit Rhetoricum: in quo multa habentur egregia de figuris orationis: plerisque tamen Grammaticis, cum Rhetoricis nonnisi parcius attingat. Prodiit ille libellus Witreb. 1655. in 12. Et post mortem Buchneri editæ quoque sunt Epistolæ ejus & Orationes, quæ non solum styli Ciceroniani flumen, sed & artis sublimitatem, abunde docent.

Non idem judicium de VALENT. THILONE ferri potest, Rhetore potius, quam Oratore laudabili: cujus libri in argumento Rhetorico scripti non tamen usque adeo sperni merent. Extant ejus *Exercitia Oratoria*, per omnia causarum genera: in 8. Regiomonti 1645. excusa. *Curtius Orator*; quo tum resolvit Orationes Curtianas, tum, quomodo amplificari possint, ostendit: *Pathologia*, affectuum movendorum rationem exponens, una cum exemplis, eorumque ideis: *Topologia Oratoria*, seu praxis locorum Dialecticorum in Oratoriis, præceptis, exemplis atque ideis illustrata: *Rudimenta Rhetorica* de periodis, amplificatione & connexionibus: Quæ omnia partim Regiomonti, partim Amstelodami, prodierunt, & e mediocrium classe sunt.

Ceterum, ut in omni scientiarum genere, ita & in Rhetoricis, gravos se Jesuitarum aliqui præstiterunt, & eximie profuerunt publico. De LUDOV. CRE-SOLLIO dictum jam est, cum Theatrum ejus Rhetorum allegaremus, atque, ut non satis laudari possit iste labor, narratum. Scripsit ille præterea *Vacationes Autumnales de perfecta Oratoris actione & pronuntiatione*, libris III. Paris. 1620. in 4. editas; in quibus, e Scriptorum elegantium monumentis, gestuum & vocum rationes pulcherrima copia & varietate explicantur, & vitia in agendo notantur. Opus plenum varia doctrina, quodque artem illam, quam Veteres *Histrionicam* vocabant (ad hanc enim pertinebat formare vocem & gestum Oratoris, teste Aristotele,) luculente atque copiosissime exponit. Alius ex eodem Ordine, NICOLAUS CAUSINUS, *de Eloquentia sacra & humana* libros XVI. composuit, Paris. 1643. in 4. editos, in quibus præ ceteris magna cura diversitas Characterum explicatur: allatis uberissime exemplis, tum ipsorummet Characterum, tum vitii in quovis stylo. Est tamen ad usum accommodatior JACOBI MASENII, Jesuitæ, *Palæstra Oratoria*, Coloniae primò 1659. evulgata: in qua primum progymnasmata Eloquentiæ, hinc Exercitationes Rhetorum propriæ, ad lectionem simul & imitationem distribuuntur: adjicitur Resolutio & artificium Tullianarum Orationum. Scripsit & idem *Palæstram styli Romani*, Coloniae eod. A. 1659. editam, in qua & genera styli persequitur & Characteres, omniaque diligentissime, propositis semper exemplis, illustrat: addito in fine antiquitatum Romanarum Compendio. Masenio ordinatius distinctiusque procedit, adeoque ille me judice præferendus est, MARTINUS du CYNÉ, in cujus *Explicatione Rhetorica* omnium Ciceronis Orationum habetur Analysis secundum partes, Enthymemata, Periodos, & figuras, cum notis ad singulas Orationes, earumque Characteres. Excusus est Coloniae An. 1670. in 8. liber ille, omnium in hoc genere optimus. Huic subjungimus ALBERTUM de ALBERTIS, Jesuitam alium, cui debemus *Theaurum Eloquentiæ sacre & Profane*, per actionem

contra ejusdem corruptores, olim Mediolani 1639. postmodum Coloniae 1669. in 12. typis publicis exscriptum. Auctor præcipue invehitur in argutulos illos frigidosque affectatores, qui specie acuminum & sententiarum præpostere phalera-
tam orationem faciunt. Proponitur autem res omnis non methodo quadam didactica, sed singulari quadam atque insolita: ut mihi quidem videatur ipse Auctor Eloquentia ad notanda ejusdem vitia abuti. Occasione vero hujus incidit nomen FRANC. VAVASSORIS, qui, ut erat ipse etiam ex Ordine Jesuitarum, bonisque literis apprime tinctus, ita insolitum tale, & nudius tertius introductum, dicendi genus ferre non potuit. Scripsit ille inter alia de *Ludicra Dictione* elegantissimum librum, ad Balzacium, Paris. 1658. in 4. Totoque eo impugnat plebejum istum jocandi in scribendo suorum popularium morem, quem communi nomine *burlesque* vocant. Demonstrat vero Vavassor, nulli vel Veterum, vel Recentiorum, tale dicendi genus in mentem unquam venisse: simulque utilissima longe plurima, quæ ad Rhetoricen faciunt, inspergit.

18 Neque tamen hæc ingenui Veterum æstimatoris, doctissimi Vavassoris, auctoritas socios ejus movit, ut, misso novandi studio, vetera & ipsi sectarentur. Quin potius, quoties novus talis Orator in scenam prodit, toties novo ille, & a reliquis diverso habitu, incedit. Referendus est ad hanc novatorum classem FRANCISCUS POMEY, Jesuita, cujus prostat liber hoc titulo: *Novus Rhetoricæ candidatus, altero se candidior*; editus Monachii, 1672. in 12. Instituit hic Rhetorices præcepta suo quodam ductu & genio: quanquam ut plurimum novi nihil afferat, sed plus interdum turbet, quam juvet. Diligens tamen est in figuris & amplificationis præceptis; quæ vero ipsa tradit, singularia plane & peregrina: quale est illud subsidium inveniendi argumenta amplificantia, quæ progymnasmate VI. proponuntur: nam nullo artificio opus est, sed velut sorte quædam capiuntur. Quam enim inane hoc est, ex iis, quæ cadunt sub oculos, statim invenire argumenta: deinde e quibusvis substantivis & adjectivis, primo occurrentibus in Lexico; hos vero modos Autor ille commendat. Non reddit, nisi inanes locutores, ista inartificialis methodus; cui similis est illa Lulliana loquacitas, quæ etiam tamen aliquibus mirifice placet. Est certe quidem rerum omnium inter se analogismus, unde & deprehendere sagaci quadam connexionione prædicata nonnulla, qualicunque ratione subjecto suo convenientia, licet: sed tamen hic modus artem jam præsupponit. Ac viderem ego sane, quam bellam mihi orationem concinnaret, qui solis hæc præfidiis munitus, nec multa arte Rhetorica imbutus, prodiret Orator in publicum. Non nego tamen, exercitatis in dicendi arte Viris aliquando necessitatis tempore, cum deficit memoria, talia in subsidium vocari posse. Qualia sunt illa, quæ commendat JANUS CÆCIL. FREY Part. II. c. 1. *Vixæ suæ ad scientias, linguas, sermones extemporaneos novæ & expeditissima*; Parisiis olim editæ, postea recusæ Jenæ 1674. in 12. Tale est & illud subsidium, quo uti Concionatores alioquin solent, cum ultima vox periodi, substantiva inprimis, reflectitur ad novam periodum, ut connexionione sensuum in voce ultima quæ sita tandem exsurgat aliqua oratio. Extemporaneam elocutionem pro viribus etiam promotum ivit MICH.

RADAU,

RADAU, in *Oratore Extemporaneo*, qui liber sub personati primum Auctoris, Georg. Beckeri, mox, sub vëro ejus, qui scripsit, nomine prodiit. Unicum ejus opus est, sub varia epicherematum forma orationes extemporales formare. Sed, si verum fateri velimus, nequaquam est plus facultatis ex tempore perorandi in hac ratione, quam alia: omnes enim orationes præsupponunt argumenta: sive illa uno syllogismo, seu pluribus, comprehendantur: eodem res recidit. Interea tironibus eo modo non male consultum est; qui ad epicheremata elaboranda maturius, quam ad aliud progymnasmatum genus, præparari debent. Chriæ quoque ipsæ nihil aliud, quam syllogismi & epicheremata sunt, quorum medii termini, ut in scholis vocant, locis quibusdam Dialecticis sunt illustrati. Atque huic etiam scopo præcipue inservit alius Jesuita, SIGISM. LAUXMIN, *Praxi Oratoriæ* sua Francofurt. A. 1665. in 12. excusa, qua illud potissimum intendit, ut doceat, periodos & enthymemata conficere, atque ex iis Orationes integras: exigua quidem, quod non disfitendum, opera, sed tironibus tamen non inutili, in rudimentis artis Rhetoricæ per ἐπιχειρήματα ponendis. Nec defuit ex eadem Societate alius, qui connectendi ad transitionem artificium libello erudito ostenderet, JACOBUS HUGUES, cui titulum quoque fecit *Artificium Connexionum & transitionum*: Moguntia primus edito, si recte memini, ac deinde Wittebergæ, obstetricante G. C. Kirchmajero, A. 1657. recusò. Eo majorem vero laudem meruit, quo certius constat, primum illum connexiones formare docuisse per periodos, membra majora & minora, tam per particulas, quam per figuras & formulas, in prosa æque & ligata Oratione.

Præterimus Jesuitas alios: cum, qui supersunt, præter eos, quos diximus, in Rhetorica arte clari, pauci admodum sint. Sunt vëro & ante illos ponendi alii, quorum nomina prætereunda non duco. Quam splendide de GEORGIO TRAPEZUNTIO senserit Andr. Schottus, atque ut eum recentioribus prope omnibus præferat, & suo merito doctis admirationi fuisse dicat, supra jam, cum de Hermogene diceremus, indicatum est. Et quid mirum, *Rhetoricam* ejus magni habitam, jamque olim *perpulchram* a Trithemio judicatam; cum ex optimis Aristotelis Hermogenisque præceptis tota coalescit, suppletumque ex alterutro habeat; quod alteri deest. Prodiit ea Rhetorica Trapezuntii, post illas editiones, emendatius Basileæ 1522. in 4to, ibid. 1538. & Venet. 1560. in 4to.

Haudquaquam Trapezuntio minor JOH. LUDOV. VIVES intra paucos annos (erat enim ἐψυμαδης) nobilissimas aliquot lucubrationes, docte prorsus & accurate conscriptas, edidit: in quibus, ut ait Gesnerus, eloquentiæ sapientiam ita conjunxit, ut nemo eruditus non cum aliquo fructu earum se lectionem hausisse fateatur. Sunt vëro lucubrationes illæ, quæ ad institutum istud nostrum pertinent, præter librum *de conscribendis Epistolis*, qui in pretio habetur, *Commentarii de ratione studii legendi interpretandi que: De ratione colligendi exempla: Latinae linguæ exercitatio*. In primis vëro spectat ad tr. I. *Rhetorica*, seu de ratione dicendi libri III. ac *de consultatione liber*; quos conjunctim Rob. Winter Basileæ A. 1537. in 8. excudit. Pertinet quoque huc,

huc, ex aureo de tradendis disciplinis opere liber Quartus, qui *de corrupta Rhetorica* agit, eique restituendæ subsidia undique conquirunt.

21 Neque hic silentio prætermittendus ERASMI ROTERODAMI *de copia verborum & rerum* libellus utilissimus, notior nomine, quam usu frequens: & qui tamen optimas profecto dat orationis ornandæ atque amplificandæ regulas. Edidit illum, cum Commentario & Exemplis, Joh. Micrælius anno, ni fallor, 1655. in 8. EDMUNDI RICHERII librum *de figurarum arte, & causis eloquentiæ*, Paris. 1605. in 8. editum, etiam nominandum arbitror, quippe in quo figuras Grammaticas egregie explanavit, sed non æque Rhetoricas. Edidit tamen librum alium *de arte Rhetorica*, quo methodum quoque monstrat eam ad usum vitæ civilis revocandi, Paris. 1629. in 8. De Elocutionis imitatione ac apparatu JACOBUS OMPHALIUS, Jctus, edidit Opusculum non contemnendum: nam & optimas imitandi regulas proposuit, & formularum conficiendarum rationem dedit. Adjunctæ sunt ejus Epistolæ familiares in usum tironum, Paris. 1579. Col. 1602. in 8. Transiit JOH. BRENZII *de figuris* libros, Argentorati 1606. editos in 8. qui nihil aliud, quam figurarum Catalogum, & applicata iis magno numero ex Oratoribus & Poëtis exempla continet. Neque admodum isthuc pertinet NICOL. SUSII *Lima Ciceroniana*, quo libro generalia quædam de charactere & stylo præcepta continentur. Prodiit Antwerpæ 1620. in 8vo, & cum Nic. Vernuleji *Rhetorica*, Jenæ 1631. in 12. Magis adhuc sollicitè de stylo agit vir doctissimus, JOH. SCHEFFERUS, in *Gymnasio styli*, Upsaliæ An. 1657. & 1665. primo, mox & Jenæ 1670. edito. Multa enim mihi de hoc themate, tum & de progymnasmatibus Sophistarum & orationum variis characteribus, utilissima collectanea & præcepta traduntur. De numero Oratorio libros quinque scripsit, & hanc doctrinam singulari cura explicatam dedit JOVITA RAPICIUS, Brixianus. Elegans ejus editio prodiit Venetiis in fol. 1554. Recusus postmodum liber ille in Germania Coloniae A. 1632. in 8vo, comitem nactus est JAC. LUDOV. STREBÆI *de Electione & oratoria verborum collocatione* librum, qui olim A. 1540. prodierat; & in quo, quæ ad numerum linguæ Latinæ, tam in prosa, quam in ligata oratione, spectant, exponuntur. Est alias iste Strebæus inter Ciceronis Commentatores, in cujus scilicet libros de Arte Rhetorica & de Perfecto Oratore scripsit.

22 Dum vero ita de iis agere instituimus, qui per partes solum artem Rhetorum pertractant, pene dememinisse videri possumus Virorum doctorum, qui artem integram magno conatu, neque minus felici, tradunt. Atque hic primum sibi ante alios omnes locum vendicat GERHARDUS JOH. VOSSIUS, cujus non solum *de Natura & Constitutione Rhetorices* liber, & subjuncta illi Tractatio de antiquis Rhetoribus, Sophistis ac Oratoribus, quam calluerit Vir ille magnus artem lectissimam & quanta cura e veteribus collegit, notum facit; sed luculentius adhuc operosæ & plenissimæ *Oratoriæ Institutiones*, Opus mira diligentia concinnatum, & quod in Veterum Rhetorum lectione illum longe fuisse versatissimum demonstrat, quos etiam nisi habuisset antesignanos, vix adeo feliciter in hoc argumento versatus fuisset. Recte interim judicavi

Buchnerus, lib. de Commutata Rat. dicendi p. 444. Vossio neminem temere, post Aristotelem, Grandi artem uberius & accuratius tradidisse. Multoties, tum in Belgio, tum in Germania, variisque formis, excusum recusumque Oratorium istud Opus Vossianum. Inter primas editiones ea est, quæ An. 1606. prodit in 8. sed optima, quæ Lugduni Batav. 1643. in 4. lucem adspexit. Liber de natura Rhetorices iteratâ Editione auctior editus Hagæ Com. 1658. in 4. Reliquit & de imitatione Oratoria librum, suo Auctore non indignum: & Rhetoricam contractam, quæ in usum scholarum fœderati Belgii scripta est, & ita Compendium Rhetoricæ majoris sistit, ut exemplis aliis utatur.

Vossium sequatur Hispanus PETRUS JOH. NUNNESIUS, magni nominis apud suos Vir, & quem, uti supra dictum, Andr. Schottus ex Hispanis noverrat, inter claros Rhetores nominandum. Nec putandum est, amicitiæ hic aliquid dedisse Schottum, quam cum Nunnesio arctiorem coluit: sed fuisse id commune Hispanorum suffragium, inde discas, quod ingenti stipendio a Barcinonensibus ad docendam ibi Eloquentiam Græcamque linguam evocatus est, referente de Scriptor. Sec. XVI. Miræo, c. 133. Rhetoricam ejus, cujus meminit Andr. Schottus, nunquam vidi: sed tantum collectionem Epithetorum, quorum in amplificandis periodis magnus usus est, e Cicerone: qui liber, post plurimas Germanas atque Gallicas Editiones, Coloniae quoque 1571. prodit. Scripsit alias de Epithetis etiam Sebast. Figulus: ast quo melior est Nunnesius. Similis ferme labor est, quem de Adverbiiis epithetorum vicem haud raro explentibus, sibi sumsit Hubertus Susanneus, qui Conubium Adverbiorum Ciceronianorum edidit; quod & seorsim, & cum Steph. Doleri formulis linguæ Latinæ simul, Argent. 1585. in 8. prodit. Et quoniam semel scriptoribus hujus quoque generis indulgere cœpimus, nominabimus quoque Stephanum Ubelium, qui Synonyma Ciceroniana edidit, collectis nimirum vocibus illis, quæ apud Ciceronem & alios conjunctim ponuntur vel vere vel apparenter synonymæ. Vehementer facit ille labor ad periodum concinnandam. Prodit Levardiæ 1607. in 8. Et ne quid genus vocum absque illustratione maneret; en tibi festivum libri titulum: *Antithetorum amica simulas, arbitris Plauto, Terentio, Cicerone, Cesare.* Scripsit illum Augustinus Gambarella, & collegit inibi voces, quæcunque sibi aliqua saltem ratione opponuntur: ut sic eo faciliorem vocum proprietatem redderet addiscendam. Mediolani 1606. in 4. Videntur quidem Auctores, quos modo recensuimus, magis ad Grammaticum Polyhistorum, & caput de Collectoribus phrasium, pertinere: nolimus tamen, cum occasio se offerret, hic quoque eorum recensionem omittere, præferim cum ad Rhetoricen suo etiam modo spectent.

Hinc temperare nobis non possumus, quin adhuc addamus WOLFGANGUM 24
SCHOENSLEDERUM, *Apparatus Eloquentiæ*, Monachii primo 1630. in 8. & sæpius alibi, evulgati, Auctorem: quo libro, dum Synonyma sub titulis generalibus collegit, optime omnino de eloquentia meruit, nullusque & ad usum accommodatior liber, quam

quam ille: adeo optima semper ex Auctoribus, non quibusvis, sed præcipuis, magno judicio collegit. *Phil. Paræi* minimum Calligraphiam, simili in arena currentem, longo post se intervallo relinquit, quæ mesum chaos est, ac mira titulorum confusione summa imis miscet. Dolendum vero, non prodiisse Schenslederi partem alteram, quo collecturus erat locos communes rerum: absolutissimos haud dubie, quantum ex hoc Opere judicare licet, daturus. Sed nunc revertimur ad Rhetoricarum Scriptores.

25 JOH. TESMARUS, Rhetoricæ in Bremensi schola Professor, scripsit *Rhetoricarum Exercitationum libros VIII.* Amstelodami apud Elzevir. 1657. in 8. publici juris factos: quorum priores quinque sunt analytici, resolventes oratiunculas historicorum, poetarum, &c. secundum genera causarum: reliqui tres proponunt ideas Orationum, Epistolarum, Carminum. *Ideas Orationum* edidit quoque M A R C. ZUERIUS BOXHORNIIUS, civium plerorumque argumentorum, quorum in civili vita usus præcipuus est Politicæ & Jurisprudentiæ studiosis. Liber editus est aliquoties in Belgio, & semel 1661. Lipsiæ recusus: in eo tantum reprehendi meret, quod artificium orationis non satis distincte exprimat: in quo longe magis sollicitus est *Christoph. Schraderus* in specimine Orationum Livianarum & Sleidanianarum, quæ iridem hujus sunt argumenti, & civilis eloquentiæ studiosis commendandæ. Ineditas aliquot ejusdem Boxhornii possideo.

26 Extant MELCHIORIS de la CERDA, cujus mentionem supra, inter Ordinis socios Jesuitas, facere dememinimus, *Campi eloquentiæ*, Coloniae 1637. in 8. impressi; sed me judice, pleni rursus: nam nihil usquam selecti: descriptiones vagæ & variæ sine inventione ac ordine. Adjungo de la Cerdæ similis farinae Scriptorem, sed magnum tamen puerorum delictum, JOH. MATTH. MAYFARTUM, scripsit ille *Mellisficium Oratorium*, in quo Eloquentiæ flores e variis Oratorum viridariis defracti, & in suas velut areolas sunt digesti. Tres vel quatuor ejus Tomi Lipsiæ prodierunt A. 1623. & seq. in 8. Non placet Viri istius labor: nam paucissima habet ex Cicerone, unde tamen mellisficium suum locupletare unice potuisset. Tum & inter recentiores delectam non habet, sed promiscue e quibusvis colligit, cum præferendi fuissent probatioris. Denique nec ordo, nec ratio colligendi bona est. Longe distinctius & ordinatius procederet negotium, si quis secundum seriem vel thesium, vel rerum, vel argumentorum & enthymematum, collectanea talia institueret: nec formulas cum rebus ipsis misceret, uti factum a Mayfarto, cum rectius seorsim poni secundum omnes orationis partes debuissent: quod consilium sibi proposuerat *Joh. Starckius*, qui specimen ejus dedit elegans in Locis Communibus formularum Epistolicarum: sed labor iste in oratoris præmatura optimi viri morte intercidit.

27 Æque spernendæ sunt ac de la Cerdæ & Mayfarti labores Transitionum Rhetoricarum formulæ, a JOH. STARCKIO collectæ, editæque Londini 1628. in 8. quas miror etiam in Germania recusâs. Etenim parum omnino bonæ frugis habet totus

tus ille liber: & male faciunt, nec intelligunt linguam Latinam, qui eum pueris obrudunt: totus enim ineptis quibusdam argutiis plenus est, vel ex ingenio suo, vel ex vernaculi sermonis adhaerente vitio, confectis. Ut non possit adeo frugis quicquam ex eo libro meti: & infelices sane sunt, qui tirocinium suum in quicquiliis istiusmodi terere coguntur. Idem esto iudicium de THOME FARNABII *Indice Rhetorico & Oratorio*, Libello exiguo, Amstelod. 1659. in 12. edito, in quo Formulas quasdam, in Orationibus & Epistolis obvias collegit, sed, ut in porta cantherius, defecit, Henn. Arningio, & Ivaro Petri Adolpho, & quibus Formulæ itidem sunt congestæ, palmam relinquens. Tale quoque est *Tirocinium Eloquentiæ*, seu Rhetorica Nova (si DIS placet), CAROLI PAJOT, qui, cum multa promittat, nihil omnino habet præter vulgaria artis præcepta, summatim ex aliis auctoribus, sive excerpta, sive descripta. Editum est misellum Compendium Dauderstadii 1673. in 8vo.

✓ Pertinet quoque ad Rhetores CAROLUS SIGONIUS, cuius non solum 28 inter Antiquarios Scriptores mentio cum honore facta est, sed & tum, cum eum consolationem Ciceroni supposuisse diximus, & inferius inter Oratores forte recurret. Is ipse igitur librum *de Dialogo* scripsit, Vener. 1562. in 4. editum, in quo tradit præcepta Dialogi scribendi. Hanc vero scribendi rationem omnino ad eloquentiam pertinere, vel illud argumento est, quod ab eloquentissimis viris Græcis & Latinis frequenter fuerit adhibita, ut restantur Platonis & Ciceronis scripta.

1 Spectat quoque ad Rhetoricen scriptio Historiarum. Rhetoris enim est, præ-29 scribere, quo caractere historia sit scribenda: quod argumentum diligenter admodum persequitur SEBAST. MACCIUS, Philosophus, Theologus, & JCtus, Eques & Comes Palatinus, in libris tribus *de Historia scribenda*, quos Vener. 1613. in 4. publici juris fecit. Idem argumentum postea fufius deduxit AUGUSTINUS MASCARDUS libro elegantissimo Italica lingua scripto *della arte Historica*, Vener. 1655. in 12. Est & Casp. Scioppii iudicium de stylo historico, quod editum cum ejus Infamia Famiani, Soræ 1658. in 12.

Peculiare sibi & plane elegans argumentum e Rhetoricis pertractandum sum-30 sit Vir πολύγλωσος admodum, & aliis e scriptis notissimus, LEO ALLATIUS, scripta *de Erroribus Magnorum Virorum in Dicendo. Dissertatione Historica*, ad Slingelandum, Protonotarium Apostolicum: Romæ An. 1635. in 8. Censuram illic instituit in Autores tum veteres, tum recentiores, monstratque, ubi illi defecerint in orationis Charactere idoneo exprimendo. Veterum pleraque hausit ex Claud. Verderii stulta Auctorum censura, non apposito interdum illius nomine. Et sane Leo Allatius non valuit isto iudicio, ut censuram sibi in re tanta sumere potuisset: aliis plane hic ingenis opus est:

Talia vero ubere proventu ferre inprimis hodie Gallia consuevit, in qua pul-31 cherrimorum librorum, ad Rhetoricen facientium, & vernaculo scriptorum sermo-

ne, magna satis copia est, inprimis postquam optimatum favore istiusmodi ingenia provocantur. Est, qui Rhetoricam Aristotelis in Gallicum transtulit sermonem, & eximiis insuper commentationibus illustravit. Aristotelem enim e veteribus unum acuram terigisse haud abs re judicant, nec ab eo facile recedunt: quorum & RENATUS RAPINUS legi meret in elegantissimis suis de Eloquentia cogitationibus: *Reflexions sur l'Eloquence*: quæ Miscellaneis ejus operibus, ad juvandas bonas literas scriptis, insertæ sunt. Est alias & ANONYMUS quidam, qui duobus libris Rhetoricam tradidit: quorum prior vocatur *de l'Art de Parler*; alter *de l'Art de Persuader* 1676. in 12. Non quidem differunt ejus Viri præcepta a communibus; sed occurrunt tamen aliqua commatis non vulgaris, fuitque Vir sine dubio doctissimus, & judicii non contemnendi: distinxit autem artem persuadendi ab arte dicendi, & priore illo agit de inventione enthymematum; altero de variis characterum generibus, figuris, ceterisque ad orationem ornandam pertinentibus. Taceo Renatum Bary, consiliarium & Historiographum Regium, qui librum edidit, sub titulo: *la Rhetorique Françoise*, Amstelod. 1659. inprimis, quod figuras spectat, non contemnendum. Ei dissertationem præliminarem præfixit Joh. Franc. Grandis, quæ intentionem Auctoris & Operis pluribus declarat. Dirigit autem omnia ad sermonis Gallici genium, cum alter ille magis in communi & abstracto Rhetoricam proponat. Multa vero egregia, ad Rhetorices explicationem, libellis variis in medium attulit DOMINICUS BONDOURS, Jesuita Parisiensis, qui ut plurimum exemplis docet, quæ ex antiquis æque ac recentioribus scriptoribus hinc illinc collegit, & sua deinde κρισει examinat illustratve. Estque inprimis commendandus ejus libellus, quem Rationem bene cogirandi inscripsit, *la Maniere de bien Penser dans les Ouvrages de l'esprit*: in quo summo studio τὸ περὶ τῶν νοήσεων ἀδελφίκοτον, ut Longinus vocat, sive sensuum sublime, examinat, variasque in classes distributum ita egregie, allatis ubique plurimis exemplis, pertractat, ut non minorem fructum, quam delectationem, afferat. Editus est libellus secunda vice Amstelodami 1688. in 12. cui & in vicem partis secundæ additus libellus alius, sub titulo: *Pensées ingénieuses*: in quo itidem longe plurima ejus generis, & jucunda & utilia, occurrunt. Sunt & plures adhuc Gallici Eloquentiæ magistri, sed quos nunc quidem recensere non vacat.

32 In Germanica lingua artis Rhetoricæ laborem in se suscepit CHRISTIANUS WEISIUS in politischen Redner. Diu fuit ante ipsum desideratus talis labor: in quo tentavit tamen aliqua RUDOLPHUS SADELER in seiner Teutschen Rhetorica, & Meyfartus: neque displicuit mihi Sadeleri labor: qui, in Orthographia & Phrasæologia sua Germanica, alio libro, monstravit veram contexendi Germanicas periodos rationem. Alioquin plerique Scriptores illi plus artis & eruditionis ostentare volunt in rebus ipsis, quam opus est. Et forte nimio cultu laborat Weisii institutio, nam multa immiscet orationibus suis, inprimis civilibus, ornamenta, vel poëtica, vel alia, quorum nullus in aula usus est.

C A P. II. a)

DE ORATORIBUS ANTIQUIS, PRÆCIPUE GRÆCIS.

§. 1. Non recensentur hoc capite deperditi, a G. I. Vossio celebrati; 2. Nec Historici Græci, v.g. Herodotus ac Thucydides, quorum dictio commendatur: 3. Sed Oratores soli Græci, quorum aliqua hodie supersunt Monumenta, Gorgias sc. Leontinus. 4. Antiphon, Andocides, Lysias. 5. Iseus. 6. Isocrates. 7. Æschines. 8. Demosthenes. 9. Hyperides. 10. Dinarchus. 11. Lycurgus. 12. Mutatio Eloquentiæ Forensis & Degeneratio, post amissam Græciæ Libertatem, Romæ itidem deinceps observata. 13. Numerus Oratorum Græcorum hinc imminutus. 14. Oratores, seu Sophistæ potius Græci, sub Cæsarum Imperio celebres; Dio sc. Pruseensis, sive Chrysoströmus. 15. Polemo Laodicensis & Herodes Atticus. 16. Æl. Aristides. 17. Dionys. Longinus, Hermogenes, Proæresius. 18. Iulianus Imperator. 19. Libanius. 20. Himerius. 21. Themistiüs. (De singulorum Vita, Stylo, Scriptis, Editionibus, Commentatoribus, Memorabilia plurima, una cum Veterum atque recentiorum de iis Censuris, haud parce exhibentur.) 22. E Latinis Ævi Veteris Oratoribus, illi, quorum Scripta supersunt, Lib. IV. Cap. XI. XII. XIII. XIV. jam sunt celebrati, ceteri autem, quorum Orationes perierunt, a G. I. Vossio, in Lib. de Natura Rhetoricæ, recensentur.

A Rhetoribus venimus ad ORATORES, quorum magnam vim olim Græcia tulit, & omnis eloquentiæ si cujusquam alius artis, certe mater. Nolumus autem hic congregere seriem aliquam Oratorum, inde a Solone & Pisistrato, qui primi Eloquentiæ laude apud Athenienses floruerunt, auspiciandam, pertegendamque usque ad postremas celebrium apud Græcos Sophistarum ætates: nam, cum hoc Vossius admodum studiose egerit, libro de Rhetorices natura & constitutione, c. 10. 11. 12. ad eum avidos rerum harum lectores ablegamus, de iis interim, qui ad nos usque e tot veteribus pauci pervenerunt, quædam dicturi.

E e e e e 3

Neque

a) Totum hoc de Græcis Oratoribus Antiquis Caput, Observationibus scatens eruditis, non ipsi debetur Morhofio, cuius in Praelectionibus, tum Polyhistoricis, tum de Notitia Autorum, Academicis, nihil plane de istis annotatum reperi, sed a Viro Docto, qui Lipsiæ IV. Libros Polyhistoris Literarii posteriores, e MSSis illis, Frid. Bened. Carpzovii, auspiciis, concessit, una cum Libri VII. Capite de Poëtis Græcis Secundo (cuius itidem vix tenuia quædam lineamenta Schedæ Morhofianæ suggerunt), totum, ne insigni adeo defectu Opus deformaretur, est adiectum. Id quod monendum h. l. denuo putavi, ne Morhofio, quæ illius non sunt, ab incautis Lectoribus, forte tribuantur.

2. Neque vero in numerum Oratorum computantur HERODOTUM, ut THUCYDIDEM, Historicos. Quanquam enim neque priori læta dicendi ubertas, melleumve velut quoddam eloquentiæ flumen; neque posteriori mascula eloquendi vis, & grave sententiarum pondus, desit, utraque antiquis adeo in pretio habita, ut Thucydidem decies sua manu descripsisse Demosthenes perhibeatur; Herodoti autem ne quidem reprehensor Plutarchus famam eloquentiæ imminuere ausus sit: attamen in Oratorum censum, qui sive πολιτικὸν λόγον sectati causas in foro publicas egerunt, sive, Sophistarum in morem, ἐριστικὸς λόγος inter discipulos fieri, instituto quodam dicendi certamine, curarunt, eos computare non possumus.
3. Inter Sophistas seu dicendi magistros veteres, qui eloquentiam in artis regulas compactam aliis tradiderunt, simul & ipsi scriptis orationibus inclaruerunt, antiquissimus est GORGIAS LEONTINUS, nomen apud Græcos longe clarissimum; & cujus aliquot *Orationes* hodieque supersunt ab Aldo, cum orationibus Æschynis aliorumque Oratorum, Vener. 1513. fol. & ab Henr. Stephano iterum cum Oratoribus Antiquis editæ A. 1575. in fol. Fuisse vero Gorgiam inanis frigidique tumoris præposterum affectatorem, & qui præter rem, poeticum in morem, sua sæpe extulerit, jam olim Dionysius Halicarnasseus, Hermogenes & Longinus, annotarunt: quapropter & risui illum esse prudentioribus Longinus ait; & Hermogenes eum τοῖς ὑπεύλοις σοφιστικῶς sublignis *sophistis* annumerat. Cicero autem quotidianam ejus loquacitatem sine usu, & e scholis cantilenam vocat, omnibus spernendam eloquentiæ studiosis. Orat. 1. 1. Conf. Longini περὶ ὑψους liber, sect. III. & Langbænius atque Faber in Not. qui plura de his.
4. Virile magis dicendi genus, & quod non scholarum superfluas nugaceſve curas, sed politicum characterem præ se ferret, primus ANTIPHON invenit, teste Hermogene; is ipse, qui inter decem, quos numerant, Oratores antiquissimus, complures nobis orationes reliquit, e quibus illius in dicendo vim, & efficaciam in persuadendo, miris se artificiis insinuantem, sat abunde colligere est. Sequitur hunc non æque clarus ANDOCIDES: tum LYSIAS, Isæi præceptor, ob nativam dictionis elegantiam, quam ubique, rejecto ardentiore & excelfo dicendi genere, summo studio sectabatur, adeo multis olim adamatus; ut ipse solus etiam velut idea orationis Atticæ, in quantum ea tumori Asiatico opponitur, regulaque & norma crederetur: quos tamen falli multum, neque Atticum Characterem intra angustos nimis terminos lucidi, tenuis & significantis, includendum fuisse, rationibus pluribus & exemplis demonstrat Quintilianus Instit. lib. XII. c. 10. Conf. Longinus de Sublim. sect. 35. ubi Lysiam Platone, cum quo illum comparat, longe inferiorem pronuntiat, vitiisque etiam abundare monet. Interea tamen magna eloquentiæ laus, & inprimis fluidæ & in affectatæ gravitatis gloriæ, Lysiae nullo modo abroganda est: sed potius omni modo approbandum Photii Patriarchæ, peritissimi judicis, judicium, quo Lysiam maximis quibusque oratoribus, Demostheni, Æschyni, Platoni, comparat: Bibliothecæ Cod. 262. ubi & vehementer Paulo cuidam ex Mysia, quem Suidas Paulum Germinum vocat, sophistæ succenset, cujus ineptissima censura, seu calumnia potius, complures Lysiae orationes, velut spuriae, perierint. Dionysius Ha-
- licar-

licarnasseus tantam in orationibus ejus ἐπέγειται, i. e. evidentiam atque illustrationem, deprehendi restatur, ut nemo adeo lævus mente & ingenio tardus futurus sit, quin quæ repræsentat Orator, velut facta ipsemet intueri, & personis, quas introducit, velut præsentibus interesse etiam, & cum iisdem conversari, propemodum videatur.

Lyfiæ discipulus ISÆUS est, tam felix magistri imitator, ut nisi quos magno studio attendat, difficulter etiam characteris utriusque diversitas, observante Photio, agnosci possit: quum alias Lyfias in tanta facilitate, quam præ se fert, & innata sua gravitate, difficillimus imitatu sit. Prodierunt Lyfiæ & Isæi Orationes, ut & Andocidis & Antiphontis, in Corpore veterum Oratorum, quod Aldus Venet. 1513. fol. in lucem emisit; tum & in simili, quod Henr. Stephanus in fol. 1575. edidit. Aldi collectionem Latine vertit, ediditque Basil. 1566. Guilh. Canterus. Lyfiæ orationes separatim quoque aliquoties prodierunt, Latine Basileæ interprete Franc. Fabricio: Græce & Lat. cum notis Jodoci Van der Heidii, apud Wechelium Hanovix 1615. in 8. Simon Goulartius quoque duas Lyfiæ orationes, Latine a se redditas, publicavit, cum ejusdem vita ex Dionysio Halicarnassensi apposita Paris. 1575.

Coævus Lyfiæ, & Isæo nonnihil antiquior, erat ISOCRATES, Gorgiæ Leontini discipulus, Orator adeo clarus, ut ejus domus velut quædam Academia videretur, in quam confluebat, quicquid erat juvenum, queis oratoriæ artis addiscendæ cupido animos infederat: neque id sane frustra; cum ex ejus ludo, ut ait Cicero l. II. de Oratore tanquam ex equo Trojano meri principes exierint. Sectabatur ille comptulam, nitidamque penitus, & quæ variis picturis schematicisque superbiret, orationem: quam ob rem, in seligendis verbis atque nominibus, in Colis, Commatibus digerendis, formandisque adeo periodis & similibus, ad superstitionem usque sollicitus, censuram antiquorum complurium, a quibus inprimis Dionysius Halicarnassensis in Isocratis vita legi meret. Commune omnium judicium est, aptiorem scholis, quam foro, Isocratis dictionem fuisse. Et ipse quidem Isocrates nunquam pro concione dixit, tot Oratorum strenuus atque solers efformator: uti notum: quemadmodum & mora 10. vel 15. annorum, in adornando Panegyrico ab Isocrate consumpta, ne pueros quidem latet. Orationum ejus prima editio, quam novi, Mediolanensis est, Græce in fol. A. 1493. excusa. Secuta hanc Aldina Venet. A. 1513. in corpore Oratorum, cui & Epistolæ Isocratis insertæ sunt. Postmodum sæpius Venetiis atque Basileæ, modo Græce, modo Latine, prodierunt: inprimis ex emendatione Hier. Wolffii, qui Latinam versionem cudidit recuditque multoties. Ex ultima ejus recognitione editus Isocrates est Basileæ, apud Oporinum, Gr. & Lat. cum notis, 1570. in 8. postmodum Paris. 1615. Genevæ 1609. &c. ut & Cantabrigiæ, recusis. Verum & Genevenses duæ & Cantabrigiensis Editiones non satis emendatæ sunt. Taceo nunc tres primas Orationes Isocratis, quæ, in scholarum usus, infinities separatim prodierunt.

Erat vero Athenis eodem, quo Isocrates tempore, & post ejus obitum, Oratorum

rum Triga, qui, ut reliquos omnes haud dubie sua arte longo post se relictos intervallo vicerant, ita de palma inter se mutuo æmuli ceptabant: Æschines nimirum, Demosthenes & Hyperides, omnes in gèrendis publicis magistratibus haud raro adhibiti, rebusque pro Græciæ libertate gestis clari. Primus eorundem ÆSCHINES, tres nobis orationes reliquit plane eximias, nec minore elegantia dictionis atque puritate, quam argumentorum pondere & perspicuitate, insignes. Quartam orationem Æschinis, quæ a nonnullis ipsi tribuitur, *Deliacus* inscripta, ejus non esse, sed Hyperidis, jamdudum a Phorio annotatum est: & e recentioribus, præter alios, a Conr. Gesnero in Bibliotheca. Eminent vèro inter tres Æschinis, quæ supersunt, Oratio contra Ctesiphontem, quæ in Demosthenem, & honores illi a Senatu, censente Ctesiphonte, collatos, habita est; infelici tamen successu, cum victus a Demosthene Æschines in exilium, quod multam pecuniariam pendere vel non posset, vel noller, pulsus sit. Adeo tamen Rhodiis, ad quos Æschines aufugit, admiranda illius Oratio, cum prælegeret, visa est, ut vinci ab alio potuisse stuperent: magnoque semper in pretio iis haberetur ille, scholamque celebrem erigeret, unde postea terrium dictionis genus emerfit Rhodium, ab Attica puritate, & tumore Asiatico, diversum, mistumque ex utroque: de quo vid. Quintilianus Lib. XII. Instit. c. 10. Ceterum Æschinem Demosthene multum esse in dicendo inferiorum, aliquot locis Cicero evincit, a quo neque Plutarchus, neque Phorius, in diversum abeunt, nec quisquam temere, qui collatas utriusque Orationes legerit. Editæ sunt ab Aldo & Stephano, in Collectionibus veterum Græciæ Oratorum: rum & una cum Operibus Demosthenis, in præstantissima editione, quæ quartis Hier. Wolffii curis Basileæ 1572. fol. deberur: Orationem contra Ctesiphontem Latine verterunt edideruntque, vel cum Demosthenis oratione pro Corona, vel cum Ciceronis Operibus, Leonh. Aretinus, Joach. Perionius, & Dionys. Lambinus. Græcis etiam aliquoties separatim, cum Demostheniana *περί σεφώνος*, in lucem emissa est.

8 Ipsas autem DEMOSTHENIS orationes ut hic multum laudemus, opus non est: satis notum eas ab omnibus Veterum, quotquot artem oratoriam calluerunt, (ceteros enim cecos admiratores ne quidem dicimus) summo cum stupore lectas, insitamque iis divinam propemodum vim persuadendi movendique, quo veller, & exquisitissimum illud *ὄψος*, quod ubivis in Demosthene regnat, non sine summis admirationibus agnita, & in cælum laudibus sublata. Pleni de hoc sunt Cicero, Dionysius Halicarnassensis, Quintilianus, Plutarchus, Hermogenes, Longinus, Phorius, Suidas: Auctorum pars ita de Demosthenis virtutibus agunt, ut simul vitiorum non obliviscantur; sed quæ, si ad virtutes componantur, propemodum omnia evanescent. Ineptum esse ad jocos & facetias, in adversariis sine scurrilitate exagitandis, fatetur Longinus, *de Sublimi sect. 34.* eaque in re longe illi præferendum Hyperidem, animadvertit, harum facetiarum mirum artificem: verum facile istum, siquidem alicujus ille nominis est, defectum compensari mox addit ignea illa & omnibus inaccessa dicendi vi, qua non tam movet auditores, quam terret & obstupefacit, Demosthenes, ignito spiritu armatus. Non tamen parem, in omnibus ejus Orationibus, esse artis sublimitatem, monet

Pho-

Photius, *Cod. 265. p. 800.* eaque propter nonnullas esse Demostheni a quibusdam abjudicatas narrat. verum & recte Criticos illos rejicit, & mirum non esse ait, si quis Autor diversas orationes, ut diverso tempore scribit, sic diverso quoque modo scripsisse aliquando deprehendatur, cum id promiscue in rebus humanis accidat, ut non semper iidem simus, & in Oratorum laboribus id sibi sæpissime obvenerit: *ἐγὼ δὲ εἰδὼς, αἰτ, πολλάκις καὶ λόγους διαφορῶν γεννητόρων πολλὰν ἔχοντας τὴν ὁμοιότητα, καὶ διαφορὸν ἐργασίαν λόγων τὸν αὐτὸν ἐγνωκώτων γεννήτορα, ἔ γὰρ αὖ κατέζηκεν ἀτρεπίος καὶ ἀναλλοίωτος κατὰ πάντα, ὥσπερ εἰδὲ ἐν τοῖς ἄλλοις, ἔτως εἰδὲ κατὰ τὰς λόγους ἢ ἀνδρωπίνῃ δυνάμει, ἄλλως τε εἰδὲ ἐν τοῖς καιριωτάτοις τῶν ἰδιωμάτων τὸ ῥήτορος.* De Demosthenis comparatione cum Aschime, quam Cicero lib. de Claris Oratoribus instituit, vid. Vossius de Natura Rhetor. pag. 30. Cum Cicerone ipso Demosthenem compara Longinus, de Subl. Sect. 12. ubi & si Tollium audimus, cum Platone illum prius comparaverat, quæ tamen pericope temporum injuria periit. Comparationem cum Cicerone, cum paucis absolvatur, & tamen elegantissima sit, nec ab instituto nostro aliena, age huc, e versione Jac. Tollii, apponemus. *Est hic (inquit Longinus de Demosthene) prærupta sublimitate strictior & concisior: Cicero vero magis fusus: nostrum, quod vi, celeritate, robore, vehementia animi denique, cuncta inflammaret simul & abripiat, proceloso cuidam turbini, vel fulmini, recte comparaveris. Contra ea Cicero, velut longe lateque serpens flamma, cunctaque depascens, &, post multos gyros ac ambages, in se semper revoluta, cum copiosum habet ignem, tum qui perseveret, partitisque vicibus nunc hanc, nunc illam materiam partem corripuens, non ante cesset, quam cuncta absumserit, seque ipse expleverit atque satiaverit.* En tibi discrimen inter granditatem Demosthenis atque Ciceronis: de hac enim sola Longino sermo. Uberius vero, operosis duabus Vitis idem argumentum Plutarchus est exsecutus, qui late nec minus docte singula utriusque exponit, secutus hunc e Gallis recentioribus elegantissimus Rhenatus Rapinus novam duorum Eloquentiæ principum comparationem scripsit vernaculo sermone, & quidem talem, quæ non potest non vehementer esse ad palatum omnibus, quotquot elegantiorum literarum gustu imbuti sunt. Longinus vero, præter hanc Demosthenis cum Cicerone collationem, aliam quoque ejusdem cum Hyperide instituit, e qua paulo ante nonnulla etiam a nobis prolata sunt, & quæ plane iidem est, ut sunt omnia Longini, ad unguem facta: *Sect. 34.* Plura de Demosthene, illiusque præstantia, non addo, cum ubique ejus Elogia occurrunt. Atque utinam non laudaretur ille & algeret! quod commune bonorum Auctorum, & inprimis Græcorum, fatum Demosthenem quoque publicæ calamitati involvit; dum interea, desertis adeo limpidis fontibus, certatim ad lutosos impurosque rivulos decurrere homines imperitos, & se satiare iisdem, velut ipsius Hippocrenes aquis, cernimus. Sed furdo fabulam narramus. Demosthenis Opera prius e tenebris eruit, & Orationes illius 62. cum Libanii argumentis, & Vita Autoris per Libanium & Plutarchum scripta in lucem protraxit Græce, Venetiis 1504. in fol. magnus ille Græciæ renascentis stator, Aldus Manutius: qui, præcedente jam anno 1503. Ulpiani in 18. orationes Demosthenis Commentarios, una cum Lexico Harpocratiqnis (de quo supra suo loco a nobis actum), ediderat. Ulpiani

scholia Demostheni ad marginem junxit, ubique textui adaptata, Joh. Hervagius Basileæ, qui, post Aldum, Demosthenis Opera Græcè excudit, adjecitque collectas a Joh. Oporino, ex Erasmi, Budæi, aliorumque; lucubrationibus Annotationes in 26. primas Orationes Demosthenis; promissis etiam notis in reliquis Orationes; & locorum quorundam variis lectionibus, ad vetustissimum exemplar, a Pet. Danesio collatum. Verum, observante Gesnero, horum postea nihil præstitum est. Interea, cum Viri docti complures singulas hæctenus Orationes Demosthenis Latine reddidissent, primus omnia illius Opera in eum sermonem transtulit, seu translatas ab aliis Orationes revidit, ediditque Hier. Wolffius; (nam etsi Carolus Clutinus, Parisiensis, Orationes omnes Demosthenis, una cum Libanii argumentis, & Ulpiani Commentariis, ante Wolffium transtulisse a Mich. Neandro perhibeatur, ab eodem tamen illas, immatura morte præventus, non edidisse dicitur. Præfat. Erot. L. Gr. p. 231.) primo A. 1545. Tomis 5. in 8. apud Joh. Oporinum: & cum ille doctissimi Wolffii labor eruditorum calculis approbaretur, factum est, ut mox secundum, atque item tertium, ederetur. Tandem vero, è quarta Interpretis recognitione, una cum Æschinis Orationibus, Commentariis Ulpiani, Wolffique notis, prodiit elegantissima Demosthenis Editio, Basileæ apud Episcopum A. 1572: cum biennio ante Græcè tantum, cum Commentariis Ulpiani, Paris. 1570. fol. ex Dion. Lambini & Guillh. Morelii recensione prodissent. Francofurti vero A. 1604. apud Marium, Basileensis postrema Editio recusa est. Epistola Demosthenis, in volumine veterum Epistolarum Græcarum, Venetiis 1499. in 4. publicavit Aldus.

- 9 Amicus Demosthenis & æqualis, HYPERIDES Atheniensis, nec segnior patriæ libertatis, quanquam jam expirantis, promachus (pro qua & mortem opperit, ab Antipatro, lingua præcisâ, interemptus) *Orationes 52.* genuinas reliquerat, Photii tempore adhuc superstites: e quibus tamen hodie nonnisi paucissimæ supersunt, & eæ quidem sub falsis nominibus, Æschinis, nempe cui Deliacus male vulgo tribuitur, & Demosthenis, cujus Oratio de conventis cum Alexandro, Libanio judice, Hyperidi potius adscribenda est. Tanta autem fuit eloquentia Hyperidis, ut, Longino sententiam ferente, plures etiam virtutes, sed non tanti momenti, possederit, quam Demosthenes, cujus alias strenuus imitator erat: &, referente Photio Cod. 266. dubitatum ab aliquibus sit, uter ex duobus alteri præferendus esset; cum non deessent, qui pro Hyperide sententiam ferrent: quem etiam, si venustatem spectes orationis, dulcissimamque animos blanditiis penetrandi vim, Demosthene superiorem, ipse Longinus non diffitetur: cujus caput 34. hic omnino conferri meret. Mirum vero est, quod, cum Hermogenes Hyperidem carpat, ob non servatum, ut decebat, τὸ καθαρόν καὶ ἡθικόν, *tersum ac moratum genus*: Longinus contra in eodem laudet, quod τὸ τε ἡθικὸν ἔχει μετὰ γλυκύτητος ἡδὺ, λιγῶν ἐφιδυνόμενον, *in morata oratione suavitatem obtineat, eximia quadam dulcedine, absque satietatis & fastidii periculo, leniter imbutam.* Estque hic præferendus Hermogeni Longinus. Porphyrius, apud Eusebium Præpar. Evang. lib. X. c. 3. Hyperidem plagii reum agit, & ex

& ex Demosthene transtulisse in suas Orationes, sed parum feliciter, aliqua suspicatur: quod nos quidem dubitum arbitramur. Quidni enim in easdem cogitationes forte devenire potuisset uterque, absque ullius furti crimine. Facile autem intelligitur, dum, nonnisi inter Demosthenis Æschinisque orationes Hyperidianas legi, dictum est, nec aliam quoque peculiarem earundem Editionem prodiisse.

Superfunt adhuc e decem Oratoribus recensendi DINARCHUS & LY- 10
CURGUS, quorum ille Corinthius Athenis causas egit, non tam ipse in foro suas orationes recitans, quam aliis recitandas tradens. Obiit, juxta Suidam, post Antipatri mortem, a quo præfectus Peloponneso fuerat, insidiis Polysperchontis interemptus. Photius vero cod. 267. post Antipatri mortem illum Athenis, & actitasse causas, & felicissimam in civitate vitam transgisse, scribit, amicumque factum Cassandro: cumque ob id ipsum suis suspectus redderetur, Chalcidem abiisse, & transacto ibi quindecennio rediisse Athenas, ibidemque senem admodum, post bonorum suorum magnæ partis jacturam, decessisse. Ut adeo non audiendus hic Suidas sit. In Orationibus suis Dinarchum aliquando Hyperidem, sed sæpius Demosthenem, esse imitatum, idem Photius refert, a quo & incitatum ad affectus commovendos, vehemensque dicendi genus, rum schematum quoque typum & varietatem imitando addiscere annisum ait: non semper tamen eadem felicitate, sed haud raro præter rem turpidus: quapropter & observante Hermogene *περὶ ἰδεῶν*, a nonnullis *κεῖνος Δημοθένης*, *Demosthenes hordeaceus*, falsè appellatus est. Porphyrius, loco paulo antea allegato, Dinarchum in Oratione I. contra Cleomedontem, multa e Demosthenis Or. adv. Canonem totidem verbis descripsisse, notat. Ceterum, e 64. ejus Orationibus genuinis (quibus spurix connumeratæ numerum 160. Suida referente, confecerant,) nonnisi tres hodie superfunt Græcæ ab Aldo Stephanoque editæ. Græcæ & Latine Hanovix in 8. 1619. ubi & Lysias, & Antiphon, & Isæus, ceterique, quos recensuimus, exceptis Demosthene & Isocrate, duobus tomis in lucem editi sunt: præmissis quoque eorundem Vitis e Philostrato, nisi fallor.

LYCURGUS Atheniensis in maximis dignitatibus, (quippe qui per annos 15. 11
ærarum præfectus erat aliisque rebus bello & pace summis admotus est, maximisque opibus, tanta tamen morum innocentia vixit, ut jam morti vicinus se in fanum matris Deum, atque in curiam, deferri juberet, quo ibi, si quis esset actæ hætenus vitæ accusator, pœnas criminum, si convinceretur, daret adhuc; nemine tamen, nisi Menechmo impudentissimo calumniatorum, culpæ in eo quicquam auso; prout Photius atque Suidas referunt. Orator erat haudquaquam extemporaneus, sed qui longa meditatione, curisque longis, opus haberet, ingenio quippe natura tardiore, sed quod ferrea laboris assiduitate correxit. Hinc factum arbitror, ut urbanus nunquam aut suavis sit, sed ferius semper, ubique fusus, elatus, gravis, imo gravitatis propemodum exemplar, & *χρηὴ ζῆλὲν μάλιτα τοῖς δεινώσεις*, ut Dionysius Halicarnassensis loquitur. Ejus Orationes, ab Aldo Stephanoque editæ, a Cantero in Latinum Idioma transfusæ sunt.

- 12 Quemadmodum vero vivida illa fori eloquentia, atque igneus ad populum perorandi vigor vix in alia nisi in libera republica, locum invenit: dum sub principibus virtus ista mollescit veluti, & e concitato vehementique dicendi genere remissius placidiusque; e gravi, masculo sublimique blandum, & quod placere magis, quam movere, studet, evadit: ita sane apud Græcos idem, post feralem Græcæ liberratis everisionem, accidisse, restis omni exceptione major Cicero nobis est: qui, lib. II. de Oratore post recensitos Isocratem, ejusque discipulos, in dicendo principes, post nominatos Demosthenem, Hyperidem, Lycurgum, Æschinam, Dinarchum, illustres causarum patronos: *Hi, inquit, alique complures, etsi inter se parës non fuerunt, tamen sunt omnes in eodem veritatis imitanda genere versati. Quorum, quamdiu mansit imitatio, tandiu genus illud dicendi studiumque vixit. Postquam, extinctis his, omnis eorum memoria sensim obscurata est, & evanuit, alia quedam dicendi molliora ac remissiora genera viguerunt. Inde Demochares, quem ajunt sororis filium fuisse Demosthenis: tum Phalerus ille Demetrius, omnium istorum mea sententia politissimus, alique eorum similes extiterunt.* Autor Dialogi de causis corruptæ eloquentiæ, quem aliqui Tacitum, nonnulli Quintilianum, alii Julium Gallionem, putant, idem sane in Romanis quoque Oratoribus obvenisse monet: scilicet, ut antiquus ille vividus dicendi character, ille impetus justaque in dicendo maturitas, quæ in Ciceronis, Grachi, Crassi, aliorumque, Orationibus deprehenduntur, successu temporis in calamitros nescio quos, & præposteros rinitus defleceret; quales in Mæcenatis Gallionisque scriptis occurrant: quibus quidem tantopere Anonymus iste indignatur, ut dicat, *malle se Oratorem vel hirtâ toga induere, quam fucatis & meretricis vestibus insignire.* Neque enim (ita pergit rationem reddens) oratorius iste, imo hercule ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum Auctores ita utuntur, ut lascivia verborum, & levitate sententiarum, & licentia compositionum, histrionales modos expriment: quodque vix auditu fas esse debeat, laudis, & gloriæ, & ingenii loco plerique jactant, cantari saltarique commentationes suas. Hæc ille: qui, inter ceteras corruptionis tam fœdæ causas recte etiam Reipublicæ Democraticæ in Monarchiam mutationem recenset, Oratoribus nempe mirum quantum adversam. Nimirum longe plura a populo obtinebant Oratores, quam a Monarchis unquam expectare poterant: cum scilicet mixtis omnibus, & moderatore uno carentibus, tantum quisque Orator saperet, quantum erranti populo, persuaderi poterat. *Et quanto quis plus poterat dicendo, tanto facilius honores assequeretur, tanto magis in ipsis honoribus collegas suos anteibat. Hos ituri in provincias magistratus reverebantur, hos reversi colebant, hos & pretura & consulatus vocare ultro videbantur: hi neque privati quidem sine potestate erant, cum & populum & senatum consilio & potestate regerent: quin imo sibi ipsi persuaserant, neminem sine eloquentia aut assequi posse in civitate, aut tueri conspicuum & eminentem locum &c.* Hi tot similesque complures stimuli cum in monarchia penitus cessent, mirum non est, si remiserit etiam dicendi vis.

- 13 Atque adeo, ut ad Græcos nunc revertamur, magna fuit Athenis, post nobilissimam illam Decadem, Oratorum penuria: cum præsertim id semper maximo studio

studio agerent Græciæ ex Antipatri & Antigoni stirpe Reges, ne quis Orator aliqujus nominis Athenis esset, quem isti hostem, libertas vero adfertorem, experirentur. Præterea tot intestina bella, quibus Græcia universa ambitione Regum, se mutuo atterentium, ad internecionem fere quassata est, ingenuis artibus nuncium ad tempus miserunt. Non tamen defuere unquam, qui dicendi artem excolerent inter Græcos; & qui Latinos, Roma ad se proficiscentes, instruerent: quorum, etsi a decem illis maximo intervallo sejunctorum, ductu ad id culmen Latina pervenit Eloquentia, ut victis longe Græcis inferioribus magistris suis, cum supremis etiam de palma decertare auderet. Sed de Latinis quidem, qui ad nostram pervenerunt ætatem, abunde supra. De Græcis, qui, ab illo Regum, Antigoni posterorum, tempore, usque ad Imperatores Romanos viguerunt, nil propemodum, nisi nomina & Elogia, supersunt: de quibus Vossius.

Inter eos autem Recentioris ævi Sophistas (Græcos namque ad hos nunc 14
 progrediemur,) qui sub Imperatoribus aliquod sibi nomen pepererunt, & ætate
 eminent, & dignitate, DIO PRUSÆENSIS, CHRYSOSTOMUS ab insigni facundia
 cognominatus. Hic sub Domitiano Imp. clarus Sophista, mox Philosophus, &
 Philosophorum Apollonii Thyanæi, Euphratisque Tyrii, auditor & familiaris,
 cum a Principe Philosophos undiquaque pelli audiret, sponte ad Getas exularum
 abiit. Inde reversus post Domitiani mortem, Trajano tam carus fuit, ut aurato
 suo receptum vehiculo assidere sibi a latere pateretur Princeps Dionem. Multis
 vero erroribus doctorum Virorum ansam Autor iste præbuit: dum nonnulli cum
 Dione Cassio illum confundunt, (cujus tamen proavus maternus erat), quod a Raph.
 Volaterrano & Antonio Bonfinio esse factum annotat in Bibliotheca fol. 238. b.
 Gesnerus. Notandum tamen, cum Gesnerus Bonfinium, *Getica* Dioni Prusæensi
 tribuentem, castigat, eaque ex Suidæ auctoritate potius Dioni Cassio tribuenda
 existimat; falli & Suidam ipsummet, & Gesnerum cum illo, Vossiumque de Hi-
 stor. Gr. p. 238. aliosque Suidæ affeclas: siquidem Philostratus in Dionis Prus.
 vita diserte hunc *Getica* post exilium scripsisse testatur. Ceterum alii Prusæum a
 Chrystomo Dione distinguunt, quod in Catalogo Bibliothecæ Bodlejanæ sit:
 demum alii, in recensendis ejus Editionibus, non satis accurate versantur: nam, in
 Catalogis Bodlejanæ & Thuanæo, refertur quædam Editio Dionis Græca Aldina
 in 8. cujus tamen annus neutrobique appositus cernitur. At enimvero, cum Ges-
 nerus, in Bibliotheca, Dionis orationes, ut ineditas, ex Diegi Hurrardi de Mendo-
 za, aliaque itidem Itala Bibliothecis recenset; qui tamen Aldinas Auctorum Edi-
 tiones & noverat accurate, (quippe Catalogum librorum, in Aldi officina impresso-
 rum, suis Pandectis inferens,) nec unquam omittere consuevit; non dubito, quin
 Aldinæ loco reponenda in Catalogis illis Venera alia sit, Anno 1551. apud Feder.
 Turrifanum, Andreæ, qui focer Aldi fuerat, filium, in 8. excusa, quam Simlerus
 recenset: & quam ab Aldo ipsomet editam forte inspectus obiter Delphinus, an-
 choræ circumplexus, persuasit, qui & alias Viris doctis imposuit. Proxima post
 Venetam Parisiensis est Græca Dionis Prusæensis Editio, apud Andr. Wechelum
 An. 1554. in 4. excusa. Hanc anno uno infecuta Latina Basileensis, ex interpreta-

tione Thomæ Nageorgii, apud Oporinum impressa An. 1555. in fol. & Veneriis alia ab Hieron. Zenaro sive apparatus, sive emendata, A. 1585. ubi & Græca quædam Editio Dionis in 4. 1567. prodiit. Demum nitidissimam Dionis Editionem Græcam & Latinam, e versione Nageorgii, revisa a se, una cum H. Casauboni ad Dionis Orationes diatriba doctissima, præfixisque Excerptis Photii, Vita Dionis e Philostrato, & Synesii Censura, adornavit Paris. An. 1604. fol. apud Claudium Morellum Federicus Morellus, qui textum ipsummet e Regiis aliisque Codicibus MSS. emendavit, suaque insuper scholia, animadversiones & Conjectanea adjecit. Idem speciminis loco anno 1598. Orationem Dionis unam de lege Græcæ & Latine ediderat in 8. Sunt vero & aliæ ejus Orationes separatim excusæ: v. g. de Ilio a Græcis non capto (id enim Dio audaci oratione, adversus omnem totius antiquitatis consensum, defendere aggressus est) Gr. & Lat. cum Scholiis Laur. Rhodomanii, ap. Wechelianos hæredes Hanov. 1604. in 8. quæ & sæpius alibi recusa est: de Homero Oratio Græcæ Paris. 1566. & Latine Basil. 1544. in 8. Orationes quatuor de servis, servitute & libertate Paris. 1555. in 4. Græc. Oratio de non temere credendo, Latine per Joach. Camerarium Norib. 1531. in 8. de regno Orationes 4. (sive, ut Interpretis vocavit, libri: cui etiam accedit Casauboni Diatriba in Dion. c. 2. qui inepte Orationes vocari putat, quas ipse Auctor *διερρηδὸς φιλοσόφος* appeller,) Latine ab Andr. Mylio conversi Rostochii 1578. in 4. & aliæ forsân adhuc plures. Ceterum eo cariora doctis Opera hujus Dionis sunt, quæ magis non solum styli & orationis nitore, pro iis sane temporibus prorsus eximio, sed & rerum inibi contentarum momentis, eminent: non minus sapientem reddere lectorem apta, quam probum.

15 Dionis σύγγραφος erat sub Trajano POLEMO Laodicensis, quanquam & sub Hadriano adhuc vixerit: Sophista Smyrnensis, qui 56. annorum senex, morbo articulari confectus, ipse se vivum adhuc sepulchro ingressit. Orationes ejus aliquot, sive Declamationes potius (non alii enim nisi scholarum usui inserviebant istæ Sophistarum *μελέται*), junctas cum Himerii Declamationibus, edidit Græcæ Henr. Stephanus An. 1567. in 4to, alias vero duas, cum Latina interpretatione & notis, An. 1637. in 8. Pet. Possinus. Hujus loci non est ejus *Physiognomicon*, quod Romæ primum Græcæ a Camillo Perusco An. 1545. in 4. & Veneriis Latine 1552. in lucem prodiit. Æqualis Polemoni, vel, ut alii referunt, auditor erat HERODES Atticus, Sophistarum longe celeberrimus, & qui sui, dum viveret, nominis fama omnes facile anteibat, magnitudine sensuum, & sententiarum sublimitate, conspicuus. Superest una solum ejus Oratio de Republica, Græcæ ab Aldo, Stephanoque, Latine a Guilh. Cantero, Græcæ & Latine apud Wechelianos, Hanovix edita.

16 Utriusque horum, & Polemonis, & Herodis, discipulus, suis magistris non minor, ÆLIUS ARISTIDES, sub Anronino Pio, & Marco, vixit, Adrianopoli Mæsiæ oriundus, sed Sophista Smyrnæus. Hujus Orationum neque finem, nec numerum esse, refert Suidas, & identidem novas denuo reperiri ait. Verum, nihil numerus earundem præstantiæ derogavit, neque impedire potuit, quo minus amplissima ex iisdem Excerpta Photius suæ Bibliothecæ insereret *cod. 246. 247. & 248. Vixit*

• Ari-

Aristidis, inter Sophistarum Vitæ scripsit Philostratus. Eunapius, in Vita Libanii, eum *ῥήτορα* vocat. *Orationes* illius duas de laudibus Athenarum, & urbis Romæ, Aldus Collectioni suæ XII. Rhetorum inseruit A. 1513. postmodum Aristidis *Orationes* 56. Græce Florentiæ A. 1517. in fol. prodierunt. Latine illas reddidit Guillh. Canterus, cum cujus versione, & Variis Lectionibus, in duo volumina distributæ prodierunt apud Paulum Stephanum, Genevæ A. 1604. cum separatim Versio Canteri Basileæ A. 1566. apud Pet. Pernam, esset impressa. Neque vero solum *Orationibus* de eloquentiæ studio bene mereri voluit Aristides, sed & Rhetoricis libellis aliquibus de civili, & de simplici oratione, quos Aldus An. 1508. publici juris fecit. Apologia pro Rhetorica arte contra Platonem tribus *Orationibus* absolvitur, & quarta Periclem, Miltiadem, Themistoclem & Cimonem, quatuor Viros, quod non adulatores fuerint, sed Oratores, defendit: Aristidis *Orationes*, cum scholiis Græcis, Romæ extare refert in Bibliotheca Simlerus, & illa scholia esse Sopatri conjectat, illius nempe, cujus præfatio in libros de Rhetorica, & de quatuor Oratoribus, in Florentina editione conspicitur. Refert quoque, Physicam Aristidis Romæ latere, cum prolegomenis cujusdam de vita ipsius, & arte dicendi. Artem vero illam Aristidis in dicendis, quæ præmeditatus fuerat, plane admirandam esse Vossius judicat, de Nat. Rhetor. c. 12. p. 87. Addit etiam eum ad subitam dictionem minus idoneum fuisse: quod ipse, ut excusaret, ajebat, non esse se ex eorum numero, qui vomerent, sed qui cum cura dicerent. Cujus dicti Eunapius in vita Proæresii meminit. Ceterum Jac. Gaddius perpetuum vitium in Aristidis orationibus parenthysum notasse vult; i. e. ineptam Affectuum concitationem, ubi tragœdia in nugis agitur, & in rebus parvis magnæ ad accendendum faces adhibentur, adeoque, ubi mediocribus opus est, modus omnis exceditur: de Scriptor. Non-Eccles. pag. 51. quam recte, hic non inquirō: sane non perpetuum arbitror.

Post Aristidem claruerunt eloquentiæ laude LONGINUS, Zenobiæ dicendi 17 magister, & a scribendis Græcis Epistolis: de quo *capite præced.* actum, ut & de HERMOGENE, Aristidis cœvo. PROÆRESIUS, quarti post C. N. seculi Sophista, sub Juliano Imp. ad summum absque dubio apicem famæ, sua sibi facundia partæ, pervenit, aliquando pro Deo habitus: & quem, jam ante Julianum, etiam Constantinus magnis honoribus affecit. Sed, quia nihil ex ejus *μελέταις*, s. Declamationibus, quas ediderat, ad nos pervenit, malumus ad Eunapium lectorem remittere, facundissimum ejus vitæ Histicum & Panegyristam, quam nimis pauca de illo dicere.

Posset vero, nisi augusta dignitas illum sublimiori in gradu collocasset, Sophistis 18 annumerari, ipse etiam JULIANUS IMP. quo nimirum nemo magis Sophistas sui temporis coluit, nemo avidius est imitatus, nemo familiarius cum iisdem vixit. Extant profecto adhuc ejus *Orationes* aliquot, & *Epistolæ* complures, non a Scribis, ut mos alias Principum rarorum est, aliena manu, sed ab ipso met compositæ, & ad omnem, pro illorum temporum genio, elegantiam factæ. Accedunt *Cæsares* & *Misopogon*, Saryræ duæ, prior in Imperatores, qui præcesserant, altera in Antiochenes, æque ad

ad ingenium ostentandum scriptae. Ediderunt Juliani Opera conjunctim primi Petrus Martinus, Carolus Cantoclarus & Theod. Marcilius Parisi 1583. in 8. una cum Variis Lectionibus notisque & Latina interpretatione librorum aliquot: sed liber *περὶ Κοσμιλέως*, ut & *Hymnus in Solem* Latine redditi sunt, quamvis de posteriori id affirmant aliqui, & Marcilio versionem tribuant, in quo tamen falluntur. Ceterum Cantoclaro Versionem non magni aestimat Vossius de Histor. Graec. lib. II. p. 200. sed illi aliam Petri Cunaei, etsi tum admodum adolescentis, Versionem, ut haud paulo felicior, praefert *b*). Auctiora dedit opera Juliani, Dionysius Peravius, addita Latina Versione sua & notis, Parisi 1630. in 4. postquam ante sedecim annos tres ejusdem Orationes Panegyricas, e MSS. Regiae Bibliothecae primum erutas, separatim An. 1614. cum Latina Versione notisque suis, Flexiae edidisset, quod ipsum Colomesio, ut videtur, imposuit, ut quaedam tantummodo Juliani a Peravio edita putaret, Gall. Orient. p. 218. Tandem & nuper Vir illustris, Ezechiel Spanhemius, Julianum emendatum denuo a se, & lacunis aliquam multis supplementum, illustratumque notis, edidit Lipsiae 1696. in fol. ita, ut ampliores adhuc Commentarii Tomo secundo expectentur. Ceterum priusquam Opera Juliani a Viris doctis colligerentur, separatim aliqua illius identidem in lucem emissã sunt: Epistolas primus aliquot publicavit Aldus, in Collectione Epistolar. Graec. 1499. in 4. Misopogona, cum Epistolis, Andr. Wechelus Francofurti 1565. in 8. De Caesaribus illud observandum, eos, prout Vossius annotat de Histor. Graec. lib. II. c. 18. p. 250. in veteribus libris *Κερίνας*, i. e. *Saturnalia* & *Symposium*, inscribi: male; ut arbitror, cum e Suida constet, aliud plane a Caesaribus scriptum Juliani, *Κερίνας* fuisse. Inter ea tamen, sub *Symposii* titulo librum prodiisse Basilicae, a Bonav. Vulcanio Latine versum, refert in Bibliotheca Gesneriana Simlerus: quem non recte inspexere, qui ex ejus testimonio perhibent, Misopogonem a Vulcanio esse versum & Basileae editum. Idem Simlerus, in Strozzae Bibliotheca duo Juliani in Solem Encomia servari refert: cum impressus nonnisi unicus hymnus extet.

- 19 Inter Sophistas eos, quibuscum Julianus Imp. familiare commercium Epistolicum coluit, & quos praecipue honoravit, haudquaquam postremus est LIBANIUS, patria Antiochenus, qui Rhetoricam artem (quam e veterum lectione suo imprimis ductu didicerat) Constantinopoli, tunc haud adeo pridem dedicatae, Nicomediae, & in patria sua, professus, magnoque auditorum concursu ubivis inclutus, a Juliano Imp. Quaestor factus est: a quo & referente Socrate Hist. Eccl. L. II. c. 1. juvene adhuc Nicomediae clam erat in Eloquentiae magistrum electus. Est vero a securis quoque Imperatoribus honoratus, adeo, ut Theodosius illum Praetorio Praefectum crearet: in qua etiam dignitate senex admodum decessit. Si quis illum ex discipulis judicet, Basilio atque Chry-

b) Pet. Cunaei Versio Caesarum Juliani Imp. Latina, & praefixa huic Praefatio pro Juliano Apologetica, una cum Cunaei ipsius *Sardis Venalibus* sive *Satyra in hujus Seculi homines plerosque inepte eruditos Menippea*, Nicolai item Rigaltii *Funere Parasitico*, & Juiti Lipsii *Satyra Menippea*, Lugduni Batavorum saepius prodierunt. Quinta Editio, quae ad manum jam est, illic A. 1620. in 12. est excusa.

sofomo, hæc is magnum Oratorem illum putabit. Et tamen Orationes Libanii, quarum magna satis copia hodieque superest, plane non eas esse, quas a tanto ingenio magistroque dicendi aliquis expectet, sed asperas, salebroso dicendi genere multaque obscuritate implicatas, omnes uno ore fatentur. Eunapius adeo abjecte de illis sentit, ut dictionem plane mortuam judicer, succo & sanguine, omnique adeo vita destitutam, & cui vulgaria quoque desint, quæ alias vix pueris ignorentur: causam inde arcessit, quod destitutus magistro Libanius suo unius ductu omnia perfecèrit. Verum hic nimis severe judicasse Eunapium Libanio non usque adeo æquum, dubitari non potest. Sit enim in Orationibus ille salebrofus, sit obscurus, non tamèn adeo elumbis est, nec pueriliter ignarus. Et qui posset, qui in epistolis, ne ipso quidem id Eunapio dissentiente, mire comptus antiquisque sua puritate & elegantia, insperfoque identidem sale comico, comparandus est? Quanto rectius igitur de illo Phorius censet; nulla alia re sibi magis obfuisse Libanium, innatasque suæ dictioni gratias, & quæ vel in ipsa se festinatione sponte oggerant, venustates corrupisse, ut in obscuritatem degenerarent: quam nimia diligentia, & præpostera rerum, quæ rectius negligi debebant, cura: cum de cetero vere Canon & regula sermonis Attici sit. Observat præterea, longe illum seipso præstare in gymnasticis declamationibus de objecto ficto scriptis, quam in Orationibus argumenti veri; quod ibi scilicet supersticiosas inanesque curas omiserit: quarum in his nimia copia. • Audiamus ipsum. Έτος δὲ, inquit *Cod. 90. ἐν τοῖς πλασματικαῖς αὐτῶ γυμναστικαῖς λόγοις μᾶλλον ἐστίν, ἢ ἐν τοῖς ἄλλοις αὐτῶς. εἰ αὐτῶ χρησιμότερος. τῇ γὰρ παλλῇ περὶ τὰς ἄλλας φιλοπονία τε καὶ περιεργία τὴν τε ἔμφυτον τῶ λόγον, καὶ αὐτοχέδιον, ὡς ἂν τις εἴποι, χάριν ἐλυμήνατο καὶ τέρεψιν, καὶ εἰς τὸ ἀσαφέστερον περιέτρεψε. πολλὰ μὲν ἐπισκοτιζῶν παρενθήκαις, ἐνια δὲ ἀφαιρέσει καὶ τῶ ἀναγκαῖς, τὰ δ' ἄλλα ἐν τῶτοις κανῶν ἐστὶ καὶ σαδμη λόγον Ἀττικῶ ἐστὶ δὲ δοκιμὸς καὶ ταῖς ἐπιστολαῖς.* Nihil poterat mehercule magis sanum dici. Eruditionem Libanii, quæ in Orationibus se ostendat, ipse etiam extollit Eunapius: & inprimis laudat veneres styli, comicasque urbanitates & lenocinia, quæ τὸ κατὰ φύραν τερεπνὸν καὶ γοητεύον τὴν αἰκοήν vocat, gratam sensibus suavitatem, atque aurium quandam veluti incantationem, (non illam a limine suavitatem, uti nullo sensu Hadr. Junius transfert,) & cui, velut præcipuo eruditionis capiti, Libanium insudasse perhibet. Pro Christiano Libanium Amphilo- chius haberi vult, eum scilicet conversum & baptismum anxie a Basilio, suo discipulo, flagitantem, ferens, quum Julianum in Persia cæsum cognovisset. Verum, uti hoc ab Amphilochio eam solum ob rationem confictum videtur, ne forsân Marfilio, in cuius Virâ fabulam illam narrat, detrahere aliquid de famæ magnitudine videretur: ita longe aliter se rem habere, & Libanium potius omnem cæsi Juliani invidiam in ipsomet milites Christianos quos in exercitu habuit, conjicere, ultionemque peculiari Oratione a Joviano Imp. flagitare, Langbænius observavit in Not. ad Longinum, æque ridicule Christianis ab aliquibus accensitum, περὶ ὕψους Sect. 9. Libanii Opera, uti longe plurima sunt, ita per partes variis Editionibus prodierunt; sed non ita tamen, quin ineditorum hic illic magna satis adhuc copia sit. Ut jam taceam Epistolas illas, quas, cum Epistolis compluribus Græ-

cis, Aldus publicavit & 1499. Declamationes Libanii 39. editæ sunt Græcæ Ferrariæ 1517. in 4. quæ Editio longe rarissima est: ut e Gallicis a Scaligerum Epistolis, quas Jac. Revius edidit, pag. 165. patet: scribit enim ibi Christoph. Puteanus ad Scaligerum, nonnisi unicum in integra Parisiorum urbe exemplar repertum fuisse. Postea Desid. Erasmus aliquot Libanii Oratidnes, cum Latina versione sua, edidit Basileæ in 4to 1522. Argumenta in Oratidnes Demosthenis cum hujus operibus prodierunt. Epistolæ 12. ad Basilium M. inter opera Basilij: Aliæ ejusdem Epistolæ Latinitate donatæ per Franc. Zambicarium, Bononiensem, & emendatæ per Joh. Sommerfelt, cum argumentis, prodierunt Cracoviæ 1504. in 4. prout Gesnerus in Bibliotheca fidem facit. Sed cum idem refert, plurimas Libanii Declamationes jam olim satis crasso Volumine Romæ typis impressas, valde vereor, ne Ferrariensem editiones dicere voluerit, & memoriæ lapsu pro hac dixerit Romanam. Sed nemo magis, in Libanio e tenebris partim eruendo, partim vertendo, illustrando, emendandoque laboravit, quam Federicus Morellus, quippe qui non solum, in editis Libanii singulis Orationibus, an. 1601. 1602, & 1605. suam diligentiam demonstravit; sed & omnia collegit illius Opera, Orationes, Declamationes, Prælia Oratoria, Dissertationes, Epistolas, ediditque typis splendidis Paris. A. 1605. in fol. Tomum primum; alterum vero ibidem 1627. postquam intermediis annis 1610. 12. 13. 14. plurima itidem, aut singula, aut parvis collectionibus inclusa, Libanii edidisset. Quanto autem ardore Morellus traducendo in Latinum suo Libanio insudarit, sufficienter docere poterit Historiola, seu fabella, quam ex If. Vossii ore Colomesius recenset in particularibus p. 99. seq. ubi, neque morbum feralem suæ Conjugis, nec Agonem, neque denique mortem ipsam crebris nuntiis unum post aliud allata, abstrahi se a traductione Libanii passus fertur avidissimus translator. Et tamen invita plane Minerva, Musisque renitentibus, illam Versionem esse a Morello structam, non potest dubitare, quisquis evolverit: adeo ne Latinis quidem sæpe sensus est: quæ scribi ab illo potuisse longe magis adhuc miratur, qui eadem Græcis applicat, viderque toto sæpissime cælo aberrare. Jamdudum est, quod id ipsum monuit Henr. Valesius ad Socratem. Et si locus nunc non succurrit; Ceterum, post Morellianam hanc Operum Libanii Editionem, novos quosdam Sophistæ illius særus, antea ineditos, varii protraxerunt e tenebris Viri docti. Jac Gothofredus ejus Orationes aliquot, partim ad Imperatorum Constitutiones spectantes: partim templa gentilium a communi ruina, cui tum jussu Theodotii M. involvebantur, vindicantem, Græcæ & Latine, cum notis, vulgavit Coloniae Allobr. 1631. & 1644. in 4. Descriptiones, & Progymnasmata Rhetorica, Leo Allatius Romæ 1641. in 8. publicavit. Quatuor Orationes alias, & inter has eam, quæ occisi Juliani ultionem exposcit, hætenus ineditam; aliamque, quam pro seipso scripsit Libanius asperitatis criminatione impetito: (Gr. πρὸς τὸς βασιλεῖς αὐτὸν εἶναι λέγοντας.) itidem typis hætenus non exscriptam: nec non funebrem Orationem Juliano sacratam, quam & corruptissimam, & ingenti lacuna mutilam, edidit Morellus, suæ integritati restitutam, paratas jam typis habet. Vir quidam clarissimus, & propediem, ut speramus, edet, Latina versione & notis doctis

simis illustratas. Addet etiam Epistolas aliquot ineditas Libanianas, sed quarum longe majorem adhuc numerum (trecentas credo) servat secum, aptiori occasione destinatas.

HIMERIUS Sophista, Prussia Bithyniæ oriundus, iisdem cum Libanio temporibus, eidem Imperatori Juliano acceptus fuit, & cum illo vixit: post cujus mortem peregrinationibus sese dedit, & cum extinctum audiret Proæresium, concessit Athenas, ubi & senio, & comitali morbo, consumtus tandem periit. Erat & hic non e multis unus, sed qui in paucis utique dicendi peritia excelluit, iudicibus Eunapio, Photioque. Suidas refert, illum Proæresii æmulum Athenis scholam adversus eundem erexisse; quod etiam ex Eunapio concludi posse videtur, cum quidem Himerium, ad Imperatorem, non ex invidia in Proæresium, sed ut se ostenderet Juliano profectum refert, sed tamen nonnisi post mortem Proæresii Athenas esse reversum addit. Ceterum Orationes Himerii laudat Photius, tum ob sententiarum floriditatem & vim, ad Demosthenis imitationem expressam, tum ob figurarum idearumque, apte cum argumentis commistarum sublime, cui dictio quoque satis pro dignitate respondeat, magno proprietatis, emphaseos & perspicuitatis studio elaborata. Et id ipsum Photium quoque sine dubio permovit, ut cum jam Cod. 165. de Himerio egisset, iterum tamen Cod. 243. ejusdem Declamationes in manus sumeret, prolixissimis Eclogis præclara quæque & eximia ex iisdem excerpens. Quæ supersunt Himerii Declamationes, cum Polemone editæ sunt ab Henr. Stephano Græce A. 1567. in 4.

Supereſt e Græcis adhuc unus, Sophistis temporum horum accensendus, 2
THEMISTIUS, Euphrastes a faciundia dictus, seu, ut Hermol. Barbarus voluit, a perpetua librorum Aristotelis enarratione Euphrastes: dubium, Philosophus major, an Orator: certe qui utroque hoc genere eruditionis tanroperè præ reliquis eminebat, quanto profundius ea erat scrutatus. Floruit & ipse sub Juliano, tum juvenis, & usque ad Theodosium M. vitam magna cum nominis sui gloria protraxit: Christianis etiam ea inprimis re acceptus, quod Valentem Imp. hæresi Ariana imbutum, & acerrimum Orthodoxorum persecutorem, suis ipse, Ethnicus licet, rationibus a sævitia absterruit mitigavitque, prout Socrates L. IV. c. 32. & Sozomenus L. VI. c. 36. testantur. Persuâsus enim erat Themistius, velle Deum variè ab hominibus coli, ut sic ea opinionum de se varietate attentos magis redderet ad reverendam majestatem suam Divinam animos, incomprehensibilem illius essentiam, & sui intellectus infirmitatem cogitantes. Philosophus erat Aristotelicus, atque hinc tantum non omnes Aristotelis libros suis Paraphrasibus illustravit, quorum & bona pars adhuc supereſt Venetiis A. 1534. in fol. Græce, Aldinis, apud Turrisaum, ni fallor, literis excusa: & ex Latina Hermol. Barbari versione Basil. 1553. in 4. Græce, Editioni Veneræ insertæ quoque sunt octo Themistii Orationes: quas Latine vertit postmodum atque separatim edidit Basil. 1559. in 8. Hieron. Donzelinus. Has ipsas Emendationes, & sex novarum accessione auctas, Græce iterum publicavit Henr. Stephanus A. 1562. in 8. Stephanianis 14. duabus auxit, Latine omnes vertit, notas & Conjectanea sua addidit, Dionysius Petavius Flæxiæ 1613. in 8.

Anno sequente 1614. easdem, cum notis suis, edidit Pet. Pantinus Lugd. Bat. in 8. Augustales Themistii orationes, quarum sex sunt, a sophisticis declamationibus junctas, jam A. 1605. Ambergæ in 4. cum notis suis ediderat Georg. Remus. Petavius autem, non contentus XVI. Themistianas edidisse, earundem nova editione dedit XX, Parisiis 1618. in 4. cum animadversionibus & notis. Imo ne sic quidem a conquirendo quievit; sed tanta sedulitate Veteres libros volutavit, ut, inventis novis 13. tandem XXXIII. Orationes Themistii possideret: jamque undecim novas Latine quoque reddiderat, cum eum mors abripit. Ergo successit in labore Gabr. Coffartius, & cum hic itidem fato præventus Orationem postremam sine versione reliquisset, Joh. Harduinus in se onus edendi Themistii suasu Garnerii suscepit: Augustales Orationes juxta ordinem chronologicum, quo sunt scriptæ, digressit; reliquas eo, quo sunt repertæ: Petavianis notis amplissimas suas notas addidit, deditque adeo Themistium omnibus fere numeris absolutum: Paris. 1634. in fol. Memini tamen audivisse me, Harduinum e Petavianis in Themistium animadversionibus insignem aliquam omisisse, in qua Plinii locus quidam forte insigniter restitutus deprehendatur: idque ideo factum ab Harduino dicebant, ut ec tutius latitaret illius plagium, emendationem sibi, in sua editioe Plinii, non sine arrogancia adscribentis. Verum hæc alii curent. Nos de Themistii Elocutione judicium Photii apponemus, qui 36. illius Orationes legerat, ut e Codice 7. Biblioth. constat: ira vero ibi de Themistio: *ἐστὶ δὲ τὴν Φράσιν σαφὴς, καὶ ἀπέρητος καὶ ἀνδρῆς, καὶ λέξει πολιτικαῖς, καὶ εἰς τὸ σεμνὸν τι ἐπικλιθέσσις χροῖμενος: dictione utitur perspicua, quæ superfluis caret, floridaque, tum locutiones adhibet, quales iis qui in foro & judiciis (non in umbra scholarum) versabantur, & quæ gravitatem aliquam præ se ferunt.*

22 Et hæc de Græcis Oratoribus & Sophistis dicta sunt. De Latinis si Ciceronem, M. Senecam, Quintilianum Pliniumque, excipias, de quibus supra, cum de Latinis Autoribus ageretur, actum simul est, nihil nostram ætatem vidit: etsi feracissimum Virorum doctorum Ciceronis ævum quamplurimos disertissimos Viros, ipsiusque Ciceronis æmulos, tulerit: Qu. Hortensium, C. Curionem, C. Licinium Calvum, M. Brutum, M. Cælium, M. Callidium, C. Jul. Cæsarem Dictatorem: ævum Augusteum non pauciores, M. Valer. Messalam Corvinum, C. Asinium Pollionem, M. Porcium Latronem, T. Cassium Severum, T. Labienum, Sext. Jul. Gabinianum, C. Asinium Gallum Pollionis filium, Junium Gallionem, M. Senecæ filium secundo genitum: & alios a seculo quidem aureo Augusteo, quam hi remotiores: de quibus omnibus, ut & iis, qui ætate Ciceronem antebant Serv. Galba, Tib. & Cajo Gracis, C. Carcone, Q. Carulo, &c. more suo diligentissime collectis Veterum testimoniis, agit Vossius de Nat. Rhetor. c. 14. & 15. qui legatur. Barbarorum vero seculorum Oratores, si qui tamen præter Ecclesiasticos extiterunt, nihil moramur; sed omissis iis, ad recentiores Viros Eloquentiæ laude inclutos, & orationum Scriptores progredimur.

C A P. III.

DE

ORATORIBUS RECENTIORIBUS.

- §. 1. *Horum Princeps est M. Ant. Muretus, (de cujus Imposturis quedam adduntur Literariis,) isti autem proximi Ioh. Casa, M. Ant. Majoragius, Aonius Palearius. 2. Sequuntur Tarqu. Galluccius, Dion. Petavius. I. Bapt. Evangelista, Iul. Nigromus, Ianus Passcratius, Oët. Ferrarius, Pet. Ioh. Perpinianus, Vinc. Guimisius, Bonav. Baronius, Franc. Vavassor, Bernh. Stephonius, Iul. Cas. Scaliger, Itali plerique aut Galli. 3. Germanici ac Danici Oratores, Phil. Melanchthon, Ad. Theod. Siberus, Ioh. Caselius, Aug. Buchnerus, Matth. Berneggerus, I. Freinshemius, Ioh. Henr. Bœclerus, Mich. Virdungus, Mich. Piccartus, Thom. Lansus, I. Balth. Schuppius, Iac. Masenius, Thom. Bartholinus, Chr. Schraderus. 4. Belgæ, Dan. Heinsius, Petr. Cunæus, Casp. Barleus, M. Z. Boxhornius, Dom. Baudius, Iustus Lipsius, Eryc. Putéanus, Ant. Æmiliius, Mart. Schookius. Nicol. Nancelius, Jac. Crucius, Rein. Neuhusius, Hier. Donatus, Pet. & Ioh. Vinc. Gravina, Ant. Malagonellius, aliique e variis Gentibus Recentiores. (De singulorum, hætenus recentiorum stylo, aliisque dotibus aut vitiis, iudicia ab Autore proponuntur, tum propria, tum interdum etiam aliena.) 6. Panegyricorum Recentiorum Collectio Hanoviensis. Iudicium de Er. Roterodami, Ioh. Wouwerii utriusque, & Val. Thilonis, Panegyricis. Index Panegyricorum aliquot Recentiorum, sparsim editorum, & ut junctim reculantur, dignorum. 7. Thesaurus Orationum Panegyricarum Gallicarum, An. 1665. editus. Italici, Eman. Thesauri, Aug. Mascardi & Ioh. Bapt. Mancini. 8. De Dictione Modernorum in Inscriptionibus, aliisque Orationibus, Argutiarum plus justo studiosa, Variæ Eruditorum Censuræ, Exemplis κωκυλλοεισ istius nonnullis illustratæ. 9. De Dictione Ludicra, quam Galli Burlesque vocant, a Franc. Vavassore impugnata, iudicium. 10. Inscriptionum origo a Iac. Gaddio, conjectura dubia, a Græcis derivatur. Eman. Thesauri Comm. de Eloquentia illarum arguta Didascalicus. Inter Scriptores earum eminet idem Thesaurus, de cujus Plagiariis, Nic. Avancino & Ioh. Bapt. a Cruyce, quedam adduntur. 11. Ceteri earundem Artifices, Aloysius Iuglaris, Laur. Pignorius, Oëtav. Ferrarius, Alb. ab Ines, Lamb. Villafanus (aliorum Plagiarius,) Oëtav. Boldonius, Franc. Pona, Hier. Boncompagnus, Pët. Labbe, Leo Matina, & de singulis iudicia. 12. Iac. Masenii & Christ. Weiffii de Inscriptionibus argutis Libelli. 13. Inscriptiones I. Bapt. Masculli, Laur. le Brun, I. Ant. Petramellarii, & aliorum, deque iis iudicia.*

Ut superius seculum multos genuit fama Eloquentiæ suo merito insignes, & quos ipsismet Veteribus aliquando æquiparari potuisse dubium non est: ita palmam omnibus præripit, sibi adeo deposcit, M. ANTON. MURETUS

Orator exquisitissimus, de quo jam aliquoties, a nobis variis occasionibus dictum est. Inter alia recensuimus alicubi *Lib. VI. scil. Polyhist. Literar. c. XI. §. 3.* faceram illius imposturam, qua Scaligero versiculos aliquot, a se factos, pro Veteribus obtrusit: & cujus Erythræus in Pinacotheca, Colomesius in Particularibus aliique mentionem fecerunt. Addimus nunc aliam plane similem; qua, ut emendationem quandam suam Catulli eo felicius tueretur, versum sub Pacuvii nomine allegat, quem tamen ipse modo confinxerat, & qui nullibi alias reperitur: observante ad Catullum H. Vossio p. 46. qui addit: *Mirum, fraudem hanc non detectam fuisse, a Scaligero, cui merito suspectæ esse debuerant merces sub quocunque demum titulo tam dolosa produnt officina; utpote qui adulterinis hujus viri versibus deceptum se fuisse optime nosset. Sed profecto tanti apud Scaligerum ponderis fuit Mureti facundia, ut bis quoque ab eo passus sit se decipi.* Sed, ut ad *Orationes* Mureti nunc regrediamur, certe, seu sermonis numerique spectes eximiam puritatem & artificium, seu miram concinnitatem periodorum, Mureto peritor artifex non est: quam ob rem etiam Jos. Scaligeró in *Excerptis Puteanorum* hoc nomine ceteris prælatus est. Editio Veneta 1583. in 8. & Ingolstadtensis 1600. ceteris haud dubie præstant. JOH. CASÆ *Monumenta Latina* *Orationes* & *Epistolas* comprehendunt, tam nitido stylo scriptas, ut provocare ipsummet Ciceronem possint: adeo omnes perfectæ orationis numeros implet: prodierunt Florentiæ 1567. in 4. Est hic ille Beneventanus Archi-Episcopus, quem de *Sodomie laudibus* librum scripsisse communis fama fert: quæ plurimis Virorum fide dignorum testimoniis, probari posset. Sed novimus defendisse Casam, in suo *Anti-Baillero*, Menagium, variaque conquirere argumenta, quibus illum a tam immani crimine excuset. Interea tamen ipse Menagius non negat, prodiisse omnino lasciva istiusmodi Casæ juvenis Carmina, *Capitolo di Formi* inscripta, e quibus intentatum illi crimen haud difficulter adstruxeris. Sed nos quidem illa tanto vehementius detestamur; quanto se magis alias styli puritas nobis probat. M. ANT. MAJORAGII *Orationes*, conjunctim primo Venetiis 1582. in 4. & inde aliquoties, editæ & recusæ, exquisitæ Latinitatis laude privandæ non sunt. Fuit enim Vir ille nitoris in ista lingua studiosissimus: etiam, cum interpretaretur Aristotelis libros. Lites ejus cum Calcagnino & Nizolio alibi relatæ sunt. Ad restituendam eo felicius Eloquentiam Latinam, morem declamandi in scholis, antiquis temporibus usitarum, reduxit, magnoque cum applausu Mediolanensium, quam, id esset utile institutum, exemplis egregiis puerorum demonstravit. Idem quoque tentaverat aliquando AONIUS PALEARIUS, quo Viro nemo unquam felicius Ciceronem expressit, ut jam tum a nobis monitum est, cum ejus *Epistolas* recenseremus. Sane sunt ejus *Orationes* omnibus numeris absolutæ: ostenditque inprimis, quantum in dicendo valuerit, *Oratio in L. Murænam*, quam Ciceroni contrariam scripsit Palearius; dictione, figuris, argumentis, adeo similem Ciceroni, ut nec ovum ovo possit esse similis. (Novam & nitidissimam *Opera* ejus Editionem nuper apud Batavos Henr. Wetstenius dedit, Amstelod. 1696. in 8., cum præmissa optimi Palearii vitæ atque Mortis Historia).

TARQUINIUS GALLUCCIUS, Jesuita, *Orationes* scripsit, & ob stylum, & ob materias, commendandas; Coloniae 1618. in 8. DIONYSII PETAVII *Orationes* elegantissimae sunt: ut fuit Vir in literatura subactus, quem unum pene inter omnes Jesuitas. aliquo numero habuit Scaliger; forte non habiturus, si tam male se ab illo acceptum iri divinare potuisset. Prodierunt ejus *Orationes* Paris. 1620. in 8., Coloniae sequenti anno recusae. JOH. BAPTISTAE EVANGELISTAE, Piceni, *Orationes* XLIV. magnum in titulo prae se ferunt elogium: dicuntur enim *Latinae locutionis mirificam elegantiam, magnamque argumentorum varietatem accurate & docte dispositam continere*. Venet. 1596. in 4. Enimvero phraseologia in illis *Orationibus* Latina equidem est, sed supra modum coacervata, periodique immanes, quibus transmittendis vix spiritus sufficiat. Utitur quoque JULIUS NIGRONUS, Jesuita, in suis *Orationibus*, Moguntiae 1610. in 8. editis, prolixioribus periodis, quam decet cultam & elaboratam *Orationem*. JANI PASSERATII, qui Parisiis Eloquentiae Professor & Interpres Regius fuerat, *Orationes & Praefationes* varii argumenti, ibidem 1606. in 8. & 1631. editae, eleganter quidem, nec minus argute, scriptae sunt, sed non servant *Orationis* illum tenorem, quem requirit castigata illa Ciceronis Eloquentia, nec tam nitidae, tersae aut numerosae sunt. OCTAVII FERRARII *Profusiones*, ut vocat, Epistolae & formulae, primo Patavii editae, deinde Chemnitii in Germania recusae, sumiter aliquid vernilitatis habent, etsi florido stylo scriptae. Optimus autem in numero PETR. JOH. PERPINIANUS, Hispanus homo, cujus *Orationes*, Monasterii in Westphal. 1602. in 8. & Coloniae 1650. in 12. editae, succi boni & styli sunt, nam & Latine, periodice, scribit. Quapropter & tanti eum Janus Nicius Erythraeus facit, ut, cum in Exteris omnibus, etiam si copiose eleganterque scribentibus, aliquid peregrinitatis deprehendere sibi videatur, nec orationem urbanitatem quadam veluti coloratam; duos tamen, Gallum & Hispanum Oratores, excipiat, Muretum, & nostrum hunc Perpinianum, quorum in orationibus recinere quiddam & resonare adeo urbanum ait, ut in Romana civitate nati, non autem in eam asciti videantur, Pinacoth. III. p. 74. Non contemnendae etiam sunt VINCENTII GUINISII *Allocutiones Gymnasticae*, Antw. 1638. in 8. auctiores editae, postquam A. 1623. in 24. primo prodissent, argumentis rarissimis, & stylo sat bono, commendandae: nisi quod acumina interdum, plus, quam decet, affectant: neque tamen inelegantes sunt, sed in multis etiam salivam movere possunt. Sed BONAVENTURA BARONIUS, ut argutus possit esse, vel barbarissimos interdum admittere non veretur, perpetuus frigidusque tumoris, haud raro puerilis, affectator. Ast FRANCISCI VAVASSORIS *Orationes* omnes complent Latini sermonis numeros: nihil ibi tumoris affectati, nihil frigidi barbarive, sed tersissima omnia, castigatissima, & quae in summo floridissimae elocutionis nitore nativi decoris longe plurimum ostentant: adeo, ut nihil illis nitidius sit. Editae sunt Parisiis 1644. in 8., ob selecta etiam argumenta dignissima, quae ab omnibus legantur. Alium Jesuitam BERNARDINUM STEPHONIUM, Sabinum, claris etiam Oratoribus accensendum, narrat nobis Nicius Erythraeus Pinacoth. I. p. 160., quem non solum plane egregium fuisse Poetam ait, sed & non minorem pra-

præterea Oratorem: profertque inprimis ibi duas orationes Erythraeus, quas qui legerit, meliores non desideraturum spondet: adeo nec verborum copiam, nec sententiarum splendorem, nec eorum pigmentorum, quæ ornant ac distinguunt orationem, quicquam iis deesse, fidem facit: tanto magis eum suo testimonio admittendus, quanto ipse erat artis peritior. JUL. CÆS. SCALIGERI *Orationes*, quæ paucae sunt, & cum Epistolis ejusdem Lugduni Batav. 1600. in 8. alibique in Germania, editæ prodierunt, magnos spiritus habent, ut acre Viri ingenium & vehemens inde etiam facile pernoscas.

- 3 *E Germanis*, qui eloquentiæ laude claruerunt, primum merito nominamus PHILIPPUM MELANCHTHONEM, cujus *Orationes*, in Tomos sex distributæ, sua etiam justa laude privandæ haudquaquam sunt. Candorem quendam & simplicitatem in dictione semper sectatus est Vir ille; atque id consecutus, ut suo tempore *Philippicus stylus* inter elogia audiretur: non assurgit unquam, aut vires vel robur aliquod ostendit, sed ramèn ita tractat argumenta, quæ tractat, ut nihil omittat eorum, quæ ad rei summam pertinent. AD. THEOD. SIBERI, qui Oratoriæ Professor in Academia Wittebergenfi fuit, *Orationes*, elegantes quoque sunt & multam habent argumentorum varietatem, nec destituuntur acumine, judicio & nervis. Editæ sunt Witteb. An. 1617. in 8. Longe vero his præferendæ JOH. CASELII *Orationes*, sparsim editæ, nitidæ, eruditæ, rerum varietate plenæ, cruditis magno in pretio semper, ut reliqua ejus Viri habitæ: ac optandum omnino esset, ut eximia ejusdem scripta junctim aliquando in lucem prodirent; in quibus colligendis laborarunt Henr. Ernstius, Marq. Gudius, alique. Non minore elegantia AUG. BUCHNERI *Orationes* nitent, vere castigatum purissimum, terribilissimumque dicendi genus, quale in Cicerone est, mirumque periodorum artificium, ostendentes. *Dissertationes* ejusdem academicæ concisiores periodos, ad Plinianum genium institutas, amant. MATTHIÆ BERNEGGERI quoque *Orationes*, Argentorati 1640. editæ in 12. ut & *Orationes* JOH. FREINSHEMII, Francof. 1662. impressæ, admodum elegantes sunt, & tum argumento, tum stylo, laudabiles. In JOH. HENR. BOECLERI *Orationibus* magnus est spiritus, grandia & sonantia verba, quibus præ ceteris indulget, exquisita & ex optimis Historicis congesta dictio: editæ sunt Argent. 1650. in 8. MICH. VIRDUNGI *Orationes* & MICH. PICCARTI, Professorum Altdorffinorum, potius ob argumentum, quam ob dictionem, commendandæ sunt, quanquam non usque adeo humi repant, puræ quoque & Latinæ sint. THOM. LANSII *Orationes* nemo Eruditus facile legerit, nisi ob materias, quas tractat. JOH. BALTH. SCHUPPIUS in *Orationibus* suis plagiarius est, in quibus cetera, præter styli barbariem, & joculos quosdam triviales, nihil laude dignum invenias. JAC. MASENIUS in *Exercitationibus Oratoris jocosius* aliquando non inelegans aut ineruditus Sophista est. Nec THOMÆ BARTHOLINI *Orationibus* deest vel acumen vel elegantia, in quibus argutissima & elegantissima de dolio Dicgenis Oratiuncula. In CHRISTOPH. SCHRADERI *Progymnasmatibus & Orationibus* nonnullis stylus ad antiquitatis genium, elegantiam & numerum, optime formatus est.

DANIE

DANIELEM HEINSIUM, ut a Germanis ad Belgas nunc abeamus, non 4.
 ram pro Oratore, quam Sophista haberi voluit Masenius, Sed ipse Sophista merus
 & inepte se nonnunquam jactans in palæstra, cui non semper par erat. Sane
 Heinſius, etſi Ciceronianum in eloquendo characterem non ſeruet, periodorum
 meſura & concinnitate infra illum ſubſiſtens, (ut plerique Batavorum non amant
 circumſcriptum illud dicendi genus, ſed potius libertas familiaris illis perplacet,
 quælis in familiari, vel Epistoſa, vel Sermone, uſu venire ſolet) elegantiffima tamen
 tractat argumenta, ſtylo inprimis comro & eleganti, quanquam non ſemper Cice-
 roniano, ſed qui, ut arbitror, Plinianum quid fere ſapit. Prodierunt aliquoties
 Lugduni Batav. 1612. in 8. 1627. in 8. 1657. in 12. & forſan plures ejus Oratio-
 nes: queis Iſaacus Voſſius, delicatulus cenſor, exprobrat perpetuam relativorum
 pronominum, *qui, quæ, quod*, repetitionem. Joh. Scaliger in Scaligerianis Heinſii
 quandam ſtyli varietatem notat, prout ſcilicet ab Autoris hujus vel illius lectione
 reſceſſerit, dicitque inprimis illum Lipſii, Mureti ac Eraſmi libris captum, atque
 adeo inebriatum velut fuiſſe, ſpretis contemptim reliquis. *Heinſius vient quelquefois
 jure de Lipſius, quelquefois de Muret, quelquefois d'Eraſme; & dit, que les autres ſont des
 aſnes.* Æmulus Heinſii in Acâdemia Lugduno-Batava Profeſſor, PETRUS CU-
 NÆUS, Vir doctiffimus atque diſertiffimus, ipſe quoque *Orationes* publicavit,
 quæ admodum terſæ ſunt ac Latinæ, & quas Aug. Buchnerus dignas judicavit, ut,
 cum ſua præſatione, Wittebergæ recuderentur An. 1643. Qui eodem tempore,
 quo Heinſius & Cunaus, & ibidem, in eadem dignitate, vixit, CASP. BARLÆUS,
 ut in *Carmine*, ita & in *Oratione*, periodum contortam amat, membris non bene jun-
 ctis, ſed infinite per mera membra & commata vagatur, quanquam argutus ſatis &
 feſtivus declamator: ſuo enim quodam genio magis ad ludicra & feſtiva, quam ad
 ſeria, ducebatur. Diſctio non ſemper ſatis pura: in phraſibus enim non diu ſe tor-
 ſit, obvia rapiens ad argutos animi ſenſus exprimendos. In MARCI ZUERI BOX-
 HORNII *Orationibus*, tumor aliquis verborum eſt, & quædam, ut ita loquar, vaſtilo-
 quentia; quemadmodum & in DOM. BAUDIO, qui phraſin Dormitiæpei temporis,
 judice Scaligero, expreſſit. JUSTI LIPSII *Orationes*, Epistoſis ejus additæ, plene
 alterius ſunt ſtyli, quam Epistoſæ, & quidem melioris & Latiniſis, ut judicat Sca-
 liger in *Excerptis Put.* qui Orationem de duplici Concordia, & illam, quæ eſt in obi-
 tum Ducis Saxonix, Latiniſſimas vocat, creditque etiam eſſe Lipſii, quanquam ipſe
 ſtias neget; Miræus etiam a MELCH. GOLDASTO ſcriptas referat Lipſioque ſuppo-
 ſitas credi velit: quod & idem vult Carolus Scribanius. vid. Placcius *de Pſeudon.*
 p. 219. ERYCIUS PUTEANUS, in *Suada ſua Attica* λυφικωτζες, nec tamen aſſequitur Lipſii
 elegantias: ut ſunt plerique, auſim propemodum dicere ad unum omnes, ejus Vi-
 ri in ſcribendi ratione imitatores frigidi, & puerili minorum ſenſiculorum co-
 ærvatione plane inſipidi & inſelices. Et tamen Pureani diſctio adeo placuit An-
 tòn. Æmilio, Profeſſori Ultrajectino, in *Orationibus* ſuis, ut integras periodos & laci-
 nias ex ipſo exciſiberet, transferretque in ſuas, quæ lucem aſpexerunt Ultrajecti 1657.
 in 12. MART. SCHOOKII *Orationes* non ubivis puræ ſunt, ſed interdum barbariſſimos ad-
 mittunt, interdum aliquam ſtyli philoſophici ſtribliginem: prodierunt Daventriæ 1665.

NICOL. NANCELIUS, in *Declamationibus* suis, Paris. 1600. in 8. editis, merus declamator est, stylo interdum barbarus. Jac. Crucii etiam, Rein. Neuhusii, Melch. Junii, Chr. Ad. Ruperti, Rhetorum Porcensium, *Orationes*, ut sunt maximam partem a discipulis exercitii gratia conscriptæ, ita, non ob nitorem styli, sed ob materias forte, legendæ sunt. HIERONYMUM DONATUM luculentas composuisse *Orationes* Jac. Gaddius testis est: sed eas equidem ego nunquam vidi, uti nec PETRI GRAVINÆ *Orationes & Epistolas* Neapoli 1589. in 4. impressas. (Alius est ab hoc recentissimus Autor, longeque disertissimus JOH. VINCENTIUS GRAVINA hodieque superstes: cujus *Opuscula*, nuperrime 1696. in 12. Romæ publici juris facta, ostendunt, quantum Vir ille in dicendi scribendique facultate profecerit, & quam omnem terse, eleganter, nitide, semet explicandi artem, tum & alios permovendi vim, unus optime calleat. Adjungendus illi ANTONIUS MALAGONELLIUS, Summo Pontifici & Cardinali Spadæ ab Epistolis scribendis, cujus itidem permagna Romæ celebritas est: nec immerito, quod *Orationes & Epistola* Romæ 1697. in 12. editæ, testantur, sane quam elegantissimæ: sed quæ tamen, ut fatetur, quisquis est, Autor præfationis, Vir doctissimus, non tam castigatam illam Ciceronis, aliorumve aurei sæculi scriptorum, facundiam, quam Plinianum potius argutum, & quod florida sententiarum varietate aures permulcet, dicendi genus, ubique sapiunt. Uterque vero, & Gravina & Malagonellius, ex Arcadum Societate sunt, quæ hodie præ ceteris omnibus clara per Italiam est, & inprimis magno nisu ingenuarum artium incrementa promovet.)

Panegyrici Recentiorum, sparsim antehac editi, aliquot Voluminibus collecti, Hanovix prodierunt A. 1613. in 8. sed non omnes unius commatis. Eminent inter omnes ERASMI ad Burgundum Principem *Panegyricus*, optimus, multaque eruditione refertus, in cujus etiam stylo non facile quisquam habebit, quod desideret. c) Jo. WOWERIUS, Hamburgensis, in Oratione ad Christianum IV, Daniæ Regem, in multam luxuriam se diffundit: de quo, in *Epistolis* alicubi Jos. Scaliger judicavit, nimiam illum curam adhibuisse, & in Locis communibus tractandis esse prolixior. Quemadmodum vero notum est, Hamburgensem a Wower, quem diximus, ab Antwerpensi Senatore Joh. Wowerio, qui eodem tempore vixit, longe alium esse: ita cavendum, ne Joh. Wowerii *Panegyricum* Archi-Ducibus Austriae, Belgii Principibus, scriptum, Hamburgensi itidem tribuamus, qui Antwerpensi debetur, & separatim apud Balth. Moretum Antwerp. 1609. in 8vo excusus est. VALENT. THILONIS *Panegyrici* non ubique puræ Latinitatis sunt. Recenset hic *Orationes* aliquot, maxime *Panegyricas*, quæ, sparsim hic illic editæ, melioris commatis sunt, & dignæ, *qua junctim Voluminibus*

d) Voluminis *Orationum Panegyricarum Recentiorum*, a Viris Clarissimis sparsim antehac editarum, peculiaris Editionem ipsam olim Morhofium esse meditatam, autor vitæ ejus, *Dissertationum Synagmæ* præfixæ, Anonymus, in *Scriptorum ejus affectorum Catalogo*, p. 39. e Schedis defuncti, testatur. Collectioni isti haud dubie ab eo, destinatae fuerunt, quas §. hac recenset atque commendat. De Joh. Wowerii, Hamburgensis, Celebri, cujus nimiam Morhofius notat, luxuriam, in *Christianum IV. Daniæ Regem, Panegyrico*, fusius discernimus, & judicia de illo Jos. Scaligeri, Dom. Baudii, ipsiusque Autoris Wowerii, partim benigniora, partim sequiora, recitavimus P. I. *Isagoges ad Hist. Cimbricam*, c. 12. §. 4. p. 186. 187. 188.

minibus aliquot ederetur. Inter illas sunt Pierii Winsেমii Oratio in memoriam Gustavi Adolphi, Suecorum Regis, quem ille Gustavum II. vocat, directa, & excusa in Frisiis A. 1633. in fol. Ejusdem Regis Panegyricus Poëticus ab eodem scriptus sublimii Strylo, & Amstelod. 1632. in fol. editus: Ejusdem Winsেমii Oratio in excessum Henrici Nassovii. Franekeræ 1641. fol. Oratio pro reparata æde Academica, ibid. 1643. Oratio in abitum Guilh. Srakmanni, Viri Consularis, An. 1641. & alia. Joach. Pastorii Gratulatio ad Regem Angliæ de Regno, Gedani 1661. in 4. Ejusdem Orationis de præcipuis Historiæ Autoribus, & de potissimis ejusdem argumentis: ibidem eodem Anno. Alex. Mori Gratulatio super Venetorum de Turcis Victoria, Amstelod. 1658. in fol. Joh. Frid. Gronovii Gratulatio ad Guilielmum Arausionum Principem, cum Imperator per Belgium creatus esset, Amstelod. 1647. in fol. Ezech. Spanhemii Panegyricus ad Christinam, Sueciæ Reginam, Genuæ 1652. in 4. Ejusdem Oratio genethliaca de nato Electori Brandenburgico filio Principe. Joh. Schefferi Oratio Valedictoria ad Christinam, Suec. Reginam, regno se abdicantem, Upsaliæ 1654. in fol. Ejusdem Oratio ad Regem Carolum (XI.) cum primum Upsaliam studiorum causa veniret, Upsal. 1665. in 8. Georgii Ossolinskii Orationes, quas ut legatus habuit, Dantisci 1647. in 4. Staudii Oratio in excessum Caroli Gustavi, Regis Sueciæ, Stralesfund. 1660. in fol. Viti Beringii Oratio de Historia, Hassniæ 1651. fol. Ejusdem Oratio in memoriam Regis Daniæ, Friderici III., & Gratulatio ad Christianum V. Hassniæ 1670. fol. Bartholi Bartholini Laudatio funebris Friderici III., ut & Matthiæ Fossii Atrata Pallas, Hassniæ eod. anno. Ejusdem Bartholini Oratio in Excessum Christiani IV., Erasini Bartholini Panegyricus in nuptias Christiani Alberti & Fridericæ Amaliæ, Hassniæ in fol. Elogium Forstneri a J. H. Bœclero scriptum in 4. & fol., J. Henr. Bœcleri Sceptum Apollinis, sive Gratulatio de Receptoru Academico Comitibus de la Gardie; Argent. in fol. Aug. Blommertii Panegyricus in Ordines Hollandiæ, in fol.; Claud. Memmii Avauxii Elogium Franc. Vavassoris, Paris. 1651. fol. Christiani Ostensfeldii Laurus Württembergica pro restituta Academia Tubingensi, 1652. fol. Dionys. Vossii Panegyricus dictus Principi Arausionum: Amstelod. 1633. in fol. Panegyrici duo in Cromwellium Anonymi alicujus, 1654. in 4. Octavii Ferrarii Panegyricus in Ludovicum XIV., Regem Galliæ, Venet. 1666. in 4. Joach. Pastorii Calendæ Regiæ sive Gratulatio ad Joh. Casimirum, Regem Poloniæ, de auspiciato ejus in Thoronium, a se recuperatum, ipsis Calendis Januariis ingressu: Dantisci in 4. 1659. Eryci Puteani Purpura Austriaca, sive Gratulatio de Cardinalatu, Antverpiæ 1635. in 4. Plures Orationes colligere poterit, qui voler. Illæ vero, quas enumeravimus, dignæ sunt, quæ colligantur & servantur.

Necvero defunt inter externos Gallos Italosque, in vernaculo sermone Oratores Elegantissimi, quibus nonnunquam in Latina etiam lingua commode utaris. Talis est liber, cui titulus: *Le Tresor des Harangues*, Paris. 1665. in 12. editus: in quo continentur aliquot Orationes, in receptionibus Principum ac Regum; gratulationibus de matrimoniis, & aliis argumenti Politici panegyrici materiis. Sunt & EMANUELIS

THESAURI *Panegyricorum* tria volumina, Italico sermone scripta, argutiisque plenissima, e quibus nonnunquam petas aliqua, quæ Inventionibus alia occasione infervere possint. Turin. in 8. AUGUSTINUS MASCARDUS Orationes Italicas argutiores, tam suas, quam aliorum, uno collegit libro, impressas Venetiis 1646. in 4. sub titulo: *Prose Volgari*. JOH. BAPT. MANCINI Exercitia oratoria Italico sermone scripta, sub titulo: *Furori della Gioventu*, Bononiæ 1636. tumida aliquantulum sunt, & acumina habent affectata ac declamatoria.

- 8 Ceterum, sicut Itali ut plurimum argutiis in suis Orationibus indulgent, quos Galli etiam haud raro imitantur: ita non omnium calculum eo labore suo merent. Sane Franc. Vavassor, in libro de Ludicra dictione, & in Oratione pro veteri dicendi genere contra novum, horum generum acuminibus, quæ Hispanis Originem debere magnamque cladem puritati Latinae intulisse, monet, boni non multum tribuit, sed ex Orationibus propemodum proscripserit, nisi forte cum Augustei ævi acuminibus plane consentiant. Atque id in univèrsum negari utique non potest, per inscriptiones, præcipuum argutæ illius novæque dictionis secretum, Italici primo debitum, ansam esse multis in lingua Latina corruptelis datam: quod, præter alios, etiam Bœclerus, in Museo, monet: sed qui tamen simul omne illud studium rejicere non audeat: sed, postquam in utramque partem diu disputasset, ferendum censeat, si adhibeatur commode, & modus in re ipsa servetur. At Historias & Panegyricos eò modo scribere velle, quod faciunt tamen aliqui, plenum frigidissimæ affectationis & ineptiarum videtur, nec immerito a Bœclero ex Historia atque Panegyrico mixtum chaos vocatur. Est enim poetissimo propior, quam orationi, talis scriptio, & quæ ut plurimum nil nisi coactum sapit frigidumque: adeoque nihil omnino horum ad imitationem proponendum est, quam extantiora quædam acumina enotare nihil vetet. Contra ineptum vero usum acuminum vide, quæ habet Famianus Strada Prolusionum Academ. lib. II. prolus. 12 Albertus de Albertis in Actione contra corruptores eloquentiæ passim: Oct. Boldonius in Epigraphica VI. Vavassor locis, quæ allegavimus: & lepida quædam Satyræ Gallico sermone scripta, atque Heidelbergæ A. 1670. in 12. impressa, hoc titulo: *Nouvelle Allegorique, ou Histoire des dernières troubles, arrivées au royaume de l'Eloquence*: qua sub fictione belli alicujus Rhetorici, multi istius sæculi Scriptores arguti perstringuntur. JAN. NIC. ERYTHRÆUS etiam, passim in Pinacothecis, intempestivos istius modi argutiæ aucupes falsè ex merito perstringit: cum v. g. Franc. Caretonium rideret, qui summam eloquentiam in sententiolis venustulis ac vibrantibus, breviter arguteque conclusis, non in verborum ac sententiarum magnitudine ac splendore, nec in rerum argumentorumve copia, sitam esse putabat: atque hinc, in quadam Oratione sua, cum qua sibi mirum quantum sapere visus est, nil nisi concisum hoc membrisque minutioribus velut captum, dicendi genus, tot fere argutiis sententiarum refertum, quot verbis, adhibuit: in scholastico pulvere (& addit Erythræus) peringeniosis adolescentibus illustris, sed nec Summi Pontificis auribus satis digna locutus (dicebat autem ad Clementem VIII.) nec Augustissimo illi Patrum purpuratorum Senatui apta, *Pinacoth. I. pag. 162.* Alibi, quum de Fulvio Testa agit, integram talium hominum societatem nobis describit, quibus vetera pura atque
- incor-

incorrupta plane fordebant, & qui nil nisi argutulum, e suis officinis profectum, laude dignum existimabant: quorum infania complures etiam optimorum ingeniorum Viros ad pueriles nugas abripiat. vid. Pinac. III. p. 212. seq. d).

Alii, dum in jocis facerisque acumen præpostere præ se ferrent, infana ejusdem affectatione in grande vitium prolapsi sunt: ortumque exinde illud dicendi genus, quod Galli *Burlesque* vocant, cujusque Specimen Scarron, & alii, apud Gallos dederunt, aliquid idéntidem e Belgica lingua vernaculæ immiscentes: sed quos singulari libro de Ludicra dictione impugnavit Franc. Vavaffor, Paris. 1658. in 4. edito. Sed ut de cetero salibus faceris acumina adeo abroganda non sunt, ut potius vel maxime ad eadem requirantur: qua de re & Cicero, in secundo de Oratore, & e recentioribus alii: ita de affectatis acuminibus, seu in jocis, seu in Oratoribus, ea occurrant, alio loco a nobis actum: cum aliquando penitius naturam acuminum & usum perlustraremus.

Interea recensebimus tamen insigniores aliquot Inscriptionum & Elegiorum, tali acumine elaboratorum, Auctores. Jac. Gaddius lubenter e Græcia originem eorundem arcesseret, sed dubius tamen est. In *Elogiis* (ita inquit T. I. de Scriptor. Non-Ecclesiast. p. 286., sub titulo Philoponi) *Latini superant Etruscos ac Græcos, qui hoc breve, sed egregium, curiosumque scribendi genus forsitan ignorarunt; certe minime nobis ostenderunt: ni tamen libeat elegia compellare laudationes heroum ac imagines, a Græco Philostrato ingeniosè ac feliciter concinnatas. Nec inficior, egregia Thusco etiam calamo formata extare Elogia: scilicet liber Elogiorum Academia Ignota: atque non pauca Pone: sed hæc numero, varietate ac pondere, imparia videntur Latinis Elogiis Jovii, Folietæ, Sammarthani, Thesauri, Francisci del Monaco, & aliorum, quorum in hoc scribendi genere nomen eminet.* Verum, ut jam pressius ad acuminum argutiarumque magistros accedamus, nemo est, qui majore nisu, & felice etiam successu, eam eloquentiam omnem late pertractavit, certisque etiam præceptis scrupulose admodum inclusit, quam EMANUEL THESAURUS, quem, per integros 40. annos, labori huic insudasse testis Boldonius est. Præcepta Inscriptionum argutarum dedit libro Italico, cui titulus: *Il Canocchiale Aristotelico, seu Idea del l'ingenuosa Elocutione* Venet. 1664. in 4. e). Male omnino in libello de Disciplina Argutiarum Morhofii, qui A. 1693. prodiit, iste

Hhh hhh 3

The-

d) Cum iis, quæ sequentibus Capitis hujus Paragraphis, ad finem usque ejusdem, de Arguta Dictione, Rhetoribusque & Oratoribus ejus studiosis, traduntur, conferri ab illius Analysi possunt Merhofii Prælectiones de Arguta Dictione Academicæ, quæ, sub *Commentationis de Argutiarum Disciplina* Titulo, biennio post Autoris obitum, A. 1693. sine loci mentione, in 12. sed admodum mendose, prodierunt.

e) Emanuelis Thesauri *Il Canocchiale Aristotelico, o sia Idea della argutezze Heroiche, vulgarmente chiamata Impresse*, sive opus de Argutiarum Arte Italicum, Taurini primum A. 1654. impressum, & Romæ dein ac Venetiis vel sexies recusum, Latine tandem vertit, & (sub Titulo *Idea argute & ingeniosæ dictionis, ex Principiis Aristotelicis sic extracta, ut in universum Arti Oratoricæ, & imprimis Lapidariæ atque Symbolicæ, inseruiat*) Francofurti A. 169. in 4to, Lingua hac Eruditorum communi, omnium usibus exposuit Casp. Cörberus, Eloquentiæ in Acad. Julia Professor. Recensum Operis eximii V. in *Actis Erud. Lipsiensibus, M. Jun. A. 1080. p. 255-259.*

Thefauri liber *Pandochiale Aristotelicum* vocatur. Multa Thefaurus in illo libro affert egregia, de metaphora tanquam fundamento omnis acuminis, & secundum principia Aristotelica, omnem illam acuminis rationem indagat, additis ubique exemplis. Ipse quoque Inscriptiones peculiari Volumine edidit, de Genealogia Christi & Patriarcharum: item quas in funebribus apparatusibus, natalitiis pompis, sacris celebritatibus, publicis Principum receptionibus, regiarum ædium monumentis componi potuisse debere existimavit: omnes simul Taurini 1666. in 12. editæ, & postea, splendidiore typo, Berolini in 4., curante Joh. Ravio. *Insulatas ejus Virtutes*, Oxon. 1638. editas, una cum *Cesaribus*, quas ejus Autores esse negat publicator Editionis Taurinensis, ego eidem tribuere non vererer. Scripsit & *Orationes Panegyricas* Thefaurus Italica lingua argutissimas, e quibus alios video multa sublegisse; inprimis *Nicol. Avancinum* in orationibus suis. Quemadmodum & *Joh. Bapt. van de Cruyce* Augustinianus, qui Genealogiam Christi, versibus expositam, Antwerpiae A. 1654. publici juris fecit, e Thesauro omnia excerpit.

II Proximus a Thesauro locari meret ALOYSIUS JUGLARIS, cujus *Elogia Sacra*, cum Thesauro, Moguntiae A. 1665. edita sunt, & Christi Servatoris Vitam & Historiam complectuntur. Scripsit & LAURENTIUS PIGNORIUS *Miscella Elogiorum, Allocutionum, Epitaphiorum &c.* Patavii 1626. in 4. edita. Brevis est, & ad genium inscriptionum accommodatius omnino scribit: quæ enim per integra folia extenduntur, vix talem titulum merentur. OCTAV. FERRARI *Inscriptiones*, quarum pars I. & II. Patavii, 1668; tertia 1674. prodierunt: Noribergæ etiam recusæ, acuminum parciores sunt. ALBERTUS ab INES in *Elogiis Regum Polonorum*, Cracoviae 1655. in 4. editis, e Thesauro aliisque flosculos decerpit, quorum tamen nomina etiam apponit: & in præfatione nonnulla de hoc scribendi genere habet. Estque adeo modestior, quam LAMBERTUS VILLAFANUS, qui in *Inscriptionibus* suis, quæ poematibus adjectæ sunt, pene omnia e Thesauro & aliis est furatus. Non item amicus illi OCTAVIUS BOLDONIUS, qui *Epigraphicam* scripsit, seu Rationem *Elogia* Inscriptionesque pangendi, editam Augustæ Perusiæ 1660. in fol. Spissus liber est, & propemodum omnia Rhetorices præcepta nullo judicio coacervat, variasque digressiones instituit, parum ad rem ipsam facientes. FRANC. PONÆ *Elogia XII. Cesarum*, adjectis unicuique Elogio Epigrammatibus, Veronæ 1641. in 8. edita, acuta omnino sunt. Ediderat jam A. 1626. librum, in dialogi forma, de Epitaphiis ad morem antiquum efformandis *L'Epitaphio dialogo: nel quale si ingegna il modo di comporre gli Epitaphi all' antica*: sed quem non vidi. Videatur interim de Pona ejusque Scriptis Hier. Ghilinus in *Theatro Hominum Literat.* P. I. p. 62. Pertinent vero huc præterea HIERON. BONCAMPAGNUS, qui *Seculum Memi* scripsit: seu, in corruptis seculi mores Execrationes Elegiacas, Bononiæ 1667. in 4. editas. Sed ex ipso titulo apparet, parum subesse huic Viro judicii & elegantiae. Coacervavit quædam sententias sine magno delectu & judicio: cumque profiteretur acumen, satis interdum obtusus est. PETRUS LABBÉ scripsit *Elogia* varii generis, Grætanopoli 1664. in fol. edita (& recusa postmodum in Germania in 8), quibus addidit Carmina nonnulla. Argutus est pene in omnibus verbis; ita quidem, ut interdum frigus

gus orationis non effugiat; neque enim aliter fieri potest, cum affectamus acumina. Non melior est LEO MATINA, qui librum scripsit, cui titulus: *Unguis Elogiorum Leonis Matinae*. Facile ex hoc titulo de Leone iudicium ferri potest. Tantum enim abest, ut habeat aliquid Elogiis acutis simile, ut potius totus frigeat torpeatque. Editæ postea sunt ab illo *Ducum Venetorum Icones & Elogia*, A. 1665. in fol.

E Germanis JACOBUS MASENIUS, Jesuita, *Artem novam Argutiarum, tam Epigraphicarum, quam Epigrammaticarum* edidit Colon. 1660. in 12. Libellus non inelegans est, & secundum locos Dialecticos inventiones acuminum distinguit: tradit quoque modum inveniendi Apophthegmata acuta: Exemplaque tam sua, quam aliena, addidit. Speciminis loco acerba in Lutherum convivia habet. Alius, nescio quis, Jesuita *Iusta Ferdinando III.* (inscriptionibus) *persoluta* edidit Osnaburgi. Scripsit quoque Vir doctus, CHRISTIANUS WEISIUS, in hoc genere aliqua, edito libro *de Poesi hodiernorum Politicorum*, seu de argutis inscriptionibus, Weisenselsæ 1678. in 8. & multa habet de origine harum Inscriptionum & natura, nec non de usu & imitatione multa quoque exempla coacervat. Sed defuerunt illi plura subsidia: nam Thesauri librum Italicum non habuit, qui tamen primus est, qui in hoc genere quædam tentavit, & longe uberiores fontes, quam ceteri omnes, requisit.

Sunt adhuc plures alii, qui in hoc genere quid scripserunt, ut JOH. BAPTISTA MASCULUS, cuius extant *Elogia*, mihi quidem non visa, nisi, quæ excerpfit inde passim Jac. Masenius, & e quibus de ceteris judicare licet, esse neutiquam spernenda. Habet & LAURENTIUS de BRUN, in *Eloquentia sua Poëtica*, varia Inscriptionum Exempli, hinc illinc congesta, satis quidem elegantia. JOH. ANT. PETRAMELLARIUS, Bononiensis, Eques S. Lazari Hierosolymitanus, *Elogia* edidit; sed quæ acuminibus destituta censet, pluribusque examinat Gaddius T. I. de Script. Non-Eccles. Est & ANONYMUS quidam, qui *Regum Hungarie Monumenta* scripsit, Noribergæ 1663. *Epitaphia* edituruserat FAMIANUS STRADA; sed mors interclusit; teste in elogiis Crasso P. I. p. 237. Ceterum cum his horum generum Inscriptionibus plane non confundendæ sunt JAC. PHIL. THOMASSINI *Inscriptiones Patavinae*, Patav. 1649. editæ in 4. namque in illis eæ tantum habentur, quæ hinc illinc in templis atque monumentis sepulchrorum comparent, quæ plane alterius commatis sunt.

CAP. IV.

DE RHETORIBUS ATQUE ORATORIBUS
SACRIS.

§. I. Nullum discrimen Oratorie Civilis & Sacrae, nisi quoad argumentum, præcepta autem & methodus plane eadem, ex Aristotele haurienda. Frustra igitur tot aliæ methodi concionandi protruduntur, Patribus priorum Seculorum, Aristoteicam communem secutis, ignota, & avo Scholasticorum barbaro primum introduci cepta. *Artificia in sacris*

cris etiam Literis, & Paulinis imprimis Epistolis, Oratoria. 2. Rhetores Sacri, sive Rhetoricae Ecclesiasticae Scriptores ἐξοχώτεροι: Desid. Erasmus Rotterodamus. 3. Ludov. Wolzogenius. 4. Melch. Zeidlerus. 5. Franc. Panicarola, Demetrii Phalerei Paraphrastes, de cuius etiam Eloquentia Sacra singulari differitur. 6. Corn. Mussus, Eloqu. Sacrae inter Italos Instaurator. Certamen Hispanos inter & Italos de S. Eloqu. palma, quae Hispanis tribuitur. Laur. a Villavincenzio: Andr. Hyperii Plagiarius. 7. Ludov. Carbo, Paulus Aresius (Emblematis, quorum Usus nimis improbat, delectatus,) Ioh. Caramuel a Lobkowitz. 8. Renatus Rapinus. 9. Oratorum Sacrorum Varietas. Lud. Bailii Historia illorum. Censores, Janus Nic. Erythraeus & Frid. Borromaeus. 10. Locorum Oratoriae Sacrae Communium & Subsidiarum Scriptores, Didacus Stella, Thom. Stapletonus. 11. Ludov. Grefollius. 12. Guilb. Peraldu, Franc. Labata, Ioh. Euseb. Nicembergius, Aloysius Novarinus. 13. Pet. Aloysius, Ianus Nicius Erythraeus. 14. Jac. Musenius, Nicol. Avancinus, Franc. Salesius. 15. Dan. Bartolus, Ierem. Drexelius. 16. Pet. Berchorius. 17. Pet. Molinaeus Iun. Pet. de la Serre. 18. Angli in hoc scribendi genere alii superiores, imprimis Ioh. Donne, (de cuius pro Αὐτοχρησίου Libro complura adduntur.) 19. Jos. Hallus, Rich. Whitlock. 20. Rob. Boyle. 21. Henr. Hammondus, Anonymus Officii Christianorum Scriptor. 22. Angli alii, a Guilb. Cromweo, & Anonymo quodam, Libris peculiaribus enumerati. 23. Oratores Sacri in Germania Lutherani complures, e quibus Cour. Dietericus, Salomon Glassius & Frid. Balduinus, speciatim commendantur. 24. Oratores Sacri & Scriptores Ascetici Hispaniae potiores, Ioh. de Valdes. 25. Ludov. Granatenfis. 26. Ioh. de Aquila. 27. Alph. Lobo, Didacus Perez, Franc. Arius, Ludov. de Ponte, Ioh. Palafoxius, de cuius Litibus cum Iesuistis nonnulla narrantur.) &c. 28. Oratores Gallie Sacri ἐξοχώτεροι, Claud. de Lingendes & P. Castillonius, Iesuistae. 29. Ioh. Dalleus Iun. Alex. Morus, Pet. du Bose, & Ioh. Claudius, Theologi Reformati. 30. Lites de Prerogativa, & Plagio mutuo, inter Anglos & Gallos Belgasque, Hispanos item & Gallos, hoc in argumento versantes.

Non differit Oratoria Sacra a Civili, nisi argumento: siquidem praecipua eadem sunt: persuadet Orator Civilis, persuadet & Ecclesiasticus: si docet, Dialecticas interpretando rationes sequitur. Duplici proin ratione sacra considerari possunt; ut didactica, & ut parænetica: atque hactenus diversum quid est in Oratione sacra. Quamvis enim & in civili Didacticum genus aliquod commenti sint juniores Rhetores; id tamen proprie ad fontes Rhetoricos non pertinet: ut non negem, Didacticam orationem etiam ornari coloribus oratorum posse: ut ornari quidem potest hac in parte Oratio sacra, imo debet, ne jejuna nimis & macilenta videatur. Ceterum, qui praecipua Orationis sacrae scripserunt, tot sunt; ut Bibliothecam pene soli conficiant: sed parum illis juvamus. Qui a communibus praecipuis discedunt, tot habent methodos, quot capita; facileque adeo quis ex illa confusione judicare poterit, quid de istiusmodi methodo sit statuendum. Sane nihil facilius est, etiam in Oratione civili, quam novas invenire methodos: nec unquam desunt, qui malint artem Lulianam

lianam aliquam, aut novum huic simile in oratione commentum; quam puros illos limpidosque fontes, qui ex natura ipsius subjecti prodeunt. Enimvero non opus est his pluribus immorari. Unicus Christoph. Schraderus satis superque docuit, ne quid de Erasmo dicam, quam solis etiam Aristotelis præceptis rem omnem conficere possimus. Veram præterea eloquentiam ostendunt Veteres Græci & Latini Ecclesiarum Doctores, quibus si periret artificium Oratorium, omnis scriptio gratia periret. Hos duces in hoc genere habemus præcipuos; quorum exemplo si quis suam orationem instituere potest, is revera boni Oratoris titulum merebitur. Erat enim illis plenissima omnium scientiarum cognitio: ideoque omnia, quæ ad populum dicebant, profundam doctrinam non minus ac singulare artificium spirabant. Post illa tempora, cum barbaries regnare inciperet, & omnia occupassent Scholastici, ceu liquidis immissi fontibus apri, prodigiosum nescio quod horridumque dicendi genus oriebatur, ut barbara locutione ingratum, ita perplexis disputationibus adeo involutum, ut propemodum nihil sani subesset; sed scoriæ pro auro Patrum, imo lutum. Hos vero temporum infelicium ineptissimos Possillatores, qui sermones de tempore, similesve, conscribillarunt, quis non maximo cum fastidio legat? & his tamen omnia diu erant repleta: optimi nugas proponebant, merasque argutias scholasticas, quæstiones, definitiones, divisiones, terminos, quibus, dum pulcerrime rem egisse sibi viderentur, omnia misere lacerabant confundebantve: atque erant interea, quod infelix seculi fatum fuit, Academici Doctores & Oratores plane, scilicet, eximii. Imo, quod longe adhuc magis mirere, tam abas ille modus radices in hominum animis egerat, ut, post renatam etiam literarum lucem, ramen superessent, qui mallent hirsuto illo asperoque dicendi genere uti, quam cultiore nonnihil, & ad artis præcepta instituto. Quasi vero ars sacrum interpretem dedeceret, aut tum demum recte proponerentur sacrosancta mysteria, quum barbare proferuntur. Imo si Sacri Codicis Scriptores intuemur, si D. Pauli Epistolar, cæcus est, qui non egregia Oratoris artificia illic videat: non, quod ipsis, de industria multo labore conquiritis, usus D. Paulus sit: sed, quod, cum eruditus esset, non rejiceret id, quod esset, & quod in ipsa ejus oratione fluebat. Quodsi igitur naturæ ductu gratior est oratio, secundum Oratoriæ regulas instituta: quidni illa arte utamur, quam divinam esse nemo negavit, utut a gentilibus Scriptoribus traditam.

Verum missis his, quæ re ipsa jam satis probant, recensēbimus nunc præcipuos aliquot Autores, tum qui præcepta Oratoriæ Sacræ dederunt, tum qui ipsi Orationes scripserunt. Atque hic locum principem suo merito assignamus DESIDERIO ERASMO, qui, uti passim, in Epistolis suis, librisque aliis, invehitur in sui temporis ineptos e suggestu Declamatores; ita viam ostendit expeditam, qua incederent, qui Orationes Sacras ad populum essent habituri. Libri titulus est *de Ratione Concionandi*, Basileæ editi A. 1536. in 8. & aliquoties recusi. Toto hoc libro nihil aliud continetur, quam communia Rhetorices præcepta; quorum usum in sacris Orationibus ostendit: adjunctis semper suorum temporum exemplis, quibus tum a monachis declamantibus peccatum fuit. In primis autem operæ pretium fuerit prælegisse, quæ sunt fuscæ ab illo, de

allegoriarum usu in concionibus, dicta lib. III. Ut enim tunc superstitiosa erat, & haud raro præpostera locorum moralium affectatio: ira nunc pene in illa tempora incidimus, ubi plus allegorici, quam genuini sensus, quæritur. Prolixus admodum ea de re Erasmus est, & adductis ubique veterum Patrum præcipuorum locis, ostendit, quid peccetur eo in argumento, & quid laude dignum vicissim sit.

- 3 E Reformatis *Oratorem Sacrum* scripsit LUDOVICUS WOLZOGENIUS, i. e. de Ratione concionandi librum, Ultraj. 1671. in 8. quem sane negari non potest, scriptum esse eleganti stylo: & in quo partim communia Rhetorices præcepta præsupponit Auctor, partim sua quaedam peculiaria in textus explicatione tradit. Cartesianæ Philosophiæ addictus est, ideoque doctrinam de affectibus luculenter proponit, eorumque usus ostendit. In partibus Sacræ orationis multa nova docet; variosque modos comminiscitur. Ut in uno exordio v. g. admodum prolixus est, variaque tradit genera exordiorum: primo quidem illa, quorum in Oratoria Civili usus est; deinde propria quaedam Oratori sacro: respectu scilicet textus, ad quem illa referenda. Habet igitur bases exordiorum varii generis: unam, quæ textui est innixa: alteram, quæ fundatur in connexionem: aliamque iterum, quæ scopo innititur. Inventæ basi Exordiorum, viam habet eadem constituendi triplicem, Analyticam, Syntheticam, Syncriticam. Analyticum & Syntheticum illi est vel perfectum, vel imperfectum. Habet dein Exordia ex illis generibus mixta. Hæc vero omnia, ut mihi quidem videtur, plus habent subtilitatis, quam usus: ut & quæ de pronuntiatione & actione sigillatim enarrata habet, prolixius tractantur, quam opus est; & excerpta sunt, licet strenue dissimulet, ex Erasmo atque Ludov. Cresolio.

- 4 E nostris, ut sexcentos silentio prætereamus, MELCH. ZEIDLERUS *Rhetoricam Ecclesiasticam* scripsit, ad methodum Oratoricæ Civilis, quam Aristoteles, Cicero alique præscriperunt, adornatam editamque Regiomonti 1672. in 8. Bonus autem omnino liber est, multisque exemplis usum Aristotelicorum præceptorum ostendit: ut ego quidem existimem, hoc & Schradero Ducibus optimas posse conciones formare, quod Argumenta spectat & Enthymemata. Sed stylus cultum requirit paulo accuratiorem, & qui ex sententioso dicendi genere, atque admirabili, seu sublimi (cujus præcepta Longinus dedit, mirifice Oratori sacro accommodata,) aliquid trahat: quale sectatus est olim Ambrosius, quem Christianum Senecam ob eam causam vocat Erasmus. Præfatio, quæ Zeidleri libro præfigitur, ostendit necessitatem artis Oratoricæ in concionibus: ad Patrum Veterum & Theologorum consilia: de quo argumento Conr. Rittershusius quoque videri meret Sacrar. Lætionum lib. IV. c. 13. ubi inter alia agit de S. Pauli Apostoli Rhetorica, atque e Chrysofostomo ostendit singulares eloquentiæ hujus Apostoli dotes, & stratagemata Rhetorica, quibus in Epistolis usus fuerit.

- 5 Italorum sui temporis Concionator longe celeberrimus fuit FRANC. PANI-CAROLA: de quo sic Gaddius T. II. de Scriptor. Non-Ecclesiast. p. 155. *Oratoriam Sacram reformavit, magnificum atque pulcherrimum Rhetorices ædificium attollens, Demetrii fundamentis innixum.* Nempe Demetrii Phalerei liber de Elocutione fuit, quem

in omni perorandi ad populum ratione sua securus est, quemque etiam, Itala paraphrasi illustratum, velut Sacrae Oratoriae magistrum, ediderat, hoc titulo: *Il Predicatore: ovvero parafrasi al libro dell' Elocutione di Demetrio Falereo: Venet. 1609.* cujus libri jam supra, cum de Graecis Rhetoribus ageremus, mentio facta a nobis est. Quam vero mirifice Italis ista Panicarolae Eloquentia, liquida, amena, fusa, profluens, omnibus praedulcium sententiarum flosculis & amcenitatibus resperfa, denique ars meris calamistris haud paulo licentius ad aucupium aurium efformata, sese probaverit: quam illius audiendi gratia concursus ex Italia tota facti sint: quam fuerit publicis civitatum legationibus a Romano Pontifice identidem expetitus: & quam ingenio, industria, memoria, actione, incredibili quadam ratione pollens, nimia suavitatis affectatione gravitatem Sacri Oratoris, & veram animos persuadendi atque perturbandi vim omnem perdiderit: eapropter prudentiorum aut risum, aut stomachationem justamque indignationem, expertus, legi prolixè potest apud Erythraeum Pinacoth. I. p. 81. seqq. & III. p. 35., & comparationem instituit inter tres ejusdem temporis Sacros Oratores, Lupum, Toletum, Panicarolam: *Cumque tria, inquit, videantur esse, quae Orator efficere debeat: ut doceat, ut delectet, ut moveat: docendi laus, omnium consensu, Toletus tribuebatur: Panicarolae, ut animos eorum, qui audirent, devinceret voluptate: Lupo, ut permoveret atque incitaret animos, & quocumque vellet, impelleret: neque quidquam frequentius in ore vulgi versabatur, nisi illud: Lupus movet, Toletus docet, Panicarola delectat.* Haec Erythraeus: qui Panicarolam sub vitae finem, postquam Episcopus esset factus, cincinnulis atque fuce detractis, grave dicendi genus, & quod auctoritati munerique suo esset convenientius, elegisse refert.

Præceptor Penicarolae (nam & sic aliquando scribitur) erat CORNELIUS MUSSUS, Italus, cujus invidendae laudes extant apud Capaccium in Elogiis lib. II. p. 360. Extant & Mussi ipsiusmet Homiliae lingua Italica scriptae: *Prediche Sopra il Simbolo de gli Apostoli, il Decalogo, le due Dilettioni di Dio e del Prossimo, e la Passione di Christo. Venet. 1601.*, diffuso quidem stylo, sed elegantia ac multitudine rerum adeo refertae, ut mihi sane impense placuerint. f) Vidi & alios Concionum illius Tomos Quadragesimales, Genuae 1591. & Vener. 1596., quinque voluminibus in 4. constantes, & nisi me omnia fallunt, alibi in Latinam Linguam conversos. Primus ille alioquin inter Italos est spiritus paulum in hoc doctrinae genere evertioris: poteritque Hispanis Prædicatoribus opponi. Est enim alias inter Hispanos Italosque lis, cui nationi palma in hoc sacrae eloquentiae studio debeat, neuris per æmulationem cedentibus. Hispanis inter alios eandem assignat & vindicatum in NICOL. ANTONIUS in præfatione Bibliothecae suae Hisp.: qui, etsi popularium causam ex amore in suos agere videatur, malim tamen hic potius cum illo facere, quam aliis. Luber vero ipsa ejus verba adscribere, cum liber in paucorum manibus sit: *De Sacris, inquit, actionibus cum Italis nobis controversia est. Hi artificio prævalent,*

f) Latine prodierunt Corn. Mussi Sermones in Evangelia Dominicalia & Festivalia, ex lingua Italica per Michaëlem ab Isselt, Doccomia Frisium, translatis, cum Vita ipsius, iisdem præfixa, Coloniae A. 1594. & 1603. in 8vo.

rhetoricantur; verbis, gestuque & tota corporis conformatione & motu, Veterum imitatores videri volunt: nostrorum strictior, & nec affectata est Eloquentia, non coagmentata domi oratione, aut verbis utuntur artificiose respondentibus; sed naturali, & quasi extemporali facundia, quidquid iudicii, quidquid acuminis, quidquid eruditionis eliciendum est rebus ipsis, & argumentis persuadendis confirmandisque ex S. pagina ac Doctorum testimoniis, ingeniose ac prudenter impendunt. Eaque solerter inveniendi, excogitandi acute, atque apte in rem presentem cogitationibus utendi, nota sic vulgo placere, ut etiam Vernaculi sermonis conciones communiter apud Italos in ulnis gerantur, & proprie horum lingua interpretatione donentur. Nec paucos vidimus ex probatissimis, qui sic formam hanc nostram suam fecerunt, ut Italico sermone loquentes more concionarentur prorsus Hispano. Ceterum splendidissimum Cornelii Mussi (ut ad eum nunc revertamur) elo-gium legi etiam apud Emar. Thesaurum potest, in *Canochiali Aristotelico* p. 458. Agit quoque de illo Isaac. Bullartius in libro, quem vocat *Academie des Sciences*, ubi Cornelium Mussum vocat *Isocratem Italiae*. Idem & Panicarolam laudibus effert: cujus in Demetrium Commentarius iterum prodiit Venetiis 1642. in 4, adjectis variis de Eloquentia Ecclesiastica Opusculis, Latine & Italice scriptis: ni-mirum additæ sunt Quæstiones Panicarolæ: Beda de S. Scripturæ tropis & sche-matibus: Augustinus de Rhetorica Ecclesiastica: & F. Laurentius a Villavin-centio, Xeresanus, de formandis Sacris Concionibus, & de interpretatione S. Scripturarum populari. Ceterum est hic nequaquam silentio prætermittendum insigne Villavincenzii, impudentissimi hominis, plagium, qui totum hunc, quem modo diximus, librum, retento etiam titulo ipsomet, Andr. Hyperio surripuit, cujus labor primum An. 1522. apud Oporinum Basileæ in 8. lucem adspexit, deinceps sæpius recusus. Nec contentus hoc plagio Villavincenzius, ejusdem Autoris librum alterum; qui *Theologus* inscribitur, seu de ratione studii Theologici, Basil. 1556. in 8. editum ab Oporino, & sæpiissime recusum, pari immodestia ex-scripsit, transtulitque in suos de recte formando Theologiæ studio libros IV, (toridem vero Hyperius habet) Antwerpæ 1565. in 8. Nempe qui alias ob hæ-reticam prævitatem legi non poterant in Pontificiis terris libri, hos, nomine suo solo, velut antidoto, munitos, suis secure propinavit Villavincenzius. Notavit plagium præter alios, Valer. Andreæ in Bibliotheca Belg. p. 49.

LUDOVICUS CARBO a Costiario, seu Costacciaro, Academicus Parthenius, & Theologiæ in Academia Perusina magister, scripsit librum, cui titulus: *Bonus Orator*, seu libros VII. de Rhetorica divina. Editus est liber ille Venetiis 1595. in 4., & Au-ctorem utique traditum demonstrat, qui toto libro nihil aliud agit, quam ut genuina Rhe-torices præcepta ad argumentum sacrum applicet: erat enim in Civili etiam Oratione Rhetor minime contemnendus, quod varii ejus libri ostendunt. Alius Italorum PAU-LUS ARESIUS, vernacula lingua librum scripsit *Arte di predicar bene*, Venet. 1611. in 4., quem vehementer laudat Crassus in Elogiis Hominum Literator. P. II. p. 90. 91. Scripsit idem & Sacras Orationes, seu, ut ipse vocat, *Lezzioni, Sermone e Oratione divet se*. Super Evangelia liber ille scriptus est, & Emblematis multis scatur, quorum tamen nonnisi

nōn nisi modicum esse usum velim. Minime omnium enim placent, qui Emblemata velut in Scenam magno apparatu producunt, nec facile membrum unum suae orationis dimittunt, quod non aliquo emblemate incrustatum sit, inepti Ecclesiastæ: qui phaleras istiusmodi haud raro nugaces ad populum puerosve, sive oblectandos, sive decipiendos, excogitatas non animadvertunt. Interea tamen multum quoque commodi afferre *Emblematographi* sacri possunt, si modo quis recte illis uti noverit: nec spernendi utique tales aut *Aresii*, aut *Engelgravii*, similibusque similes labores: sed possumus inventionibus eorundem uti modestius, & similibus loco adhibere, quæ forte Emblemata esse commode non possunt. Videndum tamen, ne allegoriæ nimis, frigidæve sint, ac vitium inde contrahat oratio. Singularis enim iudicii est, bene transferre; ut optime docuit Aristoteles. Erasmus verò, quæ moderatio in iisdem adhibenda sit, docet libro III. de ratione concionandi. JOH. CARAMUEL, uti in omni doctrinæ genere libros edidit novitatis plurimis referros; ita quoque in hac palæstra sese ostendit: scripsit enim *Encyclopadiam Concionatoriam*: quo libri titulo quid sibi velit, augurari non possum, ut qui hæctenus non vidi, sed ejus indicium solum debeo Laur. Crasso in Elog. Hom. Literar. P. I. p. 363.

His omnibus nulla ratione minor est, etsi mole libri plurimis cedat, elegantissimus REN. RAPINUS, Parisiensis Jesuita, in omni politioris literaturæ genere excellens, & jam plus semel in Polyhistoro nobis laudatus. Is itaque in suis de Eloquentia Meditationibus, peculiarem quoque librum de Sacra Eloquentia dedit, *Reflexions sur l'Eloquence de la Chaire*, breviter quidem & succincte, sed magna cura pondereque multo, & vere ex dignitate argumenti, quod explicat, tum præceptis, tum exemplis luculentis, instructum: quæ e genuinis fontibus omnia summo iudicio derivat.

Atque hæc de Rhetoribus sacris dicta sunt. Quanquam enim longe plures sint, atque adeo vix propemodum numerari possunt, non tamen operæ pretium est, diutius illis immorari. Suo hic solet quisque genio duci, & quod de Oratoribus civilibus Quintilianus dicit; styli esse tantam varietatem, quanta vultuum humanorum: idem quoque de sacris Oratoribus verum est. Quidam artis præcepta pressius sequuntur: alii, missis his, libero spiritu impetuque feruntur: quod in primis eximius ille Franciscanus, Joh. Virarius, fecit, quem Erasmus, Epistol. lib. XV. ep. 14, multis elogiis, atque, ut videretur, omnino veris extollit: dignissimus qui legatur: tertii medium quaerunt, quod sequantur: & sic suo quisque sensu abundat.

Historiam illustrium Concionatorum scripsit LUDOV. BAIL, ediditque Parisiis A. 1656. sub titulo: *Sapientia foras prædicantis*: qua illustrium per omnes ætates & Secula Concionatorum Elogia, Historias, artes, florilegia, nec non plurimas ex ineditis Codicibus lectiones exhibet: de quo vid. Spizelius Fel. Literat. p. 1033. & in Ephemeridibus anni 1666. Galli Parisienses. JAN. NIC. ERYTHRÆUS, scripto Dialogo, vitia Sacrorum Oratorum perfrinxit. Scripsit quoque FRIDER. BORROMEUS, Cardinalis & Archiepiscopus Mediolanensis, librum de *Sacris nostrorum temporum Oratoribus*: teste Ghilino in Theatro Illustr. Viror. T. I. p. 50., sed quem non magis vidi, quam ejusdem

de concionante Episcopo libros tres, quos Mediolani editos e Catalogo Bibliothecæ didici. Recensebo interim aliquos, qui vel ipsi Conciones Meditationesve scripserunt, vel Locos Communes Concionatoribus subministrant.

10 Et quidem e posteriori ordine primo prodeat, DIDACUS STELLA, Hispanus, Ord. Fratrum Minorum, qui *Commentarium in Evangelium Lucae* scripsit, Lugduni 1592. in fol. & Antwerpiae 1665. editum: vere penu variarum meditationum super universam Christi Servatoris historiam: qui præclari omnino fundi vicem sustineat, quo utantur Evangelicas Pericopas pro concione explanaturi: & sunt sane passim, qui eo utuntur. Editum primo fuerat istud opus Compluti apud Andri. de Angulo 1575. in fol. 2. tomis: sed prohibuit eam Editionem Index Romanus, & multa in eo opere, Luca Wadingo referente, quæ nimium pietatis studium, vel Concionatorius exaggerandi modus, extorsit, expungenda censuit. Editum postea hoc Opus aliquoties Parisiis & Lugduni, adjectusque Index, quo materiae, quæ occurrunt in hoc commentario, ad dies Dominicos atque festos accommodantur. Ex illo in compendium sua redegit Thom. Stapletonus in Promptuario. Scripsit vero etiam Stella de ratione concionandi librum; seu *Rhetoricam Ecclesiasticam*, Salmanticae 1567. & 1596. inde Venetiis, Lugduni, & Coloniae editam, una cum ipsomet Commentario in Lucam. Ceterum observavi quædam in Josephi Hallii Scriptis Asceticis, quæ e Stellæ Commentario hausta videntur.

11 Jesuita doctissimus, cujus jam supra, cum de Rhetoribus ageremus, mentio facta a nobis est, LUDOVICUS CRESOLLIUS, scripsit quoque, qui ad hanc classem Sacrorum Oratorum pertinent, libros, *Mythagogum, seu de sacrorum hominum disciplina*, Parisi. 1629. editum, & *Anthologiam, seu Decadem de selectis piorum hominum virtutibus*. Parisi. 1632. in lucem emissam, cui altera quoque Decas Anno 1638. successit. Sane, uti præclari omnes hujus Viri labores sunt: ita in his, quos nominavimus, exquisitissima e Scriptis Patrum collegit, & partim ipsemet commentatus est. Dictio præterea elegans, & mere Latina, cujus magnus usus in ipsis rerum argumentis esse possit. Quanquam vero non ad finem perducta sit illa Cresollii de piorum virtutibus Commentatio: id tamen, quod prodiit, certo modo supplese, quod deest, sua præstantia credi potest.

12 Aliam virtutum vitiorumque tractationem Theologicam in se suscepit GUILHERALDUS, edita *Virtutum Vitiorumque Summa*, Lugduni 1585. in 8. & Moguntiae 1618. in 4. Non infeliciter & is, e Patrum aliorumque Autorum scriptis, varia non vulgaria collegit, quibus ipse sua quoque addidit, commode sane usui Concionatorum futurus siquidem in tractandis vitiis ac virtutibus, locorum Communium instar esse possit. Quos etiam data opera, juxta ordinem Alphabeti digestos, scripsit, ediditque *Apparatum Concionatorum* FRANC. LABATA, Hispanus, Jesuita Cæsaraugustanus, primum Lugduni variis annis recusum; & tandem novis Commentariis, iisque uberrimis a Guilh. Stanihursto; cum ejus Auctario opus sub titulo *Thezauri Moralis*, prodiit Antwerpiae 1652. in fol. 2. volum. Non contemnenda quidem illa farrago est ampla satis nec usu suo destituitur: sed tamen, ut sunt istiusmodi labores, admodum imperfecta: & cui, e Patrum scriptis, e quibus sua maximam partem deprompsit, addi in-

finita

finita possunt. Multa quoque, quæ vehementer ad Locos Communes Oratoriæ sacræ pertinent, JOH. EUSEBII NIERENBERGII Scripta prodire: quorum Catalogus apud Philippum Alegambe in Bibliotheca Jesuitica legi potest: nec minus apud Nicol. Antonium in Biblioth. Hispana T. I. p. 522. Etsi enim patre Tirolenfi, & matre Bavara, prognatus sit ille, quia tamen Madriti natus est, inter Hispanos locum invenit, ibidem scilicet & omnem vitam terens. Fuit enim primus in Academia Madritensi naturalis historiæ, & postmodum S. Theologiæ lector. Omni vero eruditionis genere cumulatam describit Nierenbergium. Antonius: maxime tamen formandis hominum moribus, & instillandæ erga Deum pietati vires ingenii atque eruditionis omnes adhibentem: quo factum, ait, ut Asceticæ doctrinæ præceptor eximius atque paucis comparandus esset; ejusque libri, qui salutis negotium promovent, (& quorum magnum Catalogum recenset) vix e manibus ac sinu Hispanorum exfluere, in alias quoque linguas translati. Non minori usui esse possunt, quæ feliciter in hoc genere commentatus est ALOYSIUS NOVARINUS, qui in IV. Evangelistas scripsit, eosque notis practicis illustravit: Mosensem, Davidem, Salomonem, singularibus libris expendit: scripsit Amoris Delicias e Cantico Canticorum: Amoris Triumphum: Alchymiam spirituales: Risum Sardonicum, seu de ficta mundi lætitia: Sanctitatis Characteres: Horologium Spirituale de beneficiis Dei cognitio, & varia alia Opuscula, quæ tribus Tomis simul excusa sunt.

Magna spe nos de PETRO ALOYSIO implet Laur. Crassus in Elogiis Hom. 13 Literator. P. I. p. 380. ubi narrat, eum edidisse in lucem *Tomos II. super Evangelia*, jamque in eo esse, ut *tertium* subjungat. Vocat ipse hoc Opus *Erarium inexhaustum Oratorum Apostolicorum*: quo invidendo elogio omnibus sane videndi ejus legendique salivam mover: mihi vero visum id nunquam est, nec scio, Italica sit, an Latina potius lingua, scriptum. Poëta alioquin idem Crasso argutissimus audit: & memini me aliqua ejus Epigrammata videre, quæ laudem istam merentur; ut bene hinc etiam de non viso Opere sperare ausim. Solet enim Poëticis ingeniiis uberior patere ad præclaras meditationes campus. Contra non ita felix in iis fuit sæpius a nobis memoratus JANUS NICIUS ERYTHRÆUS, qui in *Documentis suis sacris & Homiliis*, Coloniae una cum reliquis ejus Operibus editis, præter nitidam Latinitatem, vix quicquam habet; nec unquam profundis meditationibus se immergit.

JAC. MASENIUS, cujus itidem jam alibi mentio facta a nobis est, præter 14 Rhetoricos illos libros, quibus & Civilibus & sacræ Oratoriæ non parum prodest, librum quoque Homiliarum scripsit, cui titulus *Concionator*, Coloniae post annum hujus sæculi septuagesimum excusum: in quo collecti sunt ejus sermones in Evangelia Dominicalia & Festivalia, ut vocantur: multa e Patribus collecta habent, multa quoque ab ipsomet Masenio addita, quorum usus in argumento sacro commodus esse potest. Viennæ NICOL. AVANCINUS *Orationes* edidit, de variis argumentis, tam Sacris, quam Civilibus, scriptas. Sed nimium in iis est argutiarum studium, quod ubivis frigide cæset. Scripsit & idem *Collecta e IV. Evangelistis de vita & doctrina D. N. Jesu Christi*, quæ medi-

meditationibus ad singulos totius anni dies factis expendit: prodierunt An. 1674. in 12. Has meditationes sæpe per mera tantum lemmata exponit, & admodum brevis est: eam tamen ob rationem non plane negligendus, quod sæpe unica meditatio talis, metaphora aut Enunciatio, occasionem prolixæ inventioni dat: si tamen sobrie, non ridicule, tractetur. Idem de *Meditationibus FRANCISCI SALESII*, profundi ingenii Viri, & Episcopi Genevensis, tenendum: quas ille multas & varii argumenti edidit: eminent tamen inter eas, quæ sunt de *Amore Divino*, Coloniae, si recte memini, in 8. editæ: aureum Opus, ut eas alicubi Nic. Antonius, in Hispana Bibliotheca, vocat: quanquam nec reliqui ejus fœtus contemni mereant. Certe *Introductio ejus ad vitam devotam* adeo Anglis probata est, ut in Vernaculam suam converterent, ederentque Londini 1616. in 8vo. *An Introduction to a devout life*. Vitam Francisci hujus Salesii descripsit, una cum addito Operum illius Catalogo, Carolus Augustus Salesius, Francisci Gentilis propinquus, editam Lugd. 1634. in 4.

- 15 Addimus huic Jesuitam Italum, DANIEL BARTOLUM, cujus *moralia* varii argumenti lucem aspexerunt, & in Germanicum aut Latinum idioma pleraque transfusa sunt. *Geographia ejus Moralis*, Italice edita Romæ 1665. in 12. in linguam Latinam conversa prodiit Constantiæ in 8. An. 1674. multasque continet argutas admodum de variis argumentis, moralibus æque ac sacris, speculationes: quæ & in reliquis ejus scriptis magno numero deprehenduntur, suo usu in variis occasionibus conspicuæ. Et quid de HIEREMIA DREXELIO dicemus, celebri Jesuita Germano? cujus libri propemodum omnes argumenti practici & sacri meditationibus sylvam præbent, & proinde etiam magno studio teruntur, & seorsim & junctim editi, etiam in Germanicam linguam partim conversi.
- 16 Apertius vero Locos communes Concionatoribus scripsit PETRUS BERCHORIUS, cujus *Dictionarium seu Repertorium Morale*, duobus in fol. Tomis, & *Reductorium Morale, perfectam officiorum & morum rationem complectens*, Tomo uno, qui tertius totius Operis est, Vener. A. 1583. prodiit; Coloniae Agripp. An. 1631. recusum. In Repertorio, secundum Alphabeti feriem, verba moraliter, e S. Scriptura, explicantur: in Reductorio autem sub classibus rerum continentur moralia: ut adeo conceptui meditationum illud Lexicon quam optime inferviat.
- 17 E Reformatis Gallis PETRUS MOLINÆUS, g) ut alijs in rebus multis excellit, &

g) Confunduntur *h. l.* ob *ὁμωνυμίαν* duo Petri Molinæi, Senior atque Junior, ille Pater, hic Filius. Pater, Professor initio Academiae Lugduno-Batavæ Philosophicus, dein Ecclesiæ in suburbio Parisiensi Reformatæ Charentoniensis Pastor, & Athenæi tandem in Gallia Sedanensis Theologus, Scriptor πολύγραφος. & plurimis præsertim bellis Sacris, adversus Pontificios depugnatis, inclytus, qui d. 10. Mart. An. 1658. nonagenarius obiit, a Claud. Sarravio, *Ep. 31. ad Vinc. Fabricium p. 33. Veteranus Christi Miles, fortisque Athleta*, salutatur, Autorque est *Tractatus de Cognitione Dei*, Latine Lugd. Bat. An. 1625. in 12. Gallice Hagæ Comitum A. 1631. in 18. Germanice autem Uratislaviæ An. 1632. & Lipsiæ An. 1694. in 12. publicati. Qui, licet a Morhofio *h. l.* non celebretur, Scriptoribus

& imprimis πολύγλωσος erat, *Veteranus Christi miles, fortisque Athleta*, ut eum Sarravius in Epistola quadam vocat: ita inter Asceticos ejus libros eminet ille, quem *de Pace anime* Gallico sermone conscripsit, in Germanicum postea translatus, & multoties editus. Plura ejus alia exant in Gallis junctim edita; etiam Belgice, ni fallor: sed in Germanicam linguam versum nihil ab eo quicquam vidisse me memini, quam librum jam memoratum, & alium de *Cognitione Dei*. Sunt vero omnia ejus solida, & e principiis suis constanti & ornata oratione deducta. Longeque adeo superat Molinæus PETRUM SERRANUM, seu *de la Serre*, popularem suum Scriptorem, alias haud incelebrem: cujus libri multi Theologici & Moralis argumenti extant, omnes etiam in Germanicam linguam nostram conversi. Nimirum multa apud illum sunt inania rerum & verborum simulachra, quæ tinnunt tantum & aures implent; non afficiunt animum aut movent. Nec respondet sibi semper ille in Operibus suis: interdum enim argutius scribit, interdum jacet & humi repit: adeo, ut suspicer, eum non semper fuisse usum suo ingenio, & ex aliorum fontibus nonnunquam quædam in suum alveum derivasse. Liber ejus de æternitate argutissima multa habet, sed mere gnomica, allegoriis multis vestita.

Inprimis autem hoc Asceticum scribendi meditandique genus excoluerunt *Angli*, apud quos ingens librorum talium numerus reperitur: e quibus si Observationes Præcticae, omissis prolixioribus illis digressionibus & applicationibus, in ordinem colligerentur, tale opus emerfurum Franc. Baco Verulamius olim judicabat, quo, post Apostolorum tempora, nullum prodiisset in Theologicis melius. Nec cunctanter assensum Verulamio præbuit Hottingerus, qui & rationes asserti ejus allegat, & magnum Scriptorum Anglicorum Catalogum, juxta literarum seriem digestum, exhibet, Bibliothecarii Quadrip. lib. 1. c. 3. Vellem vero, selectum aliquem in illo catalogo adhibuisset Hottingerus, nec, cum de Asceticis eum solummodo acturum putares, alia quoque Theologica magno numero admiscuisset: cum
fatius

tamen Ecclesie in Gallia Reformatæ Homiletico-Asceticis potioribus, ob non pauca Monumenta sacra hujus argumenti insignia, recte accensetur, imo a Gish. Voëtio (*Lib. 1. Biblioth. Stud. Theol. c. 17. p. 256. 257. & Lib. 2. c. 3. p. 640.*) ac Gerh. Meiero (*Lib. II. Biblioth. Theol. Contractæ, c. 11. p. 255.*) jam est annumeratus. Petrus autem Molinæus Junior, Canonicus Cantuariensis, & Aulae Regiæ Anglicanæ Ecclesiastes, cujus Scripta Morhofius *b. l.* deprædicat, libro Gallico plane aureolo *de la Paix de l'Amo, & du Contentement de l'Esprit*, præcipue inclaruit, Sedani An. 1660. in 4to primum edito, eademque lingua Genevæ, Salmurii & Amstelodami, sæpius recuso, in Germanicam autem a Christ. Ryslélio (*dem Beschirmten in Carpophorum Ordine*) Lipsiæ A. 1666. & 1685. in 12. ac in Belgicam a J. Sanderò Amstelod. A. 1662. in 12. translato. Præter hunc Germanice etiam leguntur, & una cum illo Hamburgi A. 1693. in 8vo lucem viderunt publicam, ejusdem Molinæi Junioris Meditationes de Amore in Homines divino, Preces & Meditationes Sacræ in Dies Septimanæ totius singulos, Præparatio ad Cœnam Dominicam, & Commentatio de Fide Justificante. E quibus Preces Quotidianæ & Præparatio ad Cœnam Dominicam (seorsim etiam Danice Hafniæ A. 1657. in 12. edita.) cum eodem de Pace Animæ Libro, Anno sequenti 1694. Amstelodami in 12. Belgice itidem, Interprete H. Dullarto, prodierunt.

fatius fuisset, ex ipsismet Observationum practicarum (uti vocant) Collectoribus nonnisi præstantissimos apponere. Inter quos numerandum puto JOHANNEM DONNE, Ecclesiæ S. Pauli apud Londinenses Decanum. Ingeniosissimum fuisse, *Poëmata ejus juvenilia* ostendunt, Londini A. 1633. in 4. edita, quæ annò ætatis 18. scripsit, plena argutissimorum conceptuum: quorum aliquot in linguam Belgicam vertit Constantinus Hugonius, a Carolo II. Rege sollicitatus, qui inimitabilem Germanis & Belgis hujus Viri stylum putabat. *Sermones vero Sacros* elegantissimos & multos, & in varios S. Scripturæ textus, emisit Londini diversis annis. Scripsit & *Meditationes super morbo suo Sacras*, quæ in linguam Belgicam conversæ, & Amstelodami 1655. in 12. editæ sunt. Scripsit & librum, quem a tali Viro scribi potuisse plane mirere, quippe qui *αὐτοκτενιστικὸν* certis in casibus licitam quoque esse affirmaret: titulus: *Βιάδολύτως: that Self-murder is not so naturally a sin, that it may never be otborwifc.* editus vero liber demum post mortem Auctoris est: atque, ut ajunt, ipso etiam, dum viveret, ejus editionem serio deprecante prohibentemque Londini 1648. in 4. At mox, cum prodiisset, adeo se multis hominibus probavit, ut haud pauci ejus lectione ad mortem voluntariam adacti memorentur: reclusus certe iterum Londini est 1664. Et haud dubie dedit occasionem scribendi alii libro, nescio cujus Anonymi, qui perniciosissimam opinionem ex animis hominum evellere haud abs re tentabat: *Pellicanicidium: or the Christian Adviser against Self-murder: together with a guide, & the pilgrims pass to the land of the living.* Lond 1653. in 8. Sed ad alia.

19 JOSEPHUS HALLUS, notissimus omnibus Scriptor est, Episcopus Excestrienfis, cujus varia extant, quæ plurimam partem, vel in Belgicam linguam, vel in Germanicam conversæ sunt. *Biblicæ ejus Visiones* meditationes morales continent in historias utriusque Testamenti; quarum usus ad argumenta Sacra non spernendus est. Scripsit & seorsim alia Opuscula multa, quæ in vernaculam nostram transfusa vidi. Nec minus strenue adversus Pontificios & Brownistas suæ Ecclesiæ veritatem libris aliquot defendit. Ingeniosus etiam est & argutus RICH. WHITLOK, a quo *ζωροποικὸν* habemus, i. e. *Observationes*, quibus Anatomem vivorum per mortuos tractavit: Londini 1654. in 8.

20 Sed & ille celeberrimus nominis inter Anglos Vir, Physicæque inprimis doctrinæ magnus Restaurator, ROBERTUS BOYLE, Sacris meditationibus se impendit libro Anglico, cui titulus: *Of the Seraphic love, or Motives and incentives to the love of God:* qui, in Germanicam quoque linguam conversus, *Der himmlische Liebes Triumph* dictus est. Occasionem scribendo dederat Vir illustris, nescio quam mulierculam perditè amans: quem Boylius, ut ab isto amore ad amorem purissimum sanctissimumque abduceret, eum, quem diximus, librum, eleganter scriptum, multisque repletum egregiis meditationibus, illi nuncupavit. Idem *de Stylo S. Scripturæ* librum composuit: aliumque, mole quidem exiguum, sed haudquaquam momentis, *de Natura*, in quo Deum in Creaturis monstrat.

Alias

Alias præstantissimus *ἀσκητικὸς* cujusdam liber est Asceticus, omnibusque Anglis maximo in pretio habitus: *the Holy Duty of men*; quod Latine *Sacrum Christianorum officium* vocares: cui multum omnino tribuendum est, utpote optimis meditationibus undique repleto. Neque tamen hic omittendus inter Oratores Sacros & Anglos erit HENR. HAMMONDUS summus Vir, cujus *Homiliae*, ut adpersam ubivis exquisitam eruditionem, sine omni affectatione aut thrasonico frigore, ostendunt, ita non minor masculæ eloquentiæ ars, & illa animos penetrandi blanda vis, quæ se legentibus usque insinuat, & argumentorum pondere cito vel nolenti persuadet.

Sed quis omnes tandem recensere poterit? Et hoc peculiare Virorum alii-²² quot institutum. Nam, sicuti, Guill. Growæus, Anglus, Elenchum Interpretum S. Scripturæ edidit Londini 1672. in 8. in eoque quotquot noverat S. literarum Commentatores Græcos, Latinos, Anglos, Gallos, Germanos, Hispanos, Italos, sedulo digessit (etsi imperfecta opera, cui plus altero tanto propemodum addi potest), eoque labore bene de *ἐκρηγῆσεως* sacræ studio meritis censeri debet: ita ad moralem quoque Theologiam & Homileticam aptatus præcipue index alius est Scriptorum Anglicorum, præcipue moralium; super Verus & Novum Testamentum, editus Londini 1668. in 8. cui, tanquam Locis Communibus, addere quis potest Autores alios, quos observat: siquidem longe plures in ipsa Anglia quoque sunt, quam qui illic notantur. Possunt vero tum & aliarum nationum Autores simili plane modo addi. Quodsi quis ex omnibus quasi cinnum confecerit, & explicationes singulis textibus adjecerit, vastum ille opus posset consarcinare, & magni omnino in Sacris Oratoribus usus.

Si nostratium Sermones sacros recensere velimus, inprimis Vernaculo sermo-²³ ne conscriptos, quos *Postillas* vulgo vocamus, unus iisdem liber non sufficeret. Et præterea nimis clara sunt notaque nomina *Cheemittii, Arndii, Humii, Gerhardi, Glasfii, Littkemanni, Balduini, Schmidii, Dannhaweri, Geieri, Walthèri, Mülleri, Strauchii*, quam ut nostra hic instituenda recensione opus haberent *h*). Sunt & sexcenti alii, Kkk kkk 2
quos

h) Inter Scriptores Homileticos & Postillatores, quos vocant, Ecclesiæ Lutheranae, Morhofio præ aliis probati sunt Mart. Lutherus ipse, Joh. Arndius & Henr. Müllerus, Theologi eximii, & in vera Christianismi, tum doctrina, tum Praxi, inculcanda nulli secundi, de quibus Verba ejus ipsissima, e Prolegomenis *Collegii Sacri Oratorii in Pericopas Evangelicas Amiversarias ἀνεκδέρξ*, iubet addere: *De Germanis Scriptoribus pene prætermissem aliqua dicere. Et, si verum fieri velimus, parva illorum seges est. Postillarum & Postillatorum turba infinita pene, sed e quibus oppido pauci sunt, qui elegantius quid sapiant. E quibus superiore seculo habemus Lurberi, aliorumque doctissimorum Virorum; Scripta Practica, plena pietatis & solidorum Enthymematum, ad Themata Oratoria necessariorum. Sed ii, contenti rem docuisse, de ornamentis non multum solliciti fuerunt: quamquam in Lurberi scriptis nihil possit desiderari etiam ad ornatum elocutionem. Mibi præ cæteris vehementer semper placuit Joh. Arndius, profusiorum sensuum investigator, qui ea sepe affert, de quibus non cogitarunt alii, secundum Enthymematibus & argutioribus etiam meditationibus. Novissime Henr. Müllerus magna diligentia conquistavit rariora Cogitata, in suis ad Pericopas Evangelicas & Epistolicas Homiliis. - - Nullus est*

quos aut sponte præterimus, aut ne cognitos quidem satis habemus. Eos interea, quos nominavimus, ceteris palmam præripere, seu quod Exegesein dictorum Biblicorum & pericoparum spectat, seu quod moralem eorundem applicationem, forte nemo negaverit. Latine Meditationes in Evangelia planè eximias composuit CONR. DIETERICUS, in celebri illa omniumque Studioforum manibus suo merito trita *Analyti*: in qua non solum Evangelicas pericopas solide explicat, sed & in pertractandis Locis Communibus præcipue est, adhibitis quoque frequentissime Patrum sententiis, operosus. Non minus præclare idem argumentum pertractat SALOM. GLASSIUS, Vir in Sacra Philologia omnium longe versatissimus; & præterea solidæ pietatis laude clarus; in *Explicatione Evangeliorum & Epistolarum Dominicalium & Festivalium*: qui liber in omnium quoque manibus est: in allegoriis felix est ante omnes *Frid. Balduinus*, a quo *Christi Adventum Typicum, & Passionem Typicam, duabus partibus absolutam* habemus. Conquirat ille e Veteri Testamento typos, & ingeniosè non minus ac eleganter ad Christum egregiis Meditationibus applicat.

24 Longe plura possent hic proferrè ex omnium nationum Scriptoribus, si id nunc nostri instituti res foret. Nondum enim e Gallis quenquam produximus, quorum tamen, egregiorum, magna copia est: nec ex Hispanis, nisi unum alterumve, cum prolixum eorundem Catalogum, sub finem Tomi secundi Bibliothecæ suæ, Nic. Antonius recenset. Neque sane possumus, quin ex Hispanis præferamus unum, quem quidem Antonius non nisi obiter fere memorat, sibi quippe ignotum, sed qui nobis maximopere commendandus videtur. Est is JOANNES de VALDES, qui, præter *Commentarium in Epistolam Pauli ad Corinthios*, Antonio memoratum *Decem quoque Divinas Considerationes* Hispanico sermone scripsit; quæ a Claudio de Requien, Parisino, in Gallicam idioma; a Cælio Curione vero in Italicum sermonem, conversæ sunt editæque postremum Lugduni 1563. in 8. Plenissimæ pietatis illæ meditationes sunt, & plane ad gustum Theologiæ sincerioris scriptæ, adeo, ut nihil Pontificii fermenti occurrat. Et mirum omnino est, vixisse jam tum illo tempore homines sub illis Papismi tenebris latentes, qui altius rimati fuerint pietatis arcana. Dignus profecto esset liber, qui in linguam Latinam verteretur aut Germanicam: qui interdum adeo cum nostro Arndio conspirat, ut uno ore propemodum locutus videatur. Intime semper actiones nostras rimatur, veramque Christianismi praxin magna diligentia ostendit, ob id unice commendandus.

25 Solet alias ex Hispanis maximopere laudari, atque adeo ceteris anteferrè omnibus, LUDOV. GRANATENSIS, de quo tacere mavult Antonius, quam pauca dicere, omnium quippe nationum hominibus mirifice probato: & in quo, ut ait, Deus illam sapientiæ atque eloquentiæ formam, qua arduum illud ad necessarium salutis negotium

tractan-
est e recentioribus Homileticis Scriptoribus, qui secundior sit Porismatibus, e textu deductis, quam Müllerus: Horreum Opus illud dicas, & quasi Locos Communes Locorum, quibus magno cum fructu quis uti poterit. Sunt enim Omnia pulchra, arguta & illustria, sed, si justæ Orationis concinnitatem videas, ejus sane mensuram multis modis excedunt. Existimem ego, multorum Annorum Labores, vel multos Sermones, in unum ab Autore compactos, unde illa totius inconcinnitas oritur.

tractandum & familiare imbecillitati humanæ reddendum est, ostendere nobis & commendare voluisse videtur. Proponit quoque illum, ut exemplum eximii Oratoris sacri suis lectoribus Ren. Rapinus. Vix autem numerus iniri potest Concionum & librorum Asceticorum, quos edidit Ludovicus, & qui tanto omnium applausu, statim atque prodierunt, excepti sunt, ut, referente Nic. Antonio, in novem diversarum nationum, etiam barbararum, linguas converterentur: ipseque Granatensis modo ad Bracharensem Archi-Episcopatum a Catharina, Lusitaniæ Regina, matre Sebastiani Regis; modo ad purpuratorum Aulæ Romanæ dignitatem Cardinalitiam a Sixto V. Pontifice, ultro peteretur; quem tamen utrumque summæ dignationis honorem ipse constanter abnuvit. Catalogum librorum illius omnium exhibet laudatus sæpe jam Nicol. Antonius T. II. p. 31. seqq. Neque vero solum *Conciones* scripsit ille, sed & *Rhetoricam Ecclesiasticam*, Olyssipone primum 1576. in 4., & Coloniae postmodum 1578. & 1582. editam: & *Sylvam Locorum Communium*, qui in Concionibus occurrunt: Lugd. 1582. in 8. &c.

Stupebat vero ipsemet Ludov. Granatensis JOHANNEM de AVILA, Almo-²⁶ dovera Castellatum, qui cum alio hujus nominis Jesuita Madritensi confundendus non est, cujus tanta erat, ut ajunt, perorantis & insectantis vitia vis, ut vix concipi major robustiorve possit, ipsique propemodum muri ædium, in quibus concionabatur, conenti, auditoresque, velut fulmine aliquo tacti, toti cohorrescere & ardere viderentur. Meruit sane iis orationibus suis, & sacro per Hispaniam Bæticam munere docendi, nomen *Apostoli Bælici*; speratque Nic. Antonius fore, ut aliquando Ecclesiastica *Ἀποδεύσει* in Sanctorum numerum recipiatur. Non alio vero scripsit ille, nisi vernaculo sermone: quanquam aliqua ejus in Italicum sermonem æque ac in Gallicum, Belgicum, Anglicumque, conversa sunt. Adeo scilicet omnibus magni sit: itque, si Andr. Schottum in Hispana Bibliotheca audis, non immerito. *Magna enim in dicendo ei fuit & scribendo energia, vis atque efficacia, ut, quæ velit, persuadeat, sensusque rapiat & extra se. ponat, nec doceat solum, sed & delectet, sectat denique ad omnem impetum. Summa sermonis venustas, quia verborum affectatio abest, & perspicuitas maxime elucet, quæ prima Orationis laus est Oratoribus. Christiana vero eloquentia est ab animo profecta, non in labiis natans, ad ostentationemque, vel inanem gloriam captandam, plaususque imperiti vulgi comparata, sed communem utilitatem, salutemque animæ unice spectans.* Hæc Schottus, qui de Epistolis Avilæ æque præclare sentit: *in quibus, ait, tum alia innumerabilia, quæ lectorem, si utilitatem spectat, alluciant & retinent, lætæque iterum invitant (expertus loquor), tum vero maxime optimi verbi Dei præconis Evangelicæ prædicationis exemplum vivis coloribus ita depingit, ut nullum in eo genere pingi possit perfectius.* Et sane non de vulgo Declamatorem fuisse, vel illud etiam argumento est, quod Hispani ob sacros sermones suos, velut reus impietatis aut hæreseos, ad Inquisitionis iudices delatus est, coram quibus tamen, vel tacendo, nihilque omnino reponendo, calumnias actorum retudisse dicitur a Nicol. Antonio: qui & Opera ejus edita, inedita, magno studio recenset; & Vitæ Scriptores Ludovicos duos, Granatensem scilicet atque Munnozium.

27 Idem Antonius ex Hispanis Oratoribus sacris Ascetisque, præter eos, quos enumeravimus, imprimis extollit ALPHONSUM LOBO; seu LUPUM, Seraphicorum ordinis Franciscanum, & æqualem Avilæ, cum quo aliquibus comparatus est: etsi, si ad Eloquentiæ regulas severe exigeretur, Frider. Borromeo Card. iudice, nec eloquentiæ multum haberet, nec doctrinæ, nec verborum nitor elucere in ejus Oratione, nec ordinis, nec gratiæ satis: ipsa tamen simplicitate sermonis, & pia gravitate, tum movendi animos vi magnum sibi nomen acquisivit. Celebrantur præterea Hispani Ascetæ, ALPHONSUS MADRITIUS, ex Ordine Minorum: DIDACUS PENZ de VALDIVIA, Joh. Avilæ discipulus, Ecclesiastes & S. Literarum Professor Barcinonensis: qui & conciones plurimas, librosque Asceticos, Latine & Hispanice scriptos edidit, & librum *de Sacra concionandi ratione*: Barcinone 1588. in 4. Antwerpia 1598. in 8. recusum. FRANCISCUS ARIAS, Jesuita Hispalensis, Avilæ familiaris, cujus librorum magna pars a Joh. Busæo, Leonh. Credero, aliisque Jesuitis, Latine ex Hispano versi, in Germania prodierunt; & quos ad devotam vitam imprimis Franc. Salesius, annotante Nic. Antonio, juxta cum Granatenis Operibus, commendavit. ALPHONSUS RODRIGUEZ seu *Roderici*, Pincianus, Jesuita, variis per Hispaniam urbibus datus Ecclesiastes: HIERON. GRACIANUS, a *Matre Dei* cognominatus, Carmelita, variis procellis jactatus, suorum sodalium invidia, & piratarum barbarie excitatis. LUDOVICUS PONTANUS, vel Hispanice *de la Puente*, Jesuita magni nominis, & de quo inter sanctos referendo Romæ jam agitari cepit: adeo scilicet erat ipse de sanctitate sua persuasus, ac, si DIs placeret, etiam certus, ut non solum lethalis nullius culpæ conscius sibi esse vellet, sed &, vigesimo ante obitum suum anno, voto quoque sese adstrinxerit venialium leviorumque peccatorum deliberatam admissionem evitandi: quo ex tempore nihil potuisse in ipso notari contendit Phil. Alegambe, quod constaret esse reprehensionis capax. Sed nos quidem sanctos tales suis cultoribus relinquimus; Pontani mentionem hic, non nisi Ascetæ inter Hispanos celebris facientes. Cui tandem Antonius *Joh. Euseb. Nierembergium* adjungit, de quo supra; & JOH. PALAFOXIUM, Episcopum Angelopolitanum in Nova Hispania Americæ, cujus etiam Prorex constitutus erat. Hujus vero cum Jesuitis lites multæ & graves admodum fuere; adeo, ut plus semel capitis periculum adiret, & in latebris occultare se cogeretur: Vir optimus, & virtutibus, quæ Episcopum decerent, abunde ornatus, Nic. Antonio referente. Et multo etiam magis innocentiam vitæ ejus atque dogmatum urget, & adversus Jesuitas persecutores gravissime insurgit Anton. Arnaldus Tom. III. *de la Pratique Morale des Jesuites*. Edita quoque est peculiari libello Historia hujus Episcopi, Gallice conscripta, apud Batavos, Amstelodami, ni fallor, A. 1690. in 12. Sed & ipse sui Historiam vernaculo sermone conscripsit, sub titulo: *Vita interior cujusdam Peccatoris penitentis*. Illud imprimis in hoc Viro mirum: eum, cum perpetuo Juris studio operam navasset, essetque ad eum usque diem, quo Episcopus factus est, amplissimis muneribus politicis reipublicæ procurandæ addictus, tanto tamen animi vigore, tantoque spiritu, sacra dein tractasse. Sane, si Theologiam professus fuisset, ait Nic. Antonius, haberet plane hæc ætas, quem, in promovenda coram populis morum

doctri-

doctrina, concitandis, componendisque affectibus, audientiumque animis ad arbitrium fingendis, veterum novorumque eloquentissimis opponeret. Quem tamen defectum egregie supplevit libris quamplurimis, pro se relictis, quos insigni quodam elegantie atque fecundie paratu, nunquamque cessantibus vivacissimi ac fertilissimi ingenii luminibus, quasi ex tempore, nullo utique lituræ dispendio, a domesticis accepimus, instruebat simul, & ad unguem perficiebat. Libri illi omnes Hispanica lingua scripti sunt, adeoque apud nos rariores. Catalogum ex Antonio pete.

Sed propemodum nos longius avexit Hispanorum Oratorum recensio, quam decebat. Quod si e Gallis unus etiam aut alter addendus esset, æquos rectius eligeremus, quam Jesuitas duos, quorum Rapinus meminit libro superius citato, quos omnium hujus seculi Oratorum sacrorum, sibi quidem notorum, perfectissimos fuisse censet. Unus eorum est CLAUD. LINGENDIUS, le Pere de Lingendes, cujus non solum omnem habitum corporis atque mentis a natura prope ad sacram Oratoriam efformatum affirmat, cui subacta quoque Theologiæ omnis peritia accesserit: sed & inprimis eloquentia fuisse plane admiranda. Audiamus ipsum, quandoquidem paucis verbis tantum non omne Concionatoris egregii artificium pandit, ac velut ideam nobis aliquam repræsentat. *Ses raisons se soutenoient tellement (ita de Lingendio Rapinus) les unes les autres, que les dernieres étoient toujours plus fortes, que les premieres: & outre, qu'il n'y avoit rien de faux, ny rien d'égaré dans son raisonnement, que tout y étoit solide, la force de son discours alloit toujours en s'augmentant comme par degrez pour frapper encore davantage les esprits à la fin, qu'au commencement. Enfin son véritable talent étoit d'éclairer pleinement, l'entendement, & de toucher encor plus fortement le coeur. Tout son Discours étoit un éclaircissement merveilleux des matieres, qu'il traitoit: & apres avoir jeté dans l'esprit la semence des mouvemens, qu'il se proposoit par une abondance & un épanchement de lumiere, dont il étoit plein, il faisoit joier tous les ressorts de l'ame par tous les mouvemens, dont il la songeoit capable d'être touchée: & il enflammoit le coeur par tout ce, qu'il y avoit de feu & d'ardeur dans les passions, dont il scavoit l'art par une Rhetorique particuliere, qu'il s'étoit faite. On ne craignoit jamais tant de voir finir, que quant il étoit prest de le faire: car c'étoit alors qu'il entroit dans les coeurs, pour s'y rendre le maître, & pour y faire ce, qu'il luy plaisoit.* Addit Rapinus, tantam fuisse ejus eloquentiæ vim, ut nonnulli vitæ liberioris homines impii ausi non sint eum audire, veriti, ne rationum, ab ipso allatarum pondere vincerentur, & vel invitati ad saniores mentes cogerentur. Enimvero præcipue terrendo suorum animos in officio tenere solebat: persuasus cum Quintiliano, naturaliter plus valere apud plurimos malorum timorem, quam spem bonorum. Cum contra longe alio modo suas ad populum sacras orationes efformavit, alter e duobus, CASTILLONIUS, le Pere Castillon. Omne hujus artificium in eo inprimis se exercebat: quod sine arte se sua proferre simularet, ingeniosissime cogitata, velut e vestigio sibi subnata, nosset eloqui: haudquaquam quæsitis argutionis, aut fucatis, pietæ orationis incrustamentis, adfuerus, qui mos nonnullorum pessimus est: sed potius magnam simplicitatis, neglectæque artis imaginem in arte summa; & in exquisita argumentorum collocatione nil præter ipsum naturæ ordinem; in efficacissima animos solidis argumentis penetrandi vi colloquentis speciem præ

se ferre & retinuisse perpetuo videretur. Quo factum, ut & gratissimus omnibus esset, & persuaderet, quodcunque vellet, pro lubitu: volebat autem semper in argumentis gravissimis.


29 E Reformatis Gallis celebres inprimis sunt JOH. DALLÆUS, junior, editis Sermonibus Sacris, rerum ubertate scitentibus, celebris: ALEXANDER MORUS, cujus concionibus, Genevæ editis in 8. nihil ingeniosius suaviusque. PETRUS BOSCIUS, ⁱ⁾ magni nominis apud illos Vir; nec sane spernendus ullo modo Orator; JOH. CLAUDIUS, cujus tempore motuum postremorum circa religionem in Gallia, magna inprimis in avertendis, quam diu licuit, Ecclesiarum Protestantium, malis, pars fuit: nec minor apud suos æque ac Pontificios bene multos auctoritas. Hujus igitur Sermones etiam prodierunt ingeniosi, ut sunt omnia Ejus Viri, solidaque Eloquentia commendabiles, dictione vero longe suavissimi.

30 *Utrum Anglis sua surripuerint Galli*, vicina quæstio est, nec tamen usque adeo magni momenti. Thomas Spraat, in Observationibus suis ad Sorbierii Iter Anglicum, Belgas Theologos hujus plagii insimulat. Sed quid inde? Ita fieri solet, & factum ab omni ævo est, ut gens altera alteri exemplo & disciplinæ esset. A Græcis pleræque sua capiebant Latini: Græci ex Oriente & a Barbaris: Latini postea, prorogatione dominatus sui, pene totius rerum orbis fuerunt pedagogi. Verum est, Anglos in hoc genere reliquas gentes antecellere: sed id nec difficile est, nec mirum est, cum otio abundant, & rebus omnibus, quæ ad digne elaborandum aliquid requiruntur. Hispanos Anglis Gallisque præfert Barthius: & asserere non veretur, omnes Gallorum libros Hispanis esse per plagium surreptos: injurio, & nescio qua affectuum intemperie protruso judicio. Sed hæc alius loci sunt: & a nostro instituo propemodum aliena. Ergo nihil amplius in Sacra Oratoria moramur, sed ad aliud argumentum procedimus.

ⁱ⁾ Petri du Bosc *Sermons sur divers Textes de l'Écriture*, junctim Tomis II. Roterodami A. 1692. in 8. Joh. Claudii autem *Oeuvres Posthumes (Opera Posthuma, non Dogmatica solum & Polemica, sed & Homiletica)*, Tomis V. Amstelodami A. 1688. & 1689. in 8vo, prodierunt.

FINIS LIBRI SEXTI.





POLYHISTORIS LITERARII

LIB. VII.

POETICUS.

CAP. I.

DE

SCRIPTORIBUS, AD ARTEM POETICAM FACIENTIBUS.

§. I. *Poëtes antiquitas, dignitas, utilitas. Investiva in ejus Calumniatores, inprimis Tan-
quillum Fabrum Iunioem. 2. Artis Poëticæ Magister Antiquissimus & præcipuus
ARISTOTELES, qui contra Censores iniquos descenditur. 3. Poëticæ Aristote-
lis Editores, Interpretes & Commentatores, fusc enumerantur, duoque novissimi, Ren.
Rapinus, Iesuita, & Andr. Dacierius (quorum de reliquis recitantur Iudicia, sibi in-
vicem contraria,) omnibus præferuntur. Controversia inter Rapinum, & Sodalem
ejus, Franc. Vavassorem, de illius Scripto, Literaria. 4. Latinus Artis Poëticæ Scri-
ptor, Q. scil. HORATIUS FLACCUS, cujus etiam Censores, Vindices, Inter-
pretes & Exegetæ, recensentur. 5. Græculi Ævi Medii, Anonymus Certaminis Ho-
meri ac Hesiodi Scriptor, & Isaacus ac Iohannes Tzetza. Latini Recentiores, Maca-
rius Mutius, Camers. 6. Iul. Cæs. Scaliger, cui plagium a Casp. Barthio, Editioni-
bus autem ejus Genevensibus falsi & hereseos crimen a Possentino, frustra intentatur.
7. Iac. Pontanus, Gerb. Ioh. Vossius, Laur. le Brun, Iac. Masenius, & aliquot Hispani.
8. Hispani de Comædia & Tragædia Scriptores, qua occasione adversus Nicol.
Antonium, Comædiam Hispanicam, ejusque præcipuum Instauratorem, Lupum Felicem
de Vega, Græcis atque Latinis Comicis Tragicevæ Veteribus præferentem, fusc dispu-
tatur, nec tamen veræ istius laudes reticentur. 9. Scriptores de Poësi Dramatica
Galli ac Itali, Pet. præsertim Cornelius, Novator & Iason Denores, Antiquorum Hy-*

peraspistes, cujus Litium de Tragico-Comædiis modernis cum Job. Bapt. Guarino Historia e Thvano repetitur, addito Nicæ, Comædia Nicol. Machiavelli, Elogio. 10. Alii de Dramatica Poësi Scriptores, Job. Dryden, Job. Meursius, &c. *Controversiæ*, Dan. Heinsio ob Fabulas Ethnicas Sacris, in Herode Infanticida, iministas, a Job. Ludov. Balzacio motæ, Scriptorumque Utriusque, nec non Claudii Salmafii & Job. Croji, quibus ista ventilata est, Eristicorum, Historia, adjectis Æg. Menagii & Autoris Judiciis. 11. De Satyris Scripta Franc. Robortelli, Jf. Casauboni, Dan. Heinsii, Ezech. Spanhemii, Nicol. Rigaltii. 12. Artis Epigrammaticæ Scriptores, Thom. Correa, Car. a S. Antonio, Nicol. Mercerus, Franc. Vavassor, Jac. Masenius, &c. 13. De Epico Carmine Mambrunus, Torqu. Tassus, le Brun, Ren. le Bossu, &c. De Elegia Thom. Corréa; De Eclogis Ren. Rapinus & Æg. Menagius. 14. De Poëmatum Cantu & Rhythmis Jf. Vossius & Arius Barbosa: De Furore Poëtico Pet. Petiti & Joach. Fellerus. 15. De Imitatione Poëtica Bern. Parthenius & Casp. Barthius. De Furtis Poëtarum & Similibus Cogitatis, Aretades & Ægidius Menagius, ipse plagiorum talium ab Adr. Bailletto insimulatus, contra quem in Anti-Bailletto se defendit. Dion. Longini & Autoris de his Judicia. Speronis Speronii in explicandis Scriptoribus obscurioribus versutia. Monitum de Oratoribus a Poëta legendis. 16. Inter Autores, qui Syllabarum Quantitates collegerunt, Sam. Glonerus & Ol. Borriehius eminent: Magnorum Virorum in Metro errores a Casp. Barthio, aliique notati. 17. Mythologiæ Poëticiæ Scriptores, Lil. Greg. Gyraldus, Gerb. Job. Vossius, Nat. Comes, Henr. Schævius, Franc. Pomey, Jac. Masenius, Ezech. Spanhemius, Rob. Stephanus, (Raph. Volaterrani plagiarius) Car. Stephanus a Thoma Reinesio & Nicol. Loydio emendatus & auctus. 18. Georg. Cheroboscus de Tropis Poëticiis. 19. Collectores Phrasium & Epithetorum Poëticorum, tam Græcorum, quam Latinorum, varii. Consilium de ratione concinnandi Lexici Poëtici. 20. Scriptores aliquot de Vernacula variarum Europæ Gentium Poësi. 21. Philantia Poëtarum a Jac. Gaddio & Casp. Barthio notata, ab Æg. Menagio defensa.

Absoluta Eloquentia soluta ad ligatam accedimus; quæ, ut antiquitate illam, nemine contradicente, multis etiam sæculis anteit: ita dignitate profecto etiam haudquaquam illi tantillum concedere est existimanda: Ecquis enim nescit, omnem Veterum Sapientiam, omnem Philosophiam, atque Theologiam, in Poëtarum Scriptis reconditam fuisse? quis Tragediæ veteris gravem in coercendis emendandisque hominum animis vim? quis Comædiæ non festivos minus & acres, quam salubres ad perfricanda vitia spectatorum, sales? quis Epopœiæ ingentia ad virtutem, etiam in Heroum animis, incitamenta ignorat? Civilemque prudentiam, & subactissimam moralis philosophiæ, quandoque & Physices, peritiam, omnisque demum eruditionis multifarium apparatus uno quandoque poemate delitescens? Ut jam de Elegantiâ poematis nihil dicam. Certe, quanquam acriorem illum Jul. Cæs. Scaligeri, indignantis, fervorem meum non faciam, qui ne in hominum quidem censu reponen-

dos putarit, qui Poëtarum lectionem damnent, agrestes atque aspero supercilio brutos homines: tamen, nulla ratione detractoribus Veterum Poëtarum, ipsiusque adeo Poëseos, accedendum serio, atque haud invitus, ajo. Frustra enim abusus hic adducuntur, qui, hominum improborum scelere, ne e sanctissima quidem nostra Theologia absunt, ceteras vero artes humanas omnes late pervadunt. Sed non opus est, ut hic Poëtices Apologiam scribamus, quam tot summi Viri satis jam defenderunt; & cui propria virtus instar clypei est, inanes Calumniatorum ictus impune excipiens confringensque. Scripsit, ut e plurimis unicum nominemus, adversus iniquos illos hostes Poëtice, Orationem elegantissimam JOH. CASELIUS de Arte Poëtarum inscriptam, quam, ut sunt omnia ejus Viri plane eximia, legisse non pœnitet. (Nuperrime vero novus præstantissimæ Artis accusator, DI magno apparatu, in scenam prodiit, TANAQUILLUS FABER, Tanaquilli illius celeberrimi filius, quod mirare, Annæque Daceriæ germanus frater. Hunc, neque institutio Patris, neque ipsa Poëtarum lectio, nec eruditissimæ Sororis exemplum, dimovere potuit, quo minus de Futilitate Poëtices futilem librum scriberet, Amstelodami A. 1697. in 8. editum; quem legere profecto non possis absque tacita admiratione, qui in hæc frigida delabi Vir doctus potuerit: adeo nihil contra Poëticen in medium affert, de qua tamen loqui instituit: Poëtas solum ubique, & ut plurimum præter rem, carpit, certe semper ἀπεσδιόνατος. Nec dubitō, quin Daceria, si fratris librum legerit, jure etiam sic usurpatura illud Juliani: ἔγγων, ἀνέγγων, κατέγγων).

Missis autem his intempestivæ κλισεως Autoribus, ad eos Scriptores accedamus, qui Artis præcepta tradiderunt. Primus omnium, qui glaciem in difficili argumento fregit, & cum ante se neminem habuerit, viam felicissimè invenit, posterisque stratam egregie reliquit, ARISTOTELES est; quem etiam communi consensu eruditi primam tenere ajunt: præcipue, cum ex antiquis Græcis unicus etiam ille sit, & e Latinis Horatius non sane melius Aristotele artem Poëticam explicuisse dici queat. Non ignoro equidem, multis rem creditu impossibilem videri, Philosophum, qui meris speculationibus per omnem suam vitam deditus fuit, nunquam ipse Poëta, nunquam theatri praxin expertus, scribere tamen cum laude de Poësi, ac de tragediæ-ratione aliquid potuisse. Alii mancum esse Opus queruntur, maximaque sui parte temporum injuria mutilatum, ut adeo nihil perfecti ex residuis velut lacinjiis hauriri possit. Aristotelis Commentarii, inquit in præfatione suæ Poëtices Jul. C. Scaliger, mutili sunt, ne quid liberius excidat nobis. Jac. Gaddius, Tom. I. Scriptor. Non-Eccles. p. 42. Licet Poëtica Aristotelis, que nunc extat, imperfecta sit ac mutilata: præterea subobscuris & parum firmis aliquando fundamentis subnixæ, tamen duo de ea facultate volumina conscripserat, forte meliora & pleniora. Taceo alios, qui idem sentiunt, & quorum numerus haudquaquam exiguus est. Enimvero, uti prius illud ἐγκλημα, quod proferebamus, solidissime ANDR. DACERIUS abstergit, ostenditque, Poëticen e Philosophiâ ortam, adeoque illius tractationem plane non esse ultra terminos Philosophi; dein multo esse ferendo de arte aliqua judicio aptiorem haud raro, multoque ad præscribendas regulas magis perspicacem, qui solidis speculationibus intima ejus deferatur. quam qui,

dum artem ipse exercet, citius suorum scetuum amore in transversum rapi accēcutire potest: ita, quod posterius attinet, nōn eadem omnium Doctorum mens est. Certe Nicus Erythræus FEDERICUM BONAVENTURAM ostendisse refert, Aristotelis Poeticam non esse inchoatam aut mancam, sed absolutam & perfectam, si unicus tantum locus excipiat, *Pinacoth. I. p. 176.* Idem alii censent. Quicquid autem ejus sit: ea profecto, quæ ab Aristotelis Poëtica residua nobis sunt, adeo bona sunt, & adeo e naturæ ipsius penetralibus hausta, ut meliora dari vix possint, atque ut non solum Tragœdiæ, sed & Epopœiæ, ratio accuratissime explicetur.

3 Atque hinc etiam certatim a Viris doctis edita Aristotelis Poëtica Latine, Italice, Gallice, Hispanice versa, notisque illustrata est. Separatim illam Græce edidit Aldus Venet. 1508. in fol. Græco-Latinum adjecit, suosque addidit Commentarios Franc. Roborrellus, Florent. 1548. fol. qui Basileæ postmodum apud Hervagium A. 1555. denuo impressi sunt. Post hunc idem opus in se susceperunt Vincent. Madius, Brixianus, & Barth. Lombardus, Veronenfis; cum quorum Commentariis Aristotelis Poëtica prodiit. Venet. A. 1550. Petr. Victorius, Florent. 1573. fol. Ant. Ricobonus Venet. 1579. in 8. Dan. Hœnsius, qui Versionem recensuit & notas adjecit, Lugduni Batav. 1610. in 8. Idem in Dissertatione de Tragœdiæ constitutione Lugduni Batav. 1643. in 12. edita, Interpretem Aristotelis egisse dici potest. Paulus Beniſus, Eugubinus, Commentarium itidem Græco-Latinæ Aristotelis Poëticæ adjecit, & Platonis poëticam insuper ex ejus Dialogis collegit, Venet. 1616. Italice illam vertit & Commentariis illustravit Ludov. Castelvetro, Mutinensis, Basil. 1576. & 1582. liber post mortem Autoris editus est; ipse enim An. 1571. ex hac vita migravit: alium Commentarium Italico idiomate scripsit in Aristotelem Alex. Piccolomineus Venet. in 4. A. 1573. Præterea Aristotelis librum eundem explanandum sibi sumserunt Franc. Patricius libro, cui titulus: *Della Poëtica la Deca Historiale, & la Deca Disputata* (prodiit Ferravæ A. 1584.) Ant. Sebast. Minturnus, Episcopus, Uxentinus, libris VI. de Poëta Venet. 1559. in 4. editis. M. Ant. Majoragius libro simili, & M. Hier. Vida in libris III. de Arte Poëtica ad Franciscum, Delphinum Franciæ, Francisci Regis F. Basil. 1524. in 8. de quo Jul. Cæf. Scaliger: *prudens ille quidem multa bene monet, quibus cautior Poëta fiat, verum factum jam instruit, ut perficiat.* Demum Gerh. Joh. Vossius in libris suis Instit. Poëtices, nihil aliud ferme, quam Aristotelis Scholiasten egit. Verum, e tanta Commentatorum copia neminem tamen pro dignitate Aristotelis librum explicasse, celebris Poëta Gallus, PET. CORNEILLE, asseveravit, doctos quidem interpretes illos fuisse non negans, sed dum Grammaticos potius aut Philosophos agerent, illos id, quod Poësin imprimis attinet, & theatri rationem, ut plurimum neglexisse, ait. Etsi vero non undiquaque vera locutus sit Cornelius, uti postea dicitur; attamen in iis, quos recensuimus, Interpretibus Poëticæ Aristoteleæ multa moneri posse, alii quoque Viri docti observarunt. REN. RAPINUS, qui & ipse, post tot alios libro Aristotelis, quem in hoc genere longe perfectissimum judicat, lucem suis mediratio-

ditationibus (*Reflexions sur la Poëtique*) afferre, neutiquam vilipendendo, conatus est, speciatim, in præfatione sui libri, quid in unoquoque Commentatorum Aristotelis desideret, exponit, digna omnino, quæ huc apponatur, censura. Ita vero ille: postquam superiore seculo allatam Constantinopoli Aristotelis Poëticam commemorasset: *Il s'eleva alors une foule de Commentateurs, qui écrivirent sur cette Poëtique, dont les premiers furent Madius, Victorius, Robortellus, qui interpreterent assez litteralement le texte de ce Philosophe, sans entrer fort dans son esprit. Ceux cy furent suivis de Castelvetro, de Piccolomini, de Beni, de Riccobon, de Majoragius, de Minturnus, de Vida, de Patricius, d'André Gili, de Vossius, & de quantité d'autres. Mais Vossius a commenté Aristote en pur Scholiaste, Gili en Rheteur, Patricius en Historien, Vida en Poëte, qui veut plaire plus qu'instruire, Minturnus en Orateur, Majoragius & Riccobon en Dialectique, Beni en Docteur, qui a le jugement sain, quand il ne s'agit pas de l'honneur de son país. Car il compare mal-à-propos l'Aristote à Homere, & le Tesse à Virgile, dans un traité, qu'il en a fait exprès. Piccolomini & Castelvetro l'ont fait en Critiques fort habiles, & mieux que les autres. Piccolomini traite Aristote plus honnetement que Castelvetro, lequel est un esprit naturellement chagrin, qui par une humeur contrariante se fait une loy de trouver toujours à redire, au texte de ce grand homme, qu'il embarrasse d'ordinaire en l'expliquant. Après tout, c'est le plus habile de tous les Commentateurs de la Poëtique d'Aristote, & celui, dans lequel il y a plus à apprendre. Hæc Rapius non sine magno judicio: sed qui tamen & ipse, cum suo libro, e quo ista excerpta sunt, virgulam Censoris alius, non minus in omni literarum cultiorum genere verfatissimi, sique adeo fodalis, experiri necesse habuit. FRANC. VAVASSOREM ajo, quem Rapius librum, editis Animadversionibus (*Remarques sur les Reflexions*) An. 1675. castigasse refertur in Menagianis, Editionis secundæ, (in prima vero Editione male dicitur liber de Epigrammate oppositus Rapino, quem errorem in Editione altera editor correxit.) Librum tamen ipsum non vidi, quod ægerrime fero: neque enim vulgare quicquam ab eo viro expecto. Non ingratum erit autem, ut puto, totam litis ejus Historiam lectori e Menagianis apponere. Ita igitur ibi: *Le P. Rapin a eu de grands demeslez avec le P. Vavasseur au sujet du livre des Reflexions sur la Poëtique d'Aristote qu'il fit imprimer chez Mugult, sans y mettre son nom. Le P. Vavasseur, qui n'étoit pas content de lui, mit au jour peu de temps après des Remarques sur ces Reflexions, dans lesquelles l'Auteur reflexbit, qu'il feint ne pas connoitre, est fort mal mené. Le P. Rapin fit grand bruit, & se plaignit hautement du procédé de son confrere: qui repondit, qu'il ne devoit s'en prendre qu'à lui même, & que s'il eut en dit, qu'il étoit l'Auteur des Reflexions, jamais il n'auroit écrit contre. Le temperament, que l'on trouva pour accommoder ces Peres fut de supprimer les Remarques du P. Vavasseur, ce qui se fit par l'autorité de Mr. le Premier Président de Lamoignon, de sorte, que ce livre, qui est imprimé chez Billaine en 1675. & qui ne contient que 141. pages, est devenu fort rare. Conf. Dictionarium Historico-Criticum Eruditissimi Bailii Tom. II. p. 234. quæ diversitatem Editionis Menagianorum observat. Ceterum lenire dolorem Vavassoris non vili potest Versio Gallica Poëtice Aristoteleæ omni ex parte nitidissima, uberianisque & eruditissimis. notis affatim instructa, quam Clarissimo ANDR.**

DACERIO, Annæ Fabræ marito, debemus: quamque Parisiis primò excusam Belgæ nuper A. 1692. reperiverunt. Nihil illo libro accuratius, nihil magis in hoc genere exasciatum, seu rem ipsam, sive dictionem spectes. Summo cum judicio expendit omnia, examinat, exemplisque uberrimis illustrat. Sane Tragediæ Constitutionem melius post hunc exponi posse, vix crediderim. Epopœiæ leges curavit equidem, cum Aristotelis verba id vellent, sed tamen in his non tam scrupulose fuit sollicitus, quam in tragedia: ut qui posset, Viri doctissimi Ren. le Bossu librum, Autore suo, totoque Orbe literato dignissimum, de Poëmæ Epico omnem jam prope materiam dicendi de Epopœia surripuisse: tantoque cum successu scriptum, ut melius omnino non possit: nec messis post tam amplam segetem, sed spicilegium solum superfit. Inter Commentatores Poëtici Aristotelis Dacerius Pet. Victorium ceteris antefert, ut eruditione & accuratione, prudentiaque, præstantem. Castelvetro autem adeo nihil tribuit, ut tum dicat fuisse bonum Interpretem, si virtutes Interpretis omnes invertas: neque enim theatri leges scivisse; nec affectuum neque characterum habuisse peritiam, nec rationes Aristotelis nec methodum considerasse, nec tam ad explicandum, quam ad contradicendum fuisse intentum: hominem multæ quidem lectionis, cetera, nec sane rebus bonis in suo Commentario destitutum, sed quas quæsiuisse tanti non sit: cum, præpostero suæ gentis amore ad *κρίσις* de Poësi ferendam plane inhabilis videatur. Meminit præterea Dacerius Mesnarderii Poëtici: *la Poëtique Française de la Mesnarderie*: quam, etsi in aliquot Aristotelis Capita vicem Commentarii sustinere posset, ut indignam & nimis sterilem tenet. Laudat Abbatis Aubignaci librum, qui inscribitur *la Pratique du Theatre*, eumque priore infinites meliorem judicat, magis tamen Aristotelis supplementum, quam Commentarium. Mihi ut horum duorum neuter visus est, ita nec addo de iis quicquam. Tertium tamen, quem æque non vidi, Interpretem Aristotelis addo Hispanum, JOH. ANTONIUM GONZALES de SALAS: cujus *Illustration à la Poëtica de Aristoteles* Nic. Antonio memoratur: Italumque alium JOSEPHUM BAPTISTAM, cujus Commentarium in Poëticam Aristotelis ineditum, & Autoris manu Italice scriptum servari, Laur. Crassus autor est, in Elog. P. I. p. 341.

Post Aristotelem, e Veteribus de *Arte Poëtica* scripsit HORATIUS: quamvis fere dubium nullum sit, ab ipso titulum præfixum non esse, sed a librariis demum, aut verius a Criticis. Ipsam vero illam Artem sine omni arte esse scriptam, Saryræ similiorem, olim Jul. Cæs. Scaliger judicavit: cui consentit ex parte Casp. Barthius, *Advers. lib. XXXVII. c. 6.* minime Horatium perfectam artem numeris includere voluisse arbitratus, alioqui frigidum artificem: sed more suo vagabundum docere, quæ obveniebant, quasi ludendo voluisse, parum sollicitum de iis, quæ Grammatici dicturi videbantur, quæque nunc a Criticis extrudantur. Similia habet Barthius *lib. XLII. c. 22.* ubi Scholia quædam in Artem Poëticam Horatii, e MSS. veteribus eruta (sed non magnopere æstimanda) publicat. Enimvero, ut jam supra, cum de Horatio inter Latinæ linguæ Autores ageremus, monitum est, immitem Scaligeri censuram esse, præter

ter alios, egregia Bernardo Parthenio confutatam rejectamque: ita Barthium non est quod multis hic confutemus: cum id nostri instituti ratio non ferat. *Commentatores* Horatii sollicitè recenset Spächius in *Nomenclatore Philosoph.* pag. 85. quo in loco plures etiam de Arte Poëtica Scriptores commemorat. Retulimus *Commentatores* Horatii & nos supra, cum de Horatio inter Latinæ linguæ Scriptores ageremus; quibus nunc adjungimus Franc. Luifinum, Italum, cujus in Artem Poëticam Horatii *Commentarium* Vener. 1554. in 4. editum habemus: aliosque item Hispanos Lusitanosque, quorum notitiam Nicol. Antonio debemus. Sunt hi Achilles Stätius, Lusitanus, cujus in Artem Poëticam Horatii liber Antwerpiae 1553. excusus est. (Nescio autem, quid sibi velit, quod in titulo apud Antonium additur, *ex fontibus Græcis*: ni forte consultum simul e fontibus Aristotelem id significet.) Franc. Cascales, a quo *Ars Poëtica* Horatii in *methodum* redacta Valentiae 1659. prodiit. Thomas Correa, Lusitanus, æmulus & æqualis Mureti, cum quo eodem tempore Romæ bonas literas docuit: postmodum Bononiæ: olim Jesuitarum sodalitis addictus, sed quod deseruit, & aversior semper ab eo fuit. Is explanationes in *Librum* Horatii de Poëtica Vener. 1587. in 8. edidit, præter alia ad illustrandam ornandamque Poëticen facientia, de quibus paulo inferius suo loco. Fuit quoque qui Hispanico Carmine Artem Poëticam Horatii exprimeret, quam deinde cum varijs Carminibus suis, sub titulo *Arte Poëtica Espannola* edidit, Vincentius de Espinè.

Hæc de antiquioribus Artis Poëticæ Scriptoribus: Plures enim non habemus. Nisi forte quis isthuc trahat *Homeri & Hesiodi Certamen Ludicrum* a nescio quo recentioris ævi Græco confectum, quod primum Henr. Stephanus An. 1573. in 8. Græcè & Latine edidit: postmodum Dan. Heinsius pulcherrimæ Editioni Hesiodi, a se A. 1603. in 4. datæ, absque tamen Latina versione, annexuit. Verum, qui inde Poëticam artem hauriendam putat, fallitur profecto. Posses vero huc rectius referre ISAACIUM & JOHANNEM TZETZAS fratres, quorum ille in *Accessu* ad *Scholia* in *Lycophronem*, *λίαν κάλλιπα καὶ φιλοτιμότητα*, ut frater ait, de Poëmatum atque Poëtarum differentiis egit: hic vero tum peculiari libello, jambis extemporaneis, i. e. Versibus Politicis, scripto, tum strictim, & per summa capita, in præfatione ad *Scholia* sua in *Hesiodum*, idem Argumentum tractavit. Sed & in omnibus prope Græcis Scholiastis quamplurima ad Artem Poëticam apprime facientia reperiuntur. E recentioribus, sub initium sæculi superioris, MACARIUS MUTIUS, CAMERI Eques, librum edidit *de ratione scribendi Poëmata*: quem Ant. Possevinus suo de Poësi *Tractatu*, de quo mox, addidit, una cum exemplo Poëmatum sacri, de Crucis victoria, seu de Triumpho Christi: quod alias Basileæ & Coloniae prodierat. Fuit Mutius amicus Angeli Politiani, ad quem *Epistola* ejus extat lib. 8. *Epistolarum* Politiani; ut jam olim Lil. Gyraldus annotavit.

Post hunc memorandus, ceterisque adeo præferendus, omnibus est, JUL. CÆ. 6
SAR SCALIGER, cujus libri *de Re Poëtica*, multoties Parisiis, Genævæ & Heidelbergæ

bergæ editi, divini sunt: neque enim solum omnia Carminum genera per censentur inibi & explicantur, sed & ipsimet Veteres ac recentiores Poëtæ sub examen vocantur. Non nescio equidem, Scaligerum, cum hac Poëtice sua, plagii reum agi; & Barthium, in suis ad Claudianum notis p. 972. referre, surreptam esse a Scaligero materiam ejus libri omnem Lud. Cælio Rhodigino, præceptoris suo, & trans Alpes latam postea, sub Scaligeriano nomine perperam prodiisse, cum Rhodigino adscribi debeat. Cujus relationis Autorem Barthius Qu. Sept. Florentem Christianum, in hujus notis ad Aristophanem, laudat: & motus ea re Thomafius Scaligerum plagiariorum Catalogo inferre non dubitavit. *Diff. de Plag. Liter. §. 537.* Enimvero, ut res ipsa mihi plane suspecta est, & crimen ex invidia potius confictum, quam e rei veritate intentum, videtur: ita sane mirabor Florentem Christianum, si id ipsum negare aufit. Etsi enim ejus notas in Aristophanis Comœdias, quæ post mortem illius prodierunt, nunc non anxie perquisiverim: habeo tamen prolixas, quas ipse edidit, notas in Aristophanis Irenam, Paris. An. 1589. in 8. publici juris factas; in quibus non solum toties cum elògio Scaligeri mentionem facit, quoties ejus nomen ponit, sed & ipsum de Re Poëtica opus *Divi Jul. Cæsaris Scaligeri opus perfectissimum vocat.* Alibi pag. 11. postquam de nonnullis ad Comœdiam pertinentibus dixisset, ait: *Hæc aliaque similia qui certius & clarius intelligere volet, Hephæstionem, eruditissimum Grammaticum, legat, vel potius I. C. Scaligeri libros de Poëtica.* Sam enim maximi illius herois ingenium vetustatem aequat, posteritatem & novitatem omnem superat: sed, quod miserum est, pauci sunt adhuc, qui ejus scripta aut legant, aut intelligant. *Eum ego quotidie miror & miror magis: imo erit ille mihi semper Deus.* Quidni enim hoc autem de Clarissimo Viro, cum Philosophus ille *συνεπὲς* de humili & obscuro loco dixerit: *Ἐταῖοι ἅντις εἰσι θεοὶ?* Anne putes hæc de Scaligero, mortuo jam, & a quo cur sibi timeret, nil quicquam habuit, dicturum fuisse Florentem, si pro turpi plagiario habuisset? an credibile est, eum Dictatorem literarum; maximum Heroem; Principem non solum Veronensium, sed omnium Criticorum; quorum interest vacare Musis; & si Veteres etiam adducas, uno tantum Aristoteli minorem vocaturum fuisse, tum, cum de ejus Poëtica loquitur, si pro alieni laboris nefario usurpatore, & messorie messis alienæ habuisset? Mihi sane id non videtur. Adeoque, aut sefellisse memoriam Barthium alleganter dicendum est: aut sibi cum sua accusatione minime constare Florentem: vel de mum intrusam esse notas illius ab aliena manu pericopen, quæ ejus non erat. Quicquid demum ejus sit, a Scaligero tam turpe plagium esse commissum, ni liquidius demonstraretur, non credo. Aliud crimen, non ipsimet quidem Scaligeri ejusve libro, prout ab ipso scriptus est, sed tamen editionibus Poëtices Scaligeri Genevensibus, movet Anton. Possévinus in libro de *Pœsi & Pictura, Ethnica, humana fabulosa, collata cum honesta & Sacra:* (qui liber Lugduni A. 1595. in 8. & præterea Romæ alibique, editus est, pars etiam illius Bibliothecæ Sanctæ adjecta) hæreses scilicet, quod mirere: queritur enim, multa esse ab Hæreticis Genevensibus inserta, quæ fidem Catholicam labefactent; nonnulla etiam ad artem ipsam spectantia. Parisinam vero Editionem ab his Emblematis hæreticis liberam esse ait: & rationem corruptionis expōsiturus: *Eo proclivius, inquit, errores hæretici in opera*

Scaligeri irrepperunt, quod apud Joh. Crispinum Calvinianum primo (An. 1561.) editi sunt, licet locum suppresserit, ut venalia magis essent exemplaria: cum & quæ Rob. Constantini, Medici, ad eundem Joh. Crispinum de Scaligeri libris inserta est epistola, post ejusdem Scaligeri ad Sylvium filium præfationem, tollenda sit, nec ipse Crispinus a Sciatu. Parisensi edendi eos Poëticos libros facultatem exprimere potuisset, nisi Lugdunensis, typographi Ant. Vincentii, opera & nomine abusus fuisset. Quare & privilegium, & quod subjectum est, Franc. Beraldi Epigramma Græcum, tum in Scaligeri, tum etiam in ipsius Crispini, hominis pestilentis, laudem scriptum, pari cura ex hoc opere exciendendum est. Ingenue fateor, me hæc multo etiam minus credere, quam priora. Vix enim est, ut quisquam Poëticæ Theologica, præter Autoris mentem inferere voluisse credi possit: & quod cetera attinet, non tulisset Jul. Cæsaris filius, Jos. Scaliger: tantus Criticus, tantusque patris hyperaspistes: quem hæc talia fugere non poterant. Quæ vero de expresso fraude privilegio Bibliopolæ Posslevinus refert, haud invitus concesserim. Est hoc enim his hominibus familiare. Ceterum, quod *κρίσις* Scaligeri concernit, non semper illa probanda est, quippe audacior haud raro & tantum non temeraria: id quod ex ejus judicio de Statio manifeste patet, quem nimis laudibus extollit: ut de iis nil dicam, quæ in contemptum Homeri & Horatii affert, & quæ ab aliis confutata alibi indicavimus.

Habet interea eam gloriam sibi propriam Scaliger, quod primus & unus omnem Poëtices rationem doctissime explicuit, quod ne quidem post illum quisquam tentavit. Nam quæ JAC. PONTANUS habet in *Institutionibus Poëticis*, Ingolstadii 1527. editis: quæ item GERH. JOH. VOSSIUS in *Libris III. Institut. Poëticarum*, etsi non contemnenda sint; his tamen utique non sunt comparanda: sed plane alius generis præcepta. LAURENTIUS le BRUN, in *Eloquentia Poëtica*, non tam methodica & ornata de rebus Poëticis præcepta, quam nescio quos Locos Communes & Exempla Poëtica, ex aliis conscripsit potius, quam ipse scripsit, quæ tamen usui esse possunt, JAC. MASENII *Palæstra Eloquentia Ligata* præ ceteris mihi sese probat: quod commoda methodo utatur; præcipua quæ apud alios inveniuntur, colligat, tum observata & notata alia, quæ alibi non invenias, ponat, semper allatis in medium exemplis. Fuerunt etiam Hispani, qui hanc artem in formam præceptorum redigere laborarunt. Ut enim de THOM. CORREÆ, de quo paulo ante dictum est, oratione de *Antiquitate dignitateque Poëseos, & Poëtarum differentia*, Romæ in Gymnasio Sapientiæ habita, editaque a Ludov. de S. Francisco, non dicam: Artem Poëticam juxta volumine tradidit Polygraphus illè nequaquam ineptus, FRANC MACEDUS; sed quam lucem non vidisse *Lib. I. c. 22. §. 40. Polyhistoris Literarii*, ubi Catalogum operum Macedi exhibemus, monitum est. Hispanico sermone de arte Poëtica librum scripsit EMANUEL FARIA de SOUSA, cujus Nic. Antonius meminit: qui & LUDOV. ALPHONSUM de CARVALLO refert librum edidisse de dignitate & præstantia Poëseos, omnique eo, quod ad artem illam pertinet: titulus est: *Cisne de Apollo, de las excellencias y dignidad. y todo lo que al arte Poëtica y versificatoria pertenece*, Medinæ 1602. in 8.

Ut jam PETRI de SALAS libellum de *Arte Poëtica*, ineditum, prætereamus. *Philosophiam antiquam Poëticam* concinnavit, ediditque Madriti A. 1596. in 4. ALPH. LOPEZ Pintianus, lingua Vernacula; in qua & Carmina quædam scripsit, sed misera: Antonio referente.

3 Idem Hispani, in Comœdiæ quoque & Tragœdiæ ratione explicanda mire solliciti fuerunt. Quandoquidem non solum is ipse, quem Aristotelis Poëticam Commentario illustrasse supra diximus, JOH. ANT. GONZALEZ de SALAS Novam quoque *Ideam Tragœdiæ* publicavit, & Dialogos, omnem histrionicam Comœdiarum artem complectentes, sub titulo *Viage entretenido*, Madriti 1583. editos in 8. Celebris Hispanorum Comœdus, ac inter primos gentis illius innumerandus AUGUSTINUS ROXAS: quibus etiam JOSEPHI PELLIZERII de SALAS *Idea de la Comedia de Castilla* addi potest: sed & eousque longo cultu productam putat Hispanam comœdiam Nicol. Antonius, ut, ipso judice, non vulgarium solum linguarum omnes Comœdiæ (nimis enim hoc parvum foret,) sed & Græcorum Latinorumque celebratissimæ illi, loco decedere non dedignentur. Si quæras, unde tantum dignitatis accesserit Hispano Dramati, & quis præcipuus ejus artifex? LUPUM. (Hisp. Lopez) FELICEM DE VEGA CARPIO tibi memorat, quem totam propemodum Divinam auram adeo sibi incubantem habuisse persuasus est, demonstrasseque prodigiosa illa copia & facilitate versus ingenio & urbanitate plenos fundendi; *ut tota, quanta est, antiquitas, necdum proximiora retro Secula, quem Lupo comparent, se non habere necessario fateri debeant.* Huic, inquit in præfatione, debetur Comœdia Hispana: *in qua, compensatis nonnullis levioribus vitiis, cum majoribus pluribusque virtutibus, absque controversia regnamus.* Enimvero, ut negandum non est, fuisse, in pangendis Verbis Vernaculis, præ omnibus Hispanis popularibus suis, felicem Lupum, cujus non ingenium minus natura ad Poësin aptissimum, quam imensa, & inexhausta versus fundendi vis multorum admirationem excitavit. Ecquis enim non stupeat, cum, præterea Epica Carmina, ceteraque varia prope innumera, quæ composuit, ab illo scriptas 1800. Comœdias, Sacras actiones 400. legerit? ira sane, neque Græcis illum esse, nec Latinis Gallisve, sine discrimine præponendum, res ipsa & Antonius ipse dicant. Nam, quod artem ejus Poëticam attinet, quam novam vocat, & quæ in Epicis Comicisque plane ab Aristotele esse recedendum, novaque insistendum via, suadet, adeo illa Hispanis, ac quantis Vegæ admiratoribus, displicuit, ut ne quidem inter Opera ejus admitterent una excudendam, prout Rapius in præfatione ad suas de Poëtica meditationes refert. Ipsas vero Comœdias, omnes Veterum prætergressas leges, effrenesque adeo, quis laudet, aut quis optionis anteponendas existimet? Audi Antonium. *Præter quamplures fictarum actionum representationes, in quibus continebat se usque ad eum Comœdia, nil ferme historia cujusvis gentis, seu Græcæ, seu Latinæ, seu barbaræ, ac multo magis Hispanæ, celebrioris cujusquam eventus nota impressum habet, quod particularis Comœdiæ argumentum Lupus non fecerit. Idcirco minime ei vitio verti debet, quod, Veterum prætergressas leges, licere sibi existimaverit quascunque res & auoma.*

quomodocumque in theatrum invohere, historicis fabulosa, Comicis Tragicæ, ridiculis seria, miscendo: ita, ut nullum focci & cothurni discrimen, nullo intervallo temporis ac personis theatralibus præscriptæ leges liberum frenarent spiritum; dum tantum placeret populo, actionum hujusmodi vero Censori. Mirabor, si rudis plebs optimus fabularum æque verus Censor est: si hoc virtus Pōetæ est, neglectis legibus, ima summis miscendo assensum vilis popelli quærere: si vitium non est focci & cothurni, i. e. Domicæ tragicæque actionis, discrimen tollere? Non sane video, qui non eodem ure possis loquacem rabulam, ad auram plebis captandam unice suis fucis intenum, & nescio quibus verborum sublimium lenociniis, in tenui charactere, pueriter lultantem, optimo Oratori præferre. Quaquam nolim profecto quicquam xistimationi Vegæ detrahare; nec eum tam promiscuè omnia confudisse censere. Nolo solum Veteribus tanto supercilio præferri. Interea lubens illud quoque confiteor, & Hispanis omnibus Pōetis longe longeque præstitisse Vegam, & exteris haud immerito admirationi fuisse. Quapropter, cum anno 1637. Marii septuagenario major decessisset, non solum communi Hispanorum Pōetarum actu deploratus est, quorum labores peculiari libro congeffit Joh. Pet. Montalbanus, & sub titulo *Fama Posthuma* Madriti 1636. in 4. edidit: sed & Italis ejus casus acerbus fuit; a quibus eodem anno emissus in lucem Venetiis liber est: *Essenne Pōetiche ovvero lamento delle Muse Italiane in morte del Signor Lope de Vega Pōeta Spagnolo*. Imo & Gallis ejus Pōesin perplacuisse, partim Bohursius Jesuita in libro, quem vocat *la Maniere de bien penser sur les ouvrages de l'Esprit*, passim; partim Anonymus Auctor Gallus, qui sub Belli atque Pacis inter Vereres ac Recentiores, historica fabula descriptæ, schemate, elegantissimam utrorumque comparisonem instituit, locupletes testes sunt.

Sed, ut ad Comœdiam ac Tragœdiam redeamus a Lupo, qui nos paulo diu-
9
ius detinuit: illius rationem omnem, legesque & regulas, præter Dan. Heinsium, uem supra diximus, & Aubignacum, imprimis magno studio exponere atque illustrare aggressus est PETRUS CORNELIUS, primas inter Gallorum Dramaticos omnium consensu tenens. Is de *Dramatica Pōesi* librum composuit: in quo non solum Veterum præcepta sibi enumeranda, aut etiam explicanda putavit. Sed invenit & ipse aliqua, abiitque subinde ab Aristotele in diversum. Non tamen, si Dacerium audire velimus, eo successu id fecit Cornelius, quem ortasse sibi promisit; nec naturæ ordinem, sed suum secutus genium dissensit a veterum præceptis; sæpius præter rem tantum, ut, novis his, quas sibi format, regulis, suis forte erroribus subveniret. *Vid. Dacerii præfatio Aristotelis Pōetice, a se versa, præmissa, & notæ*, in quibus id, quod in præfatione notaverat, argumentis variis probat atque illustrat. De Pōematis Cornelii hujus paulo inxius mentio recurret. Ex Italis, qui plane mirifici alias sunt ludorum Sceniorum magistri, ut ex ipsa Dramatum copia, & vel ex centum locis Erythraei, constat; C. JUL. CAMILLUS *Ideam Theatri* lingua vernacula vulgavit, Florentiæ in A. 1550. editam: sed qualis illa nescio, cum non viderim: non magis

ac JASONIS NORES, natione quidem Cyprii, sed Professoris tamen Patavini librum quem inscripsit *Tractato intorno a quei principii, cause & accrescimenti che la Comedia, la Tragedia, & il Poëma Heroico ricevoa dalla Philosophia morale*: Patav. 1587. in 4. de quo sane libro multum bonæ frugis mihi promittō, cum Vir fuerit absque controversia doctissimus. Ediderat jamdudum interpretationem ad Horatii Epistolam de Arte Poëtica, ex quotidianis Tryphonis Gabriellii sermonibus hausam, Venet. 1553. in 8. eratque animosus veterum legum tragicarum comicarumque vindex, quas contemni ab Italis sui ævi non sine dolore animadvertēbat. Quapropter & lites magnas aluit cum JOH. BAPT. GUARINO, quas, cum memoratu dignæ omnino sint, & ad hoc pertineant institutum, verbis Thuani ad A. C. 1590. e libro 99. Historiar. referemus. *Inter alia, quæ scripsit, cum, de Poëtica differens, Tragi-Comedias Pastorales, quæ hodie inter Italos usurpantur, tanquam monstra quedam, & nullo veterum exemplo, contraquæ Poëticæ priscae leges, ab imperitis rei antiquariæ introducta exagitasset, Baptista Guarinus, lectissimus Eques Ferrariensis, qui sub id Pastorem Fidum, magno plausu ubique in Italia exceptum, ediderat, eum sermonem ad injuriam suam pertinere existimans, defensionem, sub nomine Verati, publicavit: quam Apologia contraria statim Denores refutavit. Sed, dum alteram defensionem meditatur Guarinus, morte minime fatali Denores concessit. Quæ nisi dilectissimi filii (ob. homicidium finibus Venetis ejecti) calamitate fuisset precipitata, alterius Verati lectione accelerari potuisse credita est: tanta siquidem vi eloquentia simul & asperitate, ac verborum amaritudine, in Jasonem invecus est Guarinus, ut Archiloehum ipsum, in Lycamben jambos stringentem, eo scripto superasse passim jactaretur. Quicquid autem sit de acerbitate Guarini, quæ rectius haud dubie omiſsa fuisset: in re ipsa plus Affectarum invenit per Italiam Guarinus, quam Denores, cum & Trajanus Boccalini, in suis, facerissimis juxta & acutissimis, *Relationibus ex Parnasso, Centur. I. Relat. 31.* sibi a perstringendo Noreſio temperare non potuerit, sed, ut fastidiosum nimis, & præpostere nauseantem, traducat: & ubivis Drama Guarini triumphaverit; in alias quoque linguas, Gallicam & Germanicam, uti notum, plus semel translatum. Probe tamen hic teneatur non esse credendum, ac si promiscue permisceri Soccus & Cothurnus possent, & Tragico-Comedias qualescunque valerent. Imo vel maxime hic judicio opus est, & raro aliquid elaboratur, quod, si recte examines, recta incessisse via dici posset. Sane falli, quibus vetera sordent omnia, & qui tum demum perditam in dramatibus consiciendis operam ludi censent, cum antiquorum, sive regulas, sive exempla, presso pede exprimenda imitandaque sibi quis sumit, vel unus quoque Nic. Machiavellus demonstraverit: qui, cum aliquando Comcediam plane ad morem Aristophanis, & juxta regulas Veteres, Italico sermonē scripsisset, atque etiam Florentiæ repræsentasset; tantum meruit omnium hominum applausum, ut, Paulo Jovio in *Eclog. c. 87.* teste, illi ipsi ex persona scite expressa in *Scena ducti cives, quanquam præalte commorderentur, totam iniuste notæ injuriam civili lenitate pertulerint: actamque Florentiæ, ex ea miri leporis fama Leo X. Pontifex, instaurato ludo, ut urbi ea voluptas communicaretur, cum toto Scenæ cultu ipsisque histrionibus, Romam acciverit.* Nomen, illi comediam*

mœdiæ fuit *Nicia*, ut ex eodem Jovio constat. Sed inter Machiavelli Opera non comparet.

Ex Anglis, qui præ ceteris propemodum omnium gentium aliarum Poëtis, 10 ad Dramata perpolienda ita accedunt, ut Vereres Comicos Tragicosque præcipue sibi imitandos sumant, magni nominis Tragicus Poëta, JOH. DRYDEN, præcepta Dramatica composuit, *An Essay of Dramatik Poësi* inscripta, editaque Londini 1668. in 8. quæ recondita multa continent, & artem egregiam prorsus egregie, data velut idea repræsentant. Ceterum ad Tragediæ rationem & naturam rectius pernoſcendam haud dubie multum quoque conducit JOH. MEURSII liber, quem inscribit: *Æschylus, Sophocles, Euripides, seu de Tragediis eorundem Lugd. Batav. 1619. in 4. vulgatus*: nec non FRANC. PORTI Cretensis, *Dissertatio de Tragedia*, una cum ejusdem Prolegomenis in Sophoclem edita. JAC. MICYLLUS etiam, in Prolegomenis ad Euripidem *de Tragedia* egit (& multo adhuc luculentius Vir Cl. JOS. BARNES, novissimus Euripidis Editor Cantabrigienſis, in præmissa *Dissertatione de Tragedia Veterum Græcorum*, deque Scena & illius apparatu, nec non de Musica theatra, deque Versuum Tragicorum legibus). HENR. STEPHANUS quoque *de Tragedia Sophoclis* *Dissertationem* scripsit. Pertinent etiam huc libri amœbæi, inter JOH. LUDOV. BALZACUM ac DAN. HEINSIUM commutari, quibus Epicrisin adjecit suam *Cl. Salmasii*. Nota est historia. Cum Heinſius in *Herode Infanticida*, Tragedia sua, Lugd. Bat. 1632. in 8. edita, Angelos & Eumenides, five Furias in eadem Scena in theatrum induxisset: Balzaci, qui existimaret, male in Fabula Argumenti Judaici rem superstitionis Græcanicæ admisceri *Dissertationem Gallicam* opposuit Heinſio, ad Constant. Hugenum scriptam, Paris. 1636. in 8. (postmodum inter Opuscula Balzaci in Belgio 1651. in 12. recusam,) & in ea errorem istum ita examinavit, ut & exempla similia Oratorum atque Poëtarum produceret, & rationes, ob quas ferri non queat talis error, studiose congereret: multa insuper alia, ad Dramaticam rem facientia, admiscens. Verum, cum eodem anno Heinſius, qui castigationem non ferens, nequaquam sibi silendum arbitrabatur, Balzaco Epistolam Apologeticam reposuisset: tum vero, arbitrium litis sibi sumſit Claud. Salmasius, scriptaque ad Ægid. Menagium Epistola omne hoc argumentum latius exsecutus est, & Heinſium cum sua Apologia non bene admodum exceptum dimisit, quippe cum quo tum, cum scriberet, apertas etiam inimicitias alebat. Etsi vero interea, dum apud Menagium Epistola per aliquot annos delitesceret, sopitis inter Salmasium Heinſiumque litibus, mitius non nihil agi cœpisset: nihil tamen hoc impedire potuit, quo minus prodiret Salmasiana Epistola, Parisiis 1644. in 8. Auctore scilicet editionem sero deprecante: ut e *Sarravii Epistolis* liquet p. 88., qui addit: *Poteram aliquando tenerum istum, & nascentem factum suffocare: ἀλλ' ἔτιως ἀσέβιον εἶδον τὸ παιδίον, ut sine summa injuria & crudelitate non potuerim ei lucis usuram denegare*. Recusa, post Salmasii mortem, Epistola illa est in Belgio, & Epistolis reliquis ab Ant. Clementio annexa. Biennio, antequam Salmasii Epistola lucem aspexit, JOH. CROJI liber pro Heinſio adversus Balzacum prodit, non apposito quidem nomine

Autoris, sed ἀνωμόμος: *Response à la lettre & au Discours de Balzac sur la Tragedie d'Heinsius, intitulée Herodes Infanticida, 1642.* Statim atque profertur liber hic, cognovissetque ex Alex. Moro Sarravius Autoris nomen, res prodigio simillima videbatur, quandoquidem jam tum paratum habuit Crojus grandem librum, in quo acriter Heinsii Sacras Exercitationes perstringeret, & cujus pars postmodum etiam est Genevæ excusa. Ergo, ait Sarravius *Epist. p. 54. quem Gallice, h. e. quasi intra privatos parietes, opus ob museum laudaverit, Latine, i. e. per totum orbem terrarum in re non nasci fugillabit Explica mihi queso istud, quicquid est enigmatis.* Hæc Sarravius, qui Gronovio imputandam libri hujus Editionem divinat: quem cetera non adeo magni æstimat, præsertim quod stylym concernit, ut qui dissipatus & incultus fluat: sed tamen & plurima in eo libro altissimam eruditionem sapere non diffitetur. Putat responsurum Balzacam. Sed hoc, quantum memini, factum non est. Tetigit verò rem ipsam *de præpostera Sacrorum cum Profanis commissione, in Dramatibus, aut Poëmatiis aliis occurrente, Menagius in Observationibus ad Malherbium p. 279.* ac, dum laudat Epistolam Salmasii adversus Heinsium, excusat tamen SANNAZARIUM & PET. BEMBUM, quorum alter in Carmine de Conceptione Christi, *Mariam, cum ab Angelo salutaretur, Sibyllinos libros legisse* ait; alter *Christum Heroa* vocat: uterque verò a Jul. Cæs. Scaligero perstringitur. *Mais, inquit Menagius, comme plusieurs docteurs de l'Eglise ont pretendu, que plusieurs mysteres de nostre religion se trouvoient marquez dans ces livres, je n'estime pas, que ce grand Critique soit bien fondé dans cette accusation. Je suis persuadé, qu'il reprend aussi à tort le Card. Bembo avoir usé du mot de Heros en parlant de nostre Seigneur: ce mot de Heros signifiant pas autre chose en cet endroit, qu'une personne extraordinaire.* Enimvero, si excusari potest Sannazarius, qui Sibyllæ folia præ vaticiniis Jesaiæ, Protea præ Angelo Gabriele, partus miraculose præconem elegit, qui Dryades & Nereides in ea fabula produxit, non video, cur non & Heinsius veniam mereatur. De Bembo nihil dicam, cum omnino commodus esse possit sensus vocis Heros, nisi loco planè non congruo adhibeatur. Posset interea ad argumentum istud cum fructu conferri Laurent. Gambaræ Tractatio peculiaris de abusu fabularum in Carmine, Venetiis, nescio quo anno, edita, in 12.

- II De *Satyra* FRANC. ROBORTELLUS aliqua hæbet, subjuncta Commentario in Aristotelis Poëticam: sed pauca illa sunt, & tantum ad Horatium illustrandum scripta. Fufius idem exequitur institutum IS. CASAUBONUS in tractatu *de Satyrica Græcorum Poësi, & Romanorum Satyra*, Paris. 1605. in 8. edito, qui magnam esse utriusque differentiam, nec Græcorum Satyricam poësin cum Latina eandem esse evictum it. Cui verò se opposuit DAN. HEINSIUS scriptis duobus libris *de Satyra Horatiana*, Lugd. Bat. 1629. in 12. qui utriusque paritatem amico diffidio, adversus Casaubonum, propugnat: at & ipse adversarium post fata expertus placidissimum, summum in omni genere Eruditionis Virum, illustrem EZECHIELEM SPANHEMIUM. Hic enim in scitissima præfatione, quam Cæsaribus Juliani, Gallice versis a se, & luculentissimis Commentationibus Paris. 1683. in 4. illustratis, præfixit, postquam, & Casaubon-

sauboni & Heinſii opiniones recensuiffet, agit arbitrum, Heinſiumque falli ostendit: cum in Græcorum Satyrice Actus Comici Satyrorum, Faunorum, Silenorum, ipsarumque illarum personarum ut plurimum saltationes actusve similes, & inter hos projecti sales, necessario fuerint requisiti; quorum nihil apud Latinos erat: ipsa etiam vocis significatione longe in diversum abeunte. Sed plura adhuc sunt argumenta, quæ apud doctissimos Auctores, quos nominavimus, legi possunt. *Satyram Juvenalis* peculiari dissertatione explicavit NICOL. RIGALTIUS, quam Editioni Juvenalis Paris. 1613. in 12. annexuit.

De *Epigrammate*, & de iis, quæ ad illud pertinent, doctissimum librum scripsit THOMAS CORREA, cujus jam supra mentio facta a nobis est, & quem male aliqui Gorraëm, Erythraeus in Pinacotheca I. p. 253. Choream vocat: liber editus est Venet. 1569. in 4. & Bononiæ A. 1590. recusus. Præterea de *Epigrammate* scripserunt VINCENTIUS GALLUS, quem Octav. Boldonus in *Epigraphia* p. 32. laudat. CAROLUS a S. ANTONIO *Patavinus* Colon. 1650. in 8. qui non tam *Epigrammatum* conficiendorum præcepta dat, quam titulos, seu Locos Communes, sub quibus illa ordinat. De *figurarum* tamen cultu in *Epigrammatibus* prolixè agit NICOL. MERCERUS. Paris. 1653. in 8. qui nihil aliud agit, quam quod Jul. Cæs. Scaligeri præcepta de *Epigrammate*, lib. III. Poët. cap. 126. data, exemplis operose illustrat: sed, cum parùm emunctæ naris sit, multa immiscet lutulenta & quæ non sapiunt ætatis præcæ sapientiam & elegantiam: interea multum tamen sibi cum suo labore, etsi præter rem sane, placet. FRANC. VAVASSOR, qui nitidissime quidem scripsit de *Epigrammate* Paris. 1672. in 8. sed specialia artis non tangit, majorque, ut mihi videtur, in præceptis, quam in exemplis, artifex est. Id vero inprimis agit, ut Petrum Nicolium, qui tum forte cum sua præfatione *Epigrammatum* aliquam collectionem in lucem publicam ediderat, confutet, perstringatque, & male literato Orbi consuluisse ostendat. Subinde tamen alios quoque castigat, ut cap. 9. Th. Corream, qui fabulis plane proscriptis, in *Epigrammate* nihil, nisi verum factumque, a poëta voluit adhiberi. Peculiare etiam caput habet de lasciva spurcitiæ ex *Epigrammatibus* exterminanda, quam alias sæpe solam *Epigramma* conficere, & tantum non necessariam esse, IS. VOSSIUS ad Catullum, & docti complures Viri, putant: contra quam opinionem Vavassor plane egregie insurgit. Annexuit libro de *Epigrammate* sua ipse *Epigrammata* libris tribus distincta: quæ, ut purissima sunt, ita non ubique acuminum satis habent: quippe quæ sciens volensque ille præterit, & contempsit, nisi ævum saperent Augusteum. Edidit tamen anno 1675. Appendicem libri tertii *Epigrammarum* suorum, & paulo post librum etiam quartum. Scripsit & de *Epigrammate* librum COTTUNUS, Professor *Paravinus*, sed quem non vidi. JAC. MASENIUS, in *Arte nova Argutiarum*, certos quosdam fontes invenit, ac perpetuis Exemplis illustravit.

De *Epicæ Carminè* extat Dissertatio MAMBRUNI, quam Menagius *une docteur* & 13
curieuse dissertation vocat *Observ. in Malherb. p. 401.* Præterea TORQVATI TASSI;
at quanti poëtae! extant *Discorsi del Poëma Heroico* Venet. 1587. & Neapoli in 4. impressi:

pressi: quem librum una cum poëmatibus Tassi (de quibus infra) Anti æstimaunt Itatorum plerique, ut & vicisse omnes ante se, & nihil addi a quocquam, nedum ex Aristotele, posse, persuasi sint, prout præter alios, e *Relationibus Boccalini* liquet *Cent. I. Rel. 23.* Sed agnoscunt tamen sagaciores errores Tassi, quos ne ipse quidem laudare aut dissimulare sustinuit: dum interea vicissim justissima laude admiranda illius Scripta non privant. Scripsit & le BRUN aliqua de hoc argumento, quæ Virgilio suo Christiano addidit: sed non adeo magnæ rei. Qualia sint CAMILLI PELLEGRINI, qui & ipse de *Epica Poësi* Italicum librum scripsit, non novi: cum non viderim. Omnes vero in hoc genere vicit, longeque supergressus est, quem paulo superius nominavimus, Gallus Eruditissimus, RENATUS le BOSSU, in vernaculo de *Epico Poëmate* tractatu, qui Paris. 1675. primum prodiit, dein apud Belgas 1693. recusus est. De Elegia librum THOM. CORREA scripsit, Bononiæ 1590. in 4. editum, una cum libro de *Profodia*. De Ecloga, seu, quod idem est, de *Carminibus Pastorali*, est exquisitissima Commentatio REN. RAPINI, quam *Eclogis suis Sacris* addidit, plane ad genium puræ Latinitatis & diëtionis ævi aurici conscriptis, ut cum antiquis etiam certare possit. Paris. 1659. in 4. Multa etiam de Ecloga habet non vulgaria ÆG. MËNAGIUS in *Anti-Bailletto*, T. I. n. LIV. p. 195. seqq. & inter alia probat, falli Bailletum, cum Tassum Pastores primum in theatrum induxisse putat: quod tamen, ut Menagius annotat, ante ipsum Augustinus Beccari Ferrariensis, fecit in *Dramate*, quod inscripsit, *Sacrificio*. Sed hæc recentiora tantum Carmina pastoralia attinent.

14 De veterum Poëmatum cantu, & Viribus rythmi, peculiarem librum conscripsit, cui præclara multa insunt, Is. VOSSIUS, Oxonii 1673. in 8. editum: in quo Veterum Græcorum poësin, nova plane ratione juxta metri musicas leges explicatam, unam maxime æstimat. Eodem aut simili videtur instituto ductus homo Hispanus, ARIUS BARBOSA, *Epometriam* scripsisse, in qua Veterum poëmatum cantum, & pronuntiationem poëticam, jam amissam, explicat: Nicol. Antonio teste. Liber Salmanticæ prodijt in 4. una cum *Profodia* ejusdem, seu de *Re Poëtica*, & recta scribendi ratione libro. De *Furore Poëtico*, quem ἐνθουσιασμόν Græci vocant, quemque Longinus elegantissime circumscribit γενναῖον πάθος, ἐνθα χεῖρ, μεγαλήγορον, ὡς περ ὑπὸ μανίας τινὸς καὶ πνεύματος ἐνθουσιαστικῆς ἐκπνεῖον, καὶ εἰοεὶ φοιβάζον τὰς λόγους. *Audit sc. ei nobilis affectus, atque ubi decet magnificus, qui velut furore quodam & cælesti aliquo mentis instinctu actus, fundit verba: & aliquid, ut ita dicam, grandius ore mortali loquitur, cum scilicet, juxta Claudianum,*

totum spirant præcordia Phœbum.

De hoc, inquam, Poëtico furore elegantissimam dissertationem concinnavit, suisque præfixam Poëmatibus edidit, PETRUS PETITUS Paris. A. 1683. in 8. dignissimam utique, quæ legatur. Egit & de eodem argumento BERNARDINUS PARTHENIUS, Spielenbergius, in suo *Commentario ad Horat. Od. III. 25.* nec non LIL. GYRALDUS Dial. I. de *Historia Poëtarum Dissertationem Academicam de Furore Poëtico* scripsit

scripsit Clarissimus, dum viveret, Lipsiensis Poëta JOACH. FELLERUS, quæ & ipsa negligenda non est.)

Idem Perthenius, quem modo laudavi, de *Imitatione Poëtica* præclaros quo- 15
que libros V. composuit, ad Maximilianum II. Imp. scriptos, editosque Venetiis
1565. in 4. Et si enim illos evolvere nunquam licuerit; haud difficulter tamen con-
jicio, Virum doctissimum, qui in Commentario in Horatium tam pulcre de imitatio-
ne Horatiana subinde scripsit, quam alius quisquam, profecto multo etiam magis
accurate hoc argumentum in Tractatu peculiari exsecutum: ut non dubitem eum,
si haberi potest, ceteris omnibus esse anteferendum. Persii Imitationem Horatia-
nam suo in Persii Commentario annotavit If. Casaubonus. De Virgilio imitatio-
ne Homerica tot loquuntur, quot Poëma utriusque attingunt. Aliorum Poëtarum
Latinorum studium in imitandis Græcis annotat Barthius Adversar. lib. XXXIV.
c. 14. qui tamen non in omnibus æque felix est: aliquando enim, quæ ad imi-
tationem Græcorum expressa putat ille, forte secus videbuntur aliis. Ceterum sub
specie imitationis nunquam furta Poëtarum admitti certum est: etsi vicissim nimis
rigidi sunt & iniqui accusatores, qui promiscue imitationem, similemve sententiam
pro furti argumento arripiunt. Sane enim quandoque fit, uti recte MENAGIUS ad
Malverbium p. 255. observat, ut in easdem cogitationes, eisdemque Versus, totidem
conceptos verbis Poëtae incidant, absit tamen, ut alter alteri quicquam surripuisse
dici queat. Notat Menagius, Porphyrium apud Eusebium Præp. Evang. lib. X.
c. 3. commemorare Aretadem, qui integrum de his librum scripserit. Inscribeba-
tur vero liber Aretadis *περί συναμιλώσεως*, & in eo multa etiam, ut restatur Porphy-
rius, plagia Eruditorum annotabantur. Festivum est, quod Hieronymus (& ex eo
Menagius) ad illud Ecclesiastæ; *Nihil sub sole novum*: de Donato, Præceptore suo,
refert: eum, cum illa Terentii explicaret: *Nihil dictum, quod non dictum sit prius*: sto-
nachantem & indignabundum identidem exclamasse: *pereant, qui ante nos nostra di-
cerunt*. Hæc quidem, similiaque, quæ in veteribus ac recentioribus Poëtis sæpius
occurrunt, pro furtis reputanda non sunt. Atque hinc Æg. Menagius, qui de *Fur-
tis & Imitationibus Poëtarum* peculiarem librum se scripturum promiserat; l. c. & in
Idend. p. 559. de his etiam, quæ furta non essent, similibus eorundem cogitatis la-
ius agere sibi proposuerat. Sed, dum cum illa sui libri Editione cunctatur Mena-
gius,

a) De Enthusiasmo seu Furore Poëtico Morhofii etiam ipse existat Oratio, Rostochii Lectionibus in
Claudiani de Raptu Proserpinæ libros Publicis, M. Nov. A. 1661. præmissa; sed, triennio ab-
hinc, demum, in Volumine *Dissertationum* ejus *Academicarum & Epistolarum*, Hamburgi, An.
1699. in 4to excuso, p. 71-82. edita. Prolixius ille quidem de eodem Argumento Volumen, tum
sub finem *Orationis* hujus p. 81. tum P. II. *Operis de Lingua & Poesi Germanica*, c. 11 p. 201. & ali-
bi, est pollicitus, sed non perfecit. Digna etiam lectu est Diatriba de Enthusiasmo Poëtico
Academica, ab Henr. Muhlio & Sebast. Kortholto, illo Præsidente, hoc Respondente, utroque autem
Morhofii discipulo, utroque item ejusdem in Professione Poëtica Successore, Kilonii A. 1696. in
4to publicata.

gius, cogitur tandem a se amoliri plagii crimen, quo carmina eius onerant Andr. Bailletus; qui tot Veterum ac Recentiorum dimidiis versus in regrosve, in Poëmatibus Menagii, occurrere criminabatur, ut nihil aliud prope, nisi inusitatum opus sit, quicquid carminis ab illo fluat, e variis nempe Poëtarum variorum frustulis artificiose congestum: transfusis etiam aliquando Latinis aliorum Carminibus ab illo in Græcum. Hæc igitur ut pro viribus dilueret Menagius, neque furtis annumerari posse, quæ suis aliena inseruit, neque peccatum esse a se quicquam ostenderet, opere in *Anti-Bailletto*, multis capitibus, laborat, P. II. a pag. 202. usque ad 277. §. 128. 135. simulque toti argumento lucem non exiguam sceneratur. Ex antiquis conferri ad rem eandem cum fructu potest Longinus, lib. περι ὑψηλῶν sect. 13. qui veterum & celeberrimum ante nos Scriptorum imitationem quam maxime ad apicem illum sublimitatis conducere sapienter iudicat: quum scilicet haud raro aliqui, alieno velut spiritu, ut Pythia Deliaci anhelitu, impleri, quædam illorum, quos assidue legunt & imitantur, Autorum præstantissimorum effluvia in se sentiunt delabi, tumque furorem illum, quasi ex Apollinis specu petitur, æqua cum aliis sublimitate ostendunt, ὅταν ἀπὸ τῆς τῶν ἀρχαίων μεγαλοφύας εἰς τὰς τῶν ζηλόντων ἐκείνης ψυχῆς, ὡς ἀπὸ ἱερῶν ἑομίων ἀπορροιαί τινες φέρονται, ὑφ' ὧν ἐπιπνεόμενοι καὶ οἱ μὴ λίαν φοβασίμοι ἐτέρων συνενθροισίῳσι μεγέθει. Recte vero addit mox idem Longinus: ἔτι δὲ ἡ κλοπὴ τῆς πρᾶξιμα, ἀλλ' ὡς ἐπὶ καλῶν ἡθῶν, ἢ πλασμαίων, ἢ δημογεγενημένων ἀποτύπωσις. *Quæ quidem imitatio tantum abest, ut furti nomine insimulanda videatur, ut potius velut quædam excellentium seu formarum, sive simulachrorum, aut operum, existimanda sit expressio atque exemplum.* Cur Poëtis Latinis in historia Heroum Romanorum, si quando mentionem eorum faciunt, tot similia dicantur, Barthius Adversar. lib. XVIII. cap. 18. Scholis declamatorum imputat, quorum industria gesta talia non solum repetita indices, sed & in omnes facies sententiis torta sunt. Conf. Vavassor de declamatoriis argutiis Ovidii. Singularis plane & mira furandi ratio est, quam de Sperone Speronio narrat Janus Nic. Erythræus Pinacoth. III. pag. 202. *Semper ille ante se exiguos tenuium, nescio quorum, Autorum sætus habebat: interrogatus, cur id faceret, homo sui ævi doctissimus? respondisse fertur: se furem esse literarium, & imprimis cupere, sua furtiva esse occulta; idque sibi ex sententia eventurum putare, si pauperum tuguria persequeretur: unde si quid abstulisset, propter eorum, quos expilasset, obscuritatem omnibus etiam futurum esset incognitum: longe secus futurum esse, si furtificas in locupletum & illustrium Virorum domos manus vellet afferre, quorum res, propter ipsorum nobilitatem & amplitudinem omnium jam patent ad oculos, nam, si quid mihi vellem ex illis arrogare, ac proprium facere, continuo clamarent furem manifestarium, qui ea pro meis venderem, quæ jamdudum in illius vel illius beatissimi hominis suppellectile numerarentur.* Hanc Speronii rationem furandi ut haud dubie mirabuntur, quotquot e trivio parum bonæ frugis colligi posse intelligunt: ita non parum profecto suæ existimationi detrahit, quisquis hac via incedit ignobili & indecora. Nescio autem, utrum in Dramata, an in Dialogos, plumas alienas tam pulcre transtulerit Speronius, Æsopi graculum imitatus. Franc. Vavassor putat, Elocutionem in carmine multa ab elocutione oratoria mutuari, adeo-
 • que

Cap. I. De Scriptoribus, ad Artem Poëticam facientibus.

que Poëtis Oratorum lectionem commendat, de Epigr. p. 159. Quod quidem aliqua ex parte verum est, sed nisi lectio Poëtarum præponderet, periculum est, ne, suppressis spiritibus poëticis, lectio talis ex Poëta Oratorem faciat.

• Inter eos, qui *Profodias*, & *Abacos* quantitatum scripserunt, optimus est, SAM. GLONERUS, qui e *profodia* Gießensium, aliisque collegit præcepta necessaria, ad quantitates vero semper Autorum versus quoque signavit: quod non facit Henr. Smetius, cui propterea fides haberi semper non potest, quod corrupta nonnunquam sequitur exemplaria. OLAUS BORRICHIVS *Parnassum in nuce* scripsit, quo, singulari compendio, paucioribus Versibus plura quantitatum exempla comprehendit, quam Glonerus & Smetius; Haffniæ 1654. in 4. Idem *Linguam Pharmacopæorum* scripsit, quò libro de accurata vocabulorum in pharmacopoliis usitatorum pronuntiatione agit. *Errores* magnorum Virorum *in metro*, utriusque Scaligeri, Bonav. Vulcanii, Gabr. Lermæi, Frid. Taubmanni, Joh. Aurati, Fulv. Ursini, Joh. Meursii, H. Grotii, Car. Paschalii, Achill. Statii, notat Barthius *Advers. lib. XVI. c. 3.* E Jos. Scaligero septem pedum versum producit, quem post illum etiam observavit Vavassor *de Epigr.* p. 193. Quinarium jambum pro Senario Jul. Cæs. Scaligeri idem Barthius notat lib. XXVI. c. 25. ubi Angeli Politiani, Vincent. Opsopæi, aliorumque, hallucinationes in syllabis ostendit.

Ad Poësin *fabularum cognitio* necessaria est. Hanc vero discas ex LIL. GREG. 17. GYRALDI *Historia Deorum*, quæ compluribus Syntagmatibus ab illo prorsus eleganter tradita est; & ex G. J. VOSSII *Theologia Gentili*, elaboratissimo Opere, & gentilium superstitionum vere thesauro: quo elogio illud ornat Gisb. Cuperus in *Harpocrate* p. 107. quo in libro ipse etiam mythicam gentilium Theologiam haud parum illustrat. Sed sunt majora adhuc & plura operis Vossiani elogia, Grotii, Saravii, aliorumque, Epistolis haurienda. Sed se quam optime commendat liber ipse, cum legitur. Quæ sub FULGENTII, Ruspensis Episcopi, nomine pradiit *Mythologia*, Augustæ Vindel. 1521. fol. cum Scholiis Philomusi edita, non ejus esse, sed Furij Publ. Fabii Fulgent. Plancridis, Grammatici, post alios multos Placcius observat de Pseudon. p. 197. NATALIS COMES in *Mythologia* sua ineptus est, & allegoriis suis occupatus. HENR. SCHÆVH *Mythologia contracta*, ob ordinem, tyronibus commendari potest, quibus etiam commode inservit FRANC. POMEY, Jesuitæ, *Pantheon Mythicum*, semel iterumque in Germania Belgioque impressum. JAC. MASENII *Mythologia* brevissima est, ac propter indicem locorum communium exemplarium, quorum magnus in poemate usus est, commendanda. (Luculentissima vero sunt, & plane exquisita, quæ in Commentariis ad Callimachum, nuperrime An. 1697. Ultrajecti editis, Vir nostra laude multo major EZECH. SPANHEMIUS, de Deorum Veterum genealogia & historia, ex infinitis observationibus suis, congestis: quæ cum præstantissimis quibusque de palma certant.) • ROB. STEPHANUS quoque *Elucidarium Poëticum* edidit, nominum mythicorum explicationem continens. Verum illud,

maxima sui parte, totidem verbis esse e Raph. Volaterrani Anthropologia sic descriptum, ut errores quoque suos fecerit Stephanus, qui tamen interea nusquam suum Autorem nominavit, observavit, nec ignoscit, Thomafius de Plagio Liter. §. 549. CAROLUS STEPHANUS, Roberti frater, *Lexicon Poëticum* scripsit, multoties variis in locis, & præsertim Genevæ, excusum, recusum, auctum: sed semper tamen imperfectum est, multisque in locis corruptum. Emendavit illud, ac supplementum scripsit THOM. REINESIUS, quod ineditum adhuc est. In Anglia magnis Accessionibus idem Stephani Dictionarium auxit, & simul locis prope innumeris emaculatum bis edidit, semel Oxonii An. 1671. iterumque Londini A. 1686. in fol. NICOL. LOYDIUS: sed etiam si Editio illa prioribus longe melior sit, non ea tamen accuratio ubique adhibita est, quæ debebat: quantum ex inspectione fugitiva cognoscere licuit. Vellem ego *Lexicon* ita ordinari, ut volebat quondam Henr. Schævius: qui omnia vererum poetarum denominata & Epitheta mythologica consignari jubebat, exemplumque dabat in *Lexico Statiano*, quod hætenus ineditum est.

18 De *Tropis Poëticis* antiqui Autoris Græci, GEORGII CHÆROBOSCI, libellus, quem se MSS. in Italia vidisse Gesnerus in Bibliotheca testatur, a Leone Allatio Græc. & Lat. cum aliis quibusdam Rhetoribus, editus est, Romæ 1641. in 8. Idem libellus Græce etiam servatur MSS. in Bibliotheca Casarea, teste Lamæcio Tom. IV. Bibl. Vindob. p. 23. Græcus illius titulus est: *Γεωργίῳ χοιροβοσκῷ περὶ τῶν πᾶσης παλαιᾶς καὶ νέας γραφῆς*. Poëticos tropos 27. refert, ἀλληγορίαν, μεταφοράν, κατὰχρησιν, μετάληψιν &c. Meminit Georgii hujus alio quoque loco Allatius: nempe in Diatriba de Georgiis: observatque ibi; eum non recentem, sed satis antiquum fuisse, & ante Imper. Anastasii Dicori tempora, adeoque sub finem sæculi post C. N. quinti, famam sibi comparasse: idque exinde colligi posse ait, quod Stephanus Byzantinus, Grammaticus, in libro de Urbibus, ejus testimonio utatur.

19 Phrases poëticas sub Locorum Communium titulis congeffit NICOL. NOMESSEUS in *Parnasso poëtico*, Colon. 1602. in 8. edito, & mox appendice aucto; qui quidem optimus videtur: Virgilii phrasés seorsim sub titulis sunt congestæ. *Calligraphiam Orvidianam* scripsit GEORG. BERSMANNUS. ALEXANDER ROSSÆUS *Enchiridion Oratorum & Poëticum*, in quo formulas oratorias Morelli Sermone Poëtico expressit, Londini 1650. in 8. MELCH. WEINRICHIUS in *Erario Poëtico* phrasés e Recentioribus potius, quam Vereribus collegit, quem exagitat eapropter VINCENT. FABRICIUS, in *Præfatu Parato*, i. e. Satyra in Poëtas, eorumque contemptores. Amstelodami edita. *Flavissæ Poëtice* BACHARII omnium optimæ sunt propter elegantem ordinem ac digestionem synonymorum, Epithetorum, comparatorum, phrasium, &c. *Epitheta* conscripta sunt a JOH. RAVISIO. Ex eo, additis quibusdam observationibus, concinnavit selectum Epithetorum Latine Poëseos NICOL. le ROUX, Paris. 1631. in 8. *Græca Epitheta* diligentissime collegit ediditque CONR. DINNERUS. Ad Epithetorum inventionem facit etiam JOH. BUCELLENT *Officina*: quanquam & alias voces, substantiva & verba, apud illum reperire possis; indicem enim dedit 1. nominum, 2. adjectivorum & par-

& participiorum, & 3. nominum propriorum; singulorum sub titulis pedum ita locatorum, ut in prospectu paginae statim pes, & subjectæ illi voces appareant: e quibus excerpere potes, quæ usui sunt accommodata. Hujus libri auctarium scripsit BOHUSLAUS BALBINUS in *Auxiliis Poëtices*, uti vocat. Verum habent & hi Autores sua vitia: multa enim in illis occurrunt barbara & antiquata: multa etiam in quantitatibus errata sunt: quare circumspicere iis utendum. Uterque vero inventionem debet Anglo cuidam homini, JOSIÆ WEBBE, Med. Doctori Londinensi, qui A. 1626. in 8. librum edidit, quem inscripsit *Usus & Autoritas, seu Carmen Hexametrum & Pentametrum*: in quo ita particulas & verba Ovidiani poëmaticis digessit sub suis pedibus, ut jactet, hoc artificio quemcunque artis Oratoriae & Poëticæ ignarum orationem & poëma scribere posse: quæ, quamvis stulta, jactantia metrorum tamen & pedum inventionem faciliat: qua in re prævit Buccelleno & Balbino. Exstat similis labor GEORG. MATTHIÆ KOENIGII, qui in Græca lingua eo modo Epithetorum & Nominum Syllabum locavit. Libri titulus: *Tyrocinium Poëticum Græcum, Norib. 1627. in 8.* Ego vero phraseologiam poëticam longe aliter colligi & institui posse censeo. Concinnarem Lexicon aliquod Poëticum, quò notarem omnes illas voces, quæ singularem aliquem sensum, non tantum apud Classicos poëtas, sed & nonnullos, præstantiores tamen, recentiores inveniant: cum ratio phraseos poëticæ unice pene in translationibus, Poëtis familiaribus, consistat: quanquam & aliqua Syntaxeos ratio diversam orationem Poëticam a soluta faciat. Huic Lexico deinde subungi posset index locorum communium, qui remitteret ad voces ipsas. Sed de omni instituto illo, in lectionibus publicis plura diximus. Pene ad illud consilium nostrum institutæ sunt, quæ Lugduni A. 1590. in 12. prodierunt *Petri ab Area Baudoza, sive Baudoziani, Poëticæ Elocutionis formulæ*: a quo & Poëticæ Latinae Thesaurus Lugdun. 1586. in 8. decem libris confectus est.

Extant & de vernacula gentium variarum Poësi scripta varia. De Germanica nos 20 peculiari libro egimus aliquando, ac tum Scriptores recensuimus omnes; tum quid præterea dici ad rem posset, congestimus: quæ nunc repetere opus non est. De ludis Poëticis apud Gallos fufe Joh. Casaneuve agit in libro, quem inscribit *Jeux fleurans*. De Castellana, seu Hispana Poësi scripsit *Didacus Garcias de Rongiso*, Salmant. 1592. in 4. & *Mich. Sanchez de Viana*, Compluti, 1580. in 4. Itali de sua Poësi tor agunt, quotquot vel Guarinum, vel alios novi generis Tragico-Comici, aliarumque novitatum Autores suos, contra veteris Poëseos propugnatores sibi defendendos sumunt.

Uti vero hoc Scriptionum genus ut plurimum non sine præpostera sui admiratione adornari solet: ita philautia vulgare virium est, quod tantum non omnibus Poëtis tribui solet: de qua multa Gaddius colligit *T. I. Scriptor*. ubi de Galeno agit: nec non, ubi de Justo Lipsio. Addi vero & Barthius meret *Advers. lib. XLIV. c. 25*: Nemo autem prolixius laudes poëtarum, e philautia tali profectas, nec studiose magis, ex antiquis & recentioribus, collegit, simulque ut licitas defendit, quam Menagius

T. II. *Anti-Bailleti* p. 277. 324. qui scilicet ipse erat, ob nimias laudes suas & elogia, quæ ipse de se cumulare consueverat, ab adversario vanæ arrogantiae accusatus.

CAP. II.

DE POETIS GRÆCIS. (b)

§. I. Poëtarum Historiæ Scriptores Antiqui sc. complures, obiter tantum nominati, e Recentioribus autem (de quibus paulo differitur prolixius) Pet. Crinitus, Pomp. Gauricus, Lil. Greg. Gyraldus, qui præ aliis commendatur, & adversus iniquam Jof. Scaligeri censuram, crimenque plagii, a Jac. Gaddio objectum vindicatur.) Jof. Guidiccionius, Gerh. Jof. Voffius, Ol. Borrichius, Tanaqu. Faber, Casp. Cælius.

2. Poëta Græci Antiqui: Homerus (de cujus simul Exegetis Veteribus, Porphyrio, Eustathio, Didymo Ψευδοδωρμω, Anonymis aliquot, & Actio Labcone, complura monumentur.) 3. Hæstodius. 4. Orpheus & Musæus. 5. Æschylus. 6. Sophocles. 7. Euripides. 8. Aristophanes. 9. Menæander. 10. Pindarus.

11. Narratio de abolitis, per Monachos Græcos, ceterorum Poëtarum Græciæ Lyricorum & Eroticorum Carminibus. 12. Lyrici, præter Pindarum, quorum aliiana supersunt, Græciæ reliqui, Anacreon, Alcæus, Sappho, Stesichorus, Ibycus, Bacchylides, Simonides, Alcman; Archilochus item Janbographus, & alii Poëta, quorum Fragmenta, non minus, quam Lyricorum, Henr. Stephanus collegit, & cum istis Junctim edidit. 13. Pseudo Pythagoras, Carminum Aureorum Scriptor, in quo Hierochis aureus exstat Commentarius, fusc h. l. celebratus. 14. Pseudo Phocylides.

15. Theognis, Moschus. 16. Bion Theocritus, Simmiar Rhodius. 17. Callimachus Cyrenæus, 18. Apollonius Rhodius. 19. Nicander Colophonius. 20. Aratus. 21. Dionysius Periegetes. 22. Lycophron. 23. Quintus Calaber, Tryphiodorus, Coluthus, Gointus Smyrneus. 24. Oppianus & Phile. 25. Fragmenta

IX. Poëtriarum a Fulvio Ursino, Philosophorum autem Poëtarum ab Henr. Stephano, collecta & publicata. Oraculorum Sibyllinorum Variæ Editiones. 26. Anthologia Græcorum Epigrammatum, a Maximo Planude collecta. 27. Poëta Græci inter Christianos Veteres, Apollinaris, Gregorius Nazianzenus, Nonnus, Paulus Silentarius, Jof. Tzetzes. Fragmenta aliorum, & hos inter Ezechielis, a Frid. Morello junctim edita. (De omnibus hisce Poëtis Græcis fusc satis plerumque differitur, multaque de illorum Vita, Scriptis, Stylo, Editionibus, Scholiastis Veteribus, Interpretibusque & Exegetis recentiaribus, Observationes, adjectis Eruditorum judiciis aliisque ἀξιωματικαῖς, in medium afferuntur.)

Sequi:

(b) Caput hoc de Poëtis Græcis non ipsi Morhofio deberi, sed Viri illius Eruditi, qui Lipsiæ Libros IV. Polyhistoris literar. posteriores, e Prælectionibus ejus Academicis, collegit, digessit, & plurimis in locis auxit atque interpolavit, diligentia acceptum esse ferendam, supra jam ad Libri VI. Cap. II. monuimus.

Sequitur jam, *ut Poëtas nobiliores, Veteres ac Recentiores, enarremus: quod qui- dem institutum jam olim complures Græcorum æque & Latinorum Autores tenuit: adeo dignum est omni tempore visum doctorum Virorum curis argu- mentum hoc.* Siquidem e Græcis, ut Gyraldus in Epistola suis Dialogis præfixa, observat, Aristoteles, Zeno, Antiphon Ramnusius, Nicander Colophonius, Lobus Argivus, Demetrius Magnesium, Dionysius Phaselites, Damastes Sigeæus, Phania Peripateticus: (queis addi præ ceteris etiam debuisset Callimachus) ex Latinis M. Varro, & Volcatius Sediginus de Poëtis scripserunt (c). *E Recentioribus* RAPHAEL VOLATERRANUS, in *Anthropologia* sua, quæ magna Commentariorum Urbanorum pars est, carptim de Poëtis egit. Sub idem fere tempus PETRUS CRINITUS de Poëtis Latinis libros V. composuit, Basileæ 1505. excusos. Orditur a Livio Andronico, & usque ad Sidonium Apollinarem, qui Theodosii M. tempore vixit, historiam 96. Poëtarum continuat, stylo conciso, & qui, ut ipse ait in præfatione, Suetonium de Rhetoribus scribentem imitatur. Post Crinitum, cum restare adhuc sermo de Græcis Poëtis videretur, id operis in se POMPONIUS GAURICUS, Poëta insignis, & Antonio Teissierio in *Addit. ad Elogia Thuan.* referente, Lucæ Gaurici frater, suscepit, planeque ad imitationem Criniti scripsit: uti Paulus Jovius in Elogiis, & ex eo Jac. Gaddius, affirmant. Hos vero superavit accurato studio & labore suo LILIUS GREGORIUS GYRALDUS, eruditissimus & infelicissimus Vir; qui luculentissimos, & omni eruditione refertos de Poëtis Græcis & Latinis Dialogos composuit: editos primo Basileæ A. 1545. postmodum recusos inter opera Gyraldi, bid. 1580. 2. tomis in fol. excusa [& nuper repetita Lugduni Batav. 1696. nitidissima Editione: in qua Dialogis Lili notæ quoque doctissimæ Pauli Colomesii, antehac ineditæ, accesserunt.] Neque vero solum de antiquis Poëtis extantibus atque non extantibus scripsit: sed & de recentioribus usque ad ætatem suam: ac de iis judicia semper sua annexuit. Novi quidem, quod *Jos. Scaliger, in Confutatione Fabulæ Burdonum,* dicat p. 85. *neminem infelicius de Poëtis judicasse, quam qui de Poëtis scripserit, Lil. Greg. Gyraldus, Vir multa lectionis & magnæ eruditionis: siquidem de Poëtis judicare Poëtarum duntaxat sit, idque non omnium, sed optimorum: quam in rem Cleanthis dictum allegat:*

Ὅτι γὰρ πλῆθος ἔχει συνετὴν κρίσιν, ἕτε δικαίαν.

Ὅυτε καλὴν ἀλίγοις δὲ παρ' ἀνδράσι τῆτο κεν εὐροίς.

Enimvero, ut hic minus attendamus Scaligerum, qui alibi, uti Teissierius annotat judicii laude Gyraldum non privat, facit Viri affectus, qui a Scioppio petulantissima planeque venenata Satyra irritatus, in toto hoc scripto se prodit adversus omnes, quotquot nomini Scaligeriano, & familiæ illustri quicquam detrahare velle videbantur. Dederat vero imprudens Lilius, nesciusque ac litium futurarum, occasio- nem

(c) Scriptoribus Vetustis Latinis, Poëtarum, persecutis Historiam, addendus etiam C. Suetonius Tranquillus, e cujus Libro de Poëtis (Latinis haud dubio folis) Viræ tantum Terentii, Horatii, Persii & Lucani, supersunt. V. Vossii *Lib. I. de Hist. Lat. c. 31. p. 100.* & Joh. Jonsii *Liv. 3. de Script. Hist. Philos. c. 8. p. 249.*

nem bello Bordonico, inter Scioppium & Scaligerum, atroci calumniarum pugna pugnato, dum Julium Scaligerum olim Burdonem vocatum fuisse dixit: quod deinde præter Gyraldi mentem in calumniam raptum est. Quanto rectius itaque hic Gerh. Joh. Vossio aurem præbebimus, qui, & ab affectibus liber, & ferendo iudicio non minus atque Scaliger par, ita de Dialogis istis loquitur, lib. de Poëtis Lat. p. 82. *Lilii Gyraldi extat historia, dialogis decem perscripta, de Poëtis antiquis, duobus de sui temporis Poëtis: opus, sicut magni ingenii & iudicii, sic ingentis doctrine atque industrie: ita, ut expectandum non sit, ut quis deinceps hanc demum provinciam suscipiat. Est, ubi hujus vel illius poëtæ Historiam accuratius aliquis tractare valeat, & sune id in paucis: at ab aggregando iterum tam vasto labore, non modo Eruditorum vulgus, sed etiam sanos omnes deterruit. Videlicet, post messem tam luculentam nihil fere, nisi quadam Spicilegia, reliquit.* Hoc Vossii iudicium veritatem etiam maxime conforme fatebitur, quisquis spreis nonnullorum Lilio adversorum autoritatibus, librum ipsum æquo animo leget. Sed est ut plurimum ingenuæ virtutis comes invidia, & probissimum quemque pessime suo dente habitum rodit. Fuitque hoc inprimis perpetuum fere fatum optimi Gyraldi, Thuano teste, ut præter acerbissimos arthritidis cruciatus, & perpetuam duræ paupertatis miseriam, calumniatorum quoque injuriis assidue impeteretur. *Fac. Gaddius* inter hos etiam esse voluit, nec contentus, tacito nomine Gyraldum subinde fugillasse, aperte etiam, ubi de illo agit, & de Crinito, carpe illos præstantissimos Dialogos, modo, quod maligne, Pet. Criniti mentione ommissa, ejus tamen serinia compilaverit, *T. II. de Scriptor. Non-Eccles. p. 129.*; modo, quod multa e Scaligeri Poëtica sublegerit Gyraldus: *p. 212.* Verum, uti stupidius nihil dici posset, quam hoc posterius, cum anno 1545. Gyraldus suos Dialogos ediderit, Scaliger Poëticen sexennio demum post A. 1551. ita prius etiam infirmis profecto conjecturis innititur: nec probavit unquam Gaddius plagium, cujus rem hominem innocentem audacter facit. Neque quis mihi hic Conr. Gesnerum forte obvertat, idem de Gyraldi plagio sentientem *Bibliotheca p. 548. b.* siquidem longe modestius ille loquitur, namque suam conjecturam fatetur. *Crediderim, ait, Lil. Gyraldum, quicquid in eis (Criniti libris de Poëtis Lat.) scitu dignum legitur, transtulisse in suum opus de Poëtis.* Hæc vero conjectura Gesneri facili negotio refelli potest. Sed de Gyraldo satis. (Prius tamen adhuc, quam illum penitus missum faciamus, age Epitaphium apponemus, quod sibi metipso scripsit, dum vixerat, & quod monumento, in Æde Civitatis Ferrariensis Cathedrali, insculptum est, Joh. Jensio referente.

D. M.

Quid hospes adstas? rymbium
 Vides Gyraldi Lili,
 Fortunæ, utramque paginam
 Qui pertulit: sed pessima
 Est usus altera, nihil
 Opis ferente Apolline.

Nil

Nil scire refert amplius
Tua, aut sua, in tuam rem abi.)

Censuram Poëtarum Italica lingua scripsit JOH. GVIDICIONIUS; sed quæ *avēndos* adhuc est, referente *Gaddia T. I. p. 212.* Exinde GERH. JOH. VOSSIUS quoque librum *de Poëtis Græcis & Latinis* conscripsit, quanquam non ediderit ipse, dum in vivis esset; sed editus tamen est non diu post mortem auctoris 1654. in 4. Verum, ut ipse in loco, quem paulo ante produximus, fatetur, nonnisi spicilegium superesse post largissimam messem Gyraldi; ita sane liber hic non adeo est a Viro illo summo exalciatus, ut reliqua illius scripta: præsertim, cum ultima manus non accesserit. Quapropter & Paulus Colomesius, in *Bibliotheca Selecta p. 89.* nunquam edendum fuisse judicat librum illum, ut qui tanto nomini ignominiam quasi afferat. Dignius Auctore suo est. Opus *de Poëtis* doctissimi Hafniensis Medici, OLAI BORRICHII, quo ille, præter magnam sermonis Latini elegantiam, magnum quòque in congerendo studium, & judicium in discernendo, ostendit. Prodiit quoque TANAQ. FABRI libellus Gallicus, *Vitas Græcorum Poëtarum* in compendio exponens: *Abregé des vies des Poëtes Grecs*; Salmurii, 1664. in 12. quem quidem ille nonnisi in usum adolescentis alicujus nobilis confecit; sed tamen pro more suo eruditissimis observationibus, quæ captum adolescentis superant, & consummatissimis in doctrina Viris novæ videri possunt, hic illic implevit. Hinc passim a Colomesio, aliisque laudatur. Non memorabo jam *Carmen CASPARIS CÆLII*, quo illustrium Poëtarum vitæ describuntur, referente Nic. Erythræo *Pinac. I. p. 231.* quum &, eodem teste, sine nitore scriptum fuerit, nesciamque, num veteres Poëtas, an solum recentiores, eo suo Poëmate comprehenderit. Adeoque sine ambagibus nunc ad Poëtas *Græcos* accedo.

Ex his nemo antiquior superest HOMERO, omnis Poëseos, Eloquentiæ & 2 sapientiæ Græcæ, fonte: cujus tamen neque ætas certa, neque patria, definiri potest. Inprimis, quod patriam concernit; incertissima omnia: nimirum adeo ambitiose non solum unaquæque propemodum Græciæ civitas Homerum civem suum optabat, sed & Smyrna Asiæ, & Phrygum Troja, & Ægyptiorum Thebæ, & Italiæ urbes Luca & Roma, adscriptum suis civibus Homerum multorum Autorum testimoniis vindicare possunt: qua de re Gyraldus *Dial. II.* prolixè agit, ostenditque, tantæ sententiæ diversitati occasionem haud dubie dedisse Homeros multos, quorum octo recenset, & qui postmodum in unum imperite conflati sunt. Peculiarem vero librum de Patria Homeri scripsit Leo Allatius, Chius, Lugduni 1640. in 8. editum: in quo Chium illum fuisse, cum Simonide & Harpocratiæ, contendit. d) Ceterum Homeri Poëmata non ab ipso in literas relata, sed canticorum in morem

d) In disceptationem de patria Homeri tot urbium decantatissimam complura Poëtarum Græcorum Epigrammata, non inveniusta, *Lib. IV. Anthologiae* harum, a Maximo Planude collectæ, *Tit. 27.* (fol. 214. Edit. Aldinæ) occurrunt. Septenarius illic Civitatum & Insularum, quæ civem istum sibi vindicabant, hoc exprimitur Disticho:

morem recitata populo, indeque memoria servata, & tandem, non sine multa exemplarium dissonantia, in unum corpus congeſta, jam olim, e Græcorum antiquo-

Ἐπὶ αἰ ἐριδμαίνεσι πόλεις διὰ ῥίζαν Ὀμήρου
Κύμη, Σμύρνα, Χίος, Κολοφών, Πύλος, Ἄργος, Ἀθήναι.

Aliter vero in altero, isti immediate subjuncto:

Ἐπὶ αἰ πόλεις μάργεαντο σοφὴν διὰ ῥίζαν Ὀμήρου,
Σμύρνα, Χίος, Κολοφών, Ἰθάκη, Πύλος, Ἄργος, Ἀθήναι.

Antipater & Anonymus, quorum de patria Homeri controversa ibidem leguntur Odisticha, omiſſis locis quibusdam, in gemino hoc Disticho memoratis, alia substituunt, ille quidem Iam, Salaminem & Theſſaliam, hic vero Ægyptum, Cyprum, Mycenas. Uterque, litis istius sibi sumens arbitrium, cælestem Homero tribuit originem; Antipater quidem hoc Disticho:

Πάτρα σοι τελέθει μέγας ἔρανος: ἐκ δὲ τεύσεως
Ὀυ θνατᾶς, ματρὸς δ' ἔπλεο Καλλιόπας.

Anonymus autem, ita canens:

Ὀυ γὰρ ἔφου χθονὸς ἔργον: ἀπ' αἰθέρος αἰλλά εἰ Μῦσαι.
Πέμφαν, ἢ ἡμερίοις δῶρα πεδητὰ Φέρη.

Plura diversorum argumenti hujus Epigrammata l. c. legi merentur. Nos olim in posthumam hanc de Homeri, dum vixit, contempti & cum dura colluctati paupertate loco natali contentionem ita lusimus:

Septem Græcorum atque Asia prædixit Urbes,
Quis opibus pauca ac nobilitate pares,
De patria ingentis certasse feruntur Homeri,
Et quævis civem hunc asseruisse sibi.
Smyrna, Chius, Colophon, Salamin, Pylus, Argos, Athenæ,
Hinc volvere sibi grande parare decus.
Fallimini, o Stolidæ! quod enim decus esse putatis.
Nemo non summum dedecus esse videt.
Tanti etenim Civis, quæcumque est Patria, dozes
Sprevit, dum in vivis atque superstes erat.
Dura vagabundum atque extorrem preſſit egestas:
Non fuit Urbs tanto patria digna Viro.

Qui octo Homeros, ob Homonymiam confusos, effingunt, & hos inter tot loca natalia, uni attributa, cum Gyraldo, b. l. allegato, & quem illi comitem adjungimus, Jacobo a Cruce, Bononiensi (in *Annor. in Auctores varios*, c. 19. Tomo I. *Thesauri Critici Græceriani* p. 693. 694.), partiantur, sola Archilochi nituntur auctoritate, non Veteris illius Homerique ipsi, uti fertur, coævi, sed spurii atque *ψευδοῦνός*, ejus Libellum de Temporibus Joh. Annii, Viterbiensis, falsarius atque impostor famosus, cum aliis ejusdem fursuris Mercibus Literariis, Orbiterudito obtrusit, nec attendi proinde a cordatis merentur. Vid. *Homonymoscopiam* nostram, *Seçt. II. cap. 3. §. 3. p. 25. 30.* Plura de Homero addere non vacat. Consulantur, præter alios b. l. jam laudatos, Ludolphi Küsteri, Manthici (qui *Neocorum* se deinde, *μεταφράσει* b. l. Cognominis Græcæ, in *Bibliotheca sua Librorum Novorum* appellavit *menstrua*) *Historia Homeri Critica*, erudita sane & lectu dignissima, Francofurti ad Viadrum A. 1695. in 8vo edita, & Gisberti Cupei *Apertio vel consecratio Homeri, sive in Lapidem, in quo exculptra illa est, antiquissimum Commentarium*, Amstelodami An. 1683. in 4to excusus.

quorum Scriptis, obſervavit Joſephus, Judæorum Historicus *lib. I. contra Appionem pag. 1034.* & cum eo etiam Plutarchus (qui de Homeri Vita & poëſi librum conſcripſit, alterumque de Dialectis apud Homerum occurrentibus,) nec non Stephanus Byzantinus, aliique conſpirant. E quorum testimoniis patet, diſjecta hinc illinc, & laceratis velut membris diſperſa, Homeri Opéra partemque jam perſita, ne penitus interirent, magno ære a Piſiſtrato, Athenarum Duce, eſſe conquiſita, operaque 72. Virorum doctorum, quibus ſingulis (ſi credere fas, & non fabula, potius ad exemplum hiftoriæ de 72. Interpretibus Biblicis efficta eſt,) omnia Homeri poëmata Piſiſtratus in ordinem cogenda dedit, eo tandem eſſe ordine collocata, prout nunc ſunt, Ariſtarcho inprimis Grammatico atque Zenodoto, qui primas omnium 72. conſenſu tenuerunt, opem ferentibus. Verum errare graviter Stephanum, dum Piſiſtrato Socios Ariſtarchum atque Zenodotum dat, quatuor integris minimum ſeculis juniores, Gyraldus, & poſt illum, Langbainius in *Not. ad Longin. περὶ Ὀψης Sect. IX.* annotarunt. Interea tamen per partes collecta olim Poëmata Homeri fuiſſe, inde etiam patet, quod, eodem Langbainio obſervante, antiqua partim Iliados nomina adhuc hodieque apud Autores reperiuntur: imo & Odysſeæ, ut e Scaligeri Poëtices *lib. I. c. 41.* patet, qui illa ex *Æliano* affert. Ceterum non poterat non hac ratione evenire, ut multi etiam *Ippurii verſus*, nunquam ab ipſomet Homero ſcripti, ſimul una intruderentur: quibus tamen ut mederentur Grammatici, obeliſcum appoſuerunt. Quodſi inter ipſa Homeri poëmata duo, quæ habemus, comparatio inſtituatur, Iliadem *Odysſeæ* multis modis eſſe præſtantiorem, nemo unquam negavit, quippe quam vegetus adhuc, & poëtico ſpiritu totus turgens, conſcripſit: quæque proin totius Carminis Epici *πρότερον* ubivis accurate ſervatum oſtendit: cum contra, in *Odysſeæ* ſcribenda, jam ad ſenium proclivis fabulas & relatiunculas magis, ſolenni ejus ætatis vitio, *amare cœpiſſet*, neque amplius fabulæ unitatem ſervaret: prout ad Ariſtotelem de Poëtica Paulus Benius: ac diu ante Benium Scriptor *κρίτικώτατος*, Dionyſ. Longius, l. c. obſervavit: qui poſterior propterea *Odysſeæ* occiduo Soli comparat, magnitudinem ſine ardoris vehementia retinenti: auſ Oceano intra ſemetipſum regreſſo, & ſedato, æſtu interiore littorum ambitu ſe contineri, abſque tamen, ut ingentium ſtagnorum magnitudo ipſa decreſcat. De Virgillii cum Homero *comparatione* dictum eſt, ubi de Virgilio, inter Latinos Scriptores, ageremus. Illud nunc ex Menagianis de Ren. Rapini Comparatione duorum Poëtarum horum addendum eſt: Rapinam inſtituto illi difficili plane imparem a Menagio dici: nec Græca Homeri loca habuiſſe, niſi commonſtrante ſuppeditanteque Tanaq. Fabro, quem tunc reducere ad Pontificios, ſeu, ut ipſe loquitur, convertere ad fidem Catholicam voluerit. Notum alias, quod ad Annam, Tanaq. Fabri filiam, elegiam ſcripſerit, ut deterreret alienaretque a Proteſtantium religione, Menagius. Sed de patre ejus, per Rapinum tentato, nihil aliunde conſtat: niſi, quod Huetius, in *Evangelica Demonſtr. Propoſ. III. §. 18.* refert, Fabrum paucis ante obitum annis, literis ad ſe datis, eſſe teſtatum, ſe de regreſſu ad Eccleſiam, in qua natus erat, Pontificiam cogitare; quod eum vero, morte præven-

rum, non præstitisse dolet Huetius.) Merito autem, seu Virgilio præstet Homerus, sive non, reliquis Epicis Poëtis ad unum omnibus longissime anteferendus judicatur. Certe non epicos solum, sed Poëtas præpmodum omnes, quin & Historicos, Philosophosque & Oratores, ex Homero, velut inexhausto fonte, hausisse sua, Longinus non solum observat *Sect. III.* exemplisque Stesichori, Archilochi, Herodoti & Platonis clarum facit: sed & Ammonium Alexandrinum scripto peculiari libro exempla ad eam rem sigillatim omnia collegisse & notasse refert, ut longiore demonstratione opus non sit. Et tamen sunt inter recentiores aliqui, qui Homerum vernaculis Poëtis suis postponunt. Sic Dante Aligerio illum inferiorem judicat Leonardus Salvius, Florentinus Eques, Oratione III. in laudem Florentiæ ac Florentinorum Autorum: aliqui Torqu. Tassum majorem habet, ut Scriptores vitæ ejus, Joh. Bapt. Mansus & Barthol. Barbatus: Claud. Achillinus Marinum prætulit. Sed, ut hi omnes præpostero suæ gentis amore abrepti sunt, nec Homerum unquam ipsi legerunt, ita judicium eorundem non sane magnopere attendi meret. Tassus profecto semet Homero inferiorem nunquam ipsi dissimulavit, Tasso vero Marinum, multoque etiam magis Danterem, cedere confecta rest. Alium vero Adversarium Italum Homerus in ALEX. TASSONO expertus est, atque, ut videri volebat, ceteris multo etiam magis formidandum. Etenim is Erythræo narravit, se quingentas Homeri sententias, & etiam amplius, in unum volumen collectas habere, quas editurus esset, stulte ridiculas. Vid. *Pinacoth. I. pag. 186.* Verum talem describit eodem loco Erythræus Tassonum, ut nec ejus autoritas facile ponderis alicujus esse queat: ambitiosulum scilicet, & qui suas laudes nonnisi cum aliorum vituperio stare posse existimabat: *Fuit, inquit ibi, ingenio magno, elegantii, atque ameno: sed turbulento supersticiosoque: quod clarorum Virorum, Poëtice facultatis laude omnium seculorum suffragia principum, labores ad suæ censuræ rationem normamque redigeret.* Contra infano quodam amore in Homerum ferebatur CLAUDIUS BELURGERIUS, Gallus Homo, & in Gymnasio Navarræo Parisiis magnus Græcarum literarum restaurator: qui, non contentus, Homerum semper in manibus habuisse, non, totum edidicisse, in templa detulisse secum, & sacrarum precum loco recitasse: non, pictam a celeberrimo pictore habere deformissimi Therfitis imaginem, qualem ipse ex Homero dictaverat, & qua nihil illustrius, nihil magis dignum visu, censebatur: voluit insuper ipsos Trojæ campos, verustique Ilii loca, late omnia oculis suis usurpare, revertensque omnem perlustrare Græciam. Neque se a quocumque hominum dimoveri a proposito isto passus, relicta statione in Italiam abiit conscensaque Venetiis navi in Ægyptum navigavit, inde abiturus in Asiam. Verum Alexandria molientem ista feralis morbus oppressit: atque sic magno etiam Orbis literati damno interiit una insignis *Commentarius in Homerum*, quem infinito multorum annorum labore confecerat, & ad quem amplius perpoliendum tantum iter susceperat. Vid. *Erythr. Pinacoth. I. pag. 206.* & *Jac. Gaddius de Scriptor. Non-Ecles. T. I. p. 238.* Sed non solus ille *Commentarius in Homerum* Belurgerii interiit. Perierunt Veterum Græcorum longe plurimi. Adeo enim magnus *Commentariorum* illorum ab omni ævo numerus fuit, ut, Menagio in præfatione ad Malher-

herbium dicente, magnam quoque efficerent Bibliothecam. Hodie perexiguus eorundem apparatus est. Vetustissimus, qui hodie superest, Commentator Homeri, etsi nequaquam totius, est PORPHYRIUS: a quo *Quæstiones Homericas* habemus ad Anatolium, speciminis loco magno Operi in eundem Poëtam, quod moliebatur, præmissas: in quibus selecta quædam loca Homeri per singulos ejus libros, servato eorundem ordine, exponit. Scripsit quoque Commentationem de Antro Nympharum, cujus in *Odyssææ* libro XIII. mentio fit. Juncta hæc ab Aldo primum edita sunt, Gesnero teste, dein Romæ 1517. & 1518. in 4. Græce: tum Basileæ 1541. Hervagianæ Editioni Homeri addita. Quæstiones seorsim, cum suis annotationibus, Henr. Stephanus in lucem edidit An. 1566. Tiguri quoque seorsim An. 1542. in 8. Græc. & Latin. a Conr. Gesnero, & Argentorati 1539. una cum Anonymi morali errorum Ulyssis Explicatione prodierunt. Demum utrumque librum, & emendatum, & doctissimis observationibus suis illustratum, adjectumque libris de Abstinencia, in lucem emisit Lucas Holstenius, Romæ, 1630. in 8vo quæ editio Cantabrigæ An. 1655. quoque recusa est. Post Porphyrium, EUSTATHIUS, *Thessalonicensis* Archi-Episcopus, nominandus est, post medium seculi XII. sub Manuele, Alexio & Andronico Comnenis, Imppp. Constantinopolitanis, clarus: nequaquam confundendus cum Eustathio alio, Archi-Presbytero, & Patriarcha postmodum Constantinopolitanò, qui sub initium XI. seculi clarus erat: a Marqu. Frehero autem cum priore idem perperam in *Chronologia* existimatur, ut Clar. Guilh. Cave, in *Historia Liter. Scriptor. Ecclæs.* pag. 475. annotat. Scripsit ille *Thessalonicensis* Eustathius vastissimum *Commentarium* in Homerum: in quo non solum Scholiastarum reliquorum ad morem Autorem suum Grammaticè explanat: sed præter hæc perpetuo Poëtæ artificium eruit & lectoribus ael imitandum, monstrata quoque methodo, proponit; neque præterit dictiones locutionesve & sensus prosaicæ orationi idoneos: tum Historiarum fabularumque immensum prope apparatus latè congerit; & innumera alia, quæ profunt. Editiones ejus Operis Romanam An. 1550. atque Basileensem 1560. jam in *Grammatico Polybistore*, ubi *de Lingua Græca*, agimus, commemoramus. Addenda tamen nunc mentio Editionis quinque librorum *Iliados*, cum Eustathii Commentario, Romæ A. 1542. in fol. excusorum. Prodierunt e typographia, quam Cardinalis, nescio quis, egregie instruxerat, & cui præerat Nic. Sophianus: factaque erat spes, reliquam Eustathii partem subsequituram. Verum, uti Gesnerus (e cujus Bibliotheca p. 237. hæc habemus) e Sophiano cognovit, mox iterum dissoluta illa typographia est, omnisque edendi ex eadem Eustathium spes expiravit. (Nihilominus tamen, in *Catalogo Bibliothecæ Tellerianæ* pag. 393. commemoratur Eustathius integer Romæ 1542. apud Anton Bladum, 4. voluminibus impressus. Igitur, cum duæ editiones Romanæ non sint & Baldus in *Catalogo Thuanæo* Editionem anni 150. excudisse legatur, dicendum forte, Typographiam, quam dissolutam certo affirmarat Sophianus Gesnero, post octennii moram resumtis viribus, primo Tomo Eustathii, anno 1542. jam impresso, reliquos tres anno 1550. adjecisse: gerente curam editionis atque emendante Nicolao Ma-

jorano: qui & in ea, quæ in fronte tomi quarti legitur, præfatiōne, multa de Homero & Eustathio commentatur. Ipsum vero Indicem illum non Majoranus, sed Matthæus Devarius confecit. Ceterum, cum in Bibliotheca Frisii legeris, *Eustathii in Homerum & Dionysium de Situ Orbis Commentarios Romæ, & Basilea: & Parisiis apud Rob. Stephanum, excusos*; cave, id ita de Homericis Commentariis accipias, ac si illi quoque Parisiis prodiissent; cum nonnisi Dionysius, qui nec Romæ, neque Basileæ, impressus est, ex officina Rob. Stephani A. 1547. in 4to cum Eustathii Commentario emissus in lucem sit.) De Compendio Eustathii, quod Hadr. Junius confecit, ediditque, sub titulo *Cornu Copiæ*: ut & de Didymi, quæ vulgo vocantur; sed vel Heracleonis, vel alius Anonymi, sunt, Scholiis in Homerum, supra etiam satis dictum est. Memoratur quoque & laudatur alicubi Index Wolffg. Seberi in Homerum, omnes voces continens, editus apud Commelinos 1604. in 4. Alium Indicem confecit Ascanius Persius, qui Bononiæ A. 1591. in 8. prodiit. Homericæ Odysseæ in errores Ulyssis Græcam Anonymi Explicationem Hagenoæ in lucem protraxit A. 1531. in 8. Vincent. Opsopæus. In nonum Iliados librum Scholia pervetusti Auctoris, e MS. Codice Pet. Victorii, descripsit olim Joh. Caselius, laudatque illa in libro de Ludo Literario. Ea postmodum Conr. Hørnejus, a præceptore suo Caselio accepta, Helmstädiæ A. 1620. in 8. edidit. Neque vero solus Græcos interpretes Veteres nactus est Homerus, sed obrigit illi quoque Latinus, infelix tamen & barbarus, ACTIUS LABEO, Flacci Persii, Satyrici Poëtæ, æqualis: qui, ut, e Scholiaste Persii, Gyraldus Dial. VIII. observat, Iliada Homeri versibus fœditissime in Latinum vertit; ita quidem obscure, ut nec sua ipse agnosceret. De Editionibus Homeri recentioribus, quæ typis impressæ sunt, non est, cur admodum prolixi simus, cum Spachius longum earundem Catalogum enumeret pag. 178. *Nomenclatoris Philof.* Scripsit quoque Mericus Casaubonus de optima editione Homeri Commentariolum: similemque diatriben Joh. Rud. Werstenius: sed neutrum unquam videre contigit. Inter primas Homeri Editiones (omnium primam enim vix est ut credam) numero Florentinam, An. 1488. duobus Tomis in fol. excusam. Splendidissima est, quam, cum reliquis Poëtis Epicis Græcis, Henr. Stephanus 1566. edidit. Non minus nitida, quæ, cum Scholiis Didymi, Græce & Latine, Amstelodami 1656. in 4. C. Screvelio obstetricante, prodiit: Quamquam recentissimus Iliados Editor Cantabrigiensis haud parum accuratationis in ea desideret. Merent adhuc adduci Parisinæ duæ editiones, una Morelliana, 2. voluminibus 1562. impressa in 4. & altera in 8. apud Adr. Turnebum 1554. Cum perpetuis Joh. Spondani Commentariis editus est Homerus in fol. An. 1583. Basileæ. Communissima fere est in Studiosorum nostrorum manibus Editio Argentinensis (quam pro Basileensi, in Catalogo Bibliothecæ Tellerianæ p. 396. haberi miror) 2. voluminibus in 8vo, ex Oberti Giphanii Castigatione, cum ejusdem notis, edita primum An. 1572. sed postmodum plus semel, nisi fallor, apud Richelium, recusa: semel quoque Lugduni Batavorum, sed parum accurate. Ceteras Editiones studio hic non tangimus. Est vero *translatus* Homerus non solum in Latinam linguam, Versusque etiam Latinos a variis, sed & in vulgarem modernum

num Græcum Sermonem, superiore seculo An. 1526. Venetiis, in 4. per Nicol. Lucanum: nec non in Gallicum, & in Anglicum. *Clavem* Homericam, cum Appendice de Dialectis edidit Anton. Robertus, Duaci 1636. in 8. a qua diversa, ut puto, est illa Clavis Homerica, quæ, sine Auctoris nomine, Roterodami A. 1662. in 8. prodit. *Gnomologiam* Homeri doctissimam scripsit assiduus ejus imitator, Jac. Duportus, in eaque Sententiarum Homeri duplicem parallelismum cum S. Literis, & Gentium Scriptoribus, instituit: Cantabrigiæ, 1660. in 4. Festivum est, sed profecto illud plagiū Angeli Politiani, qui Iliados explicationem solenni Oratione Florentiæ auspiciaturus nihil omnino dixit de illo Poëmate, quam quod in Plutarchi libro, tunc nondum Latine translato, extiterat: tantumque placuit sibi cum illo labore, ut, mōnitus licet a Jano Lascare, non resipisceret, sed imprimendam quoque illam orationem daret: quō sic scilicet patet fucus: prout e Prudæo, Duareno & Heresbachio, Thomafius annotavit *Dissert. de Plagio Liter. §. 55.* Sed de Homero plus satis.

Pergimus ad HESIODUM, qui a nonnullis Veterum Homero antiquior, ab aliis multo junior, *ὄβριχέρονος* illius vero a quamplurimis existimatur: quorum pars etiam, ut Philostratus aliique, certasse utrumque, coram Panide Rege, poëtico agone referunt. Hesiodo, juxta Quintilianum, palma in mediocri dicendi genere concedenda est; ut qui raro assurgit, verborum tamen lenitate, utilibusque circa præcepta sententiis, commendabilis est. Sunt tamen, qui de illo inclementius judicant. Plane nihil intellexisse de ipsis rerum naturis, sed solum fabulas quasdam, quas ab Afræ, yici sui, vulgo acceperat, ut solet simplex & imperitum pastorum genus, versibus utcunque narraffe, ait Guill. Parkerus *Disp. IV. de Deo p. 378.* Ita Joh. Tzetzes & quamplurimi alii, nimiam simplicitatem Hesiodo exprobrant: Jul. Cæs. Scalliger ejus *Opera & Dies*, quæ rei rusticæ præcepta esse, & de agricultura agere constat, cum Virgilit *Georgicis* comparat, & præ his plane penitusque temnit. Veterum horum omnium criminationes ægre admodum Dan. Heinsius fert: ut qui nativam illam simplicitatem, purumque & æquale orationis filum, in Hesiodo non minus, ac in Homero admiratur, tantumque adscitio aliorum fucō præferendum judicat, quantum virgo castissima meretrici præfertur. Nec adeo in Philosophia infantem credi Hesiodum permittit. Scalligerum vero non scripturum fuisse acria illa in Hesiodum putat, si cogitasset, non hunc esse, qui hodieque superest *Operum ac Merum liber*, Hesiodi librum de Agricultura, quem sibi imitandum sumpsit Virgilius, & cujus alii plures Veterum meminere: sed illum penitus intercidisse cum aliis ejusdem Poëmatibus, quorum exigua solum fragmenta supersunt. Adeoque eos etiam falli Heinsius censet, quotquot rei rusticæ præcepta contineri in Hesiodi libris *ἔργων* ajunt, cum Oeconornia præcipuum sit, quod intendat, & cujus pars agricultura non major, quam mercatura aut navigatio, aut quam justioris vitæ studium, sit. *Theogoniam* Hesiodo adjudicandam Heinsius retur, nec Platonem & Aristotelem, quoties illam sub Hesiodi nomine allegant, aliter id, quam ex vulgi opinione, facere, persuasus est. Alii *Scutum Herculis* aliis esse Auctoris credunt, Homericum Achillis Scutum imitari volentis: quod ex Veteribus Aristophanes Gram-

Grammaticus censuit: contra vero diserte Hesiodo tribuebat Hesychorus. *Interpretes* priscos aut semipriscos Hesiodus varios nactus est. Operum quidem & Dierum Proclum, Platonicum magni nominis Philosophum: deinde Joh. Tzetam, qui & Procli perperuus, & identidem ipsius Hesiodi, utriusque ut plurimum in-tempestivus, censor est: (Erat enim homo stulte arrogans, & qui solus sapere sibi videbatur: Grammatica tamen utilia multa haber,) denique Manuelém Moschopulum. Dierum Physicam explanationem scripsit libello brevi Johannes quidam Protospatharius. Scutum Herculis exposuerunt Scholiis suis Joh. Diaconus, & didasimus: quem cum Johanne rotius Bulgariae Cartophylace eundem Conr. Gesnerus esse putat: iterumque Joh. Tzetzes. Theogoniae interpretis obtigit iterum Johannes Diaconus, cognomento Galenus: & Anonymus antiquus, quem tamen & ipsum Tzetam esse Basileensis Editio vult, cui non assentitur omnino, sed subdubitat, & vetustiorē putat variorum Scholiorum a Variis confectorum collectionem, Heinsius. Hos Scholiastas cum Operibus Hesiodi primum excudit Venetiis A. 1537. in 4. Hier. Trincavelus. Hinc Basileensis quaedam Editio produit, Oporiniana; ni fallor, quam multo auctiora scholia illa, inprimis Tzetæ, exhibere Heinsius scribit. Et hanc propterea ipse quoque Dan. Heinsius secutus est in pulcherrima Editione sua Hesiodi, quam, cum Græcis omnibus Scholiis, sollicitè prius emendatis, & cum nova Introductione sua, notis item, Emendationibus atque Observationibus in Hesiodi textum & scholia, Lugd. Bat. in 4. A. 1603. ex officina Raphaelengii, in lucem emisit. Post hanc Scholia nunquam edita sunt: etsi Summus Vir, Joh. Georg. Grævius eorum denuo edendorum aliquando spem fecerit. Heinsii Editio autem, absque Scholiis, retenta solum ejus Introductione & notis, quæ ad textum pertinent, Lugd. Batav. A. 1612. in 8. repetita est. Memini vero, in Joh. Croji Observationibus Sacris argumentum Operum ac Dierum Hesiodi, quod Græca lingua Heinsius præfixit, & *ὑπὸ Θεῶν διεξοδικῶς* vocat, satis acriter perstringi, ut Græco-barbarum & quod Latinam phrasin redolet: quo in loco etiam Crojus alia quaedam Heinsii errata castigat. Reliquæ Editiones Hesiodi potiores sunt Aldina, quæ etiam prima est, 1495. in fol. una cum Theocrito, Theognide & Phocylide data; Frobeniana Græca, 1521. in 8. Græca & Latina cum Commentario Joh. Spondani, Rupellæ, 1592. in 8. cum notis a Corn. Screvelio collectis, & addito Indice Georg. Paforis, Lugd. Bat. 1653. in 8. cum Variis lectionibus & notis marginalibus Jac. Lectii, Genev. 1606. In corpore Poëtarum Heroicorum Græco-Latino: quod Græcum H. Stephani præcesserat A. 1566. in quo etiam Hesiodus est: qui præterea produit cum variis lectionibus e MSS. codicibus Palatinis, & notis doctorum Virorum, ap. Commelinum, Heidelb. 1591. in 8. Inprimis elegans quoque est Joh. Georg. Grævii Editio, quam ille, probe a se magna cura e codicibus MSS. If. Vossii, & antiquis interpretibus, librisque aliis, emendatam, tum & eruditissimis notis, quas *Lectiones Hesiodicas* vocat, instructam, Amstelodami 1667. in 8. edidit: adjunctis quoque Jos. Scaligeri notulis quibusdam, & uberioribus Franc. Guetii; quas, ex libris, quibus hi Duumviri erant usi, excerptas, cum Grævio celeberrimus Emer. Bigotius communicavit. Medirabatur tum novam editionem Vir erudi-

eruditissimus, quæ & Scholla Vetera & omnes recentiorum omnium notas, contineret: ut jam diximus: sed illa quidem sufflaminata viderur. Fuerunt vero varii, qui Hesiodum Versibus Latinis exprimerent. Sic Opera & Dies *transtulit* Ulpius Franekerensis, Friusius; nec non Nic. Valla; Theogoniam, Boninus Mombricius, Mediolanensis, Aspida Joh. Ramus de Goes, medio sæculi superioris linguæ Græcæ in Academia Viennensi Professor. Hos omnes in sua editione Joh. Oporinus excudit: ut & Pyladem Brixianum, qui Genealogiam Deorum Hesiodi Latino carmine quinque libris expressit.

Sunt, qui Homero Hesiodoque antiquiores statuunt MUSÆUM & ORPHEA qui quidem tum non errant, si antiquissimos illos Poëtas inventores intelligunt, de quibus tam multa apud Græcos feruntur: sed adeo incerta, ut Aristoteles & Ælianus, & e Latinis Cicero, unquam fuisse Orpheum & Musæum, dubitent: quibus e Recentioribus Gyraldus *Dial. II.* & Vossius *de Nat. Poët. c. 3.* ut & *lib. de Poëtis Græc. c. 2.* adstipulantur: Sed enimvero, si purant, Orpheum & Musæum, quorum *Carmina* hodieque supersunt, (illius hymni scilicet, ut & hujus Poëtionem de Amore Herus & Leandri) eosdem esse cum illis antiquissimis, quo in errore Jul. Cæs. Scaliger fuisse videtur, næ tum graviter hallucinantur. Siquidem communi Veterum Græcorum consensu constat, nihil hymnorum carminisve, sub Orphei nomine, ante Pisistrati tempora, extitisse, quo circiter tempore, quinquagesima jam Olympiade, ab Onomacrito Atheniensi scriptos consentiunt hymnos. *Argonautica* vero etiam a recentiore quodam, quam Onoscrito confecta, dubio amplius caret. *Prodiere* Orphica, quæ habemus, & quæ sane vilipendenda non sunt, primum ab Aldo An. 1517. in 8. una cum Musæo, Græce excusa: deinde Latine Basileæ 1523. in 4. Notas marginales, & Varias lectiones, adjecit Jac. Lectionius, Genevæ 1606. Inseruit quoque *Argonautica* Collectioni Poëtarum Epicorum, Henr. Stephanus A. 1566. uti hymnos reliquaque fragmenta, Poësi Philosophicæ A. 1573. in 8. Postrema Editio omnium, quæ sub Orphei nomine supersunt, poematum est ab Andr. Christ. Eschenbachio curata Ultraj. 1689. in 12. Sed multo adhuc recentior Pseudo-Orpheo est MUSÆUS, qui, ut Heinsius, in præf. ad Hesiodum, ait, *præter nomen, vetustatis ne hilum habet: adeo, ut ex molliculis illis Grammaticulis, aut dicendi magistellis, vel prima fronte fuisse appareat*, qui in umbra sua, & pulvere, luxuriari, & Veterum nomen induere, quam suum tueri, maluerunt: qui ne tam felici quidem successu digni fuerunt. Vossius illum post quartum a C. N. seculum fuisse, Musæumque Grammaticum esse dictum, observat. *Editus* est Musæus ut plurimum cum Orpheo: sed præterea etiam, cum Commentario Dan. Parei, *Mellificis* ejus *Attico* subjunctus, Francof. 1627. In Anglicum Sermonem Musæus a Rob. Stapletono *translatus* est, editusque Oxoniæ, An. 1645. in 4. & diu ante versibus Anglicis expressus a G. Chapmanno Londini, 1646. 8.

Antiquiores his sunt, longeque etiam præstantiores, Græci Tragici, quorum 5
eximia plane triga nobis superest. Primus inter illos, ut qui & ætate ceteros anteit, imo, Quintiliano teste, tragedias primus in lucem protulit, ÆSCHYLUS est,
Tomus I. Ppp ppp Athe

Atheniensis, *nonaginta tragediarum*, Suida referente, parens, & in ludis Olympiacis tredecies, vel, ut alii volunt, vicies octies, victor: & quod multo etiam majus est, mortuus quoque in Dionysiorum festo Athenis vicit: cum scilicet fabulas illius correctas posterioribus quoque Poëtis in certamen deferre Athenienses permiserunt, factumque est, ut & hi eo modo coronarentur: quod inter alios filii quoque Æschyli contigit, Euphorioni & Bioni: ut ex Philostrato & Quintiliano Vossius observat, de Poët. Græc. pag. 30. Corrigi vero prius vitia Æschyli oportebat, quod esset equidem sublimis, gravis, & grandiloquus, sed sæpe usque ad vitium, & in plerisque rudis & incompositus: quod Quintiliani, bis jam *e lib. X. c. 1. Instit.* allegati, testimonium Longinus etiam, in libro *περὶ ὑψηλῶν*, confirmat *sect. 3.* ubi exemplum *ὑπερόνους ὄνους*, inanis tumoris, profert ex Æschylo: & *sect. 15.* ubi diserte ait: illum, cum aliquando magnificas, vereque heroicas visiones in suis tragediis adhibeat, eas tamen nonnunquam rudibus & impexis, ac nondum subactis Sententiis vestire. Sed tamen non dedecere hanc sensuum atque dictionis singularitatem tragedias, Dio Chrysostomus existimat, qui in Æschylo characterem antiquitatis, gravemque magniloquentiam, ab omni humilitate remotissimam, extollit. Ceterum e tot Æschyli tragediis, quæ olim fuerunt, hodie vix septem amplius supersunt. Sex primo tantum edidit Aldus, aut, qui post mortem illius officinam curavit, Asulanus, Græce, Venet. A. 1518. præfixo omnium Æschyli fabularum Catalogo, quot scilicet ab Autoribus allegatæ reperiuntur. Sed corruptissimam esse illam Editionem, omnes uno ore testantur. Igitur ad emendandas Æschyli tragedias, ope MSS. codicum, accessit Franc. Robortellus, Ludovico etiam Castelvetro & Mich. Sophiano symbolas suas conferentibus: atque sic ab operis infinitis purgatas, addita quoque septima, hætenus inedita, edidit Venetiis in 8. 1552. cum suis & Sophiani conjectaneis; mox & ex eadem officina scholia Græca in Æschylum, ex antiquis exemplaribus collecta, anno eadem in lucem emisit. Quo & ipso anno Parisiis Adrianus Turnebus sex Æschyli tragedias, quæ in Aldi officina prodierant, magno studio emendatas Græce recudit, additis variis lectionibus. Quinquennio post, Petrus Victorius Æschylum multo etiam, quam ante fuerat, nitidiorem atque emendatiorem dedit: Agamemnone inprimis fabula, quæ mutila usque in eum diem fuerat magno labore suæ integritati restituta; opem ad id ferente Barthol. Barbadoro: cui cur Frisius, in Bibliotheca, Hier. Mæum, omisso Victorio, adjungat, non capio. Præterea Victorius auctiora Scholia quoque dedit: quibus suas etiam Observationes adjecit Henr. Stephanus, in cujus officina liber An. 1557. in 4. excusus est. Post hos tum restare tamen emendanda plurima, & inprimis pandenda carminum ratio videretur, Guilh. Canterus accessit, restitutumque a se mille locis, & præter adscripta carminum genera, suis insuper notis illustratum, & Victorio nuncupatum, reliquit, in lucem emissum Antwerpiae 1580. in 8. Idem quoque Canterus Latinam Æschyli, ceterorumque Tragicorum, versionem omnibus partibus elaboratam & accuratam, moliebatur, ut sub finem præfationis in Æsch. ipse indicat. Sed interceptum conatum immatura Viri mors, quæ juvenem 33. annorum anno 1575. abripuit. Latine vero Poëtam

tam hunc nostrum *transfuit* primus Joh. Sauromannus, estque Versio ejus apud Oporinum excusa: sed infelix admodum, & obscurissima; & cui vix interpretationis nomen relinquendum judicat Stanlejus. Prometheum jam antea Matth. Garbitius Latine verterat, Scholiisque additis ediderat apud Oporinum An. 1559. Septem Thebanam stylo Veteri tragico Q. Septim. Florens Christianus felicissime reddidit: idem etiam eodem stylo Prometheum Desmotam reddiderat: ut & Jos. Scaliger Eumenides: neutra tamen, observante Stanlejo, lucem vidit: uti nec Editio Æschyli, quam H. Casaubonus in Notis ad Strabonem promisit. Ipse vero modo laudatus Thomas Stanlejus splendidissimam Æschyli Editionem orbi literato dedit. Londini 1663. in fol. in quam non solum, quicquid a prioribus Editoribus, Robortello, Sophiano, Turnebo, Victorio, Stephano, Cantero, notarum & emendationum editum est, confluit: sed quæ & denuo cum MSS. Codicibus collata & emendata, nova versione Latina luculenta donata, atque amplissimo Commentario illustrata est: locupletato insuper Scholiaste Victorii, & novo e MSS. addito, insignis: ut nihil amplius prope deesse videatur. (Sed tamen multo adhuc illustriorem Æschyli Editionem paratam habet illustriss. Ezech. Spanhemius uberrimis ac eruditissimis longe Commentariis instructam.)

Æschylo non multo junior est Tragicus alter, SOPHOCLES, sed qui longe illum arte vincit, gravissimus & sublimis Scriptor, ut qui, judicio Dionis Chrysofomi, amabat *σέμνην τῆν, καὶ μεγαλοπρεπῆ ποιήσιν, τραγικώτατα καὶ ἐνεπίσητα ἔχουσαν*, gravem & magnificam prorsus poësin, quæ aptissima tragædiis esset, & summam artis peritiam ostenderet. Quapropter & *ἀνδρὸς αἰδοῦν*, flos poëtarum, Simonidi dicitur, in Epigrammate, quod in Anthologia superest, lib. III. c. 25. & cum a filio Jophonte Senex dementia, ob neglectam rem familiarem accusaretur, lecto coram judicibus Oedipo Coloneo, fabula, publice cum honore est absolutus: imo illa tragædia ceteris etiam omnibus palmam præripuisse visa est: referentibus Cicerone, Suida, Philostrato. Conf. quoque Longinus *περὶ ὕψους*, Sect. 15. & 33. qui Sophoclem cum Pindaro ait nonnunquam ad instar rapidæ flammæ magno impetu cuncta corripere & inflammare: rursus tamen, ubi minime expectes, defubito restingui sæpe, & perquam infeliciter ex inopinato deficere. Neque tamen propterea quicquam ejus tragædiis detractum, aut illi alium præferri vult: cum in aliis scilicet multo plures & majores errores agnoscat. Verum non eâ mens aliis Autoribus fuit. Namque, ut mores Sophoclis non tangam, quos, cum Cicero, Plutarchus atque Philostratus, admodum pudicos describant, alii fædos & lascivos faciunt: prout apud Gyraldum Dial. VII. legi potest: furra quoque seu plagia tam immania Sophocles ex sententia nonnullorum commisit, ut Philostratus Alexandrinus librum peculiarem *περὶ τῆς τῶ σοφοκλέους κλοπῆς de furtis Sophoclis*, Porphyrio apud Eusebium *Præp. Ev. l. X. c. 3.* referente, scripserit: e quo id Gyraldus & Thomasius amotarunt. E. *Tragædiis* ejus, quarum longe plurimas composuit, septem adhuc hodie restant, quas primus in lucem Aldus Venet. A. 1502. *edidit* in 8. postea Simon Colinaeus Paris. 1528. in 8. Scholia in Tragædiis Sophoclis, quæ Sophoclei, Theonis & Lucilii esse, alio loco indicarum a nobis est, Romæ primò prodierunt, separatim, anescio quo Græco homine, quem in præfatio-

ne ad Æschylum Pet. Victorius commendat. Ipsismet traggædiis addita postmodum Scholia Græca sunt Romæ An. 1518. & quidem auctiora: quæ iterum deinde auxit & emendavit Bernardus Junta in binis Editionibus Sophoclis, quas excudit; & quæ Francofurti A. 1544. & 1555. recusæ sunt. Verum de his argumentis non æque præclare sentit, ut de prima Scholiorum Editione; Victorius: *Crevere*, inquit l. c. *opera cuiusdam, qui magis numerum eorum augere voluerit, quam intelligentiam ejus Poëtæ adjuvare studuerit: immiscuit enim cum ipsis nonnulla, doctrina & acumine priorum illorum indignissima.* Andr. Masius, in Commentario in Josuam pag. 211. Scholiorum istorum Autorem Demetrium Triclinium fuisse suspicatus est. Sed sunt alia Triclinii Scholia, quam quæ diximus: nempe quæ ab Adr. Turnebo, una cum Sophocle emendato, Paris. 1553. in 8. edita sunt: & quæ præcipue de metris agunt, quibus in traggædiis suis usus Sophocles est. Joach. Camerarius in Sophoclis fabulas argumenti Thebaici primo Commentationes scripsit; editas Hagenoæ apud Secerium A. 1534. in 8. quas etiam Romæ in admiratione fuisse, e Sabini literis, scribit ad Camerarium Melanchthon *Epist. ad Camer. p. 237.* Igitur his, ut videtur, laudibus animatus novam suarum Commentationum editionem paravit Camerarius, qua notas in traggædiis omnes continet, omniumque præfixit argumenta: sed versionem non nisi in traggædiis duas, eamque duplicem, habet: ad verbum unam, Ajacis Lorarii, & liberio rem alteram, Electræ. Ceterarum versionum propterea omisit, quod Vitum Winsemium in interpretatione Latina Sophoclis laborare audivisset. Prodiit liber Basileæ apud Oporinum in 8. 1556. Verum, ut in præfatione primæ Editionis non dissimulat Camerarius, se a Græcis Scholiis alicubi adjutum: ita fatendum sane, si quis notas Camerarii cum Græcis Scholiis compareret, parum omnino in illis reperire, quod non ex his pene ad verbum translatum sit. Sed non tamen propterea spernendæ sunt. Meminit vero Camerarius in Epistola ad Oporinum, quæ posteriori Commentationum Editioni præfixa est, copiosarum Expositionum Sophoclis, quas libro grandi in Gallia editas sibi narratum refert. Arbitror autem, famam illam falsam fuisse: vix enim adeo latere possent, quo minus apud alios Autores, aut in celebrium *Bibliothecarum Catalogis* nomen illarum conspiceretur. Viri Ortelii, *Winsemii*, (hoc enim integrum Viri nomen est) Versio Latina traggædiarum Sophoclis, ad verbum facta, Wittebergæ primo An. 1549. in 8. excusa est. Retinuit eandem in pulcherrima; quam habemus, Editione Sophoclis Henr. Stephanus, qui ipse Traggædiis emendavit, notisque illustravit: tum scholia omnia Græca *ἀναρίμων* æque ac Demetrii Triclinii addidit, & Camerarii commentationes adjecit; An. 1568. in 4. quam Editionem, sub initium nostri seculi, Henrici filius, Paulus Stephanus, An. 1603. recudit. Mireris autem, H. Stephani Dissertationem de orthographia Sophocli peculiari, & de traggædia ejusdem; quæ cum notis illius in Sophoclem Euripidem (nescio an divertis ab iis, quas cum Autore ipfomet edidit) 1568. in 8. prodiit, non ipsi potius Poëtæ præfixam esse. De cetero Sophocles e correctione Guilh. Canteri quoque Græce prodiit, Antwerpiae 1579. in 12. & Lugduni Batav. 1593. Cum Scholiis Græcis & Versione Latina Cantabrigiæ 1667. in 8. Latine solum ex interpretatione

tatione Georg. Ratalleri, Antwerpiae. 1570. in 8. Græce cum Latina Versione Winsemii, Heidelbergæ apud Commelinos 1597. in 8. Philocteten, Sophoclis fabulam, separatim Latino carmine, dramatum stylum imitato, scitissime expressam, una cum Græco textu, & notis suis, Parisiis 1586. in 4. edidit Q. Septimius Florens Christianus. Ajacem Iorarium simili Carmine Latino reddidit Jos. Scaliger. Andr. Dacrius Oedipum Coloneum & Philocteten elegantissime in Gallicum idioma transfudit, notisque illustravit, quæ tamen & ipsæ magnam partem e Græcis Scholiis natæ sunt. Prolegomena in omnes Sophoclis Tragedias, una cum Vita Sophoclis, ejusque cum Euripide collatione: nec non Dissertatione de Tragedia ejusque origine: & nonnullis Orationibus suis, in lucem emisit Franc. Portus, Cretensis, Æmylii pater, Morgiis 1584. in 4.

Tertius Tragicorum EURIPIDES, ætate minimus, non sapientia, neque arte est. Etsi enim gravem illum cothurnum Sophoclis, qui pene in proverbium abiit, in suis fabulis non ostendit, nihilo minus tamen animos penetrat, & Quintiliano Judice, *lib. X. Inst. c. 1.* cum magis oratorio generi accedat, sententiis densus, & in iis, quæ a Sapientibus tradita sunt, pene ipsis par, in dicendo ac respondendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro disertis, comparandus est: in affectibus vero cum omnibus mirus, tum iis, qui miseratione constant, facile præcipuus. Huic judicio Quintilianus Longinus quoque, peritissimus harum rerum Censor, accedit, *lib. de Sublimi c. 5.* cum ait, Euripidem natura plane non ad granditatem aliquam aut magniloquentiam factum, improbo tamen labore suo naturæ aliquando veluti vim inferre, arreque in sublimitatem efferrî, quotiescunque opus sit: præcipue tamen in exprimendis affectibus animi, seu perturbationibus, furoris ac amoris ante ceteros omnes felicem. Idem quoque Dionysius Halicarnassæus censet: idem Dio Prusæensis, qui sapientiam Euripidis & exquisitam illam curam, ne neglecti quid uspiam videatur, nec citra persuasionis vim dictum; sed recta omnia, & non minus Oratorem decencia, qui persuadet, quam Philosophum, qui maximopere prodest, admiratur. Nec sane inter minoris momenti elogia reponendum est, quod Socratis amicus fuerit & familiaris Euripides: & quod ejus mortem, cum aliter non posset, tragedia ultus est, magnamque hostibus Socratis invidiam undique conflagavit. Superfunt *Tragediæ* illius integræ XIX. ab Aldo Manutio primum Venetiis A. 1503. excusæ: dein Basileæ apud Hervagium A. 1537. in 8. recusæ: mox etiam a personato quodam Dorotheo Camillo ad verbum Latine redditæ, & in lucem emissæ ibidem 1541. in 8. apud Rob. Winter. Aliam Versionem Latinam Euripidis struxit Gasp. Stiblinus, quam, una cum ejus præfationibus & annotationibus, Græco textui Euripidis adjunxit: tum & Joh. Brodæi notas in Euripidem addidit; præfixitque Jac. Micylli de vita Euripidis, ac de tragedia, ejusque partibus, prolegomena Joh. Oporinus Basileæ in fol. 1558. & 1562. Falluntur vero, qui Philippi Melanchthonis Versionem in hac Editione excusam ajunt. Nunquam enim, quantum scio, vertit Euripidem Melanchthon: & Stiblinus certe in Oporini editionum præfatione nimis clare indicat, se Autorem novæ tum a se concinnatæ interpretationis esse. Brodæi annotationes jam antea quoque Paris. 1555. in lucem prodierant. In septem pri-

mas Euripidis fabulas Scholia antiqua Græca e libris Veteribus collegit, non scripsit, ut male in Frisii Bibliotheca dicitur, ediditque apud Juntas Veneriis in 8. Arsenius, Monembasiæ Archi-Episcopus A. 1534. quæ deinde apud Hervagium Basileæ A. 1544. recusa sunt. Atque hæc eadem Scholia subjecit tragædiis in sua Euripidis Editione Græco-Latina, Paulus Stephanus, Genève 1602. in 4. Emendaverat diu jam ante hanc Editionem Euripidem, & metro restituerat: non vero, ut perperam censent aliqui, Latine vertit, Guill. Canterus, e cujus recensione prædiit apud Plantinum Græce An. 1571. in 16. Secutus Canteri recensione Amyl. Portus, Euripidem, una tragædia, Danaë, etsi non integra, e Codd. Palatinis hausta auctiorem, cum addita versione Latina Camilli recognovit, & notis quibusdam, Heidelbergæ apud Commelinos An. 1597. in 8. imprimi curavit. Taceo nunc Editionem Græco-Latinam Euripidis, una cum Sophocle Æschyloque, in Corpore Poëtarum Græcorum Dramaticorum, Genève 1614. editi. (Sed non silentio prætermittenda est postrema illa Editio Euripidis, omniumque longe optima, quam nuper Cantabrigiæ An. 1694. in fol. Vir. Clar. JOSUA BARNES apparavit, ut quæ non solum emendatissimas exhibet tragædias, quas alii jam publicaverant, una cum Scholiis Larinaque versione: sed & aliarum plus quam 60. fabularum fragmenta, tum Epistolas 5. Euripidis & quæcunque alia poterant reperiri illius monumenta, collecta sistit: præmissis insuper doctissimis Dissertationibus duabus; quarum prior Vitam Euripidis, ferme Annalium in morem, diligentissime recenset: altera de tragædia Veterum agit, Scenæ apparatus, Musica, & legibus Versuum Tragicorum.) Fuerunt etiam, qui singulas Euripidis Tragædias versionibus Latinis *émérgeois* redderent: Sic Erasmus Hecubam & Iphigeniam in Aulide vertit: Georg. Buchananus Medeam & Alcesten; Hugo Grotius Phœnissas, quas Paris. 1630. in 8. edidit. Erasmi & Buchanani Versiones excusæ sunt ab Henr. Stephano in Collectione Selectarum Tragædiarum Æschyli, Sophoclis & Euripidis, quas cum duplici versione edidit in 16. An. 1567. Andromachen Euripidis, metrica versione transtulit Q. Sept. Flor. Christianus Hamburgi 1619. in 8. editam: ut & Cyclopem fabulam, quæ Paris. 1605. in 8. lucem vidit. Veterum Tragicorum, Comicorumque extantium & non extantium, fragmenta aut Excerpta, emendata prius, Latinis versibus expressit Hugo Grotius, Parisiis in 4. An. 1626. publici juris facta.

8 Pergimus nunc ad ARISTOPHANEM, Comicum Poëtam, Euripidis æqualem & perpetuum adversarium, utpote in quem non solum illum invidia stinguavit, quod esset Dramatum celeberrimus artifex; sed & hostilis in Socratem animus armavit. Erat vero Euripidi dissimillimus, si mores spectes; utpote pudoris omnis & honestatis contemptor: quo fit, ut scædissimis spurcitibus ejus *Comædia* aliquando scateant. Sed, quod dictionem attinet & artem, dici vix potest, quam acutus, copiosus, doctus, mereque adeo Atticus, sit: ut vix possit ad linguæ Græcæ notitiam dignior Autor commendari: censente Theodoro Gaza: & cum illo omnibus, quorquor Græcas literas norunt. Prætereo nunc festivissimos jocos, salesque acerbissimos, quibus vitia civium suorum, etiam principum in civitate, dum descri-

scribit, impetit & insectatur. Sane adeo placuisse Aristophanem Johanni Chryso-
stomo ajunt, ut perpetuo secum gesserit 22. quæ tum restabant, ejus Comœdias, &
lectitavit. Contra Plutarchus Aristophani Menandrum longe præferendum censuit
in libro, de utriusque comparatione scripto: cui tamen Nicod. Frischlinus sese op-
pofuit in Defensione Aristophanis contra criminationes Plutarchi: quæ in fronte Co-
mœdiarum Aristophanis, ab illo editarum, conspicitur. Restant vero e tot Comœ-
diis Aristophanis hodie nonnisi Undecim; nec eæ omnes simul repertæ. Sed no-
vem tantummodo earundem primus in lucem e MSS. Codicibus protraxit Aldus
Manutius, queis statim Vetera quoque Scholia Græca adjecit, quibus, ut recte ju-
dicat, nihil aprius Græce discere cupientibus, nihil melius legi potest, Venetiis in
fol. An. 1498. & iterum 1502. De Scholiis jam alibi monitum, magnam partem
in Suidæ Lexico reperiri. Collegit illa, diversa prius atque confusa, Marcus Mu-
surus, qui & in ordinem redegit, & impressioni libri præfuit; prout ex præfatione
illius Græca apparet. Post Aldum edendi Aristophanis curam in se Bernh. Junta,
Florentinus Bibliopola, suscepit, & per Anton. Fracinum, a quo Arsenius Cretenfis,
Monembasiæ Archi-Episcopus, etiam sæpe in consilium advocatus est, recognitas no-
vem illas Comœdias, Indiceque copioso auctas, denuo edidit in 4. A. 1515. Florentiæ:
& cum eodem anno, post absolutam novem Comœdiarum editionem, ex Urbinatæ
Bibliotheca Codicem Aristophanis esset nactus Junta, in quo, præter illas novem, duæ
aliæ repèriantur; *Lysistrata*, quam, quod non integram haberet, omisit Aldus: &
Θεομοφορὰ ἑσθίας, seu Cerealia Sacra celebrantes; non distulit earum Editionem, sed
& eodem mox anno 1515. in 8. dedit: absque tamen Scholiis, quippe quæ non re-
perit. Observat vero Gesnerus, admodum corruptum fuisse illum Codicem Ur-
binatæ, quippe in quo integræ nonnunquam dictiones mutilæ sint. Secutæ sunt
Italas Editiones Aristophanis Basileenses Frobenianæ, quæ omnes XI. Comœdias
complectuntur: prior quidem An. 1536. in 4. & altera 1548. in fol. sed illa, si re-
cte conjicio, scholiis instructa non est. Sine scholiis Græce quoque Parisiis,
apud Gormontium, An. 1528. in 4. Aristophanis novem priores Comœdiæ
prodierunt: omnes undecim ibidem apud Andr. Wechelum, referente Gesnero.
Eadem Francofurti A. 1544. in 8. Græce lucem adspexerunt. Inde aliquamdiu
tantum per partes editæ sunt Aristophanis Comœdiæ. *Θεομοφορὰ ἑσθίας*, Græcis
Expositionibus suis (antiquis enim carebant) edidit, & Francisco I. Regi Galliæ,
nuncupavit Ægid. Bourdinus, Parisiis, 1545. in 8. *Ivenam*, cum Latina Interpre-
tatione, stylum Comitorum Latinorum imitata, & eodem genere versuum cum
Græcis scripta; nec non uberius & doctissimis notis Q. Sept. Flor. Christianus,
Jac. Aug. Thuano inscriptam Paris. 1589. in 8. Idem Florens *Lysistratam* quoque
& *Vespas*, eadem ratione versas; & Commentariis illustratas, reliquit. *Plutum* uber-
rimis Commentariis illustravit Carolus Gerardus. Quinque Aristophanis Comœ-
dias *Plutum*, *Nubes*, *Ranas*, *Equites*, & *Ascharnenses* Latina interpretatione dona-
tas, edidit Francofurti An. 1586. in 8. Nicod. Frischlinus: quæ etiam A. 1600.
Lugduni Batavorum, apud Raphelengium, recusæ sunt. Omnes, ut puto, Co-
mœdias Aristophanis Latine transtulit Andreas Divus, Justinopolitanus, Venetiis,

ut Simlerus refert, impressas. Ex his vero omnibus Editionibus Aristophanis constata tandem, omnium præstantissima est: quam Genevæ in fol. An. 1670. ÆMYLIUS PORTUS, Francisci filius, excudi curavit: & cui, præter antiqua Græca Scholia, & illa, quæ in Lystratam Bourdinus composuit, alia quoque Græca in integrum Aristophanem, eaque longe doctissima, accesserunt, Odoardi nempe Biseti, Charlæi Domini, Galli nobilis, qui ea cum Porto communicavit: tum Florentis Christiani in Lystratam & Vespas Versio atque commentarii, quas a Claudio Florente, Q. Septimii filio, accepit: præterea Gerardi Notæ in Plutum: & Index tandem copiosissimus: ut sane melior Poëtæ editio temere sperari non possit. Et tamen gravissime de eadem conqueritur Claudius Florens, Epistola ad Scaligerum Parisiis data: truncata scilicet multa patris sui, mutatum ordinem & tantum non everfa omnia, indignatus. *Je n'ose vous parler de l'Aristophane: inquit Epist. Gallic. ad Scalig. a Jac. Revio editarum, pag. 61. vous l'avez veu, je m'assure, premier que nous: car l'ouvrage en est si laid, que je ne le puis avouer pour parent. Le mal est arrivé de l'avoir envoyé hors d'icy, & en ville, où ils ne croient aujourd'uy qu'à leur teste. Ils ont méprisé l'ordre, que je leur avois envoyé, ont retranché plusieurs choses de mon pere, l'epistre même à Mr. de Thou sur l'Irene, & y en ont mis des gens, qui n'ont de tout rien contribué à leur oeuvre: puis ont tellement mêlé ce que je leur avois baillé, qu'il semble, que leur dessein avoit été plutôt de l'étouffer, que de luy faire voir le jour.* Ita nihil est ex omni parte beatum. Et sane superesse adhuc hodiè que longe plurima in Aristophane, post tot Criticos emendanda, dubium eo minus est, quo major est circa id doctorum omnium consensus. Jos. Scaliger margini libri sui Emendationes plurimas adscripserat: quas retinuit dein illa editio Aristophanis, quæ Lugduni Batav. apud Joh. le Maire An. 1625. duobus Tomis in 12. Græce & Latine, excusa est minutioribus typis. Tanaq. Faber in Epistolis suis, quamplurima Aristophanis, quem unum scilicet in deliciis summe habebat, loca restituit: sed & integram Comœdiam, *Concionantes* dictam, secundæ parti Epistolarum annexuit, ingeniosissime emendatam a se, & spreta Versione Andr. Divi, quem vix alternos Poëtæ versus intellexisse, nec ullum Hellenismi sensum habuisse, ait, de novo Latine redditam Mich. Neander, in præfatione ad Erotemata Ling. Græcæ pag. 169. refert, Thomam Venatorium *Plutum* Aristophanis Latine vertisse: omnes vero Comœdias illius Sebastianum Guldebeck, Tigurinum, cujus tamen posterioris laborem nondum esse in lucem editum scribit: quod nec posthac factum autumo. Italum vero Interpretem omnium Comœdiarum, nescio quem jam superioris seculi medior nactus Aristophanes est: prodiit enim Versio Anonymi Venetiis An. 1545. in 8vo. E Gallis nemo fuit, qui attingeret Aristophanem, interpres: usque dum Eruditissima Virgo tum, Anna, Tanaqv. Fabri filia, quæ hæreditario amore Aristophanem deperit, non diutius ferendum rata, ut illa suavitas Poëtæ, ingenii mira quadam præstantia & recondita prudentia commendandi, Gallis suis ignoraretur, fabulas duas, *Plutum* & *Nubes*, elegantia summa, & quæ cum Græco ferme certare possit, in vernaculum Idioma transfudit: præmissa præfatione in laudes Aristophanis concinnata, & Observationibus longe

longe doctissimis adjectis: Parisiis 1684. in 12. Eædem Comœdiæ duæ nuper A. 1696. Oxonii; e Theatro Sheldoniano, Græce, cum Scholiis, nitidissimè denovo prodierunt in 8.

De reliquis Græcis Comicis, quorum olim magna copia fuerat, nihil superest, nisi fragmenta quædam. Equidem MENANDRI, quem paulo ante Aristophani a Plutarcho prælarum diximus, & cujus tam in Græcia, quam in Latio, magnum nomen fuit, adeo, ut a Terentio in Latinam linguam converteretur, *vinginti & quatuor Comœdias* integras, a Michaële Psello explicatas, extare scribit, in supplemento Bibliothecæ Gesnerianæ, Anton. Verderius p. 57. ubi Catalogum Grammatici, nescio cujus, librorum hinc inde extantium exhibet. Sed nusquam hætenus illæ Comœdiæ repertæ sunt, minimum typis non impressæ. Fragmenta solum, e Stobæo, aliisque Autoribus, collecta, plus semel excusa. Cum Philistionis Sententiis comparatas Menandri edidit, & notis illustravit Nicol. Rigaltius Paris. in 8. 1613. Idem Janus Rutgerius lib. IV. Variarum Lectionum suarum fecit. Quantum vero amiserimus in Menandro, dicat Quintilianus, *qui vel unum illum, diligenter lectum, ad cuncta ea, quæ præcipimus, effingenda sufficere judicat: ita omnem, ait, vitæ imaginem expressit, tanta in eo inveniendi copia, & eloquendi facultas: ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus - - Atque ille quidem omnibus ejusdem operis Autoribus abstrusum, & fulgore quodam suæ claritatis tenebras obduxit. Instit. l. X. c. i.* Menandri Sententias quæ supersunt, sententiis L. Comitorum, quorum Opera interierunt, inseruit, & in locos certos digestas Græce & Latine Basileæ A. 1560. in 8. edidit Jac. Hertelius: quod idem Henr. Stephanus quoque fecit.

Sed a Dramaticis nunc ad *Lyricos* progrediendum est. Horum princeps 10 PINDARUS, Sophocli coævus, Dorica dialecto scripsit, grave, sed difficile & obscurum Carmen, jamque olim pro inimitabili habitus ab Horatio est, *lib. IV. Carm. Od. II.* qui tamen unus omnium optime illum est imitatus, aut vicit etiam: qua de re legi Comparatio Pindari & Horatii meret, Sermone Gallico a Franc. Blondello scripta, quæ cum Ren. Rapini Comparationibus, post Parisinam Editionem, in Belgio edita est. Myrtidis Poëtriæ discipulus fuit Pindarus, & a Corinna, alia Poëtria quinquies in certamine victus: qua de re Pausanias, Ælianus, Plutarchus, agunt: & ex iis omnes, quotquot de Poëtis scribunt, recentiores. Quatuor ejus Carmina, aut, si mavis, libros, quos habemus, *Olympia, Pythia, Nemea & Isthmia*; quæ laudes continent Victorum, qui in quatuor istis ludorum generibus apud Græcos vicerant, primus, qui omnes fere Græcos Autores, in lucem emisit Venetiis An. 1513. in 8. Aldus Manutius. Biennio post A. 1515. Romæ Pindaro vetera Scholia Græca accesserunt, quorum partem Demetrio Triclinio esse vindicandam, ex præfatiuncula quadam, quæ post Olympia legitur, observat Gesnerus: excusus est liber in 4. & non adeo multo post Florentiæ apud Juntas recusatus: nec non Francofurti apud Brubachium 1542. in 4. præfixa Pindari Vita, quam Thomas Magister composuit. Omisissis Scholiis, Aldinam solum Editionem Pindari repetiit Basileæ Andr. Cratander, A. 1526. in 8. curam Editionis gerente Ulr. Zwinglio, qui & præfationem

præfixit. Addita est, post Græcum textum Latina versio ad verbum facta, Auctore Joh. Lonicero, qui post aliquot annos revisam eandem Versionem, una cum notis in Pindarum, quas, ut ipse non diffitetur, e Græcis Scholiis, aliorumque Virorum doctorum scriptis, hausit, recudi A. 1535. curavit. Liberiorem Pindari Versionem, quæ non adeo verbis sese astringeret, struxit Philippus Melancthon, quæ in Henr. Stephani manus pervenit: sed quam, etsi laudaret Stephanus, non tamen excudit in sua Pindari Editione, quam minutiore forma, sed commodissima, nec minus nitida, edidit, cum adhuc Ulrici Fuggeri esset Typographus, Heidelbergæ 1560. in 16. anno 1566. repetitam: cui suam Versionem ad verbum factam, ut tironibus inserviret, apposuit: etsi alias liberiorem magis amaret, comparareque Græcos Poëtas ita ad verbum translatos cum arboribus soleret, quarum folia autumnus dejecit. Repetiit, post Henrici obitum, illam Editionem Genevæ, sub initium hujus sæculi, Paulus Stephanus: qui & idem cum Scholiis Pindarum, & Latina versione recudit A. 1559. in 4. quod ante illum Parisiis A. 1558. Guilh. Morellus fecerat. Nostro sæculo Pindarum, cum Latina Paraphrasi, præter versionem apposita, & Commentariis doctissimis, Joh. Benedictus Salmurii in 4. 1620. edidit: &, qui illum adhuc præcessit, ERASMUS SCHMIDIUS Wittebergæ 1616. in 4. qui & miro studio miraque felicitate emendavit Poëtam suam, denuo vertit, metrorum rationem exactam dedit, de ipso Poëta, tum de Olympionicis ludorum luculenta una exhibetur Chronologia & de carminibus lyricis tiberrime præfatus est: magnamque adeo apud exteros laudem cum illa Editione sua consecutus est, ut qui in mentem Poëtæ altius, quam Criticorum ceteri, penetrarit. Commentarii, quos annexit, bonam partem sunt e Scholiis Græcis hausti: sed quibus ipse suas observationes densa segete immiscuit. Memoranda hic quoque est Latina Versio Nicolai Sudorii, carmine lyrico, juxta numeros Horatianos scitissime, ut antiquorum propemodum nulli cedat, exarata, quam, cum ejusdem Commentariis in Nemea, Feder. Morellus Parisiis A. 1582. in 8. emisit. (Rarissima jam a longo tempore fuit: bene vero actum, quod nuperrime illam recudi curarunt Oxonii, e Theatro Sheldoniano, Clarissimi duo Pindari Editores, qui Poëtam hunc, cum plurimis Codicibus MSS. collatum, Scholiisque non minus Græcis, ac Versione Latina, & excerptis Animadversionum Schmidii, quæ scilicet in Scholiis non continentur, ac Joh. Benedicti paraphrasi, tum Variis lectionibus, notis novis, & copiosissimo Indice, illustratum, splendissime A. 1697. in fol. ediderunt. Præfixa insuper nova Olympicorum ludorum Chronologia, cujus Autor Episcopus Lic. Abieldensis, Guilh. Lloyd est, & quæ æque ut Schmidiana Olympiadum cum Annis Mundi, ante Christum natum, ab Urbe condita, & Epocha Christianorum, collationem ostendit.) (e) Italice etiam versus est Pindarus, & cum Commentario Alexan.

(e) Inter Pindari Editores atque illustratores mentionem etiam honestam meretur Mich. Neander, toties, aliis in locis, a Morhoso, ob Merita in Literas, imprimis Græcas, eximia, haud immerito celebratus, cujus exstat, & Basileæ A. 1556. in 8vo prodiit, *Aristologia Pindarica Græco-Latina, quicquid in Pindaro, Vate, ut vetustissimo, ita quoque castissimo & sapientissimo, memorat*

Alexandri Adimari Pisæ 1031. in 4. editus. Bened. Aretium Commentarium in Pindarum edidisse, A. 1587. impressum, Catalogus Bibliothecæ Bodlejanæ testatur. Qui tamen, ut hoc obiter addam, male Pseudo-Pindarum, qui Epitomen Iliados Homeri Heroico carmine Latino scripsit, & Hagenoæ primum 1531. deinde Basileæ 1541. editus est, cum Græco Poëta Pindaro confundit: qui idem error in Catalogo Bibliothecæ Thuanæ quoque deprehenditur. De Dorica Dialecto Pindari meretur quoque legi Salmasius libro de Hellenistica p. 28. qui ex Philopono observat, non puram illam, sed ex communi mixtam fuisse. Omissem prope *Lexicon Pindari* cum Æmylii Porri, quo lectores non parum juvantur: prodit Hanoviae, 1606. in 8.

Lyricorum reliquorum etsi non contemnendus olim apud Græcos, post Pindarum, numerus erat, hodie tamen vix quicquam, præter fragmenta, superest, quæ ex aliis Autoribus colligenda sunt. Cujus quidem infelicis fati causam non solum in temporum injuriam, sed & in præposteram Monachorum religionem, devolvi debere, Petrus Alcyonius observavit: cujus e libro de Exilio locum cum auro contra carum Colomesius duxerit, nec sibi ab eo in Cimelia sua Literaria c. 15. transcribendo temperare potuerit, agere & nos apponemus. *Audiebam puer, inquit, ex Demetrio Chalcondyla Græcarum rerum peritissimo; Sacerdotes Græcos tanta floruisse auctoritate apud Cæsares Byzantinos, ut integra, illorum gratia, complura de Veteribus Græcis Poëmata combusserint, imprimisque ea, ubi amores, turpes lusus, & nequitie amantum, continebantur: atque ita Menandri, Diphili, Apollodori, Philemonis, Alexis, tabellas, & Sapphus, Erinne Anacreontis, Mimerni, Bionis, Alcmanis, Alcai, carmina intercidisse: tum pro his substituta Nazianzeni nostri poëmata, quæ etsi excitant animos nostrorum hominum ad flagrantiorum religionis cultum, non tamen verborum Atticorum proprietatem, & Græcæ linguæ elegantiam, edocent. Turpiter quidem Sacerdotes isti in Veteres Græcos malevoli fuerunt, sed integritatis, probitatis & religionis maximum dedere testimonium.*

Quantum vero hæc ita sint, non tamen omnes Poëtas Lyricos idem interitus perdidit. ANACREONTIS profecto partem maximam (quis enim omnia ejus in universum, integraque Poëmata speret?) e tenebris eruit, per multos labores, multaque, ut ait in præfatione, pericula, jugulatis custodibus, multifariam oculatis & abruptis adamantinis vinculis, quibus adstrictus bonus Anacreon detinebatur, carceres perumpens, HENRICUS STEPHANUS; qui idem Latino carmine Anacreontico venustiores & a corruptionibus puriores Odas expressit, ediditque primo A. 1554. in 4. majusculis literis, adjectisque uberioribus notis, quæ quidem re magnam apud Viros doctos gratiam inisse Stephanum ignotum nemini esse potest, quisquis exquisitam illam suavitatem Anacreontis, & ut cum Cicerone loquar, mollitudinem carminis, consideraverit: quapropter & Jul. Cæs. Scaliger Anacreontem non solum μέλι dedisse, sed & in ipsis mella, inquit, Poët. I. I. c. 44. Ut ut cetera negari non possit, nimiam ipsius Poëtæ voluptatum cupidinem fuisse, Venerisque, quod jam olim illi a pluribus objectum est: etsi Henr.

Qq q q q q 2

Stepha-

- bile, notatu dignum & rarum, nec alibi similiter obvium, cum Prolegomenis de Vita ejus, & IV. Ludis Græcorum Solemnibus, Notisque Marginalibus, ac IX. Lyricorum Sententiis, hinc iad collectis, eodemque pacto illustratis exhibens.

dinem fuisse, Venerisque, quod jam olim illi a pluribus objectum est: etsi Henr. Stephanus excuset. Hujus Stephani non fuisse Versionem illam metricam, quæ sub ejus nomine prodiit, sed Joh. Aurati, vel ut alii proferunt, Dorati. Colomefius, ex If. Vossii relatione, in *Particularibus* narrat, aitque Vossium id a Scaligeri manu, qua is id suo Anacreonti adscripserit, edoctum nosse. Verum adeo impudentem Stephanum ego sane non credo, nec impune id laturum pro certo habeo, cum post primam Anacreontis Editionem Doratus integros 34. annos vixerit, tam impudentem plagiarium imposturam nequaquam impunem laturus. Post primam illam Editionem Stephanus Anacreontem totum Latine vertit: ex Eliæ Andreae versione vero, quæ eisdem carmine Anacreontico scripta est, & apud Morellum Luteriæ primo prodierat, Odas quasdam adjecit, & sic Anacreontem, cui brevissimas nonnullas Norulas sub Voluminis finem addit, minutiore typo exscriptum, Lyricis Poëris reliquis inferuit, & cum Pindaro, qui Volumen primum constituit, Tomo secundo edidit A. 1566. in 16. Sunt vero Lyrici illi, ALCÆUS, omnium antiquissimus, ut qui *Pittaci*, Atheniensium tyranni, qui inter septem Græciæ Sapientes numerari solet, æqualis atque etiam hostis fuerat tyrannidem patriæ non ferens, quam in aliis etiam civitatibus infectabatur: atque hinc *Stasiotica* scripsit, librum, quo tyrannos infectatus est, ob quod Opus aureo plectro illum merito donari ait Quintilianus, qui in eloquendo Alcæum brevem, magnificum & diligentem, Homeroque similem vocat: cum quo Horatius etiam conspirat, & e Græcis Dionysius Halicarnassensis, qui τὸ μεγαλοφύνης, καὶ βραχύ καὶ ἤδὺ τῆ Ἀλκαίης μετὰ δεινότητος, ἐτι δὲ καὶ τὰς χηματισμὸς μετὰ σαφηνείας, ὅσον αὐτῆς μὴ τῇ διαλέκτῳ τὶ κενόκωτον, καὶ πρὸ πάντων τὸ τῶν πραγμάτων πολιτικῶν ἦθος, (*magnificum, breve suaveque dicendi genus Alcæi, cum eximia tamen gravitate conjunctum, præterea figurarum usum, cui justa perspicuitas, nisi ubi Dialectus nonnihil impedit, adheret, & præ omnibus civilem characterem*) consideratione digna judicat. Enimvero, quicquid ejus hodie superest, ex Athenæo, Heraclide Pontico, Stobæo, Scholiaste Pindari, Aristotèle, Plutarcho, Hephæstione, Eustathio, excerpendum fuit. Sequitur Alcæum SAPPHO, insignis Poëtria (à qua genus Sapphicum,) & quæ cum præstantissimis quibusque Poëtis certare poterat, mortalisque credebatur, & habitum hominis induta Musa: cujus, Longino περὶ ὑψ. Sect. 10. judice, illud erat præcipuum artificium, quod nosset τὰ ταῖς ὕλαις συνυπάρχοντα μέρη ἀπᾶσι τοῖς πράγμασι φύσει συνδρέυει, ἐκλέγειν αἰετὰ καὶ κλειρώτατα, καὶ ταῦτα τῇ πρὸς ἀλλήλους ἐπισυνδέσει καὶ δάπερ ἔντι σῶμα ποιῶν. Sermo illas particularas, quæ rebus ipsis veluti connatae sunt, & iisdem natura insident, semper maxime proprias & validissimas excerpere, & ex iisdem, aptissime inter se constructis, unum quasi corpus facere: qua quidem exquisita particularum congerie non poterat non, & altitudinem suo carmini debitam conciliare, & vim in animos percellendos capiendosve habere, quam vellet ipsa. Certe Longinus meliorem artificii summi iconem exprimi non posse existimabat, quam si *Odarium Sapphus* apponeret: illud ipsum quod Catullus non minore artificio Latinum fecit: Catullus inquam, qui Sapphus carmina unice deperibat, solaque præ omnibus aliis poëmatibus imitanda sibi proposuit. Aliud Sapphus canticum ad Venerem, non minus molle, Dionysius Hali-

Halicarnasseus servavit, in libro de Structura sermonis. Præter hæc duo nihil Sapphus superest, nisi exigua quædam fragmenta: quæ tamen & ipsa ex Plutarcho, Stobæo, Scholiastis Pindari, Apollonii Rhodii, Euripidis, Aristophanis, Sophoclis, Eustathio, Hermogene, Macrobio, Aristotele, Aristide, Polluce, Etymologici Autore, Athenæo, Hephæstione, Achille Tatio, Demetrio Phalereo, Maximo Tyrio, & Anthologia Epigrammatum Græcorum, Stephanus studiosissime conquiſivit. Post Sapphon STÉSICHORUS ponitur, ingenio validus, dicente Quintiliano *Inst. lib. X. c. 1. & qui Epici carminis onera lyra sustineret. Reddit enim personis in agendo simul loquendoque debitam dignitatem: ac, si innuisset modum, videtur emulari proxime Homerum potuisse: sed redundat atque effunditur; quod, ut est reprehendendum, ita copie vitium est.* Similia sunt, quæ Dionysius Halicarnasseus, & quæ Hermogenes habent. Dignum memoratu est, quod Suidas de illo refert; Tisiam fuisse primo vocatum, sed Stefichori nomen accepisse, *ὅτι πρῶτος τὸν κithαρῳδίαν χορὸν ἔζησε, quod primus cum citharæ cantu chorum instituisse.* Filias habuit, quæ & ipsæ Carminum laude inclutæ fuerunt. Carmina varia multorumque generum scripsit: de quibus Gyraldus videatur. Fragmenta, quæ habemus, non multa fane suppeditarunt Athenæus, Stobæus, Scholiastes Euripidis, Plutarchus, Strabo, Plato, Eustathius & Apollonii Rhodii Scholiastes. Nec plura IBYCI nobis restant, patria Rhegientis Itali, qui in Samo Insula vixit, a latronibus tandem interemptus: qua de re & de ultione facta, ut & de lascivo Ibyci in pueros amore, nec non de septem ejus Operibus, multa e Veteribus colligit Gyraldus, Dial. IX. Fragmenta Stephanus collegit ex Athenæo, Plutarcho, Platone, Suida, Scholiaste Pindari & Porphyrio. Sextus inter Lyricos Stephani, nequaquam juxta rationem ætatum collocatus, est BACCHYLIDES, ex Ceo insula, urbeque Julia oriundus, ut Suidas refert; adeo celebris Poëta, ut cum Pindaro ab Hièrone, Syracusarum tyranno, prælatum Pindare Scholiastes scribat, e quoid annotavit Gyraldus, qui & ex Porphyrione notat, Horatium plus semel esse imitatum Bacchylidem: & ex Ammiano Marcellino refert, Julianum Imp. adeo carminibus Bacchylidis delectatum fuisse, ut & vivendi præcepta inde fumeret. Fueritque adeo Juliani ævo integer adhuc Poëta ille necessum est, cujus exigua hodie frustula solum habemus, ope Autorum allegantium, Stobæi, Athenæi, Plutarchi, Dionysii Halicarnassei, Clementis Alexandrini, Scholiastarum Pindari & Apollonii Rhodii, ac Hephæstionis, conservata. Bacchylidis Consanguineus, Suida teste, fuit SIMONIDES, ex eadem cum illo urbe & insula oriundus, tum pietate in Deos, tum variis inventis scriptisque, rebus & libris inclutus. Namque ib eodem Suida literas longas duplasque (Plinius has quatuor tantum ait, η, ω, ζ, ψ) nvenisse dicitur, & tertium in lyra sonum: præterea artem quoque memoriæ: scripsisse vero Elegiaco carmine historiam regnorum Cambyſis & Darii, lyrico historiam pugnæ navalis ad Artemisium, tum threnos, Enconia, Epigrammata, pæanias, tragædiasque, & alia. Characterem ejus dicendi tenuem quidem, at suavem, & in movendo commiserationis affectu virtute præcipua pollentem, describit Quintilianus l. c. Dionysius Halicarnasseus in movendo affectu isto, etiam Pindaro judicat præstantiorem Simonidem: & præterea τὴν ἐκλογὴν τῶν ὀνομάτων, καὶ τῆς συνδέσεως τὴν

τιν' ἀποθεῶν, delectum verborum, & accuratam orationis ejus structuram, observare jubet. Longinus etiam in Visionibus Simonidem ceteris aliquando omnibus præstare docet, de *Sublimi Sect. XV.* Cetera, quæ de Simonide dici possunt, Gyraldus & Vossius studiose admodum congesserunt. Ille tamen habetur, cum, Simonidem annum ætatis nonagesimum nonum excessisse, e Suidæ testimonio refert: cum Suidas nonum & octuagesimum solum eum attigisse scribat. E tot vero Scriptis Simonidis nihil præter fragmenta superest, e Dionysio Halicarnasseo, Clemente Alexandrino, Athenæo, Scholiastis Apollonii Rhodii, Euripidis, Sophoclis, Stobæo, Plutarcho, Aristide, Platone, Aristotele, Philostrato, Galeno, Hephæstione, Thucydide, Polluceque, ab Henr. Stephano collecta, & in ordinem aliqua saltem ratione digesta. Ultimo inter Lyricos loco ponitur ab eodem Stephano ALCMAN, quem primum omnium, ratione ætatis, esse, e Vererum testimoniis Gyraldus, Vossiusque observant: Laco fuit, Carminum amatoriorum inventor, ut Suidas ait, & qui primus in Carminibus, alios, quam hexametros, versus adhibuit. Distinguendus ab Alcmane Messenio, itidem Lyrico. (Nuperrime asportatum Venetias e Græcia est monumentum aliquod marmoreum pervetustum, cui superscriptæ literæ, nimia temporis longinquitate exesæ, docto cuidam apud Italos Viro Alcmanis hujus nomen & laudes continere visæ sunt: quapropter & æri incidi marmor illud Venetiis curavit A. 1697. in 4. una cum addita Dissertatione brevi, qua Conjecturam suam exponit atque tuetur. Enimvero, cum ille, quisquis demum fuerit, cui marmor erectum est, ut clarissimus militiæ Imperator celebretur, & non sine magna pompa sepultus, insculptusque marmori sit; Alcman vero, Poëta lyricus, nupiam inter Duces militiæ numeretur, tum miserrime, pediculari morbo perierit, ut diserte Plutarchus in *Sylla* refert: vix est, ut locum Viri docti conjectura invenire queat.) Perpauca restant hujus fragmenta, ex Athenæo, Hephæstione, Scholiaste Pindari, Eustathio, & Plutarcho, collecta. Atque hi sunt octo, aut cum Pindaro novem Lyrici Poëtæ, quos uno Volumine collectos, & Latine versos, ut diximus, Henr. Stephanus semel iterumque publicavit. Adjecit etiam, quæ colligere potuit de ARCHILOCHI, celebris Poëtæ, qui *Jambos* & *Elegias* scripsit, & Longino, ob sublimitatem semel iterumque laudatur, Carminibus: tum Melanippidæ, Telestæ, Pratinæ, Erinnae Lesbicæ, Alpei Mitylenæi, Juliani Ægyptii, *Versus* varios & *Odas* undiquaque mira industria conquiritas. Post primam illam Stephani Editionem seculo pene integro cessatum est: imo nunquam simul omnes Lyrici, ab eo tempore, sunt excusi; sed qui Alcæi, Stesichori, Ibyci, Bacchylidis, Simonidis, Alcmanis & Archilochi, reliquias legere voluerit, ad illam Stephani collectionem, aut Editionem Fulvii Ursini cum notis Antw. A. 1568. in 8. excusam, recurrat necesse est. Anacreon tamen & Sappho, ceteris feliciores, doctissimos aliquot Editores, ac Interpretes novos, nacti sunt. Neque enim nunc nisi obiter memorabo Editionem septem Anacreontis Epigrammatum, quæ in Maximi Planudis Florilegio Venetiis, apud Aldi hæredes, A. 1521. excusa sunt: ut & Versionem Gallicam Remigii Bellaquei *εμμετρον*, quæ biennio statim, post primam Editionem Anacreontis, ab Henr. Stephano datam, in lucem emissa est A. 1556. Nostro seculo TANAO. FABER Anacreontis & Sapphus Carmina sub incudem vocavit, & postquam locis plurimis emendasset,

classet, & sub severioris quodque criticæ regulas coëgisset, illustrassetque notis, emisit in lucem Græca, Salmurii 1660. in 12. Moliebatur quoque Versionem Latinam, sed prosa oratione, utpote cui metricæ Versiones, & Carminis necessitate adstrictæ non solum duriora multa & obscuriora continere videbantur, sed & non satis perite intellecta aut conversa; quapropter illas sibi nunquam probatas non dissimulabat; quippe quæ doctis hominibus non necessariae, semidoctis autem pene inutiles sint, atque adeo propter inevitabilem obscuritatem nonnunquam obliunt. Destitit verorandem ab omni Versione Faber. Hujus itaque Eruditissima filia ANNA DACERIA, tum quidem adhuc innupta, relictam sibi Spartam interpretandi rara, Gallica Versione profaica Anacreontis & Sapphus quod superest transtulit, pro more suo profus egregie, ut sic notas etiam Gallis faceret delicias Græcorum: additisque Observationibus Criticis textui sui Autoris lucem haud vulgarem affudit, haud raro adversus suum ipsiusmet Parentem aliquid affirmare ausa: præmisit quoque vitam Anacreontis & Sapphus admodum luculentam, Parisiis, 1682. in 12. Mox biennio post alia est Poëmarum horum Græco-Gallica Editio infecta, quæ quidem a Daceriæ versione non solum in eo discrepat, quod metri legibus adstricta est, sed & circa mentem Autoris haud raro, nec docte minus, quam ipsa a Parente suo in diversum abit. Autor illius Nobilis Burgundus est, Dominus de Longepierre, qui Vitam Anacreontis & Sapphus novam ipse quoque composuit & in præfatione præmissa causas sui ab Anna Fabra disseñsis aperit: Liber prodit Parisiis, 1684. in 12. postea Amstelodami, etsi falso Parisiorum nomen ibi quoque in titulo reperitur, 1692. in 12. recusus. Prodit & Itala quædam versio metrica Anacreontis, sed cui non adeo multum defert Fabra. (f)

Jamdudum fuisset PYTHAGORAS recensendus, quippe multo Lyricis omnibus antiquior, si *Carmina illa Aurca*, quæ sub Pythagoræ nomine circumferuntur, revera etiam illius forent. Sed, cum doctiorum omnium consensu constet, Carmina illa non Pythagoræ esse, sed Pythagoræorum, & forsân, ut Joh. existimabat, a Philolao confecta, non est, cur loco non suo poni existimemus: præfertim, cum hic de Chronologia non sumus solliciti. Ne tamen ea prætereamus, non solum antiquitas facit, quæ illis utique abjudicanda non est, sed & præstantia, dudum aliis commendata. In finitæ sunt eorum *Editiones*, neque hic a nobis enumeranda. Melioris notæ sunt, quas Vitus Amerbachius, Mich. Neander, Theod. Marcilius, Frid. Sylburgius, dederunt. Omnium vero optima, quæ cum aureo Commentario Hieroclis lucem adspexit, primo Latine solum, Basileæ 1543. in 4. Interprete Joh. Aurispa, Siculo, qui, ob urriusque linguæ peritiam, ab Estensi Principum familia in pretio habitus est, quique jam octogenarius librum Hieroclis transtulit, tanto quidem ardore animi, ut, per omnem vitam doctius nil, nilque magis proficuum se legisse, in præfatione profiteatur: adeo parum aut nihil a fide Christiana differre. Quemadmodum vero absque controversia recte de præstantiâ Commentario-

rum

(f) Non contemnenda etiam est Editio Anacreontis Tubingensis Græco-Latina, quam Frid. Herm. Flayderus, Lit. Human. in Acad. Tubingensi Professor, An. 1622. in 12mo, triplici Versione Latina, sua nempe ad verbum pedestri, Metricis autem Henri Stephani & Helicæ Andræ, & Notis Analectisque Criticis illustratam juris fecit publici.

rum Hieroclis iudicavit Aurispa: utpote quibus vix quicquam simile in omni antiquitate scriptum unquam est, nilque adeo prope comparandum; ita infelix admodum eorundem Interpres fuit: quandoquidem obscuram, inelegantem, tædiofamque lectu ejus Versionem esse Gesnerus queritur in Bibliotheca fol. 321. b. Igitur eo majores gratias promeritus est Joh. Curterius, qui, quadraginta annis post Aurispæ Latinam illam scabram Versionem, Græcum e MSS. Codicibus eruit incomparabilem Commentarium, & cum nova versione Latina doctissima, Parisiis 1583. in 8. in lucem edidit: Post id tempus Londini etiam recusum, una cum Theod. Marcilii notis in Pythagoræ Carmina, Mer. Casauboni notis in eadem & Hieroclem Joh. Pearsonii crudissima præfatione, (in qua plurima notatu digna de Hierocle aliaque occurrunt,) fragmento Hieroclis de Faro, quod apud Photium superest, cui Latina etiam paulo liberior Hug. Grotii versio accessit, & Lil. Greg. Gyraldi Explicatione Symbolorum Pythagoræorum: Lond. 1654. in 8. Arabicam Carminum aureorum Pythagoræ Versionem, a Joh. Elichmanno erutam & Latine redditam cum præfatione sua edidit, Simplicii in Epictetum Commentariis adjectam, Claud. Salmasius, Lugduni Batav. 1640. in 4.

14. Æque verustus est PHOCYLIDES, Milesius Philosophus, Olympiade 59. juxta Suidam, clarus: qui, præter *Carmina & Elegias, Sententias* quoque scripsit, quas quod ex Sibyllinis Carminibus essent desumpta, *κεφάλαια* vocavit. Superest hodieque Carmen *vsδετικόν*, i. e. *admonitorium ad bene beateque vivendum*, quod, post Frobenianas aliasque Basileenses veteres Editiones, Argentinae a Vito Amerbachio A. 1561. a Mich. Neandro in Opere Aureo, Lipsiæ 1577. in 4. ab Henr. Stephano cum Poëtis Gnomicis 1573. in 12. & in Poëtarum Heroicorum Græcorum Corpore A. 1566. in fol. a Jac. Lectio in simili Corpore Genevæ 1606. & ab aliis sexcenties excusum recusumque est. Verum observat Jos. SCALIGER, *Animado, ad Euseb. Chron. p. 95. seq.* Carmen illud, quod sub Phocylidis nomine toties excusum est, etsi elegantia, nitore, verborumque cultu, cum quolibet Veterum certare queat, non tamen esse Vereris illius Phocylidis, nec ullius alterius Philosophi pagani; sed hominis vel Judæi Hellenistæ Alexandrini, vel, quod magis credit, Christiani: cum non solum antiquus ille Græcus Philosophus, Phocylides, nil, præter breves *γνώμας*, haud secus ac Theognis, scripserit, non continuum aliquod carmen, sed & quod ea in hoc, quod habemus, Phocylidis Carmine *vsδετικόν* contineantur, quæ non possint nisi ab homine Judæo aut Christiano scribi: quæ omnia exemplis in medium allatis fuse probat: observatque, cum apud Clementem Alexandrinum, Strabæum, & alios nonnullos Phocylidis *γνώμας* passim legantur, nusquam tamen e Carmine, quod ejus nomen præ se fert, aliqua adduci, etsi id omnium maxime ere Christianorum fuisset. Primum, qui id alleget, atque unum, esse Scholiasten Nicandri ad Alexipharmacum: sed illum hominem recentiorem fuisse monet.

15. Coævus Phocylidi THEOGNIS, Philosophus item, & gnomicus Poëta: de cujus tamen *Sententiis*, quæ supersunt, nihil admodum dicere attinet, quandoquidem in omnium, etiam puerorum manibus sunt, ac toties excusæ; quoties Poëtae gnomici: quapropter jam e Phocylidis Editionibus de Theognide quoque judicari poterit. Erat vero

vero Theognis natione Siculus, urbe Megara oriundus: ni forte rectius Scaliger, in Animadversionibus Eusebianis, Theognidem e Megara Græciæ oriundum facit. Ex eadem insula ortus quoque fuit MOSCHUS, vetustissimus etiam, sed tamen non sententiis conscribendis inrentus, verum Bucolicus Poëta: cujus tamen, præter *Idyllia*, alia quoque Carmina extant Heroicis versibus conscripra, ut & Epigrammata aliquot. *Amorem fugitivorum Moschi*, qui in Planudis Florilegio excusus est, primum Baptistam Varinum, qui celeberrimi Bapt. Guarini pater fuit, & deinde Angelum Politianum, Latine transtulisse, Gyraldus Dial. III. de Poëtis restatur, qui Varinum Virum tam sanctum, quam doctum, vocat. *Idyllia* ejus Græce & Latine, cum notis Bonaventura Vulcanius edidit Antwerpæ 1568. in 8. eodemque anno & ibidem Fulvius Ursinus: postea Jos. Scaliger Moschi carmina sibi recensenda sumpsit, vulgavitque, cum notis suis Heidelbergæ apud Commelinum 1596. in 8. Inde H. Casaubonus, qui se in aliqua Genevensi Editione H. Hortibonum vocavit: & post Casaubonum Dan. Heinsius, eundem Autorem sunt aggressi: cum omnium trium, Scaligeri, Casauboni, Heinsii, notis prodiit Moschus Heidelbergæ 1604. in 4.

Jungitur semper Moscho BION, Bucolicus Poëta celebris, & cui, judice 16 Gyraldo, tertia in isto Poëseos genere palma defertur. Dorica Dialecto scripsit, uti & Moschus, & Lyrici, quos supra enumeravimus, tantum non omnes: Eadem dialecto scripsit THEOCRITUS, qui primam Carminis Bucolici palmam haud dubie sibi vindicat, sive Chius, sive Chous, sive Syracusanus: nobis enim nunc parum interest: quemadmodum & illud solum indicasse sufficit, esse, qui eundem cum Moscho Theocritum arbitrantur, observante Gyraldo Dial. III. Dicitur plurima Carminum genera scripsisse a Suida: *Proctides; Elpides; Hymnos; Heroïdes; Epicedia, Odas; Elegias, Epigrammata*. Ex his tamen omnibus, præter Epigrammata quædam nihil admodum superest. Superfunt vero Bucolica illius *Idyllia* longe suavissima, & quæ haud abs re magnos Viros in amorem sui abripuere. Siquidem ii ipsi Triumviri, Jos. Scaliger, H. Casaubonus & Dan. Heinsius, quos in Moscho & Bione recensendis occupatos fuisse diximus, multo adhuc majorem curam Theocrito impenderunt, notis & lectionibus eum illustrantes: atque hinc nata pulcherrima Bucolicorum Poëtarum Editio Commeliniana Anni 1604. in 4. Alias separatim quoque Theocritus ex eadem officina, una cum Scholiis Græcis, ceterisque doctorum Virorum notis in 8. An. 1612. excusus est. Prima Editio Theocriti, quantum memini, est Aldina, quæ An. 1495. in fol. Theocritum, cum Phocylide, Theognide & Hesiodo exhibuit sed absque Scholiis. Secuta est Editio Romana Anni 1516. in 8. cui Zacharias Calliergus Græca Scholia adjecit: non sua, ut perperam multi autumant, sed antiqua, quæ e Veteribus libris excerpta in unum solummodo corpus redegit: plane, ut M. Musurus cum Scholiis Aristophanis fecit. Gesnerus in Bibliotheca, Venetam Theocriti Editionem commemorat, in 8. excusam: recusus inde est Theocritus Hagenoæ apud Secerium: & Basileæ apud Cratandrum An. 1530. tum, una cum Scholiis Græcis, Francofurti apud Brubachium, 1553. in 8. cui Editioni Scholia quoque nonnulla Joach. Camerarii accesserunt, & præfixa Scholiis Græca præfatio, in qua varia Theocrito falso esse adscripta monet; Bioni vel Moscho potius tribuenda: præterea Helii Eobani Hessii Metrica

Idylliorum Theocriti Versio quoque accessit. Postea Theocritum Henr. Stephanus, cum Bucolicis reliquis, Græce & Latine vulgavit An. 1579. in 12. quem deinde Scaliger, hunc Casaubonus & tandem Heinsius, uti dictum, secuti sunt. Idem Stephanus Oden Theocriti in Adonin mortuum scripam, quam Bioni Camerarius in Græca præfatione, alii alii Autori tribuendam censent, cum Lyricis quoque suis edidit, An. 1566. Hoc ipso anno Parisiis, apud Morellum Græce Theocriti omnia, quæ supersunt, excusa sunt. *Ephulam* ejus, una cum SIMMILÆ RHODII, qui & ipse Poëtis Bucolicis addi solet, *Ovo, Alis, Securi*, peculiari explicatione & notis illustravit Salmasius in Explicatione duarum Inscriptionum Herodis Attici Parisiis, 1619. in 4. Præterea jam editiones Theocriti, quæ in Corporibus Poëtarum Heroicorum H. Stephani & Jac. Lectii, aliquoties jamjam memoratis habentur. Quid de Virgilio & Theocriti Comparatione varii Viri docti censuerint, dictum jam alio loco est, ubi de Virgilio agebamus.

17 Nunc accedimus ad æmulos duos, non solum Poëtas cultissimos, sed & Viros in omni genere eruditionis exercitatos, & præfectos Alexandrinæ Ptolemæorum Bibliothecæ: Callimachum & Apollonium. Et CALLIMACHO quidem, natione Cyrenæo, infinitos propemodum libros tribuunt Suidas, Strabo, & Apollonii Scholiastes: Suidas certe illum ultra 800. scripsisse dicit, & argumenti omnino varii. Neque enim solum in omni *Carminum* genere illum aliqua concinnasse refert, sed & *Grammatica, Historica, Geographica*, aliaque longe plurima, vixit temporibus Ptolomæi Philadelphi Regis, & usque ad successorem ejus in regno, Ptolomæum Evergetem, vitam protraxit: perpetuus Apollonii æmuli insectator, in quem & Saryricum carmen scripsit ficto nomine in Ibin: quod ipsum Ovidius e Latinis imitatus est. Inter alia composuit quoque vastum Opus quod *πινάκες* inscripsit *τῶν ἐν πόλει Πειδείαι διαλαμψάντων, καὶ ὧν συνέγραψαν, Tabulas*, sive *Indices omnium celebrium doctorum, eorumque scriptorum*: libris 120. constans. Tum aliud, quod etiam magis ad præsens institutum pertinet, de Poëtis cui titulus: *πινάξ καὶ ἀναγραφή τῶν κατὰ χρόνος καὶ ἀπ' ἀρχῆς γενομένων διδασκάλων*: qui male redditur a Simlero in Bibliotheca: *Tabula & descriptio, serie temporum observata, Doctorum omnium, qui ab initio fuerunt*: pro Doctoribus enim Poëte erant substituendæ quandoquidem *διδασκαλοί* speciatim fabularum Poëtæ sunt, ut e Suida, Harpocracione, aliisque, observat Jonsius de Scriptoribus Historiæ Philosoph. lib. II. cap. 5. ubi prolixè admodum & doctè de his Callimachi libris agit: ut & de tertio, quem de obscurioribus vocibus, & de libris Democríti scripsit Callimachus: sed, qui, ut cum ceteris omnibus, magno reipublicæ literariæ damno, interiit. Hodie enim, e tot Scriptis Callimachi, præter *Hymnos in Jovem, Apollinem, Dianam, Dehn, Lavacrum Palladis & Cererem*; quibus temporum antiquissimorum historiam, & originem gentilis Mythologiæ tradit: *Epigrammata & fragmenta* Poëmarum, hinc inde collecta, nihil superest. Sed ea tamen præta neutiquam sunt. Primus Hymnos Callimachi edidit una, cum Pindaro Aldus, Venetiis A. 1513. in 8. Inde, apud Frobenium, cum Commentariis Græcis, sunt excusi, Basileæ 1532. in 4. ut & Parisiis apud Vascosanum. Recentiorum esse Scholiasten illum, non admodum antiquum, Gesnerus conjicit in Bibliotheca, & annotat: Suidam meminisse alicujus Archibii, qui Epigrammata Callimachi

chi exposuerit: sed qui hodie non amplius superest. Postea Henr. Stephanus castigatos Callimachi hymnos Corpori Poëtarum Heroicorum inseruit A. 1566. & cum Nicodemus Frischlinus eosdem, Latino carmine redditos a se, una cum Scholiis veteribus, suisque notis sat amplis, Tubingæ 1571. edidisset: reperit paulo post illam Editionem Stephanus, suasque annotationes & emendationes insuper, ut & duplicem hymni primi Versionem adjecit A. 1577. Mox alia iterum prodit, nitidiorque ferme quoad versionem Callimachi Operum (nam & Epigrammata & fragmenta, & Poëmation de Coma Berenices, a Catullo Latine redditum, jam a Stephano & Frischlino adjici ceperunt) editio, cum nova Versione Latina metrica Bonavent. Vulcanii, & ejusdem Notis, Antw. 1584. in 12. Inde Seculo fere integro quietum fuit: donec Anna Dacera, filia Tanaq. Fabri, luculentis annotationibus denuo illustratum daret Callimachum, egregie castigatum a se, & fragmentis haud paucis auctum: Parisiis 1674. in 4. (Verum & hanc, & priores omnes Editiones Callimachi reliquas, longe vincit postrema Ultrajectina, quippe quæ & Epigrammatibus, fragmentisque longe plurimis ope Rich. Bentleji aucta est: & in quam præter omnes Commentatorum priorum curas Theodori Grævii, qui Joh. Georgii, Viri Summi, filius erat, ante absolutam Operis Editionem defunctus; Paulique Voërii, notæ, & amplissimus Viri illustrissimi, Ezech. Spanhemii, Commentarius, congesta sunt, Ultraj. 1697. in 8.)

••• Discipulus primo fuit Callimachi, sed deinde Adversarius æmulusque, APOLLONIOS RHODIUS cognomento, non a patria, namque Alexandria ortus erat, sed, quod invidia Poëtarum Alexandrinorum, & inprimis haud dubie Callimachi, traductus, cum non ferret contumeliam, in Rhodum insulam migravit, ibidemque civium numero adscriptus fuit, donec reversus tandem in patriam, magno etiam in honore habitus, & Bibliothecæ regię præfectus est. E compluribus Scriptis, quæ ab ipso edita referuntur, sola *Argonautica* supersunt, is ipse liber, ob quem ludibrio Poëtae Alexandriæ fuit, Rhodus admirationi. *Opus non contemnendum, judice Quintiliano Inst. lib. X. c. 1. æquali quadam mediocritate scriptum: juxta Gyraldum Dial. III. Opus varium, & multis vigiliis elucubratum: durum tamen, & alicubi ingratum; nisi qua parte Medea amores describit, ubi & P. Vergilii judicio ita excellere videtur, ut Vergilius ipse non aliunde plura in suos Didonis amores facile transfuisse videatur: ut Grammatici annotarunt.* Hæc Gyraldus, qui, cum Grammaticos nominat, inprimis in Servium digitum intendit. Sed tamen impudentiam vocare non dubitat Jul. Cæs. Scaliger, si quis cum Servio idem credere velit: tantumque abesse censer a veritate, ut pene pudeat illum apponere loca, e quibus comparatio Virgilii & Apollonii institui queat: *de Re Poët. lib. II. c. 6.* id quod deinde locis quamplurimis confirmatum. Ast contra Scaligerum Apollonii causam in se suscepit Jac. Gaddius, utinam dignior patronus, de Script. Non-Eccles. T. I. Ceterum primum edita sunt argonautica ista apud Aldi hæredes, Vener. 1521. in 8. non solum diligenter prius ad fidem plurium Codicum examinata: sed & eximiis plane illustrata Scholiis; quæ Lucillo Tarrhæo, Sophocleo & Theoni, ut Autoribus, adscribi debere, Anonymus vitæ Apollonii Autor Græcus, Argonauticis præfixus, indicat: (atque idem etiam confirmat Aristophanis Scholiastes; observante Colomesio in Not. ad Gyraldum p. 154. qui & adversus Casaubonum, Maussacum & Tan. Fabrum, contendit, Sophocleum Sophoclem dici non debere.) Sunt vero hæc

Scholia ex eorum genere, quae longe plurimum suis lectoribus conducunt; nec Grammatica solum, sed varia omnis generis erudita, complectuntur. Recusa cum his sunt Argonautica Apollonii Basileae semel iterumque; ita, ut in posteriori editione, quae A. 1570. ex officina Henricopetrina proliit, Latina etiam versio Valentini Rotmari, heroico versu scripta, accesserit: quae si non ubique felix est, laudem tamen meret diligentissima digestio in locos communes rerum omnium, quae in Apollonio, ejusque Scholiis occurrunt, cujus quarum caput Autorum, in scholiis magno numero allegatorum, indicem accuratum sistit. Ante Rotmarum Latine Apollonium verterat, sed non metricè, Joh. Hartungus, ediditque apud Oporinum 1549. in 4to. Postea Henr. Stephanus Græcum textum, una cum antiquis Scholiis, suisque Annotationibus, repetiit A. 1574. in 4. & nostro seculo Jerem. Heclzlinus Græco-Latinum addidit, Scholiisque Veteribus suas Annotationes Lugd. Bat. 1641. in 8. Claudius Florens Christianus, Q. Septimii filius, Epist. Gall. ad Scalig. lib. II. ep. 31. novam versionem & notas in Apollonium promisit: sed quas non magis dedit, ac cetera, quae in alios Poëtas Græcos ibi promisit.

19 Apollonio coævus creditur NICANDER, Colophonius, vel juxta alios Ætulus, aut iterum alios Alexandrinus: præclarus Poëta, etsi in agro viveret, minimeque rufficus, judice Cicerone: & quem, ut Quintilianus ait, Macer & Virgilius non frustra imitati sunt; Jul. Cæs. Scaliger non sine magno usu illum cum Lucano comparari posse censuit: & adeo magni æstimavit, ut *vix inveniri credat apud Græcos Poëtam politioem: magna ei cura, ne quid ineptum aut inepte dicat*, Poët. lib. V. c. 15. ubi & comparisonem illam instituit. Cum verò plurima scripserit Versu heroico Nicander, de quibus apud Athenæum & Suidam mentio fit, hodie duo ejus libri tantum supersunt: *Theriaca & Alexipharmaca* dicti. In illis remedia docet adversus serpentes, & alia animalia, quae morfu vel ictu virus infligunt: in his adversus cetera venena, cibo aut potui mista. Primus illa, cum luculentis Scholiis Græcis *edidit*, cum Dioscoride, Aldus, Vener. 14. 9. in fol. Constat alias ex Athenæo & Stephano, ex antiquis Diphinum Laodicenum, Demetrium Phalereum, Theonem atque Plutarchum esse in Nicandrum commentatos: prout id Gyraldus atque Gesnerus annotarunt. Sed, si quis eorum omnia esse, quae in Scholiis ad Nicandrum hodie reperiuntur, ex æstimaverit, eum erroris arguet Jos. Scaliger in Animadversionibus Eusebianis p. 95. qui dicit, Scholia illa esse centones, ex Veteribus optimis Commentariis excerptos ab homine recentiore, qui de suo quasdam etiam barbaras voces admiscere soleat: id quod jam ante Scaligerum Gesnerus etiam, in Bibliotheca, observavit. Post Aldum separatim excudit Nicandrum, cum Scholiis Græcis Joh. Soter, Coloniae 1530. in 4. Sine Scholiis Græce solum eundem inseruit Corpori Poëtarum Heroicorum H. Stephanus, An. 1566. Latine solum, e Versione sua, cum suis Scholiis eundem Poëtam dedit Joh. Lonicerus, Coloniae, 1531. in 8. Græce & Latine Jac. Lectius, inter Poëtas Græcos Genevæ 1606. & dudum ante hunc, ex interpretatione Joh. Gorræi cum Scholiis Græcis Guil. Morellus, Paris. 1557. in 4. in qua Urbe & nostro seculo 1622. eadem Editio repetita est. Jac. Grevinus Nicandrum Versu Gallico transtulit, ediditque apud Plantinum Antverpiæ 1567. in 4.

20 Nicandrum ARATUS insequatur, ei non solum, e sententia aliquorum, coævus; sed

sed & adeo amicus, ut illi *Phænomena* sua, priusquam publicaret, legenda tradiderit, & vicissim Nicander Arato *Theriaca* sua. Verum falli, qui sic censent, & Nicandros Colophonios duos male confundere, jamdudum Gyraldus annotavit Dial. III. cum Arati tempore, qui Nicandro Poëta junior est, & in aula Demetrii Poliorcetæ vixit, alius vixerit Nicander, insignis Mathematicus. Ceterum, etsi non adeo magni aestimaverit Aratum Quintilianus Inst. lib. X. c. 1. sed *totum in nominibus consumi* dicat: *cujus materia motu careat: ut, in qua nulla varietas, nullus affectus, nulla persona:* quo minus tamen omnino vilipendatur a nobis ille, certe vel solum quoque Procemium facit *Phænomenon*, adeo pium, ut *Apostolus Paulus* illud etiam, quod allegaret, dignum habuerit. Neque est, ut omnibus quoque Latinis adeo fuisse vilipensum existimemus. Quin potius nonnisi cum sole interitura ejus *Phænomena* Ovidius cecinit, Amor. lib. I. Eleg. 15.

Cum Sole & Luna semper Aratus erit.

Nec fuit Poëtis Græcis quisquam, qui tot præclaros interpretes Latinos nactus est, quam Aratus: siquidem a M. Cicerone translatus est, a Germanico Cæsare, de quo inter Latinos Scriptores actum. Adde ipsummet Ovidium, & Sextum Rufum Avienum. Multo vero etiam major numerus Græcorum est, qui in Aratum commentati, & quorum Vossius de Scient. Mathematicis, c. 32. p. 156. triginta & quinque enumerat: non connumerato tamen Theone, cujus Scholia in Aratum hodieque supersunt: nec Achille Statio, quem præter Florentinam Arati Editionem Dion. Petavius etiam in *Uranologio* edidit. Græce Aratum primus edidit, nisi fallor, Aldus cum Manilio & Hygino, Venet. A. 1499. fol. inde multoties excusus est. Latinas editiones, & Græco-Latinas præstantiores jam in *Grammatico Polyhist.* enumeravimus. Græcas nunc paucas & præstantiores dicemus. Ex his Parisiensis est A. 1566. Florentina 1567. cui Commentarii Græci Ach. Statii accesserunt, cum jam A. 1559. Parisiis, cum Theonis Commentariis, & Leontii *κατασκευῆ* Aratæ sphaeræ Aratus apud Morellium prodisset. Elegantissima omnium est Græca Oxoniensis A. 1672. in 8. cui, præter memorata jam Scholia, Eratosthenis quoque, quod superest, adjectum fuit. Græco-Latina vero Arateorum Editio omnium optima Hugonis Grotii, Lugd. Batav. 1600. in 4. Prodiit & quædam Editio *Phænomenon* Arati Græca, cum Interpretatione & notis exiguis Jac. Ceporini, Basil. 1534. in 8. una cum Dionysio Afro.

Iste DIONYSIUS, PERIEGETES dictus a libro, quem scripsit, *περιγῆσι ὁκε- 21*
μῆνις, seu de *Orbis circuitu*, aut, ut communiter redditur, de *Situ orbis*, Afer natione fuit, etsi Byzantinum perhibeat Suidas, cujus argumentum pluribus confutat Vossius de Histor. Gr. lib. II. p. 172. seq. Longe quidem Arato, ceterisque, quos enumeravimus, junior est; utpote demum sub Augusto, vel, ut alii volunt, sub Nerone, clarus: sed præstantia nequaquam cedit: imo nonnullis etiam haud parum præstat. Hinc jam olim Latinos interpretes Sextum Rufum, Festum, Avienum, & Rhemnium Fannium, vel ut alii judicant, Priscianum (volente tamen Gyraldo, qui *ignoscant mihi*, inquit, *Prisciani manes, si eum non Poëtam ego fuisse credo.* Dial. IV. de Poët.) nactus Græcum quoque omnium longe præstantissimum atque eruditissimum habet commentatorem, Eustathium, eundem, qui in Homerum commentatus est. Primus, qui Dionysium hunc e tenebris eruit, Anton. Becharia, Veronensis, fuit: qui scilicet Latine illum Oratione profaica reddidit, & Hieronymo de Leonardis inscriptum edidit Venet. in 4. A. 1477. sed pla-

ne infeliciter vertit, ut Gesnerus observat in Biblioth. p. 540a. quaedam enim de suo addidit, quaedam omisit, multa perperam reddidit. Recusa tamen est pessima illa Versio apud Henr. Petri, Basileæ A. 1534. in 4. Græce primus Dionysium edidit Aldus, seu, qui post ejus mortem typographiæ præfuit, Arulanus, A. 1518. una cum Latina interpretatione Prisciani, quæ, juxta alios, Fannii Rhemni aut Ræmanni est, jam sexennio ante, cum Joach. Camerarii annotatiunculis, Viennæ 1512. in 4. prodierat. Cum Eustathii Commentario prius edidit Dionysium Rob. Stephanus, Paris. 1547. in 4. invidiosissime: quem recudit, post mortem Patris, Henricus filius A. 1577. in 8. qui suas & aliorum Annotationes adjecit. Nostro ævo Dionysium, cum Eustathii Commentario, suisque amplissimis notis, publicavit Guil. Hill, Londini A. 1658. & iterum 1688. in 8. (Verum in his omnibus Dionysii Eustathiique Editionibus magna quaedam lacuna deprehendebatur Scholiorum, per aliquot folia protensa, quæ cum suppleri e Codicibus Regiis non posset a Rob. Stephano, reliquis etiam intacta mansit: donec Anno superiore 1697. bis ederetur: semel Hamburgi a Joh. Alb. Fabricio, Viro clarissimo, nobisque amicissimo, Bibliothecæ Latinæ, quam edidit, inserta; ubi de S. Ruffo Festo Avieno agit; p. 180. seqq. & Oxonii deinde, suo loco, nimirum in nova Dionysii Editione longe optima & elegantissima, quam V. Clar. Edu. Twaites procuravit, non solum cum MSS. Codicibus sedulo collatam: sed & glossis interlinearibus Græcis & Scholiastæ alio, inedito hæctenus, auctorem. Dignus notatu est numerus Editionum Dionysii, quem laudatus modo Clar. Twaites iniit, triginta & tres computans.)

22 Neque hic omittendus LYCOPHRON, quem Tragicis Poëtis Laërtius annumerat, quod & Suidas facit, qui *tragædias* ejus etiam recenset: sed & præterea insignem Grammaticum fuisse notat. Erat unus, ut ibidem Suidas addit, e Plejade Poëtarum; cujus magna olim apud Græcos mediæ ævi fama erat, cum una omnes vixisse existimarent. Computabant in eum numerum Theocritum, Nicandrum, Callimachum, Apollonium, Homerum Tragicum, Aratum & Lycophronem. Enimvero, ut in ista temporum supputatione insigniter sunt hallucinati Græculi, quod præter alios Gyraldus maxime ostendit: ita non est, cur multum de excusatione, ob divulgum a reliquis Lycophronem simus solliciti: non magis ac ob *omissum* Tragicum Homerum, cujus nihil hodie superest. Lycophronis etiam Tragædiæ omnes interierunt, nec superest nisi *Alexandra* seu *Cassandra* ejus, *αγορεύειν ποίημα*, ut jam olim Suidas vocat, jambico Versu scriptum, quod proxime ad tragædiam accedere multi Viri docti censent, & propterea Guilh. Canterus monodiam quandam tragicam posse vocari iudicavit in prolegomenis ad Lycophronem, quæ Latinæ ejus Poëtæ Versioni a se structæ præfixit. Eo vero minus miranda est in Lycophronis dramate obscuritas, quod ille Græcula loquentem Priami filiam Cassandram, sive, quod idem est, Alexandram inducit. Ex Antiquis Interpretes ad hoc poëma accesserunt Dection, Theon, Orus, qui ab Autore Etymologici, Stephano Byzantino aliisque Autoribus, allegantur. Ex illis vero deinceps suos compilavit Commentarios, qui soli hodie supersunt, Macius Tzerzes, Johannis frater multo doctior, ne ipso quidem id diffidente, in præfatione ad Scholia in Heliodum: [sed tamen Colomnesius, in Not. ad Gyraldi Dial. III. de Poëtis, notat, 1647. hunc Tzerzam doctis veterum Scholiastarum observationibus nugæ fuisse.]

Primus Lycophronis *Cassandra* Græce edidit, cum Pindaro & Dionysio, Aldus, Venetiis, 1513. If. Tzerzæ Scholia: textui juncta, Basileæ 1546. in 4. prodierunt. Latine primus vertit Lycophronem Bernardus Bertrandus, sed infeliciter, ediditque Basileæ A. 1558. Novam igitur Versionem, & multo accuratiorē in se Guillh. Canterus suscepit, quæ, cum Prolegomenis & Commentariis luculentis, edita est Basileæ, 1566. Parisiis 1601. cum Græco textu recusa. Sed & Jos. Scaliger Lycophronem Latine vertit, et si non multo dilucidius, quam in Græco est: prodiit Parisiis & Lugduni Batavorum, ubi Joh. Meursius revidit illam Versionem Scaligeri, & sub incudem vocarum plurimis in locis emendavit, notasque adjecit A. 1597. in 8. non magna tamen cum Scaligeri gratia. [Post hos omnes nuper JOH. POTTERUS, Vir Clarissimus, apud Oxonienses, e theatro Sheldoniano, splendidissimam Lycophronis Editionem adornavit, in eamque non solum transtulit priorum omnium labores, quos alicujus momenti existimabat, sed & novos adjecit Commentarios, textu prius cum cura ad MSS. Codices reviso & emendato: Oxon. 1697, in fol.]

Inter alios Autores, quos Isaci Tzerzes in suo Commentario ad Lycophronem allegat, QUINTUS CALABER quoque est, Poëta Heroicus, qui *παραδειπόμενα* *Ομήρου* scripsit, i. e. de iis, quæ in Descriptione belli Trojani ab Homero relicta sunt, libros XIV, quos primus una cum TRYPHIODORO *de Excidio Troje*: & COLUTHO *de Raptu Helenæ* (quos hic per transfennam solum nominasse suffecerit) edidit in 8. Aldus. Latine Quintum Calabrum reddidit Joh. Vellæus: & post hunc multo elegantius Laur. Rhodomannus: prodiit Græce & Latine apud Wechelianos hæredes Hanoviz, 1604. Idem cum Quinto nomen habet diversus Poëta COINTUS SMYRNAEUS, qui *de Troje excidio* libros II. & *de reditu Græcorum* unum, composuit, quos, præter alias Editiones Operi suo Aureo inseruit Mich. Neander, A. 1577. Lipsiæ in 4. Omnium Poëtarum ab Homero præstantissimum esse hunc Barthius censet, in Adversar. p. 1021.

OPPIANUM hucusque non nominavimus, præstantissimum tamen Poëtam, 24 qui sub Severo claruit, & Antonino Caracalla; non sub M. Aurelio Antonino, qui verus jam Eusebii error est, & multos recentiorum decepit, recte tamen Jos. Scaligero in *Animadv. ad Euseb.* p. 221. contradicente. Scripsit *Halieutica*, seu de Piscatu libros IV, multo auro a Severo Imp. pensatos: *Cynegetica* i. e. de Venatione libros V, & *Ixeutica*, sive de Aucupio libros V, quibus in poëmatibus quam plurima etiam de natura animalium, longe præclarissima habet. Franc. Vavassor, in libro de Dictione Ludicra, Oppianum in exprimenda affectuum teneritudine, quam animalibus suis erga parentes, aut prolem, demonstratum tribuit, imprimis multum valuisse annotat, atque eum propterea nunquam se sine magno deliciarum sensu legere profiteretur. Editus est Oppianus apud Aldum Venetiis, apud Juntas Florentiæ, apud Adr. Tursebum Parisiis 1555. Græce: Latine libros de Venatione reddidit Laur. Lippius, ediditque Argentorati 1534. in 8. cum Scholiis Joh. Cæsariensis: Commentarium suum Latinae huic versionis recusæ adjecit Paris. 1555. apud Vasosanum Joh. Bodinus; quanquam Rittershufius, in Epistola quadam ad Georg. Richterum, & ex illo Thomasius Placciusque Bodinum e Turnebi Lectionibus omnem suum Commentarium compilasse, adeoque scæde surripuisse notent. Ipse vero doctis-

doctissimus Vir, Nicol. Rittershusius, præstantissimam Oppiani editionem adornavit, cum Scholiis antiquis Græcis, ac suis notis, Lugduni Batav. 1597. in 8. g) Libros de Venatione Gallico versu reddidit Q. Septimius Florens Christianus, Parisiis apud Mamerthum Patissonum 1575. in 4. Libri de Aucupio interierunt, aut certe latent hæctenus. Nam non penitus interiisse, sed MSS. adhuc se fervari, Andr. Asulanus olim Gesnero retulit, prout hic in Bibliotheca refert, sed permoveri se nunquam passus est, ut ostenderet; quo ipso suspectam reddidit suam relationem. Interea Gesnerus Græcam *Ἐκτίκην* illorum paraphrasin nactus, eo indignius factum hominis tulit, & paraphrasin illam Latine redditam a se, variis in locis sui de Avibus libri inseruit. Ceterum pertinet ad Oppianum, ob argumenti vicinitatem PHILÆ, nescio cujus ævi Poëta, & an idein cum illo, cujus versus in Spirirum S. Cotelerius T. III. Monumentorum Ecclesiæ Græcæ publicavit: Scripsit, qui huc pertinent, Versus jambicos de Animalium proprietate, quos Græcæ & Latine Joach. Camerarius edidit Lipsiæ A. 1575. & postmodum Aureo Operi inseruit ibidem A. 1577. Mich. Neander.

25 Atque hæc de Poëtis Græcis, quorum integra Opera supersunt. *Novem Poëtriarum illustrium Carmina* collegit, ediditque cum notis, Fulvius Urfinus, Antwerpæ An. 1568. in 8. *Telephilla* nimirum, *Sapphus*, *Erinna*, *Myrtidis*, *Corinna*, *Myrus*, *Praxilla*, *Nossidis*, & *Amytæ*. Veterum Philosophorum fragmenta metrica collegit, & sub titulo Poëseos Philosophicæ, edidit Henr. Stephanus A. 1573. in 8. utilissimo labore, cui tamen subinde addi aliquid potest: Et quid mirum in tanta autorum copia? Oracula, quæ sub *Sibyllæ* nomine feruntur, octo libris comprehensa, una cum fragmentis, quæ hic illic in Scriptis Christianorum reperiuntur, primus edidit apud Oporinum Basileæ A. 1545. Xystus Berulejus, cum annotationibus suis. Insecuto mox anno Sebast. Castalio, apud eundem Oporinum, heroico Carmine Latine a se reddita Oracula illa publicari curavit, ac pro genuinis etiam habuit, sed cui Eruditorum perpauci assentiuntur. Oporinus inde A. 1555. Oracula Sibyllina Græcæ & Latine recudit: Mich. Neander vero magnam eorum partem Apocryphorum Collectioni inseruit, quæ Catechesi ejus Græcæ adjecta est An. 1567. Novam Editionem eorundem Oraculorum Græco-Latinam, cum notis, adornavit Joh. Opsopæus Paris. 1589. in 8. qui, Appendicis loco, Oracula metrica Jovis, Apollinis.

g) Fallitur Capitis hujus Autor, dum Nicol. Rittershusium, Academ. Altdorfinae Jctum, An. 1670. mortuum, Autorem Epistole de Plagio Literario, pro sua de Harmonis *πρόλογος* Oratione, eisdem Uminis a Barth. Nihuffo incusata, ad Georg. Richterum Apologetica, in Richterianarum Syntagmae p. 204 & seqq. obvia, Oppianum Lugd. Bat. A. 1597. credit edidisse. Debetur enim editio ista Nicolæ Rittershusio, Nicolai Parenti, Antecessori itidem Altdorfino, A. 1613. jam extincto. Pari vel eorundem memoria lapsu, Jac. Thomasius in *Tr. de Plagio Literario*, §. 373. & Vinc. Placius, hunc secutus, in *Tr. de Scripioribus Anonymis & Pseudonymis P. II. p. 106.* Epistolam Nicolai Filii ad Plagium, modo laudatam, Conrado Rittershusio, Parenti tribuunt. Ceterum, quæ Filius, de Bodino in Oppianum Commentario turpi plagio ex Andr. Tarnebi Lectionibus compilato, Richteris narrat, & Jac. Bodino non dubie haurit Epistola, ad Parentem suum, Conradum, d. 4. Apr. A. 1600. exarata, & a Paulo Colonien. Vita Joh. Bodini, *Gallia sive Orientali* p. 74-87. inserta) A. 1665. edita. Ita enim cum multa fert Bodino parum honorifica, tum hæc de ejus Oppiano: *Jam edidisse illum Liberum Taurinensem, qui nunc pro suis, nemo nostrorum (Gallorum. sc.) ignorat.*

nis, Hecates, Seraphidis aliorumque Deorum & Vatum, ex variis Autoribus antiquis collecta, Græce & Latine, cum Notis, ut & Zoroastris oracula, cum Scholiis Plethonis & Pselli adjecit. Recusa est Editio illa auctior Paris. 1599. & 1607. Tandem novam Sibyllinorum Editionem, longe nitidissimam ac emendatissimam, in Belgio dedit Servatius Gallæus, Amstelodami, 1689. in 4; cui Castalionis & Opsopæi notas, suosque insuper prolixissimos Commentarios adjecit: nec non Oracula reliqua, quæ Opsopæus ediderat.

Restat mentio veterum Epigrammatum Græcorum, quæ in locos communes 26 magno studio digessit, & in unum Corpus collecta reliquit, sub *Anthologia* titulo, MAXIMUS PLANUDES: diuisa in septem libros: quorum *primus* varios locos communes continet: *secundus* Scommata, dicteria & sales: *tertius* Epitaphia: *quartus* Epigrammata in Deorum imagines, hominum statuas, animalium effigies: & in loca quædam, sive topographias: *quintus* Christodori, Poëtæ Ægyptii, e Copto urbe oriundi (quem in Planude male Copitam vocari, pro Coptio, & confundi perperam cum Thebano Christodoro, alio hujus nominis Poëta Christiano, Giraldus Dial. IV. de Poët. monet.) quæ e multis poematibus supersunt: inprimis Explicationem statuarum, quæ in Gymnasio publico, quod Zeuxippi cognominabatur, supererant; quibus exprimuntur laudes complurium doctorum & insignium Virorum: nec non ejusdem Christodori Epigrammata in Aurigas hippodromi Constantinopolitani: *sextus* liber Anthologiæ complectitur Epigrammata anathematica consecrationum & dedicationum: *postremus* meretricia & amatoriam. Prima hujus Anthologiæ *Editio* vetustissima est in 4: capitulis literis impressa, sed cui annus impressionis non subjicitur. Deinde ex Aldi, defuncti jam officina prodiit, Venet. A. 1521. in 8. postmodum a Joh. Brodæo emendatam, & notis illustratam, Frobenius Anthologiam in fol. Basileæ excudit A. 1549. tum Henr. Stephanus, additis quoque Græcis Scholiis & notis suis, denuo emendatorem dedit in 4. 1566. Vincentius Opsopæus suas in Anthologiam notas seorsim excudi apud Oporinum A. 1540. in 8. curavit. Tandem, cum horum omnium annotationibus, Scholiisque in pleraque Epigrammata Græcis, & Latina Versione, nova Anthologiæ Editio, plane nitida, procurata est Francof. 1609. in fol. Absque notis horum Autorum Græco-Latinam ejus Editionem dedit, apud Commelinum in 4. A. 1604. Eilhardus Lubinus. Selecta ex Anthologia Epigrammata Latine vertit *ἐμμέτρως*, ediditque apud Rob. Stephanum, juniorem Paris. A. 1608. in 8. Idem fecit quoque Jos. Scaliger, suntque Epigrammata illa Latina, e Græcis facta, inter Opuscula excusa. Omnium vero salivam movit olim, & expectationem excitavit Germanis, dum novam Anthologiæ Editionem, infinitis Epigrammatibus auctiorem, nova Versione Latina, & luculentis Commentariis, illustratam sæpissime, & magno apparatu promitteret. Ast nunquam promissis stetit.

PAULI SILENTIARI *Epigrammata*, quæ seorsim aliquoties Venetiis, ac Parisiis excusa 27 sunt, nunc indicamus magis, quam recensemus, propterea quod semipriscus tantum Autor ille est: quales etiam Mich. PSELLUS, cujus, præter tot Scripta alia, *jambos* in vitia & virtutes habemus; & Joh. TZETZES, cujus *Politiorum*, ut vocant, *Versuum Chiliades* notæ alias, sed vix pro versibus habendæ sunt. Antiquiores his longe alii Christiani Poë-

ræ: Apollinarius Laodicensis, Gregorius Nazianzenus, Nonnus: de quibus paucissima solum dicemus, cum de illis alii prolixissime egerint. APOLLINARIUS quamplurima poemata scripsit: e quibus nil nisi *Versio Psalterii* superest, heroico carmine, eoque satis culto, expressa. Primus illud e Regia Bibliotheca eruit, & regius typis nitidissime excudit, Paris. 1552. in 8. Hadr. Turnebus: postea ibidem 1580. recusum: Latinam Versionem addidit, & apud Commelinos in lucem emisit. Frider. Sylburgius, Heidelbergæ, 1596. in 8. (b) GREGORII NAZIANZENI poemata 64. superunt, sed non eo nitore scripta, qui antiquis comparari possent: Primo vitæ suæ historiam consignavit: reliqua sacri ut plurimum argumenti sunt: pia omnia. Neque vero solum cum operibus Nazianzeni prodierunt: sed & seorsim varia variis in locis. Omnia, quæ nancisci poterat, collegit, Latinis versibus reddidit, & emisit in lucem, Paris. A. 1562. Jac. Billius. Melior Poëta NONNUS profanum Poëma reliquit atque *Sacrum*. Illud inscripsit *Dionysia*, & libris 48. omnem de Baccho, ejusque sacris, sermonem absolvit. Edidit primo Joh. Sambucus Græce, cum lectionibus ac Conjecturis Gerh. Falkenburgii, & emendationibus Guilh. Canteri, Antw. 1569. in 4. inde, servatis Falkenburgii Conjecturis, cum Latina Versione Eilh. Lubini, prodit Hanoviae 1605. in 8. Sacrum Poëma Nonni *Paraphrasis Evangelii Iohannei* est, centies edita. Editiones præcipuæ sunt Aldina, quæ & prima 1501. Parisina, 1561. cum Latina Versione Bordati, & notis: Raphelengiana, quam Franc. Nansius magna cura emendavit, suisque Supplementis auxit, 1589. in 8. Heidelbergensis a Pind. Sylburgio curata 1596. Parisina alia, quam Nicol. Abramus, Jesuita doctissimus, emendavit, supplevit, & eruditis observationibus Theologicis & Ecclesiasticis illustravit, apud S. Cramoyssium, 1623. in 8. quæ Editio sane cum reliquis omnibus certare possit: & denique Heiniana in celebri illo Sacro Aristarcho Dan. Heinsii, qui nihil aliud continet, quam Exercitationes ad Nonnum Criticas, pessime a Salmatio exceptas, nec admodum probatas doctis Viris plerisque: primum prodit A. 1627. ni fallor in 8. postea plus semel recusus. Prodit apud Feder. Morellum Parisi A. 1609. in 8. liber, cui titulus: *Poeta Græci Christiani*: quem, si quis collectionem esse eorum, quas modo recensuimus, existimaverit, errat: siquidem exiguus liber est, & nonnulli fragmenta Veterum Poetarum, quorum Opera perierunt, e Scriptis Patrum collecta, sunt. Maximum inter eos fragmentum est *Ezechielis* Tragicæ, qui tamen Judæusne fuerit, an Christianus, adhuc ambigua sub judice lis est, neque sane est improbabilis opinio Stephani le Moyne, cui & Clar. Guil. Cave, in Historia Literaria assentitur, Judæum fuisse hominem, & paulo post immanem illam gentis Judaicæ, sub Barcozba Pseud. Moll suo, stragem, ad erigendos tribules poemata suum scripsisse, quod *ἄρα* vocat, ut velut novæ liberationis dans. Allegatur hic Poeta, quisquis deum fuerit, & Clometre Alexandrino & Eusebio. Sed plus satis hæctenus, quantum attinet ad rem nostram, de Græcis Poetis dictum est, jamque adeo tempus, ut ad alios accedamus.

(b) Gregorii Nazianzeni Carmina XX. hæctenus *ἀνέκδοτα* (quorum prolixissimum est primum suum 835. de seipso, & adversus Episcopos, a quibus Episcopatu erat solvatus, vitæ Orthodoxi facti satis libere notans), e Biblioth. Casarea Vindobonensi, cum Joh. Leondarii Notis & Notis Jac. Tollii eruditis, in hujus *Insignibus Itinerarii Italici*, Opere Italico, Tomo 1. in 4to, una cum aliis Antiquitatis Ecclesiasticæ Monumentis ineditis, prodierunt.

CAP. III.

DE POETIS RECENTIORIBUS.

- §. 1. Poëta Latini Veteres in Grammatico jam Polyhistoro, sive Lib. IV. celebrati. 2. Poëta Latini recentiores, & primo quidem EPIGRAMMATOGRAPHI. J. C. Scaliger, H. Grotius, Dan. Heinsius, M. Z. Boxhornius, Joh. Ovvenus. 3. Const. Hugenus, Nic. Borbonius, Franc. Vacassor, Matth. Casim. Sarbievius, Ant. Stratius, Jac. Folius, Aug. Mascardus, Jac. Bidermannus, Bern. Bauhusius, Bald. Cabillavius, Costobadeus, Joh. Cælius, Frid. Hofmannus. 4. Henr. Bruno, Alb. ab Ines, Joach. Rachelius, Pet. Justus Sautel, Hier. Augerianus, M. Ant. Casanova, Domin. Gravina, Pet. Aloysius, Joh. Zaratinus Castellinus, Aur. Ursus, Bernb. Baldu, Jof. Baptista. 5. EMBLEMATUM Scriptores, Andr. Alciatus, Theod. Beza, Joh. Sambucus, &c. Usus illorum immodicus reprehensus. 6. ANAGRAMMATUM (quibus parum Autor, cum Jac. Baldeo tribuit) Inventor Joh. Auratus, Scriptores præcipui, Guilb. Blancus, Joh. Mautnerus, Matth. Zubckus, &c. Vulgus Anagrammatistarum ineptiens explosum. 7. Versuum Cubicorum, Quadratorum, Retrogradorum, Cabalisticorum, aliarum istius generis Nugarum diffusillium Autores, Publilius Optatianus Porphyrius, Rhabanus Maurus, Paschasius Carmelita, aliique, una cum Judæis, ad semiles prolapsis ineptias, exhibiti. 8. POETÆ EPICI Recentiores: Dan. Heinsius, Ren. Rapinus, Franc. Vavasser, Varq. Gallucius, Hier. Fracastorius, Hugo Grotius, Act. Sinc. Sammazarius, Casp. Barleus, Joh. Buffere, Bapt. Mantuanus, Scæv. Sammarthanus, Jac. Aug. Thuanus, M. Hier. Vida, Calvidius Letus, Abr. Cowlejus, Aug. Mascardus, Frid. Rappoltus, Bonau. Baronius, Joh. Lad. Præschius, Alex. Morus, Henr. Meibomius Sen. Pierius Winsenius, Laur. le Brun, Publ. Fontana, Mintius Ricerius, Jul. Cæs. Stella, Elisius Calentius. Immiscentur etiam judicicia de Poëtarum Scotorum, Italarum, Gallorum & Germanorum, Deliciis. 9. ELEGIACI Pet. Lotichius: Joh. Secundus, Dan. & Nicol. Heinsii, Casp. Barleus, Vinc. Fabricius, Jac. Wallius, Sidron. Hofchius, J. Bapt. Stella, Bald. Cabillavius, Jac. Bidermannus, Joh. Bisselius, Eg. Menggius: Art. Fontanus, Herm. Hugo, Jac. Balde, Pierius Winsenius, Ferd. Fürstbergius, Janus Doufa, Alex. VII. Pont. Rom. Sangenesus, Pet. Francius, & Joh. Jov. Pontanus, de cujus etiam Poëmatibus aliis disseritur, varique afferuntur judicicia. 10. LYRICI: Georg. Buchananus, Matth. Casim. Sarbievius, Pet. Dan. Huertius, J. Bapt. Masculus, Gilb. Joninus, Jac. Balde, Alb. ab Ines, Urbanus VII. Pont. Rom. Nicol. Avancinus, Paulus Melissus, Lev. Torrentius, Jacomotius, Christoph. Caldenbachius. 11. PHALEUCORUM Scriptores, Joh. Bonefoni, Joh. Jov. Pontanus, Frid. Taubmanus, Jac. Bidermannus. 12. JAMBICI & CHORIAMBICI: Dom. Baudius, Casp. Barthius, Casp. Barleus, Jul. Cæs. Scaliger. 13. Ode Latine Rythmica ab aliis jam, ante Phil. Casium, qui illarum sibi falso vindicat inventionem, concinnatae. 14. Parodiarum, Odarum Pindaricarum, & Carminum ἐπιμύθων, Scriptores varii Latini. Centones, post Ausonium inventorem, consarcinavit Pelagius Patritius, Proba Falconia, Jul. & Læ. Capilupi, Steph. Plenius, Henr. Meibomius, Joh. Bapt. Spadius, Dgn. Heinsius, Henr. Stephanus. 15. COMICI: Nicod. Frischlinus, Corn. Schoneus, J. Lud.

J. Lud. Præschius, Jac. Mascovius; TRAGICI: Dion. Petavius, Bernh. Stephonius, Jac. Balde, Jac. Corn. a Marca, Dan. Heinsius, Hugo Grotius. 16. SATIRICI: Jac. Balde, Pet. Dan. Huetius, Janus Doussa, Eilh. Lubinus, Saengerius. 17. *Judicia de Poëtis quibusdam Latinis mediocribus*, Rob. Keuchenio, Joh. Casa, Er. Michaele Lato, Rein. Neubusto, Joach. Pastorio, J. Pet. Tiro, Joh. Miltono, Zach. Lundo, Balth. Bonifacio, Pierio, Wimbemio, Thoma Bartholino, &c. Vitus Beringius & Ol. Borrichius ἐξ ὀρθοῦ accensendi. 18. *Innumera Poëtarum modernorum multitudine. Consilium de Poëmatibus minoribus egregiis, seorsim editis, colligendis*. 19. *Mentio Carminum Macaronicorum, Latino-Italicorum* (Meyl. Coccaji & Bernh. Stephonii.) *Græco-Latinorum* (Dom. Baudii) & *Latino-Germanicorum*, uti & *Verfuum Ævi Sequioris Leoninorum*, obiter facta. 20. *FABULARUM ROMANENSIVM* (quarum Nomen pariter atque Originem a Normannis Gallia, conjectura incerti, Claud. Verdierius derivat), *Scriptores Græci*, Achilles Tattius, Heliodorus, Eustathius vel Eumathius & Jamblichus; *Latini Veteres*, Apulejus & Mart. Capella; *Recentiores* Joh. Barclajus, ejusque Continuator infelix Mouchenbergius, & alii deinde innumeri, a Cl. Sorello partim enumerati. Pet. Dan. Huetii *Diff. de Fabulis his peculiaris*. Hug. Grotii *in eadem Affectus*.

1. **E**sset jam de Latinis Poëtis Veteribus ordine agendum, si supra jam, in *Grammatico Polybistore*, inter Latinæ linguæ Scriptores abunde de iis dictum arbitraremur. Missis igitur illis RECENTIORES solum enumerabimus, & quidem in certas classes distribuere, ut eo commodius sermo de iis insirui queat.

2. Prodeant ergo primo *Epigrammatum Scriptores*. Horum ut apud Vereres pauci sunt boni, ita & apud Recentiores major eorum numerus occurrit, quam dignitas: pauci enim hic punctum ferunt. *Julius Caesar Scaliger*, rigidus aliorum Censor ac delicatus, ipse heberes interdum figit aculeos. *Hugonis Grotii* in Epigrammate elegantia incomparabilis est: nec *Heinsiana* Epigrammata spernenda, ut & *Boxhorniana*, quæ Epistolis ejus sunt addita, *Joh. Owenus* latis quidem acutus, sed nonnunquam ratione styli lutulentus, ac haud raro ab a genio Veteri, certe figuræ Orationis poëticæ, quales ad Epigrammata etiam requiruntur, nulla illic sunt. Memorabile est, quod de Oweno *Crassus*, in *Elogiis suis* *Literator. P. II. p. 97.* refert ejus Carmina apud Italos magni æstimari, illa quoque *Monosticha*, *Satyrica*, quæ adversus *Monachos* & *Pontificios* scripsit. *Contra Ant. Wood*, in *Historia & Antiquitatibus Oxoniensibus*, lib. XI. p. 143. de eodem Oweno refert illum quæ unicum hoc Epigramma:

An Petrus Roma fuerit? sub iudice lis est:

Simonem Roma nemo fuisse negat:

ampla hæreditate, quam ab Avunculo locuplete expectaverat, incidisse. Ad Poëtis fatali lege invidentur divitiæ, & ingeniosos Vates presso pede inenitio infequitur, ut sæpe ingenio suo acuto pereant.

3. *Constantinus Hugemius*, in *Momentis desultorius*, qui titulus est *Carminum* illi sæpe in *Batavia* impressorum, *Epigrammata* complura habet, egregia: sed acutius interdum affectata & frigidiuscula sunt. Nec deficit nitor *Belgicæ* quæ Poëtis

sub titulo *Koren-bloemen* Hagæ Com. 1658. in 8. prodierunt, & Epigrammata multa continent. *Nicolai Borbonii* Epigrammata, Lugduni apud Gryphium An. 1538. excusa, quæ tantopere ab Erasmo, aliisque, laudantur, satis quidem Latina sunt: sed argutias ego nonnunquam desidero. (i) Idem & de *Franc. Vavassoris* Epigrammatibus judico, qui nihil argutarum, nisi quod cum Augusteo Seculo conveniret, admisit. Sed pro hujus Epigrammatibus ego Grotiana & Heinsiana legere malim. Paucula illa, quæ *Matthias Casim. Sarbievius* Lyricis suis addidit, divina sunt: nisi quod ars nimia interdum apparet affectatione antithetorum, quorum etiam ut modus sit, castigata modestia requirit. *Antonii Stratii*, Jesuitæ, Epigrammata puerilia interdum sunt, nimiumque affectata: aliquando tamen etiam bona. *Jac. Jolii* Epigrammata parum bona, nisi quando furatur ex aliis. *Augustinus Mascardus* Sylvis suis elegantissima quædam inseruit: quorum aliqua impudentissimo plagio descripsit Lambertus Villovanus. Sunt & inter Jesuitas non contemnendi Epigrammatum Scriptores *Jac. Bidermannus*, *Bernh. Baubusius*, *Baldwinus Cabillavius*: e quibus postremi Epigrammata mihi præ duobus reliquis placent; quanquam nec illis etiam desint acumina. Sunt & *Costobadei*, Aquitani, non spernenda: etsi in quantitatibus Syllabarum aliquando erratum sit: prodierunt Salmurii, 1655. in 8: *Joh. Cali* Epigrammata, & Latinitate, & acumine; aliquando commendari merent. *Frid. Hofmanni* multa quidem sunt, sed frigida, affectata, & quæ multum plebeji habent: invenias tamen interdum, quæ tollere velis.

Prodierunt *Henrici Brunonis*, quædam Epigrammata Latina, Belgicis mixta, in 4 quibus, nec acumen, nec nitorem, desideres: titulus est: *Henr. Brunonis Mengelmaes. Alberti ab Ines* Acroamata Epigrammatica non vidi: bona tamen esse credo, si ex Odis certimetur. *Joachimi Rachelii* Panegyris Menippea ad rationes Apophoretorum in Martialis instituta laudari etiam meretur, Kilon. 1669. in 12. edita. Simili modo *Hugenius* Tricas suas Morales, & Grotius Instrumentum suum Domesticum scripsit. *Petrus Justus Sautel* scripsit *Annum Sacrum Poeticum*, seu selecta de Divis Cœlitibus Epigrammata in singulos Anni Dies distributa, quibus & elegans stylus est, & acumen Paris. 1665. Scripsit idem *Lusus Poeticos allegoricos*; in quibus proponuntur fabulæ & allegoriæ variæ, carmine Elegiaco expressæ, Monachii, 1676. *Hieronymus Angerianus* inter Latii recentioris Epigrammatographos excellit, numero, argutia, & inventione ingeniosa, judice Gaddio de Scriptor. Non-Eccles. p. 32. T. I. qui tamen paulo post mutata sententia, arguta mille parum argute præferre Angerianum ait: neque enim satis esse sententiam pedibus conclusisse: idem Gaddius l. c. p. 10. alium Epigrammarum Scriptorem *M. Antonium Casanovam* laudat, eumque Martialis genium Catulliano candore temperatum possedisse ait. Sed tamen utrique præfert *Domin. Gravinam*, eique palmam in Epigrammatibus Sannazarium tribuisse

SSS SSS 3

(i) De Nicol. Borbonii, Vandoperani, *Nugis & Epigrammatibus*, Lugd. Gall. apud Gryphium A. 1538. editis, paulo adhuc inclementius Morhofio judicat Joh. Ovvenus, *Lib. I. Epigr. n. 42. p. m. 10.* Auctorem ita alloquens:

Quas tu dixisti Nugas non esse purasti:

Non dico nugas esse, sed esse puro.

• Ol. Borrichio contra, in *Dissert. de Poet. Lat. §. 126.* Carmina Borbonii non invidis Musis concinnata videntur.

buisse annot. p. 217. *Petri Aloysii* elegantia & arguta Epigrammata commendat Laur. Crassus Elogior. T. I. p. 379. & sane est apud eundem Crassum T. II. p. 309. ali- quod Epigramma Aloysii, quod elogium non præter rem esse datum, abunde com- probat. Janus Nic. Erythræus, *Ioh. Zaratinum Castellinum*, refert, Epigrammata multa, tum jocosa, tum gravia, multoque sale conspersa scripsisse Pinacoth. I. p. 51. qui & in Epistolis, lib. III. Ep. 4. & lib. II. Ep. 9. conferendus est. *Aurelium Ursum* fere ex tempore Epigrammata optima fudisse & argutissima refert idem Pinac. I. p. 167. ac alibi in eodem libro p. 7. *Bernardinum Baldum* miratur, qui rarissimo exemplo, in omni genere carminum excelluerit, in Epigrammatibus Martialis argutias, in Odis cultum ac nitorem Horatii, in Epicis poematibus Virgilia majestatem, felicissime imi- tatus. *Iosephi Baptistæ* Epigrammatum Centurias tres mirifice commendat Crassus in Elog. P. I. p. 337.

5 Pertinent quoque in Epigrammatum censum EMBLEMATA, quæ quidem non sem- per adeo acuta sunt, nisi quod concisas comparationes concinno aliquo & brevi car- mine exprimant. Clarus in ea arte superiore Seculo in primis fuit *Andr. Alciatus*, & tanto in pretio habitus, ut Emblemata ejus, quanquam non satisfaciant omnibus artis Emblematicæ regulis, publice etiam in Scholis, Classici Autoris instar, prælege- rentur: cui instituto succenset Vavassor in libro de Epigrammate: nihilominus do- ctissimos Interpretes & Commentatores nactus est libellus iste, Claudium Minorem, Franc. Sanctium, Laur. Pignorum, Joh. Thuilium, aliosque. *Theodori Beza* Emble- mata, *Ioh. Sambuci*, & aliorum, ad artis præcepta plane non formata sunt: quorum Censuram videbis apud Masenium in Speculo Imaginum Veritatis occultæ. Hodie Emblematum neque finis, nec modus est, sed miserrimorum, & quorum præposte- rus usus severe etiam coerceri deberet.

6 ANAGRAMMATUM inventio, quæ ut plurimum Epigrammatibus inventionem suppe- ditat, nescio quid plebeji & jejuni habet, nec sane decet multum elegantes Poetas, qui ad Antiquitatis genium scribere contendunt. Primus fere, qui usum Anagrammatum sus- citavit *Iohannes Doratus* sive Doratus, Vir superiore Seculo paucis conferendus: & ille quidem parce & sobrie id egit: sed mox, veluti signo dato, imperiti omnes, qui nihil cum doctis commune, nisi laborem, habent, ut fecisse aliquid viderentur, ita in nomi- num inversionem cœperunt incumbere, ut nihil, præter nugamenta, in lucem publi- cam prodiret, pulchrumque & laudabile duceretur, transpositis literis Schema aliquod exculpere, quod imperfectam sententiam, aut ridiculum plane & nullum etiam sen- sum gigneret. (k) Quodsi vero Anagrammata elegantem & acutiorem aliquam sen-

(k) Verissimum est Morhofianum hoc judicium de Anagrammatibus, quibus multi, judicium laborantis infirmitate, & ingenio genioque vere Poëtico destituti labore inglorio, & inde generosa plane in- digno, misere insudant, nescii, crepundiis ea atque ineptiis Poëticis, Artifices autem illorum Poëta- storum, vulgo ab omnibus vere eruditis atque cordatis accenseri Hæc, Valesius, Gallia æternam decus, his cos perstrinxit Scæzontibus, inter Valesiana Posthuma obviis.

Cicbaroedus esse qui nequit, sit Auloedus:

Anagrammarista, qui Poëta non sperat.

Christoph. Frid. Buchero, in *Privata Pietate*, Lipsiæ A. 1673. edita, Epigr. 27. his
matographos Versibus invecro:

sum inferant, adhiberi illa nonnunquam possunt, sed in Versus cogere, obscura est diligentia; atque tum non immerito mechanicum ac circulatorium inventum dicitur a Jac. Baldeo. De ratione Anagrammatismi *Guil. Blancus* librum conscripsit: Anagrammata non inconcinna *Joh. Mautnerus*, Pannonius, in Rosa Varniaca; *Frid. Taubmannus* & *Matth. Zuberus* saepe iis utuntur, & posterior acurus nonnunquam in Epigrammate est. (1) Sic nonnemo ex nomine hoc; *Ludovicus decimus tertius, a Borbonio, Henrici quarti & Marie filius*: viginti & uno Anagrammatibus Psalmum, pii illius Regis precationem complectentem, confecit. Vid. Laur. le Brun. p. 601. ubi plura similia.

Vix recenseri merentur hic, qui in Versibus quadratis, cubicis, retrogradis, Cabalisticis, excogitands versati fuerunt: non enim nisi obscuri laboris res est, & nullius ingenii: Janus Nic. Erythraeus Pinac. I. Imag. 144. nugae transalpinas vocat. E nugis istiusmodi constat *Publii Optatiani Porphyrii Panegyricus* est, Constantino M. Imperatori consecratus, & ex operosis ineptiis constans. Seculo post C. N. nono *Rhabanus Maurus* versus etiam tales quadratos scripsit, magno labore excogitatos, quibus varias Crucis figuras ob oculos sistit, industria profecto mirabili. Manuscriptum vidi apud Clar. Tribbechovium. Habemus inter Theocritea Carmina Versus, bipennis, aræ, alarum figura expressos: quod & Germani aliquot imitati nunc sunt: Patini nunquam, quibus ista inventionum vernilitas non placuit: nisi quod otiosi Monachi talia interdum excogitarunt. Ac prodiit Carmelitæ alicujus *Paschasi* liber, sub titulo *Poëtos Artificiose*, quo integram farraginem crepundiorum talium poetarum exhibet. Sed ista imbecilles solum animos delectant: quales argutiæ etiam illorum sunt, qui Hieroglyphica quædam nominalia signa excogitarunt, quibus nomen alicujus literis, quarum singulæ Emblema aliquod continent, repræsentatur. Nuptiarum hæc: non minus ac Judæorum certum Carminum genus, de quo Celebratissimus *Wagenfeilius* agit in Not. ad Cod. Sota, c. 49. ubi nimirum verba, etsi Hebræa sint, ipsique etiam Versus integri, nihilo tamen minus similitudine & identitate verbis linguæ alterius respondent. Sed hæc missa jam faciamus.

Qui ad EPICI CARMINIS majestatem inter recentiores accedant, non ita multi sunt: nec multos reperit Virgiliana illa gravitas idoneos imitatores. Omnibus enim numeris

Infantes miscere torquent Anagrammata Musas;

Carnifices possent dicere, Phoebe, tuos;

Frid. Rappoltus, Theologus & Poëta Acad. Lipsienfis ἐξοχώτατος, in Elegiis præfixis ita applausit

Carmina cuncta placent tua, mi Buxere; sed audi:

Est, quod præ reliquis mi nimiumque placet.

Plauti ad Felicem quod nempe Anagrammata stringit,

Carnifices Phoebi; Pieridumque cruces.

In reliquis Vates, ut mos est, plurima fingis:

In solo hoc tantum, credito, vera canis.

Alios addere superfedeo.

(1) Mento a Morhofio coeteris Anagrammatographis præfertur *Joh. Mautnerus*, Transylvanus, Studiosus Rostochienfis, cujus Rosa Varniaca, sive Lyceum, Rostochienfè Anagrammaticum, & Curia Rostochienfis Anagrammatica, utraque Rostochii A. 1636. in 12mo, edita, talia sistunt in Professores, Consules ac Senatores Urbis illius, Anagrammata, quibus elegantiora, concinniora, magisque perspicua, dari vix credo, legisse certe haud recorder.

meris absoluta est: ut delirent plane, qui vel Statium, vel Claudium, illi præferre non erubescunt. Inter recentiores tamen *Daniel Heinsius*, in Carmine de contemptu mortis, non multum ab ejus genio abit, ut recte judicavit Buchnerus in tract. de Commutata dicendi ratione, c. 8. p. 157. *Renatus Rapinus* in Eclogis, & in libris de Hortorum cultura, plane Virgilianus est, & styli nitidissimi artifex. Reperias etiam in Parnasso Societatis Jesu (cujus hæctenus Tomus tantum Primus Francofurt. A. 1654. in 4. prodiit) nonnulla *Vavassoris, Gallucii*, aliorumque, quæ gemis Virgilianum habeant. *Hieron. Fracastorius*, Medicus & Poëta Veronenis, medio superioris seculi defunctus, inter præcipuos Virgillii imitatores ponendus est, quandoquidem, Thuano teste, tam feliciter in ea imitatione profecit, ut illum proxime ad Virgili majestatem accessisse æmuli quoque faterentur: & in his Sannazarius, alioqui parcus & amarulentus alienæ eruditionis laudator: qui, visa ejus Siphilide (quam poëma plane divinum vocat Mich. Neander, in præf. ad Erot. L. Gr. pag. 207.) non solum Joh. Jovianum Pontanum, sed se quoque ipsum, in Opere accurata viginti annorum lima perpolito, victum exclamavit. Admiratus quoque Fracastorium est, & Aras erexit defuncto, Carmine exequiali ita inscripto, Jul. Cæsar Scalliger. *Hugo Grotius* in Heroico carmine varius est, quod ipse de se in præfatione fatetur: modo enim ad Virgilianos numeros, modo ad Statianos, modo ad Claudianos, accedit, prout a lectione incaluerat. *Alf. Sannazarius* felix Virgillii imitator est; sed in eo peccat, quod, in Versibus Virgilianis retinendis, ad æmulationem usque studiosus est: vera autem imitatio tam consistit in conferruminatione phrasium, quam in expressione dictionis ipsius. *Casp. Barlaam* totus Claudianus est, adeo, ut Claudiani umbra a Nic. Heinsio, in Præf. Lusus Saturnalitii, per jocum appelletur. *Joh. Bussiere*, in Scanderbego suo, non videtur privandus laude Virgiliani Carminis, nisi forsitan morosior aliquis levia quædam nimis urgere velit. Deliciæ Poëtarum Scotorum nonnulla etiam habent non contemnenda, nisi quod ad Statii & Claudiani genium pleraque accedunt. *Georg. Buchananus*, Scotus, qui in his non compareret, in libro de Sphæra, aliisque Carminibus, propius ad Virgilianam elegantiam accedit. Carmina Illustrium Poëtarum Italarum, uno volumine collecta plurima etiam bona habent: in his Sannazarius, de quo diximus. Qui *Bapt. Mantuani* poëmata Virgilianis æquare voluerunt, næ illi multum lapsi judicio sunt. Facilis ille quidem versu, sed ineptus interdum prolixis descriptionibus, & tautologiis; nonnunquam etiam barbarus: judicium de eo vide apud Rapinum de Carmine Pastoralis p. 177. Deliciæ Poëtarum Gallorum, at verò Poëtarum Delicæ adesse sunt mole ineptorum Carminum opplere, ut nomen Deliciarum profecto non mereantur. Acerbior autem est in illòs Censura Galli illius Epigrammatæ elctoris, [Nicolii] cujus meminit Vavassor de Epigrammate, qui vixit anno longanmata laude digna invenit sibi visus est: adversus quem, laudabili sine, & nullis in Gallis candore, Germanum nomen tuetur animosè. Vavassor. Poëmata Didactica, quæ humilliori stylo, quam Heroica scribi debent, aliqua in Deliciis Gallorum inveniuntur; ut *Scæv. Sammarthani* libri *παιδογροφίας*, & *Jac. Aug. Ubani* de *παιδογροφία* tritaria libri. Inter Italos est *M. Hier.* Vide Poëma de Bombycibus: etc.

Callipædia, (*m*) siue de pulchræ prolis habendæ ratione, Lugd. Batav. 1655. in 4. quæ Virgiliani Carminis imitationem pro lege sibi proposuerunt. In Vida tamen vide, quid desideret Scaliger. Nemo autem felicius Virgilium, quam Rapinus expressit. De Plantis *Abr. Cowley*, seu Coulejus, poemata Latina scripsit, quorum aliqua Heroici, aliqua Elegiaci carminis, Londini, 1668. in 8. elegantia quidem, sed quæ ad genium Virgiliani Carminis non accedunt: argutiis enim nimium indulget, ut Epigrammaticum potius quid interdum scribat, quam planum carmen; ac præterea non ubique purus est: quanquam Angli illum omnes Veterum Poëtarum numeros implevisse sibi persuadeant. *Augustus Mascardus* sublimis est, & quasi ex Statiano & Claudiano genere temperatus: *Bonaventura Baroni* ad tumorem usque sublimis est, metaplois elatis: Latinitas non satis pura, magna in versibus licentia: legi tamen meretur, quod subministrare nonnunquam elegantes metaphoras possit, si quis modestè uti novit: nec Epigrammatibus desunt acumina. *Job. Ludov. Præschii* Carmina Heroica Virgilianum aliquid spirant, & nitidum: de Eclogis quæ pronuntiare debeam, non liquet, cum nondum viderim. *Alex. Mori* Poëmata Claudianum aliquid spirant, & extemporali impetu effusa apparent: *Frid. Rappolti* Poëmata castigatissima sunt, & ad Virgilianam composita imitationem, multam granditatem & jucunditatem præ se ferentia: nec contemnenda Poëmata *Henr. Meibomii* Sen. quæ eruditissimus ac æque celebris nepos ejus in lucem edidit. *Pierius Winsæmius* duos, quod memini, Panegyricos scripsit, in quibus sublimitate Statium, & periodorum formatione Claudianum, imitatur, vel potius excedit: nec enim placet mihi adeo pendens & contorta periodus, qua utitur, & semper in cæsuris periodum finit. *Laurentius de Brun*, in Virgilio Christiano, Virgilium imitaturus, multum abit a genio Virgiliani Carminis: non enim nitidus satis est, nec illa artificia Virgiliana capit. *Publii Fontane* Heroica Carmina vehementer laudat *Erythræus*, atque Pythagoreorum commento Virgilii animam in illum immigrasse dici posse, judicat, nec in contentione, si qua institueretur recentiorum Poëtarum de principatu, Pontanis, Vidis, Fracastoriis, Sannazariis, cessurum, Pinac. I. p. 75. & II. p. 50. Tum & extollit *Mucium Riccium*, ut qui germanam imitandi Virgilii rationem esse affectus, sed quam inopia sua, & desiderio vivendi genere, iterum amiserit. Demum & *Jul. Cas. Stellam* laudat, ad heroicum carmen a natura factum, Pinac. II. p. 82. Vixit, sub finem Seculi decimi quinti, in Italia *Elisius Calenitus*, cujus mentionem nullam Scaliger facit; sed tamen prodierunt illius Carmina, a filio edita Romæ A. 1503. satis elegantia & arguta.

Inter ELEGIACOS SCRIPTORES Veteres primas ego deferam *Ovidio*, quicquid etiam alii in prosuli de Catullo, Tibullo & Propertio sentiant: quos ego quidem ratione Latinitatis æstimem, non ratione genii Elegiaci: etsi Tibullus & Propertius illum felicius fuerint, quam Catullus, affecti: *Ovidius* autem in genio Carminis Elegiaci exprimentis adeo felix est, ut nemo mortalium illum superet. Inter recentiores, primus locus debet *Petro Læschio Secundo*: quo, vel ipsa fatente invidia, nemo unquam melius exprimeret *Ovidium*, quod candidum est iudicium *Dan. Heinsii*, lib. II. Eleg. 8. Unum

TOMUS I.

T T T

hunc

(*m*) De *Calvidii Lati*, siue, qui sub larva hac dehiscebat, *Claudii Quilleti*, Abbatis Galli, *Callipædia Libris IV*, fusius disseruit *Morhofius Lib. II. Polyhistoris Literarii*, Cap. I. §. 8.

hunc Germanum omnibus Exteris possumus opponere, non negantibus ipsis Batavis, & nuper quoque Rapino, in Commentationibus super Aristotelis Poeticam Gallicis. Hunc excipiat *Johannes Secundus*, Belgæ, cujus Poëmata recognita a Per. Scriverio sunt. Hinc *Heinsii*, Pater & Filius, mire in Elegiis etiam felices. Superare tamen Patrem *Danielem* videtur *Nicolaus Filius*. *Casp. Barlaeus* suavis etiam ac facilis, ac nimis interdum diffusus, nec impetus illos naturæ fatis temperat. *Vincentius Fabricius* tersus etiam ac nitidus; observes tamen in illo vestigia nonnunquam *Lotichiana*. *Jacobus Wallius*, *Andronius Hofschius*, Jesuitæ, omnem Elegiaci Carminis laudem merentur, Latinissimi, facillimi, nec Elegiacis argutiis destituti: *Wallius* etiam in Heroico carmine laudandus. *Joh. Bapt. Stellam* Elegias prope ad Veterem elegantiam scripsisse restis est *Erythræus*, in *Pinacoth. I. p. 154*. Nec contemnendæ sunt Epistolæ *Heroum & Herodum*, ad *Ovidii* exemplum, a *Balduino Cabillavo & Jacobo Bidermanno*, Jesuitis, scriptæ; qui posterior, Epico carmine, *Herodiados* libros tres, ad *Claudiani* Carminis genium, scripsit, *Antwerp. 1634. in 12*. Sunt & *Deliciæ vernæ & æstivæ* *Joh. Bisselli*, quibus veris atque æstatis commoda Elegiaco carmine describuntur, notæ melioris. *Ag. Menagius*, cujus poëmata sæpe excusa sunt, identidem auctiora, in Elegiis non solum, sed & omnium Carminum genere, Latinus, nitidus ac elegans est. (Magnas vero lites, ob hæc sua Poëmata, aluit cum *Adr. Baillæto*, qui illa multis modis perstrinxerat, hoc sua vindicante *Anti-Baillæti Tom. II*. Si quis sacri argumenti scripta velit, *Arturus Jonstonus*, in *Psalmorum* versione, quemadmodum & in *Operibus* cæcis, ubique purus & tersus est, ut ego quidem nihil in illo desiderare possim. *Hermannus Hugo* in *Pius Desideriis*, *Hesius* in *Emblematibus* sacris omne punctum ferunt. *Jacobus Balde*, in *Urania* *Victrice*, acurior interdum est, quam decet Elegiam: quemadmodum & *Petrus Winssemius* in *Amoribus* suis, quos *Senex* scripsit, in quibus *Græcum* Elegiæ genium ostenditur: qua in arte alias singularem peritiam habet *Dan. Heinsius* in *Monobiblo* suo. *Septem Illustrium Poëtarum Poëmata*, *Amstelod. A. 1672*. edita, non in Elegiis solum, sed & in aliis Carminum generibus. Latinissima sunt & suavissima: in primis quæ *Ferdinandus Fürstenbergius*, immortale Principum Germanorum decus, *Episcopus Paderbornensis & Montseriensis*, composuit, & quæ seorsim quoque excusa sunt. Quibus nihil ferme nitidius scribi posset, & quæ majorem vetustatis Characterem animo Poëtæ impressum ostenderent. Taceant omnes *Itali & Galli* ad majestatem & suavitatem horum Carminum. *Jani Doufa* Elegiæ horridulæ aliquantum sunt, interdum & *Catullianum* quid sapiunt: sed *Latinæ*. *Alexandri VII. Pape*, cujus poëmata sub nomine *Philomathi* prodierunt, Elegiæ non vel *Latinitatis*, vel *inventionis*, laude privandæ: prodierunt *Amstelodami A. 1660. in 12*. *Sangenese* Elegiis nihil etiam deest, quo laudari mereantur: quanquam *Satyræ* ejus mihi non placeant, in quibus nullus plane est *Satyræ* *Ædificationis* genius. *Petri Francij* tum juvenis vigintiannorum Elegiæ aliquot de *Candia* scriptæ, supra quam credi potest, nitidæ sunt & elegantes. *Joh. Joſiam Porſari* Elegiæ negligentius quodammodo scriptæ videntur, eamque ob causam quibusdam non magno pretio veneunt: quod mihi secus videtur. Quanquam enim non negem in quibusdam numerum, in aliis spiritum deficere, excusari tamen illa posse arbitror. *Phalæni* ejus mirum in modum mihi semper placere. *Urania* ejus, Poëta didacticum, quoque

logiæ rationem & præcepta tradit, ut & libri ejus Meteororum, deque Hortis Hesperidum, quibus docer modum ferendi poma aurea, dictionem habent, quæ modesta, elegans, & à Virgiliano genio non multum abiens mihi videtur. De Eclogis ejus parum benignæ sentit Rapinus Dissertatione de Carmine Pastoralis. Barthius, in Adversariis col. 1299. Pontanum non nimium suo ingenio indulgisse optaret. Dionium furorem in illo & Jac. Sannazario agnoscit Bernardinus Parthenius, in Comment. ad Horat. lib. III. od. 25. Ita vero Erasmus de Pontano, in Dialogo, quem Ciceronianum inscribit: *Non sum tam hebes vel invidus, ut non fatear, Pontanum multis egregiis ingenii dotibus Virum esse Summum. In Epigrammatibus plus tulisset laudis, si virisset obscavit æm, quod nec in Dialogis suis caret. Ciceronianus non erit, in quo sexcentas voces possem ostendere, quæ nusquam sunt apud Ciceronem.*

Inter LYRICOS veteres Latinos unicus atque summus est Horatius. E recentioribus primas ego tribuo Georg. Buchanano, cujus terribilissima Latinitas, elegans dictio, & plane ad genium lyrici carminis, informata est: quanquam non adeo sublimis, ut esse debere censent, qui odere proxime ad heroici carminis dignitatem accedere, cum Scalligero, arbitrantur: atque ut est Matth. Casim. Sarbivius, qui etiam affectat metaphoras excelsiores, de cetero inter optima sane lyricorum exempla ponendus. Buchanano vero in ceteris quoque Carminum generibus felicissimus est, ac dignus, qui inter rarissimos & recentissimos numeretur. Scripsit & odas quasdam Petrus Daniel Huetius, quæ mirifice genium odæ Horatianæ exprimunt (n). Nec pejoris sunt commentis Iob. Baptista Mascuili & Gilberti Ionna Lyrica, ut & Iac. Baldi, quæ omnia, & Latina satis sunt, & genuinum Lyricum satis exprimunt: & ultimus quidem ille, Baldus, non solum æqualem festivitatem, & materiarum varietatem, vehementer mihi placeat. Judicium Barlæi de illo videatur in Epistolis 467. & 487. Scripsit & libros de vanitate mundi mire elegantes, & libellum, qui Philomela inscribitur: in quibus miscet versus pro ratione materiae. Albertus ab Ines, in Centuria Lyricorum suorum, ac in Lechiade, metæphoricis splendet: numeris etiam satis concinnus est, nisi, quod interdum aliqua non satis Latina occurrere videntur. Urbani VIII. odæ, cum commentario Henr. Dormalii diffuso, & ambizioso editæ sunt, quæ mediocri sonitatis mihi videntur: nec est, quare adeo magnifice de iis sentiamus, etiam si Jesuitæ illas, vivo adhuc Urbano, in Scholis suis, loco veterum Poëtarum, discipulis prælegerent, & admirandum proponerent. Nemo enim non videt, ex adulatione illud institutum esse profectum, neque adeo exinde de puritate odarum terribilissima iudicium ferri posse, ut quidem existimavit Erythreus, Pinac. II. p. 152. Genus simplicioris est, nec lyrica dictione affurgit, neque est numerorum illa concinnitas, quæ maximam lyrico carmini elegantiam conciliat, & occurrunt aliquando minus Latina. Iac. Avancinus, in oësi lyrica, illætinus interdum est, & facta seorsum, longiusque peccatis, ac non nunquam frigidis nimis indulget: elegantem, usque est, & quædam habet commendanda. Pauli Melissi odæ, a quibusdam magno in præteritis habitæ, videntur.

1. Dan. Huetii, Episcopi Gallie Abrincensis, ob orationem omnigenam ubique gentium, & Poëtam Latinæ, quæ, quot colligi poterunt, Trajecti ad Rhenum A. 1694 in Op. Joh. Georgio Viro Sannio Editionem curavit, prodierunt.

centio Fabricio, in Pransu parato, merito faxeæ vocantur: nulla enim in his est numerorum concinnitas, nec decora translatio, ac Epitheta apte proposita. Occurrunt & in *Lev. Torrentii* Poëmatibus nonnunquam, quæ legi mereantur, quæ admodum & in *Iacomotii* Poëmatibus, quem laudat *Jos. Scaliger* in Excerptis Puteanorum. *Christoph. Kaldenbachii* Lyrica non omnino spernenda.

11 Inter eos, qui PHALEUCOS scripserunt, nitidissimus delicatissimusque est *Joh. Bonifontius*, Gallus, cujus Carmina merito aurea vocat *Scaliger*: ejus Bassa omni modo suaviora. Hinc sunt Phaleuci *Jo. Jov. Pontani*, elegantes quidem, & Latini, sed nequam interdum & lascivi, quique parum decent Virum professionis sacre. *Frid. Rambmannus* in phaleucis, & in Anacreontico carmine, festivus est, magisque genium horum carminum, quam ceterorum expressit. Nec sua laude privandi sunt *Jac. Blawmanni*, Soc. Jesu, Sylvulæ Hendecasyllaborum, quippe in sacris & gravibus argumentis elegantes, & dignam habentes argumento elocutionem: prodierunt Lucernæ 1647.

12 In JAMBIS nemo felicior est *Dom. Baudio*, qui in reliquo carminum genere defuit. In SCAZONTIBUS querquerus est & plane ridiculus *Tarraus Hebius*, vel, qui sub eo nomine latet, *Casp. Barthius*: cujus & Anacreontes lignei plane, imo stercorei sunt. *Casp. Barbeus* singularis Scazontum artifex. *Jul. Cesar. Scaligeri* durissimi sunt, nec imitandi.

13 Fuere, qui in lingua Latina odas Germanorum rhythmicas imitari sunt: ut *Plempius* in Quisquiliis suis Poëticis, editis Amstelodami A. 1637. in. Frustra itaque *Phil. C. Quis* tam lepidi Carminis se inventorem vocat, qui, in præfatione seiner Antischen Notemunda, specimen aliquod hujus Carminis, a se inventi, recitat; sed longe antiquior sunt talia Carmina: & plura eorundem collegit *Caridemus*, in Reliquiis suis Byzanticis.

14 Ad ODARUM Scriptores illi etiam pertinent, de quibus paulo antea dictum est, qui PARODIAS scripserunt: quarum aliquas uno libro collegit, & ipse fecit *Hav. Havemannus* Sen. Sunt & aliorum, *Havemannii*, *Sagittarii*, *Rhodii*, *Berrili*, *Canani*, *Parodiae*. Ad imitationem ODARUM PINDARICARUM scripserunt Latini recentiores *Savola Sammarthanius*, *Dan. Heinsius*, alique, *Odae Synophs*. Antistrophis Epodis que suis, distinctas. Alii, liberius adhuc divagantes, carmina scripserunt, quæ vocantur *ἐπιμύθεα* vel *ὀμύμθεα*, nullo certo metro contenta, sed probabiliter arceps. Tale est *Dan. Heinsii* Carmen in Uxoris suæ obitum, & *Hugenii*. Habet & *Jac. Baudius*, in Lyricis suis, aliquot tales vagos Dithyrambos. Spectant etiam huc *Centones*, e Poëtis congesti, quorum mentio prorsus omittenda non est. Eos primum invenit *Ausonius* ex *Virgilio*: hinc ex *Homero* & *Virgilio* qui facere solent res fecerunt. *Homero-centra*, seu *Homeri Centones* a *Pelagio Parrino* facti, *Virgilii* nonnulli *Epigram. Imperatrici*, *Leontii*, *Philosophi*, filia, & longe pejus alii *Proba Falconiæ*, & *Leontii*, notante, post alios, *Placcio de Pseudon*. p. 121. *Aldis Mantuis*, a *Joh. Canado* acceptis, excudit. *Moræus* vero in *Collectione Poëtarum Grecorum* *Christiani* omni secudis. E *Virgilio* *Proba Falconiæ* *Julius* & *Leontii* *Capilipi* Centones congesti sunt, de quibus præclare sentit, in *Tract. de Poëtic.* 16. A. *Leontii* *Capilipi* Quin sunt, quæ *Stephanus Christii* collectis e *Centonibus* *Virgilianis* conflaret, ediditque sub titulo *Sacris* *Æneidos*. *Stephanus Pluvius*, Paris. 1648. Quos vere paulo ante memorabamus *Capiliporum* & *Falconiæ* *Centones* collegit, & alios addidit *Heinsius* 1647.

Henr. Meibomius. Est & quidam *Joh. Bapt. Spadus*, cujus Centones Virgiliani An. 1614. editi sunt Placentiæ in 4. *Dan. Heinsius* scripsit Idyllion, aliquod, Centonem Virgilianum ad ænicum, cui ex congressu cum ancilla proles nata. (o) *Henr. Stephani* quoque Centones Græcos & Latinos, non semper magno, ut mihi quidem videtur, cum iudicio scriptos, collegit, ediditque.

COMŒDIARUM ac TRAGŒDIARUM hodiernarum ratio ab Antiquis maximopere 15
 differit. Multa de Veteri cantandi in Comædiis more agit *Is. Vossius* libro de Natura & viribus rhythm. Et fuit ex Italis *Octavius Rinuccinus*, qui Veterum istum, æmulo temporum seculorum spatio intermissum, ad tibias vel fides decantandi morem rursus ex parte revocavit: de quo vid. *Erythraeus Pinac.* I. Im. 34. qui & *Andream Salvadorum* Im. 35. & *Jacobum Cicognium Pinac.* III. Im. 35. in eo genere vehementer laudat. Sed hos quidem vernaculos tales ludos Scenicos scripsisse, quos nunc Operas vocant, manifestum est. E recentioribus Comicis *Nicod. Friseblium* non contemnendus est. *Cornelius Seconius*, in Terentio suo Christiano, laudem sane aliquam meretur: sed erant omnino qui inventum librum, ut Classicum aliquem Autorem, prælegunt. *Fac. Ludov. Præfili* Comædia, *Amici*, elegans est & Latina. Scripsit & *Jac. Mifcunt* aliquas, quas *Palæstra* hæc Dramaticæ subjungit. Tragedias Jesuitarum aliquot habemus, scilicet elaboratas. *Dion. Petavii*, *Bernh. Stephonii*, *Jac. Baldei*, aliorumque. *Phil. Sant. Jacobs Cornelia* & *Marcæ* tragediæ contemnendæ. *Daniel Heinsius* Herodem Infantidam scripsit, eleganti stylo: sed quæ male Gentilium Deorum cum Judaica religione commationem instituit, ut illi haud abs re a Balzacio objectum est, cum quodammodo hæretico hæres nata, quas supra satis prolixè recensuimus. Scripserat idem *Heinsius* aliquid non juvenis adhuc *Amiacum*, sive libertatem faciæm, Tragediam: quæ verè inter poemata ejus postmodum edita non est, fortasse, quod aliqua adhuc juvenitatis vestigia appaerent: edita est Lugd. Batav. 1602. in 4. subjunctis etiam Iambis aliquot, qui pariter non sunt inter poemata recusi. Similiter & *Grotius* Tragediam, *Adoniam* *Lyolem*, cuius alia quædam Carminibus, quæ in Opere Poëmaticum non continentur, edidit Hagæ Com. 1600. in 4. pene in pueritia sua, quam ob rem illa omnia sunt: servari tamen possunt, quod multa bona in illis reperiantur, & deprehendi in illis facere scens perfectio possit.

SATYRICI post Veteres non adeo multi occurrunt inter recentiores, qui magno 16
 pere committuntur peccant, præter *Jacobum Balde*, qui in Satyricis suis *Medicis*, *Encomio* *privatis*, *Satyris* in tabacis, (quem contra *Raph. Thorin*, *Med. Londin. An. Hyano* & *Leclerc* *Lib. II. Ultrajecti An. 1644.* in 12. editis, comprehense, celebravit) *Amici* & *maelencos*, in *Astrologos*, circa *Eclipsin An. 1650.* delirantes, in *Podagros* & *verulka*: dictionis Satyricæ gentium exprimit. *Pet. Dan. Heerius* *puscas* quasdam Satyres scripsit, quæ ita *Horatium* imitantur, ut nec ovum ovum *sermone* *Scripsit* & *Janus Doffa* Satyras non contemnendas. *Gib. Ludov. to* *sermone* est, sed illis,

TIT ET 3

quos

(o) Centonem Virgilianum *Dan. Heinsii* ad *Amicum*, cui ex Congressu cum *Ancilla* proles erat nata, *Car. Barthium* esse scripturam, in *MSto Polyphronis* hujus *Morhofiani* *sermone* perperam traditum. Fuit enim *Amicus* *Heinsianus* non alius, pater *Joh. Baudii*, & cum *trium Amicibus*, a *Pet. Dan. Heerio* *sermone* *1638.* in 8vo editis, *Centode.*



00066639

